Universidad de Deusto
Biblioteca

SPORER

Universidad de Deusto
Biblioteca

EST. 1 PLUT. 3°

THEOLOGIA MORALIS SACRAMENTALIS

IN IV. PARTES DIVISA

Ad Instructionem

Ordinandorum & Curandorum

EX MATERIA

DE SACRAMENTIS

IN GENERE

ET

IN SPECIE,

Est. 1 D
Plút. 5

25576

I. De Ordine, & Horis Canonicis.
II. De Sacerdotio, Sacrificio, & Eucharistia.
III. De Pœnitentia.
IV. De Matrimonio, Item de Peccatis contra Sextum Præceptum, ac de Abortu.

COLLECTA ET DIGESTA

A

P. F. PATRITIO SPORER

Passaviensi, Ord. FF. Min. Recollect. Prov. Argent. SS. Theolog. Lectore Jubilato.

Post Propositiones damnatas ab ALEXANDRO VII. INNOCENTIO XI. & ALEXANDRO VIII.



M. D. C. C.

Editio Secunda.

Cum Permissu Superiorum, & Privilegio S. Cæsareæ Majestatis.

SALISBURGI,

Sumptibus & Typis JOANNIS BAPTISTÆ MAYR, Aulico-Academici Typographi & Bibliopolæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

CUm S. Cæsareæ Majestatis Privilegio cautum sit omnibus & singulis Typographis & Bibliopolis, ne librosà nostri Ordinis Patribus editos, vel imposterùm edendos imprimant, recudant, aut alibi recusos intra S. R. Imperij, Regnorúmq; ac Ditionum hæreditariarum Domûs Austriacæ fines adducant, vendant, vel distrahant absque assensu & facultate dictorum Patrum sub gravissima mulcta &c. Hinc Ego F. WOLFGANGUS ZECH totius Ord. Seraphici Diffinitor Generalis, ac p.t. FF. Min. Recoll. Prov. Argent. VICARIUS PROVINCIALIS, JOANNI BAPTISTÆ MAYR Typographo Aulico & Academico Salisburgi in impressione THEOLOGIÆ MORALIS SACRAMENTALIS à M. V. PATRITIO SPORER, ejusdem Provinciæ Lectore Jubilato ac Diffinitore actuali compositæ per præsentes facultatem concedo utendi dicto Privilegio. In quorum fidem has meâ manu subscriptas & Officij Sigillo munitas dedi in Conventu nostro Passaviensi, Die 21. Novemb. Anno 1681.

(L.S.)

P. WOLFGANGUS, qui suprà.

Facultas Plurimùm Reverendi P. Diffinitoris Generalis ac p. t. Vicarij Provincialis.

EGo F. WOLFGANGUS ZEH, totius Ord. Seraphici Diffinitor Generalis, ac p.t FF. Min. Recollect. Provinciæ Argent. Vicarius Provincialis, hisce facultatem, quantùm in me est, concedo, ut THEOLOGIA MORALIS SACRAMENTALIS à M. V. P. PATRITIO SPORER, SS. Theologiæ Lectore Jubilato ac Provinciæ nostræ Diffinitore conscripta, ac à Theologis ad id deputatis lecta ac censa prælo dari possit. In cujus fidem has Officij mei Sigillo munitas dedi in Conventu nostro Passaviensi die 21. Novemb. Año 1681.

(L.S.)

P. WOLFGANGUS, qui suprà.

Universidad de Deusto

Approbationes Theologorum Ordinis.

I.

DE mandato Plurimùm Venerabilis Diffinitorij Almæ Provinciæ noſtræ Alemaniæ ſeu Argentinenſis Ordinis S. Franciſci FF. Min. Recollect. Ego infrà ſcriptus THEOLOGIAM MORALEM SACRAMENTALEM M. V. P. ac Venerabilis Senis, P. PATRITII SPORER Paſſavienſis, Ejusdem Ordinis & Provinciæ, SS. Theologiæ Lectoris Jubilati & tertiò Diffinitoris Actualis, in hac Paleſtra jam ultra triginta annos exercitati, vidi, & perluſtravi, nec quidquam, quod aut Sacræ Fidei Orthodoxæ, aut caſtis moribus quomodovis repugnaret, inveni, quin tum ob ſacræ moralis doctrinæ profunditatem, tum ob miram & ſuavem ſtyli claritatem, omnibus (præcipuè animarum Paſtoribus) & lectu jucundiſſimam, & pro uſu quotidiano utiliſſimam cenſeo. Dabam in Conventu Noſtro Salisburgenſi Ejusdem Ordinis ac Provinciæ, die 8. Januarij Anno recuperatæ Salutis M. DC. LXXXI.

(L.S.)

F. PETRUS de Alcantara Staudach, ejusdem Voti & Conventûs, p. t. SS. Theol. Lect. Ordinar.

II.

DE mandato Venerabilis Diffinitorij Noſtri perlegi THEOLOGIAM MORALEM SACRAMENTALEM à M. V. P. F. PATRITIO SPORER, Ord. FF. Min. Recollect. Provinciæ Argentinæ Diffinitore Actuali, ac SS. Theologiæ Lectore Jubilato concinnatam, in qua nedum bonis moribus, aut fidei orthodoxæ nil contrarium reperi, ſed inſuper tanta maturitate & claritate teſtor compoſitam, ut non modò Tyrones ſive Ordinandi, ſive Curandi, ſed & quicunque Sacerdotes curati, aut qualicunque officio paſtorali in Eccleſia fungentes, adeòque etiam viri, quin Magiſtri, non habeant inſpicere dedignari. Quam proindè ob adeò extraordinariam claritatem cum luce tantam ſympathiam, luce publicâ dignißimam cenſeo. Dabam ex Conventu Noſtro Salisburg. 7. Januar. 1681.

(L.S.)

F. RODERICUS SCHNABEL, SS. Theol. Lector Ordinarius.

III.

DE voluntate Superiorum THEOLOGIAM HANC MORALEM SACRAMENTUM à M. V. P. PATRITIO SPORER, Ord. FF. Min. Recollect. Provinciæ noſtræ Argent. SS. Theologiæ Lectore Jubilato, magno labore, & induſtria ex probatiſſimis hujus ætatis Authoribus collectam, ac mira ſtyli ſuavitate, claritate, & ſoliditate conſcriptam, jam antè quidem ſub alia forma minori impreſſam, modò verò, ad deſiderium plurimorum, pro hac ſecunda impreſſione majori, pluriès attentè, & accuratè legi, & relegi, & præfixis ubiq; ſumarijs, ab erroribus & mendis omnibus, quantùm potui, correxi. Et quia Materias *de Sacramentis in genere, & in ſpecie de ſacris Ordinibus, Horis Canonicis, de Sacerdotio, Sacrificio, & Euchariſtia, de Pœnitentia, & Matrimonio, aliisque annexis* clariſſimè pertractat, Difficultates, caſus varios, & Quæſtiones aliàs difficiles & perplexas, Omnibus tamen non tantùm Ordinandis & Curandis, ſed & jam Ordinatis & Curatis, Confeſſarijs, & animarum Paſtoribus, aliisque Eccleſiaſticis Conſiliarijs, ſcitu ſumè neceſſarias, nervosè, ſolidè, fundamentaliter, & doctè reſolutas exhibet, ideo eandem omnibus pro ſolatio, utilitate, ac uſu facillimo, & quotidiano plurimùm commendo. Ex Conventu Noſtro Salisburgenſi 16. Decemb. 1689.

F. DEMETRIUS WIDMAN, Ejuſdem Ord. & Provinciæ in præfato Conventu SS. Theol. Lector Ordinarius.

Facultas Reverendiſſimi Metropolitici Conſiſtorij Salisburgenſis.

EX Mandato Reverendiſſimi Conſiſtorij Metropolitici Salisburgenſis attenta conſideratione vidi, legi, & examinavi THEOLOGIAM MORALEM SACRAMENTALEM à M. V. P. F. PATRITIO SPORER Paſſavienſi, Ordinis FF. Min. Recollect. Provinciæ Argentinenſis SS. Theologiæ Lectore Jubilato collectam & digeſtam: quæ cùm bonis moribus, aut Orthodoxæ Fidei non adverſetur, ſed multa eruditione ac perſpicua doctrina, puriſſimóq; calamo materiam de Sacramentis in genere, & in ſpecie de Sacris Ordinibus, Horis Canonicis, de Sacerdotio, Sacrificio, & Euchariſtia; De Pœnitentia, & Matrimonio, cæteriſq; annexis peccatis contra ſextum Præceptum, & de Abortu, ſine ullo abortivo, nervosè, breviter, & clarè pertractet, ideò prælo digniſſimam cenſeo

JOANNES JULIUS DE MOLL, Provincialis Auſtriacus, Celſiſſimi Principis & Archiepiſcopi Salisburgenſis Sedis Apoſtolicæ Legati, Conſiliarius Conſiſtorialis, & Colleg. B. M. V. ad Nives Canonicus.

Series Capitum & Sectionum ſeu Materiarum.

PARS I.

CAPUT I.

DE Natura, Numero, & Effectu Sacramentorum in communi. 1

SECTIO I.

De Natura & numero Sacramentorum. 1

SECTIO II.

Quæ ſint differentiæ communes inter Sacramenta Novæ Legis? 3

SECTIO III.

De Gratia communi Effectu Sacramentorum. 5

SECTIO IV.

De Charactere ſpeciali aliorum Sacramentorum effectu. 9

CAPUT II.

De Materia, Forma, & Intentione Sacramentorum. 12

SECTIO I.

De Materia & Forma Sacramentorum in genere. 12

SECTIO II.

De Materiæ & Formæ mutatione, interruptione, & repetitione &c. 14

SECTIO III.

De Intentione requiſita ad Sacramenta conficienda. 17

SECTIO IV.

An, & qualis intentio requiratur in ſuſcipiente, ad validè ſuſcipiendum Sacramentum. 26

CAPUT III.

De Miniſtro Sacramentorum. 30

SECTIO I.

Quis ſit Miniſter Sacramenti validè conferendi in communi. 30

SECTIO II.

Quid requiratur, ut Miniſter etiam licitè miniſtret Sacramenta, ſeu ut conficiendo non peccet. 31

SECTIO III.

Peccétne ſemper mortaliter Miniſter in ſtatu peccati mortalis Sacramentum miniſtrans? 33

SECTIO IV.

Liceátne aliquando petere, & recipere Sacramentum à Miniſtro indigno, ſeu cum peccato mortali collaturo? 35

SECTIO V.

Quàm graviter peccet, qui Sacramentum miniſtrat indigno? an aliquo caſu licitè? 37

CAPUT IV.

Quodnam ſit ſubjectum capax Sacramentorum validè & licitè ſuſcipiendorum. 39

CAPUT V.

De Sacramento Ordinis in genere & in ſpecie. 40

SECTIO V.

Quid ſit Ordo? quot? & quotuplex? 41

SECTIO II.

Sítne Ordo Sacramentum; quando, & quomodò à Chriſto inſtitutum? & quinam in ſpecie? 44

SECTIO III.

De Materia, & forma Sacramenti Ordinis generatim; ejuſdémque Miniſtro. 47

SECTIO IV.

De Subjecto Ordinis. 55

SECTIO V.

Quæ ſingulorum Ordinum definitio, materia, forma & officia? 72

SECTIO VI.

Qualis diſpoſitio requiratur in miniſterijs dictorum Ordinum; ubi obiter de Paramentis. 76

CAPUT VI.

De Obligatiouibus Ordinatorum ſeu Clericorum. 78

TRACTATUS APPENDIX De Obligatione recitandi Horas Canonicas. 86

CAPUT I.

Qualis, & quorum ſit obligatio recitandi Horas Canonicas? 87

CAPUT II.

Qualiter recitandæ Horæ Canonicæ, 95

SECTIO I.

Qualis intentio requiſita in Horis recitandis? 96

SECTIO II.

Qualis attentio requiratur in recitandis Horis? 102

SECTIO III.

Qualis integritas materiæ ſervanda in recitandis Horis? 109

SECTIO IV.

Quæ formæ, quæ alia obſervanda in recitandis Horis Canonicis? 114

CAPUT III.

De Cauſis excuſantibus ab Horis. 124

PARS II.

CAPUT I.

De Presbyteratu, ſeu Sacerdotio. pag. 133

CAPUT II.

De Sacrificio ín communi, & Miſſæ in ſpecie. 144

SECTIO I.

De Sacrificio in communi. 144

SECTIO II.

De Ipſo SS. Miſſæ Sacrificio. 148

SECTIO III.

De Hoſtia Sacrificij Miſſæ. 151

CAPUT III.

De Ipſo SS. Euchariſtiæ Sacramento. 156

SECTIO I.

De Eſſentia Euchariſtiæ, & contentis in ea. 156

)( )(SE-

SECTIO II.
De Materia Sacramenti Eucharistiæ. 164
SECTIO III.
De Forma Sacramenti Eucharistiæ. 177
CAPUT IV.
De Sacramenti Eucharistiæ, ipsiúsque SS. Sacrificij effectu, valore, fructu. 183
SECTIO I.
De Effectibus Sacramenti Eucharistiæ. 183
SECTIO II.
De Fructibus Sacrificij. 188
SECTIO III.
Quantus sit valor, & fructus Sacrificij. 196
SECTIO IV.
De Applicatione fructus Sacrificij. 199
CAPUT V.
De Sacramenti Eucharistiæ, & SS. Sacrificij Ministro, Offerente, Oblatione, & Stipendio. 209
SECTIO I.
Quis sit Minister Sacramenti Eucharistiæ conficiendi, & dispensandi. 209
SECTIO II.
Quis, & quotuplex Offerens SS. Sacrificij Missæ? 212
SECTIO III.
De Sacrificij Oblatione. 215
SECTIO IV.
De Stipendio Missæ. 222
CAPUT VI.
De Requisitis ad Sacrificium celebrandum. 228
SECTIO I.
Altare cum sua Supellectili. 228
SECTIO II.
Calix, Patena, cum sua Supellectili. 231
SECTIO III.
Sacræ Vestes. 234
SECTIO IV.
Sacer Ritus. 237
SECTIO V.
Sacer Locus. 241
SECTIO VI.
Tempus Missæ. 243
SECTIO VII.
Jejunium naturale. 247
SECTIO VIII.
Confessio præmittenda Sacro, vel Communioni. 252

PARS III.

CAPUT I.
DE Sacramenti Pœnitentiæ Essentia, partibus, materia. Pag. 257
SECTIO I.
Quid est Pœnitentia? 257
SECTIO II.
Quæ, quot, & quales sunt partes Pœnitentiæ seu Sacramenti Pœnitentiæ. 260
SECTIO III.
Quæ, & quotuplex est materia Sacramenti Pœnitentiæ? 262
SECTIO IV.
De Materia sufficiente, & dubia Sacramenti Pœnitentiæ. 263
Quæst. incid. Quibus modis universim deleantur venialia? 263
CAPUT II.
De Contritione. 269
SECTIO I.
De Contritione generatim sumpta. 269
Quæst. I. Quid sit Contritio generatim sumpta. 269
Quæst. II. Qualis debeat esse dolor in omni contritione generatim? 272
Quæst. III. Quantus esse debeat dolor contritionis? 277
SECTIO II.
De Contritione perfecta. 279
Quæst. I. Quid sit Contritio perfecta? 279
Quæst. II. Qualiter Contritio sit necessaria necessitate medij? 285
Quæst. III. Qualiter Contritio sit necessaria necessitate præcepti? 292
Quæst. IV. Qui sunt Effectus Contritionis perfectæ? 299
SECTIO III.
De Attritione, Contritione imperfecta; maximè ut requisita ad Sacramentum Pœnitentiæ. 306
Quæst. I. Quid attritio seu contritio imperfecta? 306
Quæst. II. Qualis dolor requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ? 313
Quæst. III. Qualis dolor sufficiat ad Sacramentum Pœnitentiæ? 317
Quæst. IV. Quando eliciendus est dolor in Sacramento Pœnitentiæ? 320
SECTIO IV.
De Proposito requisito ad contritionem, & Sacramentum Pœnitentiæ. 325
Quæst. I. Quale propositum requiritur ad hoc Sacramentum validè & licitè suscipiendum? 325
Quæst. II. Quid agendum Confessario cum Pœnitente continuò recidivo? 329
CAPUT III.
De Confessione Sacramentali, ejúsque requisitis. 336
Quæst. præamb. Confessio Sacramentalis quid, quotuplex quásque conditiones requirens? 336
SECTIO I.
De Integritate Confessionis Sacramentalis. 338
Quæst. I. Qualis integritas requiratur ad Confessionem Sacramentalem? 338
Quæst. II. Quænam peccata necessariò confitenda? 341
Quæst. III. An etiam peccata dubia ut dubia confitenda sint? 346
Quæst. IV. Quænam circumstantiæ necessariò explicandæ in Confessione? 349
Quæst. V. Qualis numerus peccatorum necessariò exprimendus in Confessione? 356
Quæst. VI. Quando sufficit integritas formalis tantùm confessionis, sic ut aliqua peccata licitè reticeantur? 363
SECTIO II.
De Confessione vera, secreta, vocali. 367
Quæst. I. Qualiter Confessio debet esse *vera*? 367
Quæst. II. Qualiter Confessio debet esse *secreta*? 369
Quæst. III. Qualiter Confessio debet esse *vocalis*? 370
SECTIO III.
De Confessione invalida repetenda. 371
Quæst. unica. Quando Confessio est invalida, quando & quomodo repetenda? 371
SECTIO IV.
De Necessitate & Obligatione Confessionis. 377
Quæst. I. Quando obligat præceptum divinum Confessionis? 377
Quæst. II. Quando & qualiter obligat præceptum Confessionis Ecclesiasticum? 377
CAPUT IV.
De Satisfactione Sacramentali. 382
Quæst. I. Quid est Satisfactio Sacramentalis? quis effectus? quæ necessitas? ibid.
Quæst. II. Quanta & qualis Pœnitentia injungenda? 386
Quæst. III. Quando imponenda & implenda Pœnitentia? à quo? & qualiter commutanda? 390
CAPUT V.
De Absolutione Sacramentali. 393
Quæst. I. Quæ forma Absolutionis consueta, sufficiens, necessaria, & præcisè essentialis? 393
Quæst. II. Qualiter proferenda est Forma Absolutionis. 398
Quæst. III. Quando Absolutio danda? quando repetenda, specialiter respectu excommunicati, & moribundi? 401
CAPUT VI.
De Confessario ac Ministro Sacramenti Pœnitentiæ. 407
SECTIO I.
De Confessarij approbatione, jurisdictione generatim. 408
Quæst. I. Quis est Minister Sacramenti Pœnitentiæ validè administrandi? 408
Quæst. II. Quid & quotuplex est Approbatio: specialiter de approbatione Regularium. 410
Quæst. III. Quid? & quotuplex est jurisdictio generatim, *speciatim*: ordinaria quid? quorum? à quo? respectu quorum? 414
Quæst. IV. Jurisdictio delegata quid? à quo? quotuplex? quibus modis? 416
Quæst. V. Quid jurisdictio certa, probabilis, dubia? *Ubi etiam de Errore communi.* 419
Quæst. VI. Quid jurisdictio universalis, & restricta? *speciatim pro articulo mortis.* 421
SECTIO II.
De Casibus reservatis. 423
Quæst. I. Reservatio quid? à quo? quorum peccatorum? speciatim respectu Religiosorum. 423
Quæst. II. Quis potest absolvere à casibus reservatis? 426
SECTIO III.
De Bonitate, & Scientia Confessarij. 436
Quæst. I. Quæ bonitas requiratur in Confessario? 436
Quæst. II. Quæ scientia requiratur ad Confessarium? 437
SECTIO IV.
De Obligatione & Officio Confessarij. 439
Quæst. I. Qualiter, & de quibus tenetur Confessarius Pœnitentem examinare, & interrogare? 439
Quæst. II. Qualiter & de quibus tenetur Confessarius instruere, & monere Pœnitentem? 441
Quæst. III. Qualiter Confessarius tenetur absolvere dispositum, & non alium? 443
Quæst. IV. Quid agendum Confessario, si erravit in suo officio? 444
CAPUT VII.
De Sigillo Sacramentali. 446
Quæst. I. Quid est Sigillum Sacramentale? quanta & qualis ejus obligatio? 446
Quæst. II. Quænam est materia Sigilli Sacramentalis? seu: quænam cadunt sub Sigillo Sacramentali? 449
Quæst. III. Quinam obligantur Sigillo confessionis? 453
Quæst. IV. Qualiter licet, & non licet uti notitiâ ex sola confessione Sacramentali habitâ? 456

PARS IV.

CAPUT I.
DE Matrimonio, & Sponsalibus. p. 461
SECTIO I.
De Impedimentis Matrimonij, & Personis inhabilibus. 462
Classis I. Impedimentorum. *Consensus insufficiens.* Error. Conditio. Metus. Raptus. Clandestinitas. 462
Classis II. Impedimentorum. *Libertas obligata alteri.* Votum. Ordo. Ligamen. Honestas. 470
Classis III. Impedimentorum. *Nimia conjunctio.* Consanguinitas. Affinitas. Cognatio. Crimen. 478
Classis IV. Impedimentorum. *Nimia distantia.* Cultûs disparitas. Impotentia. 490
SECTIO II.
De Matrimonij Promissione, seu Sponsalibus, ac Consensu de futuro. 499
SUBSECTIO.
De Causis justis dissolvendi Sponsalia. 506
SECTIO III.
De Matrimonio Legitimo, ut Contractus, ac Consensu de præsenti. 519
SUBSECTIO.
De Consensu conditionato. 526
SECTIO IV.
De Matrimonio Rato, ut Sacramentum est, ejúsque Solemnitate, & Indissolubilitate. 532
SUBSECTIO.
De Indissolubilitate, & Dissolubilitate Matrimonij. 543
CAPUT II.
De Obligatione & Peccatis Sponsorum, & Conjugum. 549
SECTIO I.
De Peccatis Sponsorum. 549
SECTIO II.
De Peccatis Conjugum in contractu Matrimonij, ejúsque invalidi revalidatione. 553

SECTIO III.
De Peccatis Conjugum in usu Matrimonij, & debito conjugali. 564
SUBSECTIO.
De Obligatione Debiti conjugalis. 575
SECTIO IV.
Peccata Conjugum contra Matrimonium, nimirum de adulterio & restitutione inde debita. 580
SUBSECTIO.
De Restitutione ex adulterio debita. 583
CAPUT III.
De Reliquis Peccatis contra VI. Præceptum. 593
SECTIO I.
De Fornicatione simplici. 593
SECTIO II.
De Stupro, & Raptu. 597
SECTIO III.
De Incestu. 603
SECTIO IV.
De Sacrilegio Carnali. 606
SECTIO V.
De Peccatis contra naturam. 608
SECTIO VI.
De Impudicitia interna & externa, *Cordis, Oris, Aspectûs, & Tactûs.* 619
CAPUT IV.
De Abortûs procurati malitiâ & pœnis. 626
SECTIO I.
Abortus Fœtus inanimati. 627
SECTIO II.
Abortus Fœtus animati directè causatus. 630
SECTIO III.
Abortus idem moraliter causatus. 634
SECTIO IV.
Abortus idem casualiter vel dubiè causatus. 639

THEO-

DEO TER OPTIMO MAXIMO,

Inhabitanti lucem inaccessibilem, Incomprehensibili, & Invisibili, Tri-fulgido, Tri-radioso, Tri-uni

SOLI ÆTERNO,

SANCTISSIMÆ ET INDIVIDUÆ

TRINITATI,

TRIUMVIRALI MONARCHÆ,

Tribus digitis appendenti molem universæ Terræ,

DOMINO MEO, & DEO MEO,

VERBO DOMINI, ET SPIRITUI ORIS EIUS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TRISAGIÆ MAIESTATI,

Cui

Ter Sanctum illud,

Ter-triplicatus Angelorum Chorus

Inceſſabili voce proclamant

S. S. S. Dominus Deus Sabaoth.

TRI-RIVIALI

NOSTRÆ SALUTIS FONTI,

PATRI

Sacramentorum Authori,

FILIO

Cauſæ primæ meritoriæ,

SPIRITUI S.

Omnis Gratiæ Largitori &c.

HANC

THEOLGIAM MORALEM

SACRAMENTALEM

Humillimè, demiſſiſſimè, & devotiſſimè conſecrat

EIUSDEM

DIVINÆ MAIE-

STATIS

Minima creatura, pulvis & nihilum

JOAN. BAPT. MAYR.

Poſſ

THEOLOGIÆ MORALIS SACRAMENTALIS

PARS I.

Inſtructio Ordinandorum generalis EX MATERIA

De Sacramentis in genere; ac Ordinis in Specie.

DE his ſex erunt capita. 1. De natura, numero, & effectu Sacramentorum in communi. 2. De materia, forma, & intentione Sacramentorum. 3. De Miniſtro Sacramentorum. 4. De ſubjecto ſeu ſuſcipiente Sacramentorum. 5. De Sacramento Ordinis generatim, & propriis ſingulorum Ordinum in ſpecie, usque ad Sacerdotium excluſivè. 6. De ſtatu & obligationibus Clericorum ſeu Ordinatorum: cum Tractatu appendice de Horis Canonicis. In nomine Domini incipiat

CAPUT I.

De Natura, numero, & effectu Sacramentorum in communi.

SECTIO I.

De Natura & numero Sacramentorum.

SUMMARIUM.

1. *Sacramentum.* 2. *eſt ſignum viſibile.*
4. *Inviſibilis Gratiæ,*
5. *Non nudè ſpeculativum, ſed practicum.*
6. *Differt à Sacrificio etiam N. Legis; ac etiam*
7. 8. *A Sacramentis V. Legis: quia Sacramenta N. L. faciunt hominem* Sanctum, *illa* Sacrum *ſolum.*
10. Uſque ad n. 14. *à quo, & qualiter inſtituta?*
14. *Sacramenta N. Legis ſunt ſeptem. Et*
15. *Cur non plura, vel pauciora?*

1 *Sacramentum N. L. eſt ſignum viſibile inviſibilis gratiæ, ad hominem ſanctificandum divinitùs inſtitutum.* Hanc definitionem ego puer primitùs in ſcholis didici ex Catechiſmo parvo laudatiſſimi P. Caniſij, & etiamnum mihi ſapidam Tyronibus commendo, & explico verbatim.

§. I.

Eſt ſignum viſibile.

2 SIGNUM, quia cognitum ducit te in notitiam alterius rei: *viſibile*: id eſt (ſub præcipuo ſenſu & ſenſato per Synecdochen comprehendendo reliqua) ſenſibile, ſeu ſenſu aliquo externo perceptibile, utpote viſu, auditu, tactu &c. Ut in Sacramento Baptiſmi, vides ablutionem externam corporis: audis prolationem externam formæ: *Ego te baptizo &c.* eóque ſigno cognito, ſimul duceris in cognitionem internæ ſanctificationis, ſeu regenerationis ſpiritualis animæ, & ablutionis animæ baptizati per infuſionem gratiæ ſantificantis: atque in cæteris omnibus. Quippe

3 Omnia Sacramenta de facto inſtituta ſunt in ſignis ſenſibilibus: Atque ita inſtitui omnino congruebat. De poſſibili non eſt tuum, Tyro, diſputare. *Ratio* congrua eſt. Quia Sacramenta de facto inſtituta ſunt ut ſigna ſacra uſualia totius Communitatis Eccleſiæ & Corporis Chriſti viſibilis, in quibus nimirum Chriſti fideles inter ſe communicare debent: atqui non poteſt eſſe ſignum uſuale in Communitatis bonum pro hoc ſtatu, niſi ſit ſenſibile, cùm ob dependentiam intellectûs à ſenſibus pro hoc ſtatu, nullus poſſit alteri communicare, niſi per ſigna ſenſibilia, viſu, auditu, &c. ut experientia nimis notum eſt: ergo &c. Aliam rationem ſignificat D. Joannes Chryſoſtomus Homilia 83. in Matthæum dicens. *Si incorporeus eſſes, incorporea dediſſet ipſe tibi dona. Nunc autem quoniam conjuncta eſt corpori anima ſub ſenſibilibus tibi intelligibilia tradit.* Hæc & plura S. Doctor.

§. II.

Inviſibilis Gratiæ.

4 EXprimitur effectus Sacramentorum Novæ Legis; qui generaliter in omnibus Sacramentis eſt *Gratia ſanctificans* inhærens, nimirum qualitas illa ſupernaturalis excellentiſſima, qua homo formaliter *ſanctus, juſtus, & gratus Deo, hæréſque æternæ beatitudinis* conſtituitur. At in Sacramento Euchariſtiæ ſpecialiter eſt *Gratia ſubſiſtens*: nimirum ipſe Chriſtus realiter & inviſibiliter præſens & contentus ſub ſpeciebus Euchariſticis, ſeu accidentibus ſenſibilibus panis & vini relictis, in ordine ad ſanctificandum hominem dignè percipientem Sacramentum iſtud. Quare Hoſtia conſecrata in Altari vel Tabernaculo exiſtens jam veriſſimum eſt Sacramentum: etſi enim tunc nondum actu ſignificet Gratiam ſanctificantem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem, significat tamen actu Christum realiter præsentem ad finem sanctificandi hominem mediante dignâ sumptione, tanquam conditione applicante Sacramentum ad illum effectum actu causandum. Neq; est de essentia Sacramentorum, semper actu significare & causare Gratiam, sed quòd, quantum est de se, semper sit significativum & causativum Gratiæ, si debitæ conditiones vel dispositiones adsint.

5 Sacramentum ergo Novæ Legis non est nudum signum (ut vocant in schola) speculativum, seu nudè repræsentans & cognoscere faciens Gratiam sanctificantem illam (quemadmodùm cana & promissa barba est signum provectæ ætatis: hedera appensa domui, vini venalis: aut hoc ipsum nomen *Gratia DEI* significat gratiam; speculativè scilicet in cognoscendo tantùm, & nullo modo in essendo) sed est signum simul practicum & efficax, seu aliquo modo effectivum Gratiæ sanctificantis in essendo, sic ut eam aliquo modo efficaciter (seu *physicè*, seu *moraliter* tantùm, de quo infrà à n. 45.) in esse causet, & efficiat: prout definit S. Synodus Tridentina *Sess. 7. Can. 6. & 8.* ubi sic detonat. *Si quis dixerit per ipsa Sacramenta Novæ Legis ex opere operato non conferri Gratiam, anathema sit.* Quid sit illud: *ex opere operato*: paulò inferiùs discès.

6 Atque per hoc Sacramentum Novæ Legis etiam differt à Sacrificio tam Novæ, quàm Veteris Legis: nam Sacrificium non est institutum ad Gratiam conferendam, hominémque sanctificandum; sed ad cultum DEI, ejúsque supremam super nos excellentiam & dominationem contestandam. At nónne sacrosanctum Missæ Sacrificium homini, pro quo offertur, Gratiam confert? Non confert immediatè ipso usu & applicatione suâ per modũ Sacramenti, sed solùm mediatè confert per modum impretationis, quatenus nimirum homini intuitu Sacrificii oblati conferuntur gratiæ actuales & auxilia efficacia ad conversionem, justificationem, Gratiámque divinam acquirendam, vel augendam per dignam susceptionem Sacramentorum, vel alios actus meritorios, de quo aliàs suo loco.

§. III.

Ad sanctificandum Hominem.

7 EXprimitur finis omnium Sacramentorum Novæ Legis, qui est sanctificare hominem per Gratiam DEI in via, quam illa vel conferunt, vel augent; & consequenter mediante perseverantiâ, etiam per correspondentem gloriamin Patria: nam *quod est causa causæ, est etiam causa causati*: simúlque notatur lata & excelsa differentia Sacramentorum Novæ Legis à Sacramentis Legis Veteris: quæ differentia scitè exprimitur à Theologis, duobus verbis: nimirum quòd Sacramenta Novæ Legis faciant *hominem sanctum*: Sacramenta verò Veteris Legis solùm faciebant hominem *sacrum*.

8 In hoc nempe differunt, quòd Sacramenta Novæ Legis dignè susciptientibus ipso facto, atque ex opere operato conferant sanctitatem seu Gratiam sanctificantem hominem, quâ homo verè sanctus, justus, & DEO gratus efficitur, ut dictum est. Sacramenta autem Veteris Legis (uti fuerunt consecrationes Sacerdotum ac Levitarum; item purificationes & expiationes innumeræ) ipso facto & ex opere operato solùm conferebant sanctitatem legalem, externam, imperfectam, quæ consistebat in externa deputatione ad cultum divinum, in purificatione & immunitate ab immunditijs & irregularitatibus illis legalibus sexcentis: ideóque solùm reddebant hominem *sacrum*, id est, idoneum ad communicationem cum populo DEI in cultu divino. At verò Gratiam sanctificantem, & veram sanctitatem internam ex opere operato minimè conferebant, sed solùm per Christum Mediatorem conferendam olim nudè significabant, seu præfigurabant. Eademque in Christum Mediatorem fide mediante per actus contritionis, vel amoris DEI benè dispositis solumodò ex opere operantis quandoq; gratiam conferebant: juxta communem doctrinam Catholicorum. Unde & Concilium Florentinum in litteris unionis dicit. *Sacramenta Novæ Legis multùm differunt a Sacramentis Veteris Legis. Illa enim non causabant Gratiam, sed eam solummodò per Passionem Christi dandam significabant. Hæc autem nostra & continent Gratiam, & ipsam dignè susciptentibus conferunt.* Hæc Concil.

Nota hic incidenter: Sacramenta Veteris Legis, quæ scilicet ante adventum Christi in Ecclesia fidelium usurpata sunt, alia dicta fuisse *ex Lege*, alia *ex Patribus*. Sacramenta *ex Lege* dicebantur, quæ simul cum lege originata sunt: ut supra dictæ consecrationes, purificationes, expiationes, &c. Sacramenta autem *ex Patribus* dicebantur, quæ non ab ipsa lege, sed per certos Patres originata sunt: ut Circumcisio per Abraham, & si quæ alia. Atque hæc in magnorum Doctorum Sententia conferebant Gratiam sanctificantem. Circumcisio enim vetus, instar Baptismi in Nova Lege, emundabat ab originali peccato, cui antea respondebat remedium legis naturæ post lapsum Adami Patribus à DEO revelatum. Sed hæc, quia retrò nos, nihil ad nos.

§. IV.

Divinitùs institutum.

10 DIvinitùs. Significatur Author & causa efficiens Sacramentorum Novæ Legis. DEUS quippe solus principaliter & authoritativè potest instituere Sacramenta. *Ratio est.* Quia ille solùm potest instituere authoritativè signum efficaciter & certò significativum Gratiæ, qui potest conferre ipsam Gratiam: at Gratiam conferre potest solus DEUS: ergo &c. Sacramenta igitur Novæ Legis instituit Christus quâ DEUS principaliter & authoritativè: quâ homo verò instrumentaliter seu ministerialiter & commissivè per potestatem Excellentiæ, determinando nimirum materiam Sacramentorum in particulari; eorúmque usum imponendo.

11 Huic veritati nihil officit, quòd Christus Dominus non determinaverit in ultima specie physica materiam omnium Sacramentorum, sed Ecclesiæ vel determinandam reliquerit, ut in Sacramento Ordinis infrà videbimus; aut à se designatam magis modificandam certis conditionibus, ut in Sacramento Matrimonij omnes agnoscere debemus, in quo contractui Matrimonij à Christo ad Sacramenti dignitatem elevato Ecclesia multàs conditiones

nes ad valorem requisitas apposuit, sine quibus illud Sacramentum primitus valuisset.

12 II. *Institutum*: Nimirum institutione stabili perpetuò duraturâ: adeò ut ex vi institutionis primitùs à Christo factæ Sacramenta deinceps perpetuò, quoties debitè applicata fuerint, significent, & causent Gratiam sanctificantem. Sunt enim Sacramenta instituta pro sanctificando Christi corpore perpetuò usque ad finem mundi.

13 Quare vides; non fuerunt Sacramenta 1. Lotio pedum Discipulorum, quâ dispositi etiam intùs mundabantur per gratiam. 2. Insufflatio Christi in Apostolos, per quam Spiritum Sanctum illis dedit. 3. Verba Christi ad Magdalenam, & Paralyticum: *Remittuntur tibi peccata tua*, quæ utique Gratiam conferebant. 4. Linguæ igneæ in Pentecoste super Apostolos apparentes, & significantes dona gratiarum illis collata. &c. Nam licèt hæc & similia ex voluntate & beneplacito divino significabant etiam practicè gratiam: non tamen ex institutione aliqua stabili vel duratura, sed ex actuali tantùm præsentanea & extraordinaria usurpatione divina. Quo ipso rursus excluduntur Sacramenta veteris legis, etiam illa, quæ significabant practicè gratiam ex institutione divina, ut circumcisio, non tamen ex institutione stabili, & immutabili, quippe de facto dudum abolita.

§. V.

Quot sunt Sacramenta novæ Legis?

14 SUnt septem: *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.* notissima Orthodoxis. Sic enim definit Concilium Tridentinum sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Christo JESU Domino nostro instituta, aut esse pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, Matrimonium: aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum: anathema sit.*

15 At cur septem tantùm Sacramenta: non plura, vel pauciora? *Ratio* à priori est sola institutio & beneplacitum divinum, cur septem omnino, non pauciora. *Ratio* congruentiæ hujus septenarij numeri sumitur ex comparatione progressûs vitæ corporalis cum progressu vitæ spiritualis. Quia nimirum congruum erat, ut progrediamur in gratia ad vitam spiritualem animæ, sicut progredimur in natura ad vitam corpolem. Igitur *Baptismo* spiritualiter nascimur: *Confirmatione* velut adolescimus, & roboramur ad pugnam spiritualem: *Eucharistiâ* spiritualiter nutrimur: *Pœnitentiâ* sanitatem animæ per peccatum amissam recuperamus, & à morbis animæ liberamur: *Extrema Unctione* à peccatorum reliquijs expiamur: *Ordine* quis idoneus Minister ad Sacra peragenda, & prædicta in proximo exercenda instituitur: *Matrimonio* Ecclesia fidelium multiplicatur corporaliter, ut per prædicta multiplicetur etiam spiritualiter ad implendum Regnum Cœlorum. Sic ferè Magister *in 4. d. 2. ac alij passim*, etiam aliter, & alias congruentias assignantes.

Septem autem tantùm, non plura sunt Sacramenta, quia nulli alteri rei convenit definitio Sacramenti supra explicata; solis autem illis septem & omnibus ad amussim congruit tota quanta, prout explicant tum Theologi, tum Controversistæ. Unde apparet, cur formatio Crucis, aqua Lustralis, Exorcismi, benedictio Abbatis, vel Abbatissæ, & alia hujusmodi (quæ ideo è Theologis vocantur *Sacramentalia*, quia partim æmulantur quasi indolem Sacramentorum, partim sunt Sacramentorum circumstantiæ adjunctæ) non sint revera Sacramenta; nam neque conferunt vi suâ immediatè & ex opere operato Sanctitatem, seu Gratiam sanctificantem, sed ad summum gratias actuales & auxilia ad pios motus & actus: ut inter alios fusè explicat Dicastillus *l. 1. de Sacramentis d. 1. dub. 2.* 16

SECTIO II.

Quæ sunt differentiæ communes inter dicta Sacramenta novæ legis?

SUMMARIUM.

17. *Differentia communes Sacramentorum.*
18. *Alia sunt* iterabilia? 19. *alia* initerabilia.
20. *Alia* mortuorum, 21. *Alia* vivorum.
24. *Quædam omnibus necessaria: alia non.*
25. Usque ad n. 28. *Quando, & quænam Sacramenta dicantur formata, vel informia?*
28. Usque ad n. 34. *Qualiter, & qua Sacramenta informia reviviscant?*

17 HÆ sunt potissimùm. 1. Alia dicuntur *iterabilia*, alia *initerabilia*. 2. Alia Sacramenta *vivorum*, alia *mortuorum*. 3. Quædam *omnibus necessaria*, quædam *non necessaria omnibus*. 4. Denique Sacramenta aliquando dicuntur, & sunt *formata*, aliquando *informia*. Explico breviter per distinctos. §§.

§. I.

Sacramenta iterabilia, & initerabilia?

18 I. SAcramenta *iterabilia* dicuntur utique, quæ sæpiùs susci pi possunt, eò quòd non imprimant Characterem indelibilem in anima, sed solùm conferant Gratiam sanctificantem, per peccatum mortale (heu nimis facilè) amissibilem, ideóque reiteratione Sacramenti recuperabilem. Et hæc sunt quatuor: *Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, & Matrimonium.*

19 II. Sacramenta *initerabilia* dicuntur, quæ semel validè susceptа, iteratò susci pi nequeunt, eò quòd etiam imprimant Characterem indelebilem in anima susci pientis. Et sunt tantùm tria: *Baptismus, Confirmatio, Ordo.*

Quid si ergo quis tale Sacramentum iteret: secundò baptizetur, confirmetur, ordinetur Sacerdos? Talis nullum effectum susci pit: cùm Sacramentum illud iteratum simpliciter sit nullum: & si scienter fiat, tam conferens, quàm susci piens peccat mortaliter sacrilegio gravissimo: & insuper in reiteratione Baptismi uterque incurrit irregularitatem, ut habetur *cap. 2. de Apostatis.* non item in reiteratione Confirmationis, & Ordinis: de his enim nihil expressum in Jure reperitur: non est autem statuenda irregularitas, nisi in casibus Jure expressis, ut contra Navarrum docent Theologi & Canonistæ communiter.

Universidad de Deusto

§. II.

Sacramenta Mortuorum

20 SUnt illa, quæ per se & ex vi institutionis suæ conferunt primam Gratiam justificantem, seu remissionem peccati mortalis actualis, vel originalis: & ideo sic dicta, *mortuorum*, quòd sint à Christo per se & primariò instituta in eum finem, ut homini spiritualiter *mortuo*, peccato mortali, legitimè ministrata restituant vitam spiritualem Gratiæ. Et duo sunt, Baptismus & Pœnitentia: hæc enim ex vi institutionis suæ conferunt primam gratiam justificantem: Baptismus quidem remissionem peccati originalis, ac etiam actualium ante Baptismum commissorum: Pœnitentia verò remissionem peccatorum actualium post Baptismum commissorum: quæ ideo vocatur *secunda post naufragium tabula*. Quare ad hæc duo Sacramenta suscipienda minimè requiritur status Gratiæ prævius, aut ejus dispositio contritio perfecta: adeò ut neque Judæus petens Baptismum teneatur elicere contritionem perfectam de sexcentis fraudibus, quibus circumvênit Christianos; neque Christianus, Latro, Adulter, Hæreticus &c. præmittere contritionem perfectam Sacramentali Confessioni, sed sufficiat attritio, ex communi doctrina in suis propriis materiis,

21 Per accidens autem eadem Sacramenta mortuorum sæpissimè conferunt gratiam secundam, quoties nimirum suscipiens jam antecedenter est in statum Gratiæ restitutus per contritionem perfectam, vel amorem DEI super omnia, aut alio modo. *Ratio est*: Quia Sacramenta legitimè, & sine obice suscepta nunquam carent suo effectu, qui est Gratia: ergo & hæc duo Sacramenta legitimè ministrata jam constituto in Gratia, ne suo effectu careant, debent conferre Gratiam: non primam, ut patet: ergo per accidens secundam, seu augmentum Gratiæ prioris.

§. III.

Sacramenta vivorum

22 SUnt illa, quæ per se & ex vi institutionis suæ conferunt gratiam secundam, adeóque præsupponunt gratiam primam, seu statum gratiæ in suscipiente. Unde sic dicta, *vivorum*, quòd jam viventibus vita spirituali gratiæ ministrata, eos novâ gratiâ augeant. Et sunt quinque reliqua: *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Extrema Unctio*, *Ordo*, *Matrimonium*. Hæc enim per se loquendo ministrari debent solùm vivis membris Christi, seu jam existentibus in statu gratiæ: adeò, ut peccet mortaliter, qui unum eorum suscipit conscius sibi peccati mortalis: sed omnium Sententiâ, necessitate præcepti divini necessarium est, ut talis se priùs reponat in statum gratiæ, eliciendo contritionem perfectam, aut Sacramento Pœnitentiæ, vel alio modo fiat ex attrito contritus.

23 Nota rursus: eadem hæc Sacramenta vivorum per accidens quandoque causare gratiam primam, & fieri quasi Sacramenta mortuorum: quando nimirum quis suscipit ejusmodi Sacramentum vivorum in statu peccati mortalis, v. g. Sacerdos celebrans &c. attritus tantùm, tamen bonâ fide putans se esse contritum: eo casu Sacramentum confert gratiam primam per accidens, juxta communem Doctorum. Quia, cùm talis non ponat obicem gratiæ ratione doloris bonâ fide putati sufficientis ad tollendum obicem peccati, sufficienter applicat peccatum, ut remittatur per gratiam: ergo Sacramentum habens vim conferendi gratiam, quæ de se semper est peccati remissiva, tali conferet gratiam: non utique secundam, ut supponitur: ergo primam: idque per accidens ratione dispositionis subjecti, non per se ex vi institutionis suæ. Quo casu ipsa hæc Sacramenta suscepta facient ex attrito contritum.

§. IV.

Quæ Sacramenta omnibus necessaria, quæ non omnibus?

EX communi doctrina in suis proprijs materijs. 24
1. Baptismus est omnibus hominibus necessarius ad salutem: Pœnitentia verò omnibus & solis in peccatum mortale post Baptismum lapsis. Et hæc duo in re, vel in voto etiam necessitate medii: in re ipsa autem necessitate præcepti. 2. Eucharistia solùm necessitate præcepti est necessaria omnibus adultis. 3. Confirmatio, & Extrema Unctio non est sub præcepto saltem gravi necessaria: ex communi cum D. Thoma 3. p. q. 71. a. 8. ad 4.

Nulli homini in particulari esse impositam obligationem seu necessitatem suscipiendi sacros Ordines, Matrimonium ineundi, per se loquendo, nemo sanus dubitat. Attamen per accidens quandoque potest emergere ejusmodi obligatio; nam ratione Beneficij Ecclesiastici, singulariter Parochialis, suscipiendus est Ordo sacer: & necessariò ineundum Matrimonium cum puella, quam spe Matrimonij promissi deceptam defloràsti, aut si voto castitatis liber nequeas servare castitatem, &c.

§. V.

Quando Sacramenta dicuntur formata, vel informia, & qua?

SAcramentum *formatum* dicitur, quod & validè 25
& licitè ac fructuosè susceptum, statim, dum suscipitur (nimirum in ultimo instanti completionis suæ) habet suum effectum in suscipiente, nimirum gratiam sanctificantem: quæ per antonomasiam vocatur *forma*, decor, & pulchritudo animæ, & quâ proinde deficiente, manet anima informis ac deformis in conspectu DEI: & talia deberent semper esse Sacramenta. Itaque

Sacramentum *informe* dicitur, quod quidem 26
validè suscipitur, concurrentibus scilicet omnibus essentialiter requisitis ad valorem talis Sacramenti, debitâ nimirum materiâ, formâ, & intentione, sed propter obicem peccati mortalis illicitè susceptum, tunc non habet effectum Gratiæ sanctificantis, sicque informe manet, animámque deformem relinquit: attamen, aliquando saltem, sublato illo obice peccati mortalis, quasi revivíscens, confert effectum suum privilegio revivíscentiæ; quia scilicet manet continuò in acceptatione divina ita applicatum, usque dum, sublato obice, effectum subjecto jam capaci conferat: Et hinc dicitur *revivíscere*: quia toto tempore præcedenti erat quasi *mortuum*, vel saltem mortificatum, nullum scilicet habens

habens sanctificationis & vitæ spiritualis motum in suscipiente. Hæc pro explicatione terminorum. Jam quoad rem

27 Duplex occurrit quæstio. Prima: quænam Sacramenta possint sic esse informia? Nullus dubitat de omnibus, excepta solâ Pœnitentiâ. Est quippe Articulus Fidei, posse Baptismum integerrimè suscipi à gravissimo peccatore permanente & indurato in sua nequitia. Et passim audis loquentes Doctores, hominem validè baptizari, confirmari, ordinari, extremè ungi, Matrimonium contrahere in statu peccati mortalis; at non licitè, sacrilegè, nedùm infructuosè & informiter. De Sacramento Eucharistiæ, prô dolor! res nimis clara. Ratio jam indicata est. Quia in omnibus his possunt concurrere omnia essentialiter requisita ad valorem Sacramenti, stante simul obice peccati mortalis: adeóque possunt suscipi validè, absque eo, quòd suscipiantur licitè & fructuosè. De Pœnitentia sola grandis est disceptatio inter Theologos: eò quòd dispositio suscipientis necessariò requisita ad validè suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, nimirum dolor syncerus de peccatis, & confessio legitima, faciat illud etiam licitè suscipi. Verùm hæc disputatio, cùm multa scienda supponat, necessariò differenda est in suum proprium locum de Pœnitentia, in tertia nostra parte.

28 Altera quæstio est, quænam Sacramenta sic informiter suscepta gaudeant privilegio revivíscentiæ, ut postea ablato obice peccati mortalis, effectum suum conferant? Omnibus, præter Baptismum negant hanc prærogativam *Vasquez*, *Hurtadus*, *Herinx* noster, alij non pauci, mihi valde probabiliter. Contrà omnibus tribuunt alij cum Castro Palao hic *disp.* 18. *p.* 9. Aliquibus tribuunt, alijs negant æquè multi. Authores videre potes apud Lugo de Sacramentis. *disp.* 16. *sect.* 6. & *Castro Palaum cit.* Accipe mentem meam compendio.

29 I. Baptismum gaudere hoc privilegio consentiunt ferè Theologi cum D. Thoma 3. *p.* 9. 69. *a.* 10. Et expresè docet D. Augustinus *lib.* 1. *de Baptismo contra Donatistas*. Ratio est: quia Sacramentum Baptismi validè susceptum semel, ob impressum Characterem est initerabile; & ejus effectus, regeneratio spiritualis, simpliciter est ad salutem necessarius: & peccata ante Baptismum commissa per nullum aliud Sacramentum remitti possunt: ergo opus fuit, ut Baptismus semel validè receptus sine effectu, postea, recedente obice, operetur suum effectum, quem antea operari nequivit.

30 II. Idipsum plerique docent de Sacramento Confirmationis, & Ordinis: similis enim, etsi non ita urgens, est ratio. Nam & hæc Sacramenta simpliciter initerabilia sunt, & habent effectum sibi proprium, (nimirum Confirmatio gratiam in fide Christi roborantem: Ordo, gratiam conformativam Christo operanti, &c.) qui effectus ab aliis Sacramentis conferri nequeunt: ergo & hæc quóque Sacramenta semel validè suscepta sine effectu, postea, amoto obice, effectum suum conferre rationi consonum est.

31 III. Eadem ratio, sed minùs urgens suadet de Extrema Unctione, & Matrimonio. Nam & hæc Sacramenta secundùm quid sunt initerabilia, nimirum durante eâdem infirmitate: & durante vitâ utriusque conjugis: & habent effectus aliquos speciales sibi proprios, nimirum Extrema Unctio, gratiam delentem peccatorum reliquias, & in extremo conflictu roborantem: Matrimonium, gratiam pacis conjugum conciliativam, & ad munia Matrimonij auxiliantem, qui effectus per alia Sacramenta non conferuntur: ergo rationi quóque consentaneum est, etiam hæc Sacramenta semel validè suscepta sine fructu, postea, amoto obice, effectum gratiæ restaurare.

IV. Jam vides nullam similem rationem militare pro Sacramentis Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, 32
cùm hæc semper ad libitum sint iterabilia, nec effectus speciales ita necessarios conferant. Quare Eucharistiæ (de Pœnitentia alibi) hanc vim cum aliis meritò negat Lugo *l. cit.* Nam Eucharistia, quia sumitur per modum cibi & nutrimenti spiritualis animæ jam viventis vitâ spirituali gratiæ, nata est solùm nutrire pro eo instanti, quo sumitur: ergo, si illo instanti inveniat mortalis peccati impedimentum ac obicem istius nutritionis spiritualis, jam non erit nutrimentum, sed ipso puncto vertitur in detrimentum sumentis: quia juxta Apostolum 1. *Corint.* 11. *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

Tandem mihi verosimillimum videtur, præ- 33
ter baptismum, nullum aliud Sacramentum gaudere eo privilegio revivíscentiæ, ut scilicet recedente obice, restauretur gratia sanctificans. Non enim sunt asserendi effectus Sacramentorum absque fundamento in Scriptura, traditione Patrum, aut Ecclesiæ definitione: sunt enim Sacramenta signa ad placitum voluntatis divinæ, quod nobis ex Scriptura vel traditione constare debet: (ratione certò solâ constare non potest) at præter Baptismum, ex nullo tali capite constat de ullo alio Sacramento: ergo &c.

SECTIO III.

De Gratia, communi effectu Sacramentorum.

SUMMARIUM.

35. *Gratia generatim quid, & quotuplex?*
37. Usque ad n. 40. *Quid, & quotuplex gratia* habitualis.
40. *Quid & quotuplex* actualis.
42. Usque ad n. 45. *Qualem gratiam conferant singula Sacramenta N. Legis?*
45. *Sacramenta causant gratiam ex opere operato,*
46. *Id, moraliter, seu influxu morali.*
49. Usque ad n. 54. *An omnia Sacramenta conferant gratiam æqualem, vel inæqualem?*

EFfectus Sacramentorum Novæ Legis duplex 34
est: generalis omnium: & particularis aliquorum. Effectus generalis omnibus Sacramentis communis est *Gratia sanctificans*; Omnia quippe Sacramenta Novæ Legis, sine obice suscepta, ex opere operato Gratiam infundunt, uti definiunt Concilia Trident. & Florent. superiùs allegata. Effectus particularis, aliquorum Sacramentorum proprius, est *Character*. De utroque seorsim agemus distinctis §§. hac, & seq. Sect.

Universidad de Deusto

§. I.

Quid est Gratia generatim: & quotuplex?

35 I. GRatia generatim definiri potest: *Donum Dei gratuitum homini viatori, intuitu salutis, vi meritorum Christi gratis collatum.* Dicitur 1. *Donum Dei gratuitum.* Nam, ut inquit Apostolus Rom. 11. *Si gratia, jam non ex operibus* (sine gratia factis) *alioquin gratia jam non est gratia.* 2. *Intuitu Salutis.* Per quod gratia differt à donis naturalibus naturæ debitis aut indebitis, sed per se ad salutem non ordinatis. 3. *Vi meritorum Christi.* Christus enim Mediator, sicut totius salutis nostræ, ita omnis gratiæ ad salutem conducentis, unica est causa meritoria. 4. *Gratis collatum*: gratia enim alia gratis data, alia gratum faciens est.

36 II. *Gratia gratis data* dicitur donum DEI gratuitum datum homini, ad aliorum potissimùm salutem ordinatum: adeóque non tantùm bonis, sed etiam malis commune: ut donum Prophetiæ, donum linguarum, gratia sanitatum, & alia, quæ enumerat Apostolus 1. Corinth. 12. *Gratia gratum faciens* est donum DEI gratuitum datum homini principaliter ad salutem propriam, quippe aut ipsum hominem intrinsecè & formaliter justum ac DEO gratum efficiens, & dicitur *Gratia sanctificans habitualis*, aut extrinsecè & effectivè hominem excitans, movens, & adjuvans ad justitiam comparandam, vel conservandam: & dicitur *Gratia sanctificans actualis.* De utraque seorsim.

§. II.

Quid est gratia sanctificans habitualis: & quotuplex?

37 I. HÆc (simpliciter & antonomasticè *gratia divina* dicenda) *Est qualitas spiritualis supernaturalis infusa animæ, quæ hominem formaliter justum, sanctum, ac Deo gratum constituit, ejúsque actus meritorios vitæ æternæ de condigno efficit.* Unde *habitualis* gratia dicitur, quia ut verus habitus habitualiter ac permanenter inest homini, eum sanctificans, atque ad actus meritorios de condigno cooperans. *Divina* autem gratia dicitur, quia hominem constituit gratum DEO, verum DEI amicum, filium adoptivum DEI, hæredem DEI, cohæredem Christi, ac æternæ beatitudinis: ratione cujus scilicet homini de jure debetur hæreditas gloriæ ac beatitudinis æternæ: & verbo, quia hominem quodammodò Deificat, ac consortem divinæ naturæ efficit.

38 Adde: in Sententia magnorum Doctorum, Scoti & aliorum, hæc gratia sanctificans est idem realiter habitus cum Charitate divina infusa: adeò ut idem realiter habitus seu qualitas illa supernaturalis excellentissima, diverso respectu seu connotato, quatenus quidem hominem sic gratum ac dilectum DEO, ejúsque actus gratos DEO ac meritorios efficit, dicatur *Gratia*: quatenus verò ipsum DEUM homini gratum ac dilectum reddit, eúmque ad amandum DEUM ac propter DEUM bene operandum inclinat, & adjuvat, dicatur *Charitas*: quæ definitur: *virtus Theologica supernaturalis, quâ Deus propter se diligitur, proximus autem propter Deum.*

39 II. Duplex est hæc Gratia sanctificans habitualis, *prima*, & *secunda*: *Prima* gratia dicitur, quâ homo peccator primò justificatur, atque ex inimico amicus DEI constituitur: inde dicta *prima*, quia nullam aliam gratiam habitualem præsupponit, cùm ipsa immediatè sit expulsiva peccati mortalis. Et talis per se confertur per Sacramenta mortuorum, Baptismum, & Pœnitentiam. Gratia *secunda* dicitur gratiæ prioris augmentum, & est omnis gratia sanctificans habitualis jam præsupponens in suscipiente primam vel priorem gratiam, seu quæ confertur homini jam in gratia constituto: unde dicta *secunda*. Et talis per se confertur per Sacramenta vivorum, scilicet Confirmationem, Eucharistiam, Ordinem, Extremam Unctionem, & Matrimonium, ut jam supra dictum *n.* 22. Item talem acquirimus meritoriè per omnem actum meritorium, factum scilicet in statu gratiæ.

§. III.

Quid gratia sanctificans actualis: & quotuplex?

I. HÆc (secundùm quid tantùm non simpliciter dicenda *gratia*) Est influxus Dei specialis & gratuitus, excitans & effectivè movens, adjuvans hominem ad pios motus & actus bonos exercendos, utpote conversionis, pœnitentiæ, contritionis, timoris vel amoris DEI, vel proximi, & similes, quibus mediantibus homo impetrat, vel meretur gratiam sanctificantem: nimirúm aut de congruo, solùm per modum impetrationis gratuitæ, si adhuc sit in statu peccati mortalis; aut de condigno per modum debiti, si antea jam fuit in statu gratiæ. Jam vides, hâc gratiâ *actuali* hominem extrinsecè & effectivè, gratiâ verò *habituali* intrinsecè & formaliter justificari, Deo gratum & amicum fieri. 40

II. Triplex communiter distinguitur hæc gratia actualis, *Excitans*, *Adjuvans*, & *Complens*, *vel Subsequens.* Gratia *excitans* vel præveniens dicitur, supernaturalis motio animæ ad bonum aliquod volendum, vel malum fugiendum. Amodò: Gratia *adjuvans* vel cooperans dicitur eadem motio supernaturalis animæ, & auxilium divinum efficax unà cum voluntate influens, concurrens, ac cooperans ad bonum opus actu perficiendum, vel malum devitandum, ad quod alioquin tentatio te impelleret. Gratia *complens*, vel consummans, vel etiam *subsequens* dicitur eadem motio, & auxilium divinum unà cum voluntate cooperando & corroborando tribuens operi bono cœpto ultimam perfectionem; nam qui dedit velle DEUS, dabit etiam perficere. Et tales gratiæ actuales, ac jus ad illas opportuno tempore præstandas, dantur etiam semper in digna susceptione Sacramentorum, ut jam jam audies. 41

§. IV.

Qualis ergo gratia confertur per Sacramenta Novæ Legis?

I. CErtum est de fide per quodlibet Sacramentum Novæ Legis omni homini dignè suscipienti conferri gratiam sanctificantem habitualem, aut primam, aut secundam, ut jam iteratò audivisti *n.* 7. & 34. atque unà cum gratia sanctificante, saltem prima, simul infunduntur habitus supernaturales virtutum 41

Fidei,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

eramenta, quorum homo per Baptismum fit capax: & similiter Character Confirmationis: Character Diaconi, vel alterius inferioris Ordinis Ordinem Sacerdotij, ad quem disponit: Character Sacerdotij, etiam Sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis, quæ Sacerdos potest conferre. Sed hæc remotiùs videntur petita.

69 Ex dictis intelliges modum loquendi Theologorum, dum dicunt, in Sacramentis illis initerabilibus, signum externum sensibile esse tantùm Sacramentum: Gratiam sanctificantem esse tantum rem Sacramenti: Characterem verò esse simul & rem Sacramenti, & Sacramentum. Nam Character æquè, ac gratia est effectus Sacramenti sensibilis: & sic est res Sacramenti: & simul est signum rei sacræ, quòd scilicet talis homo specialiter sit consecratus DEO: imò aliquo modo est signum ipsius gratiæ sanctificantis, quæ adest, vel adesse deberet, ut mox *N. III.* dictum: & ideo est Sacramentum saltem latè sumptum.

§. IV.

Quomodo Character significet potestatem prædictam?

70 CHaracter in sua entitate non est ipsa potestas seu potentia activa respectu actuum tali Sacramento suscepto respondentium: (alioquin anima separata Sacerdotis, saltem in aliquo corpore aëreo vel alio assumpto, posset adhuc consecrare vel absolvere) sed est signum talis potestatis, cum gratia & auxilijs divinis, exercendæ in corpore humano & mortali tantùm. Sacramenta enim illa Characterem imprimentia constituunt illos gradus statuum & potestatum in corpore Ecclesiæ visibili huius temporis tantùm. Nihil ergo amplius potest anima separata Sacerdotis: sed mox iterum posset Sacerdos resuscitatus in corpore mortali, ut jam *supra n.* 61. insinuatum. At nunquid etiam posset Sacerdos resuscitatus in corpore glorioso? Quoad consecrationem credo sic: motus exemplo Christi, qui post resurrectionem in Emmaute consecrâsse creditur à Patribus & Doctoribus non paucis: quoad absolutionem verò, negativam profitetur, & suadet Cardinalis de Lugo *l.* 1. *Resp. moralium*: quem curiosus consulat: mihi & Tyronibus meis non licet esse tam curiosos.

71 II. Quamvis Character ex mero DEI beneplacito imprimatur animæ tale Sacramentum iterabile suscipientis, & eâ ratione vocari possit signum ad placitum: at de facto animæ impressus non est merum signum ad placitum, sed naturale, ex natura entitatis suæ significans illam potestatem spiritualem, & alia enumerata *mox* §. 3. Ita cum alijs Lugo *de Sacramentis disp.* 6. *sect.* 3. Ratio est: Quia Patres & Theologi ubique explicant naturam Characteris per rationem signi vel sigilli, & constanter docent, necessariò esse qualitatem supernaturalem: atqui non rectè explicaretur natura Characteris per rationem signi, si non naturaliter ex natura entitatis suæ, (quippe ex se aliud diversum munus exigens) sed merè ad placitum ex libera DEI institutione significaret. Neque necessatiò deberet esse qualitas supernaturalis, sed sufficeret quævis entitas naturalis ad significandos illos effectus supernaturales: quemadmodum de facto in Sacramentis entitates sensibiles maximè naturales significant effectus supernaturales gratiæ &c. Est ergo Character entitas spiritualis supernaturalis, absoluta de genere qualitatis ad speciem habitûs reducenda: attamen respectiva secundùm dici: dicens scilicet respectum transcendentalem signi ad sua significata: ut in communiori sententia decernunt Scholastici.

III. Character non est nudum signum specu- 72
lativum seu indicativum potestatis spiritualis (sicut est corona vel sceptrum in Rege: quæ solùm significant, non verò causant illam potestatem) sed est aliquo modo practicum & conferens illam potestatem, saltem per modum scripturæ authenticæ, & quasi instrumenti potestatis traditæ. Est enim Character quasi Bulla aurea, & sigillum divinum animæ impressum, quo Deus profitetur, & testificatur talem potestatem & jus, quod homo per tale Sacramentum acquisivit. Quare homo ritè ordinatus Sacerdotio v. g. antecedenter ad Characterem, etsi jam sit Sacerdos quasi extrinsecè, quatenus terminat ordinationem activam; nondum tamen est intrinsecè sigillatus, nec habet expeditam bullam potestatis suæ: ipsa autem impressio sigilli dat ipsi novum jus ad agenda & exigenda omnia, quæ ei ex Sacramento suscepto debentur: prout doctè explicat Lugo. *l. c.* Et hinc denique

IV. Character non dicit potestatem seu poten- 73
tiam activam physicè respectu actuum ex Sacramento debitorum, ut post *Suarez*, *Vasquez*, *Bellarminum* & alios, rectè docet Lugo *cit. num.* 32. sed potentiam moralem tantùm. Non enim potestas Characteris physicè attingit effectum, sed tantùm ita operari dicitur, quia ubi adest talis Character, Deus ex pacto adest; & concurrit suis auxilijs ad effectum aliquem supernaturalem producendum, ad quem Sacramentum susceptum ordinatur, quod non facit, ubi non adest talis Character. Est ergo Character signum practicum & efficax moraliter, tum in ordine ad Deum, tum in ordine ad bonos Angelos: quatenus scilicet habet energiam permovendi tum ipsum Deum ad conferenda auxilia & gratias ad fructuosè exercendas actiones illas, ad quas homo per tale Sacramentum destinatur, ut modò dictum; tum Angelum Custodem, ut aspiciens Characterem in suo Cliente, specialem ejus curam habeat, & solicitiùs obeat munus ipsum regendi, illuminandi, protegendi. Sic enim inquit D. Basilius, *orat.* 13. loquens de Baptismo. *Nisi Characterem in te agnoscat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit te?*

Ex dictis hoc capite, utique satis advertisti 74
convenientiam, & differentiam Characterum inter se, & gratiam. Conveniunt scilicet tres Characteres inter se, quòd quilibet sit signum spirituale supernaturale, impressum animæ significans aliquam potestatem in cultu divino, conformitatem cum Christo, distinctionem ab aliis. Differunt autem inter se, quòd quilibet significet aliquam specialem

Universidad de Deusto
Biblioteca

cialem potestatem spiritualem jam toties inculcatam: nimirum: *ovium, militum, & Ministrorum Christi.* Cum gratia sanctificante convenit Character, quòd utrumque sit donum supernaturale Dei gratuitum, vi meritorum Christi, & intuitu salutis collatum homini viatori. Differunt autem, quòd gratia sit donum Dei gratum faciens & sanctificans hominem formaliter, ideóque stare simpliciter nequeat cum peccato mortali: Character verò spectat ad donum gratis datum potiùs, ideóque formaliter non sanctificat hominem; sed stat cum peccato mortali etiam in damnatis.

CAPUT II.

De materia, forma & intentione Sacramentorum.

75 DEcantatum est, ad essentiam cujuslibet Sacramenti necessariò concurrere tria, *materiam, formam, & intentionem.* Recepta enim est ab omnibus Catholicis doctrina Concilij Florentini sub Eugenio IV. in Decreto unionis, his verbis tradita. *Hæc autem Septem Sacramenta tribus perficiuntur: rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ, & personâ Ministri conferentis cum intentione faciendi, quod Ecclesia facit. Quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Hæc Concilium, exprimens solùm intentionem Ministri, non suscipientis: quia nimirum intentio Ministri, in omni Sacramento simpliciter est necessaria, non item intentio suscipientis; ut patet in parvulis Baptizatis, Confirmatis.

SECTIO I.

De Materia & Forma, in Genere.

SUMMARIA.

76. *Materia & forma in quovis Sacramento sunt res & verba.*
79. *Materia alia est remota, alia proxima.*
80. *Qualiter se habere debeant materia & forma?* &
81. *Qualiter debeant esse simul?*
82. *Quæ censeatur esse simultas moralis & sufficiens.*
83. *Qualiter peccet non procurans debitam materiæ & formæ simultatem?*

§. I.

Quid, & quotuplex est materia, & forma in quolibet Sacramento?

76 I. MAteria in quolibet Sacramento est res aliqua sensibilis applicata suscipienti per actionem externam Ministri: intelligendo per rem, aut substantiam aliquam sensibilem, uti sunt aqua, Chrisma, panis, oleum, calix, corpora contrahentium; aut saltem aliquid determinabile per formam verborum, ut in Sacramento Pœnitentiæ sunt actus Pœnitentis respectu absolutionis.

77 II. Forma in quolibet Sacramento sunt verba certa unà cum applicatione materiæ proferendà à Ministro, aut certè aliud signum externum æquivalens, faciens id, quod faceret vox, uti sunt nutus annuentis in Matrimonio, quibus tam bene, ac voce vel verbis interior animus declaratur: sicut & in aliis contractibus, sic in Matrimonio, quod ex sua primæva origine consistit in contractu.

78 III. Notissimum est dictum D. Augustini Tract. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Ubi elementum non intelligitur propriè & physicè pro corpore simplici tantùm, sed latiùs pro sensibili permanente. Alioquia dictum illud in rigore physico solùm verum est de Baptismo, cujus materia est aqua; non item in reliquis, quorum materiæ sunt corpora mixta supra nominata: impropriissimè diceretur de materia pœnitentiæ. Quoad *verbum* propriè verum est in sex prioribus Sacramentis: in Matrimonio verò nutus, quibus surdi vel muti contrahunt, impropriè dicuntur verba.

79 IV. Duplex est materia in quolibet Sacramento, *remota*, & *proxima*. *Materia remota* est illa res sensibilis, quæ per actionem Ministri applicatur suscipienti. *Materia proxima* est fere ipsa actio Ministri applicans materiam remotam: quæ scilicet unà cum forma sibi correspondente, simul proferendâ à Ministro, proximè constituit Sacramentum. Ut in Baptismo, materia remota est aqua; proxima, ablutio. In Confirmatione materia remota est Chrisma; proxima, inunctio in fronte. In Eucharistia, materia remota est panis & vinum; proxima, species panis & vini relictæ continentes Corpus & Sanguinem Christi. In Pœnitentia, materia remota sunt peccata; proxima, sunt actus pœnitentis, contritio, confessio, satisfactio, quibus peccata proximè applicantur ad absolutionem Sacramentalem. In extrema Unctione, materia remota est oleum infirmorum; proxima, est ipsa inunctio. In Ordine, materia remota sunt instrumenta tradenda ordinando; proxima, ipsa traditio. In Matrimonio denique materia remota sunt corpora contrahentium, proxima, est ipsa traditio & acceptatio corporum per signa sensibilia expressa.

§ II.

Quomodo debent se habere materia & forma in Sacramentis.

80 *DEbent applicari ab eodem Ministro simul, essentialiter invariata, & certa: sine interruptione notabili, aut repetitione non necessaria formæ.* Hæc hic generatim nôsse sat sit. In specie plura occurrent suis locis explicanda. Inprimis: *ab eodem Ministro* debere applicari materiam & pronuntiari formam in Sacramentis, exceptâ Pœnitentiâ, per se clarum est: quia aliàs non verificabitur forma. Nam si tu infantem abluas, & ego pronuntiem formam: falsa utique erit mea forma: *ego te baptizo.* Sic in cæteris. Excipitur Sacramentum Pœnitentiæ: quòd fit per modum judicij, in quo proinde materiam applicat pœnitens, tanquam reus; formam verò Sacerdos, tanquam Judex, profert. De Ordinibus minoribus etiam aliquid speciale notabitur infrà suo loco. Jam reliqua explico partim hic, partim Sect. seq.

§. III.

Quomodo materia & forma Sacramenti debeat esse simul.

81 I. QUantùm ad valorem Sacramenti utique non requiritur, ut materia & forma sint simul tempore adæquatè & mathematicè, quasi in eodem

dem instanti temporis debeat inchoari, & finiri applicatio materiæ, & prolatio formæ; hoc enim esset impossibile, saltem moraliter. Et omnino probabiliùs neque requiritur necessariò, ut sint simul tempore inadæquatè, sic nimirum ut verba formæ saltem inchoentur, antequam applicatio materiæ (*ablutio, inunctio &c.*) finiatur: aut econtra, antequam pronuntiatio formæ finiatur, applicatio materiæ (*ablutio, inunctio &c.*) inchoetur: sed requiritur, & sufficit, quòd sint simul moraliter, seu simultate morali: ita scilicet, ut secundùm moralem æstimationem hominum, spectatâ naturâ cujusque Sacramenti, verba formæ materiam afficiant, & cum ea unum morale signum constituere censeantur. Hinc in Baptismo, Confirmatione, Ordinatione, & Unctione, requiritur talis conjunctio formæ cum materia, ut quamvis una alteram modicè præcedat, vel sequatur, tamen Minister proferens formam: *Ego te baptizo, signo te, &c.* adhuc censeatur moraliter abluere, signare, inungere. Contrà verò, si tanta fiat disjunctio, ut prudentis judicio, unum complexum morale non fiat, spectatâ naturâ Sacramenti, invalidum erit Sacramentum. Ut si hodie, vel nunc abluas, signes, inungas, & cras primùm, aut post horam, imò post dimidiam, vel quadrantem horæ formam proferas, *Ego te baptizo &c.* utique tunc non censeberis ampliùs moraliter abluere, inungere, &c. adeóque forma falsa erit, & Sacramentum nullum. At verò in Sacramento Pœnitentiæ, quod per modum judicij exercetur, cujus materia sunt peccata & actus Pœnitentis, forma verò absolutio, palàm est, formam non posse, nec validè, nec licitè adhiberi simul, vel ante materiam exhibitam, sed necessariò debere subsequi, atque post confessionem, dolorem, propositũ, etiam longiusculè posse differri, v.g. per horam, idque ob causam, etiam licitè, ut suo loco videbitur: quia nimirum hoc Sacramentum, ut dictum est, exercetur per modum judicij: in judicijs autem post examen causæ differri solet sententia, & tamen censetur adhuc unum moraliter judicium. In Matrimonio denique, quod essentialiter consistit in contractu unius sponsi consensum, alterius sponsi consensus & acceptatio tamdiu sequi potest, quamdiu alterius consensus moraliter perseverat, sicut in aliis contractibus, quod maximè patet, quando Matrimonium contrahitur per Procuratorem, nuntium, vel litteras in locis distantibus.

82 Est hæc communis Sententia Recentiorum, *ac meorum initio nominatorum omnium.* Ratio est: Quia cùm Sacramenta sint composita quædam quasi artificialia, non physica, sed moralia tantùm, oportet de eorum consistentia ac proprietatibus judicare, non secundùm principia physica præcisè, sed vel maximè secundùm principia moralia; adeóque sæpissimè recurrendum est ad judicium prudentium considerantium varias circumstantias: ergo rectè dicitur, illam separationem vel distantiam formæ Sacramentalis à materia, officere valori Sacramenti, quæ prudentis judicio censetur impedire, ne efficiant unum quoddam compositum morale: atqui prudentes omnes judicant parvam distantiam officere uni, non nisi magnam alteri. Nemo enim sanus dixerit valere Baptismum, cuius materiam exhibuisti ante prandium, formam verò post. Omnes autem agnoscunt, posse fieri, ut subsistat Matrimonium, licèt post dimidium anni elapsum sequatur acceptatio traditionis præstitæ ante 6. menses.

Thomas Tamburinus *De Sacramentis lib. 1. cap. 1. §. 1.* refolvit *licitè & ritè* egisse Confessarium, qui pœnitentem jam sua peccata plenè confessum, & pœnitentiam injunctam acceptarât, non statim, sed primùm post integram horam absolvit, quia ipse Confessarius in eodem loco debuit habere prolixum sermonem cum quodam Principe magnæ Authoritatis. Verùm hunc superfluæ, adeóque peccaminosæ urbanitatis meritò arguit P. Gobat *hic num. 37.* quem vide. Et hactenus quoad *valorem.* Jam verò

§. IV.

83 Quoad *licitum.* Præter Pœnitentiæ & Matrimonii Sacramenta, de quibus jam patuit: certè illicitum est alia Sacramenta ministrare totaliter postponendo materiæ formam, aut contrà formæ materiam. Adeò ut mortaliter peccet, qui in Baptismo deliberatè non aliquam saltem partem formæ recitaret post inchoatam, & nondum finitam ablutionem totalem, idémque censeo de Confirmatione, Ordine, Extrema Unctione. *Ratio est:* Quia omnium consensu mortaliter peccat, qui absque necessitate ministrat Sacramentum dubium, & singulariter Baptismum, cujus invaliditas est maximorum malorum causa: atqui Baptismus ita collatus revera est Sacramentum dubium, quandoquidem valere Baptismum, si tota forma pronuntietur ante cœptam, vel post finitam ablutionem, negent gravissimi Doctores. Scotus *in 4. d. 6. q. 3.* Cajetanus *tom. 1. opusc. tract. 16.* ex professo Navarrus *Man. c. 22. n. 12. & 17.* applicant hoc ipsum Sacramentis Confirmationis, & Extremæ Unctionis. Et plerique Summistæ cum Henriquez *lib. 1. c. 9. n. 10.* ergo &c. Unde rectè contra alios infert P. Gobat. *Tract. 2. n. 81.* & *Tract. 1. n. 28.* omnino repetendum esse Baptismum taliter collatum, addens: *Idem omnino sentio de Ordine Presbyteratûs, & Episcopatûs, quippe ex quorum irrita collatione oriri possunt innumera mala; Extremam Unctionem repeterem ipse, si essem Parochus, & haberem moribundum nullo alio munitum Sacramento, quam Unctionis administratæ cum illa postpositione totius formulæ.* Sic ille.

84 Quoad praxin tandem consultissimum est, ut Minister Sacramenti curet majorem, quam potest, facere simultatem materiæ & formæ: v. gr. in Baptismo, Confirmatione, extrema Unctione, Ordinatione, dum abluit, inungit, instrumentum Ordinis tradit, simul proferat formam: *ego te baptizo &c.* In Sacramento Pœnitentiæ, statim absolutâ Confessione dolorosâ, pœnitentiâque injunctâ & acceptatâ, dicat verba absolutionis. Et ô quàm sanctè & salubriter faciunt Pœnitentes, qui absolutione acceptâ, statim in Spiritu Pœni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tentiæ ac obedientiæ persolvunt injunctam pœnitentiam ? In Matrimonio denique post expressum consensum unius, statim exprimat & alter sponsorum. Cùm enim materia & forma debeant constituere unum signum Sacramentale, semper consultum est eas meliori, quo potest, modo esse conjunctas.

SECTIO II.

De Materiæ & formæ mutatione, interruptione, & repetitione &c.

SUMMARIA.

85. *Mutatio substantialis annullat Sacramentum, non accidentalis.*
86. *Qua censeatur mutatio substantialis, vel accidentalis materiæ?*
87. *Qua censeatur mutatio substantialis, vel accidentalis formæ?*
89. *Mutatio casualis & involuntaria excusat à peccato, non voluntaria.*
90. *Adhibens materiam dubiam peccat mortaliter, si posset habere certam?*
91. *Qua interruptio formæ officiat Sacramento, qua non?* Usque ad n. 96.
96 Usque ad n. 100. *An & quando liceat repetere formam super eandem materiam.*

Assertio.

85 MUtatio *substantialis tantùm materiæ vel formæ officit Sacramento, illúdque annullat: mutatio verò accidentalis non officit Sacramento, etsi plerumque illicita sit, etiam mortaliter.* Communissima DD. Ratio est: quia Sacramenta constant materiâ, & formâ seu rebus, & verbis à Christo institutis ac præceptis: ergo quando hæc mutantur substantialiter, nullum fieri Sacramentum asserendum est; accidentalis autem mutatio non tollit substantiam à Christo institutam. Jam explico terminos.

I. Mutatio substantialis, & accidentalis materiæ.

86 MUtatio *substantialis* materiæ fit, quando in Sacramento adhibetur aliqua res, quæ nomine & ratione, vel saltem usu hominum differt ab illa re, quam Christus instituit, vel præscripsit, & Ecclesia usurpat. Mutatio verò *accidentalis tantùm* dicitur, quando res etsi variata vel alterata, retinet tamen nomen & rationem illius, quam Christus usurpari mandavit. Hinc

Ob mutationem substantialem materiæ Sacramentum nullum esset, si v. g. baptizas in vino, vel consecras in aqua: quia hæc nomine, naturâ, & usu differunt ab aqua, in qua Christus baptizari, & à vino, in quo Sanguinem suum consecrari instituit. Item si baptizes in aqua rosacea, consecres in massa cruda, &c. quia hæc, etsi fortè non substantiâ & ratione, tamen nomine & usu hominum differunt à materia à Christo instituta, nempe aquâ elementari, ac pane usuali. Sic de cæteris, prout in singulis explicandum erit. Contrà verò validum erit Sacramentum, si aqua Baptismi sit calida vel impura, si panis Eucharisticus sit fermentatus, vel ater, vinum album vel rubrum &c. quia non obstante mutatione illâ accidentali, illa adhuc nomen & rationem & usum aquæ, panis & vini retinent.

II. Mutatio substantialis, & accidentalis formæ.

87 MUtatio *substantialis* formæ censetur, quando non retinetur idem substantialis sensus verborum, quem Christus voluit exprimi per verba formæ: *accidentalis* autem mutatio dicitur, quando verba, etsi variata retinent tamen eundem sensum à Christo intentum. Hinc

Ob mutationem substantialem formæ invalidum erit Sacramentum, si baptizando dicas: *Ego te dealbo, vel refrigero*: aut consecrando: *Hoc est caput meum, vel opus meum*, pro *corpus meum, &c.* Imò solùm unâ literâ mutatâ variari potest substantialis sensus, ut si baptizando dicas: *In nomine Matris, & Filij, & Spiritûs sancti*: aut, *in nomine Patris, & Milij.* Si consecrando dicas: *Hic* (adverbialiter) *est Sanguis meus*, significans nimirum hoc loco adesse Sanguinem Christi: & alia hujusmodi sexcenta, quæ suis locis particulariùs discutienda erunt, hic generatim insinuâsse sufficiat.

88 Contrà verò validum erit Sacramentum, si accidentalis tantùm sit mutatio, sensu substantiali invariato. Utpote 1. Si substituas synonyma ejusdem planè significationis: ut, ego te *abluo*, pro *baptizo*; aut mutes idioma latinum in germanicum, Italicum, græcum, quod in solo Baptismo ob necessitatem etiam licitum erit, aliàs nunquam, ut meritò censeat Gobat *Tract.* 2. *n.* 74. non leviter peccaturum Sacerdotem, qui in Ecclesia latina uteretur formâ Græcorum: aut qui diceret: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & spirati*, cùm etiam graves sint Doctores, qui negant per hanc formam confici Sacramentum. 2. Si omittas vocalas aliquas non essentiales: ut in Baptismo: *Ego, & amen*: in Consecratione ly *enim*. Idémque est, si ob balbutiem vel imperitiam verba corrumpas, syllabam vel litteram syncopes, glutias, detrunces. v. g. dicendo: *Hoc est copus meum*: *hoc est corpus meus, vel meu, hic est calis meus &c.* Quin Zacharias Papa cap. *retulerunt de Consecrat.* d. 4. validum pronuntiavit Baptismum collatum cum hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritûs sancta*: quia nimirum hæc verba apud audientes, intelligentes id ex sola imperitia ita dici, retinent adhuc eundem sensum cum forma legitima. 3. Si tantùm transponas verba retento sensu: ut *te ego baptizo in nomine Spiritûs sancti, Filij, & Patris*, quia nullo modo mutatur sensus formæ communis substantialiter. *Tambur. c.* 1. §. 1. Secus est, si ea transpositio mutet substantialem sensum, ut si dicas: *Ego Patris baptizo te, in nomine Filij &c.* Item, *meum est hoc corpus*: non conficies Sacramentum; quia hæ enuntiationes reddunt hunc sensum: *Ego spectans ad Patrē baptizo te in nomine Filij &c. Hoc Corpus pertinet ad me*: qui sensus longè diversus est à sensu formæ legitimæ. 4. Si addas aliquid non varians sensum. Ut si baptizans dicas: *in nomine Patris ingeniti, Filij unigeniti, Spiritûs sancti Paracliti*; secùs si ea additio variaret sensum substantialem. Et singulariter irritatur Sacramentum, quando per eam additionem aut falsificatur substantialis forma; ut si Arianus baptizet in nomine Patris majoris, Filij minoris &c. Aut additur aliquid animo inducendi novum ritum, nimirum tanquam substantiale, quod tamen reverâ minimè est tale. Ut ex D. Thoma notat Gobat *Tract.* 1. *n.* 24. Ut si Calvinianus baptizet: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, *secundùm Authoritatem, quam mihi tribuit Calvinus.* Aut quivis alius addat ad formam aliquid, intendens non conferre Sacramentum, nisi dependenter ab illo addito.

III. Mutatio casualis, & voluntaria.

89 QUantùm ad valorem Sacramenti nihil interest, sive mutatio substantialis materiæ aut formæ Sacramentalis sit casualis & involuntaria, quippe facta errore, ignorantiâ, inadvertentiâ inculpabili; sive sit voluntaria, quippe ex proposito, scienter, deliberatè, malitiosè facta, semper enim Sacramentum est nullum ex defectu signi à Christo instituti. Multùm autem interest quoad licitum, & peccatum. Mutatio enim casualis sive substantialis; sive accidentalis, semper excusat à peccato: at verò mutatio voluntaria non tantùm substantialis gravissimum est Sacrilegij peccatum; sed etiam accidentalis in re notabili, & sine urgenti causa facta, peccatum mortale inducit, ut patet in exemplis allatis.

§. II.

Materia & Forma certa, & dubia.

90 I. QUoad hæc est recepta apud omnes Regula moralis ex Scoto in 4. dist. 3. q. 2. *Quando possibilitas adest, via certa eligenda est: si non adest possibilitas, via tutissima proximata tenenda est, cessante impossibilitate, caute supplendum id, quod impossibilitas prohibebat.* Sic Doctor Subtilis. Et hinc. 2. Peccat mortaliter, qui, cùm possit habere materiam certam, adhibet materiam dubiam: quia exponit Sacramentum periculo nullitatis; idque maximè in Baptismo, ut si possis habere aquam elementarem, adhibeas aquam rosaceam, vel aliam dubiam, etiam sub conditione, quia absque urgenti causa exponit salutem infantis extremo discrimini. Sicut & nullo casu licet uti in Sacramentis conficiendis, materiâ vel formâ certò ineptis, secundùm omnes. 3. In Sacramento necessario ad salutem, ut in Baptismo, eóque ferè solo, quando nequit haberi materia certa, scilicet aqua elementaris, & infans, vel baptizandus periclitetur, non solùm licitè adhibet quis, sed etiam sub mortali tenetur adhibere materiam dubiam, v. g. cerevisiam, vel aquam rosaceam, aliámve artificialem, quam aliqui, saltem duo vel tres Doctores admittunt pro sufficienti materia. *Communissima DD.* Idémque dicendum de materia omnino dubia, sicut potest fieri in tenebris, ut quis festinando ob periculum nesciat, utrum capiat aquam vel acetum. Ita multos citans Diana *p.* 5. *tract.* 3. *res.* 1. 4. Eo autem casu conferendus est Baptismus non absolutè, sed sub conditione, voce, vel mente solâ conceptâ, utpote. Ego te baptizo *in quantùm possum*: vel *si est hac materia apta*, ego te baptizo in nomine Patris &c. Tandem cessante necessitate vel periculo, sub conditione Baptismus est iterandus: *Si non es validè baptizatus, ego te baptizo.*

Locutus sum potissimùm de materia dubia. Eadem ratio poterit esse de forma dubia, in casu tamen rariori: quando nimirum instat necessitas baptizandi, & rusticus v.g. baptizare deberet, qui dubitaret, qualia verba sint adhibenda: nam poterit adhibere dubia. Diana *cit. resol* 4. *in fine.* Consentiente Gobat. *Tract.* 2. *n.* 27. Cùm quoad hoc eadem sit ratio de forma, quæ de materia.

§. III.

Quid de interruptione verborum formæ, aut etiam syllabarum?

91 I. SI tanta fiat interruptio verborum formæ, ut verba sequentia cum præcedentibus moráliter non cohæreant, sic, ut apud audientes non faciant unam orationem, ac unum integrum sensum à Christo intentum, mutatio erit substantialis mortaliter illicita, Sacramentum nullum, ideóque tota forma necessariò repetenda. Nam, ut ait S. Thomas *p.* 3. *q.* 61. *a.* 8. *Quando est tanta interruptio, quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus Sacramenti & consequenter veritas ejus.* Et ratio est: Quia non singulæ voces seorsim, sed etiam debita eorum compositio per modum unius orationis, est de substantia formæ, quippe quæ debet esse una oratio composita ex illis.

92 Contrà verò, si interruptio ita modica sit: ut verba sequentia tamen adhuc faciant unum sensum orationis cum præcedentibus apud audientes validum manebit Sacramentum. v. g. Si baptizans, dictis illis verbis: *Ego te baptizo* per notabile tempus. v. g. dimidij quadrantis, cessaret, interloquendo, confabulando, aut aliud impertinens agendo, & postea pergeret: *in nomine Patris &c.* Baptismus non fieret ob rationem dictam. Contrà verò: si dicto: *Ego te baptizo*: solùm diceret. v. g. *quam frigida est hæc aqua*: vel: *verte folium*: aut respiciens corrigeret garrientes, dicens, *tenete os, tacete mali pueri &c.* aut aliquoties tussiret, sternutaret, oscitaret &c. validus maneret Baptismus, nec opus erit repetitione, sed rectè sic pergere poterit ad sequentia verba: quia nimirum verba sic modicè interrupta retinent adhuc unum moralem orationis sensum apud audientes, communi judicio.

93 Casum proponit Tamburinus *cit. l.* 1. *cap.* 1. §. 1. *n.* 9. de Sacerdote, qui dicto: *Hoc est Corpus*, antequam proferret, *meum*, repentè tussi concussus ferè per semiquadrantem occupatus est, & postea protulit, *meum*: & respondit, illum bonum Sacerdotem omnino debuisse repetere etiam priora verba, & totam formam: quia tanta intercapedo temporis inter prima verba, & ly *meum*, planè destruxerat sensum substantialem formæ: nam vocula *meum* non potuit tunc censeri moraliter juncta prioribus verbis, *Hoc est corpus*, sed reliquit illa

in illo

Universidad de Deusto
Biblioteca

in illo sensu, ac si planè fuisset omissa illa vocula *meum*, ideo certè consecratio non fuit valida. Secùs, si interea semel tantùm tussiisset, aut semel spuisset in terram, ac statim subjecisset *meum*, ob rationem oppositam. At si interim unum vel alterum verbum locutus fuisset, v. g. illo accidente territus dixisset: *O bone Deus!* vel *fuge hinc, tacete*, & mox subjunxisset *meum*? Respondet idem Tamburinus *ibidem*: nec tunc quidem fuisse quidquam repetendum: verè enim tam paucula verba in illis circumstantijs prolata non dividunt moraliter ab invicem voces essentiales formæ: nam circumstantia supervenientis tussis efficit, ut qui ea verba audiret, facilè judicaret non proferri tanquam pertinentia ad formam Sacramenti, sed nihilominùs ex *Hoc est corpus*, & *meum* confici unam unicam, & veram orationem, ait Gobat *Tract. 1. n. 47.* prudenter addens: secùs sentirem, si sacer mysta liber omni exteriori molestiâ pronuntiaret uno tractu, eâdem vocis seu soni conformatione, hanc totam sententiam. *Hoc est corpus, O bone Deus, meum*: & vel maximè si dixisset: *Hoc est corpus, fuge hinc, meum.*

94 II. At: quid de interruptione syllabarum ejusdem verbi formæ? ut quis consecrans dicto: *Hoc est cor*, interim tussiat, vel aliquid loquatur, & postea dicat: *pus meum*. valebitne Sacramentum? Certum est, non valere, si interruptio sit notabilis, etiam uno verbo interposito, v. g. dicendo. *Hoc est cor* (tacete) *pus meum*. Et quis ferat baptizantem, si postquam protulisset in forma: *Ego te bap.* expuet ter, quatérve in terram, ac postea subjungat *tizo in nomine Patris &c.* Sanè diceres talem nugari, non autem fungi officio veri Baptistæ, ait Gobat *num. 38.* Probabile autem est valere, si interruptio esset valde modica, puta brevissimâ tussi vel oscitatione. Tamburinus *cit. n. 13* Ratio est: Quia etiam modicum verbum interrumpens syllabas distrahit sensum verbi ex ijs compositi; quod non facit brevissima tussis, oscitatio, vel respiratio: quanquam etiam tunc consultum sit repetere totum verbum.

95 Ex dictis jam vidisti, quandónam ob interruptionē verborum formæ aut syllabarum repetitio necessaria sit, aut non. Placent duæ regulæ morales traditæ à P. Gobat. *cit. n. 41. & 42.* Prima: *Tunc solùm & semper facienda est repetitio formæ, seu verborum priùs prolatorum cum separatione unius verbi ab altero, unius syllabæ ab altera, quando illa divisio vel disjunctio est tam notabilis, ut prudenter dubitari queat, an per illam impediatur, nec ne, sensus communis, quem ex Christi institutione deberet reddere tota formula.* Secunda Regula: *Licèt venialiter peccetur, si unum verbum, unáve syllaba repetatur, seu bis pronuntietur sine rationabili causa, attamen in dubio est inclinandum potiùs in repetitionem, quam in omissionem.* Ratio generalis dabitur mox §. sequenti.

§. IV.

Quid de repetitione formæ super eandem materiam?

97 I. Qui certus est, vel rationabiliter dubitat se non rectè & ritè baptizâsse, consecrâsse, absolvisse, utíq; debet in debita materia repetere formam sacramentalem absolutè: quemadmodùm è contra, qui certus est, vel rationabiliter credit, aut credere debet, se rectè consecrâsse, baptizâsse, absolvisse, super materia capaci debitè prolatâ formâ, non potest citra grave mortale denuò repetere formam, gravem enim inferret irreverentiam Sacramento, formam sacramentalem proferendo nulliter.

II. Qui solùm rationabiliter, & non sine probabili fundamento dubitat, an in Consecratione, 97
Baptismo, Absolutione &c. debitè protulerit formam, an aliquid substantiale omiserit, mutaverit, nimirum interruperit, omnino debet repetere formam, sed sub conditione, non absolutè. *Ratio* repetitionis est: Quia in dubio ex duobus malis minus est eligendum: sed longè minus malum est facere repetitionem, cùm non esset facienda, quàm omittere, cùm non esset omittenda. Nam in primo casu solùm fit irreverentia Sacramento: in secundo autem casu præter irreverentiam Sacramenti, potest grave damnum spirituale procreari suscipienti Sacramentum, præsertim Baptismi & Pœnitentiæ, invalidè. *Ratio* autem conditionis apponendæ est, ut sic Sacramentum reddatur certum, si fortè non valuit; idque maximè in Baptismo, ob periculum rebaptizandi, & irregularitatis.

III. Qui solùm leviter dubitat, suspicatur, scru- 98
pulizat, absque omni rationabili fundamento, an formam debitè protulerit, non debet repetere formam, nec sub conditione quidem, sed excusso scrupuloso dubio, credere debet se rectè fecisse. Atque adeò non solùm grande crimen est sic temerè repetere formam sacramentalem absolutè & sine conditione secundùm omnes, ut jam innui; sed etiam temerè cum conditione. *Ita post Sotum Suarez, Vasquez, &* plerosque differentes de iteratione Baptismi, Gobat. *Tract. 2. num. 378. mox n. 379.* Rectissimè extendens ad eos, qui ex levi dubiolo atque inani scrupulo, repetunt verba consecrationis, aut absolutionis, esto subintelligant conditionem: *si non rectè pronuntiavi: si fortè non absolvi*: Eadem enim omnium est ratio. Quia nimirum iteratio Baptismi (& consequenter etiam cujusque formæ sacramentalis) sub conditione permittitur à sacris Canonibus solùm in dubio rationabili: at quando non dubitatur rationabiliter, tunc addita conditio habetur pro non addita; quia deficiente ratione probabili dubitandi, vix potest seriò dici, certè prudenter non potest dici: *Si non es baptizatus, si non consecravi &c. Ego te baptizo, volo consecrare &c.* Sed potiùs videtur dici, *sive sis baptizatus, sive non sis baptizatus: sive consecrârim, absolverim, &c. sive non: tamen ego te baptizo, consecro, absolvo*: adeóque sub disjunctione etiam volitâ nullitate Sacramenti, grandi utique sacrilegio mentali. Denique iteratio Sacramenti facta ex inani dubio, levíque scrupulo, est quædam irrisio Sacramenti, & vel ideo peccatum grave ex genere suo. *Valentia, Coninck, Bonacina, alij apud Gobat. cit. n. 398.*

IV. Dixi iteratò: *temerè repetere.* Quòd si 99
enim

enim quis, ut molesto tali scrupulo sese expediat, & 10
conscientiam quietet, subinde (certè non ordinariè vel consuetudinariè, ob rationem datam) sub condritione formam super eandem materiam repeteret: v.g. *Si non consecravi, si non absolvi, &c. nunc consecro, absolvo &c.* non fore condemnandum peccati mortalis, post alios resolvit Tamburinus *cit. c. 1. §. 3. n. 3.* Quia tunc non gravem infert irreverentiam Sacramento, aut ipsi Deo, dum agit motus tam bono fine non offendendi ipsum Deum: attamen non effugiet venialem culpam irreverentiæ, ac imprudentiæ. Ego libentèr assentior; quia agnosco inter multitudinem languentium sub hac porticu etiam me jacere ægrotum. Plura generatim non addo: quia magis specialia necessariò addenda erunt suis locis, de Eucharistiæ & Pœnitentiæ Sacramentis.

SECTIO III.

De intentione requisita ad Sacramenta conficienda.

SUMMARIUM.

101. *Quid intentio* actualis, 102. Expressa, & 103. Implicita?
105. *Intentio* virtualis *quid, & quæ ad eam requirantur?* Usque ad n. 109.
109. *Quid intentio* habitualis? &
111. *Quid* directa, & indirecta. *Item*
112. *Quid* absoluta & conditionata?
113. *Ad Sacramenta validè conficienda optima quidem est intentio actualis.*
114. *Non tamen necessaria:*
116. *Sed sufficit virtualis.*
117. *Eáque omnino necessaria est, ita ut*
118. *Non sufficiat habitualis (excepto Matrimonio.)*
120. *Multò minùs interpretativa seu indirecta tantùm.*
123. *Intentio validè conficiendi Sacramentum debet insuper esse* formalis, *id est faciendi Sacramentum.*
125. *Saltem implicitè & aquivalenter talis, V.g.* faciendi id quod facit Ecclesia.
127. *Quâ habitâ sit Sacramentum non obstante errore speculativo, vel intentione contraria particulari qualicunque.*
128. *Eáque debet esse absoluta sine conditione suspensiva. Unde*
129. *Estò validè & sæpe licitè conferri possit Sacramentum sub conditione de præsenti, vel præterito.*
130. *Nunquam tamen sub conditione de futuro.*
131. *Sine peccato mortali (excepto Matrimonio)*
132. *Qualiter intentio debeat esse determinata ad certam materiam, vel personam?*
134. *Error circa personam in Matrimonio solùm, non in aliis Sacramentis, obstat valori.*
136. Usque ad n. 139. *resolvitur dubium, an validè ordinetur irregularis, vel illegitimus V.g. contra intentionem Episcopi ordinantis accedens.*

§. I.

Quid, & quotuplex est intentio in proposita materia.

100 INtentio generatim est actus voluntatis volentis aliquid facere, vel fieri à se, vel ab alio. Et in proposita materia Sacramentorum: *Intentio est actus voluntatis volentis Sacramentū aliquod confícere vel recipere.* Hujus variæ sunt divisiones & adjectiva. 1. Solennis est divisio in *actualem, virtualem, & habitualem.* 2. *Directam, & indirectam seu interpretativam.* 3. *Expressam, & implicitam.* 4. *Absolutam & conditionatam.* Explico terminos hoc §. deinde applicabo Sacramentis §§. sequentibus.

1. Quid intentio actualis: expressa, implicita?

INtentio actualis dicitur, quæ actu elicitur, dum 101
fit opus intentum, seu quâ quis actu vult facere aliquid actu voluntatis elicito tendente in illud, quod facit. Ut dum baptizans, consecrans, absolvens, elicis actum deliberatum voluntatis faciendi id, quod facis, mente quasi dicendo: nunc volo consecrare, baptizare, absolvere. Eáque intentio actualis aliquando est *expressa* seu explicita, aliquando *implicita* tantùm.

Intentio *expressa*, seu explicata est, quâ vis, & in- 102
tendis rem aliquam actu cognitam & cogitatam, sive ipsam in se directè volendo (& dicetur *intentio expressa formalis*) sive solùm ut cognitam connexam cum alia directè volita: & dicetur *intentio expressa non formalis.* Exemplo res patescet. Accepturus sacrum Ordinem Subdiaconatûs, ícis, & actu cogitas, illi Ordini annexum esse votum Castitatis, vis & intendis suscipere, non tantùm volendo ipsum sacrum Ordinem in se, sed etiam volendo & appetendo votum & obligationem Castitatis; habes intentionem expressam formalem & suscipiendi Subdiaconatum, & servandi Castitatem. At verò vis quidem vel maximè ipsum Subdiaconatum, cui actu cognoscis, & cogitas annexam obligationem servandi Castitatem, ita tamen, ut voluntas tua directè non feratur in ipsam obligationem Castitatis, eam tamen etiam positivè non excludas, (etsi fortè non desit aliqua aversio, vel displicentia inefficax &c.) habes intentionem expressam formalem suscipiendi Subdiaconatum, ac etiam expressam, sed non formalem subeundi obligationem servandi Castitatem, quia eâ obligatione cognitâ & actu cogitatâ ac minimè exclusâ, tamen vis suscipere illum Ordinem ita vinculatum. Et similiter discurrendum in similibus omnibus.

Intentio *implicita* dicitur, quâ aliquid vis & in- 103
tendis, nihil expresè cogitans de illo, sed tamen expresè cogitans ac volens aliquid aliud, in quo est illud involutum, seu cum quo est vel naturaliter, vel per dispositionem legis connexum. Sic in modò dicto exemplo: Voluntariè suscipiens Subdiaconatum, cui ex instituto Ecclesiæ est annexum votum, ac obligatio servandi Castitatem, etsi tunc actu nil cogitans de illo, vel etiam ignorans illud votum ac obligationem, implicitè tamen vis & intendis vovere ac servare Angelicam virtutem, eo ipso, quòd expresè velis initiari sacro illo Ordine more Ecclesiæ Latinæ, illam obligationem sacro Ordini alligantis. Sic expresè intendens consecrare omnes hostias in pixide appositas contentas, implicitè etiam intendis hostiam majorem consecrare, quæ ibi reposita est pro Monstrantia, v. g. etsi nihil cogites, vel ignores hostiam majorem ibi positam. Sic in similibus sexcentis.

Paulò aliter à quibusdam explicatur duplex hæc 104
intentio, ut nimirum intentio expressa vel explici-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta sit illa, quâ quis intendit facere rem cognitam sub proprio conceptu rei faciendæ. Ut si Sacerdos celebrans mente dicat: *Volo celebrare & consecrare Corpus & Sanguinem Christi.* Aut baptizans: *volo abluere corpus ad mundandam animam a peccato originali &c.* Intentio autem implicita sit illa, quâ quis intendit rem facere sub conceptu confuso & generali: ut si baptizans, consecrans, absolvens, inungens extremè &c. intendit facere id, quod facit Ecclesia, quod Christus instituit &c. Sic Monachus à Prælato missus ad Ordines, voluntariè & simpliciter volens obedire Prælato, jam implicitè intendit suscipere Ordines, hoc enim ipsum vult Prælatus præcipiens & mittens illum: etsi erga Ordinem suscipiendum nullum alium expressum voluntatis actum eliceret. Non spernenda est hæc explicatio.

II. *Quid intentio virtualis?*

105 HÆc (propriè, & ut distinguitur ab habituali, cum qua subinde confunditur apud Doctores, etiam D. Thomam) est illa, vi cujus antea habitæ realiter, & non revocatæ, virtute seu energiâ modò aliquid fit, quod aliàs non fieret. Exempli gratiâ. Accingis te ad Baptizandum, consecrandum, orandum Breviarium, elicis intentionem actualem: (expressam, vel implicitam) ritè obeundi ea munera, & vi hujus intentionis pergens, profers illa verba: *Ego te baptizo in nomine &c. Hoc est corpus meum. Domine labia mea &c. Te Deum laudamus &c.* nunc quidem actu ampliùs non intendis proferre illa verba, & proferre ad conficiendum Sacramentum, ad orandum vel laudandum Deum: diceris tamen ea proferre ex & cum intentione *virtuali* conficiendi Sacramentum, consecrandum, laudandum Deum: quia à principio habuisti actualem intentionem proferendi illa verba ad prædictos sanctos fines, & ex vi & energiâ illius intentionis non revocatæ, ea modò profers, aliàs non prolaturus.

106 Tria ergo requiruntur ad intentionem virtualem. 1. Quòd præcesserit intentio actualis, explicita, vel implicita. Si enim nulla præcessit intentio actualis, unde erit postea vis & virtus influens in opus morale intentum? 2. Quòd ea intentio actualis habita nunquam fuerit revocata. Quamprimùm enim revocata est prior intentio, jam se habet, quasi nunquam fuisset, adeóque jam non influit ampliùs in opus, nec postea vi illius opus fieri censeri poterit. 3. Quòd vi ipsius, seu ex ipsius virtute, energiâ, & influxu fiat opus intentum moraliter, nimirum homine in statu operandi moraliter perseverante. Hoc tertio, velut propriâ & essentiali differentiâ intentio virtualis præcellit habitualem, ut mox patebit. At, at, quidnam sit illud tertium, ratione cujus dicitur opus fieri ex vi intentionis actualis jam præteritæ virtute remanere, ac influere in opus postea factum: seu quidnam reipsâ sit illa remanens in me vis, virtus, & energia, per quam intentio actualis præterita modò me movet, & influit in opus intentum? Est sanè difficillimum explicatu, atque in explicando mirè desudant, & variant Scholastici. Juvat potissimas opiniones audire.

1. Aliqui putant esse connexionem quandam inter primam intentionem actualem, & actiones subsequentes, seu concatenationem quandam actionum intermediarum inter primam intentionem, & ultimum opus intentum, *Sic Coninck de Sacramentis q. 64. a. 8. dub. 2.* Exempli gratiâ: Sacerdos celebraturus modò elicit actum voluntatis, quo vult celebrare Missam, & offerre Sacrificium, quod Christus instituit: hac intentione actuali motus se præparat, pergit ad Sacristiam, induit sacras vestes, procedit ad Altare, omnia peragit usque ad Consecrationem: totúmque Sacrum consummat, absque ulla nova elicita intentione, imò distractus mente, nec advertens quidem, adhuc dicitur habere intentionem virtualem, quia intentio actualis priùs habita vera causa fuit totius concatenationis omnium istorum actuum, & mediante hâc concatenatione actuum intermediorum ad intentum principale scilicet Consecrationis ordinatorum, etiam causa est ipsius operis principalis intenti. Exemplum Tyro, facilè capis: si capias etiam, in quo reipsâ consistit hæc ipsa connexio vel concatenatio mediorum, felicior me es. 2. Alij censent applicationem potentiarum externarum hominis, quæ ex vi præteritæ intentionis imperantis tale opus, maneant applicatæ ad operandum modo tempore priùs intento. *Vasquez de Sacramentis d. 138. c. 6. n. 78.* Alij dicunt esse entitatem quandam à prima intentione necessariò relictam in imaginatione, aut etiam intellectu & voluntate, quæ entitas modo vix perceptibili nunc movet potentias ad illas consequentes actiones, & consequenter ipsum opus principale intentum. Quid verò illa entitas? Lugo *Disp. 8. de Sacramentis sect. 5.* arbitratur esse ipsos actus intellectûs & voluntatis tenuissimos, remanentes ex prima intentione circa tale opus intentum. Dicastillus autè apud *Gobat. tract. 1. n. 65.* expressè docet, intentionem quamcunque virtualem esse ipsam intentionem remanentem actualem, sed ita remissam, ac tenuem, & debilem, ut non advertatur ampliùs adesse, & tamen reverâ, modo tamen vix perceptibili nunc moveat, & influat in opus intentum. Ab hac tertia Sententia, quia saltem infantem nominat, fateor me non abhorrere.

Denique quidquid sit ista virtualitas intentionis, 108
certum est esse aliquid, mihi & tibi, *Tyro*, sufficit id nosse practicè & à posteriori. Tunc enim & tam diu scio me habere intentionem virtualem, quamdiu rationis compos ita operor, Sacramentum ministrans, Deum orans & laudans, ut quantumvis distractus vel non advertens, tamen reflectens me, vel ab alio interrogatus, quid agam: statim redeunte & velut suscitatâ priori intentione, absque novo actu voluntatis elicito, solo intellectu vel reminiscentiâ promptè dicerem: *Consecro, baptizo, absolvo, Deum meum oro, colo, laudo &c.* ideóque patebit me virtute intentionis præcedentis operari. At, si intentio tantùm habitualis esset, interrogatus quid agam? aut omnino nescirem, aut novo actu voluntatis indigerem: ideóque evidens erit, me virtute alicujus intentionis præcedentis non operari.

III. Quid

III. *Quid intentio habitualis?*

109 HÆc (propriè prout distinguitur à virtuali.) est intentio actualis aliquando habita, & non revocata, omnino præterita, nec actu scilicet, nec virtute aliquâ vel efficaciâ adhuc perseverans in aliqua operatione morali; quippe eodem modo se habens in homine sive rationis compote, vigili, sobrio; sive rationis impote, dormiente, ebrio, amente, qui tamen moraliter operari nequeunt. Exempli gratiâ: heri seriò proposuisti in crastinum facere Sacrum pro Amico defuncto: & sacrificas quidem hodie, sed neque impulsus vi hesterni propositi, neque illius ampliùs memor. Nemo sanè negare potest intentionem tuam, quam heri formâsti, & nullo modo revocâsti, hodie aliquo modo perseverare in te: at actu & entitativè, vel virtute aliquâ & efficaciâ permanere hodie nemo dicet: permanet ergo solo habitu: indéque hodie sacrificans diceris habere intentionem habitualē tantùm sacrificandi pro tuo amico. Ubi nota incidenter: intentionem *habitualem* non dici ab *habitu*, aut esse idem *cum habitu*, quasi deberet esse acquisita per frequentatos actus per modum habitus acquisiti (quamvis idipsum quóque esse possit) sed dici sic, ut ita dicam, ab *habito esse*, seu *habuisse* intentionem, & non revocâsse, ideóque in suo illo *habito esse* adhuc perseverare.

110 Jam clarè vides differentiam intentionis istius habitualis ab intentione virtuali supra explicatâ: Nam intentio habitualis duo tantùm requirit. 1. Quòd præcesserit intentio actualis. 2. Et ea non sit revocata. At verò intentio virtualis ultra hæc duo requirit aliquod tertium, nimirum remanentem aliquam virtutem, vim, & efficaciam influentem, & moventem ad opus præsens intentum, de quo suprà satis. Est hæc explicatio communis Doctorum, & meorum omnium. Aliter tamen definit intentionem habitualem Tannerus *tom. 4. disp. 3. q. 4. num. 26.* Nimirum intentionem habitualem esse, si is, qui intentionem actualem antea non habuit, ex cujus vi sequatur actio sacramentalis, est tamen ita dispositus, ut si ei in memoriam veniret, paratus esset ad eliciendam ejusmodi intentionem. Congrua omnino est explicatio: attamen ejusmodi intentionem habitualem, seu potiùs dispositionem habitualem animi, cùm nihil planè ponat in esse, non sufficere ad valorem Sacramenti ullius, cum Scoto & alijs meritò docent omnes Recentiores: teste Lugo *disp. 8. sect. 6.* Concilium enim Florentinum definiens Sacramenta constare rebus & verbis, & intentione Ministri, requirit utiq; intentionem realem tanquam operatricem effectûs, ad quem Sacramenta sunt destinata.

IV. *Intentio directa & indirecta, seu interpretativa: item absoluta & conditionata.*

111 I. INtentio *directa* dicitur, quâ aliquid volumus in se cognitum formaliter, positivè, & explicitè. *Intentio indirecta & interpretativa* dicitur, quâ aliquid in se directè quidem minimè volumus, volamus tamen directè causam aliquam, unde videmus illud aliud tanquam effectum secuturum: & ideò homini tanquam voluntarium in causa volita imputatur, & interpretatur. Exempli gratiâ: vis liberaliter bibere vinum meracum, probè advertens te inebriandum, etsi id tunc directè nequaquam intendas: vis te etiam inebriare, ex expertis bene advertens ac prævidens te in ebrietate aliquem occisurum, etsi tunc homicidium directè in te minimè velis: censeris tamen & ebrietatem & homicidium tunc velle *indirectè, per accidens, & interpretativè*, ipsáque ebrietas, vel occisio secuta imputabitur tibi tanquam voluntatio in sua causa directè volita, cum prævisione talis effectûs secuturi.

Advertis jam, credo, intentionem hanc *directam* coincidere cum intentione *expressâ* seu explicitâ supra *num* 102. At verò ab intentione illa *implicita num.* 103. plurimùm differre hanc intentionem *indirectam & interpretativam*. Nam illa *implicita* intentio tendit in aliquid actu non cogitatum vel cognitum, tamen involutum vel innexum alicui alteri actu cogitato, & expressè ac directè volito: Hæc verò *indirecta* intentio necessariò tendit in effectum cogitatum & cognitum secuturum ex tali causa directè volita. Si enim nescias fortitudinem vini, & bibendo minimè advertas, nec prævideas, te inebriandum, non erit tibi *indirectè* vel *interpretativè* volita, nec ut voluntaria imputari poterit ebrietas secuta. Ex communi doctrina in materia de Actibus humanis.

II. Intentio *absoluta* denique dicitur, quâ volu- 112
mus aliquid simpliciter ac liberè, sicut est, indépendenter ab omni conditione, ut proindè tuum velle jam absolutè sit efficax: ut si velis ducere Cajam præsentem, qualis qualis sit, dives, vel pauper, Virgo, vel secùs &c. *Conditionata* autem intentio dicitur, quæ habet adjunctam conditionem propriè dictam & suspensivam actûs; quâ nimirum aliquid volumus, sed non nisi dependenter à tali conditione præterita, præsenti, vel futura, ita ut velle tuum non sit efficax; nisi illa conditio ponatur, vel posita esse cognoscatur. Ut si Caja velit tibi nubere, si nunquam fuisti miles, si fis Catholicus, si Parentes consentiant. De quo fusiùs in materia de Matrimonio maximè. Jam termini sic generatim explicati explicandi sunt ad propositam materiam Sacramentorum, & videndum, qualis intentio requiratur ad Sacramenta tum ministranda seu conficienda, tum suscipienda validè. Ubi ante omnia nota diligenter, quæstionis illius gravissimi momenti duplicem esse sensum. 1. Qualis intentio requiratur in se, quoad modum entitatis suæ, juxta terminos hactenus explicatos: an scilicet requiratur intentio actualis vel virtualis, an sufficiat habitualis &c. & in hoc sensu dicam mox §. *seq.* 2. Qualis intentio requiratur quoad objectum volitum, seu quidnam conficiens Sacramentum debeat intendere, seu velle facere, ad hoc ut validè conficiat Sacramentum; & in hoc sensu dicam seorsim, confusionis vitandæ gratiâ distincto §. 3. & tandem *Sect.* 4. qualis intentio requiratur, & sufficiat ad Sacramenta ritè suscipienda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. II.

Qualis intentio requiritur ad validè conficienda Sacramenta, quoad modum entitatis?

ASSERTIO.

113 *AD Sacramenta validè conficienda, optima, at non necessaria est intentio actualis. Sufficit, atque omnino necessaria est intentio virtualis. Non sufficit intentio habitualis, excepto Matrimonio certis casibus. Multò minùs sufficit intentio interpretativa, & indirecta tantùm.* Est tota Communissima, ut patebit. Ratio generatim est: Quia intentio actualis influit modo perfectissimo, utpote in se actu existens: intentio virtualis influit sufficienter, utpote existens in suo effectu virtute ejus facto: Habitualis & interpretativa nullo modo influit moraliter, cùm eodem modo se habeant in rationis compote, & impote, ut dictum. Jam explico singula per partes.

I. Optima, at non necessaria intentio actualis.

114 ITa omnes. Ratio est: tum quia sufficit intentio virtualis, ut mox *N. seq.* tum quia Deus lege suâ positivâ non obligat ad moraliter impossibilia, vel nimis difficilia: est autem moraliter impossibile fragilitati humanæ obnoxiæ plurimis, etiam omnino involuntariis distractionibus, quod Minister semper habeat actualem intentionem, quando & quamdiu exercet actionem sacramentalem, panderetúrque via infinitis scrupulis & anxietatibus tum administrantium, tum suscipientium Sacramenta, si ad eorum valorem exigeretur illa semper actualitas: verè enim plerique postea dubitarent, an dum baptizabantur, absolvebantur, dum fiebat Consecratio hostiæ &c. fuerit in Sacerdote intentio actualis?

115 Quare licèt intentio actualis optima, perfectissima, & securissima sit, & per se loquendo consultissimum, ut, dum reipsâ applicans materiam profert verba sacramentalia, eliciat actualem, imò & expressam & formalem intentionem conficiendi Sacramentum, vel faciendi id, quod Ecclesia facit, id tamen non modò non est necessarium, verùm etiam per accidens scrupulosis, & angusto intellectu præditis non consultum, ut in ipsa prolatione verborum & applicatione materiæ eliciant illam actualem intentionem: Nam priores mactabunt se & circumstantes suis stultis repetitionibus; posteriores facillimè errarent in recta pronuntiatione verborum, rectáque applicatione materiæ: in tales enim singulariter convenit id, quod S. Thomas *cit. a.* 8. sapienter advertit. *Dum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundùm illud* Psalmi 39. *Cor meum dereliquit me.* Vidi toties Sacerdotes (cum horrore & nauseâ) incubantes hostiæ consecrandæ non modico temporis spatio, instar gallinæ incubantis ovis excludendis. Vix aliquando repuli phantasiam & similitudinem brutaliorem. Cæterùm omnibus Sacramentorum Ministris, omnium sensu & consensu, omnino studendum est, ut dum se accingunt ad Sacramentum ministrandum, eliciant illam intentionem actualem: ut sic secutâ mox connexione & concatenatione actuum mediorum, securiores sint de sufficienti & omnino necessaria intentione virtuali.

II. Sufficit, atque omnino necessaria est intentio virtualis.

Sufficit. Quia ipsa intentio actualis, quando 116
conficitur Sacramentum, adhuc existit realiter, vel in seipsâ, licèt valde tenuis & remissa, uti volunt Lugo & Dicastillo *supra num.* 107. vel in aliquo effectu à se causato & relicto in homine durante & sufficiente ad confectionem Sacramenti, ut fert communior Sententia ibidem: ergo nihil deest, quin sufficiat. Deinde talis virtualis intentio sufficit ad omnes alios humanos contractus & actus, utpote mandata, prohibitiones, permissiones, vota, juramenta &c. ac etiam ad actus meritorios. Ut si quis rectâ intentione incipiat orare Rosarium, audire Missam, ire peregrinatum, etsi inter orandum, peregrinandum &c. distractus alia cogitet, adeóque actu ampliùs nihil intendat, dummodò etiam intentionem præhabitam non revocârit, tamen adhuc mereri apud DEUM, apud omnes in confesso est.

II. *Necessaria est.* Quia Minister in conficien- 117
do Sacramento debet se activè habere in persona Christi: utique modo humano & morali, id est voluntariè & ex intentione operans; ideóque in eo requiritur intentio, quæ sit causa actionis Sacramentalis, actu aliquo modo in illam influens, adeò ut confectio Sacramenti, seu exhibitio materiæ & formæ ab illa intentione immediatè & proximè procedat: & consequenter tunc necessariò debet existere, vel in se, vel in virtute à se relicta: ergo necessariò debet esse intentio saltem virtualis, & nullo modo sufficit intentio habitualis: hæc enim simpliciter non existit realiter, quando conficitur Sacramentum, nec quoad entitatem suam, nec quoad virtutem aliquam à se relictam, ut ex ejus descriptione n. 109. patet: ergo confectio Sacramenti non potest ab illa nec immediatè, nec mediatè procedere. Deinde talis intentio habitualis æquè reperitur in homine, rationis impote, amente, ebrio, dormiente, qui tunc sæpe multa operantur ex habitu, & tamen moraliter operari nequeant. Unde etiamsi antea intendisses bapzizare v. g. & postea plenè ebrius, vel dormiens baptizares, Sacramentum utique non conficeres. Alia ratio de applicatione Sacrificij, quæ non confectiva, sed applicativa & quasi donativa tantùm est, patebit *N. seq. in fine.*

III. Non sufficit intentio habitualis, excepto Matrimonio.

NOn sufficere, jam jam audivisti. Exceptio Ma- 118
trimonij in quibusdam casibus explicanda est. Imprimis intentionem habitualem ex una parte contrahentium sufficere certum est in casu, quo Matrimonium contrahitur per Procuratorem vel internuntium: eo enim tempore, quo altera pars cum Procuratore vel internuntio consentit, altera pars principalis conficit, & suscipit Sacramentum solâ intentione habituali, etiam dormiens, vel tunc nihil cogitans de Sacramento, sed consensum actualem tunc supplente Procuratore. Deinde multorum Doctorum & propè communior est Sententia, Matrimonium conditionatum, scilicet contractum sub conditione suspensiva de futuro, impletâ eâ conditione, perfici absque novo consensu absoluto, primo consensu solùm habitualiter permanente, licèt usque dum cognoscatur conditio impleta, Matrimonio uti non possint, de quo suo loco. Tandem posset idipsum fieri in Matrimonio absolutè contracto: nam sicut donatio, venditio, & generatim omnes contractus gratuiti & onerosi perfici possunt per habitualem voluntatem, ita etiam Matrimonium, utpote essentialiter verissimus contractus. Etenim sicut possum dicere Cajo: *volo absolutè, ut hic meus equus cras meridie sit tuus, pro 50. aureis, quos debeo tibi*, & illo acceptante, cras meus equus erit Caij, modò non revocem hodiernam intentionem: ita potes dicere Cajæ: *volo jam, ut meum corpus cras in meridie sit tui juris*; illâ acceptante, cras tuum corpus erit Cajæ (si sis habitator loci, ubi valent Matrimonia clandestina) si neque tu, neque ipsa recedatis à vestra intentione & consensu hodierno, adeóque habitualiter perseverante. Ratio est: quia Christus Matrimonij contractum elevans ad dignitatem Sacramenti: quoad essentialia contractûs nihil immutavit.

119 Atque hinc patet etiam ratio discriminis inter Sacramenti, v. g. Eucharistiæ confectionem, & Sacrificij Missæ applicationem. Quia nimirum intentio applicandi fructum Sacrificij non debet esse confectiva eorum fructuum (sicut intentio ministrandi Sacramentum debet esse confectiva vel effectiva Sacramenti,) sed tantùm est applicativa, seu donativa, habens rationem alicujus donationis. Quare ad eam sufficit intentio habitualis, sicut in alijs donationibus, & contractibus. Hinc, quando dico hodie: *cras faciam Sacrum pro te: crastinum meum Sacrificium quoad fructum, tuum esto, &c.* crastinum Sacrum verè erit tuum, ac profuturum tibi, esto nihil prorsus cras cogitem de te, & de intentione mea hac hodierna, dummodò non revocem hanc intentionem, applicationem vel donationem hodie factam: ut contra Vasquez & paucos alios, habet communis Sententia Doctorum, ut suo loco videbitur. At verò, si hodie seriò dicas: *cras horâ septimâ proferam verba Consecrationis, ac volo jam, ut cras ea prolatio sit verè Sacramentalis, & per eam efficiatur Sacramentum*: erit prorsus inefficax hæc tua hodierna voluntas, etsi attentè proferas sacra verba, habeásque panem in manibus, siquidem tunc non renoves intentionem hesternam, vel elicias novam, quia nihil virtutis superest ex intentione hesterna sufficiens ad confectionem hodiernam Sacramenti.

IV. Multò minùs sufficit intentio interpretativa seu indirecta tantùm.

120 RAtio data est supra *num.* 117. Quia Minister Sacramenti, dum actu conficit Sacramentum, debet in persona Christi agere humano modo & moraliter, & ex intentione conficiendi tale Sacramentum formaliter, ut mox videbimus §. *seq.* atqui ex intentione interpretativa & indirecta tantùm operans (v. g. Sacerdos sciens se in ebrietate proferre verba consecrationis super panem & vinum, si postea voluntariè se inebriet; ac planè ebrius verba consecrationis super panem & vinum fortè ibi propositum proferat) 1. non agit humano modo & moraliter, sed merè naturali ac brutali. 2. Non agit etiam ex intentione interpretativa & indirecta conficiendi Sacramentum *formaliter*, sed solùm *materialiter*, nudè proferendi talia verba super talem materiam, quomodo etiam proferret amens: nam id solùm interpretativè & indirectè censeri potest facere voluisse in ebrietate tanquam causâ, quod facere ebrietas causat: sed ebrietas minimè causat facere Sacramentum *formaliter*: cùm nihil tunc humano modo & moraliter fiat, sed solùm causat nudè materialiter proferre talia verba ad præsentiam talis materiæ: ergo non conficit Sacramentum. 3. Esto etiam se inebrians præsciat se in ebrietate non solùm proferre verba super materiam, sed etiam solere habere intentionem conficiendi Sacramentum. 4. Esto insuper, quòd se inebrians, & prævidens se in ebrietate adhibiturum materiam & formam, antea expressè intendat, & velit conficere Sacramentum in ebrietate, adhuc nihil efficiet. Quia illa intentio præcedens moraliter nullo modo influit in actionem secutam in ebrietate, sed eam merè naturalem & inhumanam relinquens, manet mera intentio habitualis.

At nonne in eo, qui scit se in ebrietate rixari so- 121
lere & occidere, & sic conscius se inebriat, ac postea occidit, hæc intentio interpretativa & indirecta sufficit ad peccatum, nimirum ut ei homicidium postea factum ad peccatum imputetur: Cur non etiam similis intentio sufficiat ad conficiendum Sacramentum? Non sufficit. Ratio disparitatis est, quia Sacramentum formaliter debet fieri, quando ministrans actu conficit: & ideo requiritur, ut tunc Minister in persona Christi agat humano modo, & moraliter, quod non potest fieri in ebrietate. At verò peccatum homicidij formaliter in casu proposito minimè fit, quando jam plenè ebrius actu occidit, sed fit eo puncto temporis, quo præscius vel prævidens se in ebrietate occisurum, voluntariè se inebriat: & ratione hujus voluntarij, homicidium postea in ebrietate factum ei imputatur in peccatum tanquam indirectè volitum in sua causa, videlicet ebrietate voluntariè commissâ cum prævisione talis effectûs; nam ad hoc ut homicidium vel simile opus malum imputetur in peccatum, minimè opus est, ut dum actu fit, fiat moraliter & humano modo, sed sufficit malũ illud quovis modo, etiam indirectè & in sua causa esse volitum. Lege *parte* 1. *Decal. c.* 2. *n.* 24. & 25.

§. III.

Qualis intentio requiratur ad validè conficiendum Sacramentum, quantum est ex parte objecti voliti.

ASSERTIO.

122 *UT Sacramentum validè Minister conficiat, requiritur intentio formalis conficiendi Sacramentum;*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentum; eâq. saltem implicita & aquivalens faciendi id, quod facit Ecclesia: eâque absoluta sine conditione suspensiva in futurum, excepto Matrimonio: eaque determinata ad certam materiam vel personam, maximè in Matrimonio. Paucis verbis comprehendo omnes conditiones requisitas ad validam confectionem Sacramenti, & explico per partes.

I. Requiritur intentio formalis conficiendi Sacramentum.

123 NOn sufficit nimirũ intentio tantùm materialis, quâ Minister v. g. baptizans, consecrans &c. solùm velit materialiter ponere talem materiam & recitare talia verba, qualia ad Sacramentũ adhiberi debent, sed necessariò requiritur intentio formalis conficiendi per hæc Sacramentum, baptizandi, consecrandi, absolvendi, &c. Sumitur ex Concilio Tridentino *sess. 7. Can. 11.* ita definiente. *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia: anathema sit.* Ubi Concilium præter materiam & formam, requirit intentionem, *saltem faciendi, quod facit Ecclesia*: & hoc contra Lutherum cum asseclis negantem requiri talem intentionem ad confectionem Sacramenti: atqui intentio materialis tantùm utique non est intentio *faciendi, quod facit Ecclesia*, potest enim quis liberè velle ponere talem materiam, & proferre talia verba præter, imò contra omnem intentionem Ecclesiæ, ut joci vel irrisionis causâ tantùm: neque Lutherus negavit ad confectionem Sacramenti requiri talem intentionem materialem, quâ quis solùm velit liberè ponere talem materiam & proferre talia verba: ergo secundùm Concilium ad confectionem Sacramenti, non sufficit illa intentio materialis: sed requiritur intentio formalis *conficiendi Sacramentum*, saltem implicita illa, *faciendi, quod facit Ecclesia.*

Ratio sumitur à posteriori. Quia si sufficeret
124 sola intentio illa materialis, quâ quis liberè velit ponere talem materiam, & recitare talia verba, quæ ad Sacramentum requiruntur, sequeretur, quòd Sacerdos legens ad mensam ex sacris Bibliis, vel alio libro verba illa: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est Sanguis meus*, consecraret omnem panem, & omne vinum in mensa appositum. Item, qui in balneo alterum solùm mundandi, vel joci causâ ablueret dicens: *baptizo, vel abluo te in nomine Patris &c.* verè baptizaret, vel Baptismum sacrilegè reiteraret &c. quæ nemo dicet, & sine dubio absurda sunt: ergo ad conficiendum Sacramentum non sufficit intentio sola materialis, sed requiritur intentio formalis conficiendi Sacramentum.

Quia hìc *joci* mentio facta, nota incidenter & distingue diligenter: quòd jocus qui refertur ad ipsum Sacramentum, obsit valori Sacramenti, non item jocus, qui refertur solùm ad finem Sacramenti præfixum à Ministro. Quare non valebit Baptismus v. g. joco factus, si quis seriò non intendat facere Sacramentum, seu quod facit Ecclesia, sed solùm simulet se hoc intendere, suâque simulatione ac simulato facto jocum ac risum movere velit, (quales baptismi solent jocosè, non tamen multùm laudabiliter fieri à navigantibus) valebit autem si intendas seriò conficere Sacramentum, ac facere, quod facit Ecclesia, tuum autem factum dirigas ad jocum vel risum excitandum, aut etiam vanam gloriam captandam. Et hoc posteriori modo D. Athanasius adhuc puer, lusu puerili & per jocum alios pueros baptizavit, & verè baptizavit, quia verè intendit facere, quod vidit in Templo fieri ab Episcopo: ideóque non intentione internâ Sacramenti conficiendi, sed externo tantùm facti exercitio jocatus est. Vide Vasquez & Lugo citatos apud Gobat *tr. 2. Alph. baptizant. num. 200.*

II. Eâque saltem implicita & aquivalens.

I. OPtima & laudabilis sine dubio est intentio 125
formalis & expressa conficiendi tale Sacramentum, etiam sub propria ratione sua formali. ut v. g. baptizans dicat: *volo hominem hunc baptizare: emundare à peccato originali: Christianum efficere: facere filium DEI.* Consecrans: *volo consecrare, & conficere Corpus & Sanguinem Christi.* Ea tamen expressa intentio minimè est necessaria, neque omnibus consulta (juxta dicta *num. 115. de intentione actuali.*) sed omnium consensu sufficit intentio implicita actualis, vel virtualis: & maximè illa generalis, *faciendi id, quod facit Ecclesia*: quam exprimunt Concilia, Florentinum supra *n. 75.* & Tridentinum *proximè num. 123.* Est autem intentio *faciendi, quod facit Ecclesia*, voluntas utendi rebus & verbis, ut Ecclesia, vel talis natio & gens Christiana utitur, ubi legitimus est ejus usus sufficiens ad valorem Sacramenti, prout explicant Doctores communissimè, hoc enim ipso vis facere Sacramentum formaliter, quale facit, & fieri jubet Ecclesia per suos Ministros. Sic Turca v. g. in necessitate baptizans infantem, & dicens: *volo omnino nunc facere, quod in tali casu faciunt Christiani*, sicque infantem abluat, ac verba proferat. verè baptizabit, de quo mox iterum. Neque opus est, ut quis intendat facere id, quod facit Ecclesia universalis: sed sufficit intendere facere, quod facit talis Ecclesia particularis, vel quod fieri vidit in tali Ecclesia, quam credit esse veram Ecclesiam. Sic enim S. Athanasius puer alios pueros validè baptizâsse judicatus est, quia voluit, & intendit facere id, quod à suo Episcopo in Ecclesia fieri vidit. Et hinc ulteriùs.

II. Hæc ipsa (*actualis vel virtualis juxta dicta* 126
§. præcedenti) intentio *faciendi id, quod facit Ecclesia*, non debet necessariò esse expressa in his terminis, sed sufficit, quòd & ipsa sit implicita in terminis æquivalentibus. Hanc ipsam enim habes implicitè: si velis facere, quod Christus instituit? hoc enim ipsum facit Ecclesia, si velis conficere verum Sacramentum, vel impertiri huic effectum Sacramenti. Hanc sufficienter habes Paroche, si vocatus ad baptizandum infantem dicas: *mox adero*, & sic pergens nihil animo versans, nisi hæc verba: *volo baptizare hanc novam creaturam*, expressè minimè

minimè intendens facere, quod facit Ecclesia, quippe de hoc nihil cogitans: nemo tamen dubitabit illam creaturam esse baptizatam secundùm intentionem Ecclesiæ. Rursus licèt expressè etiam non intendas huic infanti conferre Sacramentum, aut illum baptizare: si tamen expressè intendas facere, quod est tui officij (in quo tuo officio utiq; involvitur confectio veri Sacramenti) rei ipsâ efficies verum Sacramentum. Sic Matrimonium contrahentes validè sibi invicem Sacramentum ministrant, etsi rarissimè expressè intendant conficere Sacramentum, aut facere id, quod facit Ecclesia: implicitè enim id sufficienter intendunt, dum volunt Matrimonium celebrare more fidelium Christianorum, Matrimonium enim Christianorum Sacramentum est, quod Christus instituit, & Ecclesia fieri vult. Unde jam facilè vides, minùs requiri ad valorem Sacramenti intentionem expressam formalem conferendi effectus Sacramenti, sed sufficere intentionem implicitam & indirectam: nam dum sciens per Baptismum remitti peccatum originale, conferri gratiam sanctificantem, imprimi Characterem &c. intendis facere id, quod facit Ecclesia, seu conferre verum Sacramentum, & sic tingis infantem, reverâ conferes illi omnes illos effectus, licèt fortè nequiter repugnes. Et hinc ulteriùs.

127 III. Habitâ hâc intentione (*actuali vel virtuali; expressâ vel implicitâ*) faciendi, quod Ecclesia vera facit, vel quod Christus instituit, validè fit Sacramentum, non obstante errore speculativo, vel intentione contrariâ particulari qualicunque. Sic enim Turca vel Judæus valide baptizat, Hæreticus validè Matrimonium contrahit cum Catholica; Sacerdos Apostata & Hærstic⁹ validè consecrat, vel absolvit.

1. Etiamsi ipsi non credant esse, sed credant, non esse Sacramenta: nam actio Sacramentalis non fit ab eorum intellectu erroneo, sed ab intentione voluntatis faciendi, quod vera Ecclesia facit, quæ intentio recta est.

2. Etiamsi ipse conferens ex errore suo privato expressè intendat non conficere Sacramentum, vel conferre gratiam: quia intentio universalis, quâ vult facere, quod Ecclesia vera facit, vel Christus instituit, prævalet ejus intentioni privatæ ex errore provenienti.

3. Etiamsi intendat facere, non quod facit Ecclesia Catholica Romana, sed quod sua Ecclesia Lutherana, Calviniana &c. facit, falsò credens non Romanam Catholicam, sed suam esse veram Ecclesiam; adhuc enim volens facere, quod *vera Ecclesia facit*, implicitè vult facere verum Sacramentum, quod vult facere vera Ecclesia, etiamsi ipse circa existentiam veræ Ecclesiæ erret.

4. Etiamsi ipse cum tali errore circa Sacramentum actu retento formam substantialem proferat: ut si Sacerdos Apostata Calvinista consecret dicendo: *Hoc est corpus meum*, mente tamen cogitans & intendens: *non realiter, sed figurativè*: si tamen stante eo errore speculativo privato, adhuc intendit facere, quod vera Ecclesia facit, vel quod Christus instituit, adhuc validè conficiet Sacramentum: per hanc enim generalem intentionem corrigitur error proprius, & enervatur intentio contraria privata. At verò præsumitur quisque etiam Hæreticus velle facere id, quod facit Ecclesia vera, seu quod Christus instituit: quia nemo etiam inter Hæreticos est tam insanus, ut nolit facere actum validum, quem reverâ vult facere, inquit Lugo *hic disp. 3. sect. 3.* Secùs esset, si Hæreticus suo errore, vel intentione privatâ contrariâ omnino destrueret intentionem faciendi, quod vera Ecclesia facit, vel quod Christus instituit: ut si præcisè intenderet conficere Sacramentum secundùm suum errorem, & non aliter: aut etiam eâdem intentione suum errorem exteriùs voce exprimeret in forma v. g. dicens: *Hoc est corpus meum figurativè, non realiter*: tunc enim certum est, eum nihil efficere, quia falsificaret formam à Christo institutam, & ab Ecclesia traditam: vera enim forma non significat, nisi quod Christus instituit, & Ecclesia vera intendit: nimirum Corpus Christi esse verè & realiter ibi præsens: & ita in similibus. Vide dicta *num. 88.* de mutatione formæ per additionem. Et omnino Gobat. *Tract. 1. sect. 5. à num. 191.* 128

III. Eâque absoluta, sine Conditione suspensiva &c.

AD conficiendum nimirum Sacramentum validè, requiritur intentio absoluta, non sufficit conditionata, nisi hæc ipsa tunc transeat in absolutam. *Ratio est*: quia actio Sacramentalis mediante suâ intentione debet esse efficax: atqui sola intentio absoluta est efficax, non conditionata, voluntas enim merè conditionata nihil ponit in esse, nisi subsistente conditione transeat in absolutam; uti transit de præterito vel præsenti reipsâ subsistente. Itaque

I. Validè, & sæpe licitè conferri possunt, & 129
quandoque etiam conferri debent Sacramenta sub conditione de præsenti, vel præterito: utpote si dubitetur v. g. de vita infantis baptizandi, aut de dispositione sufficienti recipientis Sacramentum: *Baptizo, vel absolvo te, si adhuc vivis: absolvo te, si es dispositus, si verè doles, si seriò emendare, alienum restituere &c. proponis: aut absolvo te, si tandem alienum restituisti, concubinam domo ejecisti &c.* Tunc enim vel reipsâ subsistit conditio, & eo ipso transit in absolutam, & Sacramentum valebit, facto quasi implicito syllogismo: *absolvo te, si verè doles: sed vere doles: ergo verè te absolvo*: aut non subsistit ista conditio, & tunc intentio nihil operabitur, ideóque nullum fiet Sacramentum facto, velut syllogismo opposito: *absolvo te, si verè doles: sed vere non doles: ergo non absolvo.* Jam autem advertis absque justa & gravi causa non licere, citra grave peccatum absolvere, vel aliud Sacramentum conferre ita sub conditione: quia non licet Sacramentum conferre, vel formam sacramentalem proferre cum dubio vel incerto eventu & effectu, absque gravi causa necessitatis, vel utilitatis magnæ. Cæterùm justa causa talis apponendi conditionem, Ministrum omnino excusat & culpam, si quæ intervenit, solius recipientis malitiæ relinquit.

II. Nul-

Universidad de Deusto
Biblioteca

130 II. Nullum Sacramentum validè aut licitè conferri potest sub conditione de futuro: ut, *absolvo te, si cras restitues; si ad talem diem concubinam ejicies*; excepto Matrimonio. *Omnes.* Ratio est: quia intentio Ministri debet operari, & Sacramentum conficere, quando fit actio Sacramentalis, non enim est in potestate Ministri suspendere effectum Sacramenti in futurum: atqui intentio conditionata de futuro eo ipso, quòd sit suspensiva in futurum nihil operatur in præsenti, quando fit actio Sacramentalis, cùm conditio, sub qua intendit operari Minister, nondum sit posita: sed neque operabitur in futuro, quando posita erit conditio, quia tunc non erit amplius actio Sacramentalis, neque ipsa intentio, nisi ad summum habitualis nihil operans: ergo nullum unquam fiet Sacramentum. Cùm enim dicis: *absolvo te, si cras restitues*: non valet absolutio, nec fit Sacramentum, quando profers ea verba: quia tunc conditio intenta nondum est posita; neque valebit absolutio, aut incipiet esse valida postea eo tempore, quo fit restitutio, quia tunc nec ipsa, nec actio sacramentalis existit, sicut dictum est: ergo valebit nunquam. Quare inficeta illa obstetrix, quæ infantem de vita extremè periclitantem, interim dum Parochus vocatus exspectatur, baptizavit sub conditione: *Ut valeat, si Parochus non adveniet, non autem valeat, si ipse brevi aderit*: sine dubio nihil effecit, siquidem ejus intentio fuit suspendere effectum; usq; dum constet, Parochum non adfuturum: secùs si conditio fuisset merè adjectitia, utpote post Baptismum jam collatum, adeóque validum, primò adjecta, uti refert, & pluribus resolvit Gobat *cit. Tract.* 1. *sect.* 3. *num.* 92. quem vide.

131 Peccat ergò mortaliter, qui Sacramentum (excepto Matrimonio) ministrat: sub conditione de futuro: quia Sacramentum reddit nullum, ut dictum est. Neque leviùs peccaret, qui Sacramentum confert sub conditione quidem de præsenti, vel præterito, sed omnino occultâ & humano modo incognoscibili, solíque Deo notâ: *absolvo te à peccatis tuis, si Deus scit, te cras restituturum: si es prædestinatus; si Deus prævidet, te in statu gratiæ moriturum &c.* Quia sic ad minimum Sacramentum redderet dubium: imò etiam redderet irritum & nullum! ut post *Suarez*, *Dicastillum*, *Coninck*, *alios* communiùs, tenet idem Gobat *cit. num.* 38. 39. eò quòd non sit credibile, quòd Christus dederit potestatem conficiendi Sacramentum sub conditione soli Deo notâ, ex quo omnia Sacramenta confunderentur, & redderentur incertissima, imò relinqueretur homini libertas, Sacramentum semel factum validè, postea efficiendi invalidum: ut consideranti patebit.

Excipitur semper Sacramentum Matrimonij, quod, quia essentialiter consistit in contractu, instar aliorum contractuum, posse celebrari cum vel sub conditione de futuro v. g. *Si Parentes consentient &c.* suo loco videbimus, & tamen simul audiemus, tunc primùm confici, & existere Sacramentum, quando impletur conditio, v. g. consensus datur à parentibus. Neque id mirum; quia quando impletur conditio, adhuc adest materia & forma, scilicet traditio & acceptatio corporum, licèt non actualiter, sed habitualiter tantùm; quam habitualem existentiam sufficere ad hoc Sacramentum, jam dictum est *supra num.* 118. Adde, quòd plures gravissimi Doctores etiam tunc, impletâ conditione, requirant novum consensum actualem.

IV. Eáque determinata ad certam materiam, vel personam.

132 I. Constat ex ipsis formis sacramentalibus: *Ego te baptizo: signo te: absolvo te &c.* item: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*: ubi pronomina demonstrativa *Te*, *Hoc*, *Hic*, utique demonstrant, & designant certam & determinatam materiam & personam hic & nunc physicè vel saltem moraliter præsentem: unde si quis Sacerdos ex pluribus particulis in Ara vel pixide propositis, intenderet indefinitè unam solam consecrare, non determinatam vel designatam aliquo modo: aut ex plurib⁹ in naufragio, vel nosocomio peste laborantium intenderet solùm confusè unum aliquem absolvere, nullum determinando vel designando, nullam hostiam consecraret, nullum absolveret; quia nulla esset major ratio de una hostia, uno pœnitente, quàm de alia, vel alio.

133 II. At verò (excepto Matrimonio, de quo infra) in reliquis Sacramentis minimè necessarium, neque consultum, imò neque licitum est, nisi ob justam & gravissimam causam, determinare & restringere Ministrum suam intentionem ad unam certam personam vel materiam in individuo vel numero, excludendo aliam personam vel materiam fortè præsentem loco illius, quam adesse credit, ob periculum erroris & nullitatis Sacramenti: sed intentio semper debet dirigi in hanc personam præsentem, vel materiam oppositam, quæcunque sit, dummodò Sacramenti capax sit. Sic enim quæcunque persona sit baptizanda vel absolvenda, quotcunque hostiæ consecrandæ, quælibet erit baptizata, absoluta, consecrata. Quòd si tamen Minister ita restringeret suam intentionem ad certam personam vel materiam: v. g. volens baptizare infantem putatum masculum tantùm, nolens fœmellam: volens absolvere confitentem, quem putat esse Joannem, nolens absolvere alium; cùm tamen non adsit masculus, sed fœmella: non Joannes, sed alius Jacobus, is equidem gravissimè peccaret, teste Gobat *cit. Tract.* 1. *sect.* 5. *num.* 216. attamen restrictio valeret, & non valeret Sacramentum, sed nullum foret, cùm actus non extendantur ultra intentionem agentium. *l. cum Pater ff. de legat.* 2. Similiter si consecrans sic restrictè intenderet consecrare unam tantùm hostiam majorem, cùm tamen essent duæ sibi cohærentes: aut tres tantùm putatas particulas minores, cùm tamen sint quatuor: nulla foret consecrata, quia rursus nulla foret major ratio de una, quàm de altera. Dixi iterum: *excepto Matrimonio.* Hic consequenter resolvenda est alia notabilis quæstio incidens, quæ sit,

§. IV.

An, & quatenus error circa personam, cui ministratur Sacramentum, obsit valori Sacramenti?

134 *IN Matrimonio error circa personam vitiat contractum per se, & consequenter Sacramentum annullat: at in cæteris Sacramentis error personæ communiter nihil officit valori Sacramenti.* Ratio disparitatis est. Quia Matrimonium essentialiter continet *individuam vitæ societatem*, vel consuetudinem *c. illud. de Præsumpt.* quæ individua vitæ consuetudo, quoad amorem, pacem, atque etiam prolis generationem & educationem, aliásque graves circumstantias Matrimonij, plurimùm pendet à certo aliquo individuo, ac proinde plurimùm interest marito, quam in individuo uxorem ducat, ac hujus, cui numero marito nubat: ideóque Matrimonium contrahentes semper restringunt explicitè, vel implicitè ad hoc, & non aliud individuum personæ, ultra quam eorum intentionem, actus eorum non extenduntur, ut paulò suprà dictum. At verò plerumque nihil, aut certè parùm interest Ministri, huic, an illi, vel alij individuo ministret Sacramentum, ideóque communiter non ita restringit suam intentionem ad certum personæ individuum, quin etiamsi nosset adesse personam aliam, quàm putet, tamen nihilominùs Sacramentum collaturus esset: ideóque communissimè habent intentionem implicitè saltem exporrectam ad aliud individuum: habent enim (certe habere debent) generalem voluntatem administrandi Sacramenta secundùm morem & voluntatem Ecclesiæ; est autem mos & justissima voluntas Ecclesiæ, ut Minister velit, intendatque actu impertiri Sacramentum illi ipsi, cui hîc & nunc præsenti applicat materiam & formam, aut solam formam: quanta enim confusio emergeret, si non esset semper (extra casum, quo constaret de opposito) hæc & talis Ministri voluntas?

135 Validè ergo baptizavit quidam mihi notissimus Sacerdos, qui nonnihil surdaster jussus baptizare masculum infantem, & nominare Joannem, baptizavit pro fœmella, & nominavit Annam: nec Baptismus repetendus fuit, errore cum risu astantium cognito. Validè absolvit Confessarius mei similis, qui ex voce grandiori putans confitentem esse virum vel masculum, postea in egressu confessionalis videt esset fœminam vel puellam. Nec obstat, quòd peccata fœminæ & viri sint distincta numero, nam numerus mortalium ita explicandus est, ut non dicatur unum peccatum pro alio, quod in nostro casu nequaquam fit. Quin prædicta intentio generalis, quam debet habere Minister Sacramenti, extenditur etiam ad casum, quo susceperus Sacramentum laborat aliquo defectu, quem si Minister perspectum haberet, esset certò & quidem justè, aut etiam necessariò negaturus Sacramentum: ut proinde validè absolverit alius quidam Confessarius mihi notus: qui pœnitentem immorigerum à se ablegans, jussit nunquam redire, protestans, se amplius non absoluturum, tamen postea reversum incognitum absolvit: supposito, quòd tunc fuerit ritè dispositus: Quia nisi hoc concedamus, orientur longè majora damna, quàm si negemus: ut si Episcopus ordinaturus v. g. restringeret suam intentionem ad solos existentes in statu gratiæ, inquit Gobat *cit. sect. 5. num.* 217. Sed ecce hic emergit aliud

Dubium incidens singulare, quoad Ministrum Sacramenti Ordinis.

136 I. Solent Episcopi ante ordinationem prohibere sub pœna Excommunicationis, ne accedat aliquis irregularis, excommunicatus, furtivè se ingerens, alienigena sine dimissorijs, &c. Ex præscripto Pontificalis, immediatè ante initium Ordinationis, Magister Cæremoniarum, aut Notarius, vel alius, de mandato Reverendissimi Ordinatoris recitat illa gravissima verba. *Reverendissimus Pater & Dominus N. mandat sub excommunicationis pœna, ne quis irregularis aut alius a jure prohibitus, nullo modo audeat ad suscipiendos Ordines accedere, &c.* Quid si ergo aliquis irregularis, v.g. illegitimus &c. suum defectum subdolè dissimulans contra gravissimam istam prohibitionem accedat, validéne ordinaretur? Ratio dubitandi est, quia videtur deficere intentio Ordinatoris; quos enim tam graviter prohibet accedere, videtur, quòd non intendat ordinare: si non intendat ordinare, utique ordinatio erit invalida. *Respondetur* sine dubio adhuc validè ordinari. Ratio est: quia mandata pœnalia non sunt amplianda, sed potiùs restringenda: atqui in pœna excommunicationis non includitur pœna nullitatis actûs prohibiti: ergo prohibitio illa gravissima solùm graviter illicitam reddit illam ordinationem ex parte suscipientis, & nullo modo nullam: nec Episcopus intendit ullo modo talem privare effectu Sacramenti Ordinis sistendo in suis terminis. Adde, quòd post illa verba ex præscripto Pontificalis soleat absolvere à censuris ad effectum Ordinis suscipiendi. Adde insuper incidenter, ab illa excommunicatione incurrenda excusare omnem ignorantiam juris & facti: ut si quis ignoret se laborare tali impedimento canonico: aut quamvis sciat se aliquo tali defectu laborare, nescit tamen ob illum defectum v. g. natalium, lenitatis, &c. esse inductam irregularitatem, de quo dixi in 1. *P. Decal. cap.* 2. *n.* 38. Et rursus aliquâ *inferiùs c.* 5.

137 II. Quid si Reverendissimus Ordinator per Magistrum Cæremoniarum, vel alium, aut per se ipsum etiam contestetur, se nolle, non intendere, nec velle talem ordinare. v. g. Nemo irregularis, nemo subreptitius, nemo alienigena sine dimissorijs accedat: *non enim intendimus tales ordinare*: prout alicubi factum esse constat?

Respondetur 1. Siquidem constaret de seria & constanti tali contraria intentione Episcopi, eúmque omnino persistere in tali negativa voluntate, certissimum erit ordinationem esse invalidam, cùm intentio Ministri semper requiratur ad valorem Sacramenti. Certè Lugo *mox citandus* scribit se non approbare tale edictum. Navarrus autem *Consil. l.* 1. *de temp. Ordinand.* censet talem Ordinatorem graviter peccare, si revera intenderet talibus non confer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

conferre Sacramentum: tum quia ageret contra consuetudinem omnium optimorum Episcoporum: tum quia daret causam gravium peccatorum, gravisque infamiæ; tum quia ipsius non est punire secreta peccata. *Gobat tamen Tract. 8. Alph. ord. Casu 18. n. 705.* excipit casum singulasem, quo Episcopus meritò retineret voluntatem non ordinandi aliquos inhabiles: ut si v. g. intellexisset, inter ordinandos adesse aliquos Hussitas vel Schismaticos: isti enim volunt habere Sacerdotes à Catholicis ordinatos, ut certi sint de valore consecrationis: posset ergo tunc validè & licitè dicere: *Nullus Hussista, nullus Schismaticus accedat: non intendimus ullo modo talem ordinare.* His ergo seclusis, & quando non constat certò de tali contraria negativa & constanti intentione Ordinatoris.

138 R. 2. Talem contra ejusmodi prohibitionem & protestationem accedentem adhuc validè ordinari. Ita post alios Lugo *de Sacramentis in Genere. disp. 8. sect. 7. & 8. Dicastillus, alij cum* Tamburino *de Sacramentis, l. 1. cap. 6. n. 13. Gobat cit. num. 705.* Ratio datur varia; Quia dubia interpretanda sunt in meliorem partem. *Navarrus l. cit. 2.* Si Episcopus dicat: nolo, vel non intendo ordinare excommunicatos vel irregulares, intelligitur, si sciat esse tales: quare is quem ordinat, non sciens esse talem, verè est ordinatus. Emanuel Sa. *v. Ordo. n. 32.* Ordinator præcipiens fieri talem prohibitionem & protestationem, communiter id facit solùm ad terrorem ad absterrendum scilicet à scelere canonicè impeditos, habens interim intentionem ordinandi omnes validè ordinabiles, quales sunt etiam irregulares, omnésque impediti jure positivo tantùm. *Omnes citati.* 4. Esto etiam tunc, quando clarâ voce fiebat ista protestatio, Episcopus caruerit intentione conferendi realiter Ordines irregularibus, attamen in ipsa ordinatione actuali reipsâ inducit illam intentionem, & censeri debet revocare priorem intentionem, si quam habuit contrariam, & illum jam capacem Ordinis præsentem omnino velle ordinare. Ratio sic divinandi sumitur argumento apud Canonistas & Legistas validissimo, *ab absurdo vitando*: sequerentur autem gravissima absurda, si Ordinator, à cujus intentione essentialiter pendet valor Sacramenti, constanter careret voluntate importiendi Sacramentum omnibus, qui inhabiles se præsentarent: quæ absurda bene deducit Lugo *cit. loc.* & tu, etiam simplex *Tyro* facilè apprehendere potes. Tandem sapienter advertit *Tamburinus cit.* quando agitur de Sacerdotio, & est rationabile dubium de intentione Episcopi, debere sub conditione repeti Ordinationem, ob gravissimum periculum & damna secutura, si fortè prior Ordinatio fuisset invalida, & consequenter invalidæ postea consecrationes, absolutiones &c.

SECTIO IV.

An, & qualis intentio requiratur in suscipiente, ad validè suscipiendum Sacramentum?

SUMMARIUM.

139. *Ut adultus rationis compos validè suscipiat Sacramentum, necessariò debet esse vel actu, vel saltem habitu positivè volens, seu habuisse intentionem.* Usque ad n. 142.
142. *Resolvuntur varia.* Usque ad n. 145.
145. *Ideóque in suscipiente sufficit intentio habitualis, habita scil. & non revocata.*
146. (*Excepto regulariter Matrimonio.*)
149. *Eáque etiam implicita, habita scil. in alio volito tale Sacramentum involvente.* Usque ad n. 154.
154. *Imò etiam generalis voluntas vivendi & moriendi more Christiano Catholico sufficit in articulo mortis ad suscipiendam Eucharistiam, & Extremam Unctionem.*
156. *Non tamen ad reliqua Sacramenta.*
157. *Qualis requiratur attentio ad ministranda, & suscipienda Sacramenta.*

ASSERTIO.

Ut adultus, rationis compos, validè suscipiat 139
Sacramentum quodvis, necessariò requiritur ut actu vel habitu sit positivè volens, seu ut habeat vel habuerit veram voluntatem positivam, intentionem vel consensum suscipiendi tale Sacramentum. Sufficit omnino voluntas seu intentio habitualis, semel scilicet habita & non revocata, (excepto regulariter Matrimonio) eáque etiam implicita, habita scilicet in alio volito tale Sacramentum involvente (non autem indirectâ in causâ, sicut nec conditionata de futuro) Imò etiam generalis voluntas vivendi & moriendi more Christiano Catholico sufficit ad suscipienda Sacramenta Extremæ Unctionis, & Eucharistiæ in extremis, & tunc saltem probabiliter etiam Confirmationis, non item ad reliqua. Est tota communis, ut patebit explicando singula particulatim.

§. I.

Necessariò requiritur, ut actu vel habitu sit positivè volens.

NImirum non sufficit suscipientem Sacramen- 140
tum non esse, vel fuisse positivè nolentem, invitum, repugnantem suscipere tale Sacramentum: sed requiritur, ut sit, vel fuerit positivè volens, sive ut habeat, vel habuerit veram voluntatem positivam & intentionem expresè, implicitè non revocatam, suscipiendi tale Sacramentum. Ita cum D. Thoma communissima Theologorum *Contra Cajetanum & alios paucos.* Ratio à priori est voluntas Christi institutoris Sacramentum, qui etiamsi potuisset aliter instituere, de facto tamen, ut constat ex sensu Ecclesiæ, & Doctorum communi consensu, ita instituit Sacramenta, ut non conferant effectum gratiæ, nisi volenti, si adultus & rationis compos ac propriæ intentionis capax sit: adeóque sicut universaliter adultus non justificatur sine proprio consensu, juxta notissimũ illud D. Augustini: *Qui fecit te sine te, non justificabit te sine te:* i.e. sine tuo consensu & cooperatione. *Et cap. Majores de Baptismo* dicitur: *actuale autem* (peccatum) *quod consensu contrahitur, sine consensu minimè relaxatur*: ergo neque per Sacramenta justificatur, imò nec Deo specialiter initiatur, & consecratur homo, sine suo consensu & voluntate, dummodò ejus sit capax. Unde etiam in Baptismo maximè necessario Sacramento ad baptizandum eum, qui incidit in amentiam, vel perdit usum sensuum, Concilia semper exigunt, quòd antea

antea voluntatem Baptismi habuerit: ut videre potes apud Lugo, & alios Scholasticos passim. Quare minimè audiendus Cajetanus ita scribens. *Per se loquendo, non exigitur intentio seu voluntas ex parte baptizandi, sed sufficit in eo non inveniri obicem voluntatis contrariæ.*

141 Dixi autem: *adultus rationis compos*: nam inprimis est de fide, quòd infantibus validè conferatur Baptismus: sicut & validè conferri ijsdem Confirmationem docet antiquissima, & hodierna praxis Episcoporum: ijsdémque infantibus validè conferri Sacramentum Ordinis, etiam Presbyteratum, Episcopatúmque, quinam sentiant, videbitur infrà suo loco. Deinde rationis impotes, si sint perpetuò amentes, computabuntur instar infantium prædictorum. Si verò post adeptum usum rationis inciderunt in amentiam, adhuc sunt capaces Sacramentorum, si nihil aliud obstet, quàm amens repugnantia, quæ cùm non sit voluntaria ac libera, in re morali nihil potest impedire: at maximè obstabit defectus voluntatis ac intentionis præhabitæ: si enim isti amentes, sicut & dormientes, & plenè ebrij, nunquam habuerunt voluntatem suscipiendi Sacramentum ante amentiam, somnum, ebrietatem, laterem lavabis, si tali volueris administrare qualecunque Sacramentum. Sed de hoc rursus aliquid specialius *cap. 5.* cùm de subjecto Ordinis. Atque hinc ulteriùs recollige & resolve

142 I. *Universaliter*: Invalidum est omne Sacramentum adulto collatum & susceptum. 1. quod is suscipere nunquam ullo modo voluit, intendit, vel petijt. 2. aut licèt voluerit, vel petierit aliquando, tamen eam voluntatem retractavit expresè, vel implicitè. 3. Qui nec volens nec nolens positivè actu, vel habitu, merè neutraliter, indifferenter, vel negativè se habet. 4. Qui habuit voluntatem non suscipiendi tale Sacramentum, & eam postea nunquam retractavit. 5. Si adultus sit omnino invitus & involuntarius, simpliciter, animo & voluntate omnino repugnante per meram vim coactus, ut si per vim omnino reluctans quis baptizetur, confirmetur, ordinetur. 6. Si adultus ficè tantùm per simulationem, jocum, lùdum, actum inimicum susciperet: utpote sinens se baptizari, confirmari, ordinari absque omni seria voluntate etiam implicita suscipiendi Sacramentum. Vide tamen, & huc applica dicta *supra num. 124. de intentione Ministri formali necessaria.* 7. Denique si quis suscipiat Sacramentum merè materialiter: ut si quis omnino ignarus rei, quidnam hic agatur, merè materialiter baptizari, confirmari, ordinari se sineret: si sumeret hostiam nesciens esse consecratam, aut scieus quidem esse Eucharistiam, attamen comederet, vel biberet species Sacramentales solùm ad famem vel sitim sedandam. Sed de hoc mox iterum: jam è converso

143 II. *Validè suscipit Sacramentum.* 1. Qui ex solo metu etiam gravi & injustè incusso suscipit: quia metus non tollit voluntarium simpliciter, sed tantùm secundùm quid: dumodò metu adactus velit suscipere Sacramentum formaliter, seu eâ intentione, quâ instituit Christus, & Ecclesia facit: secus esset, si haberet voluntatem solummodò permittendi, ut circa se fiant actiones externæ Sacramentales, animo autem omnino nolit recipere Sacramentum, seu eo modo, quo cæteri Christiani. Quare omnes Theologi rejiciunt glossam *in cap. Majores de Baptismo.* Baptismum esse valilidum, licèt, qui baptizatur, corde dissentiat, dum tamen ore dicat se consentire. Excipitur etiam hic Matrimonium, quod ex metu gravi & injusto contractum, est invalidum ipso jure. 2. Etiam adultus maniacus vel phræneticus, qui manibus pedibúsque repugnat volenti extremè se inungere: quia remanet nihilominùs in eo habitualiter voluntas implicita suscipiendi hoc Sacramentum, quam habuit ante morbum: *de qua infrà explicatione. 4.* 3. Qui quidem joci, lusûs, vel irrisionis causâ inciperet admittere actiones Sacramentales, sed postea, mutato animo, intentionem seriam assumeret, sine dubio validè susciperet: quemadmodùm suscepit Genesius ille mimus, qui in theatro coram Diocletiano Imperatore, ut mysterijs Christianorum illuderet, finxit se ægrotum, & fictè petijt Baptismum: cùm autem Sacerdos jussu Imperatoris accersitus adesset, & interrogaret, quid peteret, ille mox divinitùs conversus seriò baptismum petijt, & sic non fictè, sed seriò baptizatus, etiam Martyr egregius evasit. 4. Si quis Sacramentum susciperet volens suscipere illud, quod Christiani accipiunt, etiamsi ipse non crederet esse Sacramentum, aut nollet suscipere Sacramentum vel gratiam aliquam Sacramentalem, adhuc tamen validè suscipere, cùm eo casu etiam Minister validè ministret, colligere debes ex dictis *supra num. 127.*

Notanda hic est differentia inter Eucharistiam; 144
& reliqua Sacramenta. Quod quis absque ullâ debita intentione, imò cum indebita, vel perversâ intentione v. g. ad solam famem aut sitim sedandam suscipit Eucharistiam, adhuc verè suscipit Sacramentum, saltem materialiter, etsi non formaliter ut Sacramentum, cum effectu sacramentali. Quia nimirum est Sacramentum permanens & existens ante omnem usum atque ideo ad sui essentiam & consistentiam non requirit subjectum, ejús ve dispositionem aliquam, sed tota ejus essentia reperiri potest in homine etiam ignorante, nolente, vel indebitè aut perversè volente, sicut & reperiri posset in comedente bruto. Quia tamen Christus vetuit, ne ullo casu sumatur Eucharistia tanquam res prophana, sed ut res sacratissima, ideo mortalissimè (*ait Gobat n. 248.*) delinqueret, qui vellet sumere pro sola fame, sitive sedanda, & sine dubio nihil fructûs acciperet: (non autem videtur Sacerdos fructu privandus, qui sumpturus Calicem debitâ reverentiâ etiam intenderet sitim levare, de quo amplius suo loco.) At verò qui absque omni intentione debita suscipit alia Sacramenta, nullo modo, ne materialiter quidem, suscipit Sacramentum: quia alia Sacramenta, cùm consistant essentialiter in actione transeunte atque ipso usu, necessariò supponunt subjectum, ejús-

Universidad de Deusto
Biblioteca

que dispositionem seu præparationem aliquam per cognitionem prævium, ac consentum voluntatis aliquem adulti, æquè ac pendent a scientia ac intentione Ministri: quare absque omni voluntate ac scientia suscipientis, ab ignorante, nolente, aut perversè volente, nullum suscipitur Sacramentum re ipsâ: qualiter autem adhuc peccetur, videbitur suo loco, cum de Ministro & suscipiente. *cap. 3. & 4.*

§. II.

Sufficit intentio habitualis, habita scilicet, & non revocata.

145 COmmunissima Doctorum, & puto esse certum apud omnes, *cum suis limitationibus tamen.* Ratio sufficientiæ pro suscipiente, & disparitas à ministrante clara est. Quia Minister conficiens Sacramentum debet se habere activè, & in eo requiritur intentio, quæ sit causa actionis Sacramentalis, & consequenter ejus intentio debet actu vel in se, vel in virtute à se relicta existere, quando conficitur Sacramentum: at verò suscipiens Sacramentum habet se passivè tantùm, ideóque in eo non requiritur intentio, quæ sit causa actionis Sacramentalis, sed solum quæ sit dispositio ad suscipiendum Sacramentum, & recipiendum effectum Sacramentalem: qualis omnino sufficiens dispositio est, si homo adultus sit volens actu vel habitu, ideóque etiam sufficiens est voluntas præterita, & non revocata, suscipiendi tale Sacramentum, quæ propriè dicitur intentio habitualis. E. g. voluit, vel petiit quis semel baptizari, confirmari, absolvi, inungi &c. (de Ordine suo loco) & hâc voluntate nunquam revocatâ, incidit in phræneſin, lethargum, apoplexiam, usu rationis ac sensuum destitutus, ratione intentionis habitualis adhuc perseverantis, validè & licitè baptizatur, confirmatur, absolvitur, inungitur, & cessante periculo irreverentiæ positivæ, etiam sacro Viatico participatur. An etiam validè & licitè ordinetur, videbitur suo loco *cap. 5.* Insuper alia specialia addenda sunt.

146 I. Dixi initio: *Excepto Matrimonio regulariter:* nam in Matrimonio, prout ordinariè contrahitur inter præsentes, in facie Ecclesiæ, seu coram Parocho & testibus, eorum consensu expressè requisito, quando sit Sacramentum, saltem ex una parte, necessariò adest consensus actualis, tunc enim sit Sacramentum Matrimonij, quando posterior pars contrahens, suo consensu manifestato, prioris consensum & traditionem acceptat, utique actu & non habitualiter tantùm. Attamen in certis casibus etiam in hoc Sacramento sufficicere intentionem habitualem, jam dixi suprà *n.* 118.

II. Eodem Matrimonij ac Pœnitentiæ Sacramento excepto, in reliquis sufficit intentio habitualis semel habita, etiam solâ mente concepta, & voce vel signo exterius non manifestata, ad validè suscipiendum Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Ordinis, & Unctionis: ut si quis revera habeat, vel habuit intentionem & voluntatem suscipiendi Baptismum, Confirmationem &c. etsi ipse hanc suam voluntatem non manifestet, eámque Minister omnino ignoret, si tamen iste velit conferre Sacramentum, in quantum potest, Sacramentum validum erit: quia adsunt omnia essentialia ad Sacramentum requisita; tametsi extra casum extremæ necessitatis sine dubio mortaliter illicita foret talis fortuita collatio Sacramenti. Excipitur rursus Sacramentum Matrimonij, quod consistit essentialiter in consensu contrahentium exterius manifestato. Item excipitur Sacramentum Pœnitentiæ, cujus materia proxima sunt actus pœnitentis. Dolor & Confessio, utique sensibiliter manifestati, ut moveant Sacerdotem ad absolvendum: alioquin Confessarius non procederet ut Judex ad instantiam partis.

III. Dixi notanter: *intentio habitualis habita* 147 *&c.* quæ nimirum semel habita actualiter, nunquam revocata, adhuc habitu perseverat, ut explicatum *num.* 110. Etenim neque ad Sacramentum suscipiendum reor sufficere intentionem illam habitualem solius dispositionis mentalis descriptam *eodem num.* 110. *sub finem*: cùm quis scilicet nunquam quidem intentionem actualem suscipiendi tale Sacramentum habuit, tamen mente ita dispositus & comparatus est, ut omnino vellet, vel voluisset suscipere illud Sacramentum, si in mentem veniset. Multi sunt, ignorantes se quandoque posse adipisci pingue beneficium Ecclesiasticum, imò jam vellent suscipere tales Ordines, si nossent sibi quandoque delatum iri tam pingue beneficium, nisi obstaret defectus Ordinis: an ideo ob hanc dispositionem mentis, quæ in re nihil est, nec fuit unquam, putes validè ordinari posse? Non puto ego, salvo meliori judicio. Proponit quidem Gobat *Tract. 1. n.* 244. sed suam mentem expressè non aperit.

IV. Insuper nota diligenter; etiam intentio- 148 nem habitualem propriè dictam, scilicet actualiter habitam & non revocatam non sufficere, nec se extendere ad omnem casum vel statum hominis, sed tantùm illum, quo Christiano more ac rationabiliter potest, & debet conferri ac suscipi tale Sacramentum. Nam licèt quis ante mensem, vel dies aliquot habuerit reverâ intentionem suscipiendi v. g. Sacramentum Confirmationis, vel talis sacri Ordinis, non inde sequitur, etiam validè & licitè ordinari in somno, vel amentia temporali: hæc enim intentio non extendebat se, nec poterat se rationabiliter extendere ad tempus somni vel amentiæ: ut iterum dicam *cap. 5.* cùm de subjecto Ordinis. Atque hoc ipsum observandum erit in sequentibus casibus intentionis implicitæ & generalis.

§. III.

Eáque etiam implicita, habita scilicet in alio volito tale Sacramentum involvente.

NImirum ad validè & licitè suscipiendum Sa- 149 cramentum cum intentione habituali non requiritur, quòd præcesserit intentio actualis expressa & formalis suscipiendi tale Sacramentum in se cognitum & cogitatum; sed sufficit, quòd præcesserit intentio actualis implicita, vel (ut alii vocant) *interpretativa* volendo sc. aliud quidpiam, in quo voluntas suscipiendi tale Sacramentum aliquod, etiamsi tunc actu non cogitatum, tamen involvitur, vel inde rectè infertur. Ratio à majori ad minus, patet ex dictis de intentione implicita sufficiente ad Sacramenta administranda *supra à n.* 125. sic

150 I. Catechumenus Christianam fidem vel Religionem jam animo amplexus, aut quivis infidelis, curans se instrui in fide Christiana, animo eam amplectendi, cùm fuerit bene instructus, postea hâc voluntate non revocatâ, validè & licitè suscipit Baptismum in mortis articulo, ratione & sensibus destitutus, etsi de Baptismo in specie nunquam cogitaverit: nam eo ipso, quo voluit amplecti fidem Christianam, implicitè etiam voluit servare Christi præcepta, & admittere media salutis in Christiana Religione constituta, inter quæ primum, & omnium maximè necessarium est Baptismus, & consequenter eâ voluntate etiam implicitè voluit Baptismum saltem pro extrema illa necessitate salutis suæ.

151 II. Iudæus, qui habet veram attritionem supernaturalem de peccatis, quatenus iis meremur pœnam æternam, aut excludimur à gaudiis æternis cœli, licitè baptizatur in extremo agone constitutus, ratione ac sensibus destitutus, quia in tali attritione etiâ implicitè involvitur voluntas servandi omnia præcepta (adeóque etiam Baptismi suscipiendi) ad salutem æternam consequendam necessaria. Ita Coninck, Dicastillus, Lugonem repugnantem refutans apud Gobat *cit. n.* 236. At: Judæus ille ante protestatus fuit, se potiùs mori velle, quàm fieri Christianum. Nihil obstat: si enim veram elicuit attritionem supernaturalem, illa prior pessima voluntas jam cessavit, & enervata est, aut certè processit ex errore invincibili, ideóque ejus ratio non est habenda. Non tamen cum Gobat *cit.* putarem, valere talem Baptismum, si extra omnem necessitatem constitutus baptizaretur in somno: Attritio enim ac voluntas servandi omnia præcepta divina non obligat pro semper, ideóq; non se extendit ad casum talem. Vide casum Caramuelis apud Gobat *cit. n.* 232. sed faciliora.

152 III. Monachus (ut jam suprà innui *num.* 104.) à suo Prælato missus ad Ordines, volens simpliciter obedire suo Prælato, de ipso Ordine in se nihil cogitans vel intendens: tamen validè suscipiet Ordinem præceptum à Prælato: quia volendo obedire præcipienti Prælato suscipere Ordinem, implicitè necessariò vult suscipere illum Ordinem, etsi de eo non cogitet. Addit Gobat *num.* 255. Eum, qui nondum Sacerdos liberè suscipit beneficium Parochiale v.g. sciens se intra annum obligari suscipere Ordinem Presbyteratûs, etsi expressè non dicat, se velle intra illud tempus illo sacro Ordine initiari, tamen validè ordinandum, si ultimo die illius anni, circa se etiam ignorantem exercerentur Cæremoniæ Presbyterales (positò, quòd servasset illam voluntatem servandi legitimè suum beneficium Parochiale) æquè ac si ipso die suscepti beneficij diserte dixisset: *Volo ante finem hujus anni promoveri ad Presbyteratum.* Sic ille.

Dixi initio, (*Non autem indirecta, nec sub con-* 153 *ditione de futuro.*) Nam voluntatem interpretativam indirectam tantùm in causa volita (*de qua dixi num.* 111.) sufficere ad Sacramentum suscipiendum, cum aliis rectè negant Valentia, Cominch, alij communiter. Ut quando prævides, quòd si te ad somnum componas, vel vino oppleas, aliquis te baptizaturus sit: nam cum tali intentione indirecta in causa tantùm stare potest intentio omnino contraria. Denique intentio sub conditione de futuro, sicut non sufficit ad Sacramentum conficiendum, (*supra num.* 120.) ità neque sufficit ad suscipiendum, cùm nulla hic sit ratio faciendi discrimen inter conferentem & suscipientem, sicut est quoad intentionem virtualem & habitualem.

§. IV.

Imò etiam generalis voluntas vivendi, & moriendi more Christiano, Catholico sufficit.

Sufficit ad suscipienda Sacramenta extremæ 154 *Unctionis & Eucharistiæ in gravi morbo & articulo mortis.* Nam Catholicus habens intentionem illam generalem in Ecclesia Catholica vivendi & moriendi more Catholico, eo ipso etiam vult implicitè suscipere ejus Sacramenta, debito tempore, more & ritu Ecclesiæ consueto: est autem mos & ritus Ecclesiæ consuetus, quòd dentur aliqua Sacramenta infirmis, eâ ipsâ ergo voluntate implicitè & interpretativè censetur etiam velle ea Sacramenta suo tempore recipere. Et quia Ecclesia eam voluntatem meritò præsumit in omnibus Christianis, qui catholicè vixerunt, & signa Pœnitentiæ suo tempore exhibuerunt, ideo infirmis etiam ratione & sensibus destitutis validè & licitè confert Sacramentum extremæ Unctionis, atque etiam Eucharistiæ, si absit periculum vomitûs, vel similis positivæ irreverentiæ etiamsi illi ea Sacramenta expressè nõ petierint, imò fortè de illis nihil cogitaverint; Atq; eo extremo periculo credo omnino cum Gobat *n.* 239. & 243. etiam licitè conferri ac suscipi Sacramentum Confirmationis. Nam voluntas illa generalis moriendi more Catholico, & meliori modo quo possumus, videtur omnino se extendere ad hanc armaturam fidei induendam. Certè non credo, unum fore Catholicum, qui de voluntate hac interrogatus non promptissimè annueret.

Hæc tamen generalis intentio minimè efficit, 155 quòd alicui Christiano validè conferatur extrema Unctio, vel Confirmatio, aut fructuosè sumatur Eucharistia in somno, ebrietate vel amentia temporali, aut sacramentaliter & fructuosè suscipiat Eucharistiam is, qui casu comederet sacram Hostiam, nesciens esse consecratam, sed putans esse panem communem. Ratio est: quia Christianus vi illius voluntatis generalis solùm vult suscipere Sacramenta Christiano more & ritu, quæ scilicet debito tempore & ritu Christianis dari solent: ideóque ea generalis & interpretativa voluntas minimè se extendit ad casus, quibus Christianò more Sacramenta dari non solent, nec debent, ut in somno, ebrietate, temporali furore, vel amentia: consequenter neque censeri potest habere voluntatem sacramentaliter suscipiendi Eucharistiam, quando

Universidad de Deusto
Biblioteca

eam, ignorans esse Eucharistiam, comederet more communi tanquam cibum prophanum. Vide Lugo *hic disp.* 9. *n.* 127.

156 II. *Non item ad reliqua.* Ratio iterum est: Quia generalis illa voluntas vivendi & moriendi more Christiano & Catholico, minimè se extendit, nec se extendere potest ad suscipienda omnia Sacramenta, sed illa tantùm, quæ Christianis omnibus communiter dari solent, & possunt, vel etiam debent, ideóq; illa generalis & interpretativa voluntas & intentio. 1. Longè probabiliùs non sufficit ad conferendum, & suscipiendum Sacramentum Confirmationis extra periculum mortis, vel amentiam perpetuam, seu quæ videtur esse perpetua, vel valde diu duratura, ait Gobat *num.* 239. Quia non omnes Catholici solent suscipere istud Sacramentum: neque hoc ipso, quòd quis piè & Catholicè vivit, habet ullam implicitam voluntatem recipiendi ignoranter hoc Sacramentum extra mortis periculum, cùm potiùs omnes pij cupiant illud suscipere cum vero usu rationis, & debitâ reverentiâ, si fieri queat. 2. Nullo modo sufficit ad conferendum & suscipiendum Sacramentum Ordinis, quod omnes Christiani suscipere, nec solent, nec debent, nec possunt, & insuper mutationem statûs & gravia onera inducit; ideóque requiritur intentio specialis & formalis saltem habitualis vel implicita, habita scilicet in alio volito Sacramentum istud involvente: de qua *n.* 152. 3. Minimè omnium sufficit ad Sacramentum Matrimonij, quippe quod, præterquam & ipsum non omnes suscipere soleant, nec debeant, & gravissima onera inducat, essentialiter consistit in contractu & consensu contrahentium, mutuò tradendi & acceptandi corpora ad usum generationis. 4. Sufficeret omnino plenissimè illa generalis voluntas ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ in extremis: nisi pœnitens præter voluntatem aliquam suscipiendi hoc Sacramentum, etiam deberet exhibere materiam proximam, scilicet Contritionem, & Confessionem, formalem vel saltem virtualem, scilicet voluntatem confitendi, si posset, aliquo signo externo manifestatam, ut Sacerdos tanquam Judex ad instantiam partis procedere valeat: de quo suo loco. Et quamvis in probabili Recentiorum Sententia sola vita Christianè acta Confessario sit signum sufficiens doloris & voluntatis confitendi in moribundo nullum aliud signum sensibile exhibente, ut saltem sub conditione absolvi possit; at verò solam vitam Christianè actam, aut voluntatem illam generalem vivendi & moriendi more Catholico non posse supplere dolorem, confitendi voluntatem, si reverâ nec actu, nec habitu adessent, omnino certum puto. Unde non capio Sententiam scribentium, eo casu moribundum absolvi posse *absolutè*: cùm reverâ possit contingere, quòd hic moribundus nec actu habuerit, nec ante morbum habuerit dolorem & voluntatem confitendi.

Quæstiuncula incidens.

Qualis attentio requiratur ad ministranda, & suscipienda Sacramenta?

SAlvis essentialibus, materiâ, formâ & intentione ad validam tam collationem, quàm susceptionem Sacramenti, non requiritur attentio, 157
adeò ut etiam voluntariæ distractiones per se nihil officiant valori Sacramenti ministrati & suscepti. Nam: *quod non est SS. Patrum decreto sanctum, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum c. 2. de Transl. Ep.* Atqui nullus SS. PP. scribit explicitè, vel implicitè attentionem seu conferentis, seu recipientis Sacramentum, spectare ad valorem Sacramenti: ergo nec nos id præsumere debemus. Quin etiam à mortali rectè excusabis tam ministrantem, quàm recipientem Sacramentum cum voluntarijs distractionibus, secluso contemptu formali, vel virtuali, ob eandem rationem: excepto tamen casu, quo ex parte conferentis adesset periculum errandi quoad essentialia Sacramenti, præsertim in pronuntiatione formæ; quale periculum errandi, adeóque graviter delinquendi facilè posse esse in Sacramentis Confirmationis & extremæ Unctionis in distractè proferendis formis, utpote satis prolixis providè advertit Gobat *tract.* 1. *n.* 97. Tandem à veniali irreverentiæ peccato tam conferentem, quàm suscipientem Sacramentum cum voluntariis mentis evagationibus certè non excusat communis sensus Doctorum ac piorum: nam sancta sanctè tractanda sunt. Placet judicium Georgij de Rhodes apud consentientem Georgium Gobat *cit. tract.* 1. *n.* 259. Requirentes ad recipiendum qualecunq; Sacramentum bonum aliquem motum voluntatis sine omni culpa irreverentiæ: quia verò cum illo pio motu vix consistere potest voluntaria & deliberata distractio, ideo hæc sub veniali culpa excludenda est.

CAPUT III.

De Ministro Sacramentorum.

SECTIO I.

Quis sit Minister Sacramenti validè conferendi in commune?

SUMMARIUM.

158. *Minister Sacramentorum sufficiens de lege ordinaria est solus homo viator.*
159. *Non tamen omnis respectu omnium,*
160. *Ut validè ministret, in illo requiritur solùm potestas, & intentio.*
161. *Non fides, bonitas, vel probitas.*

ASSERTIO.

SOlus homo viator (at non omnis respectu omnium) est sufficiens Minister Sacramentorum de lege ordinaria: atque ut validè ministret ex parte ipsius requiritur solùm potestas & intentio debita: non item fides neq; bonitas, seu probitas. Est tota certissima. Explico breviter, & pleraque remissivè.

§. I.

Solus homo viator est sufficiens Minister Sacramentorum de lege ordinaria.

OMnes cum D. Thoma *q.* 64. *a.* 7. nam sacra Scriptura passim affirmat hanc potestatem conficiendi 158

endi Sacramenta solis hominibus à Christo collatam esse: solis enim hominibus dixit Matth. ultimo: *Baptizantes eos &c.* Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* Hinc *Hebr.* 5. dicit Apostolus: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur.* Idipsum declarant Concilia, & Patres passim. Ratio congruentiæ est: quia Christus ut homo viator instituit Sacramenta pro solis hominibus viatoribus: quare congruum est solos homines viatores instituisse Ministros suos in Sacramentorum administratione & confectione. Dixi autem: *De lege ordinaria*: seu ex vi præsentis institutionis. Nam absolutè posse Deum administrare, & conficere Sacramenta etiam per Angelos, non est dubitandum. Hinc sæpe factum, non solùm ut Angeli ministrârint hominibus Sacramentum Eucharistiæ, & nominatim Stanislao Koskæ: sed etiam ut Sacramenta aliqua confecerint: Sic Nicephorus Calixtus *lib.* 11. *hist. c.* 20. refert S. Amphilochium fuisse ab Angelis consecratum Episcopum, eámque consecrationem pro rata habitam à cæteris Episcopis: & meritò: quia (ut ait D. Thomas cit.) Angeli sunt nuntij veritatis, si aliquod ministerium Sacramentale ab Angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet constare (id est certò credi) hoc fieri voluntate divinâ.

§. II.

At non omnis respectu omnium.

159 NOn scilicet omnis homo viator potest esse Minister cujusvis Sacramenti, sed ille, qui juxta institutionem Christi pro ratione Sacramentorum varia, ad id munus in Ecclesia ritè ordinatus est, & potestatem accepit. Sic definit Concil. Trident. sess. 7. Can. 10. *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem: anathema sit.* Hinc Apostolus 2. Corinth. 3. dicit: *Qui nos idoneos Ministros novi testamenti fecit.* Quod autem de omnibus Christianis dicitur 1. Pet. 2. *Vos autem Genus electum, regale Sacerdotium*: & Apoc. 20. *Erunt Sacerdotes Dei Christi &c.* Intelligitur de Sacerdotio spirituali, quo offertur Deo Sacrificium spirituale, hoc est, quodcunque opus bonum & gratum Deo. Unde S. Petrus ibidem addit: *offerentes Hostias acceptabiles Deo per IEsum Christum.* Ad Sacramenta autem pleraque ministranda requiritur Sacerdotium propriè dictum: excepto semper Baptismo, cujus ob necessitatem communem omnis homo est Minister sufficiens: & Matrimonio, cujus Ministri sunt ipsi contrahentes, utique Laici, neque ad id munus speciali consecratione initiandi.

§. III.

Atque ut validè ministret; ex parte ipsius requiritur solùm potestas & intentio.

160 POtestas requiritur, ut possit facere: *Intentio* requiritur, ut velit facere & conficere Sacramentum: quia non volens nihil facit moraliter. Cæterùm qualis potestas, seu ordinis seu jurisdictionis requiratur ad validè ministranda singula Sacramenta, necessariò determinandum erit agendo de quolibet in particulari: ut supervacaneum sit hic omnia in unum cumulum congerere. Hoc certum, quòd defectus jurisdictionis non irritet ullum Sacramentum, nisi Pœnitentiæ & Matrimonij. Intentio autem quæ & qualis requiratur ad validè conficiendum Sacramentum, jam fusè satis explicatum habes *supra à n.* 113. Et insuper unum hic obiter addo. Plures Thomistæ cum D. Thoma *cit. q.* 64. *a.* 8. *ad* 1. Paludanus, Sylvester, alij, sensêrunt defectum intentionis, præsertim in Baptismo suppleri à summo Sacerdote Christo, quoad effectum Gratiæ sanctificantis, quando ex parte subjecti non ponitur obex. Verum post Concilia Florentinum & Tridentinum ad valorem Sacramentorum tam diserte requirentia intentionem Ministri, hanc doctrinam meritissimò negant communissimè DD. & Neoterici plerique; omnes: nec credo D. Thomam vel alios ita sensuros fuisse, si post illa Concilia scripsissent.

§. IV.

Non item fides, neque bonitas vel probitas.

Fides Ministri non requiritur ad validè conficienda Sacramenta: quia etiam Hæreticus, & 161
quoad Baptismum etiam Infidelis, Judæus, Turca, etsi ipse non credat Baptismum v. g. esse Sacramentum, potest tamen intendere ac velle facere id, quod facit Ecclesia, vel Christiani faciunt, & sic adhibitâ debitâ materiâ & formâ, facere verum Sacramentum, ut plusculis dixi *num.* 127. *Bonitas* quoque seu *Probitas* Ministri ad valorem Sacramenti non requiritur: quia Sacramenta habent suum valorem & efficaciam ex virtute Dei, & meritorum Christi, minimè autè ex virtute & meritis Ministri; neq; is agit in virtute propria, sed in virtute divina Christi Dei Hominis. Estque de fide definitum in variis Conciliis apud Bellarminum *de Sacramentis. l.* 1. *c.* 16. & novissimè Tridentino, *sess.* 7. *Can.* 12. *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum; anathema sit.* Ratio peti non debet aliâ, nisi quia Christus sic voluit instituere Sacramenta, ut malitia Ministri nec impediat valorem Sacramenti, nec ejus effectum, propter plurima & gravissima inconvenientia & incommoda alioquin secutura. De quo vide latè tractantes Scholasticos.

SECTIO II.

Quid requiratur, ut Minister etiam licitè ministret Sacramenta, seu ut conficiendo non peccet?

SUMMARIA.

162. *Ut Minister* licitè *ministret Sacramenta, debet habere I. jurisdictionem non impeditam,*
163. *II. Ministrare validè & ritè;*
164. *III. Dignè, & dignis.* Unde
165. *Usque ad n.* 169. *Quale peccatum, invalidè, & indignè ministrare, & suscipere Sacramenta?*

AS-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ASSERTIO II.

PAucis accipe. Requiritur, *ut habens jurisdictionem non impeditam ministret validè & ritè: dignè & dignis.* Pauca verba *mi Tyro*, sed non paucæ explicationis. Explico hìc potissimùm terminos, reliqua daturus per distinctos §§.

§. I.

Ut habens jurisdictionem non impeditam.

162 NImirum ut Minister ex officio licitè conficiat Sacramenta, & ministret, præter potestatem Ordinis ad valorem plerorumque Sacramentorum requisitam, requiritur in eo etiam jurisdictio aliqua in suscipientes ordinaria vel delegata: ita enim ordinata Ecclesiæ Hierarchia exigit: eáque *non impedita* excommunicatione, vel aliâ censurâ, aut irregularitate privante usu Ordinis. Solùm excipitur Matrimonium, cujus Ministri sunt ipsi contrahentes, qui nullam habent in se invicem spiritualem jurisdictionem. Requiritur tamen jurisdictio in Sacerdote assistente, idque post Concilium Tridentinum receptum, etiam ad valorem Sacramenti hujus: quemadmodùm etiam ad Sacramentum Pœnitentiæ, & absolutionem validè conferendam, cùm sit actus judicialis, jurisdictio requiritur in Pœnitentem, ut latiùs patebit agendo de singulis. In Ministro Baptismi ordinario non est quidem jurisdictio propriè in personam baptizandam, quippe quæ tunc adhuc *foris est*: requiritur tamen jurisdictio in Parentes baptizandi, aut in ipsum locum, vel Parochiam, ubi Baptismus conferri debet.

§. II.

Ut ministret validè & ritè.

163 I. UT licitè ministret, utique debet etiam ministrare validè, adhibendo omnia essentialia requisita ad Sacramenti valorem, debitam nimirum materiam, formam, & intentionem, juxta hactenus dicta: horum enim aliquo deficiente, nec validè nec licitè conficiet, sed, si sciens faciat, mortaliter & gravissimè peccabit: Ut si scienter utatur materiâ falsâ: Si extra casum necessitatis utatur materiâ & formâ dubiâ; quia tunc Sacramentum erit dubium, & sub conditione repetendum, juxta *num.* 90. Item si intentionem debitam omittat &c. Sed de hoc aliquid infrà *num. IV.* 2. *Ritè* autem ministrare debet, nimirum adhibendo etiam accidentalia requisita ad decentem administrationem ac decorem Sacramenti ministrandi, sive ex natura rei, sive ex præcepto Ecclesiæ: nam sancta sanctè tractanda: & præceptum Ecclesiæ, in materia tam gravi reverentiam Sacramenti concernente, obligat in conscientia. Quare graviter peccat ministrans Sacramentum. 1. Si materiam vel formam etiam accidentaliter, & sine causa mutet: de quo *suprà à n.* 85. 2. Si formam notabiliter corruptè, inarticulatè, interruptè proferat, aut sine rationabili causa super eandem materiam repetat, etiam sub conditione: vide suprà *c.* 2. *à n.* 91. *& 98.* 3. Si nimis oscitanter & voluntariè distractus ministret cum periculo erroris substantialis ac nullitatis Sacramenti: *nuper num.* 157. 4. Si cæremonias præscriptas ab Ecclesia notabiliter, & sine causa omittat, vel immutet, etiam solùm ex negligentia & incuria crassa: nedum si etiam ex contemptu formali, qui semper in omni materia etiam levi culpam mortalem inducit. Verùm hæc necessariò specificanda sunt in suis propriis locis.

§. III.

Dignè & dignis, remissivè.

164 D*ignè* Sacramenta ministrare debet Minister, nimirum existens in statu Gratiæ, & saltem non conscius sibi peccati mortalis: nam ministrans Sacramentum debet se conformare Christo, cujus est Minister: & sancta sanctè tractanda sunt. Peccare ergo eum, qui scienter in statu peccati mortalis Sacramentum administrat, meritò omnes consentiunt. An verò semper peccet mortaliter, qui in statu peccati mortalis Sacramentum aliquod administrat, dicam seorsim *sect. 3. & 4.* an liceat petere Sacramentum à Sacerdote malo, seu existente in peccato mortali. 2. *Dignis* etiam tantùm, seu rectè dispositis Sacramenta ministrare debet, ut licitè ministret. Nam scienter ministrans Sacramentum indigno vel indisposito notoriè, absque gravi causa excusante, omnium consensu peccat mortaliter, quia cooperatur ad peccatum & sacrilegium alterius. An, & quando liceat ministrare Sacramentum indigno, dicam *à n.* 183. Interim generatim adhuc explicanda sunt aliqua.

§. IV.

Invalidè, & indignè ministrare & suscipere Sacramenta, quid, & quantum peccatum.

165 I. NOtat sapienter Gobat *Tract.* 1. *n.* 249. Etsi usitatissimam, ideóq; servándam, tamen impropriam esse locutionem Theologorum, quâ dicunt, hoc aut illud Sacramentum conferri, vel suscipi *invalidè* sine debita intentione, aut alio requisito essentiali. Verè enim reipsâ tunc nullum suscipitur Sacramentum: ergo nullum invalidè. Dicuntur autem conferri aut suscipi invalidè, eò quòd actiones illæ nihil valeant, nec possint constituere essentiam veri Sacramenti à Christo instituti, ac sufficientis ad finem veri Sacramenti à Christo intentum, scilicet gratiam sanctificantem. At verò satis propria esset locutio, quâ diceretur aliquod Sacramentum tunc conferri vel suscipi invalidè, quòd confertur & suscipitur *indignè*, quando quidem existit, scilicet tota essentia Sacramenti, ipsúmque Sacramentum, attamen carens suo effectu, quando scilicet per illud nulla confertur gratia sanctificans ob indignitatem suscipientis, scilicet existentis in peccato mortali, prout contingere potest, & nimis sæpe contingit in Sacramentis vivorum, imò Baptismi; ut suis locis patebit. Jam verò ad propositum

166 II. Clara est ratio malitiæ mortalis & sacrilegij gravissimi, quando confertur, & suscipitur Sacramentum verum & perfectum *indignè*, nimirum sine effectu gratiæ sanctificantis; cùm quis scilicet vitio suo facit, ut verum Sacramentum frustretur fructu illo præstantissimo, ad quem causandum est ab Authore suo benignissimè destinatum. Talis enim gravissimè delinquit contra reverentiam & honorem debitum tum ipsi Sacramento, tum Institutori Sacramentorum Christo Domino. Perspicua enim & tremenda est authoritas Apostoli 1. *Cor.*

1. *Cor.* 11. pronuntiantis eum, qui manducat & bibit Corpus & Sanguinem Christi indignè, manducare & bibere sibi judicium, atque adeò mortem æternam. Unde liquidò infertur, idem sibi judicium conscíscere, qui verè quidem, sed suâ culpâ indignè, & sine effectu gratiæ baptizantur, confirmantur, ordinantur, &c.

167 III. At verò non ita clara est ratio malitiæ mortalis, seu cur delinquam mortaliter, si conferam, vel suscipiam Sacramentum invalidè, seu potiùs invalidum & nullum: si nimirum meâ culpâ efficiam, & impediam, ne fiat Sacramentum aliquod, defectu intentionis, vel alterius essentialiter requisiti. Certè non pecco, saltem graviter, si volenti ex devotione confiteri, vel confessiones excipere, suadeam, ut omittat. Si non mereor, nisi purgatorium, impediendo, ne quidquam existat de Sacramento, cur reus sim inferni impediendo, ne existente unâ parte Sacramenti, ponatur altera? aut positis duabus ponatur tertia? Et certum est, rationem malitiæ mortalis non posse desumi propriè ex ulla injuria vel irreverentia, quæ fiat Sacramento; *Quia non entis nullæ sunt qualitates vel accidentia*: & consequenter nullum jus, nulla injuria vel irreverentia: atqui in nostro casu non existit ullum Sacramentum: ergo tunc est non ens. Unde ergo Dicendum

168 IV. Ratio malitiæ mortalis & sacrilegæ, quæ omnium consensu etiam in hoc casu contrahitur, desumenda est ex gravitate irreverentiæ, quæ tunc infertur ipsi Auctori Sacramentorum DEO & Christo: committitur enim gravis, adeoque mortalis irreverentia in illum, quando Minister exercens actionem Sacramentalem in ijs circumstantiis, in quibus ex institutione divina deberet sanctificare hominem, ita illam exercet, ut in ijs circumstantiis nequeat hominem sanctificare. Etenim hoc pacto illuditur interpretativè Christo institutori Sacramenti, quod necessariò fit, quando Minister Sacramentum conficit nullum defectu intentionis, aut materiæ, aut formæ debitæ. Quod ipsum inter suscipientes efficere possunt Pœnitentes, si debitum dolorem ac propositum omittant, si peccatum mortale culpabiliter reticeant, &c. Item contrahentes Matrimonium, si una pars fictè contrahat: & quotquot fictè tantùm cõferunt, vel recipiunt aliquod Sacramentum: item qui jam ritè baptizatum rebaptizant: vel absolvunt seriò illum, quem nôrunt esse indispositum. Omnes mortaliter gravissimè delinquunt, exercent enim actionem Sacramentalem in iis circumstantiis, quibus deberent sanctificare hominem, & ita tamen exercent, ut sanctificare nequeat, adeóque Christo Institutori implicitè & interpretativè illudunt. Vide Gobat *loc. cit.* ex quo Ego

SECTIO III.

Peccétne semper mortaliter Minister in statu peccati mortalis Sacramentum ministrans?

169. *Minister in statu peccati mortalis existens, mortaliter peccat conficiendo Sacramentum.*
170. *Ad id ministrandum specialiter consecratus.*
172. *Idque in sex præcipuè casibus.* usque ad n. 175.
175. *Ac toties, quoties;*
176. *Seclusâ necessitate vel causâ excusante.*

ASSERTIO III.

OMnino peccat mortaliter *Minister Sacramenti, ad tale Sacramentum ministrandum* 169 *specialiter consecratus, solenniter ex officio conficiens Sacramentum in statu peccati mortalis, toties, quoties: seclusa necessitate, vel aliâ causâ excusante.* Communissima. Ratio communis omnium est, quia est irreverentia ex se gravis Sacramentum à Christo institutum, ad sanctificandum hominem & conscientiam emundandâ, effici à Ministro ad hoc consecrato, immundo & sordido, ut meritò censeatur Sacramentum contaminare, ut loquitur D. Thomas. Et licèt ejusmodi mortalis irreverentiæ & malitiæ gravitas, neque ex natura rei, seu ipsâ lege & ratione naturali satis evidenter convincatur: neque etiam expressum aliquod Ecclesiæ præceptum ostendatur: satis tamen constat ex perpetua traditione & sensu Ecclesiæ, unde meritò credendum, adesse præceptum Christi Domini nostri, ita pro tanta Sacramentorum à se institutorum sanctitate meritò præcipientis. Jam verò termini rigorem istum non modicè limitantes & mitigantes explicandi sunt.

§. I.

Minister ad tale Sacramentum ministrandum specialiter consecratus.

DE hoc enim urget specialiter ratio gravis, & 170 mortalis malitiæ & irreverentiæ suprà allata. Nam Ministro, Sacerdoti v.g. in ipsa ordinatione seu consecratione sua confertur gratia divina specialis, in ordine ad ministerium suum rectè exercendum, ideo meritò gravis irreverentia Sacramenti censetur, Sacramentum confici à Ministro gratiâ divinâ destituto, & peccati mortalis fœdâ labe sordidato, ac DEI hoste. Quare Minister peccati mortalis sibi conscius confecturus Sacramentum, gratiam in consecratione acceptam resuscitare debet, ut loquitur Apost. 1. *Tim.* 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Non quidem tenetur necessariò confiteri ministraturus Sacramentum, sed sufficit, & necessarium est, ut eliciat contritionem, quæ sufficit ad delendum peccatum mortale: excepto si Sacerdos celebraturus sit: hic enim ex speciali præcepto Concilij Tridentini obligatur præmittere confessionem, idque non tam propter ministerium activum consecrationis, quàm passivum sumptionis, de quo mox iterum. Quoad alia Sacramenta nullum extat præceptum præmittendi confessionem, etsi maximè consultum sit præmittere, habitâ occasione, & copiâ Confessarij, propter majorem securitatem.

Defectu ergo hujus conditionis, communi DD. 171 consensu, à peccato mortali excusantur, inprimis Laici, vel non Sacerdotes; urgente necessitate baptizantes in statu peccati mortalis. Cùm enim Laicus ad hoc ministerium non sit specialiter consecratus, nec ex officio ministret, sed merè per accidens;

Universidad de Deusto
Biblioteca

cidens, non est tanta deformitas & irreverentia Sacramenti, ministrare extra statum gratiæ, quanta est in eo, qui ad id munus conferrationem & gratiam specialem accepit. Quin idipsum plerique mei sentiunt, si etiam Sacerdos in casu necessitatis privatim ministret Baptismum: quia tunc id facit non ex officio, ut Minister consecratus ad illud ministerium, sed merè per accidens, perinde ac cæteri fideles Laici facerent. Et certè nimis durum esset Ministrum seu Laicum, seu Sacerdotem, obligare in tam brevi tempore, tantâ urgente necessitate Sacramenti, ad eliciendam contritionem, vel confessionem, cùm interim baptizandus mori posset. Eâdemque ratione meritò à mortali excusantur contrahentes Matrimonium in statu peccari mortalis, quatenus ipsi Ministri sunt, ideóq; necessariò Laici, nec ullo modo specialiter ad id ministerium consecrati, sed solùm à Christo Domino deputati, quando hoc Sacramentum instituit. Sed parùm prodest hæc excusatio, cùm ijdem minimè à mortali excusentur, quatenus Sacramenti illius suscipientes sunt: si in statu peccati mortalis contrahant, quia obicem ponunt gratiæ Sacramentali, juxta dicenda *cap. seq.* Scio, quòd Lugo cum Gobat *num. 55. in fine.* duplicem hîc malitiam mortalem agnoscant, æquè ac in celebrante, conficiente ac suscipiente Sacramentum Eucharistiæ mox infrà. Sed certè dispar est ratio, & placent semper mitiora, dummodò probabilia.

§. II.

Minister Sacramenti conficiens.

172 NImirum, qui ministrans Sacramentum, illud conficit in statu peccati mortalis, mortaliter peccat ob rationem datam: idque in sex istis casibus sequentibus.

1. Præcipuè Sacerdos celebrans & SS. Eucharistiæ Sacramentum conficiens, ac suscipiens in statu peccati mortalis: & is quidem duo peccata mortalia committit: unum quatenus conficit, alterum quatenus suscipit indignè mortali labe contaminatus tremendum istud Sacramentum, ut ex communi observant etiam Lugo *disp. 8. sect. 9. num.* 161. Gobat. *num. 53.* Unde tali Sacerdoti in confessione non esset satis dicere: *communicavi semel in mortali*, sed debet exprimere, se in eodem statu etiam confecrâsse, vel utrumque exprimendo dicere: *celebravi semel Missam in mortali.* Quòd si tamen is post consecrationem, adhuc ante sumptionem contritionem eliceret (prout certè debet ad evadendam alteram mortalem & sacrilegam malitiam peccati) deberet dicere, se solùm consecrâsse in mortali: nam propter contritionem, saltem bonâ fide æstimatam, non commisit alterum peccatum, & quidem gravius, indignæ Communionis: alioquin simpliciter dicens, se celebrâsse in mortali, intelligeretur duo commisisse peccata mortalia, sicque sibi injurius esset, & Confessarium deciperet in re gravi. Insuper Sacerdotem (vel Diaconum ex Commissione Sacerdotis) solùm ministrantè sacram Eucharistiam communicanti in statu peccati mortalis mortaliter delinquere, docet fanè communis DD. Sententia: *Suarez, Filliutius, Layman, Bonacina, alij*: idque valde probabiliter & conformiter reverentiæ debitæ huic augustissimo Sacramento. Sed æquè probabiliter id negant *Vasquez*, ac alij cũ Lugo *disp* 8. *n.* 151. Et probabile censet Diana *p. 3. tract. 4. resol. 195.* Quia tunc non conficit Sacramentum, directè concurrendo ad sanctificandum hominem, sed solùm applicat Sacramentum jam existens sanctificativum hominis. Nimis autem durum est, quod Coninch, Bonacina & alij quidam docent, ab ejusmodi Sacerdote tot committi peccata mortalia, quot distribuit Hostias & homines communicat: de quo statim inferiùs *num.* 174.

2. Sacerdos in statu peccati mortalis ex officio 173
& solenniter baptizans. Quod idem de Diacono ex commissione Parochi solenniter baptizante, affirmant Ledesma, Bonacina, & alij, planè probabiliter. Secùs esse jam dictum *num.* 171. Si Sacerdos in casu necessitatis per accidens, & privatim baptizaret. Ubi nota hanc differentiam, *ex officio solenniter, & per accidens, privatim ministrandi Sacramenta*, solùm habere locum in Sacramento Baptismi: non item in reliquis, Confirmatione, Eucharistiâ: Pœnitentiâ, extremâ Unctione, & Ordine, cùm enim ad ista omnia requiratur Consecratio Ministri, nec à Laico conferri possint, ideo Sacerdos ea administrans, semper agit ex officio, ut ministrans consecratus ad illa: ideo, si in mortali, semper peccabit mortaliter, per se loquendo. 3. Sacerdos absolvens Sacramentaliter. Dico notanter *absolvens*. Non enim peccat mortaliter in statu peccati mortalis audiens confessionem, ac etiam pœnitentiam injungens, modò contritionem eliciat ante absolutionem: quia tunc primùm conficit Sacramentum, de quo plura suo loco. 4. Idem Sacerdos in mortali conferens extremam Unctionem. 5. Episcopus in mortali conferens Sacramentum Confirmationis. 6. Idem Episcopus in mortali consecrans Sacerdotes, ac alios Ordines conferens, etiam minores, posito, quòd sint Sacramenta. Ratio omnium data est *in Assert. num.* 169. Quin etiam *Lugo cit. disp.* 8. *num.* 153. damnat peccati mortalis eundem Episcopum, si in mortali consecret Chrysma, oleumve infirmorum benedicat: eò, quòd hi duo sacri liquores propter benedictionem Episcopalem sint materia idonea Sacramentorum Confirmationis, & extremæ Unctionis. Sed certè ratio non satis urgens pro tam horribili culpa: ideo cum aliis oppositum tenebimus mox inferiùs.

Non ergo peccant mortaliter sacri Ministri, qui 174
ministrando Sacramentum *non conficiunt*, sed Sacramentum jam confectum solùm *applicant*, ut modò dictum de ministrante Eucharistiam; vel solùm conficiunt Sacramentalia, aut res Sacras tractant in statu peccati mortalis. Utpote 1. Episcopus primam tonsuram conferens, aut etiam Ordines minores, posito, quòd non sint Sacramenta: Itémq; Abbates benedicens, Sacras Virgines consecrans: Item consecrans Templa, Altaria, campanas,

nas, vasa & vestes sacras, ac omnino etiam chrysma ac oleum infirmorum: ut contra Lugo suprà rectiùs docent Vasquez. eúmque citans Gobat *cit. num. 55.* ob rationem generalem in fine dandam. II. Parochus in mortali Matrimonio assistens: Item solennitates Baptismi ab alio privatim in necessitate collati supplens. Item Sacerdos in mortali aquam benedicens, Eucharistiam intra, vel extra Missam tangens, de loco in locum transferens, imò etiam aliis ministrans, ut dictum est. III. Diaconus vel Subdiaconus in mortali ministrans, Evangelium vel Epistolam solenniter cantans: & à fortiori minorum Ordinum munera in mortali exercens. Itémque Concionator in mortali publicè verbum DEI prædicans. IV. Etiam Laicus in mortali tangens calices, corporalia, reliquias, agnos DEI & similia: imò etiam sacram Eucharistiam in necessitate è terra elevans: non enim videtur aliud agere, quàm si Christum in terris lapsum, elevâsset, quod sine dubio à peccatore admisisset. Secùs, si citra necessitatem temerè id præsumeret, instar Ozæ: tunc enim *bestia tangens montem* meritò mortalis irreverentiæ reatu *lapidabitur*. Hæc omnia ex communi vel saltem communiori, *Vasquez, Layman, Lugo, Tamburinus, alii hic.* Ratio omnium est: quia omnes istæ actiones non tendunt immediatè ad sanctificandum hominem, sicut actiones propriè Sacramentales, ideóque etsi pleræque aliquâ irreverentiæ culpâ non vacent, gravis tamen & mortalis culpæ rationabiliter condemnari non possunt, nam ut sapienter ait noster *Gabriel in 4. dist. 5. a. 2. in fine. Incautum & malũ est affirmare aliquid esse peccatũ mortale, quando non probatur sufficienti authoritate, vel evidenti ratione.* Atqui prædicta & similia damnandi peccati mortalis nulla adfertur authoritas sufficiens, aut urgens ratio. Ergo &c.

§. III.

Toties, quoties.

175 PEccat omnino mortaliter Minister Sacramenti consecratus ex officio conficiens Sacramentum, *toties, quoties*: sed necessariò intelligendum, *QUOTIES* ministrat *interruptis moraliter ministeriis.* Secùs, si eodem moraliter continuato ministerio pluries Sacramentum aliquod conficiat. Hinc 1. peccat Sacerdos mortaliter, quoties in mortali celebrat, etiam in die Natalis Domini tria Sacra consequenter in eodem Altari celebrans, tria peccata mortalia committit, quodlibet enim Missæ Sacrificium est unum per se distinctum ministerium, ad aliud subsequens minimè ordinatum: Item quoties distinctis & notabiliter interruptis vicibus se præsentat ad baptizandum solenniter, Confessiones audiendas &c. 2. Secùs dicendum, si Parochus vel alius Sacerdos unâ vice, & velut uno moraliter ministerio, duos gemellos, aut etiam plures baptizet, si unâ vice & intentione se exponat excipiendis Confessionibus, aut distribuendo Eucharistiæ Sacramento (positò etiam hoc in mortali ministrare, esse mortale) quotcunque absolverit, vel quotcunque sacras Hostias distribuerit, unicum tantùm peccatum mortale committit: quia omnes illæ absolutiones, omnes distributiones, ut modò actu continuo successivè fiunt, ad unum moraliter pertinent ministerium absolvendi, vel communicandi. Nam hoc ministerium absolvendi & communicandi fideles, ex natura sua non determinat sibi certas personas vel Hostias; quin potiùs per modum sacri tribunalis communis, vel sacræ mensæ communis postulat, ut omnibus ad sacrum tribunal accedentibus jus dicatur; omnibus sacræ mensæ accumbentibus sacrum ferculum apponatur: ac proinde sufficit dicere in Confessione, ministravi in mortali Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ semel. Vide Lugo, *de Pœnitentia disp. 16. sect. 4 §. 2. per totum.* Dianam *p. 1. tract. 7. resolut. 41. & 43. alios.* Tandem additur

§. IV.

Seclusâ necessitate vel causâ excusante.

Occuti sumus hactenus de *per se.* Nam *per ac-* 176
cidens Ministrum in mortali Sacramentum ministrantem, à novo mortali excusat non tantùm ignorantia, inadvertentia, oblivio sui inculpabilis; verùm etiam ipsa Charitas in casu urgentis necessitatis, ut si sit periculum in mora, ne subitò moriatur infans vel ægrotus, nec possit se Minister tam citò colligere ad eliciendam contritionem: tunc enim, saltem conceptâ simplici aversione à peccato memoriæ occurrente, ex Charitate, vel officio baptizans, vel absolvens, non committet irreverentiam saltem gravem, imò in subita festinatione nullam: uti cum aliis resolvit Lugo *de Sacramentis in genere disp. 8. sect. 9. n. 151.* Et rectè (ait Gobat *num. 53.*) quia necessitas urgens excusat irreverentiam erga Deum, sicuti sæpe erga Principem. Jam verò ex hac quæstione sic explicatâ, emergit alia non spernenda.

SECTIO IV.

Liceátne aliquando petere & recipere Sacramentum à Ministro indigno, seu cum peccato mortali collaturo?

SUMMARIUM.

178. *Per se loquendo non licet petere, & recipere Sacramentum à Ministro indigno, seu cum peccato mortali collaturo.*
179. *Licet autem ob rationabilem causam necessitatis, vel utilitatis notabilis,*
180. *Præsertim ab eo, cui ex officio incumbit;*
181. *Etiam concubinario notorio; ac etiam excommunicato generaliter.*
182. *Non tamen ab excommunicato vitando &c.*

ASSERTIO IV.

NOn licet, *per se loquendo, petere & recipere Sa-* 177
cramentum a Ministro male notorie, qui scilicet prævidetur, vel creditur ministrando peccaturus mortaliter: Licet autem ob rationabilem causam necessitatis vel utilitatis notabilis petere & recipere ab illo præsertim, cui ex officio incumbit ministrare tale Sacramentum: etiam concubinario notorio nondum sententiato: etiam generaliter excommunicato, tolerato & non vitando: non item ab excommunicato vitando seu non tolerato, vel alio carente jurisdictione conferendi tibi tale Sacramentum. Est tota communis, ut patebit explicatione singulorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. I.

Non licet; per se loquendo, &c.

178 RAtio clara est ex materia de scandalo. Nam *væ homini, per quem scandalum venit.* Et: *Nulli debemus laqueum injicere, c. de Viduis 2. 27. q. 1.* Atqui, si seclusâ omni causâ rationabili necessitatis vel utilitatis notabilis petas, vel recipias Sacramentum à Ministro tali indigno, & non sine novo peccato ministraturo, verè ei scandalo es, & laqueum injicis, quia cooperaris ad illud peccatum Ministri mali, à qua cooperatione te nulla causa justa excusat: cùm tamen ex Charitate obligemur omnes peccatum proximi, cùm facilè possumus, impedire, & evitare, multò magis cooperando non promovere. Nec multùm excusat, quòd ille Minister jam paratus sit, vel etiam se se offerat ad sic peccaminosè ministrandum: quia tunc etsi non voluntatem peccandi, tamen actuale peccati exercitium promoves. Dixi tamen: *a Ministro malo notoriè.* Nam si Minister occultè sit tantùm malus, ita ut ejus vita populo non sit scandalosa, non solùm quis potest, sed subditus vel parochianus etiam debet ab eo recipere Sacramenta necessaria, utpote Pœnitentiæ & Communionis Paschalis; ejus Missas audire &c. Quamdiu enim est occultè malus, manet in possessione suæ famæ, quâ sine injuria non potest spoliari ante notoreitatem facti vel juris, abstinendo ab ejus Sacramentis vel Missis, esto tu privatim certò scias: multò magis, si solùm dubites, vel suspiceris, aut credas esse malum, ut in simili iterum dicam *Sect. seq.*

§. II.

Licet autem ob rationabilem causam necessitatis, vel utilitatis notabilis, &c.

179 RAtio iterum petenda est ex materia de scandalo. Quia scilicet ob justam causam necessitatis, vel utilitatis alicujus notabilis semper licitum est petere ab alio opus bonum, quod is bene & sine peccato facere potest, etsi ex propria ejus malitia prævideatur, vel credatur non sine peccato facturus: nam tunc petens utitur jure suo providendi suæ necessitati vel utilitati spirituali, nec ullo modo cooperatur ad peccatum alterius, sed ob justam causam excusantem ab impediendo peccatum proximi, solùm permissivè se habet: ideóque quod alter facturus, (Sacramentum ministraturus) peccet, non sequitur (nisi valde per accidens & occasionativè) ex mea petitione, sed ex alterius libera malitia, cùm stante & non obstante meâ petitione, posset, & deberet facere sine omni peccato, utpote in proposito, Minister malus in peccato mortali existens, posset, & deberet se disponere per contritionem, faciendo, quod in se est, juxta dicta *num.* 170. ergo generaliter licet petere & recipere Sacramentum à Ministro malo ob justam causam necessitatis vel utilitatis notabilis: ut si ægrotes, si Confessio, & Communio Paschalis peragenda: si nimis diu expectare deberes idoneum vel bonum Ministrum: si indigeas Sacro pro defuncto Amico &c. quæ omnia latiùs & particulariùs patebunt suis propriis locis, de Eucharistia, & Pœnitentia.

Dixi notanter; *ab eo præsertim, cui incumbit tibi ministrare tale Sacramentum.* Quia ut notant 189
DD. communiter, sicut minor causa sufficit, ut petas, & recipias Sacramentũ à Ministro parato ministrare in mortali, quàm ut petas à non parato; in hoc enim & voluntatem & exercitium peccati occasionaliter excitas: ita minor causa requiritur, ut petas, & recipias à proprio Parocho, vel eo, cui ex officio incumbit tibi Sacramentum ministrare, & consequenter ad tuam petitionem se disponere, quàm ut petas ab alio indigno: urgentior enim tunc requiritur causa necessitatis, vel utilitatis gravis, ut de se patet. Quare, si possis facilè habere alium dignum, qui æquè, ac ille indignus, prosit animæ tuæ, illo utere, si velis vitare omne peccati periculum. *Dices*: Urget me sanè necessitas confitendi, vel infantem baptizandum offerendi seu Parocho seu alteri: at vidi meis oculis paulò ante turpissimè jocantem cum aliqua, vel audivi horrendas blasphemias evomentem: *an adhuc possum petere, ut meam confessionem excipiat, meum infantem baptizet?* Omnino licitè potes: cùm enim istis Sacramentis non sit necessariò præmittenda confessio, meritò sperabis illum eliciturum contritionem, priúsquam obeat hæc Sacrosancta munia. Ita post Suarez, Reginaldum, alios, Gobat *tract. 1. n. 265.* Addidi initio: Ministri mali licitè petendi duas extensiones & duas restrictiones. Nempe

§. III.

Etiam concubinario notorio; etiam generaliter excommunicato &c.

180 NOn peccant hoc tempore fideles: qui à publicis, nondum tamen sententiatis, seu per sententiam Judicis denuntiatis concubinariis Sacramenta recipiunt, vel eorum Missas audiunt, etiam devotionis liberæ causâ. Nam licèt jure antiquo Canonico ex præcepto Ecclesiastico obligabantur fideles vitare illos in Sacramentis: ut patet *cap. nullus. &c. Prater. d. 31. & alibi.* Hanc tamen obligationem modò esse sublatam, vel per desuetudinem, vel potiùs per decretum Concilij Constantiensis mox allegandi, docet jam communis Doctorum Sententia. Neque de hoc est periculum in praxi, cùm tales notorij brevì sint sententiandi.

181 II. Cùm ex Decreto Concilij Constantiensis 182
in Bulla Martini V. incip. *Ad evitanda scandala*: permittatur fidelibus communicatio, etiam in Sacris, cum omnibus excommunicatis, præter *nominatim denuntiatos, & notorios percussores Clericorum*: ideo licitè recipies, vel etiam petes Sacramenta à quovis generaliter tantùm excommunicato, ideóque tolerato, & non vitando, in omni casu necessitatis vel utilitatis notabilis, quo juxta prædicta, licitè petis, & accipis à Ministro existente in peccato mortali, v. g. turpitudinis; neque enim suppetit ratio faciendi hic aliquod discrimen. Sed de his suis locis ampliùs.

§. IV.

Non item ab excommunicato vitando, aut alio carente jurisdictione tibi tale Sacramentum conferendi &c.

183 PEccas mortaliter, si petas, aut recipias Sacramentum ab excommunicato non tolerato & vitando, (nempe *nominatim denuntiato, aut notorio percussore Clerici*) quippe, qui simpliciter præcisus ab Ecclesia, omni communicatione cum fidelibus, adeóque etiam omni jurisdictione privatus est; idémque est de alio undecunque jurisdictione carente ad tale Sacramentum tibi ministrandum. Ratio est: Quia citra peccatum mortale scandali, nunquam licet petere, vel admittere ab alio opus, quod is sine peccato mortali præstare non potest: atqui excommunicatus vitandus, atque omnis carens jurisdictione, etsi maximè velit, non potest tamen tibi conferre tale Sacramentum sine peccato mortali; quippe invadens alienam jurisdictionem in puncto gravi: & insuper Sacramentum Pœnitentiæ foret invalidum: ergo etiam tu ad illud crimen eum excitans, & cooperans, ejusdem criminis eris particeps. Excipitur ipso jure casus extremæ necessitatis, in articulo vel periculo mortis pro Sacramento Pœnitentiæ, quo omnis omnino Sacerdos, etiam simplex, etiam excommunicatus, degradatus &c. (saltem in defectum alterius idonei) habet generalem jurisdictionem absolvendi ab omnibus peccatis & censuris. De quo ampliùs suo loco. Jam è diverso insurgit alia delicatior.

SECTIO V.

Quàm graviter peccet, qui Sacramentum ministrat indigno? an aliquo casu licitè.

SUMMARIA.

184. *Per se loquendo mortaliter peccat ministrans Sacramentum.*
185. *Scienter indigno;*
186. *Nisi indignitas illa, vel indispositio esset cognita ex confessione Sacramentali, aut peccator occultus soli Ministro notus publicè petas Sacramentum.*
187. *Nullo unquam casu etiam mortis periculo licet ministrare Sacramentum incapaci.*
188. *Indigno autem capaci probabiliter eo casu licet ministrare Sacramenta conferibilia indigno.*
189. *An in gravissimo metu periculo mortis liceat etiam præbere Eucharistiam ad usum malum v. g. magiam, vel maleficium?*

ASSERTIO V.

PEr se loquendo, peccat mortaliter, qui scienter ministrat Sacramentum indigno: nisi indignitas seu indispositio occulta esset nota ex sola confessione Sacramentali prævia, aut ex negatione publica scandalum vel infamia gravis suscipientis sequeretur. Nullo unquam casu, etiam mortis incusso metu, vel periculo licet scienter ministrare Sacramentum incapaci: tamen, etsi indigno, eo casu, probabiliter licet ministrare Sacramentum Eucharistiæ, & reliqua indigno validè conferibilia: de Matrimonio non est dubium. Explico breviter.

§. I.

Peccat mortaliter, qui Sacramentum ministrat indigno.

RAtio clara est: quia proximè cooperatur ad 184
peccatum grave & sacrilegium indignè suscipientis. Et millies revocanda est Ministro Sacramentorum in mentem doctrina Apostoli *1. Corinth. 4. Hic jam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Loquitur autem expresè de Ministris Christi, & Dispensatoribus mysteriorum Dei. Magnæ autem infidelitatis est margaritas fidei commissas projicere ante porcos, & sancta dare canibus, ait rectissimè Gobat *n. 270.* Lege, quæso, & relege D. Joannis Chrysostomi *Homiliam 83. in Matthæum.* textum descriptum habes in Breviario tuo *infra octavam Corporis Christi feriâ secundâ lect. V.* Nota autem hìc nomine *indigni*, vel *peccatoris*, intelligi illum, qui scitur peccasse mortaliter, & tamen nulla verosimilis præsumptio est, eum esse emendatum per Pœnitentiam, v. g. Confessionem. Et ideo dixi notantissimè:

§. II.

Qui SCIENTER ministrat Sacramentum indigno.

QUando nimirum Ministro certò moraliter 185
constat indignitas & indispositio suscipientis ad tale Sacramentum cum effectu gratiæ sanctificantis recipiendum; nam in dubio quilibet præsumendus est bonus, nec sufficit suspicio levis, quia hæc dubium vix superat. Imò neque sufficit suspicio probabilis, sed requiritur violenta: ita expresè Suarez, eúmque citans Gobat *n. 269.* Nam suspicio probabilis tantùm non gignit certitudinem moralem, sed adhuc relinquit dubium: in dubio autem quisquis est habendus probus. Et locum hìc habet illud cap. fin. de præsumptionibus, *Prima facie præsumitur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur.* At verò suspicio violenta est illa, quæ nequit probabili ratione deponi, ideóq; gignit moralem certitudinem de indignitate. Interim tamen quando suscepturus Sacramentum est suspectus saltem probabiliter de indignitate, debet aliquod examen præmitti: imò etiam quando abest causa suspicandi, præmittenda sunt examina, quæ ex usu universalis & particularis Ecclesiæ solent præmitti, utpote in Baptismo adulti, pro Ordinibus, extrema Unctione, Matrimonio, atque etiam pro Confirmatione, quando privatim aliquis id Sacramentum petit.

Quare notorio & publico peccatori publicè pe- 186
tenti aliquod Sacramentum negari omnino debet; sicut & occulto peccatori petenti occultè. Excipitur ab omnibus ferè: *Nisi indignitas peccatoris occulti cognita esset solà Confessione Sacramentali prævià.* Ex communissima doctrina in materia de sigillo Confessionis, de qua nos *parte 3.* Quemadmodum etiam peccatori occulto (soli fortè Ministro noto) publicè petenti negari non debet Sacramentum Eucharistiæ v. g. *Communis cum D. Thoma, q. 80. a. 6. ad 2.* loquente quidem de sola Eucha-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ristia, sed pro omnibus militat ab eo assignata ratio. Quia scilicet non oportet committere peccatum, ut eâ ratione impediatur alterius peccatum: atqui infamare alterum, ejus occultum, tibi soli vel pauculis notum peccatum prodere, & publicare, est peccatum contra ipsum jus naturale: ergo non est admittendum eo fine, ut impediatur sacrilega usurpatio alicujus Sacramenti. Et ideo initio statim notanter dixi: *per se loquendo peccat mortaliter &c.* Jam verò quæstio proposita longè evadit difficilior, an non ob justam causam excusantem liceat aliquando ministrare Sacramentum indigno? Duas causas excusantes jamjam audivisti; nimirum: si ex negatione Sacramenti sigillum Confessionis sit violandum, aut peccator occultus publicè diffamandus. De Matrimonio non est dubium, quòd validè & licitè Catholicus ducat Hæreticam, aut Hæretico nubat Catholica, adeóque Sacramentum ministret indigno, si adsint justæ causæ, & serventur conditiones requisitæ ad hoc, ut tale Matrimonium sit licitum; de quibus suo loco. His ergo suppositis & sepositis, quoad reliqua dixi, & dico

§. III.

Nullo unquam casu, etiam mortis incussò metu vel periculo, licet ministrare Sacramentum incapaci.

187 UTpote inprimis iteratò conferre Sacramentum initerabile: jam ritè baptizatum rebaptizare, confirmatum, vel ordinatum iteratò confirmare, vel ordinare: item absolvere illum, quem confessarius omnino novit esse indispositum: extremè ungere infantem, aut alium nullâ prorsus infirmitate laborantem; aut formam istorum Sacramentorum super tales seriò proferre. Ratio clara est: quia sic non tantùm nulliter confertur Sacramentum, exercendo actionem Sacramentalem in ijs circumstantiis, in quibus ex institutione Christi gratiam sanctificantem conferre debet, & tamen conferre non potest, juxta dicta *num.* 168. (de qua malitia indispensabili & inexcusabili in omni casu dubitari posset) sed etiam patenter falsificatur forma: falsum enim tunc loquitur Sacerdos dicens: *Ego te baptizo: ego te absolvo: accipe potestatem &c.* Atqui falsum scienter loqui est ita intrinsecè malum, ut nullo unquam casu sit licitum, ut totis ingenii sui viribus demonstrat D. Augustinus *libris de mendacio & contra mendacium.* Adeóque in proposita re tam gravi reverentiam Sacramentorum, ac ipsius Sacramentorum Institutoris concernente, inexcusabiliter manet mendacium maximè pernicioſum & mortale. Jam mitiora.

§. IV.

Capaci autem indigno probabiliter eo casu licet ministrare Sacramenta validè conferibilia indigno.

188 INprimis S. Eucharistiam. *Suarez, Nugnus, Bonacina, eósque sequens Gobat num.* 273. *seq.* Ratio sufficiens est. Quia nullo solido argumento probatur tantus rigor, ut etiam urgente metu vel periculo mortis propriæ non liceat ministrare Eucharistiam indigno, & consequenter etiam *reliqua Sacramenta indigno validè conferibilia*, utpote Sacramentum Confirmationis, Ordinis, extremæ Unctionis: (de Matrimonio non potest esse dubium, ut jam suprà innui) non potest enim ullum solidum fundamentum differentiæ inter Eucharistiam, & illa reliqua Sacramenta adferri quoad præsens punctum: nam in utrisque confertur indigno Sacramentum verum & validum: nec falsificatur forma: nam sicut indignum communicans verè dicit: *Accipe Corpus Christi*, ita sanè indignum ordinans, verè dicit: *accipe potestatem*: idémque est de reliquis. (quo patet jam grandis & palpanda differentia hujus à priori casu, quo confertur Sacramentum incapaci) in utrisque solùm obstat sacrilegium suscipientis, & obex gratiæ Sacramentalis: quod sacrilegium certè Minister cum tanto suo incommodo impedire non obligatur, cùm ergo ipse ex parte sua faciat rem de se licitam imò sanctissimam, quam posset, & deberet alter licitè quóque & sanctè recipere, & solâ, & tantâ suâ malitiâ urget sibi conferri indigno, ministrans à cooperatione ad peccatum & sacrilegium suscipientis meritò excusari, & ob justam adeò urgentem causam tantùm permittere, quod impedire moraliter non potest, censendus erit. Sed excipe per omnem modum: nisi sic urgeretur ministrare Eucharistiam, vel aliud Sacramentum indigno in odium & contemptum Fidei, Religionis ac ipsius Sacramenti: tunc enim omnino potiùs moriendum erit, quàm Sacrum dare canibus, ut in simili mox iterum dicam.

Dubium incidens.

189 ERgóne simili metu & periculo mortis, aut alterius gravissimi mali, licebit Eucharistiam dare petenti ad usum & finem pessimum v.g. Hæretico ad conculcandum, Mago ad magias vel maleficia? Resp. Non licere: sed potiùs mors, aut quodvis aliud malum subeundum erit Parocho v.g. quàm ut positivè tradat Hostiam ad talem finem intentum à petitore sacrilego: tunc enim traditio tenderet directè ad finem sacrilegum: idem est si petatur Hostia sacra (aut Chrysma, sacrum Oleum &c.) profananda in odium & contemptum Fidei & Religionis, utpote ab Hæretico vel Infideli ad conculcandum, vel conspurcandum &c. Etenim certi juris est peccari mortaliter ab eo, qui paret alteri mandanti, vel petenti aliquid in contemptum Religionis, vel Fidei. *Azorius tom.* 1. *l.* 7. *c.* 7. *q.* 1. Idémque est si ipsa traditio cederet immediatè in contemptum Religionis: quia scilicet Religio Catholica sperneretur ex eo, quòd ejus præcipui Professores & Conservatores (Sacerdotes, Parochi &c.) tam parvo loco haberent res ipsis sacratissimas, ut vereantur sanguinem fundere pro non promovenda earum profanatione vel conspurcatione. His autem seclusis, eadem sanè erit ratio in hoc casu, quæ suprà data de ministranda Eucharistia indigno. Certè urgente tanto metu vel periculo, licitè poterit permittere, quantùm poterit solùm permissivè & negativè se habendo: v.g. ad mortem evadendam poterit dicere Parochus tali nefario exactori: *Hostiam non tradam tibi: at si velis eripere è manu, vel pixide hâc, permittam &c.* Similiter si ob ejusmodi malum finem claves ad Tabernaculum vel Templum petantur; dicat: *Non tradam tibi claves ad tuum pessimum intentum: Si velis habere, ibi jacent, vel pendent: non impediam, quia non possum &c.* Quòd si sacrilegus ille nollet esse contentus istâ permissione, sed velit omnino, ut positivè ei ipse tradas: cùm tunc non videatur aliter poscere, nisi in probrum & contemptum Religionis, rursus erit potiùs præbendum caput vel jugulum, quàm Corpus Christi, ut dictum. vide Gobat *num.* 276. 277.

CAPUT IV.

De subjecto seu suscipiente Sacramentorum, *remissivè*

SECTIO UNICA.

Quodnam sit subjectum capax Sacramentorum validè, & licitè suscipiendorum?

SUMMARIA.

190. *Quodnam sit subjectum capax Sacramentorum validè suscipiendorum?*
191. *Ut Sacramenta validè suscipiantur, tria requiruntur.*
192. Ulque ad n. 197. *Quæ requirantur, ut suscipiantur etiam licitè?*

§. I.

Subjectum capax.

190 1. EST *solus homo Viator.* 2. *Est omnis homo Viator respectu Baptismi.* 3. *Est solus homo baptizatus, adultus respectu Pœnitentiæ: Extremæ Unctionis:* & *Matrimonij: at omnis homo baptizatus respectu Confirmationis, Eucharistiæ, & masculus etiam Ordinis.* Certum apud omnes præter ultimum. *Ratio* 1. est Quia Sacramenta à Christo instituta sunt tanquam media sanctificationis, ordinata ad salutem hominis viatoris: ergo eorum solus homo viator est capax. *Ratio* 2. est: quia Baptismus est Sacramentum regenerationis spiritualis omnibus hominibus viatoribus necessarium ad salutem: nam universaliter dixit Salvator Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* ergo omnes debent esse capaces. *Ratio* 3. est: Quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum, per hunc enim homo baptizatus fit domesticus Dei, membrum Ecclesiæ, & capax Sacramentorum Ecclesiæ, ideóque solus homo baptizatus est subjectum capax reliquorum Sacramentorum. *Ratio* 4. est: Quia usus rationis, & voluntas propria suscipientium adultorum essentialiter in ijs tantùm Sacramentis requiritur, quæ essentialiter includunt actum suscipientis, aut peccatum actuale præsupponunt: & talia sunt tantùm Pœnitentia, Extrema Unctio, & Matrimonium. Nam Pœnitentiæ materia proxima sunt actus Pœnitentis: remota peccata post Baptismum commissa: atque etiam Extremæ Unctionis materia remota sunt reliquiæ peccatorum: Matrimonium essentialiter consistit in consensu libero contrahentium: ideóque trium horum Sacramentorum solus homo baptizatus adultus est capax: reliqua autem Sacramenta nec essentialiter includunt actum suscipientis, nec peccatum actuale præsupponunt, nec consequenter usum rationis ac voluntatem propriam suscipientis necessariò requirunt, & ideo eorum omnis omnino homo baptizatus, etiam non adultus, infans, perpetuò amens capax est. Igitur infantibus, perpetuò amentibus, qui nunquam compotes rationis fuerunt, validè ministrantur quatuor Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, & Ordo, dummodò adhibeantur debita materia, forma, ac intentio Ministri: ex parte autem illorum, cùm propriæ intentionis incapaces sint, supplet, & sufficit intentio Ministri & Ecclesiæ. Et insuper: 1. Infantes & amentes illos etiam licitè, imò obligatoriè baptizari, de fide certum est. 2. Etiam licitè non tamen obligatoriè confirmantur, ex praxi recepta Ecclesiæ. 3. Olim etiam SS. Eucharistia ministrabatur: sed ob reverentiam tanti Sacramenti ab Ecclesia meritò prohibitum. 4. Ordinari autem nunquam licuit, sed semper gravissimè prohibitum, de quo *cap. seq.* Reliqua tria Pœnitentiam, Extremam Unctionem, & Matrimonium, nec validè nec licitè ab ijs suscipi, ex modo dictis liquet.

§. II.

Ut ergo validè *suscipiantur Sacramenta,*

TRia omnino requiruntur. 1. Ut homo sit ca- 191
pax talis Sacramenti in particulari. Nam invalidè non baptizatus susciperet aliquod aliud Sacramentum; fœmina Ordines; sanus extremam Unctionem: invalidè quóque professus solenniter, vel Clericus in majoribus, aut alio impedimento dirimente innodatus contraheret Matrimonium. 2. Ut suscipiens ponat essentialia ex parte sua requisita ad conficiendum tale Sacramentum in particulari, sed hoc in duobus tantùm, nimirum in Pœnitentia exhibendo verum dolorem supernaturalem saltem attritionis, & confessionem: in Matrimonio verum consensum internum per verba vel signa æquivalentia expressum: alioquin Sacramentum erit nullum, & suscipiens gravissimè peccaret: de quibus suo loco. 3. Universaliter, ut suscipiens adultus sit aliquo modo positivè volens, seu habeat veram aliquam, saltem habitualem voluntatem, intentionem seu consensum suscipiendi tale Sacramentum: de qua intentione satis utique dixi *suprà n.* 139.

§. III.

Ut licitè *etiam suscipiatur Sacramentum.*

REquiritur, *ut quis ita sit dispositus pro diversa* 192
ratione Sacramentorum, vivorum scilicet, vel mortuorum, ut sit proximè capax effectûs principalis Sacramenti, scilicet Gratiæ sanctificantis: deinde debet etiam observare ea, quæ vel ex natura rei vel ex speciali Ecclesiæ præcepto necessaria sunt ad decentem modum recipiendi Sacramentum. Ita in re omnes. Explico breviter.

1. *Debet esse ita dispositus pro diversa ratione Sa-* 193
cramentorum &c. Nam ad suscipienda Sacramenta *mortuorum*, Baptismi & Pœnitentiæ, quæ per se instituta sunt ad justificationem peccatoris, & gratiam primam conferendam, necessaria & sufficiens dispositio est, cum fide & spe, attritio, seu dolor aliquis supernaturalis de peccatis commissis:

(non

Universidad de Deusto

(non requiritur, necessariò charitas, aut contritio perfecta, vel status gratiæ, alioquin ea Sacramenta deberent semper supponere suum effectum, gratiam sanctificantem.) Et quidem in Sacramento Pœnitentiæ ea attritio necessaria est etiam ad valorem Sacramenti: non item in Baptismo, sed solùm requiritur ad dignè & fructuosè suscipiendum hoc Sacramentum; supposito peccato actuali mortali: quare si baptizandus adultus nullum peccatum mortale admisisset, ne quidem attritio foret necessaria, quippe quæ versatur solùm circa peccatum actuale proprium, non alienum, etsi tibi imputatum: sed sufficeret tunc actus fidei & spei. At verò ad suscipienda reliqua quinque Sacramenta *vivorum* dicta, quæ per se instituta sunt ad conferendam, dispositio necessaria est ipsa gratia prima præhabita, nimirum suscepturus tale Sacramentum jam sit in statu gratiæ, si nondum habitæ, necessariò priùs acquirendæ per Pœnitentiam, aut contritionem perfectam, aut ipsum Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione: ut proinde in susceptione talis Sacramenti vivorum, non adsit obex peccati mortalis. vide *cap. 1. sect. 2.* Et hinc ulteriùs debet ita esse dispositus.

194 II. *Ut sit proximè capax effectûs sacramentalis*, nimirum ipsius Gratiæ sanctificantis. Sacramenta enim per se instituta sunt, ut sint signa efficacia Gratiæ sanctificantis in suscipiente illa, ergo ex se requirunt suscipientem ita esse dispositum juxta modos prædictos, ut sit proximè capax illius gratiæ: alioquin qui illa suscipit sine sufficiente dispositione requisita, aut cum obice peccati mortalis, is signum sacramentale, quod ex institutione deberet efficaciter & infallibiliter significare gratiam, frustrat, & actu falsum reddit novo gravissimo sacrilegij scelere. Unde terret Apostolus 1. *Cor.* 11. de Eucharistia dicens: *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*: id est: non discernens à communi prophano cibo & potu. Quæ verba suo modo applicari etiam debent ad omnia alia Sacramenta. Verè enim ita indignè suscipiens non dijudicat, vel discernit inter Sacramenta sacratissima, & alia elementa prophana & vacua. Intellige autem semper, si id fiat *scienter & culpabiliter*: secùs si ex inadvertentia, ignorantia, vel oblivione inculpabili contingeret: tunc enim etsi suscipiens effectu Sacramenti careret, à peccato tamen novo excusaretur. Excipiendus etiam est casus Metaphysicus, si quis accedens ad Sacramentum, jam haberet tantam gratiam, ut ab ulteriori gratia intendi non posset &c. (Quis est hic? & laudabimus eum.) quo casu Sacramentum susceptum non conferret gratiam suscipienti, id tamen fieret sine ejus peccato, quia sine ejus culpa, ob eminentiam ipsius gratiæ, fieret. Et hinc ulteriùs notanter dictum, debere ita esse dispositum, ut sit proximè capax

195 III. Effectûs *principalis* Sacramenti. Nam dispositus sufficienter ad recipiendum ipsum effectum principalem Sacramenti, scilicet gratiam sanctificantem, per se non peccat, saltem graviter (etsi plerumque venialis irreverentiæ culpa non desit) qui indispositus solùm ponit obicem aliquibus effectibus secundariis, & minùs principalibus Sacramentorum: utpote 1. universaliter: qui suscipit Sacramentum cum culpis venialibus, vel complacentia venialium, quæ quidem non impediunt gratiam sanctificantem, semper tamen impediunt vel ejusdem augmentum, vel alium effectum secundarium, ideóque saltem veniali irreverentiâ peccat. Vix tamen peccare videtur, qui solùm remissiori dispositione & devotione suscipiens, ponit obstaculum gratiæ abundantioris alioquin meliùs disposito conferendæ. 2. Qui distractus & minùs præparatus communicans ponit obstaculum effectui secundario SS. Eucharistiæ, qui est actualis devotio & quasi unio cum Christo. 3. Qui venialibus non retractatis suscipit Baptismum, sicque impedit ejus effectum ordinarium, qui est remissio omnis culpæ, etiam venialis, & pœnæ correspondentis. 4. Qui post susceptum Sacramentum relapsus in mortale ponit obstaculum gratijs actualibus & auxilijs adhuc restantibus alioquin conferendis ratione Sacramenti suscepti. Cæterùm Characterem impedire nemo potest, quin simul tollat ipsam substantiam & valorem Sacramenti initerabilis, quod validè suscipi nequit, quin Characterem imprimat, ac consequenter impediri nequit sine gravissimo sacrilegio, etsi is tantùm sit effectus secundarius.

IV. Denique suscipiens Sacramentum, ut culpâ 196
vacet, debet observare ea: quæ ad decentem modum suscipiendi Sacramentum tale necessaria sunt, sive *ex natura rei*: nam supposità Sacramenti Sanctitate, ipsa ratio naturalis dictat Sacramenta sanctissima esse sanctè & cum debita reverentia suscipienda: secùs faciens peccabit contra reverentiam Sacramenti, graviùs, vel leviùs, pro ratione materiæ, vel ex speciali præcepto Ecclesiæ. v. g. quòd communicaturus sit jejunus jejunio naturali; & si culpæ mortalis conscius, antea confessus sacramentaliter, utiq; sub mortali in re tam gravi reverentiam tanti Sacramenti concernente: Ordinandus priùs sit confirmatus, inferioribus Ordinibus initiatus &c. de quibus nunc ordine *c. seq.* qualiter peccet ministrans Sacramentum indigno per occasionem dixi *supra à n.* 183.

CAPUT V.

De Sacramento Ordinis in genere & in specie.

ANte omnia diligenter nota, tam ipsum nomen genericum *Ordo*, quàm omnia specifica Ordinum; Presbyteratûs, Diaconatûs &c. dupliciter accipi & definiri. Primò velut activè *Ordo* sumitur pro ipsa ordinatione, seu actione & Cæremonia illa sacra, quâ alicui confertur Ordo, seu potestas aliqua spiritualis in Ecclesia circa Eucharistiam. Et hoc modo accipitur Ordo, cùm agitur de Sacramento Ordinis, ejus materiâ, formâ, &c. Et olim jam advertit Scotus *in 4. dist. 24. q. 1.* Ordinem, prout est Sacramentum, potiùs dici debere *Ordinationem*, *quam Ordinem*. Quin in ipso Concilio Tridentino *sess. 23. de Sacramento Ordinis cap. 4. & Can. 3.* expressè vocatur *Ordinatio*.

Secundò

Secundò quasi passivè *Ordo* sumitur pro statu seu gradu potestatis & ministerij sacri in Ecclesia, circa sacrosanctam Eucharistiam. Et hoc modo magis propriè Ordo accipitur, cùm agitur de potestate & officijs singulorum Ordinum: sicque Ordo non est Sacramentum, sed est effectus, & res Sacramenti, seu sacræ Ordinationis. Patet: quia gradus & status sacerdotalis v. g. est res permanens, Sacramentum verò Ordinis est res transiens, sicut Baptismus, Confirmatio &c. Et propriissimè loquendo, ego habeo Ordinem Sacerdotij, Diaconatûs, nimirum statum illum ac gradum potestatis & Ministerij sacri in Ordinatione mihi collatum ante sat multos annos: numquid etiam adhuc habeo Sacramentum Ordinis? Ordo enim generatim propriè significat statum, vel qualitatem hominum. Sic enim, quemadmodùm in Republica Civili varii sunt ordines status, ut ordinis Senatorii, Equestris, Plebei &c. ita in Republica Christiana duo sunt ordines generales hominum: Clericorum, & Laicorum. *c. Duo sunt 12. q. 1.* De statu & tonsura Clericorum consultò agere differo capite sequenti. Nunc sub dicta distinctione semper in mente habendâ ad multas æquivocationes vel cavillationes evitandas, breviter definio, & explico Ordinem in communi, & singulos in specie.

SECTIO I.

Quid sit Ordo? quot? & quot uplices?

SUMMARIUM.

1. *Ordo quid activè,*
2. *quid passivè sumptus?*
3. *Quinam sint Ordinationis effectus?*
5. *Ordines sunt septem, & qui?*
6. *Prima tonsura non est Ordo, sed fundamentum & dispositio ad Ordines.*
7. *Cur Ordines alij dicantur* Majores *& Sacri;*
8. *Et alij* Minores, *& non* Sacri;
9. *Episcopatus est verus Ordo, à Sacerdotio quidem aliquatenus,*
10. *Non tamen simpliciter & adæquatè distinctus,*
11. *Præstantior tamen Presbyteratu; imò*
12. *Est supremus Ordo in Ecclesia Dei,*

§. I. Quid?

1 ORdo (quasi activè sumptus pro ipsa ordinatione) *est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato.* Magister, D. Thomas, Scotus. Clariùs: *Est actio consecratoria, quâ gradus alicujus potestatis ad Altaris ministerium alicui confertur.* Layman. *hic c. 1. n. 1. in fine.* Clarissimè: *Ordo est Sacramentum novæ legis initerabile, quo subjecto capaci cum impressione Characteris, spiritualis potestas confertur ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum, aut circa illud ministrandum.* Omnes quippe Ordines ordinantur ad SS. Eucharistiæ Sacramentum, & Sacrificium vel immediatè ad illud conficiendum & offerendum, ut Sacerdotium, vel mediatè ad illud inserviendum vel ministrandum, ut reliqui Ordines. Nam propter hanc ipsam moralem unitatem finis, omnes Ordines dicuntur unum Sacramentum, ut infrà iterum notabitur. Supponit autem hæc definitio omnes Ordines etiam minores esse Sacramenta in communi Sententia. Nam si teneas (non improbabiliter) minores Ordines, & fortè etiam Subdiaconatum non esse Sacramenta, ut tamen omnes Ordines in definitione comprehendas, debebis dicere cum Layman: *Ordo est actio consecratoria, vel Cæremonia sacra, quâ confertur spiritualis potestas circa Sacramentum Eucharistiæ.* Certò enim omnes Ordines sunt Cæremonia sacra, vel actio consecratoria.

II. Ordo, (velut passivè sumptus pro gradu ministerij sacri) *est potestas spiritualis, cum impressione Characteris collata Ordinato ad Sacramentum Eucharistiæ aut conficiendum, aut circa illud ministrandum.* Hæc nimirum spiritualis potestas residet in Charactere, velut signo vel sigillo authentico: non tamen ipse Character dicitur Ordo, quia non est potestas, sed signum potestatis. Vide de hoc dicta, *cap. 1. n. 70. Ordinatus* ergo generaliter dicitur *Minister Ecclesiæ habens potestatem spiritualem in ordine ad Sacramentum Eucharistiæ, seu Corporis & Sanguinis Christi conficiendum, vel circa illud ministrandum.* Hæc sic obiter insinuâsse Tyroni sufficiat, nam magis patebunt ex dicendis de singulis. 2

III. Effectus Ordinis seu Ordinationis potissimùm sunt quatuor. 1. Est collocatio hominis in certo gradu & statu Ecclesiæ, ut suprà innui. 2. Est spiritualis Potestas, & jus faciendi aliquid in Ecclesia circa Sacramentum Eucharistiæ, ut patebit, quando explicabitur ratio singulorum Ordinum in particulari. 3. Est Character signum illius potestatis. 4. Potissimus est Gratia sanctificans, per se secunda, & per accidens quandoque prima. Vide *cap. 1. n. 22. & 23.* Hos duos effectus intellige respectu illorum Ordinum, qui Sacramenta sunt. Nam per illos Ordines, v. g. minores, qui non essent Sacramenta, imprimi Characterem aut conferri gratiam sanctificantem, nulla est ratio asserendi. Tannerus *tom. 4. disp. 7. q. 2. dub. 5. n. 108.* 3

IV. Ex data definitione Ordinis, notat rectè Layman *cit. cap. 1. n. 2.* quòd ordinatio Clerici non sit mera deputatio personæ ad exercendum Ecclesiasticum officium per potestatem ipsi ab Ecclesia traditam, quę proinde ipsi iterum auferri possit, ut hæretici hujus temporis arbitrantur, qui, cùm legitimis Episcopis destituti sint, ideo per meram extrinsecam deputationem ministros Pseudo-Ecclesiæ suæ creant, qui mox, si fortuna se vertat, iterum Laici, seu aliqui è populo suo fiant: sed est stabilis consecratio, ob quam collata semel potestas iterum amitti, vel auferri nequit; licèt ejus exercitium alicui prohiberi possit per suspensionem vel irregularitatem, sicut expressè docet S. Augustin. *lib. 1. de bono conjugij.* apud eundem Layman. *lib. 5 tr. 1. cap. 3.* Cæterùm, quænam requirantur ad Ordines validè & licitè suscipiendos, quæque dispositio necessaria, latè satis dicetur infrà *Sect. 4. §. 2. præsertim.* 4

§. II. *Quot?*

SEptem tantùm sunt Ordines: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus. Constat ex antiquissimis Concilijs & Patribus apud Bellarminum, & alios passim. Eósque enumerat Cajus Papa Epistolâ ad Felicem, circa annum Christi 284. dicens; 5

Universidad de Deusto
Biblioteca

cens: *Ut quis Episcopus fieri mereatur, fiat Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, demum Episcopus ordinetur.* Eosdem in terminis enumerat Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 2.* & *Can. 2.* definit: *Si quis dixerit: præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines minores & majores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur; anathema sit.* Et eodem cap. 2. rationem congruentiæ assignans, ait: *Cùm divina res sit, tam sancti Sacerdotij ministerium, consentaneum fuit, quòd dignius & majori cum veneratione exerceri possit, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures essent & diversi ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam Clericali tonsurâ insigniti, per minores ad majores ascenderent, &c.* Ratio ergo congruentiæ & sufficientiæ istius septenarij numeri sumitur ex diversis functionibus necessarijs & sufficientibus ad Eucharistiæ Sacramentum & Sacrificium debitâ decentiâ & decore conficiendum & offerendum. Aut enim ipsam Eucharistiam conficit, ac Sacrificium offert, & est *Sacerdos*: aut materiam consecrandam immediatè offert Sacerdoti, sicque ei immediatè ministrat, & est *Diaconus*: aut materiam consecrandam præparat, & Altari offert à Diacono tradendâ Presbytero, sicq; huic mediante Diacono ministrat, & est *Subdiaconus*: aut populum disponit ad dignè assistendum Sacrificio, vel Eucharistiam sumendam: idque vel affectum excitando, & est *Acolythus*; cujus officium est cereos deferre, & ampullas præbere: vel intellectum instruendo, & est *Lector*: qui sacrâ lectione fidelium animos ad debitam huic Mysterio æstimationem & pietatem excitat: aut ad assistendum Sacrificio ineptos, aptos efficit, & est *Exorcista*: aut denique dignos admittit, indignósque repellit, & est *Ostiarius*. Vide D. Thomam *in 4. d. 14. q. 2. art. 1.*

6 Præter hos 7. Ordines Canonistæ super *capitulum cùm contingat. de ætate & qualitate*, numerant etiam primam tonsuram, saltem tanquam Cantoratum, & Episcopatum, adeóque universim novem Ordines. Verùm prima tonsura Ordo non est simpliciter, sed fundamentum Ordinis atque ad Ordines dispositio: cùm per illam nulla prorsus potestas spiritualis alicujus functionis vel ministerij in Ecclesia circa Eucharistiam conferatur, per quam in ascensu alicujus gradûs vel Ordinis aliquis constituatur; sed est tantùm segregatio à statu læculari, & nuda consecratio seu adoptio personæ in Clerum, & inde consequens aptitudo ad beneficium Ecclesiasticum, & ipsos Ordines propriè dictos suscipiendos: adeò, ut tonsuratus se habeat respectu Ordinatorum ferè sicut in Religione Novitius respectu Professorum. Ita Communis DD. Scholasticorum & Moralium; & significat apertè Trid. modò relatum *c. 2.* docens: Ordines ita distributos esse; *ut qui jam Clericali tonsurâ insigniti essent, per minores ad majores ascenderent*: ergo non computat tonsuram inter Ordines, sed pro fundamento supponit. Sed dicunt: primam tonsuram esse deputationem ad canendum in Ecclesia, eíque inserviendum. Verùm quidquid sit de hoc, certum est tonsuratum non habere hoc officium cantandi per stabilem Ordinationem vel consecrationem aliquam, cùm in tonsuratione ejusmodi officium vel potestas nullo sensibili signo vel symbolo vel minimùm indicetur. Sed habet per meram deputationem extrinsecam, quæ proinde iterum auferri potest: ut significat Concilium Carthaginense IV. *c. 10.* apud Layman. *c. 3. n. 1. sub finem, Psalmista potest absque scientia Episcopi sola jussione Presbyteri, officium suscipere cantandi.* Ecce! qualis Ordo est iste? Quoad Episcopatum patebit mox inferiùs.

§. III. *Quotuplices.*

7 QUamvis omnes Ordines sint quid sacrum, deputatúmque ad cultum divinum ac sacratissimum Sacrificium, speciali tamen ratione, alij dicuntur Ordines sacri & majores; alij non sacri & minores seu inferiores. *Ordines sacri & majores sunt*: Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus. *Sacri* dicuntur, tum ab ipso sacrosancto Sacramento & Sacrificio Missæ, ad cujus confectionem immediatiùs & directè accedunt, tum etiam quia per votum Castitatis solemne Deo in perpetuum consecrantur. Cujus voti vigore ita Deo & Ecclesiæ devoventur, ut statum Matrimonij, aliáve officia Laicalia, deposito Clericatu, assumere nunquam possint. *Majores* verò dicuntur, quia in gradu eminentiori in Ecclesia constituunt, eò, quòd habeant majus officium, quam Ordines *Minores* dicti, nempe vel celebrandi Missam, vel immediatè ministrandi & inserviendi celebranti solenniter. Nullus quippe Minoristarum immediatè ministrat celebranti solenniter. Hic notat Gobat. *casu primo n. 12.* quando in Concilijs & Bullis Pontificum statuitur aliquid de constitutis *in sacris*, intelliguntur illi soli, qui sunt initiati aliquo ex tribus majoribus Ordinibus, ut patet vel ex Concilio Basileensi *sess. 21. §. quoscunque.* ubi pronuntiatur: *constitutos in sacris, teneri ad Horas Canonicas.*

8 *Ordines minores & non sacri*, sunt reliqui quatuor, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus, sic dicti: *Minores* quidem, quòd in minori & inferiori gradu Ecclesiæ constituant, ac minora longè officia exerceant, ac remotè satis & quasi indirectè deserviant ad Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi, ut modò *num. 5.* advertisti, & intelliges ampliùs in explicatione singulorum in particulari. *Non sacri* autem dicuntur, tum ob eandem rationem, tum maximè, quia minoribus ordinatus voto solemni Castitatis Deo & Ecclesiæ non consecratur, sed ad statum Matrimonij ac Laicalem transire potest. Et licèt Ordinem susceptum nunquam amittat, tamen ducendo uxorem viduam, factus irregularis ex bigamia interpretativa, omne officium & privilegium Clericale deponere, ac velut Laicus fieri censetur, ut bene notat Layman *c. 3. num. 2.* Supremus denique Ordo Presbyteratûs seu Sacerdotium duplex est, seu ut loquitur Anacletus Papa post Petrum IV. *Epistola 3. c. 1. Sacerdotum Ordo bipartitus est.* Nimirum Sacerdotium minus, quod constituit Presbyteratum

teratum simplicem, & Sacerdotium majus, quod constituit Episcopatum. Et hinc Episcopatus communiter non numeratur Ordo octavus, sed in septenario numero sub Presbyteratu sic bipartito comprehenditur. Sed clarioris doctrinæ gratiâ de hoc sit

§. IV.
Quid de Episcopatu.

9 EPiscopatus est verus Ordo à Christo institutus, à Sacerdotio simplici aliqualiter distinctus. Ita communis & latis certa Sententia DD. Nam antiquissimi Papæ, Anacletus modò suprà citatus, Damasus, Gelasius, alij Episcopatum vocant Ordinem, & à simplici Sacerdotio distinguunt. Et ipsum Concilium Tridentinum sæpe *cit. sess. 23. cap. 3.* definiens Ordinem esse Sacramentum, probat id solùm ex *Epistola 1. ad Timoth. c. 4.* & ex *secunda ad eundem cap. 1.* ubi tamen non fit mentio Ordinationis, nisi illius, per quam Timotheus fuit consecratus Episcopus, adeóque Episcopatum inter Ordines censet. Ratio est: quia Episcopatus est gradus eminens in Ecclesia Dei, & continet potestatem conficiendi Sacramenta Confirmationis, & Ordinationis, quorum alij Sacerdotes simplices non sunt Ministri ordinarij, etiam validè conficiendorum. De quo plura inferiùs.

Sed ais: per omnem Ordinem confertur potestas in Corpus Christi verum: & Ordines distinguuntur per diversas potestates & ministeria in ordine ad Sacramentum, & Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi: sed per Episcopatum non confertur specialis potestas in Corpus Christi verum: neque enim Episcopus ullam habet potestatem in Corpus & Sanguinem Christi, quam non habet Presbyter quicunque: ergo Episcopatus propriè distinctus à Sacerdotio non est. Resp. inprimis negando minorem: quid ni? nam Episcopatus mediatè saltem dicit potestatem in Corpus Christi verum, quatenus constituit legitimos Eucharistiæ Ministros, Sacerdotes. Nunquid Diaconatus est Ordo, quia continet potestatem serviendi Sacerdoti? Et Episcopatus non erit Ordo, cùm tamen contineat potestatem ordinandi Sacerdotem? Deinde solùm probas quod sequitur.

10 II. Episcopatus non est Ordo simpliciter & adæquatè distinctus à Sacerdotio: tum ob rationem dictam, quia non continet potestatem specialem circa Eucharistiam, quam non habeat Sacerdos: tum maximè, quia Ordo simpliciter distinctus ab alio Ordine, potest conferri independenter ab alio, saltem validè: sed Episcopatus non potest etiam validè conferri non Sacerdoti secundùm omnes. Est igitur Episcopatus Ordo inadæquatè distinctus tantùm à Sacerdotio, tanquam totum à sua parte, quippe essentialiter includens ipsum Sacerdotium, & super addens potestatem specialem eminentiorem ad exercendas actiones sacramentales, quas simplex Sacerdos exercere non potest: nimirum conferendi Sacramenta Confirmationis, & Ordinis. Adeò, ut Episcopatus adæquatè sumptus includat duos Ordines quasi partiales, scilicet Ordinem Sacerdotij, & Ordinem partialem proprium Episcopatûs: & hic Ordo proprius Episcopatûs essentialiter præsupponit Ordinem Sacerdotij. Quemadmodùm ipse Ordo Presbyteratûs includit duas potestates partiales in Corpus Christi verum, & in Corpus Christi mysticum: & hæc potestas in corpus Christi mysticum, seu absolvendi fideles à peccatis essentialiter præsupponit potestatem in Corpus Christi verum, seu consecrandi Corpus & Sanguinẽ Christi. Idq; sapienter & congruè Christus ita ordinavit, ne in Hierarchia Ecclesiæ Sacerdotibus jam habentibus potestatem in Corpus Christi verum, ob suam tantam dignitatem aliquis emineret, nisi etiam sit Sacerdos.

III. Ordo Episcopatûs est jure divino superior 12 & præstantior Ordine Presbyteratûs. Certum apud omnes Catholicos ex Concilio Trident. toties citatâ *sess 23. Can. 6. & 7.* Ratio clara est ex dictis. Quia jure divino Episcopus potest consecrare Sacerdotes atque ipsos Episcopos, potéstque insignire Sacramento Confirmationis, quod non potest simplex Sacerdos. Vide infrà 3 N. IV. Advertit autem sapienter Laym. *c. 3. n. 6.* Episcopatum hic non esse accipiendum in sensu diviso & incompleto, solùm secundùm potestatem ordinandi, & confirmandi, quæ Sacerdotio in Episcopatu superadditur. Hæc enim potestas præcisè sumpta longè minor est, quàm potestas consecrandi Corpus & Sanguinem Christi: quippe, quâ major & excellentior potestas nulla homini conferri potest. Sed debet accipi Episcopatus in sensu composito & completo, quatenus necessariò supponit & intrinsecè includit simul Presbyteratum acceptum, seu potestatem conficiendi Corpus & Sanguinem Christi, & superaddit illam aliam potestatem confirmandi, & ordinandi. Est igitur Episcopatus secundùm divinam ordinationem major & perfectior Presbyteratu, sicut totum continens majus & perfectius est suâ parte.

IV. Episcopatus ità completè sumptus, est su- 13 premus Ordo in Ecclesia Dei, ut nullus sit eo Ordo superior. Nam primò *Papatus*, seu Pontificatus summus, etsi à Christo institutus Matth. 16. & Joan. 21. non tamen est Ordo, sed dignitas cum summa & universali jurisdictione in totam Ecclesiam fidelium Christi, quæ positâ electione legitimâ confertur à Christo personæ electæ, sine aliò Sacramentali ritu, seu materiæ & formæ alicujus applicatione. Est ergo Papa quoad Ordinem merè Episcopus, uti & seipsum appellat in litteris, & Episcopus reliquos *venerabiles suos Fratres* vocat. Secundò Archiepiscopatus, Patriarchatus, Primatus similiter Ordine & jure divino nihil differunt ab Episcopatu, sed solùm dicunt dignitatem, & eminentiam cum aliqua jurisdictione super Episcopos solùm jure Ecclesiastico constitutam. Cardinalatus denique nec Ordo est, nec per modum Ordinis constituitur, sed est dignitas Ecclesiastica, cum jure eligendi Pontificem summum, eíque in negotijs Ecclesiasticis assistendi, ipsorum Pontificum authoritate constituta. Quæ, si avidus es, latiùs videre potes apud Barbosam, & alios de hac materia scribentes.

13 *Corollarium.* Quòd si ergo in septenario numero Ordinum *suprà num. 5.* assignato, nomine Presbyteratûs vel Sacerdotii comprehendas utrumq; Sacerdotium, majus & minus, adeóq; etiam Episcopatum tanquam Sacerdotium majus; jam vides constare sibi illum septenarium numerum, nec esse plures, quàm septem Ordines. Si verò nomine Sacerdotii intelligatur solùm simplex Sacerdotium, junctо Episcopatu reverâ erunt 8. Ordines; etsi hic non soleat separatim numerari, eò quòd non sit ita distinctus à cæteris, sicut cæteri inter se, cùm essentialiter includat Sacerdotium, ut dictum est. Et certè non numerandum ut distinctum Ordinem, censent communiùs Theologi cum Vasquez *disp.* 240. *c.* 4. Numerandum autem censent Canonistæ plerique, nec pauci Theologi cum Valentia *to.* 4. *disp.* 9. *q.* 1. *pun.* 2. Quibus favet Anacletus Papa suprà relatus: *Sacerdotum Ordo bipartitus est.* Sed videntur posse conciliari eâdem distinctione suprà positâ *n.* 11. ex Layman, si Episcopatus accipiatur completè, prout includit in se Ordinem Presbyteratûs, utique distinctus ab eo Ordo censeri & numerari non potest. Sin verò accipiatur incompletè secundùm potestatem ordinandi, & confirmandi, quam Ordini Presbyteratûs superaddit, negari non potest, quin sint distincti Ordines: quia diversi sunt gradus potestatis, inter quos ab uno ad alterum ascenditur, ut docet Cajus Papa, Epistolâ ad Felicem Episcopum.

SECTICO. II.

Sitne Ordo Sacramentum; quando & quomodo à Christo institutum & quinam in specie?

SUMMARIUM.

15. *Ordo est Sacramentum.*
16. *Institutum* {*à Christo in ultima Cœna, explicitè quidem quoad Sacerdotium,*
17. *Et implicitè saltem quoad alios Ordines.*
18. *Eorúmque materias & formas.* {*etiam*
20. *Probabilissimè omnes Ordines sunt Sacramenta, sicut*
25. *Ordinatio Episcopi est verè & propriè Sacramentum,*
27. *Etiam ut distincta ab ordinatione Prsbyteri.*
28. *Qualiter septem Ordines dicantur unum, & plura Sacramenta?*

ASSERTIO.

14 ORdo est Sacramentum à Christo Domino institutum in ultima Cœna: explicitè quidem quoad Sacerdotium & implicitè quoad alios Ordines, sicut & eorum materias & formas: atque probabilissimè omnes, tam minores, quàm majores Ordines, Sacramenta sunt: quanquam id valde incertum de minoribus, nec valde certum de Subdiaconatu: at quasi certum & propè fidem de Diaconatu. Certissimum de Fide de Presbyteratu, & consequenter etiam Episcopatu complete sumpto. Est tota partim de Fide, partim communis DD. Sententia; ut patebit explicatione solitâ per §§.

§. I.

Ordo est Sacramentum.

15 ESse nimirum Ordinem, seu sacram Ordinationem, quâ potestas illa spiritualis confertur, verum & propriè dictum Sacramentum, de Fide certum est apud omnes Catholicos: Ex verbis Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut mox patebit: definitum à Concilio Tridentino: imprimis *sess.* 23. *Can.* 3. definit: *Si quis dixerit Ordinem sive sacram Ordinationem, non esse verum & propriè dictum Sacramentum à Christo Domino institutum &c. anathema sit.* Idémque docet *ibidem c.* 3. dicens: *Cùm Scripturæ testimonio, Apostolicâ traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse verè propriè unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis.* Ratio est ergo. Quia ubi est externum symbolum à Christo institutum, cum annexa promissione gratiæ, ibi est verum Sacramentum: atqui hîc habemus externum symbolum & cæremoniam, videlicet manus impositionem &c. cum promissione gratiæ teste Apostolo 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.* Et 2. ad Tim. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* Sic Apostolus: eò ipso significans illam cæremoniam esse divinitùs institutam; neque enim tam certò affirmâsset per eam conferri gratiam, nisi de ea Christi institutione ac promissione cognovisset. Quare hæc ipsa cæremonia impositionis manûs semper usurpata fuit in Ordinatione Diaconorum, & Sacerdotum, sicut videre est. *Act.* 6. 1. *ad Tim.* 4. 2. *ad Tim.* 1. Accedit perpetua traditio Ecclesiæ; Authoritates SS. PP. latè citatas videre potes apud Bellarminum *c.* 3. ac etiam Layman *cit. cap.* 2. *n.* 2. Nam exscribere etsi tibi utile, mihi tamen nimis operosum esset.

§. II.

Institutum à Christo in ultima Cœna.

16 I. EXplicitè quidem quoad Sacerdotium. Ita clarè docet Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. dicens: *Dominus Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulit, ac sub eorum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorúmque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit per hac verba:* HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM, *uti semper Catholica Ecclesia intellexit, ac docuit.* Hæc Concilium. Tunc ergo Christus explicitè instituit Sacerdotium. Et quia Christus Dominus Sacramentum, & Sacrificium Corporis & Sanguinis sui volebat esse perpetuum, utique Apostolis, eorúmque Successoribus simul contulit potestatem ordinandi alios Sacerdotes & Ministros Ecclesiæ, ut per se clàm est.

17 II. *Et implicitè saltem quoad alios Ordines*, Nam Christus in ultima Cœna unà cum Sacerdotio, tanquam principali Apostolis simul contulit reliquos Ordines, tanquam quid secundarium ordinatum ad actum principalem Sacerdotii scilicet consecrationem & oblationē Corporis & Sanguinis Christi. Ratio est: quia sine dubio Christus instituit Sacramentum & Sacrificium Corporis & Sanguinis sui fieri cum debita reverentia, & solemnitate: & ideo quibus dedit potestatem consecrandi & offerendi Corpus & Sanguinem suum, tanquam principalem; eisdem etiam contulit potestatem ad idem Sacramentum & Sacrificium debitè conficiendum & offerendum, debitè ministrandi ac inserviendi, quod est officium aliorum Ordinum: atque adeò tunc implicitè saltem etiam reliquos Ordines instituit, ob eandem rationem; eisdem, eorúmque Successoribus conferens potestatem ordinandi similiter alios ministros secundarios, relictâ ipsis fortè potestate gradus illorum ministrorum congruè distribuendi: nam ipsum Christum per se illos gradus Ordinum ita distribuisse, nobis ex nullo capite constat. Et hinc ulteriùs

18 III. *Sicut eorum materias & formas.* Nam sicut Christus Dominus tunc per potestatem Excellentiæ, Apostolis conferens Ordines solo verbo suo, non adhibuit certam aliquam materiam & formam, qualis nunc adhibetur; sic nec ipse instituit, & determinavit in particulari materias & formas sacrorum Ordinum, quales nunc adhibentur, explicitè, sed tantùm implicitè, dans scilicet Apostolis, eorúmque Successoribus, adeóque Ecclesiæ suæ potestatem, aliquo demum sensibili signo conferendi alijs potestatem consecrandi & offerendi Corpus & Sanguinem suum, atque ad illud debitè inserviendi. Signa autem illa sensibilia in particulari distinctè significantia singulorum potestatem Ordinum determinanda Apostolis ac Ecclesiæ reliquit. Ita Bellarminus *de Ordine c.* 9. sic loquens: *Credibile est, Dominum instituisse omnes istas materias Ordinum, non quidem in particulari, sed generatim, monendo Apostolos, ut Ordines conferant per cæremoniam instrumentalē, quibus significaretur eorum potestas &c.* Ita Coninck cum Layman *c.* 5. *n.* 6. *in fine.* Comitolus cum Gobat *casu* 3. *n.* 51. Et omnino videndus Diana *p.* 10. *tract.* 11. *resol.* 65. plurium authoritate muniens hanc doctrinam contra nonnullos. Et nos iterum ex professo in *parte* 2. *hujus Theol. Sacrament. cùm de Sacerdotio.*

19 IV. Neque inde inferendum est, quòd Apostoli vel Ecclesia possit instituere Sacramentum, aut non omnia Sacramenta esse immediatè instituta à Christo Domino. Non enim Sacramentum instituit Ecclesia, sed in Sacramento jam à Christo instituto, & aliquo signo vel symbolo sensibili conferendo (quod in primitiva Ecclesia maximè fuerat impositio manuum) ad distinctè significandum ejus effectum & potestatem collatam, potestate sibi à Christo relictâ, certa signa sensibilia materiæ & formæ determinavit: ut in Sacerdotio patenam cum hostia, & calicem cum vino: in Diaconatu traditionem libri Evangeliorum &c. quæ sine dubio à Christo in specie non erant instituta, & fortè in primitiva Ecclesia non usurpata, ut latiùs patebit, cùm de Sacerdotio. *Quare* (ait rectè Layman *cit. cap.* 5. *n.* 2. *in fine* loquens de Diaconatu) *nihil refert, quòd in primitiva Eccl. Ordinandis Diaconis non fuerit exhibitus liber Evangeliorū, aut Missale, uti nunc*

solet, potuit enim præter manuum impositionem, alia materia exhiberi, per quam & Altaris ministerium; & alia annexa officia Diaconi significarentur. Sic Layman. Eadem est ratio in alijs Ordinibus.

§. III.

Probabilissimè omnes Ordines sunt Sacramenta.

20 I. *Probabile utique, sed valde incertum de Minoribus.* Probabilitas extrinseca magna est, ex authoritate gravissimorum Doctorum ita docentium: D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus, Richardus, Paludanus, alij cum Valentia *suprà cit. punct.* 4. Layman *c.* 4. *n.* 5. quidni adhæreamus & nos. Probabilitas intrinseca non spernenda sumitur ex Concilijs. Nam Concilium Florentinum *in instructione Armenorum*: cùm omnium Ordinum, etiam Minorum materiam & formam assignâsset, deinde absolutè pronuntiat, Ordinem esse Sacramentum, nullam faciens inter Ordines distinctionem: ergo sentit omnes esse Sacramentum. Similiter Concilium Tridentinum *sess.* 23 *c.* 2. omnes illos etiam Minores Ordines enumerans, postea *cap.* 3. absolutè & indistinctè affirmat, Ordinem esse Sacramentum: similitérque *can.* 3. absolutè & indistinctè definit: *Si quis dixerit Ordinem seu sacram Ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum, &c. anathema sit.* Cùm ergo Concilium sub eodem termino loquatur de Ordinibus Majoribus, & Minoribus, sensum communem Ecclesiæ inferre possumus, etiam voluisse significare minores Ordines esse Sacramenta. Accedit, quòd etiam illi conferantur cum traditione certæ materiæ & formæ; cum magna cautela non iterentur; nec fœminæ conferantur ab Ecclesia, sicut alij Ordines majores. Verùm cùm hæc non admodùm urgeant, res manet incerta, & opposita sententia negans, ac solùm Sacramentalia ab Ecclesia instituta agnoscens, satis probabilis, quam absolutè tenet Navarrus *Man. c.* 22. *n.* 18. aliisque citatis latè probat Vasquez 3 *p. disp.* 237. *c.* 2. & probabilissimam vocat Sanchez *l.* 10. *de Matr. disp.* 31. *n.* 17.

21 II. *Magis probabile, at non valde certum de Subdiaconatu.* Sacramentum esse Subdiaconatum docent DD. communiter, & longè plures præter nominatos. Ratio eadem, quæ suprà à fortiori, ut ex se patet. Et specialiùs movet, quòd Concilium Tridentinum *cit. can.* 3. definiens Ordinem seu sacram Ordinationem esse Sacramentum, saltem videatur comprehendere Ordines Majores & sacros: Subdiaconatus autem numeratur inter Ordines sacros, & voto continentiæ, ac Horarum obligatione adstrictus est: ergo &c. Verùm quia & hoc non valde urget, manet res non valde certa. & non improbabilis opposita Sententia negans, nimirum tam Subdiaconatum, quàm Ordines Minores esse Sacramenta, sed esse solùm Sacramentalia quædam ab Ecclesia instituta pro majori decore sacrosancti Ministerij Altaris. Magister, Durandus, Cajetanus, alij apud Vasquez *citatum disp.* 238. Tu Tyro, mane mecum in communi Sententia, & ubique audiêris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

III. *Quasi certum & propè fidem de Diaconatu.*
22 Sacrum Diaconatûs Ordinem esse verè & propriè Sacramentum à Christo institutum, (contra solos Durandum & Cajetanum) docent unanimiter omnes Theologi antiqui & recentiores, ut id meritò pro certo habere velit Castro-Palaus apud Gobat *num* 84. Et Vasquez *disp.* 238. scribat, non videri posse negari absque errore in fide; eò quòd Concilium Tridentinum *sess.* 23. *Can.* 6. definiat esse in Ecclesia Hierarchiam constantem ex Episcopis, Presbyteris, & *Ministris*: ubi certè saltem Diaconi designantur nomine *Ministrorum*: ergo saltem hi sunt pars constitutiva hujus Hierarchiæ, seu statûs & Ordinis Ecclesiastici. Idémque Concilium *ibidem can.* 3. definiens *sacram Ordinationem* esse Sacramentum, ad minimum Diaconatum debeat comprehendere. 2. Septem primi Diaconi *Act.* 6. ab Apostolis ordinati sunt per manûs impositionem, per quam secundùm Scripturam & SS. PP. confertur gratia sanctificans, seu Spiritus S. *suprà cit.* 2. *Timoth.* 1. *admoneo te, ut resuscites gratiam DEI, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* D. Ambrosius *l. de dignitate Sacerdotali c.* 5. *Homo imponit manus, DEUS largitur gratiam.* Atque de facto in Ordinatione Diaconi Episcopus ei imponit manus dicens: accipe Spiritum S, id est, gratiam Spiritûs S. Ubi autem est signum sensibile, materia & forma cum promissione & effectu gratiæ, ibi est Sacramentum: ergo &c. 3. Quia Diaconus ordinatur ad ministeria valde sacra, ad quæ ritè obeunda speciali gratiâ indiget. Nam quamvis illi primi septem Diaconi expressè solùm legantur in Scriptura constituti ad ministrandum mensis, non tamen id solum vel præcipuum erat illorum officium. Nam Diaconi antiquitùs etiam distribuebant Eucharistiam, uti testatur Justinus Martyr. *Apolog.* 2. & patet de S. Laurentio: legebant Evangelium: ut de S. Stephano primo Diacono testatur S. Augustinus: *Diaconus erat, Evangelia legebat*: imò & verbum DEI prædicabant, ut de eodem S. Stephano, & Philippo testantur Acta Apostolorum: & plura ejusmodi sacra Officia Diaconis attributa à Concilijs & SS. Patribus apud Laym. *c.* 4. *n.* 4. & alios Doctores passim. Ad ejusmodi autem actus utique requiritur specialis gratia, ut dignè peragantur: ergo &c.

IV. *Certissimum de fide de Presbyteratu.* Presbyteratum seu Sacerdotium esse verum Sacramentum, de fide tam certum est, quàm certum est absolutè Ordinem esse Sacramentum, quandoquidem constat nulli Ordini magis ac certiùs convenire hanc dignitatem: de quo enim alio Ordine potiùs id credendum sit, quàm de excellentissimo Ordine Presbyteratûs ob actus suos præstantissimos & planè divinos consecrandi & offerendi Sacramentum, & Sacrificium Corporis ac Sanguinis Christi, absolvendi à peccatis, aliáque Sacramenta ministrandi? ad quos actus dignè exercendos utique specialis & magna requiritur gratia. Unde in Concilio Tridentino *sess.* 23. *Can.* 4. definitur: per Ordinationem Presbyteris dari Spiritum S. imprimíque Characterem.
23

§. IV.

Quid jam iterum de Episcopatu?

CLarum est Episcopatum completè sumptum, 24
prout simul includit utramque Ordinationem Presbyteri & Episcopi, esse Sacramentum. Sed adverte, per Episcopatum sic completè sumptum potiùs intelligi duos gradus Ordinis Presbyteralis & Episcopalis simul conjunctos, quàm utriusque Ordinationis, quæ sunt distinctæ & disparatæ, & simul conjungi non solent, etsi una alteram necessariò præsupponat, ut *num.* 9. dictum. Quæstio ergo est de hac speciali distincta Ordinatione Episcopi. 1. An sit Sacramentum? 2. An sit Sacramentum distinctum ab Ordinatione Presbyteri? Dico ergo ad primum quæsitum

I. *Ordinatio Episcopi est verè & propriè Sacra-* 25
mentum. Ita contra S. Bonaventuram, Richardum, Sotum, Covarruviam, alios quosdam omnino communis DD. quos congerit, & sequitur Layman *cit. c.* 4. *n.* 3. alij Recentiores passim. Ratio est: 1. Quia ipsum Concilium Tridentinum *sess.* 23. *c.* 3. & Doctores omnes probant sacram Ordinationem esse Sacramentum ex testimonio Apostoli, 1. *Timoth.* 4. & 2. *Timoth.* 1. descripto suprà *num.* 299. quibus locis solùm est sermo de Episcopatu: nam Timotheus à Paulo ordinatus erat Episcopus, concurrentibus etiam alijs Episcopis, quem concursum Apostolus vocat *impositionem manuum Presbyterij*, uti notavit D. Chrysostomus in eundem locum *hom.* 12. dicens: *Non de Presbyteris hoc in loco, sed de Episcopis loquitur, neque enim profectò Presbyteri ipsum ordinabant.* 2. Quia Episcopus ordinatur per signa sensibilia, materiam & formam, scilicet impositionem manuum trium Episcoporum, & verba illa energetica ab omnibus simul prolata. *Accipe Spiritum sanctum*: quâ ceremoniâ apertè significatur conferri gratiam sanctificantem, juxta nuper dicta de Diacono *num.* 22. 3. Quia per hunc Ordinem homo destinatur ad ministeria valde ardua, videlicet confirmandi fideles, & ordinandi Clericos: ergo credere oportet gratiam ei annexam esse ad talia munia ritè & dignè obeunda.

II. Quoad secundum quæsitum, ita scribit Lay 26
man eodem c. & n. 3. §. Notandum verò. *Licèt Ordinatio illa Episcopi, qui ante necessariò Presbyter esse debet, sacramentalis sit, non tamen est Sacramentum distinctum à Presbyteratu, sed Ordinationem Presbyteri in esse Sacramenti habitudine morali magis perficit, & consummat, eò quòd neque distinctum Characterem animo imprimat, sed Characterem sacerdotalem intrinsecè augeat & perficiat, ut Ordinatus jam non tantùm SS. Eucharistiam conficere, sed etiam ad conficiendum alios ordinare possit.* Sic Layman, sic Authores ab ipso citati. Nescio, *Tyro*, an satis bene capias. Certè neque mihi per omnia bene animo sedet hæc doctrina; loquamur paulò clariùs.

III. Probabilissimum est Ordinationem Epi- 27
scopi specialem, ut distinctam ab Ordinatione Presbyteri esse Sacramentum. Ita (contra plures graves Doctores) plerique Recentiores, teste Gobat,

bat, *num.* 86. verosimillimum judicant, *propter necessitatem divinæ gratiæ, quâ speciali eget Episcopus ad sua munia ritè peragenda.* Etenim hoc ipsum directè probant rationes allatæ *suprà n.* 25. præsertim secunda & tertia, ut consideranti patebit. Quemadmodùm ergo *suprà num.* 9 dictum, Episcopatus adæquatè sumptus duos dicit Ordines partiales, ita quóque duo dicit Sacramenta partialia, eo modo, quo in Ordinatione Presbyteri collatio potestatis in Corpus Christi verum, per traditionem calicis &c. & collatio potestatis in Corpus Christi mysticum, per ultimam impositionem manuum, possunt dici duo Sacramenta partialia, sive deinde imprimant duos Characteres partiales, quod verius, sive Character in priori traditione collatus, postea solùm extendatur, ut alijs placet, de quo alibi suo loco. Eâdem ratione discurrendum de Presbyteratu, & Episcopatu. Simplex ergo Sacerdos habet potestatem in Corpus Christi verum, & consequenter in Corpus mysticum quoad aliqua Sacramenta: cui Episcopalis Ordo solùm superaddit potestatem completam quoad reliqua Sacramenta, scilicet Confirmationem & Ordinem. Jam restat expedienda vulgaris dubitatio,
28 IV. *Ergóne septem Ordines, singuli Sacramenta, erunt septem Sacramenta*, an unum tantùm? R. Omnino sunt septem Sacramenta realiter & specie infimâ distincta: cùm omnia conveniant in ratione generica Sacramenti Ordinis, *nimirum esse Sacramentum, vel cæremoniam sacram, quâ Ordinato spiritualis potestas confertur circa Sacramentum, & Sacrificium Eucharistiæ*; & differant per particulares differentias, ut ex eorum definitionibus mox assignandis constabit, sùntque separabiles ab invicem. Sunt tamen simul, & communiter absolutè dici debent unum Sacramentum inter septem Sacramenta, tum ob prædictam unitatem specificam subalternam, tum ob unitatem moralem finis, quia omnes Ordines ordinantur ad unum finem principalem scilicet Eucharistiam, seu consecrationem & oblationem Corporis & Sanguinis Christi, velut actum totius Sacramenti Ordinis principalem & nobilissimum. Quare, si ex dictis inferatur. Si septem Ordines sint septem Sacramenta; ergo universim sunt plura Sacramenta, quàm septem, nempe tredecim: imò numerato etiam Episcopatu, quatuordecim. Aut simpliciter nega consequentiam, ob rationem dictam: quia scilicet omnes septem Ordines censentur unum Sacramentum ob unitatem prædictam finis: aut doctiùs (ut aliquid philosophatus esse videri possis) distingue consequens. Sunt plura Sacramenta, quàm septem, quoad speciem infimam; concede consequentiam, & nega absurditatem. Sunt plura &c. quoad speciem subalternam: nega consequentiam. Quia omnes Ordines constituunt unam speciem subalternam Sacramenti in genere, & in ordinaria Sacramentorum divisione & numero censetur Ordo unicum membrum & species subalterna, etsi varias contineat sub se species infimas, sic tamen inter se ordinatas, ut omnes reliqui Ordines referantur ad Sacerdotium velut complementum & principale attributionis & omnes omnino Ordines ad SS. Eucharistiam velut finem principalem: adeóque & per attributionem, & per unitatem finis, moraliter verè constituant unum Sacramentum.

SECTIO III.

De Materia, & Forma Sacramenti Ordinis generatim, Ejusdémque Ministro.

SUMMARIUM.

29. *Materia Ordinis alia remota, alia proxima.*
30. *Forma sunt verba ab Episcopo prolata.*
31. *Traditio materiæ, & prolatio formæ fieri debent ab eodem Episcopo.*
32. *Non tamen necessariò singulis ordinandis seorsim.*
34. *Qualis requiratur contactus materiæ?*
35. *Probabilissimè ad valorem & essentiam nullus requiritur contactus;*
36. *De præcepto tamen necessarius est contactus physicus, præsertim in Presbyteratu.*
37. *Qui debet fieri simul tempore, saltem moraliter, cum prolatione formæ.*
38. *An contactus ille debeat esse immediatus?*
39. *Minister Ordinis validè conferendi est omnis Episcopus consecratus.*
40. *Usque solos: non item non consecratus;*
41. *Saltem respectu Sacerdotij validè conferendi;*
42. *Nam Ordines Minores, & primam Tonsuram conferre etiam possunt presbyteri Cardinales, & quidam Abbates;*
43. *Probabilius tamen suis tantùm.*
44. *Etiam Diaconatum & Subdiaconatum ex commissione Papæ conferre potest simplex Sacerdos.*
46. *Minister autem Ordinis licitè conferendi.*
47. *Est solus Episcopus* proprius *ipsius ordinandi.*
49. *Qui potest esse* proprius *ejus ratione vel originis, vel domicilij, vel beneficij.*
50. *Quinam dicatur* proprius *ratione originis?* Usque ad num 53.
53. *Quinam sit* proprius *ratione domicilij?* Usque ad n. 56. &
56. *Quis sit Episcopus* proprius *ratione beneficij?*

§. I.

Quæ est materia & forma Sacramenti Ordinis generatim loquendo?

MAteria cujuscunque Ordinis est illa res, *per* 29
cujus traditionem confertur Ordo. Expressè Concil. Florent. *in decreto unionis*. Duplex ergo est materia cujusque Ordinis: *proxima & remota*. Materia *remota* est instrumentum illud, seu res aliqua palpabilis, quæ ab Episcopo ordinante traditur ordinando. Materia *proxima* est ipsa traditio materiæ remotæ, uti docent passim Theologi, & Canonistæ. Utramque materiam complectendo dic: Materia Sacramenti cujusque Ordinis est traditio instrumenti, seu rei alicujus ab Episcopo facta ordinato ad signandam potestatem ac Officium particulare Ordinis suscepti: ut in Presbyteratu est traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia: in Diaconatu est traditio libri Evangeliorum &c. prout specificabitur in singulis *Sect.* 5.

II. Forma Sacramenti cujusque Ordinis sunt 30
verba ab Episcopo, vel ordinante prolata imperativo modo, cum expressione potestatis per talem ordinationem conferendæ: *quibus* nimirum *verbis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis utitur Episcopus tradens materiam remotam, ad significandum Ministerium, ad quod assumitur ordinandus. Concil. Florent. *supra allegatum.* Ut in Presbyteratu: *accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missásque celebrandi, tam pro vivis, quam defunctis in nomine Domini.* Est de fide, ex perpetua Ecclesiæ traditione, teste *Bonacina*, Proferuntur autem verba Ordinationis *imperativo modo*, quia ordinatio est collativa potestatis, quâ ordinatus obligatur uti in bonum Ecclesiæ; ordinatus enim fit Minister Christi in sua Ecclesia. Hinc Apostolus. 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

31 III. Traditio materiæ, & prolatio formæ utiq; debet fieri ab ipso eodem Episcopo, alioquin Sacramentum erit nullum, si aut Episcopus traderet materiam & alius pronuntiaret formam; cùm prolatio formæ sit Ministri Ordinis, qui est ipse Episcopus, vel ordinans, idque in omni Ordine; aut Episcopus quidem pronuntiaret formam, sed alius traderet materiam, saltem in Ordinibus Majoribus, juxta *c. Subdiaconus d.* 23. Nam in Ordinibus Minoribus, Episcopo proferente formam, ab alio, nempe Archidiacono olim tradebatur materia ordinando, juxta *caput Acolythus dist. eâdem* (prout notavit D. Thomas *p.* 3. *q.* 38. *a.* 2. *ad* 2.) Cæterùm ex generatim dictis *c. 1 n.* 18 patet, eam traditionem materiæ & prolationem formę debere fieri ab Episcopo *simul* tempore, non physicè, sed moraliter tantùm, sic ut traditio materiæ, & pronuntiatio formæ, etsi non omnino simul factæ, sed aliquantulùm unâ alteram præcedente, vel subsequente, intelligantur tamen se invicem afficere, & unum totale signum Sacramentale constituere ad significandam potestatem eo Sacramento collatam. Verùm quia traditio materiæ necessariò complenda est per acceptationem seu contactum ordinandi, ideo quoad hoc specialiùs agendum §. *seq.*

32 IV. Non est necesse, ut traditio materiæ cum prolatione formæ fiat ordinandis singulis seorsim, sed valida & licita est ordinatio, quâ Episcopus pluribus ordinandis, sub una pronuntiatione formæ in plurali numero, porrigit unam materiam; *calicem, librum &c.* aut simul omnibus, quod optimum, & in ipso Pontificali expressum: aut successivè singulis, dummodò servetur simultas moralis: imò etiamsi aliqui in continua successione tangerent aliquantisper post absolutam jam formam: quia per illam continuam successionem tangentium adhuc servatur simultas moralis materiæ & formæ, ut per modum unius signi moraliter intelligantur fundare unam significationem Sacramentalem. Dico autem *aliquantisper*. Nam si successio tangentium, post absolutam formam duraret per notabile tempus, v. g. dimidium vel integrum quadrantem, aut ampliùs, omnino forma aliquoties foret repetenda, ne nimiùm distet prolatio formæ à contactu materiæ. Declaro hoc casu facto, non ficto.

33 Episcopus quidam Hispaniæ considerans multitudinem ordinandorum, præsertim pro Presbyteratu, ut se & hos citiùs expediret, primo Presbyterando porrigendo calicem & patenam, pronuntiavit in plurali formam dicendo: *accipite potestatem offerendi &c.* eandémque repetiit non statim, quando pervenit ad secundum, sed solùm quando ad sextum, vel octavum, & sic deinceps interjectis scilicet morulis, ne himia fieret distantia formæ à contactu materiæ: neque petentibus aliquibus repetitionem, potuit unquam persuaderi, ut iterum sub conditione Formam repeteret, & Materiam porrigeret, constanter asserens, id sine ullo prorsus fundamento exigi. Sic refert Cardinalis de Lugo *Responsorum moralium lib.* 1. *dub.* 33. *n.* 2. Indubitanter ex principiis intrinsecis negans fuisse necessariò repetendam illam Ordinationem: attamen potuisse ad majorem quietem sub conditione reiterari consentit Gobat *tract.* 8. *n.* 164. & *n.* 209. Plura circa hæc *infrà* §. *seq. N.* III.

§. II.

Qualis requiritur contactus materiæ in Ordinatione?

34 COmmunis sensus hominum est, tactum aliquem materiæ traditæ ab Episcopo spectare ad Ordinationem tanquam conditionem sine qua non. *Ratio* datur, quia per illum ipsum contactum materiæ actio sacramentalis Episcopi dirigitur ad hanc personam, ut in illa suum effectum producat: adeóque qui nullo modo, nec physicè, nec moraliter tangeret materiam, non censeri ordinatum. Sed quæstio controversa est inter Doctores, qualis requiratur contactus, an physicus, an sufficiat moralis? Contactum physicum requiri ad valorem & essentiam Sacramenti, adeóque esse necessarium necessitate Sacramenti affirmant gravissimi Doctores. D. Thomas *in* 4. *d.* 24. *q.* 1. *a.* 1. *Paludanus, Sylvester, Angelus, Cajetanus in opusc. apud Layman. citand. Bonacina, Castro-Pal. alij.* Probant; tum ex verbis formæ: *accipe*, &c. quæ significent imperium erga Ordinandum, cui is satisfacere debet capiendo externum symbolum, quod ei traditur: tum ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ cum traditione materiæ, ejus etiam acceptationem & contactum tam sollicitè requirit: quæ praxis per traditionem ex Christi institutione profecta esse videatur. Contrà contactum physicum necessarium esse necessitate Sacramenti, negant multò plures: *Albertus magnus, Victoria, Armilla* ac ipse Cajetanus *in summa*, pluréque Recentiores cum antesignano Vasquez hîc. *disp.* 246. *c.* 2. Layman. *l.* 5. *tract.* 9. *c.* 5. *n.* 4. *Henriquez, Zambranus, Filliutius, Reginaldus, Dicastillus*, aliisque relatis, Diana *parte* 3. *tract.* 3. *Resol.* 185. Gobat. *tract.* 7. *n.* 57. alij. Secundùm hos omnes abundè sufficit, & secundùm plures etiam requiritur contactus moralis materiæ, ut nimirum ordinandus extensione manuum, inclinatione capitis, vel alio æquivalenti signo significet, se materiam oblatam ab Episcopo acceptare. Quia nimirùm contactus instrumentorum ad hoc solùm deservit, ut determinet potestatem, quæ confertur personæ huic. Ad hoc autem non est necessarius contactus moralis, ac præsens ostensio signi acceptationis. Alia est ratio

tio de Baptismo, Confirmatione, extrema Unctione. Nam sano sensu nemo potest dici ablui, vel inungi, nisi physicè contactus. Ego dico sequentia.

35 I. Probabilissimum est, nullum planè contactum requiri ad valorem & essentiam Sacramenti, in collatione seu receptione cujuscunque Ordinis. Ita plerique excitatis: nominatim *Vasquez, Layman, Gobat.* Ratio urgens est. Quia secundùm communissimam Sententiam cum *D. Thoma*: *D. Bonaventura* & aliis, infans unius diei in cunis potest validè ordinari Diaconus, Sacerdos, Episcopus: quis autem, amabo te! in his reperiatur contactus respondens verbis illis *accipe &c.* quo scilicet significetur acceptatio moralis potestatis traditæ? Certè tactum physicum non quæres, nisi nugatorié; moralem etiam stultè. Atqui certum est, intrinseca essentialia Sacramentorum, quoad materiam & formam, eadem requiri tam in parvulis, quàm in adultis. Nihil autem urgent fundamenta oppositæ Sententiæ. Verba enim illa: *accipe potestatem &c.* de necessitate Sacramenti non significant imperium aliquod directum ad Ordinandum, ut capiat, vel manu tangat materiam exhibitam; sed solùm significant potestatem spiritualem conferendam Ordinando per exhibitionem illius symboli. Et cur, obsecro, requiratur contactus? Certè non aliam ob causam, quàm ut traditio potestatis acceptetur, & acceptari significetur: atqui hoc dici non potest: cùm Sacramentum hoc non consistat in contractu, sicut Matrimonium, ut proinde traditionem & acceptationem postulet: quod ipsum non requirit ad valorem tactum aliquem Physicum: quantò magis collatio spiritualis potestatis fieri poterit sine reali contactu per solam exhibitionem symboli factam homini præsenti, supposito ejus interno consensu seu intentione ac voluntate saltem habituali suscipiendi Sacramentum illud. Ex praxi denique Ecclesiæ plùs colligi non potest, quàm quòd talis cæremonia tangendi instrumenta ab Ecclesia præcipiatur: & meritò quidem, ut scilicet traditio & acceptatio spiritualis potestatis ordinando facta expressiùs significetur, si is symbolum materiale, quo talis potestas significatur, manu ipsemet contingat. Sed sat, superq; speculationi datum. Jam ad praxin

36 II. Certissimum est, contactum physicum materiæ in hoc Sacramento esse & optimum ac securissimum; & omnino etiam necessarium necessitate præcepti Ecclesiastici, cui omnino obtemperandum est: adeò, ut sine dubio mortaliter peccaret, qui deliberatè omitteret contactum physicum, saltem quando vult suscipere Presbyteratum, quandoquidem delinqueret graviter contra præceptum, ac morem universalis Ecclesiæ; & redderet, ac susciperet Sacramentum dubium: nam authoritas tam gravium DD. contactum physicum ad valorem requirentium utique reddit Sententiam illam oppositam valde probabilem; atqui in administratione Sacramentorum, quoad essentialia oportet sequi opinionem tutiorem. Hinc ulteriùs talis Ordinatio, saltem Presbyteri, facta sine contactu physico materiæ, necessariò sub conditione repetenda foret, uti post *Lugo* & alios docet rectè Gobat *n.* 212. juncto *n.* 185. In Sacerdote enim grave est periculum nullitatis Sacramentorum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, graviúmque damnorum spiritualium fidelium ac pœnitentium. Quare Sacerdos ita ordinatus interim abstinere debet ab exercitio Ordinis, tam celebratione, quàm absolutione: nec posset licitè excipere Confessiones, aut accipere stipendium pro Missa. Quia nemo extra casum necessitatis vellet absolutionem accipere, aut oblationem Sacrificij habere ab eo, qui sub ejusmodi controversia dubitatione ordinatus fuit, nec eidem porrigere stipendium, aut reditus beneficiorum. *Dixi: saltem Presbyteri.* Nam Diaconus, Subdiaconus, aliique inferiores dubiè ordinati etiam in nostro casu, quando nō tetigerunt physicè symbola, probabiliter non tenentur ad quidquam repetendum. Sic Lugo *Responsorum moralium l.* 1. *c.* 3. *n.* 2. Granados apud Dianam *p.* 5. *tr.* 13. *resol.* 47. Tamburinus *cit. cap.* 1. §. 7. Gobat *n.* 191. Ratio est: quia homo ille vel jam etiam insignitus est Sacerdotio, & hoc ipso jam habet eminenter inclusum Diaconatum &c. D. Thomas 3. *p. q.* 33. *a.* 5. si verò non sit Presbyter, actiones ejus, quas obit, nemini sunt noxiæ; esto fuisset in ejus ordinatione commissus error substantialis. *Non tenetur*, inquam, *quidquam repetere.* Poterunt autem sine dubio bonâ conscientiâ aliam petere ordinationem, ut in simili & minori dubio dicam mox iterum *num. seq.* Hinc meritò commendat Gobat *n.* 192. sedulitatem cujusdam Magistri cæremoniarum, qui videns quendam inter reliquos ordinandos, non tetigisse librum, sed tantùm dexteram extendisse, & recessisse cum reliquis, jussit eum mox redire, ac realiter contingere librum: additque absque peccato potuisse omittere illam repetitionem: quâ tamen positâ, oportuisse, vel certè conveniens fuisse etiam repetere formam. Jam posito etiam contactum physicum esse de necessitate Sacramenti Ordinis, ulteriùs dicendum

37 III. Contactus materiæ, quantùm est de valore Sacramenti, debet fieri simul tempore cum prolatione formæ facta ab Episcopo, non tamen physicè, sed moraliter, etsi paulò post, vel paululùm ante absolutam pronuntiationem formæ Episcopi, juxta generatim dicta *n.* 81. Nam quod tam parùm distat, nihil distare videtur, & adhuc moraliter verum est dicere, quòd dum Episcopus profert formam, ordinandus tangat materiam, ac sufficienter significatur, traditionem actualem Episcopi ab ordinando acceptari. Quare rursus vides validam fuisse, nec necessariò repetendam ordinationem illius *num. præcedenti*, qui post pronuntiationem formæ, statim revocatus tetigit librum: item illorum Sacerdotum, qui successivè tangebant materiam Episcopo per intervalla modica repetente formam, *supra num.* 33. Item illius apud Lugo *respons. moral. lib.* 1. *dub.* 33. *n.* 1. qui à Magistro cæremoniarum parùm sui muneris perito, prohibitus fuit tangere calicem & patenam, dum Episcopus protulit verba illa formæ, *accipe*

Universidad de Deusto
Biblioteca

accipe potestatem &c. sed jussus tangere statim post absolutam formam: respondétque moraliter certum esse, validâ fuisse illam ordinationem, eúmq; secutus *Castro-Palaus* dicens, non esse de hoc dubitandum. Quia tamen *Paladanus*, *Sylvester*, *Cajetanus*, *ac Navarrus cap. 22. num. 17.* exigunt etiam in hoc Sacramento physicam conjunctionem formæ cum materia; ego cum *Gobat* non ausim hanc Sententiam vocare moraliter certam: adeóque sic ordinatum optimâ conscientiâ posse petere iterationem ordinationis quemadmodùm fecerunt isti Presbyteri, etsi frustrà. At certè non tenetur petere, vel procurare: quandoquidem plerique Theologi negent, esse obligationem iterandi Ordinem collatum, quando nullus alius defectus occurrit, quàm quòd forma tota fuerit prolata paulò ante, vel paulò post contactum materiæ remotæ. Et hæc quantùm ad valorem & necessitatem Sacramenti. Quoad licitum in praxi certè servandus est ritus præscriptus in Pontificali, idémque dicendum, quòd supra generatim dictum *num. 83.* Certè *Franciscus Bardi*, eúmque citans *Gobat n. 116.* censent Episcopum, nisi interveniente gravi causâ, citra peccatum mortale non posse sic ordinare, quia saltem Charitas proximi exigit in re tam gravi observari Rubricas Pontificalis, nam plerique ferrent ægerrimè, & gravioribus scrupulis subjicerentur, si viderent se ita ordinari, vel ordinatos.

38 IV. Denique quoad tangenda. 1. Certum est, non exigi contactum immediatum omnium materiarum necessarium ad essentiam Sacramenti. Certè presbyterandi nunquam tangunt immediatè vinum contentum in calice, quod tamen spectat ad materiam substantialem Sacramenti: sed de hoc particulariùs *in parte 2. cùm de Presbyteratu.* 2. Si quis calicem, candelam, claves, &c. tangeret manu obvolutâ chirothecâ, stropholo, superpelliceo, &c. non ideo esset irritus Ordo: quia communissimè & rectissimè dicitur tangere, vel palpare hominem, qui eum apprehendit tectus chirothecâ etiã brumali ac pelliceâ, *Vasquez*, *Coninck*, *Bonacina*, *Gobat num. 60.* 3. Non est opus, ut utrâque manu tangatur id, quod tangendum est, quia nulla lex id exigit: imò sufficit, si tangas uno digito, nam adhuc verificatur tactus. Ex communi, Sanchez *Consil. moral. l. 7. dub. 2. n. 3. 4.* Imò etiam si solo ungue. Sic Sacerdos in sua ordinatione, qui tangere debet cuppam calicis digitis mediis, sufficit, si unguibus eorum digitorum tangat, quia ij pars digiti censentur. Ita in terminis Cardinalis de Lugo *Resolution. moral. lib. 1. dub. 1. num. 8.* addens. *Utique enim se mutuò (ut rudi exemplo utatur) tangunt pueri, quando unus unguibus lacerat vultum alterius.*

§. III.

Quis est Minister Ordinis validè *conferendi.*

Est omnis & solus Episcopus consecratus respectu saltem Sacerdotij valide conferendi. Communissima DD. Explico particulatim.

I. Omnis Episcopus consecratus.

39 Adeóque etiam excommunicatus, suspensus, interdictus, Episcopatu privatus, degradatus, potest validè conferre Sacramentum Ordinis cuicunque fideli: juxta communissimam DD. cum D. Thoma, D. Bonaventura, Scoto *in 4. d. 25.* Ratio est: quia potestas ordinandi residet in Charactere Episcopali indelebili, adeóque nullâ censurâ, nullâ privatione Ecclesiasticâ vel impedimento Canonico impedibili, vel auferibili, quin eo semel insignitus validè exerceat illam potestatem ordinandi. Ad hoc ergo, ut Episcopus validè administret Sacramentum Ordinis, nihil requiritur, nisi potestas Ordinis Episcopalis, & intentio debita; non item fides vel bonitas, juxta generatim dicta. *c. 3. sect. 1.* At inquis: nónne SS. Patres, ipsique summi Pontifices apud Gratianum *causâ 9. q. 1.* expressè dicunt, irritas esse ordinationes factas ab Episcopis hæreticis, vel schismaticis, aut antipapis? Resp. Ejusmodi locutiones esse intelligendas de sola executione Ordinum, non de potestate collata: ac proinde talem ordinationem factam ab Episcopo hæretico vel excommunicato non esse ratam habendam ad eum effectum, ut taliter ordinatus in tali Ordine ministrare permittatur: interim non negantes, quin talis Sacramentum, Characterem, & potestatem Ordinis recipiat, ut proinde factâ dispensatione, absque nova ordinatione ministrare possit. Excepto fortè D. Cypriano, qui sicut baptizatos ab hæreticis rebaptizandos docuit aliquando, ita etiam dicturus erat de taliter Ordinatis. Vide Layman *l. 5. tract. 9. c. 9. v. 5. 6. 7.*

II. Et solus Episcopus consecratus.

Constat ex Concilio Tridentino *c. 4. & Can. 7.* Quare Episcopus solùm electus & confirmatus, sed nondum consecratus, non potest validè conferre Sacramentum Ordinis, nisi fortè aliquorum minorum Ordinum, ex commissione vel delegatione Pontificis, quemadmodùm possunt Abbates, de quibus inferiùs. Quin è contra, nec consecrato quidem Episcopo licet ministrare hoc Sacramentum Ordinis ante Confirmationem, de jure communi, etsi sine dubio ministraret validè.

Certum porrò est, Episcopum debere simul esse consecratum Sacerdotem: cùm Episcopatus adæquatè sumptus essentialiter includat Sacerdotiũ, ut suprà Sect. 1. §. 4. patuit. Alioquin enim nec Episcopus esset, nec ullos Ordines conferre posset: At quid si non esset consecratus vel invalidè ordinatus Diaconus, vel Subdiaconus, adhúcne posset validè omnes Ordines, etiam istos à se non susceptos conferre? Resp. Omnino quòd sic: uti contra S. Antoninum, Sylvestrum, Henriquez, alios docent communiùs Doctores cum Vasquez *disp. 243.* Layman *cit. n. 8.* Diana *p. 8. tract. 2. resolut. 4.* Gobat *n. 244.* Ratio est: Quia Episcopus confert Ordinem Diaconatûs v. g. non ex vi Diaconatûs, quem habeat: sed ex vi Ordinis Episcopalis, quem reverâ habet, quíque Diaconatum, aliósque inferiores Ordines non includit essentialiter: & licèt eos non habeat ipse formaliter, habet tamen virtute & eminenter, adeóque sufficienter ad hoc, ut alios

aliis conferre possit validè. Ut verò etiam ministraret licitè, omnino Episcopus suum defectum sibi compertum deberet emendare; cùm generatim vetitum sit ministrare in Ordine superiori, si cui desit inferior Ordo.

III. Respectu Sacerdotij validè conferendi.

41 Nimirum sacrum Presbyteratûs Ordinem, etiam ex concessione Papæ non posse conferri ab alio, nisi ab Episcopo, docent communissimè. Cùm enim talem delegationem Sacerdoti simplici, ab ipso initio Ecclesiæ, nunquam concesserit Summus Pontifex, vel Sedes Apostolica, signum est concedere non posse. Etsi contrarium post Abbatem sentiat Vasquez apud Layman *cit. num. 2.* eâ potissimùm ratione, quâ ex Concilijs constet Chorepiscopos ex consensu Episcopi Diaconos & Presbyteros ordinare posse; atqui Chorepiscopos illos non fuisse veros Episcopos testatur Damasus Papa *in Epist. 5.* ergo non Episcopus tantùm, sed etiam Sacerdos simplex ex commissione alteri Presbyteratum conferre potest. Respondet rectè Layman *n. 3.* Chorepiscopos illos fuisse duplicis generis, ut apertè ostendit ibidem Damasus Papa: aliqui enim non ut Episcopi à tribus Episcopis, sed ut Presbyteri ab uno tantùm Episcopo ordinabantur. Et his munia Episcopalia exercere omnino interdictum fuit. Fuerunt ij Vicarij Episcoporum ruri constituti, quales hodie Vicarios seu Decanos rurales vocamus. Alij autem Chorepiscopi à pluribus Episcopis ordinati manuum impositionem acceperunt ut veri Episcopi, sicut ipse Damasus interpretatur; & supponit. Et hos ex licentia Episcopi Diaconos & Presbyteros ordinare potuisse, permittunt illi Canones, præsertim Concilij Antiocheni; inauditum autem est in Ecclesia talem licentiam ab Episcopo simplici Sacerdoti non Episcopo concedi posse, ut jam suprà innui. Quamquam eorum Chorepiscoporum ordinationem improbet Damasus Papa tanquam illicitam, & non secundùm Canones factam, ac proinde eos à functionibus Episcopalibus arcendos esse decernat. Ita argumentatur. Vel enim ad civitatem ordinantur, vel ad villam: neutrum dici potest Ecclesiasticis Canonibus conveniens esse. Non primum: cùm nomen Chorepiscopi repugnet; significat enim Episcopum villarum, & secundùm Canones duo Episcopi in una civitate, esse non debent. Non secundum, quia nec in modica civitate, nedũ in villa aut castello Episcopũ esse debet, ne nomen ejus & authoritas vilescat. Hæc Damasus. Fuerunt ergo illi Chorepiscopi quoad aliquid similes illis, qui hodie Episcopi titulares, & Episcoporum Suffraganei dicuntur, siquidem & his neminem ordinare licet absque commissione vel licentia Episcopi ordinarij. Differunt autem plurimùm, quod hi non ad Ecclesiam vel villam aliquam Episcopo subjectam, sed ad proprium titulum alicujus ab hostibus occupatæ Ecclesiæ magis Canonicè ordinentur, adeò, ut cum ea Ecclesia etiam Matrimonium spirituale contrahant. Addidi denique

IV. Saltem respectu Presbyteratûs.

Solus equidem Episcopũ est Minister ordinarius & per se omnium Ordinum, ut patet ex Conciliis Florentino & Tridentino; imò etiam primæ tonsuræ, secundùm communiorem DD. cum Barbosa *De officio & potestate Episcopi: allegatione tertia*: At certè non solus necessarius quoad valorem: quin etiam simplex Sacerdos possit esse Minister aliquorum saltem inferiorum Ordinum. Nam

I. Facultas conferendi Ordines Minores, ac pri- 42
mam tonsuram inprimis competit Cardinalibus Presbyteris, ut docent Abbas, Paludanus, Hugolinus, Rodriquez, Henriquez, alij cum Layman *cit. c. 9. n. 1.* Diana *p. 8. tract. 1. resolut. 33.* Deinde eadem facultas jure communi competit Abbatibus, si Sacerdotes sint, & jus mitræ & baculi habeant. *cap. cùm contingat. De ætate & qualitate ordinandorum. c. Abbates de privilegiis in 6.* Ea tamen facultas sic restricta est per Concilium Trident. sess. 23. *cap. 10. De reform. Abbatibus & aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, ut non liceat cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores Ordines conferre.* Quare Abbati hodie non licet Regulari non sibi, sed alteri etiam exempto Prælato, quantumvis consentienti, subdito (nisi etiam Episcopi, à quo aliàs ordinari deberet, consensus accedat) primam tonsuram, aut Ordines minores conferre: multò minùs cuiquam Sæculari etiã sibi subdito, seu ad suam jurisdictionem spectanti, si Regularis non sit: quin neque Novitio suo, secundùm Rodriquez, Ascan. Tamburin. alios, eò quòd Novitij propriè *Regulares subditi* non sint. Verùm posse Abbatem etiam Novitium suum ordinare mihi probabiliùs docent, post Glossam, & Canonistas communiter Suarez aliíque cum Layman. *cit. n. 2.* Gobat *n. 324.* Eò quòd nomine Regularium etiam veniant Novitij in materia favorabili, qualis hæc est. Et certè Novitius magis est subditus suo Prælato, quàm Episcopo loci, in quo situs est novitiatus, si fortè Novitius venit ex alia Diœcesi, & tamen Novitium posse ordinari ab illo Episcopo, concedunt DD. cum Sanchez *lib. 6. moral. c. 22.* Addit Layman *l. cit.* quòd ea facultas minoribus initiandi Novitios competat Abbatibus jure comũni antiquo *cit. c. Abbates. De privil. in 6.* Cùm ergo correctio jurium, quantùm fieri potest, vitanda sit, ideo illa verba: *Regulares subditi* amplè accipienda videntur, sicut in materia favorabili accipi possunt, sic ut etiam Novitios comprehendant.

II. Ijdem tamen Abbates, ex commissione spe- 43
ciali Episcopi, possunt dare tonsuram & Minores Ordines subditis Diœcesanis sæcularibus, adeóque etiam Regularibus, accedente eorundem Prælatorum consensu, sic enim declaravit Congregatio Cardinal. apud Gallemard. *ad cit. c. 10. Tridentini*: & docuit hactenus communis DD. & habuit notissima praxis in Germania. Verumtamen contrariam prorsùs declarationem eorundem Cardinalium factam die 23. Novembris 1641. refert fide dignissimus (quippe eodem tempore Romæ scribens) Diana *p. 7. tract. 11. Resol. 42.* nempe Abbates quoscunque non posse primam tõnsuram & Ordines minores conferre, nisi suis subditis Regula-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gularibus, non verò alterius Ordinis vel Congregationis, etiamsi adsit consensus Episcopi: multò minùs Sæcularibus etiam habentibus dimissorias à suis Ordinariis, Insuper Archi-Episcopis, Episcopis &c. inhibuit, ut in futurum concedere non audeant dictas litteras dimissorias hujusmodi Abbatibus directas: *quòd si secùs fiat, tam recipientes, quàm ordinantes à collatione Ordinum suspensi maneant. &c.* Verùm constat ex consuetudine Diœcesium in Germania, eam declarationem non esse adæquatè receptam: prout de Diœcesi Constantiensi testatur Gobat *num.* 324. 328. Et ego post Annum 1660. in Diœcesi Herbipolensi passim fieri vidi, etiam cum meis Discipulis aliquoties. Quódsi ergo Abbates contra præscriptum Tridentini, aut Declarationis prædictæ conferant Ordines Regulari, vel Sæculari sibi non subdito, illicita utique erit ordinatio. At nunquid erit etiam invalida? Invalidam fore sentit Suarez apud Gobat mox citandum, eò quòd talis excedat limites suæ potestatis. Contrà illicitam tantùm, non item irritam, sed validam fore probabiliùs tenent Ascan. Tamburinus, Castro-Palaus, eósque citans Gobat *num.* 330. & 334. quia valori actus magis, quàm nullitati favent jura, quando subjectum absolutè habet potestatem aliquam. Etenim secundùm Legistas: *pro valore actûs stat præsumptio.* Neque aliquid huc adferri potest convincens nullitatem: nam Concilium Trident. expressè dicit solùm, *non liceat &c.* adeóque non tollit potestatem, sed tantùm usum prohibet. Congregatio autem Cardinalium allegata, dicit quidem *non posse* Abbates conferre Minores Ordines Sæculari, aut Regulari sibi non subdito; sed nihil communius est, quàm quod dicamur facere *non posse* ea, quæ licitè facere non possumus.

44 II. Etiam sacros Diaconatûs & Subdiaconatûs Ordines ex commissione seu privilegio Sedis Apostolicæ conferri posse à Sacerdote simplici, Abbate v. g. omnino concedendum est, si verum est privilegium ab Innocentio VIII. concessum Abbati Generali Amplissimi Ordinis Cisterciensium, aliísque quatuor primariis Coabbatibus: quod pro certo refert Suarez, & à se visum Compluti testatur Vasquez *tomo 3. disp.* 243. in quo sic habetur. *Ne Monachi dicti Ordinis prosusci piendis diaconatûs, & subdiaconatûs Ordinibus, extra claustra hinc inde discurrere coganturi tibi & successoribus concedimus, ut suis & quibusvis dicti Ordinis Monachis Diaconatûs, & Subdiaconatûs Ordines conferre liberè & licitè possitis.* Addit Caramuel *Theol. Regularis disp.* 129. *Hoc privilegium est in praxi, & hodie superjunt, qui ad majores Ordines ab ipsis Abbatibus sunt promoti.* Et paulò inferiùs. *Hæc praxis hodie permanet.* Attamen communior Sententia cum D. Thoma, Sylvestro, Navarro *lib. 3. Consil.* 14. *de Regularibus* negat talem potestatem à Summo Pontifice concedi posse Sacerdoti simplici, dictúmque privilegium, si fuit concessum, modò revocatum esse, saltem hodierno jure nullum ejus usum esse debere, post Navarrum citatum, ait Layman *cit. n.* 4. *in fine.* Diana *suprà cit. Resol.* 42. sic concludit. *Sententiam meam non promam, sed resolutionem dubij ad sacram Congregationem remitto.* Certè durissimùm videtur damnare ejusmodi praxin, & consequenter sacrilegij reos agere Abbates illos virtute & doctrinâ præstantissimos: imò etiam Episcopos, quòd taliter ab ipsis Ordinatos ungant in Sacerdotes, ait prudenter Gobat *cit. n.* 229.

45 IV. Loquimur semper de Sacerdotibus. Nam etiam ex concessione Summi Pontificis non posse inferiorem Sacerdote Diaconum, vel Subdiaconum conferre ullos Ordines, docent Doctores passim. Ratio datur: quia potestas conferendi Ordines, sicut omnis potestas in Corpus Christi mysticum, supponit potestatem in Corpus Christi verum: Sed Diaconus, vel alius inferior Sacerdote, non habet potestatem in Corpus Christi verum: consequenter nec in Corpus Christi mysticum. Denique Episcopum ipsum proprium non posse licentiam dare Sacerdoti simplici, seu non Episcopo conferendi ullos Ordines, etiam primam tonsuram, communis est Doctorum sensus, teste Gobat. *num.* 346.

§. IV.

Quis est Minister Ordinis, etiam licitè *conferendi?*

46 I. *Est solus Episcopus proprius ordinandi ratione vel originis, vel domicilij, vel Beneficii. 2. Existens in gratia, immunis ab omni irregularitate & censura, & saltem non suspensus a Pontificalibus. 3. Præditus etiam omnibus inferioribus Ordinibus juxta paulò ante dicta. 4. Ut non conferat Ordines, nisi subdito, & capaci secundùm SS. Canones, servatis, requisita Canonica quoad locum, tempus, interstitia: nec conferat Ordines majores nisi inter Missarum solemnia.* (non tamen ita necessariò semper ab ipso ordinante celebranda, quin urgente necessitate ordinandi, si ipse celebrare sine magna difficultate non possit, alio celebrante, ordinare possit *Gobat num.* 259.) Hæc pleraque aut patent ex antè dictis, aut quatenus simul etiam ordinandum concernunt, patebunt ampliùs ex dicendis *Sect. seq. de subjecto Ordinis.* Quoad Episcopum tamen proprium aliqua necessariò adnotanda sunt.

I. Est solus Episcopus proprius Ordinandi.

47 I. Licitè nimirum, solus Episcopus proprius suo subdito potest ministrare & conferre hoc Sacramentum Ordinis, non autem alieno, seu alterius Diœcesis homini, sine ejusdem proprij Episcopi licentia, seu dimissorijs: ut mortaliter proinde delinquat tam ordinans alienum, quàm iste alienus faciens se ordinari ab alio, quàm proprio Episcopo. Communissima DD Ex *cap. Eos qui.* & *cap. Cùm nullus. De temp. ordinand. in* 6. Ac novissimè Concilium Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. *de Reform.* ita decernit. *Unusquisque ab Episcopo proprio ordinetur, si secùs fiat, ordinans in collatione Ordinum per annum; & ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Hæc Concilium, ipsâ gravitate pœnæ satis indicans gravitatem culpæ mortalis in contra facientes.

II. Duæ

48 II. Duæ tamen sunt exceptiones in jure, Prima in eodem Tridentino *eâdem sess. c.* 9. Episcopus potest ordinare suum familiarem non subditum qui per triennium fuerit cum ipso commoratus, & cui statim Beneficium conferat. Altera habetur *cap.* 1. *de temp. ordinand. in* 6. ubi conceditur, Clericos posse ordinari à vicinis Episcopis sine proprij Episcopi licentia, quando iste proprius notoriè ordinavit alienos, sine propriorum Episcoporum licentia. De cætero, neque Archi-Episcopus quidem, seu intra, seu extra visitationem, licitè ordinat subditos suorum Suffraganeorum, sine horum licentia: sicut nec Titularis Episcopus quenquam sine facultate Ordinarij; minùs Episcopus nullatensis, seu nullam habens Diœcesin, ne quidem in loco exempto, de licentia solius Prælati seu Superioris illius loci: nisi fortè locus esset extra omnem Diœcesin. *Barbosa, Castro-Palaus, alij cum Diana p.* 4. *tr.* 8. *Resol.* 29. At inquis: ego ordinari cupiens sum nullatensis, seu locum Episcopi proprij ignorans, quippe infans aliunde adductus, Parentibus pridem defunctis: à quo ergo ordinandus Episcopo? R. Gobat *num.* 288. à nullo posse ordinari licitè per se loquendo, sed debere petere à summo Pontifice facultatem eligendi sibi aliquem Ordinatorem, aut certè in certa Diœcesi sibi figere domicilium, juxta mox dicenda. Nam

49 III. Triplex porrò est Episcopus proprius respectu ordinandi, scilicet ratione vel originis, vel domicilij, vel beneficij. Sic enim statuit Bonifacius VIII. *cit. cap. cùm nullus, de temp. ordinand. in* 6. Ut nemo possit ordinari, etiam primâ tonsurâ nisi ab Episcopo, *qui propriè sit suus, vel ratione originis, vel ratione beneficij, vel ratione domicilij.* Episcopus proprius *Originis* dicitur, in cujus Diœcesi natus est ordinandus, ubi scilicet ejus Parentes eo tempore habuerunt domicilium. De quo specialiora mox infrà. Episcopus proprius domicilij dicitur, in cujus Diœcesi ordinandus habitat, vel saltem habitare incipit animo ibi permanendi. Episcopus proprius Beneficij dicitur, in cujus Diœcesi ordinandus habet beneficium, etsi tenue, ac licèt de facto ex dispensatione ibi Ordinandus non resideat. Quilibet horum titulorum sufficit, ac quocunque horum titulorum Episcopus sit proprius, & ordinandus subditus, licitè ille hunc ordinat, & hic ordinatur ab illo. Quare si in una Diœcesi, Passaviensi sis natus: in alia, Salisburgensi habites: in altera Augustanâ v.g. beneficium obtineas, à quovis illarum Diœcesium Episcopo ordinari licitè potes, vel dimissorias accipere, si alibi ordinari cupias, secundùm omnes. Ac rectè resolvit Navarrus apud Layman. *l.* 5. *tract.* 9. *c.* 9. Si adolescens in una Diœcesi natus sit, & postea cum Patre in aliam Diœcesin migrârit, atq; ab eodem deinde studiorum causâ ad Academiam aliò missus sit, in arbitrio ipsius positum esse Ordines, vel dimissorias petere ab Episcopo originis, vel ab Episcopo domicilij paterni. Nam filius manens cum Patre sortitur domicilium Patris, neque illud discessu suo amittit, si animum ad Patrem revertendi servet, & pubes factus alibi domicilium non fixerit. Eodémque modo dicendum in casu, quo quis plura domicilia habet, juxta dicenda inferiùs. Et adde, etiamsi ab uno eorum Episcopo accepisses unum Ordinem vel alterum, v. g. Minores & Subdiaconatum, posse tamen te ab alio illorum Episcopo recipere reliquos Ordines absque facultate prioris Episcopi: prout contra Barbosam, Riccium, & alios oppositum omnino gratis asserentes, cum alijs rectè resolvit Diana *p.* 9. *tract.* 8. *Resol.* 4. *& p.* 8. *tract.* 2. *resol.* 9. approbante Gobat. *num.* 304. Hæc generatim de Episcopis propriis, jam quoad singulos specialiora.

II. Episcopus proprius Originis.

50 I. Ille tantùm est, in cujus Diœcesi à parentibus ibi fixum domicilium habentibus natus est ordinandus: & non sufficit, quòd quis fortuitò in itinere, transitu, vel matre negotij causâ ad breve tempus commorante in tali Diœcesi natus sit, ad hoc, ut titulum Originis acquirat, & ab illius Diœcesis Episcopo tanquam proprio originis ordinari possit, prout habet communis DD. Sententia, Sanchez, Lessius, Filliutius, alij cum Layman. *cit. n.* 10. Diana *cit. p.* 8. *tr.* 2. *resol.* 11. Gobat. *num.* 279. Ratio est: quia quando discreditur à jure communi, stricta verborum interpretatio est facienda. Atqui propriè nemo dicitur civis loci illius, ubi sic fortuitò, per accidens, & quasi per transennam natus est, sed illius loci, ubi parentes ejus domicilium suum habent: quare si pater tuus sit civis Romanus, mater verò tua sic fortuitò te peperit Mediolani, diceris quidem physicè natus Mediolani, at moraliter seu jurisdictione, Romæ oriundus. Valascus apud Dianam cit. Barbosa apud Gobat. *ibid. in fine.* Quanquam contrarium sentiant Hurtadus & Leander, probabiléque censent Escobar apud Gobat *cit. num.* 280. & Tamburinus de Sacramentis *l.* 7. *c.* 7. *n.* 9. quos vide, si placet.

51 II. Minùs ergo sufficit, sive quidem natus, sed solùm baptizatus sis in hac Diœcesi v.g. Passaviensi, ut ideo tanquam originarius ab hujus Diœcesis Episcopo ordinari possis licitè, uti (contra Leandrum & alios) ex *communi* docent Tamburinus *cit. num.* 16. Nam ratione solius Baptismi non potest quis propriè dici civis originarius vel habere originem in hac civitate: propriam enim originem dat nativitas temporalis, non spiritualis: nec usquam legimus hujusmodi prærogativam faciendi civem alicujus loci soli ipsi Baptismo fuisse concessam. Quanquam verum sit, quando non constat aliunde de loco nativitatis, ex loco Baptismi probari vel præsumi nativitatem: sed hoc aliud est. Et excipiendum: nisi fuisses infidelis, judæus vel turca: nam infideles sortiuntur domicilium originis, ubi regenerati sunt: ut proinde fiat Civis Romanus, qui Romæ baptizatur, natus alibi à parentibus infidelibus. Jordanus, eúmque sequens Gobat. *num.* 280. Rectè addens se nolle idem dicere de Juvene, qui natus alibi à parentibus Calvinistis, ob deprehensum errorem substantialem in ejus priori Baptismo, rebaptizaretur Monaghij.

52 III. At; quid si, non quidem tu, attamen pater tuus natus sit in ista Diœcesi, poterisne ideo tanquá origi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

originarius ab istius Diœcesis Episcopo ordinari? Negant quidem multi, eò quòd hìc spectanda sit origo propria, non paterna, cùm ly *origo* propriè, sæpissimè saltem significet idem, ac ortus vel nativitas. Sed probabilius concedunt Barbosa, aliique communiùs cum Diana *cit. resol.* 12. Tamburino *num.* 11. nam domicilium originis paternæ est etiam domicilium tuæ originis. Atque ita declarâsse Congregationem Cardinalium testatur Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 148. & recitat Barbosa *in Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 8. *num.* 17. atque ita practicari Constantiæ testatur Gobat *n.* 182. Dico autem, domicilium *originis paternæ*: nam utique ad hoc non sufficit domicilium avi tui: nam si attenderetur avita origo, inquirendus esse ager Damascenus, ubi Adam creatus est, ait lepidè Joan. Andreas apud Gobat. Quemadmodùm etiam non sufficit domicilium originis maternæ. Nam filius sequitur originem patris, non matris *l.* 3. *C. de municip. & origin.* Excipe, nisi fuisset filius illegitimus vel naturalis: nam talis filius quoad originem sequitur ventrem: quia illegitimorum mater, & consequenter ejus patria est notior, quàm patris. Tunc quóque domicilium matris habetur pro tuo, quando ignoratur paternum. Sed de his satis.

III. *Episcopus proprius domicilij.*

53 I. ILle scilicet, in cujus Diœcesi ordinandus habet domicilium habitationis verum & fixum: ubi nimirum is reipsâ habitat cum animo ibi perpetuò permanendi, quem proinde ejus Diœcesis, Episcopus tanquam ratione domicilij sibi subditum, ceu proprium Diœcesanum licitè ordinare, & hic ab illo ordinari poterit. Ubi nota pro terminis. Duplex dicitur domicilium: *originis*, de quo jam dixi à *num.* 51. *& habitationis*; ad quod constituendum, duo illa requiruntur, ut nimirum quis reipsâ in eo loco habitet, & habeat animum ibi perpetuò permanendi. Et habes animum perpetuò permanendi Romæ v. g. si cogites illic permanere semper, donec te aliquid aliò avocaverit. Layman. *cit. cap.* 9. *num.* 10. Quale domicilium quilibet etiam filiusfamil. si pubes sit, sibi constituere poterit: quamdiu autem non constituit proprium domicilium, gaudet domicilio paterno. Communis apud *citatos*. Impuberes autem filij semper censentur idem habere domicilium, quod pater, cùm ij sibi proprium domicilium constituere non possint. *Lege Placet. C. ad municipalem.* Quin etiam filijfamilias existentes sub potestate matris, si una cum ipsâ alio commigrent, sortiuntur maternum domicilium. Comitolus cum alijs apud Gobat. *num* 299. Cæterùm hoc domicilio habitationis constituto, sive à te ipso, si pubes sis, sive à parente post nativitatem tuam aliò commigrante, non propterea amittitur domicilium originis, cùm id sit immutabile *l.* 1. *& ultima ff. ad municip.* neque translatio postea facta potest auferre jus nativitatis seu originis jam semel acquisitum in illo priori loco originis: ut proinde ab utriusvis domicilij Episcopo diœcesano adhuc licitè & liberè ordinari possis, ut jam suprà innui.

54 II. Ad constituendum ergo domicilium habitationis non sufficit sola habitatio quantumvis diuturna in hoc loco, nisi adsit animus hìc habitandi perpetuò. Quare si Viennâ, ubi domicilium originis & habitationis habebas, venias hûc Passavium, etiam cum omni tua substantia, hícque constanter moreris 10. 20. 100. annis, priùs tamen declarâsti, te nolle hìc figere domicilium, expressè vel tacitè habens animum revertendi in patriam, reverâ domicilium hìc non constituisti: nam in ijs, quæ pendent ab animo nostro, statur potiùs declaratione expressâ, quàm facto contrario. *Farinacius, Menochius, Navarrus, communis cum Tamburino cit.* §. 2. *n.* 31. *Gobat. num.* 296. Nec ideo poteris hìc ordinari, nisi, mutatâ voluntate disponas hìc acquirere domicilium. Et hinc Studiosi, qui in Academia seu Universitate aliqua habitant, etiam ultra decennium solùm animo ibi absolvendi studia, & deinde revertendi in patriam, non contrahunt ibi domicilium, atque ideo ab ejus loci Episcopo ordinari non possunt, sine dimissorijs Episcopi proprij suæ originis vel domicilij paterni (aut Monasterij, si Religiosi sint); sicut neq; eorum filij, si fortè eo statu duxerunt uxorem, sicut enim is non dicitur Episcopus domicilij respectu Patris, ita nec Episcopus originis respectu filij. *Ex communi Diana p.* 8. *tr.* 2. *resol.* 15. *&* 17. *Layman, Tamburinus, Gobat, citati, Busenbaum in medulla l.* 6. *tr.* 5. *c.* 2. *dub.* 1. Quapropter quoad forum externum, ut tu alibi natus hìc advena ab Episcopo hujus loci admittaris ad Ordines, tanquam ejus diœcesanus, seu in ejus Diœcesi domicilio habens, debes testibus, vel aliter probare animum tuum hìc perpetuò manendi: sicut etiam, quando non constat de certa declaratione animi per verba, recurrendum est ad conjecturas, inter quas hæc est receptissima, si quis 10. annis alicubi habitavit, præsumitur in eo dubio ibi voluisse figere domicilium. Sed de his authores nominatim Menochium, Farinacium, alios, videant, quorum nosse interest.

55 III. E diverso quóque ad constituendum domicilium habitationis non opus est, ut quis diu inhabitet, sed sufficit, si animum constantem inhabitandi habeat, donec aliud eum avocet. Laym. *cit. n.* 10. aut quando alicubi advena identidem supplicas pro consequenda civitate illius loci, tunc enim jam acquiris domicilium cum jure petendi illic Ordines: Jordanus cum Gobat *n.* 292. Quare primo horæ quadrante, quo incipis habitare in aliquo loco, cum animo claudendi illic vitam, acquiris illic domicilium habitationis cum jure ad Ordines ab ejus loci Episcopo suscipiendos, nec perdes, donec reipsâ inde abeas, decernásque, nunquam ampliùs ibi constanter habitare: Sanchez *l.* 3. *de matrimonio. disp.* 23. *cum alijs.* Ut si Viennâ veniſti Augustam, emistique vel constituisti domum ad inhabitandum, declarâstique, te velle hic domicilium habere, seu perpetuò manere, etsi non transtuleris huc majorem partem tuæ substantiæ, poterit tamen eras filius tuus petere Ordines ab Episcopo Augustano. *Barbosa, Jordanus, alij cum Gobat. num.* 295. Adde quæ dicam infrà *n.* 218. Ac proinde crebrò fit, ut quis duplex

plex domicilium habeat, ut notant Doctores nominatim: quando nimirum constanter, jam in hoc, jam in illo loco moraris, ut cogites partim in hoc, partim in illo transigere totam vitam, ut si soleas perpetuò æstate in una Diœcesi habitare; hyeme in alia, idq; etiamsi non omnino mathematicè æqualibus temporibus, sed propè æqualibus, jam diceris habere duo domicilia vera & fixa, ut tanquam utrique Episcopo ratione domicilij subditus ab utrolibet ordinari possis, uti cum alijs notat Diana *p.* 8. *tr.* 2. *resol.* 14. & latè de hac æqualitate differens Lugo *Resp. mor. l.* 1. *dub.* 37. Tuus tamen filius ab illo tantùm Episcopo ordinari deberet, in cujus Diœcesi natus est: quòd si fortuitò alibi extra utramque Diœcesin natus esset, jam ab utrovis Episcopo ordinari posset, quia tunc utervis censebitur ejus proprius Episcop. originis. Dicina cum aliis *ibid.* Tandem ad hunc effectũ Ordinationis non sufficit in hac Diœcesi habere solùm *quasi domicilium*, in quo quis scilicet nõ perpetuò, sed solùm majori parte anni intendit habitare: etsi enim hoc sufficiat pro alijs Sacramentis necessarijs recipiendis, non tamen, pro receptione Ordinum, qui requirunt majorem delectum & cognitionem personarum. *Communis apud citatos.*

IV. *Episcopus proprius ratione beneficij, &c.*

56 TAndem quilibet licitè potest ordinari ab Episcopo, in cujus Diœcesi ordinandus habet beneficium Ecclesiasticum: nam per beneficium Clericus fit subditus ei Episcopo, & civis loci, in quo est beneficium. Communis DD. Idque extensivè verum est; etiamsi beneficium sit admodùm tenue, nec præbens sufficientem sustentationem: quia etiam beneficium tenue, est verum beneficium, atq, constituit te subditum Episcopo, in cujus Diœcesi illud obtines: quanquam tunc Ordinem susceperturus majorem debeat supplere de patrimonio, quantùm necesse est ad honestam sustentationẽ, ut notat Tamburinus *cit.* §. 2. *n.* 26. 2. Etiamsi beneficium illud sit simplex, nec requirens illum Ordinem, quem desiderat beneficiatus; neque requirat residentiam, quia hanc Bonifacius VIII. non requirit. 3. Etiam si beneficium illud non habeas ad titulum, sed solùm ad commendam perpetuam, vel si sit solùm præstimonium, aut beneficium solùm manuale, &c. 4. Etiamsi Clericus ille habeat plura beneficia in diversis Diœcesibus, à quolibet earum Episcopo ordinari poterit, quia civis eorum ratione beneficij legitimè subditus est. De his & hujusmodi pluribus minutiis videre potes authores allegatos apud Tamburin. *cit.* & Gobat. *n.* 310. Non enim juvat hìsce immorari.

57 Simili quâdam ratione cum beneficiatis domicilium acquirunt in aliqua Diœcesi, cum jure ad suscipiendos Ordines ab illius Diœcesis Episcopo. 1. Ipsâ lege per Principis privilegium vel statutum: per adeptionem Dignitatis vel Prælaturæ in eo loco, per Monachatum, Clericatum, Lecturam seu professuram publicam, per Matrimonium &c. *Jordanus apud Gobat num.* 290. 2. Officiales suscipientes officia perpetua alicujus loci, quanquam non efficiantur cives illius loci, acquirunt tamen domicilium pro se & filiis, ac proinde liberè à Diœcesano poterunt ordinari, Rebuffus, Barbosa, Jordanus apud eundem *n.* 301. 3. Barones & Nobiles censentur cives omnium locorum, in quibus possident feuda, possúntque illic eorum filij ordinari ab Ordinario. Esto, pater non habitet in loco illius feudi. Diana *sæpe cit. p.* 8. *tract.* 2. *resol.* 16. post alios. 4. Filius Regis aut Ducis potest ordinari in quavis Diœcesi sita inter fines regni vel ducatûs paterni. Gobat *num.* 300. Sed de his utique plùs satis.

SECTIO IV.

De Subjecto Ordinis.

SUMMARIUM.

58. *Subjectum Ordinis* validè *suscipiendi est solus* mas baptizatus. *Undè*
59. *Incapax est omnis Fœmina. Nec*
60. *Diaconissæ olim erant initiatæ Sacro Ordine, sed ita dicebantur ob alia munera.*
61. *Quid de Hermaphroditis?*
62. *Ordinandus adultus debet habere intentionem.*
63. *Infantes & pueri ante usum rationis* validè *ordinantur.*
66. *Uti & amentes, furiosi, ebrii, dormientes &c. non tamen licitè. Nam*
67. *Ut quis* licitè *suscipiat Sacramentum Ordinis, debet esse*
68. *I. In statu gratiæ* Usque ad n. 72.
72. *II. Confirmatus, & ordinatè, non per saltum suscipiens.* Usque ad n. 75.
75. *III. Non irregularis. Vbi*
76. Usque ad n. 79. *Quid & quotuplex irregularitas ex defectu;*
80. *IV. Non censurâ ligatus.*
86. *Quid excommunicatio.*
91. *Quid & quotuplex interdictum?* Usque ad n. 94.
94. Usque ad n. 99. *De ætate requisita ad Ordines licitè suscipiendos.*
99. *De probitate, scientia, & examine ordinandi.* Usque ad n. 103.
103. Usque ad n. 108. *De literis dimissoriis.*
108. *Titulus sustentationis seu mensæ;*
109. *Alius est titulus beneficij.*
110. *Alius Patrimonij.*
113. *Alius Paupertatis.*
114. *Quæ sint pœnæ in ordinatos sine titulo.*
116. *De loco, & tempore ordinandorum. Item*
119. *De interstitiis inter Ordines suscipiendos.*
121. *Qualia Privilegia circa prædicta habeant Regulares?*

§. I.

Quodnam est subjectum Sacramenti Ordinis validè suscipiendi?

Est solus mas baptizatus, & si adultus, habens intentionem. Ita omnes. 58

I. *Est solus mas baptizatus.*

I. CErtum est Sacramenti Ordinis ipso jure divino incapacem esse imprimis omnem hominem non baptizatum, ut habetur *c. veniens de Presbytero non baptizato*: cùm, ut suprà dictum, Baptismus sit janua Sacramentorum: Baptismo enim nascimur ad vitam spiritualem, reliquis omnibus Sacramentis vita spiritualis gratiæ in nobis vel augetur tantùm, vel amissa reparatur: quare si Sacerdos v. g. deprehenderetur non fuisse validè baptizatus, ob defectum substantialem in ejus Baptismo commissum, postea suppleto Baptismo, omnes Ordines, quippe antea nulliter collati, necessariò reiterandi essent. De quo latè *Gobat Tract. 2. seu Alph. baptizantium casu* 14. Lege, si lubet. 59

II. Deinde ipso jure divino Sacramenti Ordinis

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis incapax est omnis fœmina. *Ex cap. novit de Pœnit. & remiss.* & communissima omnium Catholicorum. Constat inprimis ex perpetuo sensu & praxi Ecclesiæ, cui id semper fuit persuasum: ideóque nunquam permisit fœminam ordinari, cùm & ipse Christus nullam fœminam, nec propriam quidem matrem ordinaverit. Ratio autem est. Quia Ordines seu gradus Ecclesiastici pro ijs à Christo instituti sunt, qui eminentiam dignitatis, potestatis, ac officij præ alijs fidelibus in Ecclesia, præsertim in Ordine ad Sanctissimum Missæ Sacrificium, convenienter obtinere possunt: tales autem non sunt mulieres, quippe quæ ob sexûs infirmitatem viris subditæ esse debent, Genes. 3. Quò alludens Apostolus 1. Corinth. 14. *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit*: & mox infrà; *siquidem autem volunt discere, domi viros suos interrogent: turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Hæc Apostolus. Atqui similiter, imò multò magis turpe esset mulierem in Ecclesia Deo Sacrificium offerre, aut sacrificanti ministrare solenniter.

60 III. *Diaconissæ* (quarum frequens mentio in Concilijs, & historijs Ecclesiasticis) sine dubio non fuerunt consecratæ sacro Ordine Diaconatûs, sed fuerunt fœminæ olim deputatæ ad aliquod ministerium in Ecclesia obeundum maximè circa fœminas, quod honestiùs ac decentiùs ab ijs, quàm à viris Diaconis, vel Presbyteris, obiri poterat: Diaconus enim græcè, latinè significat ministrum, Diaconissa ministram. Sic enim Clemens *l. 8. c. 28. apud Layman. c. 6. n. 3.* scribit: *Diaconissa non benedicit, nec facit aliquid eorum, quæ Diaconi vel Presbyteri faciunt, nisi quòd januas custodit, & Presbyteris ministrat, cùm mulieres baptizant, idque propter decorem & honestatem.* Sic ille. Erat ergo officium illarum mulierum, imprimè assistere ad ostium Ecclesiæ, ubi mulieres ingrediebantur, ut dignas admitterent, & indignas arcerent; quemadmodùm eo fine Ostiarij manere debebant ad ostium, ubi viri ingrediebantur: ut indicat ipse Clemens *l. 2. c. 57.* Vasquez *disp. 245.* sapienter addens. *Quod tamen satis non est, ut dicamus eas fuisse ordinatas Ostiarias, nam illis non erat demandata custodia templi, sicut Ostiarijs, sed adjuvabant in hoc ostiarios: pro ipsis stando ad portas illas mulierum, quia id magis honestum videtur.* Alterum officium erat inservire in Baptismo mulierum, eas instruendo, præparando, abstergendo frontes, dum in Baptismo oleo sancto inungebantur, ne aspicerentur à viris &c. De quibus latè & fundamentaliter Vasquez *disput. 246.* ex quo Layman. *cit.* & Gobat *n. 88.* addens: Diaconissas etiam ideo dictas esse, quòd essent legitimæ uxores Diaconorum, sed separatæ à thoro conjugali, sicut etiam Presbyteræ vel Episcopissæ nuncupatur eæ, quas mariti promoti ad eam dignitatem deseruerant continentiæ servandæ causâ.

61 IV. At, quid de Hermaphroditis (homines sunt utriusque Sexûs, viri ac fœminæ organis simul vel etiam successivè instructi) Mi bone Tyro, Ego cum P. Gobat *Casu 2. n. 32.* omnino parcerem castis tuis auribus, ne cogitare incipias nunquam fortè antea cogitata, neque etiamnum cogitanda; sed remitterem te ad probatos Authores, nominatim *Vasquez cit. disp. 245. Sanchez lib. 7. de matrimon. disp. 106. Lugo Respons. moral. l. 1. dub. 31. Tamburin. De Sacramentis l. 7. c. 6. §. 1. num. 5.* nisi non semel nec rarissimè ipse præsens vidissem talia interrogari ex Tyronibus in examine Ordinandorum, ejusmodi libris rarò instructis: accipe ergo brevi compendio ex authoribus citatis. 1. Siquidem in tali homine prævaleat constanter Sexus fœmineus, simpliciter incapax est sacræ Ordinationis, quia simpliciter non vir, sed fœmina est. Idémque dicendum foret de eo, qui nullum haberet Sexum, qualem natum esse refert Livius *Dec. 4. l. 1.* Talis enim reverâ non esset vir. *Tamburin. cit. §. 1. n. 6.* 2. Siquidem in eo prævaleat Sexus virilis, capax est Ordinis, sicut & Matrimonij, ideóque validè ordinaretur, quia simpliciter vir est; attamen non licitè, nisi per dispensationem Pontificis, quia Hermaphroditus irregularis est ex communi Sententia cum Suarez *de Censuris disp. 51. sect. 2. Bonacina de Cens. disp. 7. q. 2. n. 15.* Etsi id negent Toletus, Fomar. Hurtadus, alij. Et esto in rigore non sit irregularis, certè tamen adhuc non esset ordinandus, quia per se monstruosum esset ordinari hominem aliquo modo tandem fœminam. 3. Eum, in quo uterq; Sexus æquè prævalet, utrum sit capax Sacramenti Ordinis: aliqui affirmant, alij communiùs negant: omnes autem consentiunt non esse licitè ordinabilem, utpote irregularem & maximè monstruosum. Vide DD. citatos apud Tambur. *cit. n. 5.* 4. Si Hermaphroditus Sexum prævalentem mutavit, siquidem ex muliere erupit in virum (quod aliquando evenisse constat) utique evadet capax Ordinis, quia debet attendi præsens status, in quo simpliciter est vir. Quin imò si ita in virum evadat, ut in nullo remaneat fœmina, neque irregularis erit, sed licitè ordinaretur (secùs si remanet etiam fœmina, juxta modò dicta *n. 1. & 3.*) Contrà verò si ex viro desciscat in mulierem (quod quidem fieri posse ego nunquam credidi, nec factum esse hactenus usquam auditum: sed ecce Anctum esse hactenus usquam auditum: sed ecce Anctum esse hactenus usquam auditum: sed ecce Anct

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnino fatendum erit eos validè ordinandos, etsi illicitissimè. Certè Layman *cit. c. 6. num. 4. in fine.* absolutè scribit amentem capacem esse sacræ Ordinationis, dummodò si priùs rationis usum habuerit, in Sacramenti susceptionem actualiter consenserit, eúmque consensum actuali voluntate non retractârit. Hactenus quoad valorem. Jam quoad licitum esto.

§. II.

Quæ requiruntur, ut quis licitè suscipiat Sacramentum Ordinis?

67 VAria sanè requiruntur: omnia ad quatuor capita reduco: 1. *Ut sit in statu gratiæ*: 2. *Ut sit confirmatus & ordinatè suscipiens.* 3. *Non sit irregularis, nec censurâ ligatus.* 4. *Ut habeat, seu adsint, & observentur reliquæ requisita Canonica*: *utpote ætas, probitas, scientia, examen & approbatio Episcopi, Dimissoriæ, Titulus sustentationis*: *item locus, tempus, interstitia*, Est tota certa apud omnes: & esset sanè vastissimæ tractationis: sed conabor compendio comprehendere hoc & sequenti §. quantùm Tyroni ad capessendos sacros Ordines sufficit, & necessarium est: qui grandior factus ampliorem notitiam apud Authores allegandos acquirere poterit.

I. Sit in statu gratiæ.

68 I. RAtio est. Quia Ordo est Sacramentum vivorum, per se & ex institutione sua conferens gratiam secundam, ideóque supponit ordinandum jam esse in statu gratiæ: adeò ut certum sit peccare de novo mortaliter eum, qui conscius criminis lethalis nec confessione vel contritione priùs deleti, suscipit aliquem Ordinem, quem constat esse Sacramentum. Constat ex communi doctrina de ponentibus obicem Gratiæ sacramentali. Attamen talis validè ordinaretur, & Characterem susciperet; & insuper jus ad non solùm gratias actuales conferendas suo tempore, sed etiam ad gratiam sanctificantem, ablato obice infundendam: cùm in probabili multorum Sententia tunc sit Sacramentum informe gaudens privilegio reviviscentiæ, juxta dicta *c. 1. num. 30*

69 II. Quia ergo prima tonsura non est Sacramentum, ideo non peccaret graviter, qui permitteret se attonderi in Clericum in eo statu non præmisso ullo dolore de suis peccatis. Quin etiam, quia valde probabile est, neque quatuor Ordines minores esse Sacramenta, ut *supra sect. 2.* visum; ideo cum Gobat *num. 26.* non damnarem peccati mortalis, qui permitteret se initiari uno illorum Ordinum conscius lethalis delicti, modò confiteretur ante Communionem, cùm valde probabile sit tunc abesse sacrilegium.

70 III. Ergóne suscepturus Sacramentum Ordinis, & conscius sibi lethalis noxæ, necessariò deberet priùs confiteri? R. Ratione susceptionis solius Ordinis Sacramenti non necessariò debet priùs confiteri, sed sufficeret elicere contritionem, saltem bonâ fidè æstimatam, tunc enim per accidens Sacramentum Ordinis ei conferret gratiam primam, juxta dicta *cap. 1. n. 22.* At, quia simul etiam communicabit, omnino tenetur priùs confiteri, si habeat copiam confessarij: idque ex speciali præcepto Concilij Tridentini. Quemadmodùm eâdem ratione tam ordinans, quàm ordinandus Ordinibus sacris debent esse jejuni jejunio naturali. *c. quod a Patribus dist. 75.* sic intellecto à Theologis & Canonistis. Quia saltem Communio, si non Ordinatio hoc requirit. Cæterùm neque ordinaturus, neque ordinandus tenetur jejunare pridie ordinationis, cùm nullus textus juris id requirat, neque DD. de eo mentionem faciant, teste Gobat *Casu 9. num. 357*

71 IV. At qualis est obligatio communicandi in sacra ordinatione? R. Certè gravis vix ulla. Nam neque Subdiaconi & Diaconi sub mortali obligantur sumere sacram Hostiam: uti (alijs tacentibus) singulariter docent Quintanadvennas *singulari 17. num. 2. Tamburinus, & Gobat* mox citandi, cùm nullus textus juris seu lex scripta, nulla consuetudo habens vim legis graviter obligantis id imperent: neque Rubricæ Pontificalis sic disponentes indicent præceptum grave, sed solùm concilium & directionem ad majorem decentiam & reverentiam sacræ Ordinationis: quæ sine dubio negligenda non sunt. At verò Neomystas seu Sacerdotes initiatos sub mortali obligari ad Communionem volunt idem Quintanadvennas. *ibid. n. 3.* Tamburinus *l. 7. de Ordine. c. 2. §. 6.* eo fundamento; quòd omnes Neomystæ consecrent, & sacrificent cum Episcopo: ergo sub mortali tenentur participare de suo Sacrificio, sumendo sacram Hostiam; cùm sumptio sit de essentia, vel certè de substantiali integritate Sacrificij. Attamen hoc meritò non audet dicere P. Gobat *num. 359.* Etenim videtur valde durum, & à Christiana pietate alienum, aliquem mittere in infernum, aut dicere, quòd aliquid sit peccatum mortale, sine evidenti & certa ratione: sed ratio ista allegata nullo modo est evidens & certa, cùm nusquam extet lex, quæ obliget saltem graviter Neomystas ad consecrandum, seu proferenda verba consecrationis cum Episcopo formaliter & significativè, cum intentione consecrandi, quin possint ea proferre solùm materialiter in signum potestatis acceptæ, ut *Parte 2.* suo loco videbitur. Deinde sacrificans non tenetur Hostiam sumere, nisi à se consecratam: atqui non obligantur Neomystæ habere intentionem consecrandi particulas, quæ ipsis præbentur, cùm sine dubio licitè possint ijs præberi Hostiæ aliæ antea consecratæ: & possunt etiam absq; omni peccato restringere suam intentionem ad Hostiam principalem, & non alias particulas appositas Episcopo ad consecrandum.

II. Confirmatus, & ordinatè suscipiens.

72 I. COnfirmatus debet esse, qui Ordines, imò & primam tonsuram accipere vult. Sic enim Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 4. de Reform.* statuit: *Primâ tonsurâ non initietur, qui Sacramentum Confirmationis non acceperit.* Ratio videtur esse, quòd non sit conveniens, eum, qui nondum est confirmatus in fide Christi, fieri specialem Ministrum Christi cum potestate ministrandi circa Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, ideóque

que Character Confirmationis, necessitate præcepti prærequiratur, ut quis licitè accipiat Characterem Ordinis: sine dubio autem non necessitate Sacramenti: quin validè ordinaretur non confirmatus, nec ullam censuram incurreret, secundùm omnes. Et quidem præceptum illud ad præmittendam Confirmationem sacræ Ordinationi obligare graviter, adeò ut mortaliter delinqueret non confirmatus scienter suscipiens Ordines, affirmant quidem graves Doctores *Toletus, Bonacina, Nugnus, Tannerus, Castro-Palaus*, alij apud citandos: sed probabiliùs id negant alij communiùs. *Suarez, Valentia, Coninck, alij cum* Diana *p. 2. tract. 16. resol. 4.* Gobat *n. 20.* eò quòd verba illa Concilij Tridentini non significent obligationem gravem, nec ullum aliud extet de hoc præceptum obligans graviter; ut proinde ratio data *num. præced.* etiam hic vim habeat. Venialiter tamen delinquere talem contra ordinationem Ecclesiæ consentiunt DD. communiùs: quanquam idipsum ut probabile neget Tamburin. *de Sacramentis l. 3. c. 3. §. 3. num. 5* addens: *Episcopum quidem ipsum scienter ordinantem non confirmatos a dicto veniali non excuso, quia magis ad ipsum pertinet, directiones Conciliorum diligenter custodire.* sic ille.

73 II. Ordinatè etiam & non per saltum Ordinandus debet suscipere Ordines, habito videlicet jam cum prima tonsura, Ordine inferiori, dum vult suscipere Ordinem superiorem, ut sic superior Ordo non suscipiatur ante inferiorem, *cap. unico de Clerico per saltum promoto*: & nullus ante primam tonsuram. *Trident. sess. 23. cap. 2.* Quia Ordines sunt velut gradus subordinati, quibus Clerici ascendunt ad dignitatem Sacerdotij.

74 III. Validè tamen aliquis ordinaretur per saltum v. gr. Presbyter, etiamsi antea non fuisset Diaconus, imò nullum alium inferiorem Ordinem suscepisset, *cit. cap. unico.* Estque communis Sententia DD. apud Layman. *cit. c. 6. num. 5.* Et constat ex praxi Ecclesiæ. Nam si aliquis per saltum ordinatus est, non iteratur Ordo sic susceptus, sed Ordo omissus suppletur, juxta *cap. sollicitudo dist. 52.* Et ratio est; quia superior non includit essentialiter inferiorem Ordinem, excepto solo Episcopatu, qui essentialiter includit, vel supponit Presbyteratum, ut alibi jam indicavi.

75 IV. At verò minimè licitè, sed graviter peccat, scienter & voluntariè sinens se ita ordinari per saltum *cit. cap. unico.* quia agit contra præceptum Ecclesiæ in re gravi: & insuper eatenus suspensus manet, ut nequeat obire officia Ordinis ita suscepti, neque ascendere ad alium superiorem, donec ab Episcopo Ordine omisso suppleto, dispensetur. Communis cum *Navarro, Suarez, Castro-Palao apud Gobat num. 711.* etsi id alij negent: sed manifestè significat, & supponit Trident. sess. 23. cap. 14. de Reform. in fine: *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* Ad quid autem dispensatio, si nullum adesset vinculum dispensandum alicujus censuræ? Et consequenter si in tali Ordine suscepto per saltum etiam temerè ministravit, jam etiam factus irregularis, à solo Papa jure ordinario dispensaretur, sicut etiam si ministrâsset in alio Ordine non suscepto: de his mox ampliùs.

III. Non irregularis.

76 IRregularitas enim est *Inhabilitas Canonica ad Ordines suscipiendos, & in susceptis ministrandi.* Est nimirum impedimentum à Jure Canonico inductum, quo quis inhabilis fit directè & primariò ad Ordines Ecclesiasticos suscipiendos, secundariò etiam ad jam susceptorum Ordinum exercitium, ac usum ob reverentiam divinorum. Quare palàm est, nullum irregularem, durante irregularitate, licitè ordinari posse, sicut nec in suscepto jam Ordine seu licitè, seu illicitè, ministrare potest. Hujus variæ sunt species, variè à variis enumeratæ: sed generatim communiter duplex assignatur species irregularitatis *ex delicto*, & *ex defectu*, ad quas omnes species reliquæ reducuntur. Enumero, & explico eas brevissimè.

Irregularitas ex delicto

77 ESt, quæ ex delicto proprio incurritur, eáque potissimùm quadruplex. *Prima, ex abusu Sacramenti*: ob iteratum Baptismum scienter, & seriò factum, quando scilicet scitur primus Baptismus non fuisse nullus, tam rebaptizans, quàm rebaptizatus irregulares fiunt: sicut & permittens se baptizari ab Hæretico. *Secunda, Ex abusu Sacri Ordinis*, eóque multiplici. 1. cùm quis suscipit Ordinem sacrum, non autem quatuor Minores) quando est irretitus aliquâ censurâ. 2. Suscipiens eundem ab Excommunicato, Hæretico, &c. 3. Suscipiens duos Ordines sacros uno die: non item, si uno die suscipiat quatuor Minores, & Subdiaconatum. 4. Faciens se promoveri per saltum, id est, transiliendo unum Ordinem, suprà *num. 75. 5.* Cùm quis uxoratus uxore vivente, extra casus in jure concessos suscipit Ordines. 6. Cùm quis Clericus solenniter & scienter exercet actum proprium Ordinis sacri, quem non suscepit. 7. Ex malo usu Ordinis cum violatione censuræ, cùm quis exercet actum Ordinis, à quo est suspensus, aut si est excommunicatus. Ita omnes scribentes de irregularitate.

78 *Tertia*: Ex delicto quocunque enormi, habente annexam publicam infamiam ex jure, si scilicet sit notorium, & depositione dignum: ut adulterium, raptus, incestus, sodomia, perjurium in judicio. *Quarta*: Specialiter ex delicto homicidij voluntarij injusti mortaliter peccaminosi, & mutilationis similiter mortaliter injustæ: ut proinde hanc irregularitatem tunc solùm incurras, quando cum peccato mortali injustitiæ contra quintum Præceptum Decalogi, utpote vel directè intendens, vel saltem indirectè, exercendo aliquam actionem de se valde periculosam, cum prævisо gravi periculo secuturæ mortis, vel mutilationis alterius, aliquem occidis, vel mutilas: atque adeò si des operam rei etiam licitæ, v. g. equum furto ablatum abigendo &c. unde sequatur mors aut mutilatio; si tamen illa actio non sit hìc & nunc ita periculosa ad occidendum, vel mutilan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum aliquem, ut pecces mortaliter contra jus naturæ præcisè ratione periculi prævisi occidendi, vel mutilandi, non eris irregularis. Multò minùs eris, si des operam rei licitæ de se non ita periculosæ. Ut si infirmarius, etiam Religiosus, etiam Confessarius, moveat, vel moveri faciat infirmum in lecto, ut vel cibum capiat, vel quietiùs jaceat, &c. uti latiùs deduxi in quinto præcepto. *P. 5. Decal. cap. 3. a n.* 178. Ex communi DD. *Valentia, Coninck, Tanner, alij cum* Diana *p. 4. tr. 2. resol.* 10. Gobat. *n.* 668.

79 Denique universaliter adde duo: *Unum.* Nullum crimen inducit irregularitatem in foro conscientiæ, nisi illud patrans sciat illi annexam esse irregularitatem. Ita *post Navarrum, Reginaldum, Sanchez, Coninck, Peregrinum, Merollam, Bonacinam*, alios fusè Diana modò *cit. tr. 2. resol. 85. Alterum.* Quando dubitas, an verè admiseris aliquod ex iis criminibus, quibus annexa est irregularitas, non es habendus irregularis, sed stante illo dubio, post moralem inquisitionem veritatis perseverante, potes te gerere, ac si scires, te non patrâsse illud, ut ex *Suarez, Sanchez, Layman, Francisco Bardi* satis dixi *parte* 1 *Decal. c.* 1. *a n.* 96. Et rursus *p. 5. cap. 3. à n.* 129. Excepto tamen dubio facti de homicidio, in casu, quo constat homicidium esse patratum, & tu scias te commisisse actum mortaliter injustum, ex quo potuit sequi mors aut mutilatio, dubitas autem, an fuerit secuta ex tuo facto, nec ne? ut si inter plures injustè invadentes & percutientes inimicum, etiam tu percussisti, ejaculatus es, dubitas autem, an tu, vel alius lethaliter tetigerit &c. debes te pro irregulari gerere, donec scias ex tuo facto mortem vel mutilationem non esse secutam; quia ita expressè decidit in jure *c. significasti. c. ad audientiam. De homicidio.* uti dixi ibidem. *ll. citt.*

Irregularitas ex defectu.

80 DIcitur, quæ ex solo defectu aliquo inducente indecentiam in Sacris, etiam sine proprio delicto vel culpa incurritur, eáque multiplex. *Prima: ex defectu Sacramenti*, ut jam per illud non possit tam perfectè significari unio seu conjunctio Christi cum Ecclesia, sicut solet significare. Quale impedimentum est *bigamia;* eáque triplex. 1. realis & propriè dicta, quando nimirum quis successivè ducit duas legitimas uxores, & cognoscit carnaliter utramque: quia nimirum sic dividit carnem suam in duas vel plures, & ideo non repræsentat perfectè unionem Christi cum Ecclesia, nec est idoneus Minister Christi. 2. *Interpretativa* bigamia; cùm quis habet copulam carnalem cum legitima uxore, postquam fuit ab altero, intra vel extra Matrimonium carnaliter cognita. 3. *Similitudinaria:* cùm quis jam sacris Ordinibus initiatus, contrahit invalidè Matrimonium cum aliqua, cognoscitque eam carnaliter. *Ex communi scribentium de irregularitate, & citati omnes.*

81 *Secunda: Ex defectu animæ.* Irregulares sunt in primis illiterati, & inscij requisitorum ad exercitium Ordinum, de quibus §. *seq.* adeóque etiam Neophyti, id est, recenter conversi, neque sufficienter instructi, judicio Episcopi: deinde à fortiori omnes amentes, stulti, phrenetici, & tandem Pagani, Judæi, Hæretici publici; nam si fuisti occultè Hæreticus, ac deinde legitimè absolutus, non es irregularis. Tannerus, alii cum Layman *l. 1. tr. 1. p. 5. c. 7. n. 28. c. statutum. De Hæreticis in* 6. statuitur posse ordinari jam Catholicum filium Hæretici Parentis ante mortem conversi. Quin simpliciter filium Hæretici ad fidem orthodoxam conversum non esse habendum pro irregulari, in ijs locis, in quibus Hæresis non parit infamiam, seu Hæretici tolerati sunt, ut in Germania, docent Sanch. *l. 2. Decal. c. 27. n. 28. Henriquez, Sayrus, Emanuel Sa, Tannerus*, alij cum *Layman loco cit.* subjiciente; saltem debere esse certum cum talibus posse dispensari per privilegiũ dispensandi super omni irregularitate, præter eas, quæ ex homicidio voluntario, mutilatione, bigamia, & natalium defectu contractæ sunt.

82 *Tertia: Ex defectu corporis, membri alicujus, vel valetudinis.* Et quidem quando defectus membri est per mutilationem ex propria culpa, ut si illicitè abscidisti tibi aliquod membrum, etsi occultissimum (v. g. te castrando ex stulto zelo Castitatis) inducit irregularitatem, etsi defectus illius membri nihil officiat ministerio sacro Ordinum. At verò quando defectus membri provenit sine culpa propria, à natura, casu, violentia, non efficit irregularem, nisi respectu Ordinis, cujus usum impedit, aut nisi inducat gravem deformitatem. Hinc 1. respectu omnium Ordinum irregularis es, si sis cæcus, surdus, claudus, turpiter claudicans, unipes, mancus manibus. Et respectu solius Sacerdotii irregularis es, si careas pollice, vel indice, qui dicuntur digiti Canonici (si tamen pollex mutilatus vel truncatus, sit ita firmus, ut unà cum indice Hostiam securè tenere, elevare, & frangere possit, posse quem promoveri ad Sacerdotium, observat Laym. *cit. cap. 7. num.* 4.) Item si careas oculo sinistro, itidem Canonico dicto, ut S. Canonem commodè & sine deformitate legere non possis: non item si oculus ille sit integer, seu non effossus cum gravi deformitate, etsi cæcus; & dexter oculus sit sufficiens ad legendum Canonem, qua in re potest esse usui dispositio libri, ait *Layman cit. cap. 7. n. 2.* post *Molinam* & alios. 2. Universaliter irregulares sunt ex defectu corporis tali, ut sine gravi deformitate, horrore, vel scandalo quis non possit exercere suum Ordinem. Ut si careas naso vel auribus (nisi deformitas capillaturâ tegi queat) si monstrosè gibbosus, facie valde ustulatâ: si habeas membra superflua cum gravi deformitate: si sis Hermaphroditus, etiam Sexu virili prædominante, notorius saltem: *suprà n.* 61. 3. Eâdémque utrâvis ratione inregularitatem inducit defectus valetudinis: vel impediens executionem Ordinis, vel habens adjunctam deformitatem. Nam irregulares sunt leprosi, phrænetici, epileptici, seu morbo caduco laborantes, qui tamen si jam ordinati sunt, & infra annum eo morbo non laborârunt, præsumuntur liberati, & admittuntur ad Ordinis exercitium, etiam ulteriores

teriores Ordines suscipiendos. Notat autem Diana *p. 4. tr. 2. resol.* 73. Prælatum posse dispensare cum Sacerdote sibi subdito, etsi ob manus tremulas ex chyragra, aut aliud ejusmodi impedimentum non possit observare omnes cæremonias, dummodò possit complere ministerium sine periculo, maxime effusionis Sanguinis, & non oriatur inde grave scandalum, ideóque id plerumque fieri debebit in occulto.

83 *Quarta. Ex defectu natalium.* Irregulares námque sunt omnes illegitimi, non tantùm spurij, nati scilicet ex coitu damnato. illorum nimirum, qui tempore coitus non potuerunt contrahere Matrimonium, utpote ex adulterio, incestu, sacrilegio, sed etiam naturales nati ex coitu non damnato, quorum scilicet Parentes uterque solutus, tempore coitûs Matrimonium contrahere potuissent: nimirum ex simplici fornicatione. Hi tamen naturales legitimantur per subsequens Matrimonium. Omnes autem istæ irregularitates tolluntur. 1. Per legitimationem Pontificiam seu Papali authoritate factam: Principes enim sæculares, eorúmque comites Palatini, ordinariè saltem non possunt legitimare pro foro Ecclesiæ, ad Ordines & Beneficia, sed tantùm pro foro sæculari, in Ordine ad hæreditates & officia sæcularia. 2. Per dispensationem ita quidem, ut solus Papa dispenset ad Ordines majores, dignitatem, & beneficium curatum: Episcopus verò ad Ordines minores, & beneficium simplex. Communis, ex *cap. 1. & 2. De Fil. Presbyt.* 3. Per Professionem Religionis approbatæ, sed in ordine ad Ordines tantùm, non item in Ordine ad Prælaturas vel Dignitates Ordinis, nisi cùm iis fuerit dispensatum. Denique: quoties dubium est, an aliquis sit legitimus nec ne? reputandus est pro legitimo; quia *in dubio non præsumitur vitium*: id maximè, si maritus eum hactenus tractavit ut suum, suúmque filium appellavit: idque etiamsi Mater testetur, affirmet, juret te esse conceptum extra Matrimonium; nullâ lege teneris ei credere: etiamsi constet Matrem tuam commisisse adulterium, túque adulteri formam & lineamenta referas: etiamsi natus sis septimo mense post nuptias, aut duodecimo vel decimo tertio mense post mortem mariti: etiamsi natus sis ex Matrimonio reipsâ irrito, quando utraque vel alterutra pars ignara impedimenti dirimentis contraxit. Rationes & authoritates videre potes apud Gobat hic *casu* 11. *sect. 2. & Theol. Juridico moral. cap.* 78. Tandem expositum, cujus nec Pater, nec Mater sciri potest habendum esse pro legitimo, adeóque nullâ indigere dispensatione, contra alios docent Suarez *de Censuris disp.* 58. *sect.* 4. *Sayrus, Coninck, Laym. sup. Castro-Pal.* apud Gobat *hic casu* 11. *n.* 436.

84 *Quinta. Ex defectu ætatis.* Irregulares enim dicuntur non tantùm omnes infantes, sed etiam adulti non habentes annos ætatis canonicè requisitos: sed de his plusculis agendum seorsim. §. *seq.*

85 *Sexta. Ex defectu libertatis.* Irregulares enim sunt omnes servi propriè dicti, seu mancipia, nisi prius libertate donentur: item omnes uxorati, nisi uxores consentiant, & votum continentiæ emittant: itémque omnes curiales, curiæ scilicet sæculari obligati juramento vel stipendio, quamdiu tale officium habent: & similiter milites Sacramento militari obligati.

Septima. Ex defectu famæ; Seu ex infamia notoria, quæ partim contrahitur ex natalibus seu probro & crimine alieno: partim ex conversatione & crimine proprio. *supra n.* 78. Irregularem enim facit omnis infamia, seu *juris*, uti ex crimine ad judicium delato, seu *facti*, si crimen publicè notorium sit, ut post alios bene explicat Layman. *cit. tract. 1. p. 5. cap. 4. n.* 10. addens: Si sis à civili Magistratu notatus aliquâ infamiâ, & hic postmodùm restituat pristinæ famæ (vulgò **wider redlich macht**) irregularitas desinet: ejusdem enim est absolvere, cujus est ligare. *l. nemo ff. De Regulis Juris.* 86

Octava. Ex defectu perfectæ lenitatis. Quæ irregularitas contrahitur, ob justam deformationem (mortem scilicet vel mutilationem seu truncationem alicujus membri) publicâ authoritate factam, in judicio vel bello justo offensivo. Sic dicta: quia judex v. g. ferens sententiam sanguinis in aliquem, non perfectè imitatur lenitatem & mansuetudinem Christi Domini, qui Agnus mansuetissimus nullius alterius, sed Ipse pro aliis proprium sanguinem fudit, & noluit pronuntiare dignam morte mulierẽ in adulterio deprehensam, & pro crucifixoribus suis oravit Patrem: ideóque indecens sit, ut ij, qui ad humani sanguinis effusionem, per mortem vel mutilationem, quamvis justè, sponte tamen cooperantur, personam Christi repræsentent, & sacris Ordinibus, maximè Sacerdotio initientur. Quinam autem in particulari hanc irregularitatem incurrant, dixi *Tract. 5. Decal. c. 2. a n.* 40. Hic tamen obiter nota, in omni irregularitate potestate ordinariâ dispensare solùm Summum Pontificem: at potestate delegatâ ex Concilio Tridentino Episcopus dispensat in omni & sola irregularitate ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario. *Vide Tract. cit.* 87

Quid si ergo quis aliquo dictorum modo factus irregularis, & nondum dispensatus, suscipiat, ac etiam exerceat sacros Ordines? Resp. 1. Is validè suscipit Ordines quoscunque. Si enim habeat omnia ex institutione Christi essentialiter requisita ad valorem Sacramenti hujus, non potest ejus valor ab Ecclesia impediri. 2. Minimè autem licitè, sed peccat mortaliter etiam minores Ordines suscipiendo: quia transgreditur præceptum Ecclesiæ gravissimum, concernens reverentiam divinorum & principaliter augustissimi Eucharistiæ Sacramenti, & Sacrificij. 3. Non tamen incurrit aliam irregularitatem novam, aut censuram aliquam: quia ex nullo jure constat, vel apparet aliam irregularitatem statui, vel censuram fulminari contra irregularem suscipientem Ordines, excepto tantùm defectu ætatis, de quo §. *seq.* 4. Denique irregularis: sive ante, sive post susceptum Ordinem, contractâ irregularitate, peccat mortaliter, si scienter & malâ fide, seclusâ necessitate 88

Universidad de Deusto
Biblioteca

vitandi scandalum, vel infamiam propriam, exerceat actum proprium sui Ordinis, seu actus illos, qui exerceri nequeunt sine Ordinis potestate, uti est etiam Baptismus solennis, Benedictio nuptiarum &c. Validè tamen actus sui Ordinis exercet: quia Ecclesia non vult, nec potest per irregularitatem tollere potestatem Ordinis à legitimè ordinatis. Quare, quando in sacris textibus Juris legis, Ordinationem irregularis esse nullam vel irritam, intelligas quoad executionem licitam tantùm: non autem quoad executionem vel etiam susceptionem Ordinis invalidam, Omnia ex communi DD. apud citatos.

§. IV.

Non censurâ ligatus.

89 CEnsura generatim *est Pœna spiritualis & medicinalis: per quam homini baptizato delinquenti & contumaci potestate Ecclesiasticâ aufertur usus quorundam bonorum spiritualium externorum Ecclesiæ.* Ad frangendam nimirum contumaciam. Non enim homo per censuram privatur bonis spiritualibus merè internis, utpote Gratiâ, Charitate &c. multò minùs Charactere & potestate Ordinis, sed tantùm bonis externis spiritualibus, quæ scilicet aliquem spiritualem effectum vel commodum habent, uti est usus Sacramentorum, & alia mox specificanda. Censura ergo propriè tunc solùm dicitur, quando talis pœna, excommunicatio, suspensio, &c. infligitur delinquenti in medicinam ad cohibendum à delicto committendo, vel à jam commisso resipiscendum, ac contumaciam frangendam: ut quando sic dicitur: *nisi hoc feceris*, vel *si hoc feceris*: excommunicatus, suspensus sis. At verò, quando infligitur in merâ vindictam sceleris commissi, independenter à Pœnitentia delinquentis, ut si feratur excommunicatio, vel suspensio in perpetuum, vel ad certum tempus, ad arbitrium Judicis, jam non censura propriè, sed pura pœna dicenda erit, ut ex communi observat Tamburinus *l.* 10. *de censuris tract.* 2. *c.* 1. Quò patet differentia ab irregularitate. Nam irregularitas etiam ex delicto, propriè non est pœna, non etiam fertur principaliter in vindictam vel emendationem delicti, sed solùm est inhabilitatio ad Ordines suscipiendos & ministrandos ob reverentiam Sacrorum, & indecentiâ, si tali delicto infectus sacris Altaribus ministraret. Irregularitas autem ex defectu, etiam absque omni delicto vel culpa contrahitur, ob eandem rationem, ut ex dictis patet.

90 Triplex est censura: *Excommunicatio, suspensio, & interdictum. Excommunicatio*, (major nimirum & simpliciter dicta, etiam anathema vocata,) *est censura Ecclesiastica, quâ homo privatur omni communione Ecclesiæ in bonis spiritualibus externis*, utpote usu activo & passivo Sacramentorum omnium (adeóque etiam Ordinum) participatione suffragiorum Ecclesiæ, ac indulgentiarum, omnis beneficij ac officij Ecclesiastici, ipsâque communicatione politicâ fidelium, si excommunicatus sit non toleratus & vitandus. Jam vides excommunicatum non posse licitè suscipere Ordines, nec in susceptis ministrare. Excommunicatio alia *minor* dicta privat solùm usu passivo Sacramentorum, & incurritur ferè solùm ob consortium cum excommunicato non tolerato, qualis tantùm est nominatim denuntiatus, ac notorius percussor Clerici. *Suspensio* est censura Ecclesiastica, quâ Clericus privatur usu potestatis sibi competentis, aut ratione Ordinis sui Clericalis, aut ratione Beneficii. Quare duplex est suspensio. Una *ab officio Ordinis*, & sic suspensus non potest licitè exercere actum sui Ordinis susceptì, nec consequenter ulteriorem Ordinem suscipere. Alia est suspensio à Beneficio tantùm, aut etiam à sola Jurisdictione, ut si Sacerdos, relictâ facultate celebrandi, suspenditur ab audiendis confessionibus, alióve officio. Et talis adhuc licitè exercet actum sui Ordinis, aliósve Ordines nondum habitos suscipit: ut si Diaconus Canonicatu vel Parochiâ habitâ privetur, interim licitè ordinatur Sacerdos, si nihil aliud obstet.

Interdictum est censura Ecclesiastica prohibens 91
usum divinorum officiorum publicorum, ac Sacramentorum (exceptis Baptismo, Confirmatione & Pœnitentia) & Ecclesiasticæ Sepulturæ, quâ talis est. Triplex est hoc interdictum, *Personale, locale, & mixtum.* Interdictum *personale* est, quo ipsa aliqua persona dictis prohibitionibus afficitur, ideóq; personaliter interdictus feret secum prohibitiones illas, in quemcunque locum devenerit, Interdictum *locale* est, quo locus aliquis, vel Ecclesia dictis prohibitionibus adstringitur, quo scilicet fideles prohibentur in tali loco actiones illas prohibitas exercere, non immediatè ratione sui, sed mediatè ratione illius loci; quare si quis egrediatur ab illo loco in alium, poterit liberè se gerere. Interdictum *mixtum* est, quo tam persona, quàm locus prohibentur tales actiones sacras exercere. Jam iterum vides solùm interdicto personali vel mixto subjectum non posse licitè ordinari, sicut nec Episcopus, durante interdicto, licitè potest ordinare.

Quid si ergo aliquis censurâ ligatus, excommu- 92
nicatus, suspensus, interdictus, scienter suscipiat Ordines? Is 1. validè ordinatur, validéque exercet actus sui Ordinis, ob eandem rationem in simili datam *num.* 88. Attamen excommunicatus non toleratus, & suspensus ab officio, non validè absolvit, cùm sit privatus jurisdictione omni. 2. Peccat mortaliter, tam suscipiendo, quàm exercendo liberè actus proprios sui Ordinis: quia in re gravissima transgreditur præceptum Ecclesiæ. Suarez, & Diana *p.* 1. *tract.* 11. *Resol.* 105. 3. Etiam suscipiendo fieri irregularem ex Gobat & aliis innui *supra n.* 77. At, non fieri cum Suarez & Leandro probabiliùs censet Thom. Tamburinus *cit. l.* 10. *tract.* 4. *c.* 14. §. 1. *num.* 8. idque etiamsi quis excommunicatus in ipsa actuali Ordinatione solenniter exercuisset actum sui Ordinis, utpote Diaconus solenniter cantando Evangelium, vel Subdiaconus Epistolam; Sacerdos cum Episcopo consecrando: quia irregularitas hæc ex abusu Ordinis incurritur quando ministrat, seu exercet actum Ordinis antea suscepti: totum autem illud officium Ordinationis, quod Episcopus obit ordinando, computatur pro eodem actu susceptionis, ita post *Suarez, Sayrum, Layman, Gibalinum*, alios Tamburin *cit. num.* 9. Gobat *num.* 713. & 765. Itaque certò culpabiliter, scienter, ac liberè exercens actum proprium Ordinis Majoris solenniter, incurrit novam irregularitatem ex delicto abusûs sacri Ordinis ob violatam censuram. Ita toto titulo *De Clerico excommunicato ministrante.* Dico autem: *culpabiliter, scienter, & liberè.* Si enim quis exerceret actum Ordinis sacri, v. gr. Sacerdos excommunicatus celebraret &c. inculpabiliter ignorans se esse excommunicatum, vel bonâ fide putans se jam fuisse absolutum: aut gravi metu compulsus, vel necessitate adactus ad evitandum aliorum scandalum, vel propriam infamiam, aliúdve grave incommodum, nec peccaret, nec ullam contraheret irregularitatem. Nam Lex Ecclesiæ hanc irregularitatem inducens non obligat cum tanto rigore. Communis apud citatos, Tamburin. *cit. c.* 14. §. 2. *num.* 4. Dico etiam: *actum proprium Ordinis majoris solenniter &c.* Nam exercens actus Ordinum minorum, qui etiam à sæcularibus exerceri possunt, non fit irregularis, nisi esset excommunicatus ex eo, quòd per simoniam suscepisset eosdem Ordines; tunc enim eos exercens est irregularis ex speciali constitutione Sixti V. Quin etiam exercens actus Ordinum majorum, Subdiaconatûs, vel Diaconatûs; at non tanquam proprios, seu modo proprio & solenniter, & eo modo, quo Laicus exercere posset, v. g. Clericus excommunicatus cantaret Epistolam in Sacro, sed sine manipulo, Evangelium sine stola, etsi cum cæteris suis vestibus, non fore irregularem, post alios notat Tamburinus *cit. num.* 6.

93 Unum & alterum restat dubiolum. 1. Is, qui pluries cum censura actus Ordinis exercet, incurrétne plures irregularitates? R. Cum distinctione. Siquidem eandem numero censuram violes, unam tantùm, irregularitatem contrahes, ut si excommunicatus celebres Missas etiam centies, semel tantùm es irregularis, licèt pluries & toties, quoties, pecces mortaliter. Sanchez *de Matrimonio l.* 4. *disp.* 24. *num.* 7. alij cum Tamburino §. 3. *num.* 11. Si autem violes censuras diversæ rationis, pluries, ac totidem irregularitates contrahes, ut si excommunicatus, suspensus, & interdictus semel tantùm celebres, tres contrahes irregularitates distinctè explicandas, si ab iis dispensationem petas, ita *citati.* 2. At, quid si violentur plures censuræ ejusdem rationis: v. g. Titius Sacerdos pluries excommunicatus, quia plures percussit Clericos, & tamen Missam celebravit: incurrítne similiter plures irregularitates. Ita affirmat *Gibalinus.* Contrarium tamen, & semel tantùm fieri irregularem probabile putant *Castro-Palaus* & *Avila* apud eundem Tamburinum *ibidem num.* 13. 3. Sacerdos prohibitus sub excommunicatione latæ sententiæ, ne celebret, celebrat tamen: unde & gravissimè peccat, & excommunicationem latam incurrit, incurrítne tunc statim & simul irregularitatem? R. Nequaquam: quia prius supponitur, & intelligitur celebrâsse, quàm in excommunicationem incidisse: ergo non tunc contraxit, sed postea iterat celebrans contrahet irregularitatem. Gibalinus cum Tamburino *ibidem num.* 15. 4. Sacerdo excommunicatus toleratus ad petitionem populi non habentis alium Sacerdotem, ut die festo satisfaciat præcepto, suppositâ pœnitentiâ & contritione elicitâ, potest licitè celebrare sine nota irregularitatis, ex Concilio Constantiensi, *c. ad evitanda. Navarrus, Filliutius, Bonacina, Castro-Palaus apud eundem num.* 19.

§. III.

Quid de reliquis requisitis Canonicis.

1. Ætas Canonica.

PRo prima tonsura ætas sufficiens est septen- 94
nium completum: ante quod licitè conferri non potest. Nam Bonifacius VIII. *c. Nullus de temp. ordinand.* sub pœna suspensionis per annum ipso facto incurrenda prohibet, ne quis infanti (nisi fortè Religionem ingrediatur, quod hodie in usu non est) seu illiterato Clericalem præsumat conferre tonsuram. Et Concilium Tridentinum infrà citandum, prohibet, ne quis primâ tonsurâ initietur, nisi sciat rudimenta fidei, item legere, & scribere, quod utique necessariò requirit annos discretionis, & saltem septennium completum. Vide *Gobat num.* 509. *seq.* Pro Ordinibus Minoribus etiam sufficit septennium completum, suppositâ scientiâ, quam Concilium Tridentinum requirit, ut nimirum eos suscepturi latinam linguam intelligant, & sciant, quæ ad officia eorum Ordinum requiruntur. Quia tamen rarò ea scit puer post septennium, ideo communiter non sunt statim ordinandi. Et absolutè pro Acolytho ordinando requiri annum duodecimum completum, cum alijs docet Filliutius *tr.* 9. *c.* 4. *n.* 28. Pro majoribus Ordinibus major quóq; requiritur ætas, ut ex se patet. Post Canones antiquos partim strictiores, partim laxiores (apud Laymann *c.* 7. Gobat *num.* 511. alios videndos) antiquatos Concil. Trident. *sess.* 23 *cap.* 12. *de Reform.* ita statuit. *Nullus imposterum ad Subdiaconatûs ante annum vigesimum secundum: ad Diaconatum ante vigesimum tertium: ad Presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur.* Circa quos annos aliqua explicanda sunt.

1. Non necesse est dictos annos esse comple- 95
tos, sufficit esse inchoatos, juxta concordem DD. sententiam cum Navarro *Man. c.* 25. *n.* 116. Sanchez *Consil. Moral. l.* 7. *cap.* 1. *n.* 33. & constat ex praxi Ecclesiæ, quæ decretum Tridentini sic semper intellexit. Sufficit autem annum esse inchoatum etiam per unicum diem: communis cum Sanchez *cit. n.* 4. *multos citante.* Imò si per medium diem. *Sanchez n.* 7. *Coninck, Bonacina, & Diana p.* 2. *tract.* 16. *Resolut.* 29. Imò si per horam saltem, per dimidiam, per quadrantem, & quidni etiam per minutum vel momentum, post alios Gobat

Universidad de Deusto
Biblioteca

bat *num.* 519. Ratio est : quia tunc nihilominùs propriissimè dicetur non ordinatus Sacerdos v. g. ante annum vigesimum quintum, quod Concilium requirit. At nunquid etiam necessarium est, ita esse inchoatos annos illos præscriptos, ut quis scilicet physicè attigerit annum præscriptum à Tridentino? quid si desit unicus dies? an non juxta regulas juris *parùm pro nihilo reputabitur? & : quod parùm distat, nihil distat?* Fatetur Gobat *num.* 528. se neminem legisse, qui id de integro die concedat. At quid si adsit dies incæptus, sed nondum adsit hora nativitatis: ut si hodie ordinandus sis circa horam nonam manè, & tu annum requisitum incipias post meridiem vel vesperi? Adhuc sufficere, & licitè, adeóque sine metu suspensionis eo die te ordinari manè posse, eò quòd vespera trahatur ad manè, & faciant simul unum diem, sentit Diana *p. 2. tract. 2. resol. 19.* resolutè: at magis timidè, oppositum meritò probabiliùs agnoscens *p. 9. tr. 9. resol. 50.* citans *Ledesmam, Marchinum, Leandrum*: idémque sentiunt *Asc. Tamburinus, Trullenk*, alij apud Gobat *num. 523.* qui Sententiam probabilem ea ex causa practicari posse censet. Contra tamè non sufficere, sed omnino requiri, ut ordinandus physicè attingat annum præscriptum à Tridentino, docent, aut supponunt DD. communiter. Certè Sanchez *cit. num. 6.* Sententiam illam nullo modo esse practicandam judicat: nec credo fore in praxi admittendam à Reverendissimis Ordinariis, neque mihi multùm probabilis videtur, attento rigore verborum Tridentini. Talis enim Sacerdos v. g. verissimè & propriissimè ordinaretur ante annum ætatis vigesimum quintum, quod tantoperè prohibet Concilium, exclusis quoad hoc penitùs privilegiis Regularium. Sed neque, quando in jure pro forma & de præsenti requiritur aliqua qualitas, (ut in proposito præfixa ætas) locum habet axioma illud: *parùm pro nihilo reputatur*, vel: *quod parùm distat, nihil distat*, nec non plures variæ sunt limitationes illius dicti apud DD.

At; nunquid in ætate ordinandorum computanda poterit haberi ratio dierum intercalarium seu bissextilium, quarto quóque anno incidentium. Exempli causâ; mihi quidem hodie ordinando desunt tres vel quatuor dies ad inchoandum annum requisitum: at intra viginti & quatuor annos fluxerunt ad minus quinque dies intercalares & superflui super annum communem 365. dierum, quibus computatis inchoabo abundè vel superfluè annum requisitum, potero sic computare, & hodie licitè ordinari? Aut 2. saltem eodem anno sum natus die primâ mensis Aprilis, quo hoc anno, hodie omnino maturè inchoarem annum requisitum vigesimum quintum, v. g. pro Sacerdotio, si esset annus communis: at quia est annus bissextilis, hodie primò numeratur ultima dies Martij: poterónè nihilominùs computato die intercalari, qui primam Aprilis conficeret, licitè ordinari hodie? 3. Probabiliter licere in hoc secundo casu (ex Sententia *Panormitani, Sylvestri* & aliorum) non item in priori casu. Ratio probabilitatis unius, & disparitatis alterius est: quia quando loquimur de uno tantùm anno, solemus intelligere solùm 365. dies anni communis: at verò quando loquimur de multis annis simul sumptis, præsertim continuis, intelligimus annos sine respectu ad 365. dies, sed prout occurrunt anni in illa simultate seu complexu & spatio continuo: & ideo in uno anno diem illum intercalarem computare poteris pro ætate complenda, non item ex pluribus annis, prout latiùs prosequitur hoc argumentum ex professo optimè tractans P. Gobat *casu 13. sect. 2. per totam*, quam ipse videas, Tyro, quia nemo me conduxit, ut exscriptorem vel amanuensem tibi agam. Jam ad communiorem praxin.

II. Quòd si ergo quis scienter & malâ fide ante 96
ætatem requisitam ordinetur majoribus Ordinibus, v. g. Sacerdos ante inchoatum annum vigesimum quintum. Is 1. etsi validè ordinetur, peccat tamen mortaliter gravissimè, ob rationem sæpiùs inculcatam. 2. Ipso facto incurrit suspensionem ab executione suorum Ordinum, latam à Pio II. *Extrav. cùm Sacrorum*, & aliis Pontificibus, & confirmatam à Sixto V. nec ante impletam ætatem ab illa suspensione absolvi potest, nisi priùs impetratâ dispensatione Pontificis super irregularitate ex defectu ætatis. 3. Si ante impletam ætatem etiam malâ fide ministret in Ordine sic malè suscepto (seclusâ nimirum necessitate, & periculo vitandi scandalum vel infamiam propriam,) insuper incurrit irregularitatem ex delicto abusûs sacri Ordinis, ob censuram violatam: à qua tamen irregularitate occulta dispensat Episcopus ex Concilio Tridentino: intellige tamen post impletam ætatem, vel impetratâ jam dispensatione Papæ super defectu ætatis. 4. Quòdsi tamen in Ordine sic malâ fide suscepto non ministravit, ideóque irregularitatem illam novam non contraxit, tunè post impletam ætatem, & ex se cessante irregularitate illa ex defectu ætatis, ab illa censura suspensionis absolvit non tantùm Episcopus, sed etiam Confessarius quicunque potens absolvere à censuris non reservatis, ut bene probat Lugo *respons. moral. l. 2. dub. 10.* quamvis enim Sixtus V. statuerit suspensionem illam perpetuam: *perpetuò suspendimus*: tamen Clemens VIII. ejus Bullam reduxit ad terminos juris Bullæ Pij II. & Concilij Tridentini, in quibus non habetur suspensio reservata, & positivè perpetua.

III. Quódsi verò quis bonâ fide ità ordinetur 97
ante impletam ætatem: utpote ob assertionem parentum, vel aliâ ratione credens probabiliter se habere ætatem, cùm reverâ non habeat: Is 1. utique non peccat, ignorantiâ, seu errore probabili excusante; nec consequenter dictam suspensionis censuram incurrit, ad quam incurrendam culpa, imò & præsumptio, & dolus requiritur. 2. Postquam tamen rescivit defectum ætatis, tenetur sub mortali abstinere ab exercitio Ordinis ità suscepti: non jam ut suspensus, sed ut adhuc irregularis ex defectu ætatis: nam prohibitio Ecclesiæ impediens susceptionem Ordinis ante impletam ætatem, extenditur etiam ad executionem Ordinis sic suscepti: cùm propter indecentiam ministerij prohibeatur

tur susceptio Ordinis. 3. Quin etiam, si cognito defectu ante impletam ætatem, adveniente jam malâ fide, in tali Ordine ministret, etsi peccet graviter juxta modò dicta, non tamen incurrit novam irregularitatem ex delicto abusûs sacri Ordinis, ob violatam censuram. Cùm ita bonâ fide suscipiens nullam censuram incurrerit, neque ullo alio jure talis irregularitas exprimatur: ut contra *Navarrum, Marchinum*, & alios quosdam jam habet communis Sententia cum Layman *l. 5. tr. 9. cap. 10. num. 3.* vide *supra num.* 88. 4. Denique talis adveniente postea, & impletâ ætate requisitâ absq; ulla alia dispensatione vel absolutione, in eo Ordine ministrare poterit, cùm jam nullâ ampliùs irregularitate vel censurâ ligatus sit, ut ex modò dictis colligere debes.

98 IV. Quòdsi, omnibus diligenter expensis, dubium sit, an quis ætatem requisitam habeat, nec ne? necessariò distinguendum est. Si dubium sit merè negativum, sic ut nulla appareat probabilis ratio pro una, vel altera parte, non potest licitè ordinari: quia certa lex requirens hanc ætatem, est in possessione contra ætatem dubiam. *Communis cum Sanchez de matrim. l. 2. disp. 41. n. 38.* at verò, si dubium sit positivum ob rationes utrinque probabiles, si nimirum verè probabile sit te habere ætatem requisitam, v. g. ex testimonio sæpiùs audito, vel lecto parentum, etsi æquè probabile, imò probabilius esset te non habere, licitè ad Ordines admitti poteris: qui enim probabili ratione motus operatur, prudenter operatur, adeóque sine culpa. Quare si parentes testentur de ætate requisita, ad Ordines te admittere Episcopus sine scrupulo poterit. Quia licèt testimonium parentum pro filijs in alijs materijs, in præjudicium præsertim aliorum, non admittatur, hic tamen, ubi in nullius præjudicium cedit, sufficiens judicandum est. Diana *p. 2. tr. 2. resol. 27.* & latè Gobat *casu 13. a num. 499. ibidem num* 504. meritò limitans, si testimonium parentum petitum sit ex scripto ipso die nativitatis vel propè, & testimonium Parochi, seu ex libro baptismali haberi, vel comodè exspectari non possit, Episcopi enim communiter non stant testimonio parentum, nisi aut nullum testimonium Parochi, aut non nisi dubium haberi possit: quare si testimonium parentum & Parochi discrepent, hoc illi omnino præferendum erit, nisi ex alio capite parenti major fides habenda esset. Et, si testimonium Parochi primò editum sit, postquam quis ex vi testimonij paterni bonâ fide ordinatus est, poterit stari testimonio paterno, quod est in possessione; & sic ordinatus licitè exercere suum Ordinem. Tandem quando Religiosus bonâ fide ordinatus est ante impletam ætatem, ad ministrandum posse dispensare Superiorem Ordinis mendicantium infrà in fine notabitur.

II. *Probitas, Scientia, Examen, & Approbatio Episcopi.*

99 I. *Probitas* vitæ ac morum requiritur notoria seu probata testimonijs sufficientibus Parochi, vel aliorum fide dignorum. Et, si quis dimittatur, aut ordinetur ab alieno Episcopo, testimonium de vita & moribus ab Episcopo proprio habere debet unà cum dimissorijs, ut infrà dicetur. Quin etiamsi quis à Sede Apostolica privilegium obtinuerit, ut à quolibet Episcopo Catholico ordinari possit, etsi tunc dimissorijs proprij Episcopj non indigeat, indiget tamen ejusdem proprij Episcopj literis testimonialibus de vita & moribus, ut ex Concil. Trident *sess. 23. c. 8.* infrà allegando, notant *Henriquez & Barbosa* apud Gobat *casu 14. n. 571.* Regularibus tamen testimonium probitatis dari solet à suis Superioribus, idque sufficere constat ex praxi Ecclesiæ: & insinuat declaratio Cardinalium apud *Gallemard ad cit. c. Tridentini.*

II. *Scientia.* Ad licitè suscipiendos Ordines, 100
jure quidem naturali necessaria & sufficiens esset omnis illa & sola, quæ necessaria est obeundis officijs annexis Ordini, quem quis vult suscipere. Nam generatim singuli tenentur scire ea, quæ ad suum statum & officium pertinent. At jure Ecclesiastico aliquantò major requiritur scientia. Nam Concil. Trident. *sess. 23. cap. 4. de reform.* ita statuit, ut primâ tonsurâ non initientur, *qui fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciunt.* Etc. 11. pro minoribus requirit, ut latinam linguam intelligant, & sciant, quæ ad officium suum spectant. Pro Subdiaconatu & Diaconatu ibidem *c. 13.* requirit, *ut sint litteris, & iis quæ ad Ordinem* exercendum pertinent, instructi. Pro Sacerdotio requiritur tanta scientia, ut possint administrare Sacramenta, & populum docere de necessariis ad salutem. Scientia autem & eruditio illa, quæ in citatis Canonibus postulatur, non debet esse necessariò magna, sed sufficit mediocris. Nam quod *Gl. in c. illiteratos* tradit, ad minores Ordines sufficere mediocrem intelligentiam linguæ latinæ; id ipsum potest proportionaliter dici de Presbyterando, sufficere scilicet mediocrem scientiam ministrandi Sacramenta, docendique necessaria salutis. Et notat Layman hic *l. 5. c. 7. n. 1. in fine* pro Sacerdotio præcisè non requiri tantam scientiam, quanta ad munus Confessarij requiritur: quia antequam illud obire Sacerdos permittitur, ab Episcopo, novo præmisso examine, si videbitur, approbandus erit, ut constat ex *c. 15. ejusdem sess.* Addit Gobat *casu 11. n. 422.* ex communi DD. minorem scientiam linguæ latinæ exigi à Regularibus confessiones non audituris, quàm à sæcularibus Sacerdotibus similiter illas non audituris, quia continuatio institutionis verbis & exemplis, efficit illos peritiores, quàm Sæculares. Denique omnino illiteratus, seu legendi, scribendíque imperitus, est irregularis ex defectu *animi*. Nam *c. 1. d. 39.* ait Papa Gelasius: *Illiteratos nullus præsumat ad Clericatûs Ordinẽ promovere: quia litteris carens sacris non potest esse aptus officiis.* Ubi illiteratus dicitur, qui Grammaticæ rudimenta non didicit, adeò ut per se loquendo graviter peccet Episcopus admittens ad Ordinem, illiteratum, seu adeò imperitum linguæ latinæ, ut ob hujus defectum nequeat sine gravibus defectibus exequi officia, ad quæ per se obeunda deputatur per susceptionem Ordinis. Vide de hac re, ex *Quintanadvenna* &

Universidad de Deusto
Biblioteca

alijs latè differentem Gobat *casu* 10. præsertim *à num.* 377. Et hinc ulterius

101 III. *Examen* coram Episcopo, etiam quoad Regulares, requirit Concil. Trident. *eâdem sess. 23. c.* 12. Possunt tamen Episcopi examen illud Ordinandorum committere alijs à se deputatis. Possunt etiam absque ullo scrupulo suam conscientiam conformare cum conscientia Prælatorum attestantium de idoneitate suorum in litteris dimissorialibus: imò, ut cum alijs monet *Rodriquez* noster etiam valdè expediret, quoad Regulares, Episcopos esse contentos examine & approbatione suorum Superiorum: quibus utique magis fidere possent, & deberent, quam judicio aliquorum Examinatorum, qui ex successu fortuito unici examinis parùm fundatum judicium frequenter deducunt. Cæterùm ad ipsum Episcopum ordinantem tantùm spectat examinare ordinandos. Unde quando Episcopus proprius subditum suum, etsi jam à se examinatum & approbatum mittit ad alium Episcopum ordinandum, adhuc alter Episcopus illum examinare poterit ipso jure: quia potest velle cognoscere, cuinam Ordines conferat. Non tamen examinare tenentur, ut vult *Barbosa*, sed stare potest judicio & testimonio proprij Episcopi, juxta communem DD. quia Concil. Trident. *cit.* dicens: neminem esse ab alieno ordinandum, nisi prævio examine, non tollit, quin Episcopus alienus ordinans possit esse contentus examine, & approbatione proprij Episcopi.

102 IV. *Approbatio* Denique seu admissio Episcopi ordinantis requiritur. Quare, qui furtivè Ordines suscipit, hoc est propriè: qui se ordinandorum numero admiscet, cùm tamen ad eum Ordinem ab Episcopo non fuerit admissus, aut qui alium supponit examini, & deinde loco illius ipse ad Ordines succedit, incurrit irregularitatem, juxta communem DD. Sententiam cum Suarez de censuris, *disp.* 42. *sect.* 3. *ex c.* 1. 2. 3. *de eo, qui furtivè.* Alij tamen apud Tamburinum *lib.* 10. *c.* 14. §. 1. volunt, ipsum solùm incurrere suspensionem, eosdem textus juris ad se trahentes. Utrumque probabile, & nimis satis.

III. Litteræ dimissoriæ, &c.

103 COncilium Trident. Sess. 23. cap. 8. de reform, sic statuit: *Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur: quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegij prætextu, permittatur, nisi ejus probitas, ac mores ejusdem Ordinarij testimonio commendentur. Si secùs fiat, Ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Ita Concil. Ubi prænota: quamvis Episcopus proprius subdito suo, ratione originis, domicilij, vel beneficij, hanc licentiam ordinandi ab alieno Episcopo, etiam oretenùs dare possit, quia Concil. Trid. solùm requirit consensum proprij Episcopi, tamen ad majorem fidem, ea licentia dari solet per litteras patentes, quæ ideo vocantur *Dimissoriæ*, & *Dimissoriales*, quia subditum dimittunt ad alienum Episcopum. Ulteriùs præter dictam licentiam debet ordinandus habere à proprio Episcopo testimonium suorum morum ac probitatis, quod dari consuevit interdum in ipsis litteris dimissoriis, interdum separatim; & tunc vocantur litteræ *commendatitiæ* vel *testimoniales*: quia in his Episcopus proprius suum subditum commendat alieno, déq; ejus probis moribus testificatur, propter quam causam ejusmodi litteræ videntur etiam vocari *reverendæ*. Jam ergo videndum. 1. Quisnam ejusmodi litteras dare possit, & debeat. 2. Quid continere debeant. 3. Quamdiu durent. 4. Qualiter obligent?

I. Litteras ejusmodi dimissorias confert. I. Ipse 104
Episcopus proprius quilibet, sive ratione originis, sive domicilij, sive beneficij. Attamen litteras commendatitias sive testimoniales de jure non posse dari, nisi ab Episcopo proprio domicilij, meritò cum alijs censet Tamburinus *hic lib. 7. c.* 8. §. 2. quia mores in his litteris approbandi solùm illi solent esse noti, non alijs. 2. Vicarius generalis, si ab Episcopo ad id habeat speciale mandatum vel consensum, aut si Episcopus agat in remotis extra Provinciam, saltem per duas dietas, non tamen tenetur vel Episcopus, vel Vicarius largiri dimissorias, nisi petentibus ex causa multùm rationabili, quandoquidem nec eæ suffragari debent, nisi habentibus causam legitimam, ob quam à proprijs Episcopis ordinari non possint: Concil. Trident. *sess. 7. c.* 11. *de reform.* Nec ipsi Episcopi eas concedere debent, nisi impediti, quò minùs ipsimet conferant Ordines. Trident. *sess. 23. c. 3. de Reform.* 3. Sede vacante, Capitulum: at non nisi post annum à die vacationis. Sic enim decernit Concilium Trident. *sess. 7. c.* 10. *de Reform. Non liceat Capitulis sede vacante, infra annum à die vacationis Ordinarij, licentiam aut litteras dimissorias, sive reverendas, ut vocant, alicui qui beneficij Ecclesiastici recepti vel recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere.* Licèt autem tunc Capitulum nequeat dare quibuslibet dimissorias, potest tamen dare commendatitias & testimoniales. 4. Prælati Regulares etiam suis subditis Religiosis concedunt dimissorias, attamen juxta decretum Clementis VIII. & declarationem Cardinalium, non ad Episcopum alienum, sed Diœcesanum, nisi hic aut non sit Ordines collaturus, aut absens, vel mortuus sit, tunc enim ad quemcunque Episcopum communionem cum sancta Sede Apostolica habentem dimittere possunt, non requisito Vicario vel Capitulo Diœcesano. Verumtamen illud Decretum non videtur usu receptum, cùm non observetur. Abbates etiam exempti, habentes jurisdictionem in Parochos & Parochianos privativè ad Episcopum, in cujus Diœcesi sua loca sita sunt, non possunt dare dimissorias, nisi suis Religiosis subditis, non item sæcularibus subditis, ut alius Episcopus eos ordinet: clara enim sunt verba Tridentini *sess. 23. cap.* 10. *de Reform. vetantis: ne ipsi Abbates & alij exempti litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab alijs ordinentur, concedant, non obstantibus quibusvis privilegijs &c.* Vide Gobat *casu* 14. *n.* 574.

II. Litteræ ejusmodi dimissoriæ secundùm jus 105
commune debent continere sequentia. 1. Causam, ob quam Episcopus dimittit: Trid. *sess.* 7. *c.* 11. 2. Dispensationem super interstitijs, si ijs non servatis dimissus ordinandus sit: etenim nequit super ijs dispensare Episcopus alienus ad quem mittitur ordinandus, neque consensum tacitum Episcopi proprij facilè præsumunt. Si tamen dimissus laborat aliquo impedimento dispensabili per Episcopum, posset in eo dispensare ille, ad quem dimittitur, esto non sit facta illi specialis permissio: imò etiam si dimissoriæ contineant hanc clausulam: *si tamen alias nullum tibi obstet impedimentum Canonicum*: ut ex alijs notat Gobat *n.* 575. 576. 3. Testimonium de sufficienti doctrina: nec enim dimitti debent, nisi examinati juxta Trid. *sess. 23. c. 3. de Reform. & sess. 7. c.* 11. Iterum illa Sanctio non est ita rigidè recepta in Germania, quin sæpissimè, imò communiter expediantur ejusmodi litteræ sine ullo examine, eò quòd Germani communiter peregrinentur in studijs, v. g. in locis valde distitis à Residentia Episcopali, imò extra Diœcesin sitis, ut non possint sine magnis sumptibus & incommodis sese sistere examini: & in hoc casu fas sit committere examen alteri Episcopo: Barbosa apud Gobat *n.* 577. testans ita esse decisum. 4. Eædem litteræ debent exprimere esse jam provisum dimisso de titulo mensæ. Nam dimittens alioquin obligaretur ad providendum de Beneficio, & interim ad condignam sustentationem, quando dimissorias daret non habenti Patrimonium: propter apertum textum *cap. si Episcopus. de præbendis in* 6. Verùm sicut consuetudo in sexcentis derogat juri communi in alijs materijs, ita & in hac; attendenda ergo consuetudo Diœcesium. Interim salva manet Sanctio citati *cap. si Episcopus*, ita mandans: *Si certas commisisti alteri ordinare personas, tu (qui providere hoc casu, an haberent titulum, debuisti) taliter ordinato, ad prædicta, donec per te beneficiatus fuerit, obligatus existis.*

106 III. Hæ litteræ dimissoriæ seu licentiæ absolutè & sine limitatione aliqua temporis semel concessæ non cessant lapsu temporis, sed semper durant, & valent, ac suum effectum habere possunt: etiam concedente mortuo, vel ab officio amoto, quia dimissio illa est gratia facta, non facienda: ideòque non exspirat morte concedentis. Excepto tamen semper: nisi ea licentia revocetur, sive ab ipso Concedente, sive ab ejus Successore. Omnes enim licentiæ Prædecessorum à quocunq; successore æqualem potestatem habente revocari possunt, ut omnibus notum; cùm non habeat imperium par in parem. Debeat autem illa revocatio fieri verbis claris & expressis: alioquin censebitur non esse facta, utpote valde odiosa, & quia mutatio vel correctio non est præsumenda, sed probanda.

107 IV. Peccat mortaliter & suspensioni subjacet, qui sine dimissorijs ullis se facit ordinari ab alieno Episcopo: imò & is, qui cum dimissorijs vel confictis, vel veris quidem, sed revocatis: quia talis reverâ ordinatur sine consensu sui Ordinarij, ideóque incurrit pœnas statutas, seu renovatas à Concil. Trid. initiò allegato, & Pio II. *extrav. cùm ex sacrorum.* Incurrit autem talis suspensionem. 1. Si sine dimissorijs ab alieno Episcopo Ordines majores suscipiat; non item si Minores: quia Pontifex expressè loquitur de Ordinibus sacris. Ita Suarez cum multis contra alios apud Gobat *n.* 707. 2. Ex Tridentino suspenditur solùm, *quamdiu Episcopo proprio videbitur expedire*, seu quoad Episcopus proprius permittat ei usum Ordinis. Unde Decretum Pij II. absolutè dicentis *suspensus sit*, per Concilium videtur mitigatum, vel declaratum 3. Non incurrit, si ita suscepit cum prudenti spe ratihabitionis proprij Episcopi. *Idem supra.* Sicut nec peccat, nec pœnam ullam incurrit, qui ab alieno Episcopo tunc petit Ordines, dum suus proprius est suspensus, vel excommunicatus. *Ibidem.* 4. At, incurritne ille Hispanus apud *Navarrum*, qui commorans Romæ, petijt dimissorias à suo Episcopo, quæ & concessæ fuerunt, sed priusquam pervenirent Romam, fabricavit ille falsas dimissorias, quarum virtute insignitus fuit quatuor Minoribus? Respondet *Navarrus* apud Gobat. *num.* 565. Illum peccâsse mortaliter illâ suâ fraude; at non incurrisse suspensionem seu pœnam statutam in promotos sine licentia sui Episcopi, etsi sic suscepisset etiam Ordinem majorem: quia licèt fuerit ordinatus ex vi falsarum dimissoriarum, fuit tamen verè ordinatus cum dimmissorijs veris, & verâ licentiâ sui Episcopi, etsi nondum sibi notâ.

IV. Titulus sustentationis.

COncilium Tridentinum *sess.* 21. *c.* 2. *de Re-* 108
form. præcipit; ne quis possit ordinari in Sacris, nisi habeat titulum sustentationis, aut beneficij Ecclesiastici pacificè possessi, aut patrimonij sufficientis ad honestam sustentationem, aut paupertatis Religiosæ, ejus scilicet, quam solenniter vovent Religiosi. Ratio hujus dispositionis fuit, ut Clericus ordinatus in Sacris haberet, unde honestè ali posset, *nec cogatur cum dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, &c.* ait ibidem Concilium: ac propterea quantitatem beneficij, vel patrimonij sufficientis remittit arbitrio Episcopi, qui secundùm varias Regiones sufficientem summam determinet. Percurro breviter singulos titulos.

Titulus beneficij,

BEneficium illud, 1. debet esse propriè dictum 109
beneficium: quod definitur: *Jus perpetuum percipiendi reditus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale, authoritate Ecclesiæ institutum.* Non enim sufficit Vicaria temporalis, aut Capellania ad nutum amovibilis: minùs musicæ peritia, quâ quis in Ecclesia abundè se sustentare posset. Vide Gobat *num.* 635. 2. Debet esse *pacificè possessum.* Dicitur autem pacificè possideri, quando quis possidet sine lite, nec patitur controversiam juris vel facti, intra vel extra judicium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3. Debet præbere sufficientem *Sustentationem*: scilicet aut solùm sufficiens ad honestam sustentationem ordinati, aut saltem supplendum ex patrimonio, sic ut ex utroque, etsi seorsim insufficienti, coalescat summa sufficiens ad alimenta honestè præstanda. 4. Ulterius Concil. Trident. præcipit, ne ordinatus resignet illud beneficium, nisi facta mentione, quòd titulo illius sit ordinatus, & ne admittatur resignatio, nisi aliunde constet, quòd possit commodè vivere, & aliter facta resignatio sit nulla.

Titulus patrimonij.

110 TRidentinum ibidem sic disponit: Quòd *patrimonium vel pensionem obtinentes ordinari non possint, nisi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate suarum Ecclesiarum, etiamsi constet patrimonium vel pensionem vere obtineri, & ad vitam sustentandam sufficere.* Idémq; statuit, quòd resignatio patrimonij vel pensionis fieri non possit sine licentia Episcopi, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint. Unde si ordinatus de facto haberet tale beneficium vel aliunde sustentationem, posset patrimonium alienare, etiam sine licentia Episcopi. Tamburinus *l. 7. c. 6. §. 4. n. 19.* debet autem patrimonium illud consistere in bonis immobilibus certis & determinatis, utpote prædijs, fundis, censibus &c. ut cognosci possit, an sit sufficiens ad congruam sustentationem. Plura non addo (curioso videnda apud citatos) quia in nostris partibus homines privati & plebej vix unquam ordinantur ad Titulum patrimonij proprij ex mente Tridentini, cùm vix unquam habeant, & actu obtineant sufficiens patrimonium: deberent enim ad minus habere capitale immobile mille talerorum, & annum redditum quinquaginta taleros, aut saltem florenos, ut si non ad congruam sustentationem vitæ, saltem ad sustentandam, & tolerandam vitam sufficeret. Et ideo

111 In Germania & nostris partibus Titulum illum patrimonij supplent illi *tituli mensæ*, ut vocant, seu patentes litteræ, quibus Principes, Nobiles, Civitates, Monasteria, Hospitalia &c. promittunt obligatione reali ex suis bonis sustentare Ordinatum, seu provisuros ipsi de cibo, potu, vestitu, aliisque statui suo convenientibus, casu quo, ob senium, vel infirmitatem non possit ampliùs fungi officijs Clericalibus, aut alia ex causa careat necessarijs ad sustentationem, priusquam Beneficio Ecclesiastico legitimè investiatur. Debet autem illa obligatio promissæ sustentationis esse non merè personalis solius personæ, quantumvis opulentæ, sed, ut innui, *realis*, affixa certis Bonis immobilibus, Prædijs, fundis, Communitatibus &c. & quando plebei, v. gr. Parentes suis liberis constituunt patrimonium, in ipsis litteris nominatim exprimere debent illum fundum vel fundos, in quibus illud situm sit. Attamen quando Principes, Monasteria, Communitates laicæ, Comites, Nobiles conferunt ejusmodi titulos patrimonij seu mensæ, non exprimunt in litteris aliud, quàm quòd *ex suis bonis*, seu *bonorum suorum redditibus* provisuri sint tali vel tali, & ad id se astringunt, ut notat Gobat *n. 516.* Quanquam ego alicubi vidi rejectos esse titulos Nobilium, in quibus obligatio ista realis cum designatione certorum bonorum non satis expressa erat: & meritò. Ac insuper

Fatendum est ejusmodi titulos mensæ, repugnare & communi sententiæ DD. & omnino ipsi Concilio Tridentino allegato, quod expressè requirit, ut Patrimonium de facto in re obtineatur ab ordinando; quia tamen non repugnat juri naturali, & fatentur Doctores plerique, patrimonij quantitatem & qualitatem definiendam esse consuetudine loci, & arbitrio Episcopi, ut pluribus congestis exprimunt Barbosa ad dictum caput Concilij Tridentini, & Diana *par. 5. tract. 10. resol. 4.* Atque ejusmodi Tituli à viris doctis approbat, p ssim admittuntur ab Episcopis Germaniæ, ideo hunc morem tanquam inveteratum debere tolerari, absque metu peccati & pœnæ ab hac aut illa parte scilicet ordinante vel ordinato incurrendæ, rectè concludit Gobat *n. 617.* addens: *Eam ob rem, quoties mihi offeruntur ejusmodi patentes litteræ, eas approbo, & approbatum iri respondeo.* 112

Titulus paupertatis.

Cum religiosa paupertas longè præstet thesauris omnium Regum, meritò fuit in *Can. neminem distinctione 70.* sancitum, ut Religiosis sua paupertas esset loco omnis Tituli. Hoc ergo titulo, per se loquendo, soli Religiosi Religionem approbatam legitimè professi ordinari possunt; non item Novitij, vel invalidè professi, vel qui ad sæculum licitè & liberè redire possunt. Hos enim ad titulum paupertatis ordinari gravissimè prohibet Pius V. in Bulla: *Romanus Pontifex*: ac secùs facientes ipso facto, suspensioni subjicit: & si in Ordine sic suscepto ministraverint, irregularitatem incurrere decernit. Possunt tamen ordinari Novitij illi, qui interim haberent beneficium, vel patrimonium sufficiens, sicut possunt ordinari Laici. Item speciale est, quòd Religiosi Societatis Iesu ex privilegio Apostolico Gregorij XIII. confirmato à Paulo V. & à praxi omnium Episcoporum post emissa tria simplicia vota substantialia Religionis post biennalem novitiatum, ante professionem solemnè, promoveri possint ad omnes, etiam sacros Ordines. 113

Pœnæ in oppositum?

Universaliter, qui se ordinari faciunt absque titulo, olim jure veteri *c. neminem & c. Sanctorum distinc. 70.* Suspensionem ipso facto incurrebant, & in Ordine sic suscepto ministantes, irregularitatem. 114

Postea verò Innocentius III. *c. cùm secundùm Apostolum, de præbendis in 6.* illam suspensionem sustulit ijs verbis: *Nos tamen benigniùs agere cupientes &c.* Solùm Episcopo aliquem sine titulo scienter ordinanti, imponit onus alendi sic ordinatum, donec ei de sufficienti beneficio provideatur. Novissimè verò Concil. Trident. *cit. sess. 21. c. 2.* eundem titulum strictè exigens, sic habet: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando.* Jam quæritur, utrùm Concilium innovet pœnas antiquorum

quorum illorum Canonum, scilicet suspensionem & irregularitatem incurrendam adhuc ab ordinato sine titulo (& sic affirmant multi & graves DD. *Navarrus, Sanchez, Suarez, Bonacina, Palaus*, alii) an verò solùm innovet pœnam Canonis Innocentii III. adeò, ut hodie ordinatus sine titulo, non incurrat ampliùs suspensionem, sed solùm Episcopus ordinans onus alendi ita scienter à se ordinatum? atq; ita affirmant æquè graves & plures DD. *Toletus, Henriquez, Conninck*, aliisque relatis, Diana *loc. cit.* Barbosa *de officio Episcopi, alleg. 20.* Tamburinus *cit. c. 6. §. 4. n. 5.* consentiente Gobat *n. 604.* & refertur ad hoc declaratio Cardinalium; quòd scilicet Concilium in dicto capite solùm renovet pœnas *cap. cùm secundùm.* Etsi ibi tantùm una ponatur pœna prædicta, Concilium tamen more satis consueto, ponit numerum pluralem pro singulari. Ratio hujus omnino probabilis Sententiæ videtur esse, quia minimè verosimile est Tridentinum voluisse innovare pœnam illam, quæ jam erat abolita per Innocentium III. P. illius expressam mentionem non faciendo. Adde, in pœnis esse benignioremsensum sustinendum.

115 Dixi autem notanter *Episcopo sine titulo ordinanti.* Non enim incurrit hoc onus alendi Episcopus, si ille confinxit falsas litteras, quarum fraudem nequit deprehendere Ordinator Episcopus, cùm nemo alterius dolo & malignitate prægravandus sit, ut ex vulgaribus juribus constat. Quo casu hic fraudulentus homo, licèt non incurrat ullas pœnas, attamen deprehensâ fraude, graviter puniri potest ab Episcopo, ita DD. apud Gobat *cit. num. 604.* Sed neque obligatio Episcopi alendi promotum sine Titulo urget, quando promotus nihil quidem habet in propriis bonis, attamen habet Patrem divitem: quippe qui jure naturali tenetur alere filium, atque ad alendum compellendus est. Ex communi Barbosa *cit. alleg. 20. n. 4.* Tandem hæc obligatio per se quidem & semper tangit Episcopum proprium, qui ex officio ordinat scienter aliquem sine legitimo Titulo. Quoad alium verò Episcopum, qui alienos ex sola commissione & delegatione proprii Episcopi ordinat, hæc est dispositio juris cap. si Episcopus de præbend. in 6. *Episcopus, cui nullis personis expressis, in genere commisisti, ut vice tuâ Ordines in tua Diœcesi celebraret, ad sacros Ordines promoverit quempiam Titulum non habentem, ei, cùm in culpa fuerit taliter ordinando eundem, tenebitur vitæ necessaria ministrare &c. Si verò certas commisisti eidem ordinare personas, tu taliter ordinato ad prædicta obligatus existis.* Hæc ibi.

V. Locus, Tempora, & Interstitia Ordinandorum, & Ordinum.

116 Locus *in solemni Ordinum collatione Cathedralis Ecclesia esse debet: in privata autem Sacellum & Capella.* Sic rectè Escobar *in summa tract. 7. exam. 8. n. 72. Nam Concilium Trident. sess. 23. cap. 8. de reform.* Statuens, ut Ordinationes celebrentur in Ecclesia Cathedrali, sine dubio loquitur de Ordinationibus solemnibus seu generalibus tantùm. Non potest autem dici Ordinatio solemnis vel generalis, in qua initiantur unus tantùm vel duo, aut solùm tres vel quatuor: *Glossa, Innocentius, Abbas, in cap. de eo, de temp. ordinand.* Plura de hoc non addo, quia ubique attendenda est consuetudo legitimè introducta. Jam quoad *tempora & interstitia* breviter accipe sequentia:

I. Tempora Ordinandorum, vel potiùs Ordinationum hæc à jure statuta sunt. 1. Episcopatus quolibet die Dominico conferri potest *c. quod a Patribus d. 75.* Et in natalitijs Apostolorum juxta Pontificale Romanum. 2. Ordines majores, Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus de jure solùm conferuntur sex Sabbathis, scilicet quatuor temporum, Dominicæ Passionis, & Sabbatho sancto *cap. de eo, de temp. Ordinand.* Nisi summus Pontifex aliter concesserit, qui solus in temporibus ordinandorum dispensare, seu facultatem extra tempora ordinandi concedere potest. 3. Ordines minores conferuntur non tantùm ipsis illis 6. Sabbathis, sed etiam quolibet die Dominico, vel festo de præcepto, dummodò non tam multi ordinentur, ut videatur Ordinatio generalis: etiam ex generali consuetudine feriâ sextâ ante prædicta sex Sabbatha, quasi hæc sit inchoatio quædam Ordinationis generalis in Sabbatho peragendæ. Quin etiam feriis quartis quatuor Temporum conferri posse, saltem ubi consuetudo est, docent *Henriquez & Sa*, apud Layman *lib. 5. tract. 9. cap. 8. n. 2.* Et quamvis in Pontificali ad Ordines etiam minores designetur tempus manè, ex consuetudine tamen isti etiam conferuntur post prandium. Prima tonsura quovis die, quavis horâ, vel loco conferri potest. Ex communi Henriquez, Vasquez, Sanchez, alii cum Layman *cit.* Tamburinus lib. 7. c. 10. *initio.* Tandem grave peccatum est citra dispensationem vel privilegium, ordinare vel ordinari extra tempora, & sic ordinari se præsumens ipso facto incurrit suspensionem ex sæpe dicta Bulla Pii II. *Cùm ex sacrorum:* & consequenter in Ordine sic suscepto temerè ministrans, etiam irregularitatem. Hæc quoad jus commune. Quid per privilegia possint Regulares, dicam seorsim mox §. *sequenti.* 117

II. Nefas est eodem die, seu eâdem ordinatione generali conferri uni duos Ordines sacros seu majores: & tam Episcopus conferens, quàm suscipiens, ipso facto incurrunt suspensionem *c. litteras. & c. Dilectus. de temp. ordinand.* Trident. *sess. 23. c. 13. de Reform.* cassans omnia privilegia in contrarium concessa. Exceptio Episcopi infrà innuetur *num. IV.* Et quia dicti sacri Canones & alii apud Sylvestrum V. *Ordo 2.* non loquuntur nisi de Ordinibus *sacris*, quatuor autem Minores non veniunt appellatione *Ordinum sacrorum*: ideo non tantùm dicti quatuor Minores unà cum prima tonsura generali consuetudine, ubique ferè conferuntur eodem die, ut infrà iterum notabo. Verùm etiam non esse ullo jure scripto, aut generali consuetudine vetitum, ne cui eodem die conferatur unà cum quatuor Minoribus etiam Subdiaconatus, probabilissimè negant *Vasquez, Henri-* 118

Universidad de Deusto
Biblioteca

quez, Piasecius, Palaus, Picastillus, Escobar, alii apud Dianam *p. 9. tract. 6. resol. 58.* Gobat *n.* 461. consentientem. Et ego sæpiùs practicari vidi. Et fatentur DD. contrarii passim, in locis, ubi talis viget consuetudo conferendi uno die illos quinque Ordines, eam tolerari posse, cùm nullum jus damnet talem consuetudinem: & extat declaratio Cardinalium ad dictum *cap.* 13. Tridentini, ita ordinatum secundùm consuetudinem suæ Ecclesiæ, nullam suspensionem incurrere. Et esto! vigeat alicubi consuetudo contraria, eam tamen ita generalem esse & strictè obligatoriam, ut Episcopus vel ejus Vicarius ex rationabili (etsi non gravi) causa dispensare non possit, nemo rectè dixerit, ait rectè Gobat *n.* 462. Quòd si tamen quis sine scitu & consensu Episcopi, maximè eo invito susciperet Ordines illos simul, jam diceretur furtivè ordinatus, & incurret pœnam in tales decretam *c. 2. de eo qui furtivè.* De hoc *supràn.* 102. quod capitulum (nisi in hoc sensu intelligat) immeritò contra nos citat Layman *cit. c. 8. n. 7.*

119 III. Interstitia inter Ordines suscipiendos, à priori nimirum suscepto usque ad alterum suscipiendum, ita statuit Concil. Trident. *sess. 23. de Reform.* 1. De Diacono Presbyterando *c. 14. Ad Presbyteratûs Ordinem, qui in Diaconatu ad minus per annum integrum (nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem, aliud Episcopo videatur) ministraverint.* Ubi vides ad dispensandum requiri à Concilio collectim *utilitatem* ac *necessitatem* Ecclesiæ simul. 2. De Diaconando, *c. 13. promoti ad Subdiaconatûs Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, non permittantur.* 3. De Minoristis subdiaconandis ibidem *c. 11 Hiverò non nisi post annum à susceptione postremi gradûs minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi aliud exposcat.* Vides rem totam committi arbitrio Episcopi, non tamen mero, sed prudenti, cum consideratione necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ, conjunctim quidem pro Presbyteratu, & disjunctivè saltem pro Diaconatu & Subdiaconatu, pro quibus proinde interstitiis dispensandis longè minor causa sufficiat, quàm pro Sacerdotio. Uti notant Rodriquez, Bonacina, Barbosa apud Gobat *n.* 491. quod ipsum tamen vix videtur usu receptum: minùs autem illud, quod ibidem Concilium etiam inter ipsos Ordines minores aliqua interstitia requirat, ut quis priori Ordine recepto disponatur ad alium. Nam generali consuetudine Ordines minores omnes conferuntur simul: & passim conferuntur pridie ante Subdiaconatum conferendum. Universim generali consuetudine Germaniæ videtur multùm derogatum Decretis istis de interstitiis: quia nusquam observantur, ut jacent, sed nihil communiùs, quàm quòd omnes Ordines conferantur intra unum, imò dimidium annum, & sæpe in quibusdam locis intra sex septimanas Quadragesimæ ascendat ab infimo ad supremum gradum: ut vix reperiatur aliquis ab Ordine, eâ solâ de causâ, quia non servat interstitia: ac proinde ubi solet tam generaliter cum omnibus dispensari, non potest peccati gravis damnari ille, qui sine dispensatione particulari interstitiorum suscipit Ordines: ut contra Jordanum rectè censet Gobat *n.* 495. Saltem tunc non peccat, quando Ordinario ostendit suas formatas, ut vocant, in quibus exprimitur tempus, quo suscepit ultimum Ordinem. Hoc enim ipso, quòd Ordinarius talem non repellat, censetur dispensare cum ipso. Cæterùm ubi Decreta illa sunt in vigore, & ab Ordinariis servantur, ac servari jubentur, utique talis peccaret graviter contra præceptum Ecclesiæ ab omnibus, etiam Regularibus observandum: nullam tamen censuram incurreret, nec consequenter irregularitatem ex usu Ordinis sic suscepti consequentem: juxta communem DD. Sententiam: & oppositum ex Bulla Pij II. malè deducere Lezanam bene ostendit Tamburinus hic *cap.* 11. §. 1. *n.* 3. Excipe tamen: nisi talis inscio, vel invito Episcopo ita suscipiens conferetur suscipere Ordines furtivè, prout in simili dixi *num. præced.*

IV. Per dies *festos* vel *festivos*, quibus jure com- 120
muni committitur collatio minorum Ordinum; & per dispensationem vel privilegium etiam collatio Ordinum majorum: intelliguntur illi soli, qui in Choro simul & foro celebrantur festivè, juxta communissimam DD. Sententiam, quam latissimè defendit Card. de Lugo *Responsi. moral. lib. 1. dub.* 29. Et omnino certum videtur, quando in dispensatione vel privilegio exprimitur dies festus: *De præcepto*, prout certè de minoribus Ordinibus conferendis exprimitur in Pontificali recognito & edito sub Urbano VIII. ut ex communissima Theologorum & Canonistarum Sententia, omniúmque consensu (contra unum & alterum) latè & optimè probat idem Gobat *án.* 482. Attamen seclusâ illâ clausulâ *de præcepto*: sufficere, si dies ille celebretur in Choro ritu duplici, in terminis docet noster Rodriquez *Q. R. to. 3. q. 23. art. 1.* testans & probans ita declarâsse Clementem VIII. (extendendo etiam ad festa semiduplicia, saltem respectu Ordinum minorum) idipsum docent plures alii, eósque citans Diana *p. 5. tract. 13. resolut. 57.* & tam practicè, quàm speculativè probabile esse, cùm Castro-Palao censet Gobat *num. 72. & seqq.* quos videre potes, si opus habes. Unum tamen adhuc nota ex jure communi. *c. litteras de temp. ordin.* Episcopo permissum esse, ut si ob rationabilem causam, v. g. multitudinem ordinandorum, vel infirmitatem, collationem Ordinum, etiam majorum faciendam alioquin in Sabbatho, absolvere non possit, partem ad Dominicam sequentem differat, modo eò usque continuetur naturale & exactum jejunium, ut Sabbathi & Dominici matutini quasi unus dies reputetur: communis DD. cum Layman *cit. cap. 8. n. 5.* Verumtamen prohibitum est Episcopo, ne eidem, cui in Sabbatho unum Ordinem majorem contulit v. g. Diaconatum, manè sequentis Dominicæ alium Ordinem majorem, puta Sacerdotium conferat: *cùm propter continuationem jejunij ficti one canonicâ manè cum vespera ad eundem diem pertinere dicatur. cit. c. Litteras.*

Excei-

Excipiendus tamen est Episcopatus; nam si in die Sabbathi Ordinationis generalis alicui collatus est Presbyteratus, sequenti Dominicâ manè conferri potest Episcopatus. Etiam non interveniente continuatione jejunij, ex communi Layman *cit. num. 6.* Etenim Episcopatus quovis die Dominico conferri potest: & consequenter etiam eo, qui post Sabbathũ ordinationis generalis. Quia etiam, si ob rationabilem causam continuato jejunio Sabbathi aliquis in Dominica ordinatus fuit Presbyter, eundem eâdem die Episcopum quóque consecrari posse affirmant Sanchez *lib. 7. Consil. c. 11. dub. 15.* Layman *cit. n. 7.* Gobat *n.* 465. siquidem ad Episcopum non extenduntur Canones supra relati: & Episcopatus non distinguitur, nisi inadæquatè à Sacerdotio. Verùm id mihi probabilius negat Aversa apud Tamburinum *lib. 7. cap. 11. §. 1. n. 11.* saltem ex eo capite, quod tam novus Sacerdos, quàm novus Episcopus concelebrare debeat cum Ordinante, non liceat autem eodem die bis celebrare. Denique ob dictam rationabilem causam, si Episcopus Ordinationem generalem inchoare non possit in Sabbatho, fas ipsi esse totam omnino transferre in eandem Dominicam, modò continuet jejunium, post alios relatos docet Gobat *n.* 477. & insinuat Layman *cit. n. 5.*

§. IV.

Privilegia Regularium circa prædicta.

121 I. REgulares, mendicantes præsertim, possunt ordinari extra tempora, ex privilegio concesso ab Eugenio IV. & Alexand. VI. Neque illud privilegium revocatum esse per Concilium Tridentinum latè docent Rodriquez. *Q. R. tom. 3. q. 23. a. 5. Marchinus, Præpositus, Aversa, alij cum Diana p. 5. tract. 13. miscel. 1. resol. 57. & latiùs parte 9. tract. 8. miscel. 3. resol. Tamburinus cit. lib. 7. cap. 10. n. 13.* Et extat expressa Declaratio Cardinalium *ad Sessionis 23. c. 8. de Refor.* Quòd nimirum privilegium suscipiendi Ordines extra tempora, per Decretum Tridentini non sit sublatum: quippe in quo non sit specialis clausula derogatoria privilegiorum, sicut est quoad ætatem ordinandorum à Concilio Tridentino requisitam. Accedunt denique concessiones Concilio illo posteriores Gregorij XIII. & Clementis VIII.

122 II. Regularibus mendicantibus concessum est privilegium ab Alexandro VI. ut possint non servatis interstitijs annuis, ordinari tribus diebus Dominicis vel festis duplicibus successivè, ut videre est apud Rodriquez *cit.* cui similiter non esse derogatum per Concil. Trid. ob defectum clausulæ derogatoriæ, docent ijdem DD. citati. Atque post Tridentinum idem privilegium concessit Societati JESU Gregorius XIII. equidem cum prohibitione communicationis. At absolutè sine prohibitione communicationis, concessit Congregationi reformatæ Sancti Bernardi Gregorius XIV. Bulla, *incipit. Romanus Pontifex.* Denique Clemnes VIII. idem concessit Congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, ut patet apud Portellum V. *Ordines sacri.* Qui testatur se hoc privilegium oculis suis vidisse. *Dices*: refertur declaratio Cardinalium ad *sessionis 23. c. 11.* censentium remissionem interstitiorum etiam quoad Regulares ex causis à Concilio expressis faciendam, pertinere ad Episcopum ordinantem; eum tamen hac in re debere deferre judicio & attestationi Superioris Regularis ordinandi; ergo non urget amplius hoc privilegium. Negatur consequentia: Quia illa declaratio Cardinalium intelligenda est, quantùm est de jure communi: cum quo optimè stat, quòd idipsum per privilegium competat Superioribus Regularium: Et sanè non potuit ullo modo illa declaratio enervare privilegia ipso Concilio posteriora.

III. Concessum est mendicantibus privilegium 123
suscipiendi Ordines à quocunque Catholico Episcopo communionem & gratiam Sedis Apostolicæ habente per Leonem X. & Paulum III. cui similiter, cùm Tridentinum per specialem clausulam non derogârit, adhuc vigere docent Authores citati: atque non derogâsse certum est ex Bulla Pij V. *incip. Etsi mendicantium.* quæ est sexta hujus Pontificis descripta apud Cherubinum & Rodriquez in Bullario Regular in qua *n.* 19. sic loquitur P. *sessionis verò 23. c. 8. Neminem nisi a proprio Episcopo ordinari posse, in Regularibus locum non habere declaramus.* Nec obstat contraria declaratio Cardinalium approbata postea à Clemente VIII. Nam lex generalis non derogat quidquam privilegijs, nisi eorum faciat mentionem; declaratio autem illa nullam facit mentionem privilegiorum. Adde, idipsum etiam privilegium postea concessum esse à supra memoratis Pontificibus Gregorio XIII. & XIV. Adde insuper, ijsdem privilegijs suscipiendi Ordines extra tempora sine interstitijs juris, & à Catholico Episcopo, gaudere etiam Novitios Regularium mendicantium, si interim Patrimonium vel Beneficium habeant. Nam in favorabilibus Novitij gaudent privilegijs suarum Religionum.

IV. Privilegium mendicantium, ab Innocen- 124
tio VIII. concessum toti Ordini FF. Minorum, ut postquam pervenerint ad 23. annum; dum tamen sufficientes sint, possint promoveri ad Sacerdotium, & alia ejusmodi privilegia, liquidò revocatum est per Concilium Tridentinum *cit. sess. c. 12.* Et quamvis Pius V. *vivæ vocis oraculo* concesserit, ut Religiosi possint privilegijs per Tridentinum Concilium revocatis uti in foro conscientiæ, tamen nequit hoc privilegium deduci ad executionem, nisi Superior, Provincialis v. g. vel Guardianus dispenset in ætate, & in suis ad Episcopum dimissorijs testetur de hac dispensatione, & sic res non remanet intra forum conscientiæ. Et sic oraculum illud, antecedenter ad ordinationem, non obtinet ullum robur. Attamen privilegio huic maximè poterit esse locus post factum, si quis Regularis bonâ fide ante ætatem impletam v. g. promotus sit ad Sacerdotium: ut singulariter notavit Vasquez. *tom 3. disp. 246. n. 45.* quia si Superior eam tunc dispensat, dicitur dispensare in foro conscientiæ solius, etsi taliter dispensatus celebret suas Primitias coram viginti millibus spectatorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum. Videatur Gobat *casu 13. n. 514. & seq.* Dices, Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. ultimo de Regularibus* expresè dicit: *Hæc omnia & singula in superioribus decretis contenta observari sancta Synodus præcipit in omnibus Cœnobijs non obstantibus eorum privilegijs, sub quibuscunque verborum formulis concessis.* Ergo derogavit prædictis privilegijs Regularium. Negatur consequentia. Concilium enim ibi solùm loquitur de superioribus Decretis ipsius istius sessionis *de Regularibus*; non autem de Decretis contentis in alijs sessionibus.

SECTIO V.

Quæ singulorum Ordinum Definitio, Materia, Forma, Officia?

SUMMARIUM.

125. *Quid* Ostiariatus *ut Sacramentum?* &
126. *Quid ut res Sacramenti?*
127. *Quid* Lectoratus *ut Sacramentum*, &
128. *Vt res Sacramenti?*
129. *Quid* Exorcistatus *ut Sacramentum*, &
130. *Vt res Sacramentum*, &
132. *Quid* Acolythatus?
134. *Quid* Subdiaconatus, & *qua ejus materia?* usque ad
138. *Quid Diaconatus?* & (n. 138.
139. *Qua ejus materia?*

§. I.

OSTIARIATUS.

I. Ut Ordinatio, Sacramentum seu Cæremonia sacra est.

125 *Ostiariatus* est Ordo Ecclesiasticus, quo confertur Potestas ex officio aperiendi, claudendi, custodiendi Ecclesiam, nec non dignos admittendi, indignos arcendi. Effectus ejus est Gratia sanctificans cum jure ad gratias actuales officio competentes suo tempore præstandas, & Character. Materia remota sunt claves: proxima, earum Traditio. Forma sunt hæc Episcopi verba: *Sic age, quasi rationem Deo redditurus, pro his rebus, quæ his clavibus includuntur.* Quòd autem Ostiarij ordinati deducantur ad ostium templi aperiendum, & claudendum, & campanam vel ymbalum pulsandum, symbolum est eorum, quæ ad officium suum spectant, & velut actuale exercitium Ordinis, quem susceperunt: atque ad cæremoniam accidentalem spectans, non ad materiam aliquam primariam. Hic ergo & in sequentibus omnibus recole generatim dicta *suprà a n. 29. De materia & forma Sacramenti Ordinis, simultate, contactu materiæ &c.*

II. Ut gradus ministerij, seu res Sacramenti est.

126 *Ostiariatus* est Potestas spiritualis per Ordinem collata Ecclesiam aperiendi, claudendi, custodiendi, nec non dignos admittendi, indignos repellendi ex officio. *Ostiarius* ipse est Minister Ecclesiæ ex Ordinatione sua habens potestatem Ecclesiam aperiendi, claudendi, custodiendi, nec non dignos admittendi, indignos repellendi ex officio. Officia ergo Ostiarii sunt. 1. Ecclesiam aperire, & claudere. 2. Ecclesiam & sacram Suppellectilem custodire & conservare, mundando à sordibus, tuendo à furibus vel prophanis usibus. 3. Campanas pulsare, advocare & admittere dignos: repellere & excludere indignos, utpote, infideles, hæreticos, excommunicatos, & interdictos: item publicè pœnitentes, qui in vestibulo Ecclesiæ remanere debeant tempore pœnitentiæ: item Catechumenos, qui solùm olim admittebantur ad Missam Catechumenorum, videlicet ab initio usque ad Offertorium, postea egredi debebant. 4. Aperire librum ei, qui est prædicaturus: quod ultimum certè in usu non est. Tannerus *hic disp. 2. q. 2. n* 48. citans Canones, exprimit, Officium primarium Ostiariatûs & Ostiarii esse, custodire res & depositas Ecclesiæ, & discernere inter dignos & indignos, ut illos admittat, hos ejiciat, vel repellat: accidentarium verò ejus munus esse, aperire & claudere Ecclesiam, pulsare campanas. Sed nihil refert, cùm vix ullum hodie sit in usu. Notat autem noster Marchant, multùm decessisse decori Ecclesiæ, quòd ejusmodi munia minorum Ordinum non ampliùs per Ordinatos ex officio, sed pleraque per laicos exerceantur.

§. II.

LECTORATUS.

I. Ut Ordinatio, vel Sacramentum, vel sacra Cæremonia est.

127 *Lectoratus est* Ordo Ecclesiasticus, quo confertur potestas spiritualis legendi in Ecclesia Prophetias & Scripturas ex officio. Effectus est gratia sanctificans cum jure ad gratias actuales compententes officio exercendo, suo tempore præstandas, & Character. Materia remota est liber continens sacras Lectiones Veteris ac Novi Testamenti, seu Prophetias & Epistolas: item homilias & sermones SS. PP. in Ecclesia legi solitas. *Tannerus cit. num.* 48. Proxima est ejusdem libri traditio. Forma, verba hæc Episcopi: *Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter & viriliter Officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio bene ministraverunt.*

II. Ut gradus ministerii, seu res Sacramenti est.

128 *Lectoratus est* Potestas per ordinationem collata legendi lectiones sacras, Prophetias, Scripturas ex officio. *Lector est* minister Ecclesiæ, habens potestatem legendi lectiones sacras in Ecclesia ex officio. Officium ergo Lectoris est publicè in Ecclesia coram populo, clarâ & distinctâ voce lectiones sacras ex Scripturis Veteris & Novi Testamenti prælegere: idque 1. In Psalmodia & Officio divino nocturno. 2. In Missa Prophetias, non tamen Epistolam & Evangelium. 3. Antequam Episcopus prædicabat, lectoris erat textum Scripturæ cujusvis in Concione explicandum prælegere, uti sæpiùs indicat S. Augustinus & alii Patres. Item Lectoris munus est catechumenis baptizandis rudimenta fidei tradere: Denique olim etiam panem & fructus novos benedicebant, sed id modò abrogatum, aut certè in nullo usu est.

§. III.

EXORCISTATUS.

I. Ut Ordinatio, seu Sacramentum, vel sacra Cæremonia est.

129 *Exorcistatus* est Ordo Ecclesiasticus, quo confertur potestas spiritualis imponêdi manû super energumenos, Exorcismos legendi, ad dæmones fugandos, eorúmque opera dissolvenda ex officio. Effectus est gratia sanctificans cum jure ad gratias actuales officio competentes suo tempore dandas, quibus maximè indiget Exorcista; Character Insigne potestatis hujus. Materia remota est liber Exorcismorum: proxima, ejusdem libri traditio. Forma, hæc verba Episcopi. *Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos, sive catechumenos.*

II. Ut gradus ministerij, seu res Sacramenti est.

130 *Exorcistatus* est Ordo Ecclesiasticus; quo confertur potestas spiritualis ordinatione collata imponendi manus super energumenos, Exorcismos legendi, ad dæmones fugandos, eorúmque opera dissolvenda ex officio. Exorcista est Minister Ecclesiæ habens potestatem ordinatione collatam imponendi manus &c. Officium ergo Exorcistæ est imponere manus super energumenos, & exorcismos legere ad fugandos dæmones. Est autem exorcismus formula sacra verborum authentica, ab Ecclesia scilicet instituta vel approbata ad dæmones fugandos, eorúmque opera dissolvenda. Conditiones porrò in Exorcista requisitæ ad hoc, ut officio suo legitimè & fructuosè satisfacere possit, sunt bonitas, fides, scientia, prudentia, intentio recta, modi approbati exorcismorum. Quæ conditiones omnes, cùm in paucis reperiantur conjunctæ, ideo modò multiplicato numero Sacerdotum non ampliùs exorcistæ in solis Minoribus constituti, sed Sacerdotes hoc officium exercere consueverunt. Denique olim etiam Exorcistæ officiû erat in Missa edicere populo, ut qui non communicaret, daret locum aliis communicaturis: & aquam infundere, quâ in ministerio Baptismi usurus erat baptizans. Sed hæc quóque ipso non usu dudùm abrogata sunt.

§. IV.

ACOLYTHATUS.

I. Ut Ordinatio, seu Sacramentum, vel Cæremonia sacra est.

131 *Acolythatus* est Ordo Ecclesiasticus, quo confertur potestas spiritualis accendendi lumina, cereúmque accensum transferendi ad Altare, & porrigendi Subdiacono urceolos pro sacro ministerio, ac aliis in Sacrificio Missæ deserviendi Majoribus initiatis ex officio. Effectus est gratia sanctificans cum jure ad gratias actuales officio competentes, suo tempore dandas, & Character Signum hujus potestatis. Materia remota duplex est: candelabrum cum cereo extincto. 2. Urceoli vacui. Proxima eorundem traditio. Forma, verba Episcopi: 1. *Accipe ceroferarium cum cereo, ut scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini.* 2. *Accipe urceolos ad suggerendû vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini.* Circa hanc duplicem materiam & formam triplex est Sententia DD. alij primam tantùm: alij secundâ tantùm: alij utramq; simul volunt esse essentialê: quod tertiû credo: at tunc sub qua materia & forma imprimetur Character? Res incerta est: aut dic, sub utraq; imprimi duos Characteres partiales, aut Characterem sub prima impressum, sub secunda solùm extendi ad significandam aliam distinctam potestatem præparandi materiam: aut imprimi tantùm sub secunda materia & forma, quia tunc Acolytho traditur principalis potestas sui Ordinis; sine dubio enim principaliùs est materiam Corporis & Sanguinis Christi præparare, quàm luminaria ministrare. Atque D. Bonaventura *in 4. d. 24. p. 2. q. 2.* bene docet: *Hoc pro regula generali habendum est, quòd in illo signo exteriori imprimatur Character in quolibet Ordine, in quo principalis potestas, quam respicit Ordo, signatur tradi ordinato.*

II. Vt gradus ministerii, seu res Sacramenti est.

132 Acolythatus est Potestas spiritualis Ordinatione collata, accendendi luminaria, cereúmque accensû transferendi ad Altare, & ministrandi Subdiacono urceolos cũ vino & aqua pro sacro ministerio, ac in alijs in Sacrificio ministrandi Majoribus initiatis ex officio. Acolythus ergo est Minister Ecclesiæ ex ordinatione sua habens potestatem spiritualem accendendi luminaria &c. Officia ergo Acolythi sunt. 1. Præparare lumina ad Sacrificium, cereum accendere, & ad Altare deferre, etiam Diacono solenniter legenti Evangelium præferre. 2. Vinum & aquam ad Sacrificium præparare, atque urceolos vinô & aquâ repletos ad Altare portare, & Subdiacono porrigere. Denique Diacono, & Subdiacono Sub Sacrificio servire, inde enim dicitur Acolythus, latinè pedissequus. Et hinc patet, cur Acolythatus cæteris Ordinibus minoribus præferatur. Nam reliqui tres Ordines minores directè solùm circa populum ministrant, etsi in ordine ad Sacramentum & Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi: Acolythi autem & ipsi quidem circa populum deserviunt ad excitandam devotionem, magis tamen directè & propinquè deserviunt ad Sacrificium Missæ seu Corporis & Sanguinis Christi, ut ex officiis assignatis patet.

§. V.

SUBDIACONATUS.

I. Ut Ordinatio, seu Sacramentum, vel Cæremonia sacra est,

134 *Subdiaconatus* est Ordo sacer Ecclesiasticus, quo confertur potestas spiritualis in Sacrificio Missæ assistendi Sacerdoti mediante Diacono, seu immediatè Diacono, ministrando ei calicem cum vino, & patenam cum hostia &c. Item Epistolam solenniter legendi in Sacrificio ex officio. Effectus est gratia sanctificans cum jure ad gratias actuales

Universidad de Deusto
Biblioteca

officio competentes suo tempore dandas; & Character Signum potestatis istius. Materia & forma duplex est. Prima materia remota, est calix vacuus, cum patena vacua superposita, scilicet sine vino & hostia: proxima, utriusque traditio. Non enim sufficeret tradi solùm calicem, vel solam patenam, quia Concilia semper utrumq; exprimunt, & illa traditio ad utramque partem Sacrificij, scilicet Corporis & Sanguinis Christi, suo modo ad inserviendum refertur. Sufficeret tamen probabiliter, si calix & patena non essent consecrata: cùm nullo jure præcipiatur illa debere ad hunc effectum esse consecrata. *Henriquez, Filliutius, Bonacina, Diana*, alij apud Tamburinum *l. 7. c. 3. §. 2. n. 2. &c.* Contrarium tamen ex usu Ecclesiæ probabilius. Forma sunt illa verba Episcopi monitoria potiùs, quàm imperativa: *Videte cujus ministerium vobis traditur* (hoc solùm videtur essentiale) *ideo admoneo vos, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Vide Vasquez *3. p. disp. 238. c. 5. n. 2.* Secunda materia remota est liber Epistolarum: proxima ejus traditio. Forma, hæc verba Episcopi, *Accipe librum Epistolarum, & habeto potestatem legendi in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam defunctis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.*

135 Ex his autem sola prima materia & forma est essentialis & primitiva, sub qua confertur Subdiaconatus, & imprimitur Character: secunda verò materia & forma est tantùm accidentalis, vel ad summum integralis ex nova institutione Ecclesiæ: ut docent *Vasquez, Coninck, alii: & Castro-Palaus* hoc vocat commune & certum. Vide mox de officio Subdiaconi. Addit Pontificale. *Et Archidiaconus accipit, & tradit eis urceolos cum vino & aqua & bacile,* (id est pelvicula & manutergio) *quæ omnia similiter tangere debent.* Verùm hæc non spectant ad materiam hujus Ordinis, eo ipso, quòd non tradantur ab Episcopo, sed tantùm Archidiacono. Quare nullum scrupulum movendum Subdiacono fortè sine ea traditione ordinato, rectè resolvit Gobat *n. 54.*

136 At, contigit non semel per errorem vel incuriam Magistri Cæremoniarum, ut Subdiaconando pro calice vacuo traderetur calix cum vino, qualis debet tradi Presbyterando. An valida fuit Ordinatio? An saltem sub conditione reiteranda? v. Cardinalis de Lugo *Respons. moral. l. 1. c. 30.* à Recentioribus ipso merito communiter receptus, omnino ordinationem fuisse validam, nec ullo modo repetendam. Ratio sumitur ex vulgata Regula juris: *utile per inutile non vitiatur*: ergo & calix, qui est legitima materia Subdiaconatûs, non vitiatur per præsentiam vel continentiam vini merè per accidens, & præter intentionem Episcopi, qui intendit tradere sola vasa sine materia in iis contenta: sicut non vitiatur Baptismus v.g. si aquæ elementari misceatur aqua rosacea, vel alius liquor. Certè materia secundaria Subdiaconi est traditio libri Epistolarum, & tamen plerumque traditur Missale, in quo continentur & Evangelia, materia Diaconi, & prophetiæ, materia Lectoris, & alia perplurima. Et tandem pono Episcopum, notato errore effudisse vinum, sine dubio validè ordinâsset, licèt aliquæ guttæ remansissent sufficientes ad validam consecrationem, & in rigore etiam ad Ordinationem Presbyteri; ergo similiter valebit, etsi aliquantò plus vini in calice fuerit. Quare Ordinatio illa non fuit iteranda. Quia licèt in Presbyteratu & Episcopatu non sit sustinenda opinio probabilis, sed reiteranda sub conditione Ordinatio, propter gravissima incommoda, quæ afferret invalida Ordinatio Sacerdotis vel Episcopi. In Subdiaconatu autem, ac reliquis Ordinibus non videtur necessaria repetitio conditionata, etsi solùm probabilis sit ejus valor: cùm nullum ex nullitate sequatur notabile incommodum fidelium, ut alibi etiam notavi. Porrò probabilem esse valorem talis Ordinationis, jam satis probatum est.

II. Ut gradus ministerij, seu res Sacramenti est.

137 Subdiaconatus est Potestas spiritualis Ordinatione collata in Sacrificio Missæ assistendi, & inserviendi Sacerdoti mediante Diacono, vel immediatè Diacono, ministrandi ei calicem cum vino, & patenam cum hostia &c. item in Sacrificio solenniter legendi Epistolam ex officio. Subdiaconus est Minister Ecclesiæ habens ex Ordinatione sua potestatem in Sacrificio Missæ inserviendi Sacerdoti, mediante Diacono &c. inde enim dictus Subdiaconus, quasi subminister. Officia ergo, seu munia Subdiaconi sunt. 1. Aquam ad ministerium Altaris præparare. 2. In Sacrificio Missæ proximè assistere Diacono, eique ministrare. 3. Calicem & patenam cum hostia ad Altare deferre, & Diacono offerre. 4. Panem consecrandum pro populo in Altari ponere. 5. Pallas Altaris & Corporalia abluere. 6. Crucè in Supplicationibus præferre. Denique Epistolam in Missa solenni canere solenniter, id est cum debitis paramentis, & Insigni sui Ordinis, quod est manipulus. Atque hoc ultimũ officiũ non competit Subdiacono ex vi Subdiaconatûs in primæva sua institutione & usu, sed accessione ex nova institutione & collatione Ecclesiæ successu temporis factâ. Certè antiquissima Concilia, dũ referunt officia Subdiaconi, de eo mentionẽ non faciunt; & de facto Episcopus in exhortatione prævia ad Subdiaconandos, etsi omnia alia Subdiaconorũ officia recenseat, nullam tamen facit mentionẽ lectionis Epistolarum: sic enim habet. *Subdiaconum oportet aquam ad ministerium Altaris præparare, Diacono ministrare, pallas Altaris & corporalia abluere; calicem & patenam ad usum Sacrificii eidem offerre; oblationes, quæ veniunt, in Altare reponere. Pallæ, quæ sunt in subsistratorio Altaris, in alio vase debent lavari, in alio corporales pallæ lotæ sunt, nullum aliud linteamen debet lavari, ipsáq; lotionis aqua in baptisterium debet mergi.* Hæc ibi, nullo verbo lectionis Epistolæ mentionem injiciens. Idipsum significat Catechismus Romanus, qui agens de Subdiacono, ait: *Epistolam etiam, quæ olim a Diacono in Missa recitabatur, Subdiaconus legit.*

De obligationibus in Subdiaconatu suscepto contrahendis, dicam *cap. seq.*

§. VI.

§. VI.

DIACONATUS.

I. Ut Ordinatio & Sacramentum est.

138 *Diaconatus* est Ordo sacer, quo confertur potestas proximè assistendi & inserviendi Presbytero in ministerio Altaris, legendíque Evangelium solenniter in Missa, & alia obeundi huic Ordini propria munia ex officio. Effectus est gratia sanctificans, cum jure ad gratias actuales huic ministerio competentes, & Character signum hujus potestatis. Materia & forma itidem duplex est: una est impositio manûs dexteræ Episcopi super caput ordinandi cum hac forma: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendũ Diabolo, & tentationibus ejus in Nomine Domini.* Altera materia est traditio seu porrectio libri Evangeliorum, cum hac forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia, tam pro vivis, quam pro defunctis in Nomine Domini.* Traditur autem communiter liber Missalis, quo continentur ipsa Evangelia à Diacono in Missa ex officio legenda vel cantanda. Sufficeret tamen tradere alium librum, quo continentur Evangelia sola, vel eorum pars: sufficeret etiam tradere tota Biblia, aut totum Testamentum Novum: quia semper adsunt Evangelia. Dubia foret Ordinatio, & sub conditione repetenda, si traderetur liber solùm continens Acta Apostolorum, Epistolas Pauli, Apocalypsin &c. quamvis enim in ejusmodi libris sit doctrina Evangelica, non sunt tamen Evangelia. Certò autem non sufficeret tradere solùm Testamentum Vetus, aut alium librum sacrum v. g. Exorcismorum, Concilij Tridentini &c. vel similem Evangelium non continentem: túncque Ordinatio esset invalida certò. Quia non adsunt Evangelia significata per formam ab Ordinante prolatam: *Accipe potestatem legendi Evangelium &c.* Utraque hæc materia tam impositio manuum, quàm traditio libri Evangeliorum, cum suis formis, essentialis est, ita ut utraq; tanquam partiales constituant unam totalem materiam & formam Ordinis Diaconatûs. Henriquez, Bellarminus, aliósq; citantes Layman *cit. 5.* Lugo *disp. 2. de Sacram. in genere sect. 5.*

139 I. Essentialis imò primitiva materia Diaconatûs, manuum impositio est, Nam Scriptura *Act. 6.* in Ordinatione primorum septem Diaconorum: & Concilia, nominatim Carthaginense. IV. *cap. 4.* & SS. Patres apud Bellarminum, *de Ordine cap. 9.* in Ordinatione Diaconorum semper meminerunt impositionis manuum, nullâ factâ mentione traditionis libri Evangeliorum. Adde, quòd in Ordinatione Diaconi Episcopus ei manum imponens dicat: *Accipe Spiritum sanctum &c.* De quibus verbis Concil. Trident *sess. 23. Can. 4.* ita definit: *Si quis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopum dicere: accipe Spiritum sanctum, anathema sit.* Quare rectè concludit Lugo *cit. sect. 5. n. 100. Non video, quomodo post hanc definitionem aliqui opinentur per illa verba non dari Spiritum sanctum, sed tantùm intelligi per modum cujusdam deprecationis.* Certè dicere impositionem manuum tantùm fuisse, & esse ritum accidentalem, per modum deprecationis vel præparationis, est ludere in Scripturis, Conciliis, & Patribus. Quâ enim veritate, tacitis essentialibus Sacramenti Ordinis, ritum tantùm accidentalem protulissent, nullâ factâ mentione alicujus signi essentialis? II. Altera materia magis declarativa & distinctiùs significativa potestatis Diaconalis, & utique essentialis, est traditio libri Evangeliorum: quia Eugenius IV. in Concilio Florentino, Decreto ad Armenos expresè dicit: *Diaconatus per libri Evangeliorũ dationem confertur.* Et licèt hanc solam materiam assignet, attamen impositionem manuum ex antiquissimo Ecclesiæ usu satis perspectam, ipsísque Armenis non ignotam, non exclusit, neque exprimere opus habuit.

Quia ergo Concilia antiqua, præsertim Carthaginense allegatum pro Ordinatione Diaconi assignant impositionem manûs: Concilium autem Florentinum dicit: Diaconatum conferri per dationẽ libri Evangeliorum: ne hæc sibi repugnent, sed cohæreant, omnino dicendum erit, hunc Ordinem per utrumque conferri inadæquatè, & diversa illa Concilia solùm assignâsse materiam inadæquatam essentialem. 140

At: quid de impressione Characteris? Bellarminus *cit. de Ordine cap. 9.* insinuat, & aliis placet, conferri duas potestates, atque imprimi duos Characteres partiales, signa utriusque potestatis, scilicet ministrandi Sacerdoti, & legendi Evangelium: quemadmodùm Sacerdoti confertur duplex potestas in Corpus Christi verum & mysticum: nec improbabiliter: sed verosimiliùs est, impositionem manuum cum illa sua forma: *Accipe Spiritum sanctum &c.* etsi sacramentalia & efficacia sint, non tamen operari, nisi completâ alterâ materiâ & formâ, scilicet traditione libri Evangeliorum, cum sua forma: *accipe potestatem &c.* & tunc primùm & gratiam conferri, & characterem potestatis collatæ signum inprimi: tunc enim primò explicitè significatur conferri potestas specialis Ordinis hujus: conformiter ad latiùs dicenda in *parte secunda.* De impositione manuum & traditione vasorum in Ordinatione Sacerdotis.

II. Ut gradus ministerii, seu res Sacramenti est.

141 *Diaconatus* est potestas spiritualis Ordinatione collata proximè assistendi & inserviendi Presbytero in ministerio Altaris, legendi Evangelium solenniter in Missa, & alia obeundi huic Ordini propria munia. *Diaconus* ergo est Minister Ecclesiæ habens potestatem proximè assistendi & inserviendi Presbytero, &c. Officia ergo Diaconi jam indicata sunt. 1. Proximè & immediatè (quo eminet Subdiacono) assistere & inservire Presbytero sacrificanti in toto ministerio Altaris, modis in Rubricis præscriptis. Ubi principalis actus est, hostiam cum patena, & calicem cum vino à se infuso præbere Presbytero. Quo offerente calicem, tenet simul calicem vel brachium Sacerdotis, non item offerente hostiam: quia non oblatione calicis dicit Sacerdos, *Offerimus*: in oblatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione autem hostiæ in singulari dicit. *Offero.* 2. In Missa legere seu cantare Evangelium solenniter, id est, cum paramentis debitis, & Insigni sui Ordinis, quod est stola transversim gestata. 3. Ex commissione Episcopi, vel Parochi, prædicare verbum DEI, baptizare solenniter: & exigente necessitate etiam Eucharistiam ministrare. At, inquies, cur ad hos actus quasi secundarios Diaconi, requiritur specialis commissio vel licentia Episcopi aut Parochi non item ad priores actus magis principales & proprios hujus Ordinis? Resp. ideo. Quia actus illi priores, ministrare Sacerdoti & legere Evangelium, sunt actus tantùm Ordinis, quos exercendi plena potestas in ipsa Ordinatione conceditur. Illi autem actus posteriores, baptizare solenniter, Eucharistiam ministrare, prædicare publicè in Ecclesia ex pulpito seu cathedra, sunt actus jurisdictionis & Curæ Pastoralis: ad quos proinde licitè exercendos, ultra potestatem Ordinis, in non habente jurisdictionem requiritur commissio seu delegatio ab habente jurisdictione ordinariam, nimirum Episcopo, aut saltem Parocho. De necessaria Diacono licentia ad prædicandum, vide latè Gobat *casu* 111. *anum* 75. 4. Ex communi cum S. Thoma *p. 3. q. 82. a. 3. ad 1.* Diaconus habet potestatem in Corpus Christi in sacro vase contentum. Unde communi praxi Ecclesiæ, in processione vel expositione Venerabilis Sacramenti, Diaconus vas SS. Eucharistiam continens educit è Sacrario, vel è sublimiori loco deponit, & in Altari vel manibus Sacerdotis reponit: & suadente necessitate, vel occasione & causâ rationabili, utique posset deferre ab uno Altari in aliud, ut cum aliis notat Tamburinus *hic l. 7. c. 4. §. 1.* Denique plura olim fuerunt officia Diaconorum. 1. Sanguinem Christi, scilicet Eucharistiam sub speciebus vini ministrare fidelibus, olim quando fuit usus adhuc utriusque speciei. 2. Catechumenos instruere in rudimentis fidei, & ad baptismum disponere. 3. Populum in sacris cætibus, certis vocibus & signis ad devotionem ad Deum monere, quo ferè modo adhuc dicunt, *flectamus genua.* 4. Diaconus olim ad januam virorum, sicut Subdiaconus ad januam fœminarū assidere debebat, dum Templum ingrediebantur ad Sexus distinguendos. Clemens R. *l. 8. Constit.* 11. Denique temporalibus Ecclesiarum bonis, eorúmque ac Eleemosynarum distributionibus invigilare, & alia quædam. Vide nostrum Marchant. Speculi. *Tract. 6. tit. 5. q. 1.*

Presbyteratus seu Sacerdotium, remissivè.

Reverentiæ ac Ordinis causâ & in gratiam eorum, qui pro solo Presbyteratu studendo se præparant, placuit hoc sacratissimo Ordine feliciter auspicari secundam partem hujus Theologiæ Sacramentalis de institutione speciali Presbyterandi, Deo favente propediem secuturam.

SECTIO. VI.

Qualis dispositio requiratur in ministeriis dictorum Ordinum? ubi obiter de Paramentis.

SUMMARIUM.

142. *Qualiter peccet celebrans, vel Diaconus, & Subdiaconus ministrans in mortali?* Usque ad n. 147.
148. *Quæ sint paramenta Ordinatorum?*
150. *Quid significent paramenta?* Usque ad n. 157.

ORdinibus, præsertim sacris initiati, debent ministrare sanctè: id est, actus suorum Ordinum exercere cum debita dispositione animi & corporis.

§. I.

Dispositio animi requisita

142 ESt, ut sit in statu gratiæ, nullâ irregularitate, vel censurâ irretitus. Quoad primum: Quæstio practica non levis momenti est, an Ordinati peccent mortaliter ministrantes in statu peccati mortalis: Certum id est de Sacerdote in mortali celebrante, aut Sacramenta conficiendo administrante juxtà generatim dicta *c. 3. sect. 2. a num.* 169. Idipsum de Diacono & Subdiacono in mortali solemniter ministrantibus docent graves Doctores, præsertim antiquiores satis communiter. Fundamenta mox adferam *num.* 144. De Minoribus autem communi consensu negatur. Dico sequentia:

143 I. Probabiliùs est Diaconum & Subdiaconum (nedum Minoristam) in peccato mortali ministrantem, non peccare de novo mortaliter, dummodò habeat actualem aversionem à peccato, seu non habeat affectum actualem peccandi. Sic communior Recentiorum, teste Bassæo in Floribus Theologicis. *V. Sacramentum 3. num.* 8. Ratio sufficiens est: quia de hoc nullum extat præceptum nec divinum, nec humanum; Scripturæ enim, quæ adferuntur, solùm consilium maximæ congruentiæ adferunt, non præceptum obligationis. Deinde Diaconus & Subdiaconus neque immediatè ad Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi concurrunt, ut Sacerdos celebrans, neque aliquod Sacramentum conficiunt, nec consequenter sunt dispensatores meritorū Christi, vel causa gratiæ sanctificantis, ut Sacerdos alia Sacramenta ministrans: adeóque eorum actus non sunt opus tam sanctum, ut sub mortali in statu gratiæ exerceri debeant.

144 II. Nec obstant, aut valde urgent fundamenta oppositæ Sententiæ. Nam 1. confertur Diaconis & Subdiaconis in Ordinatione gratia sanctificans, ut ministeria Ordinis sui debitè & sanctè obeant: at, ut semper in statu gratiæ exerceant, non præcipitur, alioquin eâdem ratione etiam in Minoribus ministrantes sub mortali tenerentur esse in statu gratiæ, contra communem, etiam Adversariorum. 2. Jubentur excitare gratiam Ordinis sui (2. *Tim. 1. admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te, per impositionem manuum mearum*) utique maximè ministrando. Sed faciendo, quod est in se, & quantùm commodè fieri potest: esse autem in statu gratiæ Dei, non ita facilè est in potestate nostra, sicut aversio à peccato. 3. Leguntur graviter puniri ministrantes in Peccato mortali; ut videre est apud Jacobum Marchantium de Sacramentis *tract. 1. capit. 3. n.* 4. Sed fortè fuerunt in actuali affectu peccari mortalis, aut fuerunt peccatores notorii ministrantes cum gravi scandalo. 4. Eodémque sensu intelligenda verba sanè gravissima Gregorii IX. *c. ultimo de temporibus ordinand.* ubi de Diaconis & Subdiaconis ait: *Si non pœnituerint, monendi sunt, & sub interminatione divini Judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis, in susceptis etiam Ordinibus non ministrent.* Hæcille: nimirum peccatores publici vel obstinati.

145 III. Sufficit ergo, & necessarium est, ut Diaconus & Subdiaconus in mortali existentes, dum ministrant, habeant actualem aliquam aversionem à peccato, & pium ad DEUM motum. Hoc enim sufficienter est in eis, suscitare Gratiam DEI; nimirum faciendo quod in se est ad divinam gratiam recuperandam: alioquin non tantùm Sacerdos, sed etiam Diaconus vel Subdiaconus ministrantes in actuali affectu peccati mortalis, utique peccarent mortaliter speciali peccato irreverentiæ erga sanctissimum Sacramentum, & virtualis saltem contemptûs, cùm ad ejus dignum ministerium Gratiam Sacramentalem & sanctificantem acceperint, ipsi autem in ministrando illam non solùm non habeant, sed etiam actuali affectu mortalis peccati omnino excludant. Quæ ratio, etsi appareat, non tamen æquè concludit de Minoribus initiatis in actuali mortali ministrantibus. Quia remotè satis & indirectè ad divinum Sacrificium concurrunt, & ideo eos non peccare mortaliter, in quacunque interna dispositione ministrent, communior est opinio.

146 II. Quoad secundam dispositionem animi, ut ministrans in sacro Ordine nullâ sit irregularitate vel censurâ irretitus, satis patet ex dictis *suprà* speciatim *num.* 88. ministrantem in irregularitate peccare mortaliter. *Et n.* 92. Ministrantem in censura, id est, excommunicatum, suspensum, vel interdictum personaliter, per se loquendo, peccare mortaliter, & insuper contrahere novam irregularitatem ex delicto abusûs sacri Ordinis ob violatam censuram, quæ recole.

§. II.

Dispositio Corporis requisita

147 ESt, ut ministrent cum decenti corporis habitu, cum debitis, quisque paramentis & cæremoniis præscriptis in Rubricis, ibi legendis, certè hic non describendis. Attamen hic placet oportunè breviter adnotare ministrorum

Paramenta, eorúmque significationes.

148 I. PAramenta. 1. Minoribus initiati est Superpelliceum lineum simplex. 2. Subdiaconi, Amictus, Alba, Cingulum, & Manipulus tantùm, qui est Insigne sui Ordinis, & Dalmatica ad ornatum. 3. Diaconi, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus & Stola à sinistro humero transversim gesta, quod est Insigne distinctivum sui Ordinis, & Dalmatica, scilicet ad ornatum. 4. Sacerdotis, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola ab utroque humero gesta, & casula seu planeta. Adverte hic in numero paramentorum. 1. Sacerdos necessariò sex induitur vestibus, quibus significatur Redemptio nostra in Sacrificio repræsentata, facta sextâ mundi ætate, & feriâ sextâ hebdomadæ. 2. Diaconus Sacerdoti immediatè ministrans quinque tantùm induitur vestibus de necessitate. 3. Subdiaconus Sacerdoti mediatè tantùm, scilicet mediante Diacono ministrans, quatuor tantùm induitur vestibus de necessitate. Minoribus tandem initiati, quia remotè satis ministrant Sacerdoti, simplici induuntur veste superpelliceâ. Cæterùm paramenta omnia hic specificata necessaria sunt ad ministerium sacrum necessitate præcepti Ecclesiastici: adeò, ut Sacerdos sine aliquo istorum celebrans: Diaconus sine stola & prærequisitis: Subdiaconus sine manipulo & prærequisitis solemniter ministrans, scienter, & sine justa causa necessitatis vel utilitatis gravissimæ, peccent mortaliter: quia transgrediuntur præceptum Ecclesiæ grave, in re gravi reverentiam tanti Sacramenti & Sacrifici sanctissimi concernente, secundùm omnes; quamvis de Diacono quidam dubitent. Dixi autem *scienter*: sine dubio enim excusat inculpabilis ignorantia, inadvertentia, oblivio: *sine justa causa &c.* qualis vix potest adesse, nisi in Sacerdote, de quo suo loco *parte secundâ.*

149 II. Singulæ hæ sacræ vestes seu paramenta habent varias significationes mysticas vel morales, juxta diversas relationes, & respectus, ac potissimùm duplices. 1. Ad Christum patientem, qui in Sacrificio & ministerio Altaris repræsentatur. 2. Ad mores ipsorum ministrantium. Explico breviter percurrendo singulas in Ordine ad Sacerdotium potissimum. Eadem autem erit ratio de Diacono, & Subdiacono.

Amictus seu Humerale.

150 *Relativè ad Christum* significat velamen, quo Christi facies velata fuit in domo Caiphæ à percutientibus & illudentibus dicendo: *Prophetiza: quis est, qui te percussit? Relativè ad mores*, cùm se à capite ad humeros distendat, significat propositum ac robur adversus tentationes Diaboli. Unde eo se induens orat Sacerdos: *Impone capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.*

Alba.

151 *Relativè ad Christum* significat vestem albam, quâ ab Herode indutus est, & illusus. *Relativè ad mores* significat innocentiam, sanctitatem, & justitiam, quâ nitere & fulgere debet Sacerdos: unde eam induens orat: *Dealba me Domine, & munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus gaudijs perfrui merear sempiternis.*

Cingulum.

152 *Relativè ad Christum* significat prima vincula, quibus Christus à Judæis captus, ligatus, & detentus fuit. *Relativè ad mores*, significat castitatem & puritatem mentis & corporis, quam summo studio amplecti debet Sacerdos: unde præcingens se orat: *Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ & castitatis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Manipulus

153 R*Elativè ad Christum* significat secunda vincula seu funem, quo Christus à Gentibus ad columnam ligatus est flagellatus: in læva solùm gestatur, ut significetur, Christum mero nostri amore pro nobis passum, non aliquâ suâ culpâ, totus justus, & innocens. *Relativè ad mores* significat cordis contritionem amorosam pro delictis, pro quibus Christus tam gravia sustinuit. Unde eum induens Sacerdos dicit: *Merear Domine portare manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione merear recipere mercedem laboris.*

Stola.

154 R*Elativè ad Christum* significat ultima vincula seu funem, quo Christus ultimò ligatus est, utique per medium & collum, & bajulans Crucem ad montem Calvariæ raptus. *Relativè ad mores*, significat imitationem Christi cordialem in ferenda cruce. Unde utroque humero stolam gestat Sacerdos, & ante pectus in modum crucis decussat; ut significet se totaliter corde & corpore cruciformem vitam profiteri; tam in vita activa, quàm contemplativa. Unde & orat: *Redde mihi Domine stolam immortalitatis &c.* Diaconus autem solâ lævâ gestat stolam versus dexteram dependentem, quo pro se quidem significat se saltem vitam activam cruciformem profiteri: & adjunctus Sacerdoti, significat omnem laborem & crucem solùm portandam esse in hac vita mortali per lævam significatâ, requiem autem expectandam esse in altera vita significata per dextram, quam extra stolam habet. Pulchrè Magister *in 4. d. 24.* Quia quidquid laboris & sustinentiæ in hac vita toleratur, quasi in læva portatur, donec in dextera, id est, in æternitate requies habeatur, juxta illud D. Gregorij hom. 21. in Evangelia. *Quid namque per sinistram, nisi vita præsens; quid verò per dexteram, nisi vita perpetua designatur?*

Casula seu Planeta

155 R*Elativè ad Christum* significat vestem purpuream, quâ illusus est in prætorio Pilati, saltem quoad partem posteriorem: quoad partem anteriorem semper in modum Crucis formatam, significat ipsam Crucem Christi. *Relativè ad mores*, significat charitatem & gratiam, seu vestem nuptialem, quâ Sacerdos semper indutus esse debet. Unde & orat: *Domine, qui dixisti jugum meum suave est, & onus meum leve: fac ut illud portare sic valeam, ut consequar tuam gratiam.* Amen.

Dalmatica Diaconi & Subdiaconi

156 R*Elativè ad Christum*, significat vestem puream, & crucem Christi, quippe in modum crucis formata. *Relativè ad mores* verò significat passionem Christi ab illis meditandam esse, quâ animentur ad ferendas cum ac pro Christo tribulationes & injurias jam etiam per stolam significatas. Plura videre potes in rationali divinorum officiorum Guilielmi Durandi.

CAPUT VI.

SECTIO UNICA.

De Obligationibus Ordinatorum seu Clericorum.

SUMMARIUM.

155. *Quid Clericus?*
158. *Quid prima tonsura? &*
159. *Qui ejus effectus?*
160. *Quid requiratur in accipiente tonsuram, vel Clericatum? &*
161. *Qualiter peccet recipiens tonsuram, vel Ordines minores cum animo non permanendi in statu Clericali?*
164. *Tonsurâ, ac Minoribus initiati per se nullam contrahunt obligationem.*
166. *Qualis obligatio gestandi habitum, & tonsuram?* Usque ad n. 170.
170. *Qualis obligatio Orationum & Missarum in ordinatione injungi solitarum?*
171. *Qualis obligatio Reverentiæ & Obedientiæ Ordinatori promissæ?*
174. *Omnes Clerici in Sacris obligantur ad Castitatem.*
175. *Ex solo jure humano Ecclesiastico, ita*
176. *Ut Matrimonium validè contrahere non possint.*
178. *Qua obligatio est immediatè ex voto proprio solemni;*
180. *Aut certè ex lege Ecclesiastica;*
181. *In ipsa Ordinatione, saltem implicitè volita.*
182. *Resolvuntur varia dubia*, Usque ad n. 186.

§. I.

Explicatio terminorum.

157 I. CLericus, quoad nomen vox Græca, latinè quasi *sortitus*, vel *sorte electus*, vel in *sortem vocatus*. Clerici dicuntur (ait D. Hieronymus Epist. ad Nepotianum) *Quia de sorte Domini sunt*: quia scilicet ex DEI gratia & Ordinatione, ad divinum cultum specialiter consecrati, fiunt peculiariter sors, seu pars, & hæreditas Domini, vel potiùs de sorte & hæreditate Domini. Vide Bellarminum *l. 1. de Clericis cap. 1.* Quoad rem ipsam. *Clericus est homo, qui signaculo tonsuræ ab Ecclesia instituto insignitus in sortem Domini designatur, ut sit capax sacrorum Ordinum, Beneficij, ac Jurisdictionis Ecclesiasticæ, gaudeátque Privilegiis Clericalibus.* Clericatus ergo, seu status Clericalis confertur, & Clericus fit, ac sorti Domini insertus homo, dum primâ tonsurâ initiatur ab Episcopo. Per hanc enim homo fit capax jurisdictionis ac beneficii Ecclesiastici, ac proximè dispositus ad Ordines suscipiendos. Prima ergo tonsura non est Ordo, sed fundamentum ac dispositio ad Ordines suscipiendos, ut per occasionem jam dixi *cap. præced. num 8.* Itaque

158 II. *Prima tonsura* (prout de facto ex institutione Ecclesiæ fit, definiri potest) *Est levis detonsio capillorum ab Episcopo cæremoniis Ecclesiasticis facta, quâ masculus Tyrocinio mysteriorum DEI initiatur*: ut scilicet quasi Novitius Tyro, interea in obsequio Ecclesiæ exercitus, disponatur ad Ordines suscipiendos. Confertur enim ab Episcopo per abscissionem modicam capillorum, loco quasi materiæ: & loco quasi formæ per hæc verba ab Episcopo simul & initiando pronuntiata. Psal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.* Dico: *loco quasi materiæ & formæ.* Cùm enim tonsura Ordo non sit, verâ materiâ & formâ non indiget. Quare ijs omissis, validè quis deputaretur ad Clericatum, si quocunque alio modo, ipso consentiente, Clericatui adiceretur ab Episcopo, ut cum Marchino notat Tamburinus *l. 7. c. 2.* Patet ergo differentia hujus tonsuræ Ecclesiasticæ, & Clericalis, à tonsura Monachorum monastica: quippe quæ nec ab Ecclesia primitùs instituta est, etsi approbata, neque per se ad sacros Ordines disponit, neque alios effectus tonsuræ Ecclesiasticæ confert, sed solùm adhibetur ex instituto monastico in signum partiale Religiosi, ad significandum contemptum mundi, aliásque mysticas significationes. Vide Layman. *hic c. 12. n. 1.*

159 III. Effectus primæ tonsuræ sunt potissimùm quatuor. Primus effectus tonsuræ ac officium Clerici primæ tonsuræ est deputatio ad canendum in Ecclesia (unde is Psalmista vocatur in antiquis Concilijs) & ad obsequium Ecclesiæ. Vide dicta *Sect. 1. §. 3. n. 8.* Secundus effectus est fidelem, velut jam è statu Laicali & communi plebe extractum, disponere & reddere proximè capacem ad suscipiendos Ordines. Tertius est: Reddere capacem Beneficij ac Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Quartus Facit gaudere privilegijs Clericalibus & Ecclesiasticis, iisque potissimùm duobus. Unum dicitur privilegium *Canonis (scilicet si quis suadente)* scilicet nova specialis immunitas ab omni violentia externa, seu violentâ injectione manuum, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda à violentiam inferente. Alterum est privilegium *fori*, quo Clerici à judicio sæculari eximuntur, ut coram Judice sæculari conveniri non possint. Tertium privilegium exemptionis à Gabellis Principum sæcularium: quantum hoc tempore vitium habeat, tu ordinatè tute videbis. His ita suppositis eo.

§. II.

Quæ sunt obligationes Clericorum primâ tonsurâ, aut minoribus Ordinibus initiatorum.

160 UT quis primam tonsuram & Clericatum suscipiat, quatuor requiruntur conditiones aliqualiter obligantes. 1. Quòd Clericandus Sacramentum Confirmationis acceperit. 2. Ut fidei rudimenta norit, qualia scilicet nosse debet quilibet fidelis adultus. 3. Ut legere & scribere sciat, saltem vernaculè, ut notant DD. communiter. 4. Ut habeat intentionem clericandi, seu in statu Clericali perseverandi, cultúmque exhibendi: ex *cap. nullus de temp. ordinand.* in 6. Et Concilium Trident. *Sess. 23. c. 4.* omnia complectens, sic habet. *Primâ tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint: quique legere & scribere nesciant: & de quibus probabilis conjectura sit, eos non judicij sæcularis declinandi causâ, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc genus vitæ elegisse.* Hæc Concil. Dixi autem: *aliqualiter obligantes.* Consentiunt enim ferè DD. omnes, eas conditiones obligare solùm sub venali: dummodò adsit animus & spes brevi imposterùm Confirmationem suscipiendi, rudimenta fidei, legere ac scribere discendi, & saltem positivè non excludat voluntatem in statu Clericali perseverandi, Deóque deserviendi, si nihil obstabit, vel excusabit: nam hoc animo excluso, si quis contra Tridentinum, primam tonsuram aut minores Ordines susciperet præcisè, ut judicium fori sæcularis effugeret, & declinaret, eum peccare mortaliter, docent non pauci DD. Bannes, Aragonius, Rodriquez, alij apud citandos *num. seq.* Et fortiter pugnans hostes Marchant. *Speculi tract. 6. tit. 1, q. 4. dub. 4. appendice Reg. 2.* eò quòd Concilium Tridentinum videatur id graviter prohibere: & quia talis in actione sacra committat mendacium perniciosum in fraudem Ecclesiæ, quæ talem non ordinaret, & utens privilegio Clericali fori, & exemptionis à tributis & gabellis, faciat injuriam justitiæ &c. Contra tamen

161 II. Etiam illum, qui tonsuram Clericalem aut minores Ordines suscipit expresso animo non perseverandi in statu Clericali ad cultum DEI, sed præcisè, ut declinet jurisdictionem fori sæcularis, aut interim privilegijs Clericalibus gaudeat, non peccare, nisi ad summum venialiter, docent DD. communiter cum Sanchez *l. 7. De Matrim. disp. 31. num. 16.* aliqualem culpam agnoscente, Layman *l. 5. tract. 9. cap. 7. n. 2.* Tamburinus *l. 7. c. 2. §. 6. num. 8.* Gobat *casu 2. num. 27.* Ratio in oppositum est: quia Concilium Tridentinum nullo verbo indicat præceptum grave. Neque talis gravem injuriam infert vel Ecclesiæ, vel Potestati sæculari: quilibet enim potest uti suâ potestate in eligendo vitæ statu, esto per accidens sequatur exemptio à sæcularibus potestatibus. Tametsi enim Ecclesia vel Ordinarius, si talis hominis propositum cognitum haberet, eum ad Clericalem Ordinem non admitteret, fraus tamen & deceptio illa non est gravis aut perniciosa, ait Layman *loco cit.* Quin multi etiam à venali talem excusant. Certè Layman *cit.* de tali ait: *Non videtur peccare.* Et expressè Gobat *cit.* dicit. *Ego post Sanchez &c. etiam à veniali excuso, nisi forte crimen aliquod prius commisisset & pœnam fugiens curaret se initiari cum Ecclesiæ perturbatione: nec enim est indecens petere rem sacram ob privilegium illi annexum.* Denique notabile est, quod addit Layman *eodem c. 7. in fine*: *Interdum justam causam esse posse primam tonsuram vel Ordines minores suscipiendi, cum certo proposito non manendi in statu clericali, quâ ratione quarundam Academiarum Rectores clericalem tonsuram accipiunt, solùm ut interim jurisdictionem in Studiosos, etiam Clericos exercere possint.*

162 III. Hinc à fortiori patet non peccare, saltem graviter, eum, qui primam tonsuram, aut minores Ordines suscipit absque intentione ascendendi ad Ordines alios. Coninck, alij cum Sanchez & Layman *citatis.* Tamburinus *cit. n. 5.* Nulla enim in hoc gravis deordinatio apparet, aut præceptum grave obligans. Et ipsum Concilium Tridentinum allegatum solùm loquitur de initiato cum intentione fugendi judicium sæculare, non autem de intentione non ascendendi ad alios Ordines, de quo mox iterum *num. seq.* Alia est ratio de ingrediente

Universidad de Deusto
Biblioteca

diente Ordinis regularis novitiatum determinato animo non permanendi, nec profitendi, quia talis in re gravi decipit Religionem, alimenta accipit, & ejus institutum & secreta cognoscit, ait Sanchez *cit. num.* 10. Layman. *ibidem propè finem.*

163 At quid, si quis primâ tonsurâ, & Minoribus, aut etiam Majoribus Ordinibus initietur ob solam spem consequendi beneficium Ecclesiasticum, inde ditescendi, aut similem finem alium, quàm DEO famulandi? Certum est, talem non peccare, saltem graviter, si spes illa lucri &c. solùm sit causa secundaria impulsiva, retento, vel saltem non excluso fine principali, in eo statu DEO debitè famulandi. At verò si spes illa lucri &c. sit causa principalis motiva & finalis. Marchinus apud Tamburinum *l. 7. c. 2. §. 6. n. 11.* censet talem peccare mortaliter: cùm D. Thomas 2. 2. *q.* 185. doceat appetere Episcopatum propter divitias, esse mortale. Verùm si hoc ita absolutè dictum verum esset, & nihil aliud addatur, *væ Sacerdotibus! væ Clericis! væ fidelibus! quotusquisq; enim est, qui ob finem habendi tempora alia ad spiritualia non moveatur?* ait Tamburinus *ibidem n.* 12. Distinctione ergo opus est. Verissimum erit, si spes illa lucri esset finalis causa ultima, ita ut quis in eo lucro sperato finem ultimum constituat, eò quòd paratus sit legem DEI transgredi & DEUM offendere graviter, dummodò eo lucro potiatur; hanc profectò intentionem si vel Clericus vel Episcopus in sua Ordinatione habeat, peccare mortaliter, nimis certum est. Vide *Tract. 1. Decal. c. 5. n. 35.* Idem esset, si intenderet illud lucrum per se, cum animo non satisfaciendi suis obligationibus pro eo lucro debitis: aut ut habeat, quo luxui vel luxuriæ indulgeat. Nec longè ab hujus malitiæ suspicione absunt, qui Ordines, præsertim majorem aliquem, suscipiunt ex spe lucri, ut obtento pingui beneficio, Canonicatu v. g. summam corradant, quâ (impetratâ dispensatione, si opus fuerit) Matrimonium sibi utile procurent &c. At verò, si spes lucri non sit ita causa principalis ultima; quantumvis alias principaliter vel totaliter eâ spe moveatur ad Ordines suscipiendos, attamen propter illud lucrum, vel cum illo, minimè paratus sit legem DEI transgredi, hunc certè difficile est damnare peccati mortalis. Quamvis enim sit aliqua deordinatio venialis, spiritualibus uti tanquam mediis ad acquirenda temporalia, tamen dum constat voluntas ob id legem DEI non transgredi, gravis & mortalis deordinatio nequaquam videtur. Sic bene Tamburinus *c. n.* 13.

164 IV. Clerici primæ tonsuræ, ac etiam minoribus Ordinibus initiati ad nihil obligantur absolutè, seu nullam obligationem absolutam contrahunt, sed solùm ex suppositione, quòd statum Clericalem in suis exercitiis, privilegijs, exemptionibus profiteri velint, & maximè si beneficiati sunt, contrahunt obligationes §. *seq.* assignandas. Quare leges de Clericis latæ in sacris Canonibus, intelligi debent, aut de Clericis in sacris constitutis, aut de Minoribus in dicta suppositione. Hinc 1. Clerici primæ tonsuræ, aut Minoribus initiati, nullo beneficio Ecclesiastico præditi, etsi ex condecentia teneantur ad majorem orationem ac pietatis exercitium, quàm Laici, nullâ tamen lege vel consuetudine obligati sunt ad officium B. V. M. Psalmos, vel alias certas preces, (ne quidem illas, quas Episcopus in Ordinatione eis injungere solet) quotidie recitandas, nisi tantùm ex honestate. At Episcopus in Ordinatione primâ tonsurâ, & quatuor Minoribus initiatis specialiter injungit Psalmos Pœnitentiales cum Lytanijs SS. semel recitandas. Neque illos sub præcepto & peccato obligari recitare, dicam generatim §. *seq. num.* 167. 2. Clericus primâ tonsurâ, ac etiam Minoribus initiatus, saltem ex rationabili quacunque causa, potest renuntiare Clericatui, omnique Clericatûs exercitio ac privilegio, & ad statum Laicalem, ac Matrimonium licitè & liberè transire, secundùm omnes. Quia ei nulla incumbit obligatio præcepti vel promissionis perseverandi, ad superiores Ordines ascendendi, seu in susceptis ministrandi. Quare culpæ mortalis damnari non debet, si sine justa causa recedat, atque ad Ordinum ministeria incapacem se reddat, ducendo v. g. uxorem viduam. Ut contra *Cajetanum* docet communis DD. *Sanchez., Azorius, Toletus,* eósque citans Layman *cit. c. 7. n. 2.* Quòd si tamen absque omni rationabili causa ex mera animi levitate vel libertate ita statum mutet, venialem culpâ alicujus inconstantiæ & levitatis, omnes communiter agnoscunt. Tamburinus tamen *cit. cap. 2. §. 6. n. 14.* Non vult hanc culpam ducere ex capite solius inconstantiæ: hæc enim, cùm solùm sit defectus majoris boni, fortè non attingeret culpam; sed potiùs alicujus infidelitatis. Nam ejusmodi Clericus videtur recedere à statu, quem videtur saltem implicitè aliquo tandem modo promisisse Ecclesiæ in ipsa receptione minorum Ordinum, quibus speciali potestate jam ad certa Ecclesiæ ministeria deputatus fuit: ergo sic leviter recedens, aliquam infidelitatis culpam admittit, non tamen gravem, quippe in re non gravi, & Ecclesiæ minimè damnosâ, maximè hoc tempore in tanta multitudine Clericorum. Cæterùm, si talis Clericus jam Beneficio vel pensione Ecclesiasticâ gaudebat, ijs statim, sicut & omnibus privilegijs clericalibus, ipso facto privari, cùm Matrimonium validè init omnibus notum est.

§. III.

Quæ sint Obligationes omnium Clericorum communes, & propriæ in Sacris constitutorum.

165 OMnes Clerici, non tantùm majores & in Sacris constituti: sed etiam Minores & primæ tonsuræ, si beneficiati sint, & statûs Clericalis exercitijs, privilegijs, & exemptionibus gaudere velint, obligantur gestare habitum clericalem & tonsuram, sine armis, ac vitam clericalem & honestam ducere: unde & vi statûs sui tenentur magis tendere ad perfectionem, magísque se divino obsequio mancipare, quàm Laicus seu Sæcularis manens. Ex communi, Marchant *suprà citatus.* Ratio manifesta est: qui enim aliquem statum assumit, juxta illum statum vivere debet, servando ea, quæ status ille ex

le ex natura sua exigit, aut leges Ecclesiæ præscribunt: atqui leges Ecclesiæ diversis Canonibus præscribunt Clericos illos gestare habitum & tonsuram clericalem, arma verò citra necessitatem gestare prohibent, & ipse status clericalis ex natura sua exigit vitam clericalem & honestam in divino obsequio, victu, vestitu, majúsque perfectionis studium, quàm in sæcularibus, cùm illi in sortem Domini peculiariter dati, & ad sacratissima ministeria deputati sint. Videndum ergo breviter 1. Qualis & quanta sit hæc obligatio? Et accessorie, 2. Qualis obligatio Orationum & Missarum in Ordinatione injungi solitarum? 3. Qualis obligatio obedientiæ & reverentiæ Episcopo Ordinanti ab ordinato promissæ? 4. Obligationes propriæ Clericorum in Majoribus, seu Sacris, inducendæ, deinceps seorsim explicandæ.

I. Obligatio gestandi habitum & tonsuram.

166 I. GEstatio tonsuræ seu coronæ clericalis, dicitur originem sumpsisse à S. Petro, qui aut voluit se ita tonderi in memoriam coronæ spineæ impositæ Salvatori, aut fuit ab impijs ita tonsus per ludibrium, quod tamen Ecclesia vertit in decus Ordinis, ut notant DD. apud Gobat *Casu* 20. *n.* 768. Vide etiam Layman. *cit. tract. 9. c.* 12. ex SS. Isidoro & Bedâ adferentem tres rationes hujus tonsuræ seu coronæ. Voluit autem Ecclesia, ut omnes in Majoribus constituti, item omnes Beneficiati eam gestarent, ut videre est *c. si. quis, de vita & honest. Cleric. & c. Joannes. de Clericis Conjug.* Similiter ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine & instituto ijdem debent gestare habitum clericalem decenter distinctum ad habitu sæcularium, cùm ij in altiori gradu constituti, in sortem Domini vocati, ad Dei cultum specialiter deputati vel consecrati sint.

167 II. Quanta autem hæc sit obligatio, seu quantùm peccet Clericus talis, si citra necessitatem notabili tempore tonsuram & habitum non gestet, non bene consentiunt DD. 1. Aliqui volunt omnes peccare mortaliter. 2. Satis communiter docent, solos Clericos in Sacris constitutos, aut Beneficiatos peccare mortaliter, eò quòd legem Ecclesiæ violent in re gravi. 3. Cajetanus & alij apud Dianam *p. 3. tr. 4. Resolut.* 183. & Tamburinus *cit. c. 2. §. 6. num* 16. consentientes censent nullos peccare mortaliter, nisi adsit temeritas, contumacia, & contemptus, ita ut post Canonicam monitionem etiam excommunicari possint. 4. Sylvester, Armilla, Vasquez, apud Layman *cit. n. 2. in fine*: ajunt non esse peccatum mortale (seclusâ contumaciâ & contemptu) *nisi notabilis excessus fiat ultra modum consuetum.*

168 III. Placet judicium Laymanni *ibid. num. 3.* prædictæ quartæ Sententiæ ita subscribentis: *Et hoc placet, tunc esse mortale, si spectatis circumstantijs personæ, loci, diuturnitate temporis &c. clericalis tonsuræ & habitûs neglectus notabiliter repugnet honestati & bono exemplo Clericorum, cujus gratiâ talis habitus lege Ecclesiasticâ præcipitur. Sin verò ex justa causa, vel ad tempus breve, sine honestatis detrimento, habitus deponatur, nulla omnino culpa erit. Spectanda etiam est cujusque Diœcesis consuetudo.* Hæc doctus Layman, cui ego meritò acquiesco. Et ratio hujus mitioris Sententiæ est: quia spectatis & diligenter omnibus expensis Juris textibus circa illam tonsuram, habitúmque gestandum, nullus apparet continere præceptum grave, & sub mortali obligans, ut cum Marchino testatur Tamburinus *cit. §. 6. n. 17.*

IV. Laymanno adhæret etiam Gobat *cit. casu* 169
20. *n.* 789. addens: *si propter neglectum gestationis vilipendatur Ordo clericalis, delinquitur mortaliter non gestando: non item, si non sit periculum causandi vilipendium & contemptum.* Et ibidem n. 790. sapienter advertit: *Quamvis Layman loco cit. dicat: esse eandem rationem tonsuræ & habitûs clericalis, certum tamen mihi est, longè facilius posse in nostris partibus delinqui mortaliter non gestando clericalem habitum, quam coronam. Nemo quippe facilè damnabit peccati mortalis Parochum, in cujus vertice nullum vestigium coronæ apparet per 6. aut 8. hebdomadas. At verò si instar aut lanionis, aut Senatoris, id est, in habitu omnino prophano incedat triduo, quatriduo publicè per plateas & campos, non reperietur Germanus Catholicus, qui non graviter offendatur, & stomachetur.* Sic ille.

II. Obligatio Orationum, & Missarum in Ordinatione injungi solitarum.

170 ABsolutâ Ordinatione Episcopus recens ordinatis imponit Minoribus & primâ tonsurâ initiatis. 7. Psalmos Pœnitentiales cum Lytanijs, versiculis, & precibus annexis: Subdiaconis & Diaconis Nocturnum talis diei. Presbyteris dicit: *Singuli ad Presbyteratum ordinati post primam vestram Missam, tres alias Missas, videlicet: unam de Spiritu sancto; aliam de B. MARIA Virgine; tertiam pro fidelibus defunctis, dicite singuli.* Jam quæritur, quales sit obligatio ordinatorum ad prædicta persolvenda? sub mortali obligari affirmant *Lonacina* & alij apud Dianam mox citandum. Verùm nullam hic obligationem præcepti sub peccato, sed solùm directionem & consilium congruitatis & decentiæ, cognoscunt alij communiter. Valentia *to. 3. disp. 6. pu.* 10. §. 2. Sanchez. *l. 7. Consil. cap. 2. dub. 2.* Pellizarius *Man. Reg. tract. 8. c. 2. n.* 194. Diana *p. 4. tract. 4. resol.* 218. Tamburinus *cit. cap. 3. §. 4. n. 2.* Gobat *tract. 3. Alph. Sacrif. num.* 713. Ratio sufficiens est: quia tam severa obligatio ex nullo capite adesse convincitur: neque ex aliquo jure, neque ex Pontificali: in his enim nulla stricta obligatio legitur, nec urget, quod Episcopus loquatur *imperativo modo*, & in materia satis notabili. Quia ambigua vocis significatio est in benigniorem partem interpretanda, ut latè probat Gobat *C. clement. Jud. p. 1. sect. 4. & seqq.* significatio autem imperativi modi, ita est ambigua, ut permulti DD. cum Valentia *tom. 2. disp. 7. q. 5. pu. 6.* negent eo per se ullum importari præceptum, sed tantùm consilium, vel petitionem. At ais: Hæ Orationes & Missæ imponuntur in pœnitentiam; ergo cùm sit materia

Universidad de Deusto
Biblioteca

notabilis, sub gravi culpa obligabunt. At aio: Unde tibi constat imponi in pœnitentiam, quæ semper imponi debet suppositâ culpâ? atqui culpa non est, sed opus sanctissimum suscipere Ordines. Dic ergo melius, imponi in gratiarum actionem, & ut consilium, magnæ certè congruitatis & decentiæ, ut meritò censeat Gobat hic *casu* 20. *n.* 771. etsi hic desit rigor præcepti, esse tamen hominis minimè ingenui, non obsecundare tam honestæ petitioni, factæ nimirum ab eo, à quo tam recens, támque honorificum beneficium accepit. Tandem hic singulariter advertit Gavántus in *Rub. p.* 1. *tit.* 4. *lit. O.* Non esse mentem Reverendissimi Domini Ordinatoris, ut Missæ illæ celebrentur in festo duplici, vel alio æquivalente, v.g. infrà Octavas, Paschæ, Pentecostes, Epiphaniæ &c. ut alicubi à nostris nimis scrupulosè fieri vidi. Expectetur ergo dies votivas Missas admittens, eô ipsô, quòd hic nullum urgeat præceptum. De obligatione communicandi sub Ordinatione, dixi suprà *n.* 71. De Confessione præmittenda, *ibid.*

III. *Obligatio Reverentiæ & Obedientiæ Ordinatori promissæ.*

171 SUb finem Ordinationis Reverendissimus Dominus Ordinator interrogat Ordinatos singulos. *Promittis mihi, & Successoribus meis Reverentiam & Obedientiam? & R. Promitto.* Quæritur qualiter, & quos obliget hæc promissio? Respondet (Primus ac solus, quod sciam hanc quæstionem proponens) solertissimus P. Gobat *cit. casu* 20. *à n.* 773. 1. Hæc promissio Reverentiæ & Obedientiæ non videtur intelligi, nisi de ea obedientia, jam aliàs jure naturali, Divino, ac Canonico, debitâ Episcopis. Nec enim aut Illustrissimi Domini Episcopi, hactenus aliam prætenderunt, aut inaugurati ab illis putârunt se ad aliam obligari. Unde & consequenter fit, ut obligatio illa promissoria ratione materiæ, sit gravis vel levis. 2. Videtur tamen duplex peccatum, scilicet inobedientiæ & infidelitatis admittere Presbyter, qui post hanc promissionem detrectat imperium Episcopi: etenim agit contra duas virtutes: nisi velis dicere, (quod ego non dico) illam promissionem esse duntaxat verbum honoris. 3. Est quidem in quibusdam Diœcesibus usus, ut eadem formula proponatur Religiosis exemptis: cùm tamen Pontificale expressè præscribat: *si verò Pontifex non est suus Ordinarius* (scilicet Ordinati) dicit singulis: *Promittis Pontifici, vel Prælato Ordinario tuo, pro tempore existenti, Reverentiam & Obedientiam? R. Promitto.* Sed parùm refert; nam verba intelligenda sunt juxta suppositam materiam. Manet ergo idem sensus, qui suprà, intelligendo Obedientiam & Reverentiam aliàs jure naturali, vel positivo debitam. Nam Reverentiam utique debemus Reverendissimis illis Patribus ac Dominis, æquè ac cæteri non exempti: & certum est, etiam exemptos subjici obedientiæ Ordinariorum in multis casibus, ut festorum, jejuniorum, censurarum, litis de præcedentia Beneficiorum Parochialium &c. 4. Licèt Ordinarius utatur illâ priori formulâ cum aliquo Religioso Monasterij, de quo litigatur, utrùm sit exemptum, nec ne? non tamen est existimandum ullum jus præscribi per verbum *promitto*, decies vel vigesies à diversis repetitum: *actus enim agentium non extenduntur ultra intentionem eorum*: non est autem intentio Ordinatoris vel Ordinati, quærere tunc, vel agnoscere aliquod jus: nec enim circumstantia temporis & loci permittit.

IV. *Obligationes propriæ Clericorum in Sacris constitutorum.*

172 DUæ sunt obligationes principales, quas Subdiaconus in ipsa sua Ordinatione contrahit, nimirum servare Castitatem, & recitare Horas canonicas. Tertia additur possidere patrimonium sufficiens ad honestam sustentationem. Sed de hoc dixi jam suprà *n.* 111. Quarta addi solita, sanctè ministrare in suo officio. De hoc itidem *sect.* 6. *totâ*. De duabus ergo primis nunc consequenter agendum.

§. IV.

Qualis est obligatio servandi Castitatem, ejus origo, requisita &c.

173 OMnes Clerici *in Sacris constituti à suscepto Subdiaconatu obligantur servare castitatem seu continentiam & cælibatum, adeò, ut nec validè possint contrahere Matrimonium; idq; non jure divino vel naturali, sed jure positivo Ecclesiastico. Obligatio Castitatis servandæ est immediatè ex voto solemni in ipsa susceptione Ordinis sacri utpote Subdiaconatûs, saltem implicitè & ipso facto, emittendo ab Ordinato: irritatio verò Matrimonij, seu impedimentum irritans Matrimonium eidem voto seu sacro Ordini annexum, est immediatè ex lege Ecclesiastica, non ex voto.* Est tota communis, ut patebit. Et totam perspicuò significat Concilium Tridentinum *sess.* 24. *Can.* 9. *Si quis dixerit Clericos in Sacris constitutos, vel Regulares solenniter Castitatem professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ vel voto: anathema sit.* Ubi Concilium inprimis apertè significat obligationem continentiæ non ex lege divina, sed lege Ecclesiasticâ vel voto oriri: deinde duo decernit: *Primò*, prædictos non posse licitè contrahere Matrimonium, quia obstat *votum*, quo tenebitur servare Castitatem. *Secundò*, non posse validè contrahere, quia obstat *lex Ecclesiastica* tale Matrimonium irritans, illósque ad hoc contrahendum omnino inhabiles reddens.

Quanquam fatear ea verba Concilij æquè aliter applicari posse, hoc modo. *Non obstante lege Ecclesiasticâ*: quoad Ordinatos in Sacris: *vel voto*: quoad Religiosos. Vide infra *num.* 179. Jam explico more solito.

I. *Omnes Clerici in Sacris, obligantur servare Castitatem.*

174 I. ITa omnes Catholici: *idque non ex jure divino vel naturali*, uti (contra Majorem, Medinam, Waldensem, & alios paucos) docet communissima

nissima DD. D. Thomas. Cajetanus, Bellarminus, eósque citans Layman *Tract. 9. cap.* 11. *n.* 1. alij Recentiores omnes. Non enim ex lege divina positiva, quandoquidem de continentia perpetuò servanda, & conjugio abstinendo, nullum extet præceptum nec in veteri, nec in nova lege, talísque lex, nec ex Scriptura, nec ex Patribus colligatur. Non etiam ex lege naturali; nam licèt secundùm rectam rationem valde decens & conveniens sit, ut qui in eminenti Ecclesiæ statu & Ordine positi, Altaris ministerio & Sacrificio Agni immaculati vacare debent, ab opere carnali se abstineant, ut colligitur ex Apostolo 1. *Corinth.* 7. inde tamen non evincitur præceptum juris naturalis, cùm sacrum Altaris ministerium non repugnet simpliciter usui conjugali, tandem idipsum apertè significat Concilium Tridentinum *n.* 173. allegatum, ubi id notavi. Manet ergo hanc obligationem oriri

175 II. *Ex solo jure humano Ecclesiastico.* Est enim Apostolica constitutio à tempore Apostolorum in Ecclesia, præsertim Occidentali semper custodita, ut sacris Ordinibus initiati, uxoribus non uterentur, sed cælibes & continentes viverent, ut constat infinitis sacris Canonibus, Conciliorum Pontificum, & SS. Patrum Authoritatibus apud Doctores, maximè Controversistas passim allegatis. Bellarminus *de Clericis*. Layman *cit. c.* 11. *n.* 3. Nobis sufficiat *Canon Apostolorum* 25. sic habens. *Ex his, qui cælibes in Clerum perveniunt, jubemus, ut Lectores tantùm & Cantores, si velint, nuptias contrahant.* Et Concilium Carthaginense 11. *Can.* 2. sic statuit. *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quóque custodiamus.* Hæc ibi. Imò de Subdiaconis quóque extat hoc Decretum Conciliorum Aquisgranensis, & Wormatiensis, apud Tannerum *cit. Placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, abstineant se ab uxoribus.* Et quamvis olim fuerit Græcis Sacerdotibus permissum, ut uxoribus uterentur, quas antea Laici legitimè duxerunt: licèt etiam aliquot sæculis Ordo Subdiaconatûs non fuerit ubique annumeratus Sacris, & ideo Subdiaconis fuerint permissæ nuptiæ: nunquam tamen fuit in Ecclesia sive Romana sive Græca permissum, ut Presbyteri jam Ordinati ducant uxores. Ut contra Græcos Schismaticos demonstrant Controversistæ. Rationes hujus prohibitionis dabo paulò inferiùs *num.* 177.

II. *Ut nec validè Matrimonium contrahere possint.*

176 I. SAcris Ordinibus, ultra obligationem servandi Castitatem ex voto ortam (ut ostendam §. *seq.* ut licitè contrahere non possint, etiam annexum est impedimentum dirimens Matrimonium, ut nec validè quidem contrahere possint. De fide. Definitum in Concilio Tridentino *supra n.m.* 173. allegato. Et multi sacri Canones, dum jubent Ordinatos in Sacris servare Castitatem, significant simul irritationem Matrimonij: quasi dicat Ecclesia: Ecce, advertite, quod sacræ vestræ Ordinationi ego conjungo Matrimonij nullitatem. Atque hæc irritatio Matrimonij, seu impedimentum hoc dirimens Matrimonium sacro Ordini annexum est immediatè ex lege & præcepto Ecclesiastico, & non ex ipso voto (sicut & in professione solenni Religionis) uti ex Concilio Tridentino jam innui *eodem num.* 173. Et cum alijs communiter docent Sanchez *l.* 7. *de Matrim. disp.* 26. Tamburinus, *l.* 7. *c.* 3. §. 3. *n num.* 6. Ratio breviter est. Quia 1. Ordo sacer ex se non irritat Matrimonium, ut patet in Græcis: 2. Et ipsum votum, etiam solemne, quatenus essentialiter est promissio facta Deo, etiam ex se non irritat Matrimonium, ut patet in voto Castitatis simplici, quod in ratione essentiali voti, seu promissionis factæ Deo, omnino convenit cum voto solemni. 3. Ipsa denique solemnitas illa addita essentiæ voti, est solùm aliquid juris positivi Ecclesiastici, & quid sit, vix per aliud melius explicatur, quàm per ipsam hanc vim, & virtutem irritandi Matrimonium ab Ecclesia statutam: ergo tam sacer Ordo, quàm professio solemnis Religionis, non ex voto ipso, sed immediatè ex lege Ecclesiastica irritat Matrimonium. Vide de his latè & optimè differentem Sanchez *loc. cit.*

II. Rationes hujus prohibitionis & irritationis 177
Matrimonij Clericorum in Sacris constitutorum bene profert Layman *cit. cap.* 10. *n.* 4. 1. Quia Sacerdotes & Levitæ Deo, & rebus divinis perpetuò vacare debent: ab hoc autem studio impediuntur, & distrahuntur opere & fœdere conjugali, teste Apostolo 1. *Corinth.* 7. 2. Quia necesse est honorem & reverentiam servari Sacerdotio: experientiâ autem constat populum non tanto in honore habere eos, quos videut vitæ instituto penè nihil ab ipsis differre: quamobrem Sacerdotes conjugibus adhærentes in parvo honore sunt. 3. Oportet Episcopos, aliósque Sacerdotes hospitales esse, & in pauperes misericordiam exercere: quomodo autem id præstabunt, si uxores & liberos alere debeant, cùm dicat Apostolus. 2. *Corinth.* 12. quòd Parentes filijs thesaurizare oporteat. 4. Redditus Ecclesiastici, quos fideles ad divinum cultum offerunt, passim ad causas prophanas applicarentur; Episcopatus, Parochiæ, & alia beneficia frequenter, velut quodam hæreditatis jure, ad filios Sacerdotum afferrentur, aut saltem Ecclesia Ministrorum suorum, tanquam de se bene meritorum, relictam prolem magno suo gravamine alere teneretur, quâ ratione proventus Ecclesiæ distraherentur, nec sufficerent ad tantum Ministrorum numerum alendum, qui populo Christiano pascendo necessarius est. Si ferè Layman.

Verùm præter dictam prohibitionem & irritationem Matrimonij, Clerici illi Majores in suo cælibatu tenentur etiam integram Castitatem servare novâ & speciali obligatione, & distinctâ ab obligatione communi virtutis Castitatis & sexti præcepti, adeò, ut talis Castitatem violans peccet speciali peccato contra virtutem Religionis necessariò in confessione aperiendo. Jam quæritur, unde sit hæc obligatio? an etiam immediatè solùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex lege Ecclesiastica prohibente, sicut illa irritatio Matrimonij ? an verò ex proprio voto ? Dixi, & dico.

III. *Obligatio servandi Castitatem immediatè est ex voto proprio solemni.*

178 I. QUod nimirum votum secundùm legem Ecclesiæ in ipso facto susceptionis sacri Ordinis emittunt, ac emittere debent. Ita communis & omnino verior Sententia DD. D. Thomas, D. Bonaventura, Cajetanus, Medina, Vasquez, & quinquaginta Theologis congestis, latè Sanchez. *l.* 7. *de Matrimonio, disp.* 27. Layman *cap.* 11. *num.* 1. Dicastillus, *Tract.* 6. *de Ordine disp.* 1. *dub.* 20. Gobat. *Casu* 20. *n.* 756. Constat ex varijs sacris Canonibus : Nam *cap. unico, de voto & voti redempt. in* 6. apertè supponitur emitti votum continentiæ in ipsa susceptione Ordinis sacri. Et c. *nullum. dist.* 28. decernit Gregorius P. *Nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit.* Idémque statuitur de Diacono, *c. Præterea dist. eâdem.* Similia habentur *c. cùm olim de Clericis conjug. & alibi.* Ecce sacri Canones prohibent ordinari Diaconos & Subdiaconos (multò magis Presbyteros) nisi priùs se castè victuros promittant : cui ? utique Deo : at promittere Deo, est vovere : quapropter passim sacri Canones illam promissionem votum appellant. Deinde : omnes fatentur Majoribus Ordinatum, Sacerdotem v. gr. si merè internè contra Castitatem delinquat, admittendo delectationes morosas venereas, aut consentiendo solùm in opus aliquod turpe, peccare sacrilegè contra statum suum, & contra virtutem Religionis, cùm teneatur ad servandam omnimodam seu integram Castitatem : ergo fateri etiam debent, eum obligari ex voto proprio Castitatis, & non ex solo præcepto Ecclesiæ, quia Ecclesia extra forum Sacramentale non judicat de internis, nec consequenter potest per se præcipere vel prohibere actus merè internos. Dico notanter : *per se.* Nam

179 II. Tametsi Ecclesia absolutè neminem cogere possit ad servandam (multò minùs ad vovendam actu interno) continentiam : cùm ea res consilij sit, non præcepti, teste Apostolo 1. *Corinth.* 7. Tamen in Ordine sacro, quem liberè confert, quibus vult, conditionem & legem adjicere potest, ac solet : ut qui talem Ordinem suscipiunt, eo ipso facto continentiam profiteantur, ut colligitur ex SS. Canonibus modò citatis. Ratio autem, cur Ecclesia id requirat, ea est, ut omnis quæstio de hac obligatione evitetur, & omnes se illi voluntariè astringerent; & sic Sacris initiati in continentiæ statu, quem propriæ voluntatis lege & Religionis vinculo per votum proprium assumpserunt, firmiùs & constantiùs perseverent. Atque hinc rectè refert Layman. *cit. c.* 11. *n.* 2. Si summus Pontifex cum constituto in Ordinibus sacris sine justa causa dispensaret, ut ad nuptias transeat, invalidam & inefficacem fore dispensationem in ordine ad solvendum votum, quippe cujus obligatio est juris divini, quamvis efficax sit ad tollendum Matrimonij impedimentum, quippe quod solo jure Ecclesiastico constitutum est : ita tamen, ut contrahens debitum conjugale non exigat, licet petenti reddere teneatur. Addit Gobat *num.* 759. peccatum turpitudinis, quod committit Sacerdos vel Diaconus, etiam Religiosus, non differre specie ab illo, quod committit Laicus voto simplici Castitatis adstrictus : ac proinde in rigore sufficeret confiteri : *commisi talem turpitudinem* (v. g. pollutionem, fornicationem) *cùm tamen habeam votum Castitatis.* Sed. de hoc nos alibi.

180 Nihilominùs fateri debeo probabilem esse Sententiam oppositam, nimirum eam obligationem servandi Castitatem, esse tantùm ex lege Ecclesiastica, æquè ac irritationem Matrimonij : & non ex aliquo voto. Nam & Concilium Tridentinum *n.* 173. allegatum hunc sensum planè admittit, ut ibidem in fine notavi : & eam Sententiam docent multi ex Juristis, & non pauci Theologi. Scotus, Paludanus, Guttierez, alij apud Sanchez *l.* 7. *de Matrimonio disp.* 27. *q.* 2. Valentia, Aversa, ac noster Herinc. *hic, q.* 10. §. 2. eò, quòd initiandi Subdiaconatu nec jubeantur emittere tale votum, nec illud emittere soleant. Confirmatur fortiter : quia si quis sacrum Ordinem suscipiat expresè nolens se obligare ad Castitatem, is nihilominùs obligabitur servare castitatem, ac etiam Matrimonium validè contrahere non poterit : atqui tunc ea obligatio non provenit ex voto, quod nullum adesse nec explicitum, nec implicitum supponitur : ergo nunc saltem provenit immediatè ex solo præcepto Ecclesiæ. Et quid ni semper ? Resp. Legis Ecclesiasticæ de cælibatu Sacerdotum eam esse interpretationem, quam praxis Ecclesiæ declarat, ut nimirum sacrum Ordinem suscepturi continentiam Deo promittere seu vovere teneantur : cujus obligationis sufficienter admonentur ab Episcopo, dum ijs dicit. *Filij dilectissimi ad sacrum Subdiaconatûs Ordinem promovendi, iterum atque iterum considerare debetis, quòd si hunc Ordinem susceperitis, Castitatem Deo juvante servare oportebit.* Omnésque norunt esse vovendam continentiam : omnes qui non servant, agnoscunt se voti reos esse : de hoc plura inferiùs *num.* 185. Ad Confirmationem Sanchez & Layman. *ll. cc.* concedunt consequentiam, nimirum eo casu talem obligari immediatè ex solo præcepto Ecclesiæ. Sed melius negat Dicastillus *cit. n.* 34. approbante Gobat *num.* 758. Talis ergo nec peccat contra votum, nec immediatè & directè contra præceptum Ecclesiæ, nec ullo peculiari speciali commissionis contra virtutem Religionis : sed tantùm mediatè & indirectè contra præceptum Ecclesiæ peccato omissionis, quatenus omittit emittere votum sacro Ordini ab Ecclesia annexum, ut mox iterum dicam *infrà num.* 182. Interim nos oportet manere in communi Sententia & sensu moderno Ecclesiæ.

IV. Ex voto in ipsa susceptione Ordinis sacri, utpote Subdiaconatûs, saltem implicitè & ipso facto, emittendo ab Ordinato.

181 AD hoc ergo, ut Ordinatus Majoribus, puta Subdiaconus, contrahat hanc obligationem servandi Castitatem, necesse est, ut voluntariè Ordinem suscipiens aliquo modo voveat, promittat, & se obligare velit ad eam servandam : nimirum aut explicitè, ubi moris esset ; aut saltem implicitè, quod eo ipso, & ipso facto facit, quo vult suscipere Ordinem illum eo modo, quo Ecclesia vult conferre, & cum illis oneribus, quæ sacro illi Ordini affixit Ecclesia : Ecclesia enim non vult conferre sacrum Ordinem, nisi cum annexo voto Castitatis, seu cum onere & obligatione, ut ordinandus votum Castitatis emittat, & saltem ipsâ susceptione Ordinis profiteatur, ut dictum est. Unde imprimis qui non voluntariè vel invitus susciperet, seu nullam haberet intentionem suscipiendi Ordinem (cùm talis revera nullum Ordinem susciperet defectu intentionis requisitæ) nullam contraheret obligationem servandi Castitatem, vel aliam Ordini annexam, ut recitandi Horas &c. neque impedimentum dirimens Matrimonium, quia nullum Ordinem habet, cui impedimentum illud esset annexum ; sed solùm tunc peccavit sacrilegè defectu intentionis nulliter suscipiens Sacramentum : adeóque liberè ad nuptias prodire potest, sicut etiam quoties in Ordinatione alicujus defectus substantialis commissus est, ut contra aliquos Canonistas cum aliis rectè docet Sanchez *cit. disp.* 27. *n.* 13. Escobar apud Gobat *n.* 763. Nam corruente valore Ordinis, corruit etiam obligatio fundata in illo, etenim non entis nulla sunt accidentialia. Contrà verò, qui voluntariè & validè suscipit Ordinem, nullo tamen modo nec implicitè intenderet vovere, aut se obligare ad servandam Castitatem, nullâ quidem similiter tenebitur obligatione, ut mox ampliùs declarabitur : attamen impedimentum dirimens adhuc contraheret : Ratio utriusq; est : quia obligatio voti essentialiter pendet à voluntate propria voventis : ubi ergo nulla voluntas vovendi, ibi nullum est votum. At verò impedimentum dirimens, seu irritatio Matrimonij, non pendet à voluntate voventis, aut ipso voto, sed immediatè & præcisè à lege Ecclesiastica irritante : leges autem irritantes maximè effectum suum habent independenter ab omni voluntate, imò contra voluntatem subditi : ut si tuus Frater ducat uxorem Annam, tu volens nolens fis affinis eidem Annæ, affinitate dirimente Matrimonium, quod fortè cum illa post mortem Fratris attentares : quia nimirum impedimentum hoc non pendet à tua voluntate, sed à lege Ecclesiastica dirimente. Ex hac generali doctrina resolvendi sunt aliquot casus particulares, quibus ipsa magis declarabitur.

Resolutiones Corollariæ.

182 I. QUi voluntariè sacrum Ordinem suscipit, sciens ei annexum votum Castitatis, attamen cum expressa intentione nolendi vovere Castitatem, seu positivè nolens promittere vel se obligare ad servandam, multò minùs reipsâ servare Castitatem, cùm is revera nullo modo voveat (quia votum debet ex propria voluntate oriri, est enim spontanea promissio facta DEO) nullam utique contrahet obligationem voti ; attamen adhuc contrahit impedimentum dirimens Matrimonium, ob rationem modò suprà dictam. Quare talis postea contra Castitatem peccans non committit peccatum speciale contra virtutem Religionis, quippe non contra votum, quod nullum adest, nec directè & immediatè contra præceptum Ecclesiæ, ut jam innui *n.* 180. Sed peccat grav. simè peccato omissionis non vovendo Castitatem juxta Ecclesiæ intentum, quia nimis temerè Ecclesiam decipit in re gravissima, quippe, quæ nollet unquam ad Ordinem illum admittere, si talem in eo dispositionem agnosceret ; & obligatur illud votum adhuc emittere sub mortali. Unde rectè notat Hurtadus *de Ordine diffic.* 26. apud Tamburinum *l.* 7. *c.* 3. §. 3. *n.* 10. approbantem : *talem non tantùm peccare pro tunc, quando ordinatur, non vovendo, sed etiam pro tempore sequenti, quousque aut explicitè, aut implicitè voveat, quia ad eam vovendam tenetur, tanquam ad aliquid annexum statui, quem suscepit.* Hæc Hurtadus. Et hinc ulteriùs : quamvis sic Ordinatus sine voto Castitatis peccans cum soluta committat solùm simplicem fornicationem : ut cum Dicastillo agnoscit Gobat *n.* 758. in Confessione tamen debebit se accusare, non de sola simplici fornicatione, sed etiam de mortali inobedientia, quâ differt emissionem voti præcepti ab Ecclesia, & Ordini sacro annexi.

183 II. Qui metu gravi cadente in constantem virum & injusto adactus, vel coactus suscipit sacrum Ordinem, dummodò verè consenserit in Ordinationem, tanquam Cæremoniam sacram & Sacramentum, utique validè suscipit Ordines, cùm metus non tollat, sed relinquat voluntarium simpliciter : attamen voto Castitatis non obligabitur. Nam votum metu gravi & injusto extortum, si non ipso jure divino naturali (ut ego quidem teneo cùm multis) certè tamen jure Ecclesiastico irritum est. Ergóne etiam nullo contracto impedimento dirimente, validè & licitè (secluso scandalo) contrahet Matrimonium ? In rigore loquendo omnino negandum esset (prout absolutè negant *Rebellus, Comitolus, Pontius, Tamburinus*, alij cum Diana *p.* 2. *tract.* 4. *resol.* 193.) Quia habet Ordinem sacrum, cui annexum est impedimentum dirimens Matrimonium : juxta dicta *num.* 181. Attamen affirmant communiter Doctores cum Sanchez *l.* 7. *de Matrim. disp.* 29. aliósque citans Gobat *num.* 764. Et meritò. Nam licèt talis validè suscipiat Ordinem sacrum, cui ab Ecclesia annexum est impedimentum dirimens Matrimonium ; omnino tamen credendum est Ecclesiam eo ipso, quo tali casu votum ipsum irritat (sicut & Professionem solemnem, ipsúmque Matrimonium ex tali metu profectum) etiam noluisse adnectere Ordini, tali metu suscepto impedimentum irritans Matrimonium : sicque taliter Ordinatus validè, & secluso scandalo, etiam licitè contrahet Matrimonium, absque ulla dispensatione. Quòd si tamen talis cessante, vel d scusso metu, Ordinem susceptum ratificet, aut liberè consentiat, & velit in Ordine sic suscepto ministrare,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nistrare, jam obligabitur voto Castitatis, quia per ipsam illam voluntatem ministrandi in Ordine sacro, cui votum continentiæ annexum novit, implicitè etiam vovit Castitatem, sicque etiam contrahet impedimentum illud dirimens, ut amodò ampliùs validè nubere nequeat: ut ex dictis colligi debet.

184 III. Quòd si quis suscipiat Ordinem sacrum prorsùs ignarus voti annexi Castitatis: (casus hoc tempore vix supponendus: supponamus tamen) siquidem intenderet suscipere eo modo, quo alij suscipiunt, seu eo modo, quo Ecclesia Catholica confert, adhuc implicitè emittet votum: & de eo informatus postea obligabitur, nec validè Matrimonium contrahere poterit: quòd si verò nec sic quidem intendat, sed potiùs errore positivo credidit non esse obligationem voti annexam Ordini; aut etiam animo ita comparatus fuit, ut si sciret votum & obligationem Castitatis Ordini esse annexam, eum non susciperet: tunc adhuc validè Ordinatus, in foro conscientiæ saltem, voto Castitatis non obligabitur, cùm illud nullo modo emiserit, juxta omnia dicta *num.* 182. Obligabitur tamen in foro externo, quousque illam suam ignorantiam, errorem, vel dispositionem contrariam probaverit: insuper irritum esset ejus Matrimonium, quod fortè contraheret, quia habet Ordinem sacrum, cui annexum est impedimentum dirimens: unde postea informatus, si velit in Ordine suscepto ministrare, votum antea omissum debet emittere, ut suprà dictum; Si nolit, & Matrimonium cupiat inire, omnino dispensatione opus erit, quam difficulter impetrabit, quia difficulter probabit talem ignorantiam habitam hodie in tanta rerum peritia. Certè Urbanus VIII. cuidam Subdiacono alleganti defectum intentionis in suscepto Ordine, & dispensationem identidem per Patronos petenti, denique impertivit rescriptum cum hac fulminatrice clausulâ: *dispensamus in animam tuam*: indicans nimirum dispensationem ipsi cessuram in æternam perniciem, nisi preces veritate nitantur. Vide Gobat *num.* 752. 760. 761. *item* 765. *seq.*

IV. Si infans ordinetur in Sacris, (validè, ut 385
suppono ex dictis *n.* 63.) postea adultus factus nequaquam obligatur voto Castitatis, cùm infans rationis expers vovere nequeat: attamen in rigore loquendo postea non posset validè contrahere Matrimonium, quia reverâ haberet Ordinem, cui annexum est impedimentum dirimens. Atque ita absolutè docent Paludanus, Hurtadus, alij apud Dianam *p.* 8. *tract.* 1. *Resol.* 43. probabile censentem. Sed dixi *in rigore*. nam, ut ait, Tamburinus *cit.* §. 3. *num.* 16. Ecclesia id voluit limitare in infantibus, & disposuit, ut, adveniente usu rationis daretur ipsis optio, ut si velint, & eligant in Ordine suscepto stare, stent: ac deinde in ipsa libera electione illa, implicitè emisso voto, obligabuntur ad Castitatem: si nolint, ducant uxorem, ut libet, absque alia dispensatione; dummodò suum Ordinem antea non ratificârint; sive post plenum rationis usum adeptum, ut volunt DD. communiùs; sive potiùs post pubertatem, aut etiam decimum sextum ætatis annum completum, eò quòd ante eam ætatem impletam, non valeat votum solemne Professionis Religiosæ: quidni eadem sit ratio voti solemnis Castitatis Ordini sacro annexi? Vide de his latè Sanchez *l.* 7. *de Matrim. disp.* 3. At, quid si puer jam rationis compos, ante annos pubertatis ordinetur in Sacris, eritne obligatus voto continentiæ? Negat Sanchez *cit. disp.* 3. *n.* 8. alios citans: ob rationem jam modò dictam: sed affirmant Marchinus, Leander, Poncius, &c. apud Tamburin. *cit. c.* 3. §. 3. *n.* 19. eò quòd talis puer validè voveat &c. sed vide citatos. Non enim otium est, in rebus tam rarò, & post Concil. Trident. nunquam occurrentibus immorari. Vocat longè operosior quæstio ultima, de secunda obligatione principali Clericorum in Sacris, scilicet recitandi Horas Canonicas: quam ob multitudinem dicendorum in formam Tractatûs appendicis redigo.

TRACTATUS APPENDIX
DE
OBLIGATIONE RECITANDI HORAS CANONICAS.

QUÆSTIO PRÆAMULA.

Quid sit Officium divinum, Horæ Canonicæ?

1 OFficium divinum generatim dicitur: *Ritus Religiosus externus publicâ Authoritate Ecclesiæ institutus & certis personis impositus ad Deum nomine Ecclesiæ colendum & deprecandum.* Hujus velut species sunt Horæ Canonicæ, Missæ, Lytaniæ, Exequiæ &c. Quanquam ipsæ Horæ Canonicæ absolutè dicantur, *Officium divinum, vel Ecclesiasticum*, ut videre est *c. Dolentes de celeb. Miss. & in Clement. c. Gravi Eodem.*

2 II. Horæ Canonicæ definiri possunt: *Officia quædam divina ex Psalmis, Hymnis, Canticis sacrâ Scripturâ & doctrinâ SS. PP. constructa: atque ex sacrorum Canonum decreto à personis Ecclesiasticis, Ecclesiæ nomine, certis diei noctisque horis persolvenda ad Deum.* Breviùs Layman lib. 4. tract. 1. c. 2. *Horæ Canonicæ sunt publicæ ac statæ preces ex sacrorum Canonum decreto ab Ecclesiasticis personis nomine Ecclesiæ ad Deum persolvendæ.* De facto in Ecclesia Romana numerantur septem: *Matutinum cum laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium*, ità distributæ propter varia mysteria numeri septennarij, quæ congerit Glossa *in cit. cap.* 1. *De celebratione Missarum*: septem enim sunt dona Spiritûs Sancti: 7. dies creati mundi. 7. ætates mundi, quibus completis finietur. 7. petitiones Orationes Dominicæ: septies in Die Laudem Deo dixit David *Psalm.* 118. & specialiter septem sunt præcipuâ Mysteria Passionis Domini nostri: quibus respondent septem Horæ Canonicæ, juxta veteres & tritos versus:

Hæc sunt septenis, propter quæ psallimus horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis: causam dat *Tertia* mortis,
Sexta Cruci nectit: latus ejus *Nona* bipertit
Vespera deponit: tumulo *Completa* reponit.

CAPUT I.

Qualis, & quorum est Obligatio recitandi Horas Canonicas?

SUMMARIA.

3. *Præceptum dicendi Horas sub mortali tribus titulis obligare potest. f. titulo* Ordinis II, Beneficij & III, Religionis.
4. *Ratione* Ordinis *obligantur omnes in* Majoribus *constituti,*
5. *Idque sub mortali.*
6. *à die & hora suscepti Subdiaconatûs.*
8. *Ab hac obligatione excipiuntur I. Qui ex dispensatione duxerunt uxorem.* (tes.
9. II. *Damnati ad triremes, captivi apud infideles servien-*
10. III. *Degradati (non tamen excommunicati, suspensi &c.)*
11. IV. *Minoristæ etiam ratione Ordinis ad nullas orationes obligantur.*
12. *Titulo* Religionis *obligantur omnes Religiosi & Moniales professi Religionem Choro adstrictam.*
13. *Etiam privatim extra Chorum, sub mortali.*
14. *Probabiliter secus est, de iis, qui ex Regula vel voto speciale præceptum non habent.*
16. *Obligatio sub mortali persolvendi Horas in Choro principaliter incumbit Communitati, & ex officio Superioribus.*
17. *Cui obligationi duo vel tres non satisfaciunt. unde*
18. *Sinon adsint saltem quatuor; à Choro habendo excusatur Communitas.*
19. *Qualiter peccet culpabiliter à Choro absens vel silens?*
20. *An Religiosus Clericus, factus laicus obligetur ad Horas?*
21. *Quinam teneantur* Titulo beneficij *ad Horas?*
22. *Quinam beneficiati hoc titulo non obligentur?* usque ad n. 26.
26. *An hoc titulo obligentur habentes beneficium tenue?*
29. *An titulo beneficij obligentur Sacellani, Vicarij, Pensionarij?*
31. *Beneficiatus Horas culpabiliter omittens obligatur ad restitutionem.*
32. *Qui ab hac restitutione excusentur?* usque ad n. 36.
36. *Beneficiatus culpabiliter Horas omittens peccat dupliciter contra Religionem, & Justitiam.*
40. *Qualiter facienda restitutio ob Horas omissas?*

RESOLUTIO I.

3 DAtur *præceptum Ecclesiasticum, fundatum in jure divino naturali, ad recitandas Horas Canonicas sub mortali obligans certas personas Ecclesiasticas comprehensas his tribus titulis*: Sacri Ordinis: Beneficij Ecclesiastici; & Religionis Choro adstrictæ. *Ita omnes*: exceptis quibusdam particularibus controversis. Præceptum habetur in variis sacris Canonibus *lib.* 3. *Decretalium Tit.* 41. *De celebratione Missarum De divinis officijs*: ex Concil. Agathensi c. 1. & *ex Concilio Lateranensi sub Innocent. III. c. Dolentes referimus*, ubi sic fulminatur: *Districtè præcipientes in virtute sanctæ Obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter ac diurnum, quantùm illis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & devotè.* Hæc ibi: Et latiùs adhuc in Concilio Viennensi in Clementina *de celebratione Missarum. c.* 1. *& alibi.* Patet ergo gravitas præcepti, sine dubio sub mortali obligantis: quod licèt formaliter sit præceptum positivum Ecclesiasticum: virtualiter tamen est *fundatum in jure divino naturali*, quòd Ecclesia tenetur certo aliquo ritu colere Deum: quod præceptum de se generale & indeterminatum ad quemcumque ritum, Ecclesia determinavit ad hunc certum ritum Horarum Canonicarum per certas ad id deputatas personas persolvendarum sub prædicto triplici illo titulo sacri Ordinis, Beneficij, & Religionis, quos modò explicando breviter per-

§. I.

Titulus sacri Ordinis.

4 HOc titulo solo obligantur recitare Horas, omnes Majoribus Ordinibus initiati: Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, Episcopi: idque etsi nullum habeant Beneficium; nec ullo alio voto ad id adstricti sint, quia nimirum ex intentione & institutione Ecclesiæ illis Ordinibus hæc obligatio necessariò est annexa, ut omnis eos Ordines suscipiens, eò ipso censeatur se velle ad id obligare. *Omnes unanimiter.* De Sacerdotibus, & consequenter Episcopis habetur *c. Presbyter de celebrat. Missar.* De Diaconis *cap. ult. d. gr.* De omnibus, etiam Subdiaconis expressè in Concilio Basileensi *sess.* 21. §. *quotcunque.* Quia tamen illud Concilium fuit acephalum & sine capite, nequiit obligare omnes constitutos in sacris Ordinibus: ideòque de Subdiaconis non beneficiatis nullus est expressus textus juris, ut notat etiam Navarrus *c.* 7. *de orat. n.* 2. sed est consuetudo recepta Ecclesiæ vim habens legis, ut docent DD. unanimiter.

5 II. Est hæc obligatio sub mortali. *Rursus omne unanimiter.* Etenim hanc consuetudinem esse inductam à Majoribus animo se & posteros obligandi sub mortali, constat tum hoc ipso unanimi consensu DD. qui est irrefragabilis testis consuetudinis sic vigentis & florentis: tum maximè ex his duobus 1. quòd constanter etiam cum non levibus incommodis observetur: 2. quòd omnes pii pessimè sentiant de negligente hunc pensum: (quæ sunt duæ validæ rationes cognoscendi, utrùm aliqua consuetudo

Universidad de Deusto
Biblioteca

tudo in materia gravi inducta obliget ad mortale, ut videre est passim apud Theologos explicantes vim consuetudinis, nominatim optimè Ferd. à Castro-Pal. *de legibus disp. 3. p. 2. §. 3. num. 13.* Quare meritò Suarez *tom. 2. de Relig. tr. 2. l. 4. cap. 25. n. 12.* & Diana *p. 5. tract. 5. resol. 26.* non audent probabilem asserere opinionem Richardi, Angeli, Arragonij, qui putârunt esse solius venialis culpæ reum, qui semel aut bis in anno, totum negligit Breviarium.

6 III. Obligatio recitandi Horas incipit à 1. die & hora suscepti Subdiaconatûs, sic ut illo die jam obligetur dicere, non quidem totum Officium à Matutinis, sed ab Hora Canonica respondente horæ suscepti Ordinis secundùm consuetudinem Ecclesiæ, vel Diœcesis, in qua Ordinatus est: non quidem mathematicè, sed moraliter: nimirum ad horam non physicè & immediatè sequentem, sed moraliter succedentem horæ Ordinationis: ut qui manè circa Nonam ordinatus est, ad summum tenebitur ad Sextam & Nonam &c. Qui circa undecimam vel meridiem ordinatus, non tenebitur, nisi ad Vesperas, juxta communem DD. apud Dianam *p. 4. tract. 4. resol. 218.* Marchant. *Tribun. p. 2. Tract. 6. tit. 3. q. 7.* Gobat *Tract. 5. casu 23. sect. 1. n. 561.* Ratio est: quia præcepta moralia moraliter expendenda sunt, & ita ut gravamen & molestiam extraordinariam conscientijs non inferant: quod omnino fieret, si Ordinatus teneretur ad Horam correspondentem horæ immediatè sequenti Ordinationem suam. Quis enim dicet ei, qualis Hora Canonica respondeat huic horæ, quæ Ordinationem suam immediatè sequitur, quot scrupuli, quot phantasiæ nascerentur? Eâdemque ratione discurrendum de inceptione obligationis Horarum Beneficij, vel Professionis Religiosæ. Vide Gobat *cit. n. 562 563.*

7 IV. Peccat ergo mortaliter, qui suscipit Subdiaconatum ignarus legendi latinè. Suarez *cit. l. 4. cap. 27. n. 6.* Tannerus *tom. 3. d. 5. q. 1. num. 17.* Imò etiam ignarus rectè recitandi. Navarrus *de orat. cap. 11. num. 39. Azorius, Reginaldus*, alii. Nisi quis bonâ fide existimet se statim comprehensurum intellectu rationem rectè recitandi: sicut communiter quivis latinè sciens potest eodem die ex Rubricis, directoriis, vel alio quopiam discere substantialia: Suarez *loc. cit.* addens, contra *Navarrum*, teneri tunc recitare etiam cum imperfectione, conando se quotidie perficere; & excusans à mortali illum, qui planè rudis Rubricarum suscipit Subdiaconatum ob gravem causam, v. g. alia aliàs amisisset Beneficium tunc oblatum, vel debuisset diu expectare. Quare meritò miratur Gobat *cit. n. 562.* unde alicubi pervaserit dubitatio, an Subdiaconi saltem primo dimidio anno sui Ordinis non possint censeri liberi à penso horario: *ibid. n. 563.* optimè confutat *Leandrum* à SS. Sacramento fusè contendentem, Subdiaconum saltem primo die suæ Ordinationis ad nihil teneri, allegatâ consuetudine, sed certè in Germania ignotissimâ. *Qui contra omnes loquitur, non bene loquitur.*

EXCEPTIONES.

8 I. PRobabiliter non obligantur ad Horas Clerici in Majoribus, qui ex dispensatione Pontificis uxorem duxerunt: non quidem à die dispensationis concessæ, sed à die usûs concessionis. Navarrus *cap. 7 n. 17.* Sanchez *l. 4. de Matrim. disp. 8. n. 12* alii. Idémque dicendû de Clerico, qui ductâ priùs uxore, (gravi utique peccato) sacros Ordines suscepit, & postea cogitur redire ad uxorem, ut cum aliis notat Tamburinus *l. 2. Decal. cap. 5. §. 1. n. 3.* Ratio est: quia tales sunt in statu ab hac obligatione valde alieno, nec immeritò videtur usus ipse sic explicâsse. At, quid si quis sive gnarus, sive ignarus recitandi Breviarij injusto metu adactus permisisset se ordinari? R. Talis fuisset liber ab onere Breviarij, modò nec verbo, nec facto ratificâsset postea suam Ordinationem. *Navarrus, Sanchez*, alii, Castro-Pal. *cit. d. 2. p. 1. num. 1.* Gobat *n. 565.*

9 II. Damnati ad triremes, & captivi apud infideles servientes etiam probabiliùs excusantur ob eandem, quæ suprà, & majorem rationem. Sanè alienum esset ab Ecclesiæ benignitate & decore, si eos in tanta afflictione positos, & inter illam hominum colluviem vellet ad Officij onus adstringere: non addêda afflictis afflictio, *Sanchez, cit. Sotus, Lessius*, alij cum Diana *p. 2. tr. 12. Resol. 40.* At verò, inclusos in carcere seu privato, seu publico, cum Tamburino *cit.* aliisque, non ausim excusare, propter magnum, quo abundant, otium, & ubi se facilè recolligere ad orandum Deum possunt. Intellige, nisi tenebris, vel aliâ causâ ex infrà assignandis excusarentur.

10 III. Excommunicatum, suspensum, interdictum, manere obligatum, fatentur ferè omnes: quia non debet commodum reportare ex suo delicto, nec est in statu alieno ab hac obligatione Horarum: Idémque censent *Sotus, Navarrus*, alij de degradato. Sed certè probabilissimum est Clericum degradatum non obligari ad Horas: quia ab Ecclesia spoliatus est omni privilegio Clericali, atque adeò ad statum merè sæcularem seu laicalem rejectus. De hoc Sa, Genuinus. *v. Hora, num. 2.* Degradatum quidam excusant, alij obligant, & id durum. De hoc rursus generatim *cap. 3. sect. 4.* ubi de causis excusantibus à Breviario recitando.

11 IV. Cæterùm minoribus tantùm Ordinibus initiati, etsi ex condecentia teneantur ad majorem Orationem, quàm Laici, nullo tamen jure vel consuetudine obligati sunt ad Officium B. V. Psalmos, & alias certas preces (*Sotus, Medina, Toletus*, alij passim:) nec quidem ad illas, quas Episcopus ipsis in Ordinatione injungit. Adeò, ut gravis saltem culpæ rei non sint, si nihil eorum orent. *Azorius, Sanchez, Tannerus*, aliisque citatis Diana *p. 4. Tract. 4. resol. 218.* Tamburinus *citatus c. 3. §. 4.* Quia tam severa obligatio ex nullo capite adesse convincitur; neque ex jure, neque ex Pontificali, neque ex præcepto Episcopi, qui certè ex se non habet jus inducendi tantum onus. Quare præsumendum est, talia indici ex sola condecentia & honestate, ut consilium, in gratiarum actionem, vel similem finem; certè non in pœnitentiam. Quod etiam de omnibus Ordinatis, etiam Sacerdotibus intelligendum est. Quamvis non esse temerè negligenda omnes moneant. Sed de hoc dixi *c. 6. §. 1.*

§. II.

Titulus Religionis professæ Choro adstrictæ.

12 I. OMnes Religiosi & Moniales professi Religionem Choro adstrictam, atque ad Chorum deputati (exceptis nimirum Novitijs, & Laicis Conversis) obligantur ad Horas recitâdas vel publicè in Choro, vel privatim, sive culpabiliter, sive inculpabiliter à Choro absint, etiamsi Majoribus Ordinibus non sint initiati. Omnes in his terminis. Ratio hujus obligationis non habetur ex ullo jure scripto divino vel humano, neque enim uspiam extat tale jus: sed neque ex una aliqua consuetudine generali omnium Ordinum, ut contra Layman *l. 4. tract. 1. c. 4. n. 2.* & alios, cum alijs rectè docet Tannerus *cit. disp. 5. q. 1. n. 143.* Etenim sexcentis instantijs demonstrari potest non esse tam arctum nexum inter Religiones invicem, ut quod placuit antiquioribus, debeat etiam probari posterioribus, sed permittitur quævis in suo sensu abundare. Est ergo vera causa hujus obligationis petenda ex specialibus statutis & consuetudinibus cujuslibet Religionis in particulari: ut rectè Gobat. *cit. n 568.*

13 II. Insuper eam obligationem Religiosorum ac Regularium Monialium recitandi Horas, etiam privatim extra Chorum, esse sub peccato mortali, docet longè communior Sententia & sensus DD. piorúmque persuasio: idque ex generali consuetudine, quæ in omnibus Religionibus Choro addictis cum tanta obligatione inducta & acceptata sit, scientibus & consentientibus Ecclesiasticis Prælatis, ideóque verè vim legis obligantis sub mortali obtineat: etsi de hac obligatione nec in Regulis multarum Religionum mentio fiat, nec alius Canon Ecclesiasticus existat. Sic Navarrus *c. 25. man. n. 97. Paludanus, Sotus, Barth, Medina, Gabriel, Rodriquez. Valentia, Toletus, Bellarm. Azorius, Suarez, Sanchez uterq., Tamburinus*, aliisque citatis Layman *cit. t. 4.* & Gobat citans Dianam *p. 2. tract. 12. Resol. 17.* plurésque congerens Leander hic *tract. 8. d. 2. q. 10.* ubi *q. 11.* cum aliis negat alios Religiosos posse uti privilegio, quo Eugenius IV. Benedictinos in Sacris non constitutos, & Paulus III. Societatis Alumnos nondum Diaconatu initiatos liberos pronuntiavit ab hoc suavi quidem, sed tamen onere: ergo alij Religiosi supponuntur obligari. Certè dubitari vix potest de Fratribus Minoribus propter verba Regulæ: *Clerici faciant divinum Officium secundùm Ordinem S. R. Ecclesiæ.* Quamvis enim Fratres nondum Ordinibus, neque primâ tonsurâ Canonicâ initiati, non sint in rigore juris Clerici, tamen tanquam Choristas eâ obligatione sub mortali astringi, unanimis est, & fuit semper sensus DD. Patrum, & Expositorum Ordinis. Cùm ergo etiam de reliquis sit communis vel saltem communior sensus DD. teste Leandro *supra*: huic communi sensui in re quotidiana cum Gobat. *n. 570.* non ausim refragari.

14 III. Contrà tamen, Religiosos illos & Moniales Choro deputatos, seu, ut vocant, Choristas, qui ex Regula vel Voto, speciale præceptum non habent (uti habent Fratres minores, & Moniales annuntiatæ, & si qui, vel quæ, alij vel aliæ) sub nullo saltem gravi peccato, obligari ad Horas extra Chorum persolvendas (imò neque in Choro, per se loquendo, ut infrà dicetur) docent sanè graves, & non multò pauciores DD. Joan. Medina *Cod. de orat. q. 7.* Alphonsus à Castro, *l. 1 de lege pœnali. c. 8.* Cajet. *V. Horæ c. 1.* Armilla *eodem V. n. 4.* Bordonus, alij apud Dianam *p. 6. tract. 8. resol. 12.* Atque etiam quoad suos Cistercienses (omnium strictissimi Chori) rotundè negat Caramuel *Theolog. Regul. d. 100.* & ex professo late noster P. Marchant. Supra *cit. q. 2. dub. 1.* Meum Lessium mox citabo. Ratio solida & sufficiens est. Quia tantùm onus absque ullo expresso præcepto vel titulo assignabili imponere sub mortali peccato, est intolerabile. Consuetudo autem vim legis habens à Doctoribus assignata, supponitur tantùm, non probatur, neque ullâ ratione probari potest. Certè doctissimus & pientissimus Lessius *Consil. moral. casu 14.* de hoc à quodam Reverendissimo ex Hispania interpellatus rescripsit, fuisse sibi semper visam etiam in praxi probabilem Sententiam, quòd neque Choristæ, neque Moniales, ex ulla etiam consuetudine obligentur ad Breviarium: probatque multis rationibus & authoritate *Joan. Medinæ, Emman Sa &c.* vúltque hoc suo responso uti Confessarios.

15 IV. Quare Marchant noster *loco citato*, omnino probabiliter ita concludit. 1. Sanctam consuetudinem esse cujusvis Religionis, ut Religiosi, quando à Choro seu culpabiliter seu inculpabiliter abfuerint, Horas Canonicas privatim recitent: 2. Hanc consuetudinem recepti in esse titulo pietatis ac devotionis Religiosæ, quam, qui prævaricantur, meritò negligentiæ, indevotionis, ac defectûs fervoris arguuntur. 3. Eam tamen consuetudinem habere vim legis, aut receptam esse per modum legis sub mortali obligantis, liberè gratis, & absque ullo fundamento asseritur. Nec obstat Religiosos ex hac Sententia fore negligentiores: nam minus malum est negligere sine peccato, quàm negligendo cum peccato æstimato Deum mortaliter offendere. 4. Aliud est de obligatione dicendi Horas in Choro, quâ obligantur Religiosi & Moniales ex communi sensu, & expresso præcepto Ecclesiæ: ut patet in *Clementina de celebrat. Miss. c. 1. in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Regularibus devote psallatur*: quæ obligatio sine dubio gravis est, & sub mortali obligans, ac principaliter incumbit toti Communitati, Capitulo, Monasterio, & non ità descendit ad singulos Religiosos, ut mox dicam inferiùs.

Corollarium ad praxin. Quando ergo Monachus nondum in Sacris, aut Monialis confitetur se aliquoties Horas suas in toto, vel in parte, Romam misisse: expediet interrogare, quisnam in ejus Monasterio sit communis sensus de gravitate culpæ admissæ à negligentibus Horas: & juxta illum communem sensum judicabit: cùm ex Doctorum diversis Sententijs de gravitate culpæ mortalis meritò dubitari possit. Etsi dubitari nolit Sanchez *l. 7.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Consil. cap. 2. dub. 3. Alcanius, *De Jure Abbatum to. 2. disp. 10. q. 1.* Thomas Tambur. *cit. c. 3.* Leander *cit. q. 27.* aliíque plures. Saltem dubitari non debet, quin Abbas possit ex rationabili causa dispensare, quando versantur in studijs. Suarez, Lessius, Ascan. Tamburin. *ll. cc.* aliíque. Minus scrupuli injiciendum Fratribus conversis aliarum Religionum non persolventibus preces præscriptas: neq; enim ratio, nec authoritas suadet eos generatim peccare mortaliter non parendo, esto Fratres minores peccent moraliter contra præceptum speciale Regulæ. Ascan. Tamburin. *ibidem. q. 15.*

Exceptiones, & Specialia quoad Chorum.

161 OBligatio persolvendi Horas in Choro principaliter incumbit toti Communitati, Monasterio, Capitulo, & ex officio Prælatis, ac Superioribus, quæ obligatio sine dubio gravis est & sub mortali obligans: ut suprà jam innui, adeò, ut peccent mortaliter, si per eorum negligentiam aut dissimulationem omittantur divina Officia, juxta communem sensum DD. (& maximè certum est de Prælidibus Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum, ipsísque Beneficiatis, quando ob eorum absentiam nequeunt Divina celebrari.) Et si Prælatus vel Superior suo muneri desit, tunc primùm curare obligabuntur subditi. Nam superiore deficiente, obligatio officiorum Communitatis recidit in subditos. Ubi tamen datur parvitas materiæ sine dubio longè major, quàm in omissione privata omnimoda Officij divini infrà assignandâ Quare non licebit admittere ac emittere Professionem Religionis Choro adstrictæ, nisi speretur quàmprimum fore, ut profitens sciat legere Horas, (ut suprà etiam de Subdiacono ordinato dictum) Quia deciperetur Religio in re gravi. Neque in hoc Prælatus potest dispensare, cùm sit dispensatio extraordinaria, & Religioni onerosa vel damnosa. Communis apud citatos.

17 II. Obligationi persolvendi Horas in Choro, satisfaciunt quatuor, vel quinq;, & multò magis plures: non tamen pauciores; & unus minimè. *Omnes.* Ratio est: Quia essentia Chori consistit in alternatione cantantium decenti ac decora: alternatio autem cantantium tantùm in uno nequaquam, in paucioribus verò quatuor vel quinque, decens & decora subsistere non potest. Unde Prælatus vel Superior in numerosa Communitate v. g. 20. vel ampliùs permittens Horas persolvi à paucioribus, quàm quatuor vel quinque, huic obligationi minimè satisfacit, nisi justa causa excusaret: Quin etiam si in tali numerosa Communitate sæpiùs à quatuor vel quinque sine justa causa persolvi permittat, vel dissimulet, à peccato gravi non fore excusandum, saltem ratione scandali, rectè monent DD. modò citandi.

18 III. Excusatur à Choro Communitas Religiosorum, quantùm est ex titulo Religionis, si non adsint saltem quatuor Religiosi. Ita post alios Tamburinus *c. 1. tatus c. 5. §. 1. n. 22.* Leander hic *disp. 6. q. 10.* Gobat. *num. 698.* Addentes tamen contra alios, sufficere, si quaternarius numerus complea-

tur ex novitiis, ob rationem datam. Quòd à paucioribus quàm quatuor decens Chorus non subsistat. *At Pellizarius Man. Regul. to. 1. tract. 5. c. 8. n. 50.* apud Tambur. *ibidem.* excusat, si Communitas Religiosa constet solùm ex quatuor vel quinque, rationem dans. Quia licèt quatuor vel quinque sufficiant ad rigorem Chori, tamen probabile est plures requiri ad constituendum Chorum ex obligatione, ut scilicet cum aliquo decore alternatim cantetur: & ne tantum onus quotidianum tam paucis imponatur: quare posse Communitatem Religiosorum hanc opinionem sequendo, à dicto onere se liberam reputare. Oppositum tamen sine dubio tutius. De Religiosis loquimur. Longè strictiùs est jus, quo Beneficiati, Canonici Cathedrales & Collegiati urgentur: eósque obligatos manere, etiamsi sint tantùm duo vel tres, communis fert opinio. Ratio est: Quia pactum inter Beneficiatos & Fundatores saltem implicitè initum requirit ex justitia, ut servetur Chorus, quoties alternatio cantantium aliquâ tandem ratione servari potest: inter duos autem vel tres hæc alternatio servari potest, ab uno minimè. Ergo &c. Menochius tamen apud Leandrum *cit.*: etiam liberat eos à Choro si non sint saltem quatuor, qui Choro assistere possint: at eo casu à cantu quidem, non tamen ab assistentia in Choro, & recitatione altâ voce, eos liberat Leander *ibid.* At Tamburinus *cit. c. 5. §. 1. n. 12.* ne quidem à cantu vult eos eximere pauciores quatuor, ob rationem à nobis datam. Casus hic valde sæpe evenit in Ecclesijs Collegatis vulgaribus, in quibus quidem viget mos valde diversus: an ubique excusabilis, cognoscetur, quando standum erit coram Tribunali divino, & piis fundatoribus: ait Gobat *n. 698. in fine.*

19 IV. Religiosus culpabiliter à Choro absens, aut aliis canentibus in Choro, silens, etiam sæpiùs, per se non peccat, nisi ad summum venialiter. Communis apud citatos. Ratio est: quia quòd nemo à Choro abesse, sed omnes, & sigillatim hi & illi adesse debeant; est vel ex Regulæ & statutorum ordinatione, vel ex Superiorum præcepto; quæ utravis ordinariè non obligant sub peccato, saltem mortali, sed solùm sub pœna secundùm consuetudinem Ordinis, aut Superioris arbitrium infligendâ. Et *c. ultimo d. 92.* præcipiens esse damnandum Clericum Choro non assistentem, loquitur de Clerico beneficiario tantùm Ecclesiæ Collegiatæ. Suarez *l. 3. de or. c. 20. n. 5.* Laym. *cit. c. 4* alij communiter. At dixi *per se loquendo.* Per accidens enim tales posse peccare mortaliter, nimis certum est. 1. Ratione contemptûs expliciti, vel impliciti: qualis certè præsumitur, si quis sæpissimè passim, & quasi consuetudinariè à Choro se subtraheret. 2. Ratione scandali aliorum: res nota satis. 3. Si ex ejus absentia Chorus grave detrimentum patiatur, aut omnino servari non possit. 4. Si à Superiore de hoc grave præceptum imponeretur cum intentione obligandi graviter, seu sub mortali, aut per obedientiam, quod utique ratione illarum circumstantiarum per accidens posset. Monet tamen Suarez *l. c.* Quódsi adsint, qui voluntariè cum decore

core satisfaciant Choro, non debere Superiorem facilè imponere singulis præceptum grave: quia communi obligationi per illos voluntarios jam satisfacit sufficienter; urgere tamen verbis & consuetis pœnitentiis potest, & debet.

20 Petes Curiosule. An Religiosus professus pro Choro, seu Clerico, nondum tamen Sacris initiatus, possit transire ad statum Laici, & sic non ampliùs obligari ad Officium? Negat Navarrus, & post ipsum Portellus noster in *Resp. Regul. p. 2. c. 8.* Et verum credo, si nulla causa rationabilis subesset. At verò si rationabilis causa subsit (qualis esset magna consolatio Religiosi in illo statu humili Deo & Ordini servire volentis; item ineptitudo ad sufficientes litteras addiscendas) licere rectissimè docent cum aliis Sanchez *lib. 6. Moral. c. 7. n. 8.* Tambur. *cit. n. 15.* Ratio est: Quia professum esse Choro addictum, non est substantialiter annexum Professioni, sed oritur ex eo, quòd Religiosus ex sua & Superioris voluntate deputetur ad Chorum: cùm ergo tota substantia professionis Religiosæ adsit etiam in statu Laicali, si Religiosus & Superior consentiant, non est ratio, cur ea mutatio fieri licitè non possit. Factâ autem mutatione statûs, non est mirum, quòd sequatur exemptio ab Officio: sicut Episcopo tollente beneficium à Clerico, hic cessat obligari ad Officium. Adde, talem mutationem de facto solere fieri in pœnam ob delicta perpetrata.

§. III.

Titulus Beneficij Ecclesiastici.

21 SPecialiter & strictiùs ad Horas recitandas obligantur Beneficiati omnes, seu qui habent beneficium, sive curatum, ut Episcopi, Abbates, Præpositi, Decani, Parochi, &c. sive non curatum, ut Canonici, Vicarij, Capellani, aliíque beneficiarij simplices. Certum apud omnes ex Concilio Basileensi *sess. 21. §. Quoscunque*: Et Concilio Lateranensi sub Leone X. ubi exprimitur famosissima & verissima illa Regula: *Beneficium datur propter officium.* Et ideo definitur beneficium Ecclesiasticum *esse, jus perpetuũ percipiendi fructus seu reditus ex bonis Ecclesiæ propter officium aliquod spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum.*

Obligatio hæc beneficiorum est sub mortali, omnium consensu citra controversiam, & constat ex Bulla Pij V. mox §. *seq.* alleganda. Est enim hæc obligatio non tantùm ex virtute Religionis, ut in præcedentibus, sed etiam ex justitia, si velint percipere, percipiántque fructus beneficij, nimirum vi pacti collationi cujusque beneficij annexi, juxta prædictam Regulam: *Beneficium datur propter officium, scilicet Canonicum.* Ergóne etiam, si semel tantùm omittam? Ita: rursus omnes, ex eadem Bulla Pij V. At priusquam omittam, cogito restituere fructus respondentes omissioni? Non ideo excusaris à mortali. Lugo *Resp. Moral. l. 5. dub. 6.* Etenim lex obligans ad restitutionem est pœnalis: ergo supponit culpam mortalem. Excipiunt tamen ab hac obligatione, aliqui, multi, plerique hasce sequentes.

EXCEPTIONES.

I. Habentes Titulum tantùm Beneficij, &c.

I. QUi solùm habet titulum seu jus ad aliquod beneficium, caret autem possessione adhuc, ac redditibus sine sua culpa, sive ob litem, sive ob aliam causam, non obligatur titulo beneficij: cùm enim non possidet, non dicitur propriè habere beneficium. Ita plerique DD. cum Layman *l. 4. tract. 2. c. 5. n. 3. alij citati.* Secùs, si possessione suâ culpâ careat. Si enim per te stet, ut possessionem habeas, fructúsque recipias, certum est te obligari, quia ob tuam culpam Ecclesia non debet privari suo obsequio. 22

II. Etiam qui possessionem Beneficij cœpit, sed ita litigiosam, ut verè dubium sit, utrùm sit obtenturus causam, neq; interim percipit fructus ratione onerum annexorum illi beneficio. Suarez *l. 4. De Orat. c. 19. aliique.* Secùs, si aut interim fruatur fructibus, vel aliquibus obventionibus, aut probabilis spes sit se obtenturum causam & fructus interim sequestratos. Sanchez *l. 2. Consil. cap. 2. dub. 76.* aut si post adeptam possessionem pacificam primùm lis moveatur sequestratis fructibus, sed non præsentijs seu aliis obventionibus distinctis à grossâ (ut loquuntur Itali) seu fructib⁹ grossis. Sanchez *ibidem n. 9.* Quanquam talem Lugo *l. 5. Resp. Moral.* non audeat liberare, etiamsi interim nihil percipiat. 23

II. Non percipientes fructus Beneficij.

I. NOn obligatur hoc titulo Canonicus novus, qui ex consuetudine sui Capituli non accipit ullos fructus, vel distributiones, primo, aut secundo anno: sed si vel distribuantur inter priores Beneficiatos, vel ad fabricam, vel ad alia opera pia applicentur. Layman *l. 4. tract. 2. c. 5. n. 4.* Tamburin. *cit. cap. 5. §. 1. n. 28.* alij communiùs, contra Lessium & alios. Quia illis perinde est, ac si non habeant tunc beneficium, idque sine sua culpa. Idémque sentit Gobat *n. 575.* de Canonicis Augustanis, Frisinganis, alijs, qui debebant quinque annis carere ad dissolvenda debita contracta bello Suecico: cùm necessitas non habeat legem. 24

Idem consequenter erit de omnibus beneficiatis Galliarum, qui primi anni omnes redditus debent tradere Summo Pontifici. At ubi consuetudo est, ut post obitum beneficiati, ejus hæredibus reserventur fructus unius anni sequentis (alicubi vocantur hi fructus *mortuarium*) tunc de jure obligari orare uno anno priusquàm nanciscantur perfectam possessionem cum fructibus, pro certo vult haberi Castro-Palaus apud Gobat *citatum n. 576.* de praxi meritò dubitantem.

II. Similiter illum, qui ob furtum, sterilitatem, anni, aquarum inundationem, grandinem, hostium incursionem &c. nihil percipit uno vel altero anno, hoc titulo excusari docet idem Castro-Palaus apud Gobat *ibidem. n. 577.* testans esse communem. Aut si prædia præbeant quidem aliquid, sed non æstimabilem partem honestæ sustentationis. Layman paulò ante citatus: de hoc mox iterum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

III. *Habentes Beneficium tenue.*

26 HAbens beneficium tenue (infrà definiendum) si sciens acceptavit, eo titulo adhuc obligant ad officium communiter Doctores antiqui, *Navarrus, Suarez, Reginaldus, Castro-Pala*[9], alij apud Dianam moxcitandum, eò quòd volenti non fiat injuria. At probabilissimè liberant alij æquè graves ac multi DD. *Sotus, Vega, Ledesma*, Lessius *l. 2. de Justitia, c. 34. n. 167.* Tamburin. *cit. n. 24.* aliique *cit.* Diana *p. 2. tract. 12. resol. 9.* Et probabile censet Sanchez *cit. dub. 66.* Ratio est: Quia beneficium adeò tenue, reputatur pro nullo, cùm parùm pro nihilo reputetur in Jure. Neque est credibile, benignam Matrem Ecclesiam tantùm onus opponere voluisse tam parvo proventui; esto, eum adhuc ex gratitudine conveniat orare pro Benefactoribus seu Fundatore illius qualiscunque proventûs. Cæterùm beneficium verè tenue varij variè definiunt, alij, ex quo non habentur saltem decem, alij quindecim, alij 20. alij plures adhuc aureos vel ducatos. Sed rectius

27 Beneficium tenue verè censendum est, ex quo non provenit bona pars, nimirum tertia aut ad minimum quarta pars honestæ ac tenuis sustentationis Clerici, prudentis judicio, habitâ ratione personæ ipsius Clerici, & victûs honesti, quo utuntur communiter alij Clerici similis conditionis. Qui ergo ex suo beneficio habet tertiam vel bonam quartam partem honestæ sustentationis, non erit dicendus habere beneficium tenue. Et optimè notat Gobat *n. 578.* in nostra Germania, etiam his difficilibus temporibus viginti ducatos Clerico sortis mediocris præstare bonam quartam partem honestæ sustentationis victûs, vestitúsque, cùm permulti debeant esse contenti annuis 50. vel 60. ducatis. Similiter si quis plura habeat beneficia tenuia, quæ simul tamen præstent notabilem partem sustentationis, v. g. tertiam, jam emerget obligatio recitandi, ut post alios notat Tamburinus *cit. num. 25.* & 27. approbante Gobat. *num. 579.* Quia talis uterque jam notabilem sustentationem ab Ecclesia recipit. Contrà verò hic obiter nota: si quis duo vel plura etiam pinguia beneficia habeat, non obligabitur, nisi ad unum Officium, & non ad totidem officia recitanda, quot habet beneficia: ut contra Navarrum rectè docent Suarez *cit. n. 18.* Bonacina, Tamburinus, alij communiter. Ratio debet esse: Quia hæc videtur esse benigna Ecclesiæ intentio, ut multiplicatis beneficiis solùm multiplicentur tituli, ob quos debetur recitatio, & non ipsæ recitationes Officij: (ac proinde omisso Officio, non nisi unum peccatum mortale committetur) sicut ordinatus omnibus sacris Ordinibus, unum tantùm debet recitare Officium: & die Dominico & festis etiam pluribus eodem die concurrentibus, fideles non tenentur audire, nisi unum Sacrum.

2 II. Quòd si beneficium fuerit quidem pingue, sed proclive temporis sine culpa beneficiati, ut ex bello, peste, alluvione, sterilitate factum sit tenue, ut fructus exigui proveniant nullam notabilem partem sustentationis præbentes, siquidem spes sit melioritionis in brevi: tunc compensandus erit annus fertilis cum sterili, & beneficiatus obligandus ad recitationem Horarum, sicut & ad certas Missas talis beneficij, juxta communem & certam Sententiam. *Suarez, Layman, alij citati.* At verò, si multùm tenue factum sit beneficium, ut fructus non ascendant ad tertiam, vel bonam quartam partem sustentationis, idque sine spe incrementi, sic, ut judicio prudentis, ad æquam compensationem pertingi ampliùs non possit, vel non nisi post longum tempus, probabilissimè ex titulo Beneficij non eris ampliùs obligandus ad Horas: quia reverâ tunc nec fructus, nec jus utile ad fructus retines. Idémque à fortiori dicendum, si totum beneficium pereat sine tua culpa: Hoc enim semper subintelligendum. Quòd si enim ex tua culpa vel negligentia hæc beneficij diminutio vel interitus contingat, palàm est, te non eximi obligatione: non enim æquum est, ut Ecclesia ex tua culpa suo servitio privetur. Ut in simili paulò suprà etiam dicebam.

IV. Sacellani, Vicarij, Pensionarij.

29 TItulo hoc beneficij non obligantur ad Horas. 1. Qui habent Sacellaniam non sacram, quæ scilicet sine authoritate Episcopi erecta est, & soletà Laicis conferri, ut in quibusdam arcibus vel domibus Nobilium, licèt fructus bonos adferat, non tamen est Beneficium, quod debet esse Authoritate Ecclesiæ institutû & collatum. 2. Idem est de Capellano Capellaniæ fundatæ cum expressa conditione, ut Capellanus ratione Capellaniæ non sit obligatus ad preces Canonicas: tale beneficium Authoritate Episcopi posse validè & licitè fundari, bene probat Quintanadvennas apud Gobat *n. 580.* 3. Qui est Vicarius beneficij alicujus uniti Ecclesiæ, quamvis habeat stipendium justum sui laboris, non obligatur: quia non est Beneficiatus, sed Beneficiati Vicarius. 4. Coadjutores etiam Episcoporum, aliorúmque Prælatorum, qui etiamsi gaudeant beneficij portione pro sua sustentatione, nondum tamen sunt beneficiati, sed erunt. Ratio omnium horum est: quia illa obligatio, cùm sit odiosa, restringenda est ad beneficiatos propriè dictos: & ideo. Contrà ad Horas cum suo onere obligati manent. 1. Qui habent Capellaniam sacram seu collativam, quæ scilicet Episcopi authoritate confertur: hæc enim est beneficium verè fructus adferens. 2. Qui habent beneficia manualia, scilicet ad nutum Superioris amovibilia. 3. Qui habent præstimonia, seu beneficia simplicia, quæ non impediunt aliorum beneficiorum possessionem, nec residentiam requirunt. 4. Qui habent Beneficium, Abbatiam, Præposituram &c. in commendam, fructúsque percipiunt, licèt titulum non habeant: quia hi omnes sunt beneficiati veri. *Omnes.*

30 II. Quoad Pensionarios, seu pensiones habentes (Pensio autem est *jus percipiendi fructus ex beneficio alieno*) semper sic distinguendum. Qui habet pensionem mere Laicam, quæ scilicet non requirit statum clericalem, sed

sed confertur alicui ob inopiam, senectutem, vel ob merita Ecclesiæ exhibita, vel quid simile, ad nihil obligatur, nisi ad summum ex gratitudine orare pro fundatore beneficij, unde extrahitur ejus pensio, etiamsi is alioquin Clericus esset. 2. Qui autem habet pensionem clericalem, quæ nimirum Clerico, uttali, seu ratione statûs clericalis confertur, tenetur gestare habitum & tonsuram clericalem. Et jure novo Pij V. *Constit. 139.* tenetur recitare Officium B. V. MARIÆ: nisi (ut limitant communiter DD. apud Tamburin. *l. 2. c. 5. §. 1. n. 22.*) recitet ipsum Officium divinum, sive gratuitò, sive ex alia obligatione, puta S. Ordinis, vel Professione. Quâ ratione Navarrus *Consil. 22. de celebrat. Missarum* docet Religiosum Pensionarium non obligari ad Officium B. V. Quia nimirum Mens Pontificis fuit, ut Clerici Pensionarij non essent omnino immunes ab orando. Si ergo aliunde inveniuntur onerati Officio divino, sive ex sacro Ordine, sive ex Professione Religiosa, non præsumitur Pontifex eos alio superaddito onere aggravare voluisse, ut ex Azorio colligit idem Tamburin. *ib. in fine.*

§. IV.

Obligatio Beneficiati ex Officio neglecto.

31 BEneficiatus omittens culpabiliter (secùs si inculpabiliter ob impotentiam, oblivionem &c.) Officium divinum, obligatur ad restitutionem fructuum pro rata omissionis, seu respondentium tempori, quo omisit. Certum item apud omnes. Ex Concil. Lateranensi sub Leone X. *sess. 9.* & Bullâ Pij V. *Constit. 135.* ubi sic statuit Pontifex. *Qui Horas Canonicas uno aut pluribus diebus intermiserit, omnes beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderunt, si quotidie dividerentur: qui verò Matutinum tantùm, dimidiam; qui cæteras Horas, alteram dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejus diei amittat.* Ita Pius Papa pie & justè: nemine vocante in dubium, utrùm Bulla sit usu recepta: non tamen ubique in tanto rigore, quantum indicat cortex verborum. Nam alij Pont. atque DD. seu interpretando, seu limitando excipiunt sequentes

EXCEPTIONES.

I. *Beneficiatus Novus, &c.*

32 QUi primis 6. mensibus omittit Officium, non obligatur. Hunc disertè eximit ipse Pontifex. Idque etiam quoad forum internum. Suarez *cit. l. 4. c. 8.* Lessius, & alij multi contra alios. Excipis etiam, si sapis, omnes §. *præcedenti* enumeratos, ab ipso Officio recitando exemptos: item omnes, qui inculpabiliter omittunt vel omnes, vel aliquas Horas, utpote ob oblivionem inculpabilem, impotentiam ex morbo, occupationibus &c. aliamve justam causam ex enumerandis infrà *cap. 3.*

33 II. Non possum tamdiu expectare, ais. Annè etiam tutò à restitutione eximes beneficiatum, qui ob infirmitatem ex intemperantia ortam, non recitavit Breviarium, vel Horas aliquas? R. tutò eximendum esse censet Gobat *cit. casu 23. n. 590.* & ex professo *Theol. Jurid. Moral. c. 10. sect. 7. n. 33.* Ratio est, tum quia DD. non faciunt distinctionem inter morbum culpabiliter & inculpabiliter contractum: tum quia licèt non sit dubium, quin summus Pontifex possit restitutionem Imperare ejusmodi Beneficiatis, vel Canonicis bibulis; Germaniæ tamen praxis ostendit non esse reipsâ imperatam? saltem de ea dubium est: atqui in dubio non est imperanda restitutio; sed in dubijs semper benigniora præferenda sunt. *l. semper in dubijs. ff. de Reg. Jur.*

II. *Beneficiatus valde rarò, vel parùm omittens.*

34 QUi post primum semestre Officium negligit tantùm semel, bisve in anno, etsi certum sit peccare mortaliter, & ideo ad restitutionem correspondentem talem obliget sanè conformiter verbis Bullæ Pij V. communis DD. attamen à restitutione satis probabiliter liberant *Sotus & Covarruvias* apud Layman *c. 5. num. 1.* Menochius apud Sanchez *l. 2. Consil. moral. c. 2. dub. 82.* Ortizius apud Dianam *p. 2. tract. 12. resol. 34.* Escobar *Tract. 5. exam. 6. n. 70.* Et probabilem in praxi censent *Lessius, Filliutius*, Gobat *cit. casu 23. n. 583.* Et ego quóque ob tantam authoritatem. Atque etiam si omittat per annum octies vel decies tantùm, adhuc excusant Bosselvinus & Lopez apud Bonacinam, *De Horis Canon. d. 1. q. 5. n. 5.* sed non approbantem. Neque tu istos sequaris in praxi, utpotè nimirum recedentes à verbis Bullæ, ut monet rectè Gobat *ibid.*

35 II. Certiùs & tutò in praxi ab hac obligatione eximes illum beneficiatum quemcunque, qui omittit notabilem quidem partem unius Horæ, at non æquivalentem uni integræ Horæ parvæ. Ita cum alijs Filliutius *tract 27. num. 319.* quod judicium summoperè sibi placere profitetur Diana *cit. tract. 12. resol. 26.* etsi displiceat Suarez, & Castro-Palao: at non displicet Patri Gobat *n. 289.* neque mihi, cùm lex pœnalis, (qualis est ista de restitutione fructuum ob omissum Officium) sit strictè intelligenda de actu consummato & perfecto moraliter; omittenti autem unam Horam injungitur restitutio in Bulla Piana. Quin etiam ob eam rationem Diana *p. 5. tract. 14. resol. 46.* ad restitutionem non compellit illum, qui totas Laudes omittit, eò quòd sint pars Matutini, testans suum hoc judicium datum Cardinali Oregio, amplexatos esse viros doctos, quibuscum communicavit. At certè Dianæ repugnant Suarez, Bonartius, Palaus, atque ipse ab eo laudatus Filliutius, docens obnoxium esse restitutioni, qui ex Matutino omittit sextam partem: atqui Laudes frequenter sunt pars quarta Matutini. Illud verius & in praxi tutum, quod post *Castro-Pal.* tradit ibidem Diana *resol. 47.* non in cumbere onus restitutionis, si neglexisti notabilem quidem partem, sed conflatam ex multis levibus in singulis Horis: hunc enim rigorem non indicat Bulla.

III. Beneficiatus etiam aliter occupatus, & speciatim Parochi.

3 QUamvis verborum Bullæ Pij V. suprà recitatorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

torum primo intuitu, apertus sensus esse videatur, quòd omittens Officium unius diei v. g. teneatur restituere simpliciter omnes fructus diei illi respondentes, si fructus omnes totius diei in singulos dies distribuerentur: atque ita intelligant, & servandum affirment gravissimi DD. Navarrus *Man. c. 25. n.* 122. *Angles, Graffys, Valentia, Suarez* aliique permulti apud Tannerum mox citandum; probabilissima tamen, & in praxi omnino tuta est Sententia, quòd solùm teneatur restituere de fructibus unius diei v. g. pro omisso Officio, quantùm habito respectu ad alia onera Ecclesiastica beneficiarij, prudentis judicio, respondet Officio Horarum Canonicarum, tantùm nimirum detrahendo & sibi reservando, quantùm merentur aliæ ejus functiones & onera, quæ reverâ mercedem, seu stipendium merentur. Ita Henriquez *l. 13. c. 13.* Sanchez *cit. dub.* 83. testans id etiam timoratorum praxi firmari. Bonacina *cit. q. 5. punct. 3. aliique* æquè multi cum Tannero *tom. 3. d. 5. q. 1. dub.* 6. Ratio petenda est ex ipsa æquitate rei & probabilissima Legis Epikeiâ. Esset enim nimis inæqualis & conditio, & pœna Curionis, & Canonici, si ille præter Conciones & Sacramentorum administrationem, obligatus etiam ter facere Sacrum quot hebdomadis, colligénsque annuatim non nisi 150. ducatos, ac per duos menses non recitans Breviarium, deberet in fine anni se spoliare sextâ parte illorum 150. id est, 25. ducatis, æquè ac Canonicus collegiatæ Ecclesiæ, qui idem delictum commisisset, eosdémque redditus recepisset, absque ullo alio notabili onere præstito. Alias rationes accumulat Sanchez *l. c.*

37 II. Quantum autem in quovis casu restituendum sit, universaliter certa regula determinari non potest. Sanchez *cit. n.* 2. censet, Episcopum & Parochum teneri restituere quintam partem fructus respondentis tempori omissionis: Canonicum quartam; Capellanum, aliúmve Beneficiarium simplicem tertiam, reliqua omnia poterunt hi beneficiarij reservare sibi pro reliquis oneribus: testatúrque Henriquez, id habere praxin (utique in Hispania) ejúsque praxis approbatores citat Medinam, Ludovicum Lopez, & alios. Consentit omnino Sanchez *cit. dub.* 84. in resolutione hujus casûs. N. Canonicus Toletanus fecit toto biennio ferias suo Breviario, & tamen colligebat è suo Canonicatu quotannis 1000. aureos ducatos, ad quantam restitutionem fuit obligandus? Sanchez *cit.* subscripsit judicio Medinæ, & cujusdam viri docti è Societate, qui interrogati resolverunt, illum posse tutum esse in conscientia, si restituat universim 500. ducatos, id est, quartam partem perceptorum bis mille. Huic judicio tam multorum virorum poterit, imò quandoque (ne Pœnitentem adigat ad desperata consilia) debebit se Confessarius conformare, ut prudenter admonet Gobat *n.* 588. Ac utinam & Ego quandoque tantum extorquere potuissem. Cæterùm Lessius *cit. c.* 34. *n.* 177. meritò hanc Sententiam quoad Canonicos dicit videri sibi nimis laxam. Rectiùs Tannerus *it. q. 1. n. 212.* arbitratur sufficere, si restituat tertiam partem, sicut alij beneficiati simplices. Cui & ego cum Gobat assentior. Et hæc quoad Canonicos. Jam quoad Parochos mitiora.

III. Quoad Parochos ergo pro praxi, audi quid 38
scribat Germanus Theologus Paulus Layman *cit. c. 5. n. 2.* his omnino verbis: *Si Parochus, omnibus computatis, 350. florenos; Capellanus quotidie celebrans 200. florenos annuos accipiant, probabiliter dici potest, eos ad nullam vel modicam restitutionem obligari.* Sic Layman, & NB. scribens Monachij & Dilingæ, ubi ordinarius Parochorum est potus cerevisiæ, & tunc temporis etiam alia victualia, caro præsertim & panis vili erant pretio: tutissimè ergo in praxi sequendus moderno tempore longè difficiliori. Ergo mi Paroche, mi Capellane, vel Cooperator, quando in Officio Canonico, officio tuo functus non es, computa quantum ex fructibus seu redditibus à te perceptis debeatur tuæ curæ & labori pastorali, adeóque etiam sacris, quæ quot septimanis celebras titulo fundationis, arbitrio boni viri (certè tantum & paulò amplius, quàm deberes dare, si alium tuæ conditionis & statûs tanto tempore pro te constituere deberes) hoc totum repone in arcam tuam, seu pro te computa. De reliquo (si quid tamen reliquum esse potest) dispone juxta modos mox infrà adferendos, me tamen judice, sequendo tutiores. Latiùs adhuc in favorem dictorum saltat noster Marchant *Tribun. to. 2. tract. 2. tit. 3. sect. 1. q. 2. dub. 1.* docens certum & tutum esse in praxi, quòd Parochi, & eorum Cooperatores ratione Parochialis beneficij præcisè non obligentur omnino titulo beneficij cum onere restitutionis ad dicendas Horas, adeò ut si omittant, etsi mortaliter peccent contra obligationem sacri Ordinis, & Religionis virtutem, non tamen peccent contra justitiam, nec ad restitutionem ullam obligentur. Ratio est: quia Beneficium datur propter Officium mensurandum ex oneribus primarijs beneficio annexis: atqui beneficium Parochiale primariò non datur propter officium Horarum, sed principaliter propter officium curæ animarum, quod quà tale oneribus & laboribus curæ pastoralis, Doctrinæ, Prædicationis, Sacramentorum administrationis, censetur omnino sufficienter gravatum, ut redditus suos Pastor justè recipere possit: ergo ex ratione beneficij pastoralis non incumbit illa obligatio. Secùs esset, si in dotatione opulentæ Parochiæ specialiter exprimeretur onus legendi Horas in vel extra Chorum, aut nisi alio Beneficio, Canonicatu, vel Capellaniâ specialiter obligentur; adderem ego: nisi proventus essent tam pingues, ut labores Pastorales notabiliter excedant. Canones & Jura, quæ videntur Parochos obligare ad Horarum solutionem, & omissarum restitutionem, de peculiari alio titulo ejusmodi commodè intelligi possunt. Sic noster Marchant. Sed sistendum puto in communi Sententia pro Parochis satis miti.

IV. Tandem petes, qualiter peccet beneficiatus 39
Horas omittens? Eum peccare duplici peccato mortali, & contra virtutem Religionis vel obedientiæ, quatenus præcisè omittit Officium, & contra virtutem justitiæ, quatenùs nihilominùs percipit & retinet fructus, docent communiùs DD. Suarez *cit. c. 29.* Bonacina *de Horis Canon. d. 1. q. 5. p. 1.* alij apud ipsos. Certè consentiunt DD. eam restitutionem deberi ante Judicis sententiam, ideóque urgendam à Confessario, contra Medinam ex communi Suarez *cit. l. 4. c. 30. n. 3.* At, si non deberetur ex justitia, sed solùm ex præcepto & lege pœnali Ecclesiæ, omnino videtur requiri sententia Judicis, sicut in alijs legibus pœnalibus & pœnis positivis: ergo &c. Contrà tamen peccare solùm uno peccato contra Religionem & obedientiam, ipsámque restitutionem non ex jure naturæ, sed tantùm ex præcepto Ecclesiæ deberi, contendunt alij æquè multi, & graves DD. Sanchez *cit. dub.* 18. Filliutius *Tract. 27. n. 307.* Diana *cit. Tract. 12. Resol. 25.* eò, quòd non satis videatur probari peccare contra justitiam: adeò, ut omittens divinum Officium, etsi sit Sacerdos, Monachus, & Parochus, seu Beneficiatus, satisfaciat ita confitendo. Neglexi pensum Canonicum semel, cùm sim in Sacris. Gobat *casu 23. n. 579.*

IV. Qualiter facienda hæc restitutio?

40 I. FAcienda est 1. dando tantundem aut Ecclesiæ, in qua quis habet Beneficium, aut alteri Ecclesiæ pauperi, aut pauperibus, etiam qui secundùm statum sunt pauperes, ut Religiosi; etiam si sint Parentes, vel Cognati beneficiati, etiam alienigenæ. Communis. 2. Etiam applicando sibi ipsi, si sit verè pauper. Navarrus *Man. c. 25. n. 122.* Layman, *cit. cap. 5. num.* 1. ex communi. 3. Vel etiam oblato stipendio æquali curando fieri Sacra, vel alia suffragia pro Defunctis. Filliutius *tract. 23. n. 325.* Navarr. *cit. ex communi*: seu pro expiatione peccati admissi in neglectu pensi Canonici. Suarez *cit. n. 19.* 4. In partem satisfactionis computando omnes Eleemosynas, quas dedit, ex quo neglexit Breviarium, esto tunc non cogitârit de satisfactione hac. Ex communi Suarez *cit. n.* 12. At, NB. non illas, quas fecerat ante omissionem: nam trigesima tertia propositio ex damnatis sub Alexandro VII. Anno 1666. ita sonat. *Restitutio fructuum propter omissionem Horarum, suppleri potest per quascunque Eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficij fecerit.* Hi modi tuti sunt in conscientia: adeóque à Confessario tutò admittendi vel consulendi.

41 II. At, cavesis in praxi vel consilijs, ne loquaris Sententias nimis laxas, & à claro textu Bullæ exorbitantes. Utpote: Satisfieri geminatâ postea recitatione Officij toties, quoties omissum fuit. Sic *Major, Paludanus, Ledesma*, apud Bonacinam *cit. dub. 1. q. 2. Molfesius* apud Dianam *p. 2. tract. 12. resol. 24. Quintanadvennas* apud Gobat *num. 593.* Verùm licèt hæc Sententia ob authoritatem probabilis videri possit, nimis tamen manifestè adversatur verbis Bullæ, & recepto sensui DD. ut notant Henriquez *cit.* & ipse Diana *ibid. 2.* Satisfieri, si hodie bis recites, ut postea omittens liber sis à Restitutione. 3. Aut si alius tuo rogatu, etiam gratis recitet toties, quoties tu omisisti: idem Quintanadvennas *ibidē* probans à simili de Sacellano omittente Sacra

debita, & simili modo supplente. 4. Imò etiam satisfieri, si alia opera satisfactoria pro defunctis intuitu hujus restitutionis fiant, ut auditio Sacri, flagellatio, indulgentiarum lucratio & applicatio, & his similia æquivalentia recitationi omissæ. *Idem.* Sed meritò censente Gobat, minimè sequendus in praxi, utpote nimis singularis, & recedens à communi.

CAPUT II.

Qualiter recitandæ Horæ Canonicæ?

SUMMARIUM.

42. *Quid sit dicere Horas* devotè & Studiosè?
43. *Devotio quid, & quotuplex?*
44. *Quid, & quotuplex intentio?*
46. *Quid, & quotuplex attentio?* usque ad n. 50.

RESOLUTIO II. GENERALIS.

HOræ Canonicæ recitandæ sunt devotè & Studiosè. Devotio requirit intentionem formalem colendi & orandi Deum, & omnino etiam attentionem aliquam internam intellectûs. Studiositas requirit, ut horæ dicantur integrè quoad materiam. Secundo, ritè quoad formam generalem & specialem ab Ecclesia præscriptam: ordinatè, continuè singulæ, & tempestivè, atque in circumstantijs loci, situs &c. cultum Dei decentibus. Ita partim omnes: partim communior DD. ut patebit explicatione singulorum per distinctas Sectiones, & resolutiones speciales. Præmittenda tamen necessaria

EXPLICATIO TERMINORUM.

I. Devotè & studiosè.

ITa in formalibus præcipitur in suprà allegato 42
cap. Dolentes. *Districtè præcipientes in virtute S. Obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter ac diurnum, quantùm illis Deus dederit, studiosè celebrent & devotè.* Ubi glossa, *Studiosè*; quoad officium oris, *Devotè*, quoad officium cordis. Devotio autem cordis significat devotionem internam cum pia intentione & attentione mentis. Per particulam autem *studiosè*, partim affirmativè præcipitur cura quædam & seria sollicitudo in recitatione Horarum adhibenda, qualis in serio aliquo negotio requiritur: partim verò negativè prohibetur omnis incuria, negligentia, perfunctoreitas in earum recitatione, quæ daret causam alicui gravi deordinationi vel defectui notabili. Utrique satisfit, si dicantur Horæ integrè, ritè, ordinatè, continuè, tempestivè, decenter &c. prout particulatim probabitur de singulis.

II. Devotio quid, & quotuplex?

DEvotio communiter dicitur pius motus men- 43
tis in Deum seu elevatio mentis in Deum. Et propriè dicta devotio, *est prompta & parata voluntas exequendi ea, quæ ad divinum cultū pertinent.* Est enim immediatus actus virtutis Religionis, quo voluntas promptè vult, & intendit exequi ea, quæ ad divinum cultum pertinent, & generatim, & in particulari hoc vel illo actu Deum colere. Et hæc est devotio interna, sola simpliciter dicen-

da

Universidad de Deusto
Biblioteca

da devotio: & jam vides ad hanc internam devotionem necessariò, & essentialiter requiri intentionem aliquam, & attentionem mentis. Devotio externa dicitur, quæ externâ modestiâ & religiosâ oris ac corporis compositione, gestu, situ exhibetur. Non multùm differt ab attentione externa, & studiositate requisitâ in Horis infrà explicandâ.

III. Intentio quid & quotuplex?

44 INtentio generatim est actus voluntatis efficax volentis aliquid facere. 1. Alia imprimis dicitur *materialis*, alia *formalis*. Intentio *materialis* dicitur, quâ quis intenderet facere opus aliquod secundùm se materialiter non habitâ ratione finis, ad quem illud opus ordinatum est, ut in proposito, si velles recitare seu legere hoc Matutinum præcisè materialiter, quatenus constat talibus Psalmis, Lectionibus &c. quasi solùm sciendi causâ, quid ibi contineatur, eodem modo, quo legeret vel recitaret puer in scholis, vel quo legere soles Biblia, vel alios libros sacros, prophanos absque ulla intentione cultûs divini.

II. Intentio *formalis* dicitur, quâ quis intendit facere opus debito modo in ordine ad suum finem, ad quem ordinatur, ut in proposito, legere Horas, quatenus cultus Dei est, eaque lectione seu recitatione verè colere, orare, laudare Deum. Et hæc dicitur intentio formalis *finis*: alia potest esse intentio formalis *præcepti*, quâ quis etiam intenderet eâ recitatione satisfacere præcepto & obligationi suæ, ac obedire Ecclesiæ præcipienti, qui est actus formalis obedientiæ.

III. Intentio illa omnis, & specialiter intentio formalis finis potest esse aut actualis, aut virtualis, aut habitualis tantùm: Actualis est, quâ hic & nunc existente intendis hoc facere: virtualis, quæ semel habita, & nunquam revocata, adhuc virtute durat, & movet ad operandum, orandum, &c. Habitualis, quæ solùm semel habita, nunquam revocata est, etsi in præsenti operatione non ampliùs influat, vel moveat, quippe etiam in dormiente vel ebrio, eodem modo perseverans. Aliter intentio habitualis etiam accipitur pro illa, quam quis nunquam habuit, attamen eam nunc haberet, vel eliceret, si cogitaret de illa habenda; adeóq; est solùm dispositio habitualis mentis, quæ nihil ponit in re.

45 IV. Intentio illa actualis potest esse vel *explicita*, vel *implicita*. *Explicita* intentio est, quâ aliquid in se cognitum distincto conceptu volumus & intendimus, ut si in proposito dicas, volo dicere Horas ad Deum colendum, orandum, laudandum, gratias agendum &c. *Implicita* intentio dicitur, quâ aliquid non in se cognitum, sed in conceptu aliquo generali vel confuso contentum volumus, & intendimus: ut in proposito dicendo; volo recitare Horas, sicut debeo, sicut Ecclesia ordinat: volo satisfacere officio & obligationi meæ &c.

IV. Attentio quid & quotuplex?

46 I. ATtentio interna est animi advertentia & applicatio ad objectum hic & nunc propositum considerandum seu advertendum; nimirum est actus intellectûs, quo advertit, & considerat in recitatione Horarum ad ipsam recitationem officij, quatenus eo Deus colitur, & communissimâ nomenclaturâ in proposito dividitur in *superficialem*, *litteralem*, & *spiritualem*, ad verba, ad sensum, ad Deum, mysteria, rem oratam.

II. *Attentio superficialis* dicitur ad verba rectè 47
proferenda, ne scilicet quis dicat unum verbum pro alio, nè confundat, collidat, syncopet verba, ut distinctè & reverenter dicat. Cajetanus. *v. Horæ n. 9. Attentio litteralis* dicitur, quâ attenditur ad ipsum verborum sensum proprium, ut scilicet percipiat mente, & applicet mentem vel affectum ad id, quod verbis significatur. *Attentio spiritualis* dicitur, quâ attenditur ad ipsum finem Deum, qui colitur, & adoratur, ad mysteria significata, ad affectus & rem petitam, scil. gratiam, auxilia divina & dona, humilitatem, fidem, spem, charitatem, cælestem Patriam, liberationem à tentationibus &c. Exg. oras in Vesperis: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*: 1. Advertis solùm ad verba debitè proferenda, qualiter etiam advertit Monialis vel alius ignarus linguæ latinæ: habes attentionem superficialem. 2. Advertis etiam sensum verborum litteralem proprium, nimirum ita loqui æternum Patrem ad Filium divinum in gloriosa ascensione: habes attentionem litteralem. 3. Attendis etiam ad Deum & Christum, gratularis, aspiras ad Patriam &c. habes attentionem spiritualem optimam.

III. Attentio ista omnis alia est actualis, quâ actu 48
attendis sic ad verba, sensum &c. exclusâ omni aliâ cogitatione extraneâ: alia est virtualis, quâ à principio quidem attendisti volens semper attendere, postea tamen nihilominùs involuntariè distraheris: adeóque durat tamdiu, quamdiu quis involuntariè distrahitur; saltem quamdiu debitâ operâ non distrahitur: secundùm omnes, & secundùm communem DD. cum Suarez *c. 4. n. 7.* quamdiu etiam non quidem ex proposito, debitâ operâ, distrahitur tamen ex negligentia crassa & supina inter recitandum mentem levagari permittit. Quamvis id negent Cajet. Sà, Sanchez, infrà adferendi.

IV. Attentio tandem etiam dividitur in inter- 49
nam & ipsius mentis, de qua hactenus; & externam, quæ est vitatio, exclusio, absentia actionum externarum, potentiarum impedientium attentionem interiorem, seu suaptè naturâ mentem abstrahentium ab attentione interna ad orationem, divinúmque Officium. His ita explicatis terminis, sit

SECTIO I.

Qualis intentio requisita in recitandis Horis?

SUMMARIUM.

50. *Ad recitandas Horas requiritur intentio aliqua formalis colendi Deum.*
51. *Ita ut non sufficiat nuda externa verborum pronuntiatio.*
52. *Objiciuntur, & 53. solvuntur fundamenta contraria.*
55. *Nec sufficit intentio orandi* generaliſſimè,
56. *Nec requiritur intentio orandi* specialiter,
57. *Sed requiritur, & sufficit intentio orandi* generaliter.
Unde
59. *Necessaria non est intentio explicita & actualis semper:*
60. *Mi-*

90. *Minùs actualis semper durans, sed*
61. *Sufficit virtualis ipsius finis, non præcepti necessariò,*
62. *Corollarium.*
63. *Pro quibus, & qualiter debeant offerri Horæ Can. tam in, quàm extrà Chorum?* usque ad n. 67.

RESOLUTIO III. SPECIALIS.

AD strictè Officio divino tenentur illud persolvere cum intentione formali Deum colendi & orandi generaliter. Non tamen necessariò explicita & actuali semper, sed saltem implicitâ, virtuali, vel habituali ante habita: & in Choro saltem nomine Ecclesiæ, & pro Ecclesia: an cum fructu ex opere operato incertum. Ita communis DD. ut patebit.

§. I.

Obligantur recitare cum intentione formali aliqua DEUM colendi & orandi.

50 I. ITa communissima DD. ferè omnium Theologorum & Canonistarum, & omnino certum, ac à nemine negari testatur Suarez *l. 4. de Horis c. 26. n. 12.* ut frustra sit cathalogum DD. texere. (at certè negavit novissimè Joa. à Dicastillo vir doctus, apud Gobat. *Trig. Horar. disp. 1 n. 744.* qui aliquid probabilitatis tribuit: attamen meritò censet constare tenendum esse communissimæ Sententiæ, utpote conformi menti totius Ecclesiæ; certè Ecclesiæ Germanicæ: nam loquentes de Horis vulgatissimè dicimus: *iste orat Breviarium. Nondum oravi Vesperas &c.* Ratio fundamentalis est: quia generalissimè antiquissima & constantissima consuetudo ita interpretata est omnes sacros Canones Patrum & Conciliorum antiquissimorum (quos recitant Suarez *l. 4. de Horis c. 2. Bellarminus l. 1. De bonis operibus in particulari c. 13. & 14. & nos aliquos infrà*) & Bullas Pontificum, quòd nimirum Ecclesia præcipiendo certis personis recitationem Officij, præcipiat veram orationem, verum DEI cultum, verum actum Religionis, quo Deus verè colitur: ejus autem consuetudinis testes sunt, quotquot hactenus de hac re tractârunt. Certè Concilia, nominatim Basileense *Sess. 21. §. si quis.* Et §. *quoscunque*: item Pontifices, & nominatim Pius V. in Bulla præfixa Breviario recitationem Horarum vocant orationem & preces: ipsúmque Breviarium olim dictum fuit *Orarium*, ab orando, teste Gavanto *Rubric. Brev. sect. 2. c. 11.* & Germani etiamnùm dicimus, & dicimur *orare Breviarium*: atqui vera oratio, verus DEI cultus, & actus Religionis sine dubio requirit aliquam intentionem internam orandi & colendi Deum, absque enim omni ejusmodi intentione interna omnis externa actio & verborum pronuntiatio non est simpliciter oratio, non cultus DEI, non actus Religionis verus, sed actus vanus & velut mortuus, quemadmodùm corpus sine anima non est homo simpliciter, sed cadaver: ergo &c.

51 II. Ad satisfaciendum ergo præcepto Horarum non sufficit externa, nuda, quantumvis accurata recitatio Horarum, ac pronunciatio verborum absque omni interna intentione orandi, vel colendi DEUM; talis enim nuda pronuntiatio est actus merè indifferens, præsertim si fiat ab ignaro idiomatis: non est autem credibile, quòd Ecclesia & Prælati tot legibus & statutis ita urgeant publicam privatámque orationem Horarum, nisi supponerent, & vellent persolvi eo modo, qui ex indifferenti facit bonam: & quâ aliâ bonitate, nisi Religionis, Orationis, Cultûs divini? In specie autem intentionem solùm sciendi & addiscendi sufficere negant DD. *communiter*: Suarez *loc. cit. Arragonius* & *Azorius* apud Gobat. *num. 753.* Lessius *l. 2. de Just. c. 37. num. 67.* loquens de animo solùm legendi & addiscendi: Sanchez *l. 1. moral.* loquens de attentissimè quidem legente, sed ex sola voluntate legendi & addiscendi: Reginaldus *l. 18. n. 145.* loquens de legente tantùm animo capiendæ recreationis in Breviario, vel intelligendi gratiâ, vel alium instruendi seu docendi illud Officium. Ratio ab omnibus datur, quòd recitatio illa ab Ecclesia præcepta sit oratio: talis autem non orat. Et ante hos omnes Navarrus *De Oratione & Horis Canonicis c. 13. n. 15.* ita practicè resolvens. *Qui accipiens Breviarium in manus, & exspectans socios sine proposito recitandi & satisfaciendi suo muneri, legit in eo easdem Horas, quas recitare debebat, vel earum partem, compellitur postea denuò recitare, etiamsi socij non advenerint*; Sic ille. Sed vide, quæ dicam §. 3. *sub finem.* Et nota hic incidenter. Minimè agere contra mentem Ecclesiæ illum, qui in recitando Breviario, retento animo orandi & colendi DEUM, solùm per accidens aliqua pulcherrima & utilissima addiscere satagit: aut ideo adhibet majorem attentionem, ut aliqua magis imprimat memoriæ pro instanti concione; aut ad hunc finem facit reflexionem super lecta, ut eorum in concione, vel aliàs recordetur. Laudem insuper non vituperium merebitur, si ita attendat, vel reflectat, ut inde capiat fructum & in spiritu proficiat, prout infrà fortè iterum notabitur. Pro majori intellectu rei magni momenti juvat proponere motiva & fundamenta contrariæ opinionis Joan. Dicastilli.

III. Dicis pro contraria opinione. 1. Ecclesia non 52
potest præcipere actus merè internos, saltem non necessarios ad existentiam physicam actuum externorum: ergo neque intentionem illam internam orandi seu colendi DEUM. 2. Non est asserenda gravis & mortalis obligatio sine clara lege vel consuetudine vim legis obtinente: sed nulla clara lex præcipit intentionem illam internam orandi: cúmque intentio illa sit interna, quis de illa ejúsque consuetudine testis erit? Certè Canones omnes præcipientes recitationem Horarum in suis terminis, ut: *Clerici pensum suæ servitutis exsolvant*; c. 1. de celebr. Miss. *ut divinum officium devote persolvant.* c. dolentes, eod. *ut sacrificium laudis. fructus labiorum suorum DEO offerant.* Clement. c. 1. *divinas laudes non festinanter persolvant.* Concilium Basileense sess. 21. §. quoscunque: *Hymnis & Canticis DEI nomen reverenter, distincte, devotéque laudent.* Concil. Trident. *sess. 24. cap. 12. de Reform.* & si qui alij, possunt etiam intelligi de sola vocali laudatione, persolutione, decentíque pronuntiatione verborum atque sententiarum significantium laudem DEI. Certè sicut non laudamus

Universidad de Deusto
Biblioteca

DEUM pulsu organorum nihil utique cogitantium de oratione, vel laude DEI, ita etiam potest Ecclesia per suos ministros orare & laudare DEUM, etsi hi careant intentione laudandi vel orandi, modò proferant, quâ par est, decentiâ exteriori sententias significantes DEI magnalia, itémque vota, & gemitus Ecclesiæ ad DEUM. 3. Evolve totum Matutinum & Vesperas alicujus festi, & videbis vix octavam vel decimam partem esse orationem. Quin etiam ipsæ orationes Psalmorum non possunt amplius eodem sensu fieri à nobis; non enim amplius in plerisque petimus ea, quæ antea petebantur: ergo ad recitandum Breviarium non opus est intentione orandi. 4. Quin pleraque contenta in Breviario non possunt à nobis recitari formaliter & significativè, sed solùm materialiter & recitativè: nam, (ut taceam innumera historica, comminatoria &c.) cùm recitas: *Benedicam Dominum in omni tempore. Juravi & statui, custodire omnia judicia oris tui. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua? &c.* certè non intendis significare ex propria mente ea, quæ ijs verbis significantur: alioquin mentireris, si non haberes animum laudandi DEUM in omni tempore, in lætis & tristibus: si non jurâsses, te nunquam peccaturum &c. at non mentiris, si ea solùm recites materialiter, recitativè, quemadmodùm recitares in concione, vel pia comœdiâ, &c. ergo non requiritur intentio formalis orandi in Horis. Tandem amabo, pro quo templo debeo supplicare DEO, quando in Dedicatione Basilicæ Salvatoris, aut Petri & Pauli dico: *DEUS, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui &c.* an pro Romano? atqui demonstrativum *hujus & hoc*, non designat mihi existenti Passavij templum existens Romæ distans plùs 100. milliaribus: ergo &c.

53 IV. ℣. ad 1. negando assumptum; longè enim verius, & mihi verissimum est, Ecclesiam posse indirectè præcipere actus internos, qui necessarij sunt ad existentiam non tantùm physicam, sed etiam moralem actuum externorum, ut nimirum actus externus sit honestus & idoneus ad finem præcepti supernaturalem: cùm enim Ecclesia per suas leges debeat hominem dirigere ad finem supernaturalem æternæ beatitudinis, omninò censeri debet, Christum ipsi dedisse potestatem sanciendi leges cum conditionibus & circumstantijs etiam internis honestis, quibus actus externus honestus evadat, & idoneus ad illum finem. Certè sub Alexandro VII. damnata est proposito 14. asserens: *Qui facit confessionem voluntarie nullâ, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Talis autem etiam sine dubio est in recitatione Horarum intentio orandi, & colendi DEUM. Ad 2. negatur minor. Transeat enim, Canones utcunque ita posse intelligi: at non sic intelligit communissima & antiquissima consuetudo allegata (cujus testes sunt, quotquot hactenus de hac materia scripserunt) quæ consuetudo vel ita interpretata est sacros Canones illos, ut suprà dictum, vel certè per se induxit obligationem orationis in Horis Canonicis. Nam hoc utrumque posse fieri per consuetudinem, scilicet & authenticè & obligatoriè explicari leges, aut novas leges constitui constantissimum est utroque Jure, Civil. *ff. de legibus.* Canon. *tit. de consuetudine.* Deinde non placet homines sacros, viva, rationalia & spiritualia DEI organa in cultu divino æquiparari brutè & insensatè boantibus, mugientibus, grunnientibus organis. Ad 3. negatur consequentia. Nam oratio non accipitur hic strictè pro sola petitione decentium à DEO, sed generaliter prout comprehendit etiam Laudem DEI, gratiarum Actiones, aliáque inductiva ad orationem: quæ omnia constituunt magnam, maximam partem Breviarij: ergo rectè requiritur intentio orandi, etsi non omnia contenta in Breviario sint oratio. Ad 4. antecedens ipsi concedemus §. seq. sed negatur consequentia. Etsi enim in multis breviarij partibus sufficiat recitatio materialis tantùm, quatenus excludit recitationem formalem significativam ex propria mente: non tamen sufficit recitatio materialis nuda, quatenus excludit omnem intentionem formalem orandi ac colendi DEUM eâ totâ recitatione. Ad ultimum dico: debes intelligere templum Romanum. Quia dicis in persona Ecclesiæ totius, & tanquam pars sumpta pro toto: tota autem Ecclesia verissimè demonstrat hoc templum Romanorum. Aliud est in forma consecrationis: *Hoc est Corpus meum*: tunc enim Sacerdos ut Minister Christi loquitur in propria persona: adeóque debet designare sibi rem ad sensum præsentem. Sed de his satis.

§. II. *Et orandi generaliter.*

54 IN recitandis Horis requiritur, & sufficit intentio orandi DEUM *generaliter*, non sufficit intentio orandi *generalissimè*, nec requiritur intentio *specialiter & propriè*. Communissima. Explico: Oratio *generalissimè* dicitur omnis sancta operatio facta ad honorem DEI, juxta vulgatum illud: *semper orat, qui semper benefacit.* Oratio *generaliter* dicitur etiam Laus DEI, & gratiarum Actio. Oratio *propriè* dicitur *Petitio decentium a Deo.* Dicimus ergo

55 I. In Horis non sufficit intentio orandi *generalissimè*: ut nimirum quis dicat: volo recitare Breviarium, solùm ut exerceam bonum opus, DEO gratum &c. Ratio est: quia alioquin satisfaceret penso Ecclesiastico, qui diceret: nolo per hanc recitationem DEUM laudare, nec gratias agere, nec quicquam ab ipso in genere vel specie postulare, sed volo præcisè ideo legere Breviarium, quia est lectio sacra, DEO grata. Consequens est contra sensum Canonum, Conciliorum, omniúmque DD. supponentium recitationem Breviarij esse aliquam orationem, laudem DEI &c. Fatetur tamen meritò Gobat *cit. disp. 1. n. 758.* non esse scrupulum movendum illi, qui se accingens ad persolvendum pensum Horarum, format solùm intentionem expressam his verbis: *volo jam colere Deum, honorare Deum, vacare DEO.* Qui enim ita expressè loquitur, habet nihilominùs ubique dubio generalem intentionem implendi præceptum

tum Ecclesiæ, adeóque verba proferendi eo sensu, & fine, quo præscripsit Ecclesia.

56 II. Nec requiritur intentio orandi *specialiter & propriè*, ut nimirum quis explicitè vel implicitè dicat: volo totum Breviarium orare per modum supplicis petentis à DEO ea, quæ Ecclesia vult peti. Ratio est; quia Breviarium principaliter non tantùm continet orationes specialiter & propriè dictas, sed etiam & multò majori parte laudem DEI, ac gratiarum actiones, hisque affinia. Et certè nimis gratis Navarrus *de Orat. & Horis Canon. prælud. 5. n. 9.* docet; laudes DEI & gratiarũ actiones esse partes orationis propriè dictæ, nimirum præambula, præparamenta, & media, quib⁹ petitiones & orationes propriè dictas ibi contentas, ferventiores, efficaciores, Deóq; gratiores reddamus, omninò gratis, inquam: nec ex natura rei, nec ex ordinatione Ecclesiæ. Ecclesia enim contentissima est, quòd exprimamus illas DEI laudes, gratiarum actiones, (sicut & humiliationes, bona proposita, desideria &c. absolutè & sine relatione ad orationem vel DEUM faciliùs permovendum. Nam illi actus secundùm se absoluti, & sine illa relatione, honestissimi, Deóque gratissimi sunt: & Ecclesia utique non præcipit, ut illos exerceamus tanquam mercenarij, vel quasi modo adulatorio, in ordine solùm ad petita obtinenda. Unde persolutio divini Officij à SS. Canonibus & Concilijs, absolutè dici solet *Sacrificium laudis.* Clement. de celebr. c. 1. *divinæ laudes*, Concil. Basileense sess. 21. *Hymni, & Cantica*: Trident. sess. 24. c. 12. de reform. Unde & initio Officij dicimus: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Est post, *venite exultemus* &c. singulósque Psalmos claudimus ℣. *Gloria Patri &c.*

57 III. Requiritur ergo & sufficit, ut quis dicat Breviarium animo & intentione orandi *generaliter*, scilicet colendi divinum Numen quolibet dictorum modo, laudando, gratis agendo, petendo salutaria: nullum enim fundamentum habemus exigendi plùs, nec ut exigamus minùs, permittunt Canones indicati & DD. communiter. Censêris autem reipsâ laudare DEUM, gratias agere, ac petere seu orare, quando voluntariè & scienter profers verba significantia divinam laudem, gratiarum actiones, petitiones, dummodò præcesserit, vel comitetur intentio actualis vel virtualis, explicita vel implicita proferendi illa verba ad DEI laudem, gratiarum actionem, petitionem: Nec dubites, quòd præcesserit talis intentio sufficiens, quando cæpisti orare, ut satisfacias quàm optimè tuo Officio, non ignorans in tuo libro contineri laudes DEI, gratiarum actiones, petitiones varias; esto non scias, in qua parte Officij ea legantur: neque dum legis, actu advertas: quod secundùm indulgentiam dico. Quare à fortiori (contra Cotonium hic nimis rigidè sanctum) rectè infert Gobat *num. 763.* Nos non obligari exercere seu elicere illos actus fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, humilitatis bonorum propositorum, qui exprimuntur verbis Psalmorum, Hymnorum, Capitulorum, Responsoriorum &c. sunt enim hi actus distincti ab oratione, etiam generaliter sumptâ, seu laude DEI, petitione, gratiarum actione: forétque gravissimum onus, etiam doctis prorsùs autem intolerabile indoctis Clericis, & Monialibus, si adigerentur ad tales omnes actus exercendos. Quare licèt tu nullum habeas propositum DEUM semper laudandi in prosperis & adversis; nec unquam jurâris semper observare legem DEI, non tamen mentiris dicendo: *Benedicam Dominum in omni tempore. Juravi & statui.* Non enim intendit, vel exigit Ecclesia, ut eo sensu proferas, quem grammaticaliter verba significant, sed ut ijs verbis ab alio prolatis DEUM laudes. Atque hinc patet responsio ad difficultatem §. *præcedenti n. 3.* propositam: qualiter proferenda sint verba Breviarij, an formaliter, vel materialiter tantùm? Itaque:

58 IV. *Formaliter ergo & significativè* proferendæ sunt illæ partes Breviarij (Psalmi, Hymni, Antiphonæ, Responsoria &c.) quæ in actu signato vel exercito significant, ac continent orationem, laudem DEI, gratiarum actiones, petitiones. Hoc enim exigunt & SS. Canones indicati, & consensus DD. Sufficienter autem significativè proferuntur, si proferas verba significativa orationis, laudis DEI, gratiarum actionis, petitionis, cum intentione suprà dictâ expressâ vel implicitâ DEUM laudandi, gratias agendi, petendi ea, quæ verbis significantur; nimirum contestandi nostram æstimationem, de DEI excellentijs, & beneficijs, nostráque indigentiâ & subjectione. Laus enim essentialiter est manifestatio nostræ æstimationis de alterius excellentiâ facta per verba. Gratiarum actio est specialis laus & æstimatio beneficij ab altero accepti. Petitio ex agnitione alterius excellentiæ, nostræque indigentiæ procedit, ut suo loco dictum. At verò materialiter & recitativè solùm proferre sufficiet illas partes Breviarij sanè non exiguas, quæ continent historias (ut sunt Lectiones, Capitula, & Psalmi multi, nominatim ille 77. feriâ quintâ, & plures in Sabbatho, quos multi cuperent breviores &c. item comminationes, increpationes, adhortationes, bona proposita &c. Nec enim jubentur talia proferre significativè eâ intentione, ut nostram de ijs mentem ac animum ostendamus, seu ex propria nostra mente asseramus, sed ut ad honorem DEI proferamus tanquam à DEO, Spiritu sancto, Sanctis, vel alijs dicta vel facta. Et nonne & perspicuum est esse solùm materialiter proferendas has, similésque sententias. *Abi post me Sathana. In Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia. Crucifige, Crucifige &c.* Et quo alio sensu proferes illud in festo S. Pauli: *Ter virgis cæsus sum &c.* & similia sexcenta?

§. III.

Non necessario explicitâ, & actuali semper.

59 OMnium consensu non necessaria est intentio actualis explicita, DEUM ita orandi, laudandi, gratias agendi, petendi, sed sufficit intentio implicita & generalis eâ recitatione colendi DEUM, satisfaciẽdi suo officio, obligationi, intentioni, & ordinationi Ecclesiæ &c. Quare omniũ Theologorũ moralium

Universidad de Deusto
Biblioteca

calculo approbata est regula tradita à sapiente sene Navarro *De Orat. & Horis Can. c. 13. n. 6.* his verbis: *Qui petit vel accipit Breviarium cum proposito expresso recitandi, ut debet, vel animo deliberato capit Breviarium, & ad Ecclesiam it, vel simile quid facit, ita ut interrogatus, quare id faciat, vere responderet, se id facere ad recitandum, vel satisfaciendum suæ obligationi, habet sufficiens propositum attendendi; atque adeò orandi, siquidem Ecclesia præcipit recitationem per modum orationis.* Hæc Navarrus testans se magnam habuisse consolationem, quando vidit hanc ipsam doctrinam fuisse traditam à Parisiensibus, Joanne Majore, aliisque. Et hinc

60 II. Multò minùs requiritur intentio actualis semper durans in recitatione Horarum; quasi quis actu semper habere & continuare deberet hunc vel similem actum: volo recitare ad colendum DEUM, volo orare DEUM, satisfacere meo officio &c. sed omnium rursus consensu sufficit intentio virtualis & virtualiter durans in recitatione Horarum, ut dum virtute intentionis antea habitæ, & nunquam revocatæ (directè vel indirectè per actus incompossibiles, de quo clariùs infrà) pergit in orando, ita dispositus, ut quantumvis inadvertenter & involuntariè distractus, tamen reflectens se ad suum actum, vel ab alio interrogatus, quid agat, statim redeunte priori intētione advertit, & vult suâ oratione colere Deum, orare, satisfacere &c. & abstinere ab actu contrario voluntario. Quin teste Gobat *n. 737.* sufficit etiam intentio habitualis tantùm, scil. semel habita & non revocata, si non interceſſit longum tempus: imò & habitualis, quam nunquam quidem, quis habuit, haberet tamen certò, si de ea cogitaret, quando habetur aliquod ejus indicium, etsi valde tenue. Sed tu, noli in praxi amplecti has laxitates, tutiora & perfectiora æmulare. Et ut certus sis de sufficienti intentione, eam ab initio elice, & inter recitandum, pio in DEUM motu, præsertim ad Gloria Patri sæpiùs innova.

61 III. Sufficit ejusmodi expressa vel implicita; actualis vel virtualis aut habitualis intentio finis, seu colendi DEUM, & orandi tantùm, & non est necessaria intentio præcepti, seu satisfaciendi præcepto & obediendi Ecclesiæ. Communis DD. apud mox citandos. Ratio est: quia intentio seu voluntas satisfaciendi præcepto est actus internus non habens necessariam connexionem cum opere præcepto, scilicet recitatione Horarum: neque ex natura operis, ut de se constat, neque ex vi præcepti: quia Ecclesia tantùm præcipit recitationem Horarum; nullo autem modo præcipit, ut recites cum intentione obediendi vel satisfaciendi præcepto, aut ideo velis recitare, quia præceptum est, quod sæpe imperfectionis est, & animi servilis: facere autem opus bonum simpliciter, quia bonum est, perfectionis est. De hoc vide latè *Tract. 1. Decal. c. 3. a. n. 45.* Adde obiter hic

62 IV. si hodie recites v. g. Matutinum vel ex mera devotione vel ex Charitate cum infirmo, vel hospite, minimè intendens tunc satisfacere obligationi, sed expressè proponens postea denuò recitare in Choro, si scias te priùs sufficienter dixisse, satisfecisti, nec teneris repetere: jam enim satisfactum est præcepto, nec est in potestate tua obligationem præcepti jam impleti prorogare. Ita generaliter de omni lege vel præcepto loquentes *Suarez, Sanchez, Bonacina, Castro-Palaus, Dicastillus*, aliisque citatis Layman. *l. 1. tract. 4. c. 4. n. 7* Gobat *tract. 5. Alph. Aud. sac. num. 201.* Item si ob distractiones, vel alium defectum non mortaliter malum in recitandis Horis, Matutino v. g. expressè dicas: *Nolo hoc Officio satisfactum præcepto, sed volo totum repetere*: nihilominùs satisfecisti, nec repetere obligaris. Gobat. *n. 621.* Insuper in probabili Sententia non requiri attentionem internam ad satisfaciendum præcepto Horarum, si totum Officium divinum perpetuò voluntariè & pessimè distractus recitâsti, etiamsi perpensâ indignitate tuæ culpabilis & meritò castigabilis evagationis expressè dixisses: *nolo, ut valeat hæc recitatio, sed volo a capite ad finem rursus repetere, atque ad id, me sub mortali obligo.* (secluso tamen voto & promissione verâ Deo factâ) nihilominùs non teneberis repetere, quia suppositâ probabilitate illius Sententiæ, eadem ratio adhuc militat: neque ullus potest se obligare graviter ad quidquam, nisi per votum, vel aliam promissionem aut pactum. Gobat *ibidem d. 2. n. 843.* peccat tamen talis per accidens ratione conscientiæ erroneæ.

§. IV.

Et in Choro saltem nomine Ecclesiæ, & pro Ecclesia.

NOta ex Suarez *l. 4. c. 26. n. 16.* posse aliquem tripliciter dici orare pro alio. 1. Sponte suâ offerendo preces pro illo. 2. Orando jussu vel suasione illius. De his non est dubium. 3. Orando in persona illius, ita ut tanquam Legatus & interpres voluntatis ac petitionis alienæ proferat verba precatoria. Et hoc tertio modo & sensu dicimus

63 I. Qui ex instituto & ordinatione Ecclesiæ in Choro peragunt Officium divinum, peragunt illud nomine Ecclesiæ pro Ecclesia, seu toto fideli populo. Ita omnes cum D. Thoma *2. 2. q. 83. a. 12.* Ratio est: quia Officium divinum saltem in Choro recitatum est oratio publica & communis, quæ per Ministros Ecclesiæ in persona totius populi fidelis DEO offertur, ait S. Thomas *loc. cit.* unde quivis Christianus non excommunicatus fit particeps omnium talium precum Ecclesiæ publicè fusarum: atqui Ecclesia & fidelis populus offerens preces DEO per suos Ministros, utique habet primam, & potissimam rationem sui ipsius, cùm charitas incipiat à se ipsa: ergo tenentur tales Ministri Ecclesiæ offerre DEO divinum Officium pro ipsa Ecclesia & populo fideli, & non possunt pro libitu offerre pro seipsis, aut pro alio aliquo particulari homine tantùm: si enim es Legatus Ecclesiæ & populi fidelis tanquam principalis, debes hujus, non autem tuam tantùm, vel alterius causam agere apud

apud Deum, cum præjudicio tui Principalis. Si enim totum Officium applicas tibi ipsi, aut alicui alteri, nullus fructus redundabit in cæteros Christianos, totámque Ecclesiam, cùm tamen oporteat illud emolumentum spirituale dividere in omnes. At, quantùm peccabit talis infidelis & privatus applicator?

64 II. Certum est non posse à peccato excusari eum, qui totum Officium divinum quoad omnem fructum etiam impetratorium, orationum communium Ecclesiæ propriè dictarum applicaret sibi, aut alteri particulari personæ, vel causæ, ob rationem jam indicatam. Et certè ex communi Sententia alibi dicetur, peccare mortaliter Sacerdotem, qui in Sacrificio Missæ fructum generalem Ecclesiæ & fidelium omnium applicaret sibi ipsi, aut alteri privato: ergo idem videtur esse de Canonico nomine totius Ecclesiæ psallente. Certè gravissimè multandus esset Legatus, qui à Republica ablegatus ad Principem pro causa communi, ageret solùm suam privatam, aut alterius: ergo idem videtur in proposito. Sed nihilominùs ego cum Gobat *cit. disp. 1. num. 775.* talem non ausim damnare peccati mortalis, etsi à gravi veniali excusare nolim. *Nam certè videtur valde durum & à pietate Christiana alienum, mittere aliquem in infernum, aut dicere, quod peccet mortaliter sine certa & evidenti ratione*, ait Arragonius apud Gobat *cit.* at nulla hic apparet evidens & certa ratio constituendi peccatum mortale: estque magna disparitas in proposito & exemplis allatis. Nam Sacerdotes sunt jure divino constituti, ut offerant Dona & Sacrificia pro peccatis populi. *Heb. 5.* atqui Clerici constituti sunt solo jure humano ad nomine populi Christiani laudandum DEUM: Ecclesiam autem hic velle obligare tam graviter, ex nullo capite constat. Deinde Ecclesia non pollet tantâ potestate actus merè internos suorum Ministrorum, quantâ pollet Respublica in actus externos suorum: nec constat, quòd Ecclesia velit tam rigidè obligare ad actus internos, quàm Respublica ad externos. Denique sciunt Prælati Ecclesiæ, quòd etiamsi non prohibeant sub mortali talem privatam applicationem vel donationem Breviarij, fore nihilominùs innumeros, qui non sint etiam facturi.

65 III. Dixi autem: *Qui totum divinum Officium*: nimirum quoad omnes suas partes substantiales, omnémque fructum satisfactorium & impetratorium, præsertim ipsarum orationum communium Ecclesiæ, sic sibi, vel alteri applicaret. Cæterùm certum videtur, posse te licitè & laudabiliter tibi, vel alteri applicare vel donare fructus accidentales ex speciali tua devotione, vel difficultate habita in divino Officio, utpote molestias corporis & animi accidentales, quas persentiscis in divino Officio, tolerantiam v. g. frigoris, stationem difficilem, genuflexiones, privationem recreationis, libertatis &c. 2. Omnem extraordinarium fervorem ac devotionem, quam ultra debitum adhibes. 3. Illum fructum spiritualem, qui in te redundat, quatenus exerces actum formalis obedientiæ, vel justitiæ, fungendo fideliter officio legati. 4. Addit Gobat *n. 776.* etiam fructum satisfactorium totius Officij: etli contrà sentiat Azorius *l. 9. c. 32. q. 2. fine.* Ratio est: quia concessum est, quidquid prohibitum non reperitur, secundùm jura: talis autem donatio vel applicatio, nullibi reperitur prohibita; & cùm talia non spectent ad substantiam tuæ legationis, erunt integrè tua, tuæque dispositionis: nam Respublica permittit suo Legato liberum dominium honorarij, quo à principe, ad quem destinatus est, donatus domum rediit. Quare licitè & laudabiliter dices: *Domine Deus, hanc recitationem Officij offero, quoad possum pro hoc particulari homine: pro hac anima*: quâ oblatione tantò plùs tua recitatio proderit illi particulari homini, vel animæ, quantò devotiùs & accuratiùs divinum pensum persolveris. Dictum hactenus de recitantibus in Choro præsertim.

V. Jam quoad extra Chorum & privatim recitantes idipsum universim affirmat cum aliis Suarez *l. 4. de Horis, c. 26. n. 17.* Sed juvat breviter distinguere. 1. Certum videtur Clericos beneficiatos privatim recitantes debere dicto modo dicere in persona Ecclesiæ, & pro Ecclesia, nec gaudere libertate offerendi pro libitu; cùm illi propriè sint Ministri publici Ecclesiæ, & proinde per se obligati ad Chorum. *Clement. de celebr. Missar. 2.* Idem dicendum videtur de Clericis Regularibus Choro adstrictis saltem in Majoribus constitutis, *ex eadem Clement. 3.* Dubium magis est de Regularibus Choristis nondum promotis ad sacros Ordines, sicut & vicissim de Monialibus, cùm non constet ex Jure illos esse Ministros, & has Ministras Ecclesiæ, atque adeò etiam an teneantur extra Chorum privatim Officium divinum recitare, ut vidimus *c. 1. §. 2.* Affirmant Navarrus *de Horis Can. c. 19. num. 59.* loquens etiam de Minoristis & Novitijs: Et Suarez *loc. cit.* Ego rem dubiam relinquo, tutiora consulo. 4. Probabiliùs est illos, qui nullo modo astricti sunt Choro, ut Clerici Societatis, & si qui alij, dum privatim persolvunt debitum obligationis Ecclesiæ, non facere id nomine Ecclesiæ, adeòque gaudere libertate applicandi Officium divinum ad libitum sibi vel aliis. Gobat *cit. num. 789.* Et insinuat D. Thomas *2. 2. q. 83. a. 12.* docens: Orationem, quæ fit in persona Ecclesiæ, debere innotescere toti populo, pro quo offertur: atqui istorum oratio nec innotescit, nec innotescere debet populo toti, pro quo offertur, cùm nunquam debeant dicere publicè in Choro: ergo &c. Et ulterior ratio est: quia non debemus restringere libertatem hominis, nisi gravis ratio ad id adigat; siquidem libertas est res inæstimabilis, & rebus omnibus favorabilior: *l. 106. 117. ff. de Reg. Jur.* at per oppositam Sententiam restringitur, imò aufertur libertas applicandi liberè totum fructum orationis Canonicæ cuivis capaci: ergo &c. Denique constat, fieri hanc applicationem à plurimis viris pijs & doctis sine metu ullius peccati, vel imperfectionis, ait Gobat *loc. cit.* 66

Dixi tamen: *per se loquendo* tales non orare nomine Ecclesiæ &c. Per accidens enim, omnino vi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dentur ita posse facere, si videlicet suâ sponte, & ultrò se sistant DEO tanquam legatos & oratores totius populi Christiani, prout etiam Laicos posse facere monet Navarrus *cit. c. 20. n. 40.* Cùm enim constet utroque Jure, posse aliquem in multis casibus utiliter gerere negotium alterius, sine ejus expresso mandato, sed præsumptâ tantùm voluntate, cur non possit prudenter existimari, hunc esse tacitum consensum Ecclesiæ, ut quisquis bonus Christianus hasce publicas laudes & preces fundat non solùm pro toto fideli populo, ut de se patet, sed etiam in persona & tanquam legatus & orator totius Ecclesiæ & Christianitatis.

Dices: si Clerici omnino omnes tanquam per se legati persolverent hoc Officium suæ servitutis nomine & in persona Ecclesiæ, forent eorum preces multò efficaciores, quia etiam prodessent, & haberent fructum ex opere operato. ℟. Non esse æquum, ut propter hunc incertum effectum spoliemus eos suâ naturali libertate. Nam reverâ (ut in resolutione insinuavi) incertum est, utrùm recitatio Breviarij ac Officij divini, intra vel extra Chorum habeat aliquem effectum ex opere operato. Habere, probabiliter censet Azorius *l. 9. c. 32. q. 2.* favente Navarro, *de orat. c. 19. n. 59. 60.* eò quòd Ecclesia sit sponsa Christi, ipsi charissima & gratissima, & consequenter preces, quæ ab ipsa funduntur per suos ministros, sint efficaciores, quàm si quis privatus vel per se suo nomine offerret DEO, nihilque obsit improbitas Ministri, etiamsi sit malus, ut patet in Sacramentis. Pro coronide addo distichon Glossæ in *c. cantantes dist. 92.*

Non vox, sed votum: non cordula Musica, sed cor.
Non clamans, sed amans, cantat in aure DEI.

SECTIO II.

Qualis attentio requiritur in recitandis Horis?

SUMMARIUM.

68. *In recitandis Horis requiritur sub mortali attentio externa.*
69. & 70. *Mortaliter peccat exercens inter recitandum actiones cum attentione interna incompossibiles.*
71. *Secùs, si exerceat actiones solum leviter distrahentes.*
72. *Proponitur Sententia nullam sub mortali requirens attentionem internam, cum suis fundamentis,* usque ad n. 74.
74. *Quæ tamen facilè solvuntur.*
76. *Et sic longè probabilius sub mortali requiritur aliqua attentio interna.* Usque ad n. 80.
80. *Saltem superficialis cum intentione colendi & orandi Deum.*
84. *Saltem virtualiter continuata.*
85. Usque ad n. 88. *Resolvuntur varia.*
88. *An distractè recitans Horas, teneatur restituere, &*
89. *An aliquid, & quantum repetere?* Usque ad n. 92.

RESOLUTIO IV. SPECIALIS.

67 *Requiritur sub mortali attentio externa & omnino etiam interna: saltem superficialis, curis intentione orandi & colendi DEUM; eáque saltem virtualiter continuata, exclusis nimirum distractionibus directè vel indirectè voluntariis, id est: vel datâ operâ & studio quæsitis, vel crassâ supinâ negligentiâ admissis vel permissis.* Est tota aut omnium, aut communior & tutior DD. ut patebit.

§. I.

Requiritur sub mortali attentio externa.

ITa nimirum, ut peccet mortaliter, qui volens 68
satisfacere suæ obligationi persolvendo Officium divinum inter recitandum notabili tempore occupat se actionibus externis impedientibus attentionem internam ad Divina. *Ita unanimiter omnes.* Ratio est: quia ad minimum hanc externam attentionem sub mortali exigit celebertimus & gravissimus ille Canon. *c. dolentes. de celebr. Missar.* quo, postquam reprehensi essent beneficiati Chori: *Silentiũ in Choro fugientes, auditũ ad sermones indebitos effundentes*: fertur hæc sententia. *Districtè præcipim⁹ in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnũ, quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent, pariter ac devotè.* Quanquam autem Canon iste & præceptum sit directum expresse ad solos beneficiatos celebrantes in Choro divinum Officium, attamen constantissima praxis, maximúsque consensus Doctorum indoctorúmque declarat, omnes astrictos Horis Canonicis astringi hâc ipsâ lege, ac delinqui mortaliter ab exercente actiones incompatibiles cum oratione & attentione interiori: at quomodo incompatibiles? an ex natura sua? an ex inhabilitate subjecti? seu hominis tam debilis intellectûs, ut exercens talem actionem non possit attendere ad orationem? dico distinctè.

II. Peccat sine dubio mortaliter inter recitan- 69
dum exercens actiones ex natura sua incompatibiles cum attentione interna, quales omnium calculo computantur *alia legere, scribere, pingere, confabulari in Choro, alterâ parte canente*: has enim per se directè prohibet Ecclesia, *ut patet cit. c. dolentes.* ubi expresse solùm vetatur *effusio auditûs ad sermones indebitos*: quæ actio sine dubio ex natura sua est incompatibilis cum interna attentione. Eadémque est ratio aliarum similium. Et quidem ad incurrendum peccatum mortale requiri & sufficere, ut actio sit naturâ suâ incompatibilis cum ea interna attentione, docent graves Doctores. Sotus *l. 3. de Justitia a. 5. q. 5. Arragonius, Lugo.* adeò ut exercens tales actiones, eò ipso peccet mortaliter, etsi fortè ob capacitatem intellectûs attentionem illam non impediret: contrà non peccet mortaliter exercens actiones non naturâ suâ, sed solùm ex debilitate intellect⁹ illam internam attentionem impedientes. Sed contrà dico

III. Peccat mortaliter inter recitandum exer- 69
cens actiones quascunque incompatibiles etiam ex sola inhabilitate intellectûs attentionem internam notabiliter impedientes. Ita Navarrus *de Orat. & Horis c. 13. n. 49. & 50.* Suarez *l. 4. de Horis Canon. c. 26.* Sanchez *l. 7. Consil. moral. c. 2. dub. 32.* hanc statuens resolutionem generalem: *Solus & omnis ille actus corporalis ad implementum præcepti impedit, qui repugnat, & est incompatibilis attentioni, habilitate ejus, qui recitat, inspectâ.* Et ratio est: quia Ecclesia saltem indirectè prohibet omnes illos actus: nam quando aliquid prohibetur, omnia prohibentur, per quæ proximè pervenitur ad illud, *l. Oratio. ff. de sponsalibus.* atqui prohibentur sub mortali distractiones interiores voluntariæ, ut videbitur §. *seq.* ergo etiam omnes actiones externæ illam internam distractionem de facto causantes, & attentionem impedientes. Quare meritò pronuntiat Suarez *cit. n. 21.* si homo expertus sit, se solere similibus actionibus (pingendi, se vestiendi, lavandi) omnino impediri ac distrahi sive ob incapacitatem suam, sive ex consuetudine, tunc potest esse peccatum grave. E diverso Navarrus *cit. n. 23.* expresse à peccato mortali excusat illum, qui legendo aliud, vel scribendo, attenderet ad recitationem tantùm, quantùm esset necessarium ad evitandum peccatum mortale, licèt frequenter venialiter peccaret tali: sic Navarrus. Nec dubitandum cum eodem *Navarro & Sanchez* cit. peccari venialiter, quin potiùs de mortali timendum iis, qui inter recitandum se induunt, lavant, calceant festinanter, eò quòd hæc festinatio communiter repugnet reverentiæ ac attentioni recitandi preces debitas: & multi, si non plerique, fiunt toti distracti, eas actiones festinanter obeundo. Deniq; cum Gobat. *Alphab. aud. sac. casu 8. num. 238.* non possum assentiri eidem Navarro, actionibus leviter tantùm distrahentibus inter orandum annumeranti etiam aptationem calami. Nam nimis difficile videtur aptationi calami adjungere attentionem internam in communi & veriori Sententia requisitam.

70 IV. Non ergo peccant saltem graviter, qui inter recitandum exercent actiones externas, vel nihil, vel leviter tantùm impedientes attentionem internam ac distrahentes: utpote leniter ambulans, modestè equitans, colligens hanc aut illam herbam, prospiciens in prata, hortos, vineas, aquas, modestè atque absque festinatione se induens, exuens, calceans, caput pectens, manus & faciem lavans &c. etiam absque omni necessitate, omnino non peccat, teste Navarro *cit. n. 50.* Sanchez *cit. l. 7. cap. 2. dub. 32. alij.* Addunt aliqui etiam laborem famularum, quo quis domum verrit, mensam vel lectum sternit: ita cum Bonacina, aliis Barbosa *in cap. Dolentes de Celebr. Miss.* Denique placet Regula tradita à Sanchez *cit. num. 6.* in hunc modum. *Quas actiones exerceo licitè, dum recito preces non debitas, easdem licitè exerceo recitando debitas*: atqui si ego talem Horam Canonicam aut alias preces ex sola devotione tunc funderẽ exercendo præfatas actiones, non peccarẽ ullo modo, ut vel inde patet, quòd & Sacerdotes ex præscripto debeant orare vestibus sacris se induentes, & PP. Prædicatores ex statutis teneantur orare Officium B. V. dum se surgentes vestiunt: quod etiam libri spirituales monent faciendum à quolibet Christiano, notissima simul & laudatissima est praxis laborandi simul & orandi veterum Monachorum Ægypti: ergo etiam non pecco venialiter exercendo tales actiones sub recitatione præcepti Breviarij: certè non poterit ostendi textus Juris id prohibens. Illud verò apud omnes in confesso est, excusari à peccato illum, qui inter orandum vel psallendum facit aliquid spectans ad recitationem Breviarij, ut infra, cùm de integritate Officij, specificabitur. Addunt Sotus, Navarrus, Valentia, Layrvelz, eósque citans Diana *p. 5. tr. 11. resol. 30.* Etiam excusari illum, qui exercet actiones exteriores quasvis, at non advertens per eas impediri attentionem internam: idipsum in simili dicemus infrà §. 4. de ipsis distractionibus internis. Jam jam ad principalem & celebertimam controversiam de attentione ipsâ interna procedendum.

Sententia clemens fideliter proponitur.

AD satisfaciendum præcepto Ecclesiæ in reci- 71
tandis Horis, nullam requiri sub mortali attentionem internam intellectûs, ut proinde mortaliter non delinquat (de venali crassâ irreverentiæ culpâ nemo dubitare potest) qui Officium divinum recitat cum perpetuis voluntariis distractionibus quibuscunque, quantùm est ex hoc capite, docent DD. & gravissimi, & oppidò multi, & quod mireris, D. *Antoninus, Paludanus, Medina, Sylvester, Tabiena, Rosella, Angelus*, alij, ac permulti Recentiores, quos omnes novissimè latè afferunt, & sequuntur Coninck *in 3. p. q. 83. a. 6.* Comitolus *Responsi. Moral. l. 1. q. 63.* Lugo *de Eucharistia d. 22. sect. 2.* Diana *p. 1. de Horis. Resol. 2.* Thomas Tamburinus *l. 4. Dec. c. 2. §. 1. n. 19.* Jo. Caramuel. *Theolog. Regularis num. 1375.* Gobat *disp. 2. n. 295.* Et probabilem censent *Azorius, Lessius, Layman, Ascanius, Tamburinus, Bassæus, Caspensis*, alij, & tandem nos ipsi. Duplex potissimùm est hujus sententiæ fundamentum non contemnendum.

I. Fundamentum præcipuum est; quòd Ec- 72
clesia non possit præcipere actus merè internos, qui ad substantiam physicam vel moralem actuum externorum necessarij non sunt: atqui esto Ecclesia præcipiendo Horas, præcipiat veram orationem, attamen attentio interna intellectûs non est de substantia physica vel morali veræ orationis, quin essentialiter tota orationis vocalis possit consistere cum perpetuis voluntariis distractionibus, & evagationibus mentis. *Major est omnium.* Eo ipso enim, quòd ad substantiam moralem etiam non spectent, non potest præcipere indirectè ad præceptionem actuum externorum, sed deberet præcipere directè, quòd omnium consensu non potest. *Minor probatur*: petitio panis quotidiani continetur in oratione Dominica; si inchoem illam orationem cum expressa intentione totum pronuntiandi & perendi, quidquid in ea continetur, ac nominatim panem quotidianum, sanè quando efferam illa verba: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; repræsentabo Deo petitionem ac desiderium panis quotidiani, licèt tunc nihil cogitem de his verbis, eorúmve sensu, nihilominùs censebor illa verba proferre humano modo. Certè Suarez *l. 4. De Orat. c. 26. n. 4.* contendit naturam orationis vocalis manere in eo, qui inter orandum, deditâ operâ cogitat de rebus pijs, etsi nullo modo per verba significatis: & cur non etiam in eo, qui cogitat de prophanis? nam hic æquè hu mano mo-

dus

Universidad de Deusto
Biblioteca

do profert verba, ac ille: & dum vocaliter dicens *panem nostrum &c.* cogito de inferno, vel resurrectione mortuorum, non magis tunc exprimo coram Deo petitionem vel desiderium panis, quàm si tunc specularer Æneam confligentem cum Turno. Confirmatur 1. Nemo negabit me verè petere à Principe aliquid, quando cum intentione petendi ac manifestandi meum desiderium ac indigentiam, recito coram eo verba, quæ scio esse petitoria, etsi mente ad alia distractissimus. 2. An non incurret excommunicationem fortè latam in blasphemantes vel invocantes Dæmonem, qui cum animo blasphemandi vel invocandi Dæmonem, recitat verba vel carmen sciens ea continere blasphemias vel invocationem talem, etsi tunc distractus, nihil actu cogitet de ijs verbis, vel eorum significato? sicut & excommunicationem latam in loquentes cum excommunicato incurrit, qui etiam distractè loquitur cum ipso. 3. Efficaciter Formula Extremæ Unctionis essentialiter est vera oratio secundùm omnes: atqui ad valorem illius formæ & Sacramenti, nullus hactenus requisivit attentionem Ministri, sed tantùm intentionem juxta litteras Eugenij IV. in Concil. Florent. Quemadmodùm etiam validè absolvit, validè Matrimonium contrahit, distractissimus. Et sine dubio validè Professionem emittit, is, qui coram circumstantibus eam cum animo profitendi recitat, quantumvis distractus. Et tamen verba, quibus utuntur hi omnes, diriguntur ad Deum, vel ad homines. 4. Ex communi consensu SS. PP. & DD. ac ipsius Antagonistæ principalis, ac sequacium, omnes malitiam voluntariæ distractionis inter orandum, constituunt in eo, quòd sit valde indecens loqui cum DEO, & interim mentem aliò avertere: ergo re ipsâ supponunt omnes, etiam voluntariè distractum loqui cum DEO, & orare. Et quis dicat, vel dixit hactenus, eum qui ut primùm orando *miserere* v. gr. admisit voluntarias distractiones, desisse orare?

73 II. Fundamentum alterum est. Quòd non sit adstruenda obligatio mortalis, nisi adigat certa lex, vel ratio convincens: sed in proposito non adest certa lex, nec ratio convincens, ut patebit responsione ad argumenta: ergo &c. Quo ad legem urgetur maximè sæpe dictum *c. Dolentes.* quo per verbum *devotè* videtur significari attentio interna; Sed fatetur ipsemet Suarez *cit. n.* 12. non posse firmum argumentum desumi ex hoc capite: vix enim promulgatum fuit, cùm nobilissimi Canonistæ, Abbas, alij interpretati sunt de devotione externa tantùm; & sanè conformiter textui: nam Clerici contra quos lata est ista sanctio, memorantur effudisse auditum ad indebitos sermones, & in proximo est sermo de illis solis, *eorúmque similibus.* Alij cum Hostiensi dixerunt eô adverbiô *devotè* contineri solùm consilium, non præceptum, quandoquidem *Pontifex* addit: *quantùm eis DEUS dederit*: quam clausulam, si velis haberi pro præcepto, debet is asserere omnem possibilem devotionem, attentionémque esse de præcepto rigidissimo, hoc nemo sanæ mentis dixerit: ergo neque tu. jam verò rationes istæ potissimùm afferuntur à *Suarez & aliis.* Recitatio Horarum sine attentione interna ad verba saltem. 1. Non est oratio: cùm oratio sit elevatio vel ascensio mentis in Deum. 2. Est mera hypocrisis. 3. Est peccatum. 4. Nihil impetrat. 5. Qui flectit genua, & nullo modo attendit ad Deum, nullo modo adorat DEUM: ergo etiam, qui recitat verba Breviarij, & non attendit ad Deum, nullo modo orat. 6. Qui ex voto, pœnitentiâ injunctâ, vel stipendio manuali obligatur sub mortali fundere certas preces, tenetur utique sub mortali excludere alienas cogitationes, & evagationes voluntarias: ergo similiter obligatus persolvere pensum Canonicum.

III. Certè non convincunt istæ rationes. Ad 74 1. Negatur assumptum ex dictis *num.* 1. ad probationem ex D. Damasceno: R. Eum loqui vel de sola oratione mentali, vel de quovis pio motu in Deum, indicans omnem pium mentis in Deum motum esse orationem. Layman. *l.* 6. *tract.* 1. *c.* 1. *n.* 1. Deinde sufficit, ut initio orationis vocalis ascendatur mente in Deum, & deinceps ex vi hujus ascensionis, bonæque intentionis proferantur verba precatoria. Ad 2. negatur assumptum: nam hypocrisis est, cùm quis se simulat aliquid esse vel agere interiùs, quod tamen non est, vel agit. Qui autem orat sine attentione interna non necessariò simulat, vel indicat se interiùs attendere ad Deum vel verba, quod non facit. Ad 3. iterum negatur assumptum. Est enim actus secundùm substantiam bonus, & tantùm secundùm circumstantiam malus & vitiosus. Ad 4. Distinguo assumptum: Talis oratio nihil impetrat, quatenus est sic distracta & vitiosa concedo: at quatenus ex bona intentione, reverentiâ in Deum, obedientiâ, justitiâ proferuntur ea verba modestè, integrè, ordinatè, & cum refrænatione sensuum circa objecta externa distractiva &c. sine dubio potest impetrare nõ unam, sed multiplicem gratiam: etsi per talem orationem distractam homo fortè nihil mereatur. Ad 5. negatur consequentia, & retorquetur argumentum. Qui flectit genua coram idolo proponens flectere in ejus honorem per integram horam, certè dicetur adorare idolum, etsi deinceps nihil cogitet de idolo: cur non idem sit de simili intentione flectente genua coram DEO, ergo similiter, qui cæpit verba precatoria proferre cum intentione explicita vel implicita orandi, vel petendi aliquid à Deo, verè dicitur orare, etsi postea ad Deum vel verba non attendat. Ad 6. negatur antecedens. Quia illa tria obligant, eo modo, quo leges: ergo ut probes ex his enasci obligationem lethiferam istam, debet priùs probari leges humanas posse præcipere, & de facto præcipere istam attentionem internam, & prohibere evagationes internas; deinde concesso antecedente, negari potest consequentia. Quando enim lex divina imperat orationem, imperat sub mortali attentam, ut infrà dicetur. Huic legi divinæ potest se accommodare vovens, pœnitentiam injungens, vel stipendio conducens orationes. Et putat Gobat. *n.* 836. id de facto reipsâ fieri, & testans: *certè quando in sacro Tribunali injungo preces, intelligo devotas devotione internâ*: sicut & Bonacina *d.* 1. *de Horis Canon. q.* 3. *p.* 2. §. 2. Quòd verò etjam Ecclesia sic se conformet legi divinæ præcipiendo Horas Canonicas, hoc ipsum in controversia est.

75 IV. *Conclusio.* Omnibus consideratis, non potest negari probabilem esse istam Sententiam negativam, prout & probabilem censent Authores suprà nominati, & valde probabilem etiam noster Herinx *Tract.* 4. *de Relig. disp.* 2. *q.* 4. *n.* 40. Ratio est: Quia illa Sententia de moribus agens est verè probabilis, quàm à pluribus jam sæculis in hodiernum diem tradiderunt permulti viri clarissimi eruditione, sapientiâ, pietate, non levi ratione ac fundamento: & quidem perspectis argumentis partis adversæ, nullo novo decreto Ecclesiæ adversante: atqui sic est in proposito: hanc enim negativam Sententiam tradiderunt tot DD. suprà nominati: idque non levi ratione & fundamento: ut visum N. I. & II. & certè perspectis argumentis oppositæ Sententiæ, ut patet N. III. atque nullo novo præcepto Ecclesiæ adversante: adeóque ut neque in novissimis propositionibus prohibitis sub Alexandro VII. Anno 1665. & 1666. & Innocentio XI. Anno 1679. hæc Sententia tacta sit. Quare hæc Sententia omnino poterit & debebit servire Confessario, ut eam secuto pœnitenti absolutionem nequaquam neget: saltem quousque experiatur ejus praxin ipsi fieri noxiam. Scrupulosè ea etiam ultrò inculcanda erit, prout alibi monui. Nihilominùs tamen quod scripsi, scripsi, & dico constanter. §. II.

Et omnino etiam interna.

76 I. OMnino probabilior, longè tutior, in praxi omnimodis consulenda & urgenda, & mihi planè vera est Sententia affirmativa communior DD. nimirum in recitandis Horis (idémque audiendâ, & maximè celebrandâ Missâ) sub mortali requiri aliquam attentionem internam. Ita docent D. Thomas *in* 4. *d.* 15. *q.* 4. *a.* 2. *Sotus, Cajetanus, Navarrus de Orat. c.* 13. *n.* 18. Et plerique Patres Societatis, & nominatim ante omnes adeò seriò Suarez sæpe *cit. l.* 4. *de Orat. & Horis Canon. cap.* 26. ut pronuntiet eam Sententiam esse moraliter certam, & oppositam practicè improbabilem. Lessius *l.* 2. *de Just. c.* 37. *n.* 63. Layman. *l.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. Fagundez *de præceptis Ecclesiæ l.* 2. *c.* 7. aliíq; plurimi: quorum Catalogum texunt Bonacina *de Horis Can. d.* 5. *q.* 3. *prop.* 2. *q.* 2. Diana *p.* 2. *tract.* 12. *resol.* 2. Barbosa *in c. Dolentes de celebr. Miss.* & 32. nominans Ascanius, Tamburinus *de Jure Abbatum tom.* 2. *disp.* 10. *quæsito* 2. *n.* 7. alij. Et mordicùs etiam noster Marchant *Tribunal. p.* 2. *tract.* 2. *p.* 2. *tit.* 3. *sect.* 4. *quæst.* 1. ac probabiliorem judicant Herinx *cit. num.* 48. & Gobat *cit. num.* 838.

77 II. Fundamentum oppositum est. Quia longè verius est, Ecclesiam indirectè & concomitanter posse præcipere actus internos, qui spectant ad substantiam physicam & moralem actuum externorum præceptorum, seu quoties actus internus necessarius est ad honestatem actûs externi præcepti, ut sit actus virtutis & idoneus ad finem supernaturalem præcepti: atqui attentio interna omnino etiam requiritur ad honestatem moralem veræ orationis & veri cultûs divini, si non metaphysicè & speculativè, (ut sanè satis efficaciter ostendunt rationes oppositæ Sententiæ) saltem practicè & ut plurimùm: quia, qui non curant attentionem internam, communiter ita incurie, ludicrè, luridè, scurriliter deblaterant sacra verba, ut omnino censeantur moraliter evertere, ac destruere etiam intentionem internam orandi ac colendi DEUM, omnium consensu moraliter requisitam ad veram orationem: quomodo enim syncerè vult DEUM colere, qui ne quidem cogitate vult de DEO, vel cultu DEI, imò qui suis voluntarijs, inutilibus, fortè etiam noxijs evagationibus actu vult DEUM offendere, & de facto offendit saltem venialiter, & persæpe etiam mortaliter: adeò, ut *in* tales planè conveniat, quod ex D. Gregorio refert & approbat D. Thomas 2. 2. *q.* 83. *a.* 13. *Illius orationem Deus non audit, cui, qui orat, non attendit.* Deinde qui alia, dum orat, tractat animo, exponit se manifesto periculo committendi multos errores turpes, omittendo, transponendo, transiliendo verba & versus, & tandem defectu omnis devotionis, & succi interni etiam omnimodæ facillimæ omissionis. Crede Confessarijs expertis. Ergo posito, quòd Ecclesia tales actus internos præcipere possit, rationabilissimum est, quòd præcipiat attentionem internam in persolutione pensi Canonici. Quare meritò Navarrus *cit. c.* 13. *de orat*, aliisque per multis citatis Barbosa *in sæpe dictum c. Dolentes*, ac Gobat *cit. d.* 2. *n.* 838. existimant in eo capite per adverbium omnino *devotè* significari devotionem internam, quæ sola vera est devotio, & sine attentione mentis consistere nequit: exterior autem est tantùm simulachrum devotionis. Et inde Confirmatur: quia Concilium illis prioribus verbis: *Hæc & similia sub pœna suspensionis inhibentes*: jam satis imperavit devotionem externam, dum prohibuit actiones repugnantes; ergo illam solam externam devotionem non iteratò præcipit sequenti gravissimo præcepto; *ut divinum Officium persolvatur studiosè pariter ac devotè.*

III. Confirmatur à priori. Quando DEUS ipse 78 jure naturali, vel positivo obligante sub mortali præciperet aliquam orationem (v. g. ipsas Horas Canonicas) utique præciperet orationem attentam, ut sub mortali requiratur attentio interna, uti bene docent Valentia, Suarez, Lessius *suprà citt.* aliíque citatis, Sanchez. *l.* 7. *Consil. Moral. cap.* 2. *dub.* 28. *n.* 8. Et auderésne tu dicere huic præcepto divino satisfieri oratione, vel potius blateratione, continuis voluntarijs evagationibus quibuslibet lurida, squalida, torpida? Quòd si ergo sit aliquod jus divinum obligans ad orationem, seu cultum divinum de se tamen indeterminatum, & determinandum ab Ecclesia quoad modum & tempus, utique ipsum jus divinum ut sic determinatum ab Ecclesia adhuc obligabit sub mortali ad devotionem & attentionem internam: atqui Ecclesia

Universidad de Deusto
Biblioteca

sub præcepto illo obedientiæ præcipiens suis Ministris, ut Horas Canonicas tanquam veram orationem & cultum divinum, *studiosè celebrent & devotè*, est mera executrix, & determinatrix juris divini naturalis de colendo DEO, & satisfaciendo fundationibus ad divinum Officium factis: utrumque enim est juris naturalis; hoc Justitiæ, illud Religionis: ergo præceptum illud saltem indirectè & vi legis divinæ latentis sic ab Ecclesia determinatæ, verè obligat sub peccato, & quidem in materia gravissima, sub mortali. Dato ergo attentionem internam non esse de substantia orationis cujusvis (ut bene suadent rationes oppositæ Sententiæ) non tamen sequeretur, non esse de substantia hujus orationis præceptæ.

79 IV. *Conclusio.* Sit ergo oppositа Sententia, & maneat probabilis speculativè. Hanc ego omnino veram judico practicè. Nam veram orationem, quæ sit verus DEI cultus, cum sincera intentione orandi & colendi DEUM, ac religiosum cum DEO colloquium consistere posse absque omni attentione interna in homine, qui voluntariè distractus circa objecta quæcunque, etiam mala, ne quidem vult cogitare de DEO, non patiar mihi persuaderi in æternum. Repugnat enim in S. Scriptura optimè fundatus sensus SS. Patrum ac piorum omnium. Audi os aureum D. Joan. Chrysost. *hom. 79. ad populum Antioch.* in hæc omnino verba differentem: *Quæ enim excusatio & venia dabitur nobis, si cum amico loquentes, adsumus animo, mentémque adhibemus, cum DEO verò colloquentes animo in rebus indignis peregrinamur? posséque tam fœda, & turpis esse peregrinatio illa mentis, ut duplicis sceleris seu lethalis culpæ labem haberet; unam verbi causâ, cogitati, optatique stupri seu homicidij, alteram insignis injuriæ, quâ divinæ preces, Psalmi, sacræq; Scripturæ verba, tunc afficiuntur.* Hæc Sanctus, sanctè & verissimè.

§. III.

Saltem superficialis cum intentione orandi & colendi DEUM.

801 AD implendum totum præceptum Horarum Canonicarum sufficit attentio superficialis ad verba ritè proferenda, cum pia illa intentione orandi & colendi Deum, ut nimirum quis moraliter advertat se debitè omnia pronuntiare secundùm præscriptam verborum formam, ne error aliquis contingat, omittendo, mutilando, transponendo (cujus erroris, quia majus periculum est, cùm quis memoriter recitat, ideo speciales indulgentiæ concessæ sunt à Pontificibus, totum Officium ex libro recitantibus) Ita communissima DD. apud citatos, contra paucos infrà nominandos. *Ratio est*: quia attentio hæc superficialis cum dicta pia intentione facit orationem perfectam quoad substantiam, DEOque pergratam, ut patet in Monialibus & aliis Horas ignoto idiomate psallentibus. Et qui ita religiosè cum pia DEUM colendi & orandi intentione attendit ad verba, eo ipso etiam implicitè saltem & virtualiter attendit etiam ad ipsum DEUM finem orationis, quod ad veram orationem sufficere diximus superiùs. Deniq; quòd Deus, vel Ecclesia plùs requirat, ex nullo capite constat.

II. Non ergo necessaria est attentio alia vel lit- 81
teralis, vel spiritualis suprà explicata, (ut contra Valentiam, Ant. Molinam & alios apud Suarez *l. 3. de Orat. cap. 4. n. 14.* ex communi docet Gobat *cit. n. 837.* Et ratio manifesta est in indoctis, & illiteratis, maximè Monialibus, qui sine dubio præcepto satisfaciunt, & verè orant attentione superficiali ad verba, & implicitâ saltem ad finem Deum, dum intendunt, eóque ipso advertunt aliquo modo, se eâ actione & recitatione colere Deum, & orare: imò tanta sæpe est sententiarum divini Officij profunditas, ut earum sensus & mysteria vix doctissimis pateant: unde etiam docti eam attentionem licitè omittunt: tum quia necessaria non est, tum ne nimia illa attentio caput gravet, vel lædat.

III. Nec obstat, quòd in sæpe dicto *Canone De-* 82
lentes tam districtè præcipiatur, ut Clerici divinum Officium, *quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent ac devotè.* Nemo enim dicet præcipi sub mortali tantam attentionem animi & devotionem, ad quantam quis juvante gratiâ divinâ ascendere posset; alioquin non possent Confessarij, nisi forte de uno ex mille, prudenter judicare, quòd non peccâsset mortaliter quotidie in recitatione divini Officij: ergo illa clausula, *quantùm eis DEUS dederit*, debet haberi pro mero consilio & adhortatione ad melius esse. Sanè judice Gobat *loc. cit.* qui ab attentione superficiali non ascendit ad litteralem vel spiritualem, non videtur magis peccare, quàm is, qui orat tria Ave Maria, cùm facilè posset orare quatuor, vel quinque.

IV. Omnium tamen consensu, optima & con- 83
sultissima est illa attentio vel litteralis ad verborum & sententiarum sensum, vel spiritualis ad DEUM, sensus mysticos, mysteria, affectus &c. & multò magis, quam aliæ disparatæ piæ meditationes voluntariè assumptæ. Cùm enim difficile & crudum valde sit tam diu attendere ad nuda verba vel DEUM orandum, absque eo, quòd mens aliqua circa verba, vel DEUM meditetur, & cogitet: ideo doctioribus consulenda maximè est attentio commoda litteralis vel spiritualis: simplicioribus autem vel rudioribus, & maximè in ignoto idiomate recitantibus Monialibus consultum est assumere pias meditationes circa res divinas & maximè circa mysteria tali tempore vel festo die celebrata: atque omni tempore circa mysteria Passionis Christi per Horas distributa & repræsentata. e. g. in Matutino, sub primo nocturno orationem Christi in horto, sudorem sanguineum: sub secundo, captivitatem, deductionem primò ad Annam: sub tertio, gesta apud Caipham: sub Laudibus, illusiones & afflictiones noctis illius. Ad Primam, gesta apud Pilatum & Herodem. Ad Tertiam, flagellationem, coronationem, præsentationem. Ad Sextam, Crucis bajulationem, crucifixionem, elevationem. Ad Nonam, septem verba, agoniam, mortem Christi. Ad Vesperas, transfixionem, depositionem de cru-

ce in

ce in sinum Matris. Ad Completorium, sepulturam. Tenta modò, docebit unctio etiam sententiarum sensum simul pulchrè observare, expertis crede.

§. IV.

Saltem virtualiter continuata.

84 SIne omni dubio vel controversia, non requiritur attentio actualis semper durans, ut scilicet quis per totum Officium recitandum attendat actu semper ad omnia verba, vel DEUM: imò hæc attentio continua ob naturalem mobilitatem & instabilitatem mentis humanæ naturaliter vix possibilis esset, ideoque sub humano præcepto cadere non potest, sed omnium consensu sufficit, quòd intentio semel habita virtualiter & moraliter perseveret, ut nimirum voluntariè quis nunquam cessat attendere per voluntarias distractiones vel evagationes mentis ad alia objecta vel actiones aut occupationes cum oratione incompossibiles: adeò, ut licèt quis naturali infirmitate evagetur non parvo spatio, tamen advertens suas evagationes mox resistens, vel displicent â habitâ mentem ad orationem revocet, vel revocare conetur. Nam ut advertunt *Navarrus, Suarez, Layman citt.* alij passim, non raro accidit, ut distractio omnino involuntaria perseveret notabili tempore Horarum sine omni culpa. Tamdiu ergo attentio virtualis habetur, & perseverat, quamdiu aliquis involuntariè distractus est, & manet, omnisque culpa aberit. Imò secundùm aliquos mox infrà nominandos, etiam tunc, quando quis voluntariè quidem, at non deditâ operâ evagatur.

85 II. Peccant ergo omnino mortaliter, quicun- 85
que intra recitandas Horas Canonicas per notabile tempus (quale nimirum sufficeret ad omissionem mortalem, aut certè paulò amplius juxta dicenda suo loco infrà) omnino voluntariè distracti manent cogitationibus vel occupationibus mentis à divino cultu & oratione omnino alienis, sic ut ad debitam prolationem verborum, vel DEUM minimè attendant. Sic DD. omnes pro nostra Sententia citati, & rationibus datis §. 2. Obviæ sunt horribiles sententiæ Patrum. D. Chrysostomum ibidem in fine audisti. Idque verum est, sive distractiones illæ & evagationes mentis sint voluntariæ directè, dum quis scilicet deliberatè ex proposito non vult attendere, sed datâ operâ & studio vult alia cogitare, vel agere à divino cultu & divino Officio aliena vel contraria, secundùm omnes: sive sint voluntariæ indirectè in causa positiva, ut dum quis ante vel intra divinum Officium ipsemet sciens & volens dat causam distractionibus necessariò secuturis: utpote qui immediatè à lusu, confabulationibus, aliisve negotijs, absque omni præparatione vel collectione mentis necessariò mansuræ distractæ ad Officium properat: qui intra Officium divinum, actionem vel occupationem divino cultui & orationi repugnantem assumit, uti sunt legere alia, confabulari &c. de quibus §. 1. Sive denique sint voluntariæ negativè solùm: ut dum quis intra divinum Officium advertens se mente distrahi, negligit mentem revocare, & crassâ ac supinâ negligentiâ permittit se distractionibus evagari. Nam & his deest devotio interior, & ubique negligentia crassa habetur pro actu voluntario, ideóque in materia sufficiente, mortalis. Ita communis DD. nostræ Sententiæ, ac ipse Gobat *n. 840.*

III. Contrà verò tunc solùm peccari mortali- 86
ter, quando quis datâ operâ, ex proposito, ex inducit ea, sciens & volens mente evagatur; non item quando solùm ex supina negligentia permittit animum evagari & abripi ad objecta impertinentia, docent Cajetanus *v. Horæ Can. n. 11.* Emmanuel Sa. *eodem v. n. 19.* Sanchez *l. 7. Consil. Moral. c. 2. dub. 28.* eósque secutus Leander *d. 4. q. 14.* Rationem dant *Sa & Sanchez*: quòd licèt in alijs materijs negligentia supina æquiparetur voluntario, in hac tamen non æquiparari, eò, quòd alioquin nimis multi orirenter scrupuli. Sic illi. Sed ego cum Gobat *n. 140. in fine*, minimè assentior. Insuper sub peccato mortali prohiberi ab Ecclesia solùm distractiones, quæ causantur per actiones externas, suâpte naturâ incompatibiles cum attentione interna, disertè docet Sotus apud Gobat *ibidem num. 841.* probabile censentem, eò quòd illæ solæ indirectè prohibeantur ab Ecclesia directè prohibente distractiones externas, & sic satisfiat cõtextui & sensui *cap. dolentes.* Quare si servatâ externâ attentione & exclusione externorum actuum incompatibilium cum oratione & attentione interna, solùm interiùs evageris, non peccabis mortaliter secundùm hanc Sententiam, speculativè quidem probabilem, sed vix differentem à Sententia oppositа nullam internam attentionem sub mortali requirente. Quæso cogita, Probabilius & verius est, quod sequitur.

IV. Si inter recitandum deliberatè quidem fo- 87
veas alienas cogitationes, attamen non advertas, te per illas planè deficere ab attentione interna requisita, meritò excusaris à mortali. Ita post Cajetanum, Sotum, Armillam, Navarrum, Suarez, aliósque doctos, Sanchez *cit. l. 7. Consil. Moral. c. 28. n. 11. Filliutius, Bonacina, Leander* apud *Gobat cit. n. 840.* consentientem. Ratio est: quia ei, qui non advertit se ab oratione distrahi, potest quidem ipsa evagatio & inhæsio in alienis cogitationibus esse voluntaria, in quantum est inhæsio in illis: at potest tamen etiam esse involuntaria, in quantum per eam homo avertitur ab oratione & attentione ad rem, quam debet attendere. Certum enim est, posse hæc duo separari, ideóque eorum conjunctio non censebitur tibi esse voluntaria, nisi agnoscas, & advertas, te per illas cogitationes deficere ab attentione debita, quod valde notandum pro conscientiosis. Addo breviter documenta aliqua practica profutura partim omnibus, partim maximè scrupulosis. 1. Modò quis inceperit Horam cum intentione orandi debitè, quoties deditâ operâ mentem non divertit, licèt per totam orationem distractus, non peccat mortaliter. ita multos afferens Sanchez *l. 7. Consil. moral. c. 2. dub. 28. num. 10.* loquentes de omnibus. Gobat tamen *cit. n. 145.* meritò intelligit de scrupulosis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

puloso, & quovis solito recitare piè. 2. Dummodò adhibeas mediocrem diligentiam pro ampellendis distractionibus te vexantibus, & non supinâ & crassâ negligentiâ te evagari sinas, eris excusatus apud DEUM, nam neque Ipse, nec Ecclesia plùs à te requirit. Sanchez *ibid. n. 13.* post Navarrum & alios meritò non restringentes ad solos scrupulosos. 3. Quin imò absque culpa poterit admitti aliqua brevis evagatio mentis ad refocillandum cerebrum vel cor. Idem *ibidem n.* 10. post Gersonem. Idémque censet Suarez ipse *l.* 4. *de Horis, c.* 24. *in fine.* si interrumpendo Horam beviter aliquid annotes, vel famulo mandes ad quietandam mentem turbatam & sollicitam, ne obliviscaris. 4. Quamdiu scrupuloso evidenter non constat, quòd mutaverit propositum recitandi attentè, vel advertens, sciens, volens inhæserit cogitationibus planè alienis inter recitandum divinum pensum, credere potest, se suæ obligationi fecisse satis. Suarez *cit. l.* 4. *c.* 26. *n.* 20. Gobat *n.* 44. Ex communi DD. in materia de conscientia scrupulosa.

§. *Quid tandem de Restitutione & repetitione Horarum distractè recitatarum?*

88 I. CLericus Beneficiatus, qui cum voluntarijs perpetuis distractionibus recitat Horas Canonicas, etsi in nostra veriori Sententia peccârit mortaliter, modò tamen integrè, & cum pia DEUM colendi ac orandi intentione recitet, ad nullam obligatur restitutionem fructuum. Ita contra Suarez *cit. c.* 16. aliósque plures citantes Sanchez *cit. l.* 7. *cap.* 2. *dub.* 30. Barbosam in *cap. Dolentes.* Communior & longè probabilior ac omnino tuta Sententia DD. D. *Antoninus, Hostiensis, Major, Gerson, Corduba, Medina, Sotus, Toletus,* pluréscque citantes Navarrus *de oratione c.* 10. *n.* 31. Layman *l.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 10. Gobat. *cit. n.* 842. Ratio optima est: quia leges odiosæ, præsertim pœnales, non sunt extendendæ ultra proprietatem verborum, sed potiùs intra eandem proprietatem restringendæ, juxta plurimas leges, & textus juris, quos congerit Gobat. *Clypeo Clement. Jud. p.* 1. *Sect.* 4. & 5. Atqui sacri Canones præcipientes restitutionem fructuum ob neglectum pensum Canonicum expresè solùm loquuntur de *non reciante, non dicente, omittente vel intermittente,* ut omnis fatebitur, qui legit verba Concilij Lateran. sub Leone X. *s. ff.* 9. §. *statuimus.* & Bullam Pij V. *ex proximo*, apud Navarrum *c.* 25. *Man. n.* 122. Contrà verò Canones præcipientes attentionem in Horis, nullam faciunt restitutionis mentionem. Certè autem impropriè, imò ineptè diceres, illum non recitâsse, vel omisisse Officium divinum, qui recitavit cum distractionibus voluntarijs: quomodò enim dicis recitâsse distractè, si *non recitavit, si omisit, intermisit*: ergo &c. Adde, quòd obligatio restitutionis non sit imponenda maximè à Confessario, nisi cogat indubitata veritas, ut post Graffium & Polancum bene probat Gobat. *loc. cit.*

8 II. Ijdem tamen beneficiati, omnésque divino Officio adstricti, qui ita luridè cum voluntarijs distract,ionibus totum, vel notabilem partem recitârunt, si postea certò constet ita voluntariè distractos fuisse, obligantur Horas, vel partes notabiles sic voluntariè distractas repetere sub mortali. Ita communiter DD. nostræ Sententiæ, ac pluribus citatis Navarrus *De Horis Can. c.* 20. *n.* 31. Suarez suprà, alij passim. Ratio est: quia talis non satisfacit præcepto, quoad substantiam, cùm non oraverit vere, juxta dicta §. 2. At, inquies. Ergo, si non repetam ego beneficiatus, tenebor restituere fructus? contra paulò ante dicta. Negatur consequentia: quia obligatio restitutionis fructuum est propter omissas, seu non recitatas Horas; obligatio autem repetitionis est propter malè recitatas Horas insufficienter ad substantiam præcepti, & non propter omissas: alioquin non esset obligatio repetitionis, sed persolutionis.

III. Dixi tamen: *si postea certò constet ita voluntariè distractos fuisse &c.* Nam in dubio, & pro scrupulosis passim ab omnibus admittitur Regula generalis suprà insinuata. *Quotiescunque quis non potest certò affirmare, se voluntariè, deliberatè, & cum pleno consensu distractum fuisse in Officio, vel notabili ejus parte* (aut etiam ex distractione aliquid omisisse, de quo tamen postea) *non tenetur aliquid repetere, sed potest præsumere se præcepto satisfecisse.* Ratio est: quia in ejusmodi maximè dubijs melior est conditio possidentis suam libertatem, idque maximè in præceptis Ecclesiæ piæ Matris, quæ non censetur velle suos obligare cum tantis anxietatibus. Unde talem etiam meliùs facere, si nõ repetat, ad vitandas ejusmodi anxietates ac scrupulos, ex Binsfeldio rectè monet Layman *loc. cit.*

IV. Insuper simpliciter talem nihil teneri repetere, apud Navarrum *cit.* docent Hostiensis, D. Antoninus & Joannes Medina, quibus triumviris te tutò posse adhærere censet Gobat. *sæpe cit. disp.* 2. *Trigan.* 843. Ratio est: quia talis adhuc explevit substantiam legis de recitatione Horarum, & solùm defecit in modo recitandi attentè, ad cujus legis iterandam, expletionem te nullum jus cogit, ait Gobat: *ibidem* (addens id verum esse, etsi tuas distractiones culpabiles agnoscens dixisses: *nolo valere hanc recitationem, volo, promitto, obligo me denuò dicere totum*) Idipsum quoad Beneficiatos in Choro persolventes, etsi non exprimat, tamen clarè insinuat Layman *cit. c.* 5. *n.* 11. *in fine*: ubi bene advertit, discrimen esse inter confessionem annuam scienter invalidè factam, quæ nullum omninò fructum habet ab Ecclesia intentum, & ideo necessariò repetenda est; & inter cantum publicum, cui privata recitatio respondet: nam si externè cum decore fiat, non caret omni fructu & intentione Ecclesiæ. Certè Ecclesia non sine fructu colit DEUM per organa, aliáque instrumenta Musica: quorum instar ad minimum se habebunt illi cum voluntarijs quidem distractionibus internis, externâ tamen debitâ compositione & decore psallentes, & recitantes Horas ac laudes DEI. Magnum enim inde emolumentum Ecclesiæ, cultûs divini, ædificationis populi &c. Ego probabilissimum judico, hanc Sententiam servire posse Confessario, ut taliter recitantes non urgeat ad repetitionem Horarum: præsertim si affirment, se sequi

sequi oppositam Sententiam probabilem; nimirum sub mortali non requiri attentionem internam in Horis, ut §. 1. in fine monui. Et hactenus utique satis de prima conditione recitandi Horas *Devote.* Sequitur tandem explicanda altera conditio *studiosè*, quæ similiter duo involvit in Resolutione expressa, scilicet *quoad materiam integrè, & quoad formam rite, ordinatè &c.* sit ergo

SECTIO III.

Qualis Integritas materiæ servanda in recitandis Horis?

SUMMARIUM.

91. *Omittens omnes Horas culpabiliter, probabilius unum tantùm committit peccatum mortale.*
93. *Quæ censeatur pars notabilis sufficiens ad mortale? &*
94. *Quæ non notabilis?*
95. *Ad culpam perinde est, sive pars notabilis in eadem Horâ omittatur, sive in diversis.*
96. *Qui omisit partem notabilem, non tenetur altero die supplere.*
97. *Quid de dubitante, an omiserit aliquid, nec ne?*
98. *An occupatus circa alia ad Chorum spectantia, teneatur repetere?*
99. *Quæ solo organo, vel alio instrumento personant, ab alijs sumisse dici debent.*
100. *Quàm distinctè dicendi omnia pronuntiari, & qualiter in hoc defectuosi peccent? Usque ad n.* 104.
104. *Qualiter posse, & debeant dici Officium cum socio, vel socijs?*
106. *Recitans cum socio, vel Choro, sub mortali obligatur attendere ad illum.*
107. *Si te attendente, alter non attendat, te non audiat, nec orandi intentionem habeat &c. tu adhuc satisfacis.*
108. *Qualiter Canonici se in Choro habere debeant.*
110. *Recitans solus, quam altâ voce uti debeat?*
111. *Quantum valeat privilegium à Leone X. datum Ff. Minoribus persolvendi Horas mentaliter?*

RESOLUTIO V. SPECIALIS.

HOræ *sub mortali recitandæ sunt integrè, id est, nihil notabile omittendo, aut omissum quid notabile, eâdem die supplendo: omnia distinctè enuntiando: aut pronuntiantem socium, vel alterum Chorum attendendo: quoad vocem vel cantum obligationi satisfaciendo.* Ita communiter omnes. ut patebit explicatione solitâ.

§. I.

Nihil notabile omittendo.

92 I. EUm, qui culpabiliter omittit integrum Officium divinum, peccare mortaliter, omnium sensus & consensus est: quoad numerum tamen peccati, duplex est modus dicendi. *Cajetanus, Toletus,* alij cum Lessio *l.* 2. *c.* 37. *n.* 53. volunt tot esse præcepta distincta, & consequenter tot peccata distincta in Confessione numeranda, quot sunt, & omittuntur Horæ, nimirum septem. Alii autem communiùs & verosimiliùs dicunt, totum Officium præcipi unico præcepto, ac proinde unicum esse peccatum mortale omittere totum Officium, etsi graviùs substantialiter, ut ex se patet. *Sylvester, Navarrus, Suarez, Vasquez, Bonacina,* alij passim cum Tamburino. *l.* 2. *Decal. c.* 5. §. 2. *n.* 9. *Gobat.* Ratio est: quia ex instituto Ecclesiæ omnes Horæ unum Officium complent, tanquam unum formale objectum unius debiti, & unius omissionis. At tenebórne necessariò in confessione explicare, me omisisse totum Officium divinum? R. teneberis in communiori & veriori Sententia circumstantias notabiliter aggravantes necessariò esse explicandas in Confessione: non autem teneberis in Sententia probabili oppositâ, sed sufficeret dicere, peccavi mortaliter omissione divini Officij. *Lugo de Pœnit. d.* 26. *n.* 547. Diana *p.* 2, *tr.* 12. *resol.* 23. Nam totalitas est tantùm circumstantia aggravans inter eandem speciem. Supposito semper, quòd sub una volitione nunquam revocatâ totum Officium omiseris. Secùs esset, si disparatis & innovatis intentionibus seu volitionibus totum Officium omittas, vel plures Horas. Ut si voluntariè omissâ unâ Horâ, Matutino v. g. postea pœnitens proponeres recitare reliquas, easque rursus voluntariè omittens, non est dubium fore distincta peccata ratione voluntatis distinctæ, ideóque distinctè exponenda in Confessione. Ex communi doctrina in materia de peccatis, eorúmque distinctione.

II. Etiam omittens notabilem partem Officij 93
divini peccat mortaliter citra controversiam. Notabilis autem pars sufficiens ad omissionem mortalem rectè statuitur una Hora minor, aliáque pars æquivalens. Ita (contra Caramuel. Marchinum, alios Recentiores negantes & plùs requirentes, nimirum quartam partem, vel tertiam totius Officij) omnino communis DD. & teste Suarez *l.* 4. *de orat. c.* 25. *n.* 15. Omnes. Intellige, suo tempore. Et 24. recitat Diana *p.* 6. *tr.* 6. *resol.* 6. Lessius *l.* 2. *c.* 17. *dubio* 9. Bonacina *disp. de Horis Canon. q.* 5. *propos.* 1. Tamburinus *l.* 2. *Decal. c.* 5. §. 2. *n.* 11. alij infrà citandi. Ratio est: quia licèt una Hora minor, Nona v. g. vel Completorium respectu totius Officij non videatur notabilis pars, attamen secundùm se sumpta, & spectato fine Ecclesiæ, quæ præcipiendo voluit, ut à Clericis, singulis statis diei Horis peculiaris cultus, & ratione particularis mysterij DEO offeratur: à quo fine notabiliter deficit, qui unam etiam Horam minorem, Laudes integras, integrum Nocturnum, aliámve simílem æquivalentem partem omittit, omnino censeri debet pars notabilis. Quin *Suarez, Reginaldus, Escobar,* Diana *p.* 1. *tract.* 12. *resol.* 41. volunt sufficere ad mortale, si in parvis Horis media pars, at in reliquis tantum, quantum æquivalet uni integræ Horæ, omittatur. Item noxæ lethalis damnat Suarez *cit.* omittentem integrum Nocturnum. Escobar. *tract.* 5. *examine* 6. *n.* 59. omittentem quatuor Psalmos longiores, vel tres Lectiones cum Responsorijs. Layman *l.* 1. *tract.* 4. *c.* 19. *n.* 6. omittentem novem lectiones. An tu etiam omittentem Vesperas Sabbathi sancti? meritò negat tantam culpam Tamburinus *cit c.* 5. §. 2. *num.* 11. cum sit tam exiguæ partis omissio, dies tam lætus, præcesseritque tam longum Officium, ait Gobat *n.* 609.

III. Contrà ergo minus, quam integra Hora 94
minor, non erit pars notabilis & sufficiens ad omissionem mortalem, adeò, ut nisi omittas plus quàm dimidium Horæ minoris, seu quantum notabili-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tabiliter non adæquat Horam minorem, non sis condemnandus peccati mortalis. Sic *Bonacina*, *Lessius*, *Tamburinus cit.* Marchant *Tribun. p. 2. tr. 2. tit. 3. sect. 2. q. 3. Castro-Palaus*, *Tiberius*, *Bonartius apud Gobat. n. 611.* consentientem & approbantem verba Bonartij. *Probabile mihi videtur non incurri hac in re peccatum mortale, nisi aliqua Hora ferè integra omittatur, vel aliqua pars Horæ majoris illi respondens, unde qui ex Tertia recitat saltem usque ad primum Psalmum inclusivè, imò unum illius Psalmum, non videtur peccare mortiferè.* Sic Bonartius prudenter contra Navarrum, & alios rigidiores. Ratio est: quia omnes Horæ Canonicæ ex institutione Ecclesiæ unum unius diei Officium constituunt, hinc notabilis pars omissionis, vel gravitas materiæ omissæ, non respectu singularum Horarum præcisè, sed simul conjunctim respectu totius Officij expendenda est, quantùm nimirum notabiliter nocet fini ab Ecclesia intento: atqui sicut respectu totius Officij, & spectato fine ab Ecclesia intento quælibet Hora, etiam minor, reverâ est notabilis pars: ita notabiliter minus, quàm Hora minor, non potest ampliùs censeri pars notabilis, vel materia gravis, licèt reverâ quid notabile sit respectu ipsius Horæ minoris. Et quis credat, Ecclesiam esse tam duram Matrem, ut æternis ignibus velit addicere omittentem minus, quàm dictum est? quis probabit consuetudinem esse tam rigidam? Cæterùm, si modicum tantùm quid Horæ minoris recitas, v. g. initium, Hymnum, aliquot versus Psalmi, censeberis totam negligere, & mortaliter delinquere, quia tam modicum pro nihilo reputatur.

95 IV. Perinde est ad culpam, sive notabilis pars suprà designata omittatur in eadem Hora continuè & consequenter, sive discretè per intervalla. Qui enim per plures diversas Horas, Psalmum, vel partem aliquam culpabiliter omittit hinc inde, quæ partes hinc inde omissæ simul sumptæ adæquant materiam notabilem, v. g. unius Horæ minoris, vel amplius, utique peccabit mortaliter: quia licèt secundùm se seorsim sumptæ non sint partes notabiles, simul tamen aggregatæ notabilem divini Officij partem constituunt, omissio ex respectu ad totum Officium expendi debet. Excipiendi tamen illi, qui in aliquo ministerio ad Chorum spectante occupati sunt, de quibus & alijs mox § sequenti. Denique omittens diebus Rogationum, & S Marci Lytanias majores, & die animarum Officium defunctorum, peccat mortaliter juxta communem & veriorem Sententiam. Suarez *cit.* Sanchez *l. 7. Consil. Moral. dub. 27.* Tannerus *tom. 3. d. 5. q. 1. num. 147.* Tambur. *cit. num. 14.* Contra *Graffis*, *Molvesium*, *Homobonum*, *Macignum* apud Dianam *cit. Tract. 12. resol. 42.* Quorum opinioni ipse concedit probabilitatem, & non audet negare Tamburinus *cit.* & Gobat *n. 625.* Et respectu Lytaniarum vera est, quando non instituitur processio. Suarez *cit.* Nam dicitur in Rubrica. *Qui non interfuerint Processioni, dicant Lytanias privatim.* Addit Gavantus *in Rubric. Breviarij sect. 6. c. 16.* S. Congregationem declarâsse, teneri repetere, vel dicere privatim, qui interfuerunt quidem processioni, at non cecinerunt. At certè hæc declaratio non servatur in Germania. Notent tamen Religiosiores.

§. II.

Aut omissum quid notabile, eodem die supplendo.

96 I. QUi unam vel alteram Horam, aliámve notabilem partem Breviarij culpabiliter, vel etiam inculpabiliter ex oblivione, vel occupatione omisit, & eodem die recordatur, ad evadendum peccatum mortale, tenetur adhuc supplere; at nihil ampliùs altero die: cùm Officium cujusque diei affixum, eóque evolante evolet obligatio, ut praxis probat. Idipsum contra Tannerum Præceptorem censet Discipulus Layman *l. 4. tract. 1. c. 3. n. 9.* de illo, qui omisit primas Vesperas festi alicujus: hæc enim spectant ad Officium diei præcedentis, alioquin careret hic integrâ Horâ; esto quoad solennitatem vendicet sibi sequens dies festus.

97 II. Qui simpliciter dubitat, an dixerit al quam Horam, v. g. Vesperas, ita ut nullam pro se habeat rationem vel conjecturam, tenetur repetere secundùm omnes. Quia præceptum est in possessione, cujus certa obligatio, dubia solutio. At verò si habeat pro se rationem aliquam vel conjecturam ad credendum se dixisse, non obligari, imò malè facturum repetendo, docet Sanchez. *cit. l. 7. Consil. Moral. c. 2. dub. 34.* Tandem multò magis, qui sciens se dixisse aliquam Horam, & solùm dubitat, an integrè dixerit, non aliquid omiserit, nihil tenetur repetere, ut jam suprà insinuatum ex Navarro *c. 13. de Orat.* Sanchez *cit. modò.* Layman *cit. c. 5. n. 11.* Ratio est: quia polito principali facto in dubio præsumitur accessorium ex communiter contingentibus. At verò ipsum factum principale in dubio non præsumitur. Ex communi doctrina, in materia de Conscientia probabili.

98 III. Qui ministerio ad ipsum Chorum spectante occupatur, ut libros, luminaria, prunas, thus parando, thurificando, tollendo folles organorum, pulsando campanas, Lectiones, Responsoria, Antiphonas canendas prævidendo, ne aliàs erret cum confusione Chori &c. non tenetur repetere ea, quæ alij ipso etiam non audiente canunt. Nam Chorus, cui inservit, canit pro ipso, ejúsque vicem supplet. *Toletus*, *Rodriquez*, & communis cum Layman *cit. c. 5. n. 7.* Escobar. *cit. n. 70.* Diana *p. 2. tr. 12. resol. 12.* Navarrus quóque *de Orat. c. 22.* licèt moneat omissa pluscula suppleenda esse, non tamen audet obligare sub peccato. Sanchez quóque *cit. dub. 15.* etsi solus hoc restringat ad casum, quo illa non potuerunt prævenire, addit tamen etiam *ibidem n. 3.* etsi Psalmus integer recitetur, dum quis tussit, excreat, aut aliquid necessarium alteri dicit, haud tamen quidquam esse necessario repetendum: quia etiam pro tali necessitate occupato, Chorus supplet. At certè repetere tenetur omissa, qui confessiones interim audit,

dit, hoc enim non est servire Officio publico. Attamen saltem excusandus tunc, dum unus duntaxat altérve Psalmus decantatur, & attendit ipse, quantùm potest, ait Gobat *cit. n. 706. fine.*

99 IV. Quæ solo organo vel alio instrumento musico sine voce humana personant, seu potiùs quando loco Antiphonarum, Antiphonæ, versûs, Hymnorum, Canticorum &c. solum pulsatur organum vel aliud instrumentum musicum, debent à singulis submissâ voce recitando suppleri: quia sola organi pulsatio non est oratio, nec attendendo ad organum, attendis orationi. Ita communis DD. *Navarrus*, *Suarez*, *Layman*, *Bonacina*, *Castro-Palaus*, *Escobar*, *Tamburinus loc. cit.* apud Gobat *n. 704.* apertè tamen repugnante Sanchez *cit. l. 7. c. 2. dub. 16.* nec improbabiliter: siquidem Ecclesia illum sonum organorum accipit loco vocum ad cultum & laudem DEI. Unde post ipsum Navarrum, Sotum, alios idem Sanchez *ibidem* tradit, Organædum non obligari ad repetenda, quæ ipse pulsavit. Vide etiam Busenbaum *l. 4. c. 2. a. 3.* Quin insuper aliquid apud Pellizarium *Manual. Regul. to. 1. tr. 5. c. 8. n. 42.* & Tambur. *cit.* non improbantem probabile censent, quosvis Clericos vel Religiosos, quando Musici integram Horam, Vesperas v. g. solemniter cantant, satisfacere, si solùm Religiosè assistant, & attendant: imò etiam, si solâ externâ devotione & attentione, non notabiliter fabulando, legendo alia &c. etsi internè non attendant: sed hoc posterius probare non possum, & cum Gobat *n. 705.* probo praxin contrariam omnium bonorum. Illud certum, si solùm Antiphona, Versus, Canticum, Magnificat musicaliter cantetur, satisfacere præsentes solùm attendendo, eò quòd Musica tunc vicem præsentium suppleat, & velut solemnizet. Sed tu, si sapis, æmulare charismata meliora.

§. III.

Omnia distinctè pronuntiando.

100 AD integritatem divini Officij etiam spectat, quod recitari debeat distinctè exprimendo singula verba & syllabas intelligibiliter moraliter, sine syncope & mutilatione verborum, uti graviter præcipiunt SS. Canones. *Clement. sæpe cit. c. Dolentes.* Consil. Basileense §. *qualiter Horæ*: ubi graviter monentur Clerici, ut Horas persolvant, *non in gutture vel inter dentes, seu deglutiendo aut syncopando dictiones & verba, sed reverenter verbis distinctis, sive soli, sive sociati, cum alijs, Officium diurnum, nocturnumque persolvant.* Quare qui per magnam Officij partem ita transcurrunt syncopando, mutilando, truncando, glutiendo syllabas, verba, versus medios voluntariè & culpabiliter, posse peccare mortaliter, monent DD. communiter. Suarez. *c. 13. n. 110:* Layman *cit. c. 5. n. 8.* Marchant. *cit.* alij passim. Ex g. Sacerdos ita Psalmos transcurrit, ut solùm proferat initia versuum & finem, intermedia glutiendo, si ita per totum ferè Officium, aut notabilem valde partem faciat sic, ut magna & quandoque vix media pars versuum vel verborum bene expressa sit, omnino mortaliter deliquisse censendus est. Quia notabilem Officij partem omisit, prout etiam advertit Lessius *l. 2. c. 37. dub. 10. num. 56.* ac proinde Horas sic malè blateratas repetere tenebitur.

101 II. Eadémque ratio est de eo, qui cum socio recitans Officium, nondum absoluto socij versu suum præproperat notabiliter incipere: si enim per notabilem Officij partem, non sine notabili Officij diminutione ita faciat, graviter peccabit: sic enim recitationem socij totam non percipiendo non facit suam: alioquin liceret socio, vel Choro cantante unum versum, simul recitare alterum, & sic præceptum Ecclesiæ notabiliter eludere. Communis DD. *Azorius*, *Toletus*, *Filliutius*, eósque citans Bonacina *Disp. 1. de Horis Canonicis q. 3. prop. 2. §. 1. num. 4.* At inquis. Ego quidem mea ritè pronuntio: at socius meus ita præcipitat, deblaterat &c. & tamen debeo cum ipso recitare, quippe Domino Prælato meo? Casum proponit Navarrus Manual. *c. 25. n. 99.* Et respondet, debuisse quidem Dominum juvare, cùm detrectare non potuerit, at cum proposito denuò recitandi bene. Quod tamen intelligendum de notabiliter ita errante in una Hora: non item si in singulis Horis pauci tantùm v. g. sex, octo, decem tales errores contingerent, juxta mox dicenda *N. III.* specialia quoad recitantem cum socio, mox habebis §. *sequenti.*

102 III. Certè tamen rarò tali modo peccabis mortaliter. Quia rarò voluntariè & culpabiliter ita facies per notabilem partem sufficientem ad mortale. Et Lessius *cit.* non damnat de mortali, nisi quando excessus est enormis, ut in exemplo allato. Deinde solummodò ultimas syllabas abscindere verborum, ita ut sensus notabiliter non corrumpatur, non excedere culpam venialem, omnes ferè fatentur. Addunt insuper Bonacina *d. 1. de Horis Canon. q. 3. p. 2. §. 1.* & ex eo Diana *p. 1. tr. 12. resol. 26.* non peccare mortaliter eum, qui eodem die, in singulis Horis deglutiendo, truncando &c. paucos versus mutilat, esto illi simul sumpti efficerent notabilem quantitatem, non tamen enormem, nisi hæc quantitas sit in una Hora. Approbátque Gobat *n. 618.* ita subscribens. *Profectò mutilatio est vitium tam generale, partim a natura, partim ab habitu hic & nunc incorrigibili, partim quandoq; a potu vini, etiam necessario & moderato, ut infinitis scrupulis pateret via, si assereretur ex his confiari materiam sufficientè ad lethale crimen: cùm tamen Rodriquez in Summa c. 123. n. 2. rectè moneat, oportere in rebus moralibus ita loqui, ut non detur ingressus scrupulis.* Sic Gobat sapienter.

103 IV. Dixi etiam suprà: *voluntariè & culpabiliter.* Si enim inculpabiliter & involuntariè sic facias, sive ex naturali balbutie, sive ex habitu & vitio linguæ acquisito, quod emendari nequeat, nullam esse culpam timendam, rectè pronuntiant *Lessius*, & *Layman ll. cc.* Quòd si tamen vitium illud tantum sit, ut tollat integritatem substantialem Officij, rectè pronuntiat Gobat *n. 622. sub finem*, adesse obligationem mortalem emendandi illum defectum, si-

ve na-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ve naturalem, sive acquisitum culpabiliter, utpote, quia quis liberè consuevit ita deproperare, & deblaterare celerrimè Officium, ut assueverit sæpissimè transilire, deglutire integras syllabas & verba: quia quivis adstrictus Breviario, sub mortali obligatur ad procurandam ejus integritatem substantialem supra definitam. Et quia hæc emendatio non videtur aliter posse fieri, nisi deinceps per lentam pronuntiationem singulorum, hæc omnino adhibenda est etiam cum difficultate, etiam longè majori ab habituato propriâ culpâ, quàm à naturaliter defectuoso. *Ratio est:* quia generaliter loquendo tenemur strictiori jure tollere causas malorum à nobis liberè positas, quàm positas à natura, à casu, vel aliunde; ut patet exemplo unius titionis igniti tuâ culpâ illapsi in horreum tui vicini, & alterius illuc per aëra ex aliena domo ardente projecti. At, quid si hâc ratione oporteret te impendere integram horam recitando Matutino cum Laudibus, cum alij communiter facile absolvant horæ dimidio? ℟. Si tanta lentitudo sit necessaria ad ponendam integritatem substantialem Officij, eam necessariò adhibebis, præsertim culpabiliter defectuosus, nec enim videtur hæc molestia esse ita notabilis, ut eximat à lege persolvendi Horas integrè, ait Gobat *ibidem num.* 623. Secùs dicendum, si vitium hoc non tollat integritatem substantialem sub mortali requisitam, tunc enim solùm erit obligatio sub veniali emendandi. Vide omnino Gobat *cit.*

§. IV.

Aut pronuntiantem socium, vel Chorum alterum attendendo.

104 I. OFficium divinum, etiam privatim licitè & laudabiliter recitatur cum socio alternis versibus, Lectionibus tamen vel alternatim, vel omnibus ab uno recitandis. Communissima. Navarrus. 10. *de orat. n.* 16. *Sylvester*, aliisque citt. c. Layman *cit. c.* 5. addens, eum modum orandi esse & commodiorem, & meliorem per se loquendo: quia conformis primariæ institutioni divini Officij in Choro ab alternis cantandi. Quin etiamsi ex voto vel pœnitenria injuncta tenearis recitare Rosarium, Psalmos pœnitentiales, Officium defunctorum, non delinques, sed satisfacis assumendo socium & orando alternatim. Ex communi DD. *Azorius*, *Bonacina*, *Bonartius*, eósque citans Tambur. *l.* 3. *Dec. c.* 15. §. 6. *n.* 5. Gobat. *n.* 694. contra Castro-Pal. quia sufficit conformitas orandi cum Ecclesia.

105 II. Poterunt quatuor vel sex tecum orare, non constituendo nisi duos Choros, & alternis versibus Psalmorum, Hymnorum, non alternis integris Psalmis Nocturnis, minùs adhuc tertiatim tribus (minùs pluribus) singulos versiculos recitantibus. Quia obligaris recitare Officium more Ecclesiastico, id est, totum ab omnibus, vel in Choro alternatim. Diana *p.* 9. *tr.* 7. *resol.* 38. Tambur. *cit. l.* 2. *Decal. c.* 5. §. 4. *n.* 23. Addens non satisfacere etiam illum, qui mediam partem Matutini v. g. recitat ipse, alteram mediam audit à socio: quin neque illum, qui per se solum recitat omnes Psalmos Officij 9. Lectionum, & postea ab alio ad hoc evocato audit 9. Lectiones: sed contrà, talem satisfacere probabiliùs censet *Pellizarius* apud eundem. Certiùs non satisfieret, si duo recitâssent omnes Psalmos, & postea à tertio audirent Lectiones: quia hoc esset recitare per tres Choros contra ordinationem Ecclesiæ. Diana *ibidem*. Ego in tantis rebus novitatem ac singularitatem non probo, ait meritò Gobat. *n.* 691.

III. Supposità etiam Sententia probabili, ad re- 106
citationem Horarum non requiri attentionem internam, certum tamen videtur eum, qui in Choro, vel cum socio recitat, & ad partem alteram Chori vel socij minimè attendit, non satisfacere, sed mortaliter delinquere cum obligatione repetitionis. Ex communi Tamburin. *eod. cap.* 5. §. 4. *n.* 9. Ratio est: quia quilibet aliquo modo tenetur recitare totum Officium divinum: atque adeò eatenus concessum est Officium in Choro, vel cum socio recitare, quatenus tu tuam partem recitans, ad alteram partem aliquo modo concurras, eámque tuam facias: atqui qui ad partem alterius Chori vel socij minimè attendit, nullo modo ad eam partem concurrit, nec eam suam facit, non enim exteriùs vel ore, ut patet, non etiam interiùs vel corde, ut supponitur: ergo perinde est moraliter, ac si alteram partem omitteret, adeóque mortaliter peccaret. Nec valet dicere, te alteram partem facere tibi communem per solam assistentiam, quam in Choro vel cum socio retines, ideóque satisfacere: quemadmodùm in illa oppositа Sententia probabiliter fideles satisfaciunt solâ religiosâ assistentiâ ad Sacrum externâ, etsi interiùs non attendant. Est enim adhuc disparitas: quia fideles non jubentur dicere vel activè concurrere ad Sacrum, sed *assistere vel audire tantùm*; tu autem juberis dicere Officium divinum totum, ideóque aliquo modo concurrere ad alteram partem Chori vel socij, solâ assistentiâ nullo modo concurris. Posset tamen dici, te satis concurrere, & alteram partem tuam facere saltem audiendo, quia omnis, qui audit, etiam aliquo modo attendit: ideóque contrariam opinionem non carere omni probabilitate fatetur Tambur. *cit.* Vide Caramuel Theologiam fundamentalem n. 197. distinguentem inter *audientem & auscultantem*. Prius sufficit, alterum non requiritur.

IV. Quòd si contrà tu attendas, quantùm mo- 107
raliter potes, ad alterum Chorum vel socium, etsi alter minimè attendat, nec habeat intentionem orandi, nec ipse te audiat, adhuc satisfacis. *Secundùm omnes.* Quia hoc modo tu præstas id, quod potes: atque per debitam recitationem tuæ partis, & attentionem debitam ad recitationem qualemcunque alterius partis, ejus recitationem tamen tibi debitè communem facis. Quin etiam, si ob socij vel alterius Chori defectum, vel ob strepitum, vel ob tuam distractionem non mortaliter malam, aliqua ab altera parte prolata non percepisti, te adhuc satisfacere, nec opus esse quicquam repetere, etiamsi distributiones in Choro receperis, positа-

lios docent Bonartius apud Gobat *num.* 692. & Tamburinus *cit. §. num.* 12. quia alioquin nimis multi orirentur scrupuli, ad quos removendos habemus privilegium. Quin imò Tamburinus sic scribit: *Sine hæsitatione pronuntio te satisfacere, si attendas, quantùm moraliter vales, licèt propter socij vel alterius Chori defectum, nihil ex iis percipias. Ratio est: quia hoc modo tu præstas id, quod potes, nec per te stat, quin audias, atque per debitam recitationem tuæ partis, & attentionem ad alterā partem, ejus orationem vel recitationem satis tibi communem facis.* Sic Tamburinus, & ibidem *n.* 13. infert etiam surdastrum satisfacere, etsi nihil percipiat, dummodò quantùm potest, attendat: at non satisfacere omnino surdum, talis quippe moraliter non censetur interesse recitationi seu locutioni aliorum, neque eam sibi communem facere. Sic *Tamburinus*, referente, & non reprobante *Gobat cit.* Ego hic nihil definire ausim.

§. V.

Quoad vocem vel cantum obligationi satisfaciendo. Specialia quoad Canonicos.

108 I. LIcèt ex antiquis Canonibus satis constet Canonicos non cantantes in Choro privari distributionibus, seu *præsentiis*, ut vocant, consuetudo tamen notoria facit iis jus, modò piè intersint. Cujusmodi sunt omnes ferè Canonici Cathedrales in Germania, quibus ex consuetudine notoria vel privilegio conceditur solùm interesse, & assistere Choro solenniter, aliis Clericis vicariis (imò ferè sæcularibus cantatoribus) totum Officium persolventibus, iis solùm religiosè attendentibus, ut observat Layman *sæpe cit. c.* 5. Alij autem Canonici beneficiati in Choro ad cantandum adstricti, ut in plerisque Ecclesiis collegiatis, licèt satisfaciant præcepto recitandi Horas, & lucrentur fructus sui Beneficij, qui dantur propter Officium quomodocunque dictum; non autem satisfaciunt servitio Ecclesiæ, & distributiones Chori amittunt, si suam partem solùm submissè recitent, ut ab altero Choro audiri non possint: & quidem ante Judicis sententiam, quia eas nunquam faciunt suas. Tambur. *cit. n.* 15. Ratio est: quia horum Officium est, non solùm recitare quomodocunque Officium, sed publicè & solenniter, tanquam publicum Ecclesiæ cultum, adeóque altâ voce: ideóque talis non facit id, propter quod distributiones illæ dantur. Minùs satisfaciet Officio Ecclesiæ, & distributiones lucrabitur, qui Officium privatim domi recitans & in Choro omnino nihil dicit, etsi ad omnia accuratissimè attendat: quia talis simpliciter non dicit Officium in Choro: sicut & alter submissè orans non dicitur recitare in Choro seu choraliter, ergo & hic nihil acquirit, ne partem quidem, ut contra *Suarez* monet *Castro-Palaus* apud *Tambur. cit.*

109 II. Canonicus talis debito modo suam partem recitans vel cantans, sed ad aliam partem non attendens, sed voluntariè distractus, confabulans, dormitans, peccat sanè contra virtutem Religionis, ut partem omissam repetere teneatur privatim. Probabiliter tamen non amittit distributiones: quia suo muneri, quantum sibi in Choro injunctum est præstari ab Ecclesia, non deficit. At quid dicendum de dormitante involuntariè, ut si Beneficiatus in Choro ritè assistens, violenter à somno impetatur, & ipse tamen, quantumvis conatus resistere, evincere non valeat, sed eo oppressus ad alium Chorum attendere, & sua sæpe recitare non valeat? ℟. Talis sanè tenebitur ad privatam recitationem Horarum, quia sic dormitans Officium humano modo non persolvit: adhuc tamen lucrari distributiones, probabile est: ad has enim lucrandas sufficit assistentia, quam sine sua culpa potest quis afferre. Certè omnes concedunt distributiones acquiri à legitimè impedito, v.g. infirmo, qui Choro omnino non interest: ergo multò magis ab assistente Choro, sed pertinaci somno, qui moraliter evinci non potest, ut meritò infirmitati comparari possit, impeditus officium suum perfectè præstare non potest, quantumvis conetur.

Specialia quoad vocem, cùm quis solus recitat Officium divinum.

III. IMprimis quando solus recitas, non obliga- 110
ris tam altè loqui, ut circumstantes possint te audire. Quia id nulla lex præcipit, ut contra *Joan. Medinam*, *Valentiam* habet communis DD. cum Suarez *cit. c.* 7. Attamen probabiliùs debes ita altè proferre verba, ut possis ipse ea audire, si non impediat tua surditas, vel tumultus & strepitus aliorum. Ita cum multis Suarez *ibidem. n.* 6. attamen sufficere, ut quocunque minimo sono seu voce, absque syllabarum confusione verba distinctè pronunties, cùm reverâ non possit exhiberi lex requirens clariorem pronuntiationem, satis probabiliter docent Azorius *p.* 2. *l.* 10. *c.* 11. *q.* 4. Layman. *c.* 5. *n.* 6. Tanner *hic q.* 1. *num.* 150. Item *Caramuel*, *Bassæus*, *Baldellus* apud Dianam *p.* 10. *tract.* 11. *resol.* 33. Ego tamen cum Gobat *n.* 690. *fine*, nollem absque necessitate hanc opinionem sequi, utpote quæ minùs facit ad devotionem. Deniq; sive solus ores, sive cum socio, aut in Choro, debes non solâ mente, sed etiam voce efferre illa, quæ in Breviario jubentur secretò dici: ut contra Navarr. ratum, oppositum non esse improbabile, ex communi docet Sanchez *cit. l.* 7. *c.* 2. *dub.* 8. testans omnes ita sentire. Ratio est: quia in Concilio Basileensi *sess.* 21. §. 2. absolutè decernitur, ut Horæ dicantur *non in gutture vel intra dentes*: ergo multò minùs solâ mente. Quod tamen intelligendum est, secluso privilegio, quale datum est Minoribus sub Leone X. de quo hic opportunè occurrit

Dubium singulare.

Quantùm valeat Privilegium à Leone X. datum Fratribus Minoribus, ut possint Horas mentaliter persolvere.

IV. VErba petitionis & concessionis apud Ro- 111
driquez *in Bullario Regularium inter vivæ vocis oracula Leonis X.* hæc sunt: *Placeat Sanctitati vestræ, ut ne Fratres mutuò se impediant in Officio divino, aut aliis sint fastidiosi, quod quæ in ordinario jubentur dici secretò sub silentio, tam in*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Horis Canonicis, quàm etiam in Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo intra se per librum: quia aliqui devotiùs sic dicunt, & absque impedimento & fastidio aliorum: Et eodem modo possit facere, qui dicit Officium solus, cùm prolatio verbalis sit præcipuè, ut ab alijs intelligatur. Hæc fuit postulatio cum aliis simul propositis, annuit Leo Papa: ita per suas litteras authenticas attestante Eminentissimo Domino Laurentio Presbytero Cardinali SS. IV. Coronatorum die 15. Aprilis Anno 1516. Difficultas hic est & controversia gravis circa illa verba: *Et eodem modo possit facere, qui dicit Officiũ per se solus*: an nimirum debeant hæc verba referri solùm ad præcedentia, nimirum illa, quæ in ordinario jubentur dici *secretò*, ut *Pater*, *Ave*, *Credo*, & alia quædam: an verò sint extendenda ad totum divinũ Officium, an scilicet solus extra Chorum possit totum Officium divinum dicere mentaliter absque ulla pronuntiatione, seu expressione, vel formatione verborum? Et hoc posterius docent graves DD. nominatim post Navarrum *De orat. c. 19. n. 88.* idem Rodriquez. *Q. R. to. 1. q. 42. a. 4.* Casarubius, Corduba, Miranda: eósque citans Bruno Cassaing. *De Privilegijs Regularium p. 2. tr. 8. c. 4. propos. 5.* Joan. Crucius, Sanctorius, Persicus, Tamburinus apud Dianam *cit. resol. 1.* Et suadet ratio addita in petitione: *cùm prolatio verbalis sit præcipuè, ut ab alijs intelligatur.* Quæ ratio non tantùm de illis paucis, *Pater*, *Ave*, *Credo*, sed de toto Officio à solo recitando currit. Et video sic practicari ab aliquibus etiam piis & doctis; ideóque damnare non ausim, nolim tamen æmulari. Nam oppositum, nimirum concessionem istam referri solùm ad illa pauca in petitione suprà expressa, communiter docent alij, & post Garciam, & Pellizarium fusè Diana *cit. p. 10. tract. 11. resol. 1.* Itémque Cardinalis de Lugo *Responsorum moralium l. 3. dub. 7.* sic resolvens: unde nec extra Chorum in privata recitatione deservire potest nisi ad illa pauca. Nam extensio facta illius concessionis ad eos, qui extra Chorum privatim recitant, non ampliavit materiam, sed personas, & loca. Cùm enim postulatio esset ad illa sola, *quæ in ordinario jubentur dici secretò, sub silentio*: & postea subdatur extensio ad recitantes extra Chorum illis verbis: *& eodem modo possit facere, qui dicit Officium per se solus*: debet omnino intelligi de eadem materia, circa quam petita fuerat dispensatio pro recitantibus in Choro cum aliis, ne se invicem impedirent: non video ergo, quo fundamento possit concessio illa ad totum Officium extendi, nec in eo sensu videtur unquam fuisse usu recepta. Hactenus Cardinalis Lugo, cui ego acquiesco. Tu cogita, quid agas.

SECTIO IV.

Quæ forma, quæ alia observanda in recitandis Horis Canonicis?

SUMMARIUM.

112. *Quali utendum Breviario, an adhuc antiquo uti liceat?*
113. *An adstrictus Breviario v. g. Romano, satisfaciat dicendo Officium peculiaris Ecclesiæ, vel Ordinis, v. g. Benedictini, Dominicani, &c. & an ad id teneatur, si non habeat Romanum? & è contra.*
114. *An Clericus vel Religiosus adstrictus Breviario proprio sui Ordinis possit uti Romano?*
115. *An & qualiter liceat aliquid addere Officio can.*
116. Usque ad n. 121. *Qualiter peccet, qui sine causa mutat Officium in aliud æquale, vel longius in brevius alterius dici, vel temporis.*
121. *Ob quas causas liceat Officium sic mutare, vel aliis se accommodare in dicendis Horis?* Usque ad n. 125.
125. Usque ad n. 131. *Enumerantur, & resolvuntur casus varii & notabiles.*
131. Usque ad n. 135. *An, & quando liceat Horas transponere, dicendo v. g. Horas minores ante Matutinũ.*
135. *An, qua, & quando sit licita, vel peccaminosa interruptio in Horis?* Usque ad n. 139.
139. *Quo tempore debeat, aut possit dici, vel incipi Officium can.* Usque ad n. 148.
148. *Quo loco, &*
149. *Quo situ dicenda sint Horæ.*

RESOLUTIO VI. SPECIALIS.

I. REsolutio secunda generalis sic expressit: *Horæ recitandæ ritè quo ad formam generalem & specialem ab Ecclesia præscriptam: ordinatè, continuè singula, tempestivè, atque in circumstantiis loci, situs &c. cultum divinum decentibus.* Jam explico particulatim.

§. I.

Ritè, quoad formam generalem ab Ecclesia præscriptam.

I. SErvanda est forma generalis Breviarii editi à 112 Pio V. & confirmati à Clemente VIII. (& ab Urbano VIII. novis Hymnis adornato) ab omnibus in Ecclesia latina Breviario adstrictis, exceptis Ecclesiis, seu Capitulis & Monasteriis, quæ à ducentis annis fuerunt usa alio. Sic enim expressè statuit illa Bulla Pij V. confirmata à Clemente & Urbano octavis Breviario præfixa. At verò necessariò de præcepto servanda non est forma Breviarij Urbani VIII. quoad novos Hymnos: nam, ut ex ipsius Bulla patet, Breviaria antiqua Pij V. & Clementis VIII. permittuntur, quamdiu extant, & solùm licet, ac docet uti Breviario correcto ab Urbano: & antiqua de novo imprimi gravissimè sub excommunicatione prohibentur. Quare meritò Tamburinus *l. 2. Decal. o. 5. n. 2.* scrupulum non injecit illi, qui habens Breviarium novum, tamen recitabat ex antiquo, & quandoque Matutinum ex antiquo, reliquas Horas ex novo; quod certè & ego facio, quando intersum Matutino in Choro: idémque sine metu jussit esse illum, qui ex jussu confessarii compulsus bis de die dicere Breviarium, fecit eandem commixtionem: quia uterque usus fuit legitimis Breviariis. Et Gobat *n. 601.* rectè resolvit, licitum fuisse uti Breviariis post, & contra prohibitionem Urbani VIII. impressis in Gallia cum antiquis Hymnis: nam impressio tantùm prohibita fuit, non tamen per hoc prohibitus censeri debet impressorum usus. Correctio enim Jurium est restringenda, non amplianda.

II. Non ergo satisfacit præcepto, sed graviter 113
& mortaliter peccat, qui adstrictus Breviario, recitaret

taret Officium more peculiaris Ecclesiæ, vel Ordinis, v. gr. Benedictini, Cistercienſis, Dominicani, Herbipolensis, &c. *Omnes.* An etiam, si una vel altera vice tantùm? Omnino sic. Tamburinus *cit. n. 33.* Ratio est: quia Pius V. in Bulla præfixa Breviario expressè edicit eum, qui suæ Ecclesiæ formam non custodit, præcepto, non satisfacturum; at præcepto non satisfacere, etiam, per unum diem, materia gravis est: ergo &c. etsi pro una vel altera vice excusaret Diana *p. 2. tr. 12. resol. 3.* Insuper Rodriquez noster *Q. Q. R. R. to. 1. q. 42. a. 8.* & Miranda Man. Præfat. q. 37. a. 13. docent, FF. Minores ex Regula obligatos ad Officium Romanum, extra Conventũ existentes apud alios Religiosos peculiari Breviario utentes, posse ex eorũ Breviario Horas persolvere ex concessione Innocentij IV. eámq; concessionẽ non esse revocatã per Bullam Pij V. eámq; Sententiam in praxi securã existimat Diana *p. 3. tr. 2. resol. 135.* Et saltẽ eo casu admittit Bassæus *v. Horæ Canonicæ II. n. 2. & 3.* quando Frater minor careret Breviario Romano. Quin universim: si quis adstrictus Breviario certo, Romano v. g. caret illo, teneri pensum persolvere ex quocunque alio approbato, docent *Lezana*, *Pellizarius*, *Crucius*, eósq; citans Leander *hic disp. 3. q. 21.* pro certo habens. Eò quòd, si non potest servari lex, sicut debet, debeat servari, sicut potest. Sed bene impugnat Gobat. *n. 603.* Quia Pius V. in Bulla expressè dicit: neminem ex iis, quibus hoc dicendi, psallendíque onus impositum est, nisi hâc solâ formâ posse satisfacere; ad quid ergo sit obligatio utendi aliâ formulâ? Si tamen versareris per majorem anni partem in Urbe, vel Monasterio aliquo, in quo vigeret usus legitimus alterius breviarii, proprio carens, obligareris utiillo alio propter communem doctrinam de obligatione generali servandi leges particulares loci, in quo habitaturus es per majorem anni partem. Quia tamen hæc obligatio negatur à multis respectu viatorum, aliorúmque peregrinorum, brevius majori parte anni commorantium alicubi, ideo etiam probabiliter censebis te immunem à peccato mortali, si existens uno alteróve die in Carthusia v. g. abstineas penso horario, utpote carens tuo Breviario, ait Gobat *cit. n. 604.*

114 III Contrà verò Religiosum, vel Clericum adstrictum Breviario proprio sui Ordinis vel Ecclesiæ particularis, minimè peccaturum, si in privata recitatione Horarum utatur Breviario Romano, qui tunc conformem se reddit Ecclesiæ Romanæ, quæ est Mater omnium Ecclesiarum, idque non displicere Pontifici meritò præsumendum, docent Sa *v. Horæ*. Lessius *l. 2. de Just. c. 37. n. 74.* Sanchez *l. 7. Consil. moral. c. 2. dub. 33.* Portellus *v. Horæ*. Diana *p. 2. tr. 12. resol. 10.* & saltem pro una vel altera vice concedit Tamburinus *c. 5. §. 2. n. 33.* Et in Bulla expressè loquitur de Choro: & insuper de iis dicit Pius Pontifex: *Quibus inveteratum illud jus psallendi suum Officium non adimimus*: quibus verbis illos Ordines & Ecclesias ab hac nova lege eximit, quasi privilegio: at privilegio utimur, quando volumus. Etsi contrarium doceat cum aliis Suarez *de Orat. l. 4. c. 23. num. 6.* Et probabiliùs censent Herinx, *hâc d. 2. q. 2. n. 11.* Minùs autem probabiliter docent *Navarrus*, *Rodriq.* *Bonartius* &c. talem posse dicere Matutinum ex Romano, reliquas Horas ex proprio Breviario: hæc enim mixtio & confusio efficeret planè aliam formulam, & fraudem saperet. Quando tamen tales Religiosi & beneficiati Clerici versantur extra Monasterium vel Diœcesin, v. g. in studiis, fecurè se accomodabunt loco. Suarez *cit. c. 23.* Tandem certum est, Beneficiatos debere legere ex Breviario suæ Ecclesiæ, in qua habent beneficium, quamdiu habitant intra Diœcesin. Suarez *ibidem*: sicut & Monachus in perpetuum Præfectus Ecclesiæ læculari: Mirand. *Manual. q. 77. n. 13.* Clerici autem non beneficiati, nec adscripti alicui Ecclesiæ, tenentur utique uti Breviario vel Romano, Less. *cit. c. 27. n. 75.* vel suæ Diœcesis. Suarez *cit* Bonartius, alii: vel possunt uti quocunque approbato. Navarrus Man. c. 25. n. 107. Omnia probabiliter, sed primum tutissimum.

IV. Servanda est forma Breviarii Romani etiam 115
integraliter, adeò, ut nihil liceat addere vel demere. Nam Pius V. in Bulla illa districtè prohibet utrumque. De demptione vel diminutione per se clarum est, & patet ex dictis *præced. sect.* Additionem illam tantùm graviter prohibet Pontifex, quâ aliquid adderetur Officio tanquam pars Officii divini, eo animo, ut in perpetuum duret, atque animo mutandi ritum, quod sub excommunicatione quâvis authoritate fieri prohibet Pij Bulla: adeóque eo modo & modicum quid addere Officio divino mortale fore ob usurpatam sibi jurisdictionem & inobedientiam erga Ecclesiam, rectè censent DD. communiter. *Suarez cit. Castro Palaus*, *Tamburinus*, alij; sed hoc rarò præsumitur contingere in privata recitatione. Alio modo ex privata liberâ devotione aliquid addere Breviario (v. g. post singulos Psalmos, Nocturnos, Horas, certas orationes mysteriis respondentes, præsertim Passionis Christi, omni culpâ vacare meritò censet communis DD. cum eodem Suarez *cit. c. 23.* Et laudem etiam mereberis, si exemplo S. Francisci Xaverij singulis Horis præmittas Hymn. Veni Creator &c, Cæterùm idiomate latino in Ecclesia latina solvendum esse Officium divinum ex se constat. Satisfaceret tamen etiam linguâ græcâ vel Hæbraicâ legens, quia adhuc impleret præceptum quoad substantiam: & illæ duæ linguæ Græca & Hæbraica cum latina admittuntur in Sacris ab Ecclesia latina Romana. Ita cum aliis Bonacina *de Horis d. 1. q. 3. p. 1. num. 15.* Escobar *tract. 5. Exam. 6. num. 70.* Et fusè Tamburinus *l. 2. Dec. c. 5. §. 2. num. 15.* meritò tamen limitans, si causa aliqua rationabilis subsit, v. g. addiscendæ & exercendæ talis linguæ, alioquin te peccaturum ob ritum Ecclesiæ non servatum, rectè censet Herinx *cit. c. 2. q. 2. num. 16.* Linguâ autem vulgari licere, negant Escobar & Tamburin. *cit.* at ob similem rationabilem causam concedit Herinx *ibid.* Sed de hoc satis.

Tandem adstricti Breviario Romano non te-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nentur diebus in Breviario notatis recitare Officium B. V. Officium Defunctorum, Psalmos Graduales & Pœnitentiales: Hos enim expresse liberat Pius V. profitens tamen se idcircò mandâsse nihilominùs ea imprimi in suo Breviario, ut Clerici spe indulgentiæ à se oblatæ illa recitantibus alleciti recitent. Excipit tamen expresse Ecclesias, in quibus viguit sancta consuetudo, & usus recitandi in Choro Officium B. V. MARIÆ, ita ut in prædictis Ecclesiis servetur adhuc ipsa laudabilis & sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum Officium. Quare in ejusmodi Ecclesiis, atque etiam FF. Minorum saltem illa constitutione Pij V. antiquioribus manet obligatio recitandi prædictum Officium B. V. in Choro: non tamen privatim extra Chorum, ut observat noster Herinx *cit. n. 13. fine.* & praxis nota est. Cæterùm alia & specialis ratio est de Officio Defunctorum in die animarum, & Lytaniis Majoribus in S. Marci, & Rogationum diebus, (de quibus jam suprà dictum) adeóque non censentur comprehendi hâc generali abrogatione obligationis Officij defunctorum.

§. II.

Ritè quoad formam specialem præscriptam ab Ecclesia.

116 SErvanda est forma Breviarii Romani etiam *specialis*, quoad distributionem in dies & tempora dicendo, utpote de tempore, de Sanctis, de Dominica, feriâ, festo. Nam etiam hanc formam specialem præscribit Ecclesia, & singulariter Pius V. in sæpe dicta Bulla. Inde enim dicuntur Horæ *canonicæ* Officium, pensum *Canonicum*, id est *Regulare*, à græco canone, id est regula, quòd nimirum secundùm Canones & Regulas Ecclesiæ formatum sit Officium divinum, quæ forma & regula etiam propriè consistit in distributione seu assignatione Officii divini ad dies & tempora. Ut proinde apud omnes in confessio sit, peccare aliquo modo eum, qui scienter absque ulla rationabili causa mutat Officium diei, v. g. loco Dominicæ vel Feriæ, dicendo Officium de Sancto, vel è contra. At verò, quantùm peccet ita commutans pro libitu Officium, controversia gravissima est inter DD. Quinque Sententias novissimè refert, & latè discutit solertissimus P. Gobat *Trigæ Horariæ disp. 3. per totam.* Quam leges utilissimè. Dabo breviter, quæ ad praxin sufficiant, & dico

117 I. Valde probabile est peccare mortaliter eum, qui etiam semel ex desidia ita commutat Officium, ut a ante omnes Toletus *l. 2. c. 11.* Angelus. *v. Horæ.* Bonacina *de Horis Canonicis q. 3. p. 1. Castrovalaus, Nicolaus Garcias, Busenbaum, Gavantus*, alii apud Gobat *cit. n. 859.* Et mordicùs noster Marchant, *supra cit. tit. 3. sect. 2. quæstion. 3.* Ratio potissima sumitur ex verbis Bullæ sæpe dictæ Pij V. quibus S. ille Pater præcipit, utique sub mortali: *re tam gravi, in omnibus locis observari novi Breviarii & psallendi, precandiq; formulam.* Item, omnes Breviario adstrictos *omnino teneri ad dicendum & psallendum posthac ex Romani Breviarii præscripto & ratione.* Item *neminem ex ijs, nisi hâc solâ formulâ satisfacere posse.* Quibus verbis præcipit Pontifex Officium recitari juxta modum, rationem & formulam à se præscriptam: atqui etiam distributio illa Officij per certos dies, & certa tempora est modus, ratio, & formula præscripta ab ipso: nam Rubricæ tam generales, quàm speciales & individuæ exprimunt, quibus diebus observanda sit hæc distributio, seu quale quoque die Officium recitandum sit: ergo & hanc specialem formam & distributionem præcipit sub mortali, sic ut aliter præcepto satisfieri non possit: ergo etiam semel non observando eam distributionem peccatur mortaliter, sicut peccatur etiam semel non satisfaciendo muneri Breviarij. Attamen quia potest commodè distingui minor. Eam distributionem esse quidem formam à Pontifice præscriptam, non tamen substantialem (quæ consistit tantùm in ipso Breviario novo recitando) sed accidentalem tantùm, ideóque non obligare sub mortali: nam & in Bulla præfixa Missali correcto mandat Pontifex in virtute obedientiæ, ut Missæ dicantur secundùm formam, ritum, normam, modum Missalis à se editi & correcti: & tamen nemo dicet, peccare mortaliter eum, qui celebrat de Feria, vel Requiem, quando esset celebrandum de Festo simplici, semiduplici, imò & duplici, *secundùm communem.* Hinc talem commutationem Officii diei, non esse peccatum mortale universim & sine exceptione aliqua docent gravissimi & satis multi DD. quorum septendecim numerat Gobat *cit. n. 861.* ac multos Diana *p. 1. tract. 12. resol. 3.* Sed placet mediâ viâ incedere, & dico

118 II. Peccat mortaliter, qui ita Officium diei (etiam æquale, nedum minus) in aliud commutat, ad libitum passim & quasi perpetuò, ex mera libertate, commoditate, desidia, adeóque non sine audacia, & implicito aliquo contemptu. Ita omnino communis DD. Navarrus *de orat. cap. 19. n. 217.* Sanchez *l. 7. Consil. Moral. c. 2. dub. 25.* Layman. *l. 4. tract. 1. c. 5,* Tamburinus *l. 2. Dec. c. 5. §. 6. n. 20.* Plurésq; congerens Gobat *n. 864.* & probabiliorem censens *n. 884. 885.* Ratio est: quia id omnino videtur habere sensus Ecclesiæ, Pontificum & DD. ita intelligentium & exequentium Bullam Pij V. Nam Urbanus VIII. vetuit, ne Festa Beatorum nondum Canonizatorum celebrentur cum octava. Congregatio Cardinalium SS. Rituum Anno 1605. respondit non esse relinquendum Officium debitum pro officio devotionis: item vetuit, ne Regulares celebrent festa Diæcesana cum Octava. Item FF. Minores, aliique Religiosi ex speciali gratia & concessione Pontificũ gaudent privilegio recitandi Officium de V. Sacramento feriis quintis, & de Immaculata Conceptione in Sabbathis, idque cum restrictione extra tempus Adventûs & Quadragesimæ, &c. Quæ & similia sanè patenter ostendunt, esse graviter illicitam illam saltem arbitrariam commutationem Officij unius in aliud. Nec dubitandum Superiores Ecclesiasticos, maximè Regulares graviter animadversuros fore in subditum, quem scirent longo

longo tem[illegible]more passim sic recitâsse Officium quodlibeticum. Certè [illegible] paucissimi Confessarij erunt, qui hunc suum morem confitentem, & emendationem non proponentem, seu emendare nolentem: nec dubitò plerosque Authores oppositæ laxæ Sententiæ hanc nostram non negaturos. Ex quibus omnibus rectè infert Gobat *n. 886.* Ergo reipsâ viget nunc saltem consuetudo in Ecclesia vetans sub mortali istam arbitrariam & libertinam commutationem Officij diei.

119 III. Qui semel ac iterum, aut aliquoties per annum, absque ulla rationabili causa, ex sola commoditate vel desidia commutat Officium unius diei in aliud, etiam brevius, dummodò non nimis notabiliter brevius, sine omni contemptu vel animo faciendi passim pro libitu, non mortaliter, sed venialiter tantùm delinquit. Ita (contra Authores rigidæ Sententiæ vix tredecim, *N. 1.* notatos) omnes omnino reliqui, & facilè 50. apud Gobat *cit. n. 860.* Layman *cit. c. 5. n. 4.* Diana *p. 2. tr. 12. resol. 3.* Tamburin. *cit. cap. 5. §. 2. n. 20.* Et ratio est: quia præceptum Ecclesiæ sic adhuc servatur quoad substantiam recitationis Horarum: quòd verò non servetur quoad modum præscriptum Officij in particulari hujus diei, est sanè peccatum contra ordinationem Ecclesiæ, attamen quòd tam rarò fiat in anno, non potest prudenter judicari grave peccatũ, sed ex levitate materiæ excusante, meritò judicari potest veniale. Dixi tamen *dummodo non nimis notabiliter brevius.* Nam DD. communiter contra Caramuel *Theol. Regul. disp. 109. n. 1388.* excipiunt Officium Paschale, etiam Pentecostes quoad Matutinum: & peccati mortalis damnant eum, qui loco Officij Dominicæ, aut alterius longioris recitaret Officium Paschale aut Pentecostes. Certè inter propositiones damnatas sub Alexandro VII. & ista numeratur: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.* Vide latè Gobat *num. 899.* Idem meritò censent Suarez, Torres, Bassæus, alij. Si quis loco Officij Dominicæ recitaret Officium Feriæ tertiæ, vel quartæ, aut de communi Martyrum. Quia nimis notabili parte Officium divinum defraudaret; aut quando mutatio esset nimis ridicula, & in defraudationem divini cultûs in celebritatibus colendis, ut si pro Officio Natalis Domini recitares Officium feriale: in die Palmarum, Officium temporis Paschalis, &c. Secùs ergo est, si mutatio non sit in notabiliter minus, ut si loco semiduplicis recites idem Officium Duplex: loco feriæ subinde recites de Sancto. Quia tunc defraudatio est in parva quantitate. Insuper

120 IV. Omni culpâ vacabit aliquoties ita commutare Officium divinum in aliud ob aliquam rationabilem causam. Nam ista rationabilis causa excusat illam deordinationem exiguam contra præceptum Ecclesiæ. Ita omnes. Et placet Regula generalis tradita à Vasquez, & Fagundez apud Gobat *num. 915.* *Quando Ecclesia prohibet aliquid solum sub peccato veniali, quælibet honesta causa sufficit ad evadendum omnem culpam agendo contra illam prohibitionem.* Quia ergo talem mutationem sine causa facere non frequenter prohibet Ecclesiastica consuetudo solùm sub veniali, ab hac quóque culpa facilè excusabit quævis causa rationabilis talem mutationem in aliud Officium, saltem non nimis brevius: Hujusmodi autem rationabiles causæ breviter revocari possunt ad hos titulos: *Impotentia aliqua, vel notabilis difficultas, Conformitas, Societas, Singularis devotio, Incapabilis error.* Percurramus singula.

Causæ excusantes talem mutationem.

Impotentia aliqua vel notabilis difficultas: Imprimis, si quis Officium proprium talis diei non habet ad manum; per se licitum est dicere de communi, in supplementum propriorum instituto; si id non quadret: aliud quodcunque. Similiter si quis ob defatigationem ex longo itinere, ob nimis molestam somnolentiam, ob debilitatem visûs & difficultatem legendi longos Psalmos feriales ad lucernam; aut in ipso longo & necessario itinere &c. aut ob instantes occupationes repentinas, concionandi, confessiones audiendi, studendi &c. Officium longius diei occurrens dicere non possit, licitè dicit aliud brevius ex communi Sanctorum, v. g. vel tale, quod ferè totum memoriter tenet, loco illius, quod sine magna difficultate vel incommodo non potest recitare. Ex communi DD. apud citatos omnes. Insuper Rodriquez *Q. R. to. 1. q. 42. Ascanius, Tamburinus, P. Tyon. Pfavv* apud Gobat *num. 914.* scribunt, licere Religiosis Officia prolixiora, anticipare diebus, quibus sunt otiosi, & breviora reservare in illos dies, quibus credant se occupatos fore Concionibus, aut Confessionibus audiendis, dummodò id non faciant in fraudem, sed ad melius Studendum, Concionandum &c. ex Privilegio FF. Minoribus concesso à Leone X. vivæ vocis Oraculo. Verùm quia ejusmodi vivæ vocis Oracula revocata sunt per Concilium Trident. credo non fore, qui nunc eo uti audeat, sicut nec de ejus usu à Majoribus nostris quidquam audivi. 121

II. *Conformitas.* Imprimis Regulares etiam exempti, licitè orant Officia propria festorum Diæcesis, in qua habitant, Officio Romano currente de tempore omisso, de Sanctis verò translato; & saltem de festis principalibus Diæcesis totius feriatis etiam tenentur propter conformitatem. Ex Bulla Gregorij XIII. 30. *Decembris Anno 1573.* relatâ apud Ascan. Tamburin. *de Jure Abbatum tom. 2. d. 19. q. 7. n. 6.* sic habente. *Et quo die celebratur festivitas Patroni Diœcesis, omnes Religiones teneantur eodem die in Ecclesijs suis, intra limites ejusdem Diœcesis eandem festivitatem celebrare, & in hoc cum Matrice Ecclesia se conformare.* Similia habet alia Bulla Pij V. directa ad Hispanos. Similiter & sæcularis Sacerdos habens Beneficium vel Capellaniam sitam in Ecclesia Regularium, seu virorum, seu Monialium, tenetur orare de Sanctis & solennitatibus illius Ordinis, sed juxta formulam suæ Diœcesis. Quintanadvennas apud Gobat. *n. 602.* Item peregrinus vel viator, quilibet commorans vel existens in loco, ubi celebratur speciale festum, hinc te-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lebrabit & ipse Officio divino, si visum fuerit, cùm titulus conformitatis & pietatis patrocinetur. Layman *l. 4. tract. 1. cap. 5. num. 3.* Tamburin. *cit. c. 5. §. 8. num. 36. seq.* Sed & è contra: Quicunque Clericus Regularis vel Sæcularis existens etiam pluribus annis extra suum Monasterium vel Diœcesin, sed solùm tanquam peregrinus & advena, potest recitare Officium de Sanctis, de quibus diceret, si existeret reipsâ in suo Monasterio vel Diœcesi; ad quod vel quam spectat ipse, adeóque etiam de Dedicatione vel Reliquiis suæ Ecclesiæ, privatim. *Suarez cit cap. 23. Quintanadvennas* apud *Gobat* consentientem *num. 635.*

123 III. *Societas in orando.* Qui debet Officium recitare cum persona gravi, v. g. Episcopo, Prælato, Superiore, vel Domino suo, licitè se accommodat illi aliud Officium recitanti (etiam fortè ex desidia vel culpabiliter) Idémque est in simili, si debeas ex charitate uno vel altero die in recitando juvare infirmum. *Navarrus de orat. c. 19. n. 217.* Sanchez *l. 7. Consil. Moral. c. 2. dub. 25. num. 8.* Diana *p. 2. tract. 12. resol. 10.* Gobat *num. 911.* Quin idem esse, si recites Officium cum eo, qui habet privilegium speciale Officium recitandi, v. g. de SS. Sacramento, téque satisfacere absolutè docent Henriquez, alique apud Dianam *ibidem resol. 35.* Idque meritò probabilius censet Gobat *ibidem*, quando Privilegiatus ob infirmitatem, debilitatem vitûs, vel aliam causam difficulter utitur suo privilegio, nisi juvetur à socio. Addit idem ex Quintanadvenna *num. 636.* quòd Sæcularis cum Regularibus convivens ut domesticus & familiaris in domo, & sub regimine eorum, ut sunt illi, qui in seminarijs nostris educantur studiorum causâ, licitè recitent Officium de illis Sanctis & Beatificatis de quibus nos, nisi ubi est expressa limitatio ad personas Societatis. Quem vide.

124 IV. *Singularis devotio* erga aliquem Sanctum vel festum v. g. Natalis tui, etiam excusare ad mutandum Officium occurrens post Philiarchum, Onuphrium, & alios, docet Layman *cit. c. 5. num. 3.* repugnante Tannero & Caramuele, eò quòd non sit melior devotio, quàm obedire Ecclesiæ. Et verò extat apud Gavantum *in Rubricis Breviarij sect. 1. cap. 5. tit. 2.* Declaratio Cardinalium in contrarium suprà insinuata. Contra quam tamen declarationem non ages meo judicio (ait Gobat *n. 911. med.*) si sentias te singulari, magnaque devotione impelli; secùs si solùm communi. Denique qui etiam per *errorem inculpabilem*, vel inadvertentiam ita commutavit Officium, post, animadverso errore, non tenebitur repetere proprium Officium, etiamsi commodè possit: quia & illa ipsa inculpabilis inadvertentia vel error, una est ex causis rationabilibus excusantibus. Neque Ecclesia præsumitur velle ad duo Officia obligare illum, qui sine culpa est. Sic communis DD. Idémque sentiunt communiter, quando per inadvertentiam etiam culpabilem ita commutâsses: at quando deliberatè deditâ operâ ex desidia ita commutâsses, & errore cognito, tempus superesset, te teneri repetere, saltem supplendo ea, quæ propria sunt Officij omissi, propter Authores illius primæ rigidæ Sententiæ, sentiunt etiam *Layman* & *Marchant cit.*, eò quòd non impleveris præceptum Ecclesiæ tale Officium in particulari pro hoc die præcipientis, & legi per se adversaris. At universaliter quacunque ex causa vel culpa commutâsti Officium diei in aliud non nimis notabiliter minus, nullam esse obligationem repetendi, docent *Sylvester, Cajetanus, Azorius, Suarez, Lessius, alij cum Diana cit.* Ratio est: quia Ecclesia quoad quantitatem Officij non plùs exigit, quàm ut septem Horæ Canonicæ dicantur: qui autem commutavit Officium unius diei in aliud non nimis notabiliter inæquale, etsi formam præscriptam non servârit, non tamen quantitatem notabiliter transgressus est: ergo non tenetur repetere duplicando quantitatem. Secùs, si commutâsset in aliud valde notabiliter inæquale, ut Officium Dominicæ in Officium de Sancto: tunc enim saltem novem Psalmi primi Nocturni repetendi essent, ne tam notabilis pars Officij diei (alioquin sufficiens ad omissionem mortalem) omissa maneat. Itémque à fortiori, si loco Officij Dominicæ, aut alterius novem Lectionum dixisses Officium Paschæ: tunc enim saltem Matutinũ, aut duo primi Nocturni repeti deberent: quod Officium etiam meritò excipit Gobat *n. 911. fine.* ibidémq; *n. 916.* pulchrè docet Confessarium, qualiter permittendo Officium minus recitare ex tot DD. Sententia, possit juvare Clericum sæpissimè solentem omittere totum Officium, præsertim longiora Dominicæ, Feriæ quintæ, Sabbathi: quem vide. Tandem circa prædicta de forma Breviarij & Officij divini remanent dubia aliqua non levis momenti resolvenda.

Casus aliquot practici particulares.

I EGo Passavij non recitavi Officium de aliquo Sancto. S. Dominico v. g. vel B. V. ad Nives. quia impeditum fuit per Patronum & Dedicationem Ecclesiæ: postea venio Augustam, ubi illud festum die proprio jam celebratum fuit: ad quid tenebor? R. Posse te die non impedito recitare de illo festo: at non teneri, cùm tibi data sit facultas assumendi mores loci, ubi moraris. Cùm ergo Augustæ nihil amplius de illo Sancto, vel festo agatur, neque tu ex obligatione recitabis. Tambur. *l. 2. Decal. cap. 5. § 2.* Contrà. Ego existens in loco, ubi servatur novum Calendarium, jam celebravi Officio Canonico aliquod festum: postea venio in locum Calendarij antiqui, ubi primùm decimo die postea agitur illud festum, quid agam ego? R. Privatâ recitatione facies pro libitu, ut suprà. At publicè & in Choro, accommodabis te loco. 125

II. Ego ex errore vel oblivione non celebravi aliquod festum Officio Canonico, seu non recitavi Officium de aliquo Sancto, vel festo duplici, vel semiduplici die proprio; possúmne recitare alio die non impedito, an potiùs eo anno omnino omittere debeo? R. Probabiliùs est, te debere omittere. Gobat *n. 638.* Lugo *Respons.* 126

sponsa. Moral. l. 5. dub. 8. citans Villalobos, Tamburin. *cit. §. 2. n. 29.* Ratio est: quia onus Officij hujus est alligatum huic diei, evolante ergo illo die, evolat onus: & sequeretur etiam, illum posse supplere, qui propter infirmitatem non potuit dicere tale Officium. Denique Rubricæ tam diligenter notantes casus, quibus facienda est Officij translatio, non exprimunt istum. Probabile tamen est, etiam posse te alio die non impedito supplere. *Pellizarius, Trullench, Gottonius, Tamburinus* ibidem. Ratio est: quia quilibet Sanctus in Breviario descriptus habet jus, ut semel in anno colatur precibus Canonicis, adeóque ut, licèt ille cultus sit affixus diei, tamen possit transferri, si fuit impeditus. Cùm ergo illud Officium per errorem fuerit impeditum die proprio, cur non possit transferri & compensari alio die, sicut aliàs fit: Sed acriter repugnat *Lugo cit.* quem vide.

127 III. Contrà. Per errorem hodie recitavi Officium de Sancto, vel festo, quod deberet recitari altero die: eo die proprio, quid agam? R. Tamburinus *cit. num. 10.* & Quintanadvennas *Tract. 7. singulari 10.* privatim recita eo die Officium, quod recitaretur, si eo die illud festum non esset, puta de feria, simplici translato, privilegiato &c. quia Sancto illi, vel festo jam est satisfactum, & nimis inusitatum est, de eodem Sancto dici Officium bis. Contrà, eodem die proprio debere te iterum orare illius Sancti Officium, acriter propugnat Lugo *cit. dub. 8. n. 13.* post *Villalobos*, & longè probabiliùs censet Gobat *num. 640.* Ratio est: quia error tuus privatus, & inadvertentia, etsi inculpabilis, non facit tibi jus invertendi Rubricas. Accipe casum particulariùs, & applica ad similes. Hodie 5. Augusti, quo deberet celebrari festum B. V. M. ad Nives, per errorem dixi Officium de Transfiguratione celebrandum postridie; quid faciam cras? Secundùm *Tamburinum* relinquens Officium Transfigurationis jam persolutum, & cras orabis de B. V. ad Nives. At secundùm *Lugo* debes cras iterum orare de Transfiguratione, & sequenti die septimo, vel alio non impedito, de B. V. M. ad Nives. Quod & mihi magis placet, ob rationem datam & multa inconvenientia, quæ ex opposito deducit Cardinalis *de Lugo.*

128 IV. Ego hodie per errorem recitavi Vesperas, imò more solito & licito etiam Matutinum non rectum, diversum scilicet ab eo, quod cras occurrit, v. g. de feria, cùm esset recitandum de festo semiduplici, vel duplici: agnito errore cras vel hodie adhuc, quid faciam? *Resp.* laudabile & optabile esset repetere de novo, cras scilicet Matutinum, hodie verò, si tempus superfit, etiam Vesperas: attamen ad id minimè obligaberis. Nam disertè te liberant Sanchez, *sæpe cit. l. 2. Consil. c. 37. num. 77.* Tamburinus *alij mox citandi.* Quia nimirum excusat te bona fides, & eò maximè, quòd pensum quoad substantiam & æquivalentem quantitatem jam persolveris. Quid ergo? Certè Caramuel *Theol. Regul. disp. 110. n. 1403.* obligat te sub mortali pergere in erroneè inceptoOfficio, si nolis priora repetere: quia alioqui conflabis Officium quandoque, quale non reperitur in toto Breviario. Sed apage cum obligatione mortali ad continuandum errorem. Eam tamen continuationem licere, sibi non displicere significant Quintanadvennas *cit.* & Gobat *n. 642.* Quandoquidem rara mutatio Officij, unius in aliud ob rationabilem causam (qualis in proposito esset metus peccati gravis ex opinione Caramuel) esse potest licita. At simpliciter posse, & sub veniali debere prosequi cras reliquas Horas de Officio proprio occurrente, rectiùs docent Lugo *cit. n. 21. Pellizarius, Quintanadvennas, Leander* cum Tamburino *cit. n. 31.* Gobat *ibidem.* Ratio est: quia & error deprehensus corrigendus est: ac etiam possidet jus Officij hujus diei, & non alterius à te erroneè inchoati. Qui ergo non potest facere totum, eo modo, quo deberet, debet saltem facere eo modo, quo potest. Monet tamen providè Gobat *eodem n. 643.* Si advertas errorem hodie post primas Vesperas, subjicias illis saltem Antiphonas, Versus, & Collectam Festi, de quo erat secundùm Rubricas recitandum: idem facias post Laudes erroneè dictas; quin etiam si primùm post secundas Vesperas venias in notitiam erroris, etiam hoc ipsum præstabis, dicésque Completorium conveniens huic diei, Judice Cardinali de Lugo *l. c.*

V. Ego habens Officium recitare more Romano, de feria v. g. sed cras futurus sum Salisburgi, ubi celebratur festum S. Virgilij, vel Ruperti proprium: possúmne hodie vesperi adhuc existens extra territorium recitare primas Vesperas, Completorium, & Matutinum de illo festo? Respondet Tamburinus *cit. n. 25.* satis probabile judicante Gobat *n. 644.* Potes: cùm enim cras futurus sis Salisburgi, poteris, etsi non tenearis, te illi Ecclesiæ reddere conformem in Officio divino. Cùm ergo Officium hoc vespertinum sit pars Officij crastini, non est inconveniens, posse te illud anticipare hodie, tanquam pertinens ad Officium crastinum. At, quid si hodie jam dixissem Matutinum de feria, quando cras venio Salisburgum: rectiùsque prosequar Horas de feria, an assumam Horas de Sancto? Resp. Potes utrumque, judice eodem Tamburino: nam prosequendo Horas de feria conformas te Officio legitimè incepto; assumendo Horas de Sancto, reddis te conformem loco, in quo degis. Quidnam autem sit melius, ego ignoro: elige, quò magis inclinat devotio; putarem tamen prius esse melius. 129

VI. Plures tandem possunt esse casus, in quibus necessarium est jungere partes diversorum Officiorum. 1. Si hodie vesperi dixisti Matutinum & Laudes de feria secundùm Rubricas communes, at verò cras manè accipias Beneficium, quod habet Officium duplex de festo speciali, v. g. Patrono, teneberis reliquas Horas omnes dicere de illo duplici. Lugo *cit. n. 20.* 2. Idem se non semel debuisse facere testatur Lugo *ibidem*, quando scilicet vesperi in uno Collegio, è quo discessurus erat, dixerat Matutinum feriale, at sequenti die venit ad 130

aliud

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliud Collegium ibi permansurus, ubi celebrabatur festum Dedicationis, reliquas Horas nondum recitatas dixit de Dedicatione. 3. Item si hodie persolvisti Matutinum juxta ritum Romanum, cras manè fias Carthusianus v. g. aut Ecclesiæ græcæ, cras recitabis reliqua ex formula Carthusiana vel Græca. 4. Si habeas diversa Beneficia in diversis locis vicinis, & contingat te celebrare Vesperas in loco unius, & altero die divina peragere in loco alterius, ubi celebratur festum diversum, utique debebis psallere Vesperas pridianas publicè juxta morem loci, itémque Completorium, si publicè dicendum sit. Reliquas autem Horas poteris, at non teneberis orare juxta ritum alterius beneficij, ubi cras manè serviturus es. Gobat *n.* 642. apud quem vide plura.

§. III.

Ordinatè dicendæ Horæ.

ORdinatè dicendæ sunt Horæ quoad seriem earum constitutam, ut scilicet non transponantur Horæ, posteriorem præponendo priori, vel ejusdem Horæ partem posteriorem præponendo anteriori. Idque publicè in Choro sub mortali reste nostro Marchant *suprà*: at extra Chorum & privatim solùm sub veniali; secluso contemptu vel scandalo, *secundum communem* DD. quidquid Vasquez de beneficijs c. 4. §. 1. a. 1. mortale constituat, quando illa inversio fit sæpe. At certè, secluso contemptu, hunc rigorem nulla lex, vel consuetudo, vel ratio indicat: cùm talis ordinis inversio nec gravem contineat deformitatem, nec de substantia Officij divini quidquam imminuat. Dico igitur

131 I. Venialiter ergo tantùm delinquit, qui Horas integras transponit, v. g. Horas minores recitando ante Matutinum, absque omni causa, *secundùm communissimam DD.* ob rationem datam. Quin etiam si unius Horæ partes, v. g. Psalmos confundat inter se, mutando solùm ordinem prioritatis & posterioritatis, vix delinquet plùs, quàm venialiter. Castro-Palaus apud Gobat *n.* 655. At verò, si sic confundat partes diversarum Horarum, miscendo Psalmos vel partes unius Horæ cum alterius: poterit facilè contingere, ut faciat aliud Officium, quale non sit in Breviario, sicque mortaliter delinqueret. Sed credo rarum fore tam stultum. *Bonartius apud eundem ibidem.*

132 II. Ob rationabilem causam quamcunque integras Horas transponere, omni culpâ vacabit, ob regulam datam supra §. 2. *N. IV.* Exempli gratiâ. Clericus vel Religiosus, etiam culpabiliter prius non dicto, vel neglecto Matutino, postea vocatus ad Primam, aut quâcunque causâ tardius veniens ad Chorum, Horâ unâ jam finitâ, licitè & laudabiliter pergit cum Choro, Horam nondum dictam postea repetiturus. Item non habens ad manum Breviarium in itinere v. g. sed Diurnale tantùm, sine omni culpæ scrupulo recitabit interim Horas minores, postea domi vel in hospitio recitaturus Matutinum ejusdem diei. Quia illa Breviarij carentia est causa sufficiens ejusmodi transpositionis. Idémque est, si nondum dicto Matutino, vel Horis prioribus rogaris ab aliquo, ut cum eo recites Horas minores vel Vesperas, siquidem sit alicujus authoritatis. Lessius *l. 2. de Just. c. 27. n. 8. Amicus, Bonartius* apud *Gobat* consentientem *num.* 644. Idémque si expectes majorem commoditatem postea recitandi Horas priores. Matutinum v. g. cum socio, sicut & tutò pergis in Vesperis jam cæptis, si tunc recorderis te nondum dixisse Nonam v. g. Et ita in similibus. Gobat *cit. num.* 664.

III. Ob similem rationabilem causam etiam 133
partes Horarum transponere culpâ vacabit, e. g.: seriùs veniens ad Chorum vides, tuos Fratres chorales jam esse seu parùm seu multùm progressos in aliqua Hora, licitè & laudabiliter pergis statim cum Choro, postea partem omissam repetiturus: & longè laudabiliùs, quàm si volens priùs supplere, interim Chorum obsequio tuæ vocis defraudes. *Navarrus, Toletus, Sa*, alij cum Layman *l. 4. tr. 1. c. 5. n. 7.* Item si in itinere, vel aliàs Breviarium ad manum non est, habes autem Diurnale continens Psalterium, & Matutinas dispositas, licitè recitas Nocturnum, vel Nocturnorum Psalmos cum Antiphonis, ac etiam cæteris Horis sequentibus, lectiones lecturus postea domi, in diversorio. Ex communi *Layman, Tambur. Bonartius, Gobat ll. citt.* Idémque est, si commemoratio, propriæ lectiones de festo, vel quid simile ad manum non est. Item si Nocturnum unum aut Psalmos per inadvertentiam transilijsti, si commemorationem, nonam lectionem, vel quid simile omisisti. & solùm post Laudes observes errorem: satis est, si post Primam v. g. quam jam incipis, suppleas defectum. *Communis apud eosdem.*

IV. Qui absque ulla ratione incipit Officium 134
sequentis diei, nondum finito Officio præcedentis: v. g. nondum dictis Vesperis & Completorio, orat Matutinum in crastinum, venialiter delinquit secundùm Suarez *l. 4. de Orat. c. 24. Palaum, Bonartium*, alios communiter; sed certè absque ratione convincente: posse tamen facillimè reperiri causam excusantem, sive sufficientem rectè monet Gobat *n.* 666. v. g. si modò habeas socium: si priùs recitatis Vesperis & Completorio, timeas tibi lucem diei defuturam pro Matutino. At, quid de recitantibus Matutinum post Missam primùm absque rationabili causa? Certè Azorius *p. 1. l. 10. c. 8.* testatur omnes ad unum Theologos & Canonistas priores Dominico Soto, talem damnâsse peccati mortalis: at cum eodem Soto, & post ipsum plerique absolvunt à mortali, & permulti etiam à veniali, per se loquendo, cum Suarez *cit. n. 6.* nisi ita serò sacrifices, ut si velis post Sacrum recitare Matutinum, inchoabis elapso jam tempore ordinario, scilicet antemeridiano. Sed de hoc ex professo agetur, & nos dicemus in materia de Sacrificio Missæ.

§. IV.

Continuè singulæ.

I. HOræ Canonicæ singulæ recitandæ sunt 135
continuè, ut scilicet una cæpta dicatur usque ad finem continenter absque notabili interruptione, vel interpositione, uti præcipiunt SS. Ca-

SS. Canones *c. nullus de Consecratione d. 1.* Et in Concilio Basileensi *sess. 22. c. Qualiter Hora*: ut proinde omnium consensu peccet, qui absq; omni causa rationabili unam Horam notabiliter interrumpit (nam parùm pro nihilo reputatur) nam sic unitas & forma orationis ab Ecclesia instituta dissolvitur: éstq; species irreverentiæ erga Deum, cæptum cum Deo colloquium (& quidem Ministrum ex Officio ab Ecclesia ad id specialiter deputatum) non necessariâ & impertinente actione, locutione, cessatione, interrumpere notabiliter, quod homo à servo vix toleraret, tantóque gravior culpa erit, quò diuturnior est interruptio, & actio interposita vanior vel turpior. Atque adeò, si valde notabilis & diuturna sit interruptio absque ulla rationabili causa, mortale censent cum obligatione repetendi priorem partem abruptam, graves DD. Navarrus *de orat. c. 16. n. 75.* Medina *q. 16. de orat. a. 3.* Azorius *cit. c. 8. q. 5.* Vasquez *supra.* Marchant. *cit. tr. 3. sect. 5. q. 4. in Corollario.* Sed certè nulla lex naturalis vel Ecclesiastica prohibet tam severè istam interruptionem; nisi fortè adeò sæpe, consuetudinariè & enormiter fieret, ut gravem deformitatem, neglectum & contemptum in re divina involveret; quod certè rarum erit. Dico ergo

136 II. Per se veniale tantùm est Horam Canonicam cæptam, absque omni rationabili causa interrumpere etiam notabiliter per multas Horas. Ita communis DD. Suarez *loco cit.* Sanchez *l 4. Consil. Moral. c. 2. dub. 19.* Less. *l. 2. Just. c. 37. n. 57.* Layman *cit. l. 4. tr. 1. c. 5.* Tannerus *aliisque citatis.* Diana *p. 2. tr. 12. resol. 4.* Tamburinus *l. 2. Decal. c. 5. §. 3. n. 11.* sic statuens: *Quacunque interruptio, sive extra Chorum, sive intra (præscindendo a scandalo) dummodò continuatio fiat intra eundem diem, peccatum mortale nequaquam attingit. Itáque qui unum nocturnum, vel etiam unum duntaxat Psalmum hoc mane recitat, vel recitavit pridie Vesperi, si postea, antequam expiret tempus præscriptum recitandi, nempe media nox sequens, recitat, quod recitandum supererat, non erit culpæ mortalis reus.* Sic ille liberaliter. Ratio est: quia jam intra latitudinem temporis præscripti totum Officium persolvitur: & ex alia parte in hoc non apparet irreverentia gravis. Quia cùm quilibet Psalmus v. g. contineat perfectam orationem & laudem DEI, neque habeat necessariam connexionem cum consequentibus, sed tantùm accidentalem ex ordinatione Ecclesiæ, hinc qui Horam etiam diuturno tempore interrumpit, tamen reverâ implet rem præceptam quo ad substantiam, tam in materia, quàm forma substantiali, ut supponitur; etsi in accidentali modo continuationis non servato peccet contra ordinationem Ecclesiæ, tamen in re non adeò magna non plùs, quàm venialiter.

137 III. Accedente autem aliquâ rationabili causâ necessitatis, vel utilitatis, charitatis, etiam affabilitatis erga proximum, etiam levis culpa facilè vitabitur in interruptione non nimia alicujus Horæ, Deo O. M. humanis moribus ita per suam bonitatem indulgente, quod certè non indulgeret superbus quilibet humanus Princeps, ait Tamburinus *cit. n. 12.* ut si negotium quodcunque utile interveniat, v. gr. confessionem alicujus audiendi, infirmo succurrendi, amicum salutandi vel alloquendi, respondendi &c. si quid interim facias ad tollendam distractionem, aut aliquid te interiùs faciat inquietum seu sollicitum, & ideo aliquid breviter notes in charta, vel mandes famulo; ut ex Suarez etiam superiùs notatum. Item si in Confessionali exspectes otiosè Pænitentes, quidni interea licitè inchoes Matutinum, esto, minimè dubius, te aliquoties interpellatum iri, ait Gobat *n. 617. fine.* Ais: quando ego sic interrumpo, seu justâ seu nulla causâ, statuo firmiter postea resumere de novo: quid si postea non repetam denuo? Certè *Navarrus, Azorius, Reginaldus*, damnabunt te noxæ lethalis in materia sufficiente: at certè immeritò. Venialis tantùm culpæ damnant te rectè *Sanchez, Lessius, Layman*, ac alii communiter. Nam mutatio meri propositi in re per se non obligante graviter, nunquam est per se mortaliter mala, ut liquet innumeris instantiis & exemplis in omni genere virtutum & vitiorum: cur ergo sit in proposito? interim mi bone vir, sive tale propositum præmiseris. sive non, sive absque justa causa, sive ex justa causa, & alioquin sine dubio excusante à peccato, facta sit notabilis interruptio, omnino decens est, ut de novo inchoetur, aut ille Nocturnus, in quo facta est, aut saltem Psalmus vel Lectio, quem vel quam interrupisti, ut provide monent Navarrus *cit. c. 16. n. 7.* Layman *c. 5. n. 7.* Gobat *n* 670. *fine.*

IV. Apud omnes autem in confesso est, semper 138
licitum esse separare Matutinum à Laudibus, neque ad id requiri ullam peculiarem causam honestam, ut contra Azorium habet *communis DD.* Sanchez *cit. dub 20. Tanner Layman*, alii passim. Etenim hæc separatio olim erat frequentissima & quasi ordinaria, & distinctum initium Laudum indicat, neque ulla nova lex vel consuetudo contraria intereà id vetuit: dummodò tamen ad finem Matutini addatur Collecta diei, & ad initium Laudum præmittatur *Pater noster, & Ave Maria*, prout fit, & speciali Rubricâ præscribitur in nocte sanctissima Nativitatis Christi: ut cum aliis monent Diana *p. 5. tract. 14. resol. 48.* & Gavantus *Rubricis Breviarij, sect. 4. c. 3.* at certè id solùm ex pia consuetudine: nam de nulla lege obligante constat. Quare utrumq; negat Azorius: primum verò etiam *Sanchez, Bonacina*, alii multi. Denique etiam separationem unius Nocturni ab altero, etiam absque causa, nullam continere culpam censet Lezana *to. 1. cap. 12. n. 16.* saltem non plùs, quàm venialem, communis est sensus DD. *Navarrus, Azorius, Reginaldus*, alii passim. Nec exigitur gravis ratio ad tollendam omnem culpam ejusmodi separationis per dimidiam circiter horam: & postea dicturus alium Nocturnum non præmittis necessariò Pater & Ave: ut contra Reginaldum bene docet Azorius *cit. c. 8. q. 4.* Et universim ejusmodi separationem partis Matutini à reliquis, non excedere culpam venialem, etiamsi fiat per 30. ferè horas, dummodò intra unum diem naturalem recitetur totum

Universidad de Deusto
Biblioteca

totum Breviarium, censet Quintanadvenas *cit. tr. 8. singulari 2.* apud Gobat *n. 672.* non repugnantem. Dices tandem. Ego quidem ejusmodi voluntariam interruptionem Horarum pro posse caveo & horreo: at somni molestia me subinde cogit interrumpere. De hac ita scribit Sanchez sæpe cit. l. 7. c. 2. dub. 33. *Qui vexatur a somnolentia, ut pronuntiet Horas suas, vel audiat Sacrum eâ attentione, quod saltem videt, quod non omittit dicere vel audire aliquod verbum, licet propter gravitatẽ vel molestiam somni non attendat ad significationẽ, vel ad aliam meditationem, non peccat saltem mortaliter; quia sic habet attentionem necessariam. Secùs si dormiat per notabilem partem Horæ, aut si recumbat in lecto ad recitandum eo tempore, & in circumstantiis, ut probabiliter attentâ fragilitate suâ, & dormiendi consuetudine, credere possit se dormiturum, & omissurum id, ad quod tenetur. Ratio, quia exposuit se probabilissimo omittendi periculo.* Sic ex Navarro Sanchez.

§. V.

Tempestivè &c.

TEmpestivè recitandæ sunt Horæ, sic ut omnes absolvantur intra præfinitum tempus, & singulæ dicantur suo statuto tempore. Quare duplex hic tempus considerandum est toti? Officii inchoandi & finiendi, & singularum Horarum recitandarum, ac deinde breviter de circumstantiis loci & situs, seu habitûs corporis.

I. Tempus totius Officii divini.

1391. AMatutino utique ad Completorium absolvendi ex primæva institutione & antiquissima consuetudine incipit à media nocte præcedenti, usque ad mediam noctem sequentem diei: attamen ex receptissima jam consuetudine, cuilibet fas est Matutinum cum Laudibus dicere pridie Vesperi: juxta communissimam DD. D. Thomas mox citandus, Azorius *supra*, Suarez *l. 4. c. 27. n. 14.* Lessius *l. 2. de Just. c. 37. n. 79.* Layman *cit. cap. 3. n. 7.* alii passim omnes: idq; factitant sine scrupulo passim piissimi Sacerdotes, etiam Sæculares, nedum Religiosi Privilegiati. Rationem hujus consuetudinis congruam reddit D. Thomas. *Quod. lib. 5. c. 28. Quia solemnitas diei sequentis à Vesperis incipit, ideo meritò usus obtinuit, ut post publicum Officium, Vesperas & Completorium à meridie ordinariè in Ecclesiis jam persolutum ante horam quartam, deinceps preces nocturnas inchoare liceat.* Sic S. Doctor.

140 II. At quânam horâ præcedentis diei, fas est Matutinum inchoare & dicere? Certum videtur apud omnes, tam æstate, quàm hyeme fas esse incipere ab hora quarta, prout indicavit D. Thomas, eò quòd Vesperæ & Completorium (à quibus incipit solemnitas sequentis diei) jam persoluta sint. Imò hyeme, quando circa horam quartam sol jam occumbere incipit, etiam licitè aliquando anticipari Matutinum sequentis diei, ex communi notat Layman *loc. cit.* At quanto tempore etiam liceat anticipare? variè sentiunt varij. *Escobar. Tract. 5. Examin. 6. n. 60.* determinat, mortale esse incipere horâ 2. post meridiem: veniale, mediâ tertiâ citra justam causam; nullum horâ tertiâ: consentiente Bonartio quoad tertiam, & à fortiori consentiunt sequentes. Quintanadvenas *Singularium tract. 8. singulari 2.* testatur certum esse, non peccare mortaliter, qui incipit statim horâ secundâ post meridem: idque à mortali etiam excusant Sanchez *cit. dub. 37.* Tamburinus *l. 2. Decal. c. 5. §. 5. n. 34.* Et *Mart. Ledesmam, Fabrum, Anolfesium* citans Diana *p. 4. tract. 4. resol. 5.* Idque etiam à veniali excusat plures Recentiores allegans Leander *disp. 4. q. 93.* & probabile censet Tamburinus *loc. cit.* consentiente à fortiori, nostro Josepho Angles, qui permittit in hyeme incipere tribus horis ante occasum Solis. Occidit autem Sol in nostris partibus in hyberno solstitio, quartâ horâ post meridiem. Tandem quidam apud Tamburinum *cit. n. 3.* meritò repugnantem, putat posse inchoari statim post meridiem. Circa has varias opiniones

III. Placet judicium P. Gobat. *num. 680.* ita 141
statuentis. Tempore hyberno, id est, ab æquinoctio autumnali usque ad vernum licitum est incipere Matutinum ab hora tertia, etsi nulla adsit rationabilis causa. Nam Sol tunc jam est propinquior occasui, quàm meridiei in æstate: Sanchez, aliique citati. Etiam Tannerus *tom. 3. d. 5. q. 1. n. 165.* Tempore verò æstivo, id est, ab æquinoctio verno usque ad Autumnale, quælibet rationabilis causa sufficit ad licitè inchoandum eâdem horâ tertiâ. Cùm enim tanta Authoritas probet vel nullum, vel solùm veniale peccatum admitti tunc recitando, quælibet causa non imprudens, adeóque major commoditas tollet omne peccatum coram DEO, præsertim cùm videatur patrocinari consuetudo. Sic Gobat ibi: & paulò suprà *n. 679. fine*, probabilem censens Sententiam Sanchez, & aliorum, non esse mortale incipere horâ secundâ propter tantam authoritatem, concludit: nec dubitarem sequi pridie Festi, quo essent mihi excipiendæ Confessiones, ab hora tertia usque ad Cœnam, ait ipse: multò magis si usque in noctem seram; idémque esto judicium de alia simiiliter causâ properandi cum oratione.

IV. Tempus tandem præfinitum implendi to- 142
tum Officium divinum diei, est media nox sequens, quo tempore transeunte cessat obligatio illius diei Officii recitandi, & seu culpabiliter, seu inculpabiliter omissi repetendi, secundùm omnes: cùm Officium cujusque diei, sit suo diei alligatum. Gobat hic *n. 691. & seq.* refert; ac optimè latè refutat inauditam hactenus opinionem Leandri, non improbabile, sed probabilissimum esse, quòd præceptum recitandi Horas impleat, qui incipit hodiernum Officium recitare paulò ante mediam noctem diei sequentis, puta medio duodecimæ, si ipsum sine interruptione prosequatur post mediam noctem, eo potissimum fundamento, quòd omnes Horæ sequentes efficiant unum totum integrale cum Matutino, jam tempore habili incepto, & fortè jam absoluto: si ergo per-

pergatur in Horis sequentibus, poterunt omnes dici inchoatæ non post duodecimam, sed medio duodecimæ unà cum Matutino continuò tunc inchoato. Et cur non etiam, qui feriâ quintâ serò paulò ante mediam noctem incepit cœnam carnium, poterit post mediam noctem continuare, eò, quòd reliquæ comestiones carnis cum præcedentibus tempore licito inchoatis, multò magis faciant unam moraliter cœnam, quàm Horæ reliquæ cum Matutino tempore habili inchoato? Certè si ista Sententia probabilis sit, probabilis etiam censeri debet illa alia Sententia tradita à Caramueli *Theolog. Regul. d. 114. a. 2.* at damnata sub Alexandro VII. *Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.*

II. Tempora singularum Horarum.

143 I. TEmpora statuta singulis Horis persolvendis ex primæva institutione sunt illa, quæ ipsis nominibus Horarum præferuntur: scilicet recitentur, Matutinum circa mediam noctem: Laudes sub auroram: Prima ad ortum Solis: Tertia tempore medio inter ortum Solis & Meridiem, quod in æquinoctio est circa nostram horam nonam: Sexta in ipso meridie: Nona tempore medio inter meridiem & Solis occasum. Vesperæ ad Solis occasum: Completorium sub crepusculum nocturnum; prout etiam indicant singularum Horarum Hymni, & inter alios declarat Layman *cit. l. 4. tract. 1. c. 3.* Verùm hæc originaria distributio, ob humanam fragilitatem & occupationem multiplicem, quoad omnia dudùm servari desiit etiam in recitatione publica. Laudatissimè tamen servabis in recitatione privata.

144 II. Publicè in Choro servanda sunt tempora consueta Ecclesiarum, etiam sub mortali. Et quamvis consensu omnium DD. optimum & utilissimum sit etiam in privata recitatione, quantùm fieri potest ad unguem observare tempora statuta ab Ecclesia; quia privata recitatio semper ordinem quendam ad publicum Officium retinet, ut nimirum non solùm idem Officium, quod in Choro, sed etiam eodem tempore, quo in Choro, privatim recitetur: id tamen necessarium non est, sed ad omne peccatum vitandum sufficit Matutinum (de quo suprà) cum Horis minoribus esse recitatum ante prandium, seu meridiem, exceptâ Sextâ & Nonâ, quæ juxta primævam institutionem licitè circa, vel paulò post meridiem recitantur; Vesperas & Completorium longiùs post meridiem saltem circa occasum Solis, aut crepusculum nocturnum respectivè. Excepto tempore quadragesimali à Sabbatho primæ Dominicæ, quo etiam privatim fas est dicere Vesperas ante prandium, non tamen necesse ex obligatione. Nam Rubrica, *& c. solent. de Consecr. d. 1.* si quod continent præceptum, tangit id solùm Chorum. *Bonartius, Escobar. Gobat. n. 686.*

145 III. Tempora statuta singulis Horis in privata recitatione non servare etiam notabiliter & absque ulla causa, non est mortale secundùm communissimam Sententiam DD. adeò, ut mortale peccatum certò evitetur, dummodò totum Officium quocunque diei tempore recitatum, absolutum sit ante medium noctis sequentis: secluso tamen scandalo & contemptu, ubique mortali. Meritò autem (Judice P. Marchant.) præsumeretur contemptus saltem interpretativus, si quis ordinariâ & consuetudinariâ insolentiâ quasi semper ita mutaret tempora Horarum susque déque pro libitu absque ulla causa: talis enim omnino censeretur vilipendere ordinationem sanctissimam Ecclesiæ, & institutionem divini Officii, ideóque tandem à mortali non excusandus. Communi tamen etiam consensu DD. veniale crassum est, absque ulla rationabili causa tempora statuta transgredi notabiliter, eóque gravius, quò longiùs à præfinito tempore receditur, uti notant Navarrus, Layman *cit.* alii, ut si ex mera desidia Matutinum, Primam, Horasque minores differas usque post meridiem, aut pejus in seram noctem: aut contrà absque rationabili causa Vesperas vel Completorium recites ante meridiem: nec tamen tunc teneberis postea repetere post prandium. Bonacina *De Horis Canonicis q. 3. n. 6.* Lugo. *d. 16. de Eucharist. n. 80.* Gobat *n. 682.* Neque enim Ecclesia obligat ad eandem Horam bis in die. De his mox iterum aliquid.

IV. Quando occurrit justa & rationabilis cau- 146
sa quæcunque, ob quam Horæ statis temporibus recitari commodè nequeant, licitum omnino erit pro libitu transferre, semper tamen consultiùs anticipando, quàm differendi nimiùm, juxta notum illud Hugonis de S. Victore. *Ante horam orare providentiæ est, post horam negligentiæ; in hora obedientiæ.* Sic toto die studiis, aliisve occupationibus necessariis occupandus, licitè omnes Horas minores summo manè persolvit, ob majorem tunc quietem & collectionem; aut si occupatio nimiùm duratura vel fatigatura prævideatur, etiam Vesperas adjungere licebit, non tamen Completorium, ut habetur *c. 1. de celebr. Missarum*, nisi major necessitas (certè vix contingens) urgeat. Quin universaliter Bonartius apud Gobat *n. 681.* testatur, quòd quælibet causa honesta vel utilis, uti est major devotio, major commoditas studendi, excusèt à veniali dicentem manè uno tractu à Prima ad Nonam inclusivè. Pro majori tamen securitate PP. Societatis fruuntur Privilegio Apostolico expresso his verbis: *Ratione itineris aut alterius occupationis, quando creditur, quòd cum majori devotione dicetur divinum Officium, potest illud à nostris recitari manè totum usque ad Completorium.*

At, quid si prævideam me in aliquo convivio 147
tam largè bibiturum, ut non sim idoneus mansurus ad Vesperas & Completorium persolvendum: posúmne, an etiam debeo persolvere antequàm adeam illud periculosum epulum? Casum hunc proponit, & resolvit Layman *cit.* de Canonico confitente se frequenter ad convivia invitari, & cùm sæpiùs expertus sit, se postea ineptum reddi, ad dicendas Vesperas & Completorium, solere anticipare ante meridiem. Resp. *Layman*, hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidem nunquam suadendum esse, nec permittendum per se loquendo, cùm omnino deceat Clericos in Conviviis, etiam honestis & necessariis, ita moderatè se gerere, ut saltem Officio unius quadrantis satisfacere possint; posito tamen, talem convivia honesta vitare non posse, & sæpiùs expertum contra intentum & propositum, tamen ineptum factum, Vesperas omisisse, etsi non mutato tali proposito, absolvendum esse, cùm solùm sit peccatum veniale, eáque consuetudo permitti poterit, cùm ex duobus malis minus sit eligendum, quando utrumque vitari non potest.

III. Locus dicendi Horas.

148 OFficium publicum dicendum est in Ecclesia ex stricto præcepto, concernente Ecclesias Cathedrales, Collegiatas, & Regulares. Patet ex recepta & universali consuetudine, & *Clement. 1. de celebr. Missarum.* Quosnam autem concernat obligatio recitandi in Choro, & Ecclesia, satis dixi *sect. 2. §. 2.* Pro privata recitatione Horarum aptus est quisvis locus honestus, juxta illud Psalmi 102. *In omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino*; modò non sit expositus distractionibus, seu in quo non impediatur attentio saltem externa, secundùm omnes, ac etiam interna secundùm communiorem, juxta dicta *de attentione requisita.* Quin imò (contra *Sotum Navarrum, Bonacinam, Castro-Pal.* alios) à peccato etiam veniali excusant Sanchez *cit. l. 7. c. 2. dub. 44.* Angles *apud ipsum: Trullenckus, Caramuel*, alii apud Dianam. *p. 10. tract. 11. resol. 33.* illum, qui in locis immundis naturam exonerando hærens huic sanctæ actioni vacat. De quo Tamburinus *l. 2. Decal. c. 5. §. 6. n. 2.* sic loquitur: *Si locus ejusmodi sordidus, sine delectu eligatur ad Horas recitandas, aliásve preces, cùm potest mundior eligi, aliquam irreverentiam committi probabile est. At si semel casu, vel ex aliqua occasione in loco immundo reperiaris, orato libenter: quia etiam in loco sordido, orare est melius, quàm otiosum esse. Molfesius refert quendam, qui in locis immundis orabat Officium, in ijsdem post mortem luisse pœnas: meritò; is enim non ex amore non cessandi à Dei laudibus in quocunque loco, sed fortasse temerè, & sine delectu, cùm alibi facilè potuisset, in locis sordidis sacrum pensum persolvebat.* Sic Tamburinus consentiente Gobat, & me.

IV. Situs, seu habitus recitantis Horas.

149 I. IN Choro & publica recitatione divini Officii servandus est situs & habitus corporis stando, genuflectendo, sedendo, præscriptus in Rubricis: is tamen ipse non ex obligatione sub peccato, sed tantùm gratiâ majoris devotionis & solennitatis. Navarrus *de Orat. c. 4.* Zerola *v. Hora n. 4.* Suarez *t. 3. de orat. n. 28.* Herinx *cit. q. 3. n. 29. 2.* Extra Chorum privatâ recitatione, optimum & laudabilissimum est, se accommodare consuetudini Chori, pro diversis Officii divini partibus stando, genuflectendo, vel etiam devotè sedendo, prout hortatur D. Bonaventura *speculi p. 2. c. 10. 3.* Universaliter autem in Horis divinis præstat orare stando, quàm genuflectendo ob antiquissimum Ecclesiæ morem, & Sanctorum, nominatim SS. P. nostri Francisci exemplum, latè ostendit Jacobus Alvarez de Paz. *de orat. l. 1. p. 2. c. 6. longius post medium.*

4. Sed horum omnium nulla obligatio. Tu serva situm & habitum corporis privatim, qui tuæ devotioni, aut publicæ coram aliis ædificationi magis deservit, satisfacis enim obligationi, sive genuflectendo, sive stando, sive sedendo, sive ambulando honestè persolvas sacrum pensum, ut omnes consentiunt, quanquàm Tamburinus suprà observet, posse delinqui venialiter per situm, quando est immodesta corporis compositio. Situm jacentis ob indecentiam & periculum indormitionis, jam suprà reprobavit Lessius, nec scio quis probare possit, nisi in infirmis.

CAPUT III.

De Causis excusantibus ab Horis.

SUMMARIUM.

151. Usque ad n. 155. *Quando censeatur impotentia, v. gr. ex oblivione, carentia Breviarii, cæcitate, vel metu, excusans à recitatione Horarum.*
155. *Quando excuset infirmitas?* Usque ad n. 161. &
161. *Quando Charitas sui, vel proximi? ac*
162. *Quando occupatio gravis.*
165. *An liceat sponte assumere occupationem cum retitatione Horarum incompossibilem.*
166. Usque ad n. 170. *Quisnam possit validè & licitè dispensare ab Officio Can.*
170. *An impeditus statis horis teneatur Officium Can. anticipare, vel postea supplere?* Usque ad n. 174.
174. *An ob impedimentum non potens dicere totum, tenatur ad partem, quam potest?* Usque ad n. 179.
179. *An ob cæcitatem, vel aliam causam non potens recitare solus, potens autem cum socio, teneatur adhibere socium?* Usque ad n. 184.
184. *An non potens dicere Horas teneatur aliquid aliud orare, orantem audire, vel alium substituere.*

RESOLUTIO SEPTIMA.

150 CAusæ excusantes à recitatione Horarum Canonicarum, ut licitè omitti possint, & quandoque debeant, convenienter reducuntur ad 4. capita: *Impotentia, infirmitas, charitas, seu occupatio gravis, dispensatio legitima, seu privilegium.* Numerant aliqui etiam *metum*, sed certè comprehenditur sub impotentia morali. Ita in re omnes. Agimus autem de causis excusantibus ad privatam omissionem Horarum. Nam quoad recitationem publicam in Choro, tres causæ excusantes memorantur à Bonifacio VIII. Nimirum *Infirmitas corporalis, necessitas, utilitas Ecclesiæ.* De qua re raræ praxis videri possunt latè DD. citandi.

§. I.

Impotentia.

151 IMpotentia quæcunque physica vel moralis recitandi Officium divinum excusans generatim comprehendit etiam alias causas excusantes, scilicet infirmitatem, & occupationem gravem; eatenus enim hæ excusant à recitatione, quatenus hominem physicè vel moraliter impotentem reddunt ad recitandum, speciali tamen titulo impotentiæ excusant sequentia.

I. Inculpata oblivio unius vel plurium Horarum (totius enim Officij moraliter non potest dari inculpata oblivio) Quò etiam spectat inculpata ignorantia obligationis, legendi litteras, ac recitandi Breviarium, quâ pueros ad beneficia assumptos non rarò laborare contingit, imò & alios. Peccant quidem graviter, qui nescientes legere suscipiunt sacrum Ordinem, vel Beneficium, vel profitentur Religionem Choro adstrictam, nisi spes sit, quamprimùm fore, ut legere sciant: quia tunc deciperetur Ecclesia, vel Religio in re gravi, ut suprà *sect. 2. §. 2.* dictum fuit: at postea jam constituti in Sacris, vel professi, non peccabunt Officium non recitando, quamdiu inculpatè ignorant legere & recitare, cùm ad impossibile nemo teneatur: quòd si tamen talis beneficium obtineat, quod datur propter Officium, aut Officium quamprimùm addiscere, aut beneficium dimittere obligabitur, *secundùm omnes.* Unde P. Tancredus apud Tamburinũ *cit. c. 5. §. 1. n. 18.* quendam, qui totum ferè diem insumebat in recitando Officio, illud mutilando, deturpando propter summam insciti am & asininam ruditatem, ac incapacitatem, liberavit ab onere recitandi Officium tanquam impotentem, attamen ad dimittendum beneficium meritò condemnavit, quod nimirum cum talibus semper faciendum est, excepto casu, quo hæc tria concurrant. 1. quòd ipse sic ignarus non fuerit in culpa in sua ordinatione. 2. quòd non habeat aliunde quo vivat. 3. quòd statum illum non assumpserit, nisi spe illius beneficij. Sic ex communi Tamburinus *l. cit.* quem vide.

152 II. Inculpata carentia Breviarij, puta quia in itinere perdidit, quia furto sublatum, utique excusatur, quamdiu inculpabiliter Breviario caret, à recitandis illis, quæ sine Breviario recitare non potest: utique non ab illis, quæ vel potest recitare ex Diurnali habito, vel quæ memoriter tenet, ut mox in simili iterum dicam de cæco. Quòd si quis Breviarium sponte abjecit, vel aliàs Breviario culpabiliter caret, tamdiu quidem peccato mortali omissionis Horarum obnoxius manet, quamdiu de culpa commissa non pœnitet, nec voluntatem satisfaciendi suo Officio concipit; at postquam pœnituit, & propositum satisfaciendi, quamprimùm poterit, concepit, omissio divini Officij deinceps non imputabitur ad peccatum, quamdiu aliud Breviarium acquirere non poterit: quia tunc omissio cessabit esse voluntaria, tam in se, quàm in sua causa. Ita omnes passim. Audi casum apud Caramuel *Theol. Regul. d. 117. dub. 2.* Quidam ingressus navim commoditatis causâ, tulit secum Diurnale (in quo tamen continebatur etiam Psalterium dispositum per hebdomadam consentiens Thomæ Sanchez *l. 1. mor. cap. 19. n. 7.* asserenti, legentem ea, quæ continentur in tali Diurnali, Officio divino satisfacere. Postquam solverat à portu, mutavit sententiam, secutus juniorem Joan. Sanchez *select. disp. 15. n. 2.* asserentem, in Diurnali non contineri integrum Officium, ac proinde carentem Breviario, etsi Diurnale habeat, non teneri legere Officium, sicque non legit: quæritur, an peccet? Respondet Caramuel, non peccare, tametsi ne verbulum recitet de Matutino: eò quòd liceat mutare, & pro libitu sequi Sententias utrinque probabiles,

ut sunt in proposito. Sed latè & optimè refutat P. Gobat. *n. 692.* Ad fundamentum *Resp.* necessariâ distinctione. Licet mutare & pro libitu sequi opiniones utrinque probabiles, si ex ea mutatione non sequatur elusio certi præcepti, concedo: si sequatur, ut in proposito, negatur, utpote falsissimũ. Vide *Tract. 1. Decal. c. 1. n. 35.* & obvios quosque de conscientia & opinione probabili.

III. Cæcitas utiq; excusat à legendo: at certè non 153
à dicendo divino Officio, quantùm quis memoriter dicere novit, dummodò magnam vel majorem partem Officij memoriter teneat, juxta generatim dicenda *§. ult. dub. 2.* Ita communis DD. Navarrus *c. 11. de orat. n. 15. Philarchus, Azorius, Suarez, Sanchez, Layman, Tamburin. Gobat*, alij passim. Etsi de hac obligatione dubitent Sotus & alij apud Sanchez *l. 7. Consil. moral. cap. 2. dub. 46.* & absolutè eximat cæcum, etsi memoriter teneat Breviarium, Toletus *l. 2. cap. 14.* Sed immeritò: quandoquidem lex hæc non pendet ab oculis, sed à potentia morali recitandi. Et quis excuset carentem quidem libro, at tenentem omnia memoriter; quin Sanchez *cit. dub. 47.* absolutè docet paucos, qui diu recitârunt Breviarium, ob cæcitatem excusari in totum ab Officio divino, eò quòd tales plerique teneant memoriter Psalmos, & Hymnos omnium Horarum minorum, multósq; Psalmos ex Matutinis. Denique Tamburinus *sæpissimè cit. l. 2. Decal. c. 5. §. 8.* ac Leander *disp. 5. q. 27.* excusant quemcunq; laborantem ex oculis, si timeat, ne legendo deperdat vim videndi; etiam non obstante, quòd talis legat fabulas vel historias: etsi enim has legendo cum detrimento visûs, peccet contra charitatem sui, non tamen contra Religionem non solvendo pensum Horarum: sed sanè hìc cavendum, ne tribuas plùs inani imaginationi, quàm prudenti metui, ut prudenter monet Gobat *n. 718.*

IV. *Metus* denique excusat, quando ex recita- 154
tione Horarũ quis prudenter timet grave malum, seu notabile damnum in propriis, vel alienis bonis; puta jacturam vitæ vel fortunarum, ut contingit versantibus inter hæreticos vel infideles. Item si timeatur infirmitas (de quo mox) læsio capitis, visûs &c. P. Tancredus apud Tamburinum *cit. c. 5. §. 1.* consentientem liberat. 1. Sacerdotem damnatum ad mortem pro tribus diebus morti proximis. 2. Quemcunque captum ob enorme crimen certò plectendum infami morte. 3. Summè mœstum & afflictum repentino & maximo mœrore ob gravissimum infortunium, utpote jacturam maximam bonorum, mortem filij &c. talis enim nequit attentè orare: atqui melius est penitùs non orare, quàm distractè, juxta Joan. Sanchez *suprà cit. d. 15. n. 2.* Sed certè generaliter non assentior cum Gobat *num. 709.* nisi in casu, quo tanta erat eorum perturbatio, ut maximam adferret difficultatem, & moralem quasi impotentiam orandi: quod sanè non semper fit, cùm tales in ejusmodi perturbationibus non rarò negotia magni momenti expedire videamus. Certè Leopoldus Wilhelmus post acceptam horribilem

Universidad de Deusto
Biblioteca

cladem ad Lipsiam à Suecis, tamen reliquum Officij divini postea persolvit. *Nicolaus Avacinus invita.* Vide Gobat *n.* 710. Tandem etiam huc spectat is, qui ex metu cadente in virum constantem factus est Subdiaconus, aut Religiosus: nam ut talis non tenetur servare votum Castitatis, ita neque præceptum de Horis Canonicis. Ex communi Sanchez *l.* 7. *de matrim. disp.* 29. *n* 7. At, dubitat quis, an intervenerit error substantialis in sua ordinatione? etiam talem excusat Tamburinus *l.* 1. *Decal. cap.* 3. §. 7. Sed de hoc alibi. De scrupulosis aliquid §. 4. *fine.*

§. II. *Infirmitas.*

155 I. EXcusat etiam secundùm omnes, omnis vera & gravis infirmitas debilitans hominem, ut sine gravi corporis, capitis, visûs &c. incommodo recitare non possit Horas suas, vel in parte, vel in toto. Sicut autem certum est, non requiri infirmitatem gravissimam ac velut extremam cum omnimoda & physica impotentia, sed sufficere verè gravem & moralem saltem impotentiam recitandi inducentem, quia Ecclesia pia Mater nequaquam cum tanta severitate nobiscum agit: ita quóque certum est, non sufficere quamlibet levem infirmitatem, quæ moraliter non adfert impedimentum, quales ordinariè sunt febres leviores tertianæ & quartanæ, quæ non solùm diebus intercalaribus (seu bonis, ut vocant) sed etiam diebus paroxismi plerumque satis temporis relinquunt Horis recitandis, ut monent communiter DD. cum Innoc. & Abbate in *cap.* 1. *de celebrat. Missar. Navarrus, Bonacina*, alij, & bene Gobat *n.* 715. contra Leandrum nimis laxè omnem laborantem tertianâ vel quartanâ eximentem, nisi loquatur de diebus malignis, de quo inferiùs rursum. Verùm jam idipsum dubitatur, quænam generaliter censeri debeat infirmitas gravis sufficiens ad excusandum: Navarrus *Man. cap.* 25. *n.* 10. illam censet infirmitatem gravem, quæ non admittit colloquium aliorum vel tractationem rerum seriarum. Verissimè talis gravis est infirmitas & sine dubio excusans à recitandis Horis, sed certè nimis strictè definita. Pono unam & alteram regulam, addóque exempla.

156 II. Infirmus tutò stat judicio Medici, aut in hujus defectu, alterius viri experti, & maximè Superioris, quippe potentis eo casu dispensare. *Omnes.* Quare ut infirmus non teneatur recitare Officium divinum, sufficit, quòd ei dicat Medicus, ut non recitet: (imò jam sufficienter habes judicium Medici, quando scis te laborare eâ infirmitate, quâ alij, quibus Medicus eam recitationem interdixit, ut in simili notat Gobat *n.* 475.) Nam infirmus quoad sanitatem recuperandam, subest Medico, etiam independenter à Superiore, seu voluntate Prælati, inquit *Peyrinis* apud Gobat *n.* 714. *fine*, rectè tamen suadentem, ne sine consensu Superioris præsentis quidquam omittas. At, inquis: Medicus est Lutheranus, habens Horas nostras pro superstitione, Missam pro idololatria. Poteris nihilominùs stare ejus verbis, Judice Gobat *n.* 476. Quia experientia docet, plerosque solere respondere cum omni abstractione à Religione. Quare tutus eris, si ideo omittas Horas (aut Sacrum eâdem ratione, quia vel Medicus, vel alius vir expertus & prudens, vel denique Superior prudens, aut Parochus dicant, recitationem, (Sacri auditionem) valetudini tuæ esse nocivam.

III. Quòdsi absit Medicus, vel vir expertus, 157
qui possit de gravitate infirmitatis judicare, neque adsit Superior, qui in tali dubio certo potest dispensare, túque verè malè habeas & pejora formides; decerne infirmitatem esse gravem, non parvæ considerationis malum. Ita Tamburinus *l.* 2. *Decal. c.* 5. §. 8. *n.* 13. Exempla adferens. Quartanâ vel tertianâ laborans, quando expectat vespertinam febris accessionem: siquidem manè se bene habeat, utiq; tenebitur Horas antemeridiano tempori respondêtes recitare; nec obligatur ex aliquorum probabili Sententia (de qua §. ultimo) Vesperas & Completoriũ anticipando manè persolvere. Sitamẽ manè jam imbecillis existat, timeátq; sibi recitationẽ nocituram, à toto Officio absolutè excusabitur. Item imbecillitas ejus, quem febris reliquit, excusat eum ab Officio primis diebus aliquot numerandis prudentis arbitrio, habitâ ratione præteritæ infirmitatis & præsentis difficultatis: nam & illa imbecillitas infirmitas est, & Mater Ecclesia non est ita rigida in exigendis debitis, sed convalescenti per aliquot dies requiem ab Officio concedere putanda est. Sanch. *cit. c.* 2. *dub.* 45. Tambur. *suprà.* Gobat *n.* 715. dicens: *quod probè nota, maximè pro scrupulosis*

Sed accipe totum discursum pulcherrimum in 158
moralibus maximè æstimati P. Sanchez, eodem *dub.* 45. sic habet. *In hoc tenenda est media quædam via*, ita, ut qui æger est, si ex recitatione Horarum *vero similiter* credat (vel timeat) stomachi aliquam cruditatem, vel capitis gravedinem, vel virium lassitudinem, vel etiam credat febrim tardiùs remittendam, excusatur ab Horis. Ratio est: quia ejusmodi damna, quæ in corpore valido & sano sunt levia, in ægroto sunt gravia mala. Et confirmatur: quia, cùm omnia præcepta charitati deserviant, quæ valde benigna circa infirmos est, non est verosimile, quòd Ecclesia, quæ est sapientissima Mater, hominibus morbo afflictis, velit addere molestiam orandi, etiamsi non multùm lædantur. Item quòd *c. Clericus d.* 91. pro legitima causa non orandi habeatur inæqualitas corporis, quæ non sonat morbum gravem vel levem, etiamsi autem hujusmodi infirmi, dum febri vel alio morbo laborant, bonam diei partem confabulationibus expendant, atque etiam libros animi gratiâ legant, non inde sequitur teneri recitare Horas. Ratio est: quia lectiones illæ & sermones ægro voluptatem adferunt, nec morbus inde gravescit, sed potiùs decrescit; at recitatio est res seria & naturâ suâ caput gravat, ac mærorem & molestiam infert. Sic multi ex Recentioribus valde docti Magistri. Sic ipse doctissimus Sanchez. Sic & ego. Non ergo talis peccat omittendo Horas contra præceptum Horarum, à quo excusatur, vel etiam dispensatur, licèt posset peccare

re contra charitatem sui, si legendo fabulas vel alias sibi noceat, quod rarum est. Simile habes in eo, qui excusatus vel dispensatus ad comedendas carnes, ex mera gulositate comedat etiam pisces cum nocumento valetudinis, non enim peccat contra præceptum jejunij, à quo excusatur, sed tantùm contra charitatem sui ipsius, si multùm ei pisces noceant.

159 IV. Quòdsi pensatis omnibus, etiam per Medicum, alios, seipsum, dubium maneat, an recitatio Horarum (itémque auditio Missæ in templo) sit allatura notabile detrimentum, nec ne? Suarez quidem & alij censent manere obligationem, adeóque petendam dispensationem, eò quòd certa sit obligatio, dubia excusatio: & sine dubio tutiùs est petere dispentationem. Sed probabiliùs, talem omni obligatione & dispensatione petenda liberant *Bonacina, Castro-Palaus* cum Tamburino *l.* 1. *Decal. cap.* 3. §. 7. *verbo Hora.* consentiente Gobat *n.* 478. Ratio est: quia non solùm ipsum nocumentum, sed etiam periculum grave nocumenti liberat ab hac obligatione: Ecclesia enim nec vult, nec potest nos obligare cum tali periculo, quippe contra jus naturale non exponendi se periculo gravi: atque in proposito, etsi dubium sit nocumentum futurum, periculum tamen præsens & certum est: ideóque possessio juris naturalis, quam habet homo ad non exponendum se periculo gravi, prior est & potior, quàm obligatio recitandi Officium divinum, quippe juris positivi Ecclesiæ tantùm, ejúsque possessionem elidit. Vide Gobat *cit. num.* 479. Quòdsi beneficiatus morbum contraxit ex intemperantia, dixi *c.* 1. §. 3.

160 Denique ad ægrorum Nosocomium quidam etiam reducunt itinerantes. Est enim reperire non paucos, qui ratione itineris omittunt vel totum Breviarium, vel partem. Hanc excusationem ego cum Navatro *man. c.* 25. *n.* 102. & Gobat *n.* 719. non possum simpliciter admittere, utpote propriâ & alienâ experientiâ certus, defatigationem ex itinere etiam pedestri unius vel plurium dierum continuorum, non esse tantam, ut non permittat satis virium solvendo debito Clericali absque difficultate notabiliter majori, quàm sit ordinaria. Non tamen nego, esse eam defatigationem quandoque tantam, ut homini jam alàs satis infirmo non relinquat tantum virium, quantum est necesse ad hoc munus obeundum. Sed hic casus est rarissimus in homine sano. Cotonius apud Gobat *ibidem*, sic absolutè pronuntiat. Fessus ex labore, itinere, negotijs accidentaliter aliquando occurrentibus, Officium, quod in serò distulerat, potest omittere, quia comparatur infirmo: & rursus excusat illum, qui bonâ fide distulit in serò, & postea invenitur valde lassus, & somno graviter oppressus. Sic ille. Sed prudenter monet Gobat: reverâ cavendum, ne nobis nimiùm blandiamur.

§. III.

Charitas vel occupatio gravis.

161 I. CHaritas tum propria sui, tum proximi excusat, quando, nisi Breviarium totaliter vel partialiter omittas, cogeris adire aliquod grave incommodum, vel magnum opus charitatis proximo negare: tunc enim tutâ conscientiâ omittes de Breviario tantum, quantum erit necesse ad illum finem. Similiter excusat omnis superveniens repentina & improvisa occupatio gravis & necessaria, vel multùm utilis, quæ absque scandalo, aut suo vel aliorum detrimento omitti non possit, cum qua tamen recitatio Officij in toto, vel in parte consistere non potest. Ita communissima DD. & omnes de hac materia scribentes, etiam rigidiores. *Navarrus, Toletus, Sylvester*, alij, & inter reliquos optimè practicè Sanchez *l.* 7. *Consil. Moral. c.* 2. *dub.* 52. juvat iterum exscribere ejus formalia. §. 1. *Quando supervenit aliqua occupatio, quæ non potuit prævenire, & nequit prætermitti sine scandalo, aut gravi pœna, aut aliorum jactura, & non compatitur Horas recitare, excusat. Ut si quis esset per totum diem occupatus in audienda confessione existentis in articulo necessitatis, vel in vitando magno scandalo, vel in componendis gravibus inimicitiis vel rixis ad arma currentium, ita ut tantùm superesset tempus ad cœnam & somnum.* 2. *Sufficiens etiam causa est ad excusandum, si quis ita esset impeditus circa infirmos, vel aliter, ut nullatenus superesset tempus ad commodè recitandum.* 3. *Boni Confessarii, quando magna est pœnitentium copia, vel instat dies ultimus Jubilæi, vel præcepti Ecclesiæ, possunt licitè omittere Horas, si non possint recitare, nisi omittendo confessiones quorundam, qui non consequerentur Jubilæum, vel non adimplerent Præceptum Ecclesiæ.* 4. *Excusatur etiam defensurus actum, vel lecturus lectionem oppositionum, in qua re plurimùm interest vel suâ, vel Reipublicæ, doctum se præbere, si simul recitare non possit. Probantur hæ omnes conclusiones: quia non obligat magis hoc præceptum, quam præceptum audiendi Sacrum: sed hoc potest omitti propter prædictas causas. Item, quod pro charitate institutum est, non debet contra charitatem militare.* Hactenus Sanchez probans singula variis authoritatibus.

II. Rariùs sanè occurrere possunt ejusmodi oc- 162
cupatines & negotia charitatis, quæ à recitando Officio excusent. Casus ab omnibus affertur. Si tempore Paschali, Quadragesimæ vel Jubilæi tanta te obruat confitentium multitudo, ut toto die vix sufficias, vix tempus vacet ad comedendum, vel dormiendum. At prudenter Sanchez suprà restringit ad casum, quo, nisi neglecto Officio audias, aliqui Jubilæum non lucrarentur, vel præcepto Ecclesiæ non satisfacerent. Certè extra necessitatem Jubilæi, vel Paschatis, rectè censet Tamburinus *cit.* §. 8. *n.* 16. rarissimè posse ob confessiones excipiendas, Horas omitti: videmus enim sæpissimè fieri, ut Confessarij pænè toto die affixi confessionali, tamen existiment, & rectè quidem, se teneri eligere aliquod tempus vacandi orationi Canonicæ. *Si Confessarij possint habere tempus comedendi, & dormiendi, cur non & orandi?* inquit Burdonus apud Dianam *p.* 10. *tr.* 11. *resol.* 20. Alter casus communiter affertur, si tempore Adventûs & Quadragesimæ quotidiè habendæ sint Concio-

nes:

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes: idque saltem, si à non satis parato antea. Et sanè quandoque ratione fatigationis, & intensorum studiorum, quibus planè sufficienter antea prævideri non potuit, quandoq; excusabitur quis ab Officio divino, ut etiam concedit noster Marchant *hic.* At universaliter recitationem Breviarij esse ferè semper incompossibilem cum onere concionandi quotidie, uti scripsit Leander *q.37.* meritò inficiatur Gobat *n.627.* ratus, nihil de hac incompossibilitate sciri in Germania, multósque alios operarios in vinea Domini per Europam, & maximè per Indias esse ac fuisse distentos tantis laboribus ac curis, quantis illi Concionatores quadragesimales; & tamen nec suo, nec aliorum judicio fuisse eximptos à persolutione operis divini.

163 III. Cùm quis bonâ fide remisisset Officium ad finem diei, ad unam scilicet vel alteram Horam ante medium noctis, & tunc ex improviso evocaretur ad excipiendam Confessionem, ministrandam Communionem, vel etiam solùm Extremam Unctionem moribundi, & hæc ob inopiam temporis, sine omissione divini Officij præstare non posset: omnino poterit, & debebit, neglecto Officio ad moribundum properare, sive sit, sive etiam non esset Parochus proprius: tunc enim elucet clara necessitas, & obligatio præcepti naturalis charitatis, aut etiam justitiæ in Parocho proprio, utique præponderantis præcepto positivo Horarum. Ex communi Tamburin. *cit.* §. 8. *n.* 17. At quid in casu relato à Tamburino? *eodem c.* 5. §. 8. *n.* 19. sic habet.

164 Audi hic, amice Lector, factum casum, non tamen facilis solutionis. Omisit bonâ fide quidam Parochus gravibus distentus per diem negotijs recitationem Horarum parvarum simul cum Vesperis & Completorio in ultimam horam ante mediam noctem: (fortè autem erat dies Jovis) quando reversus domum incænatus, voluit per mediam horam sumptâ Cænâ, aliâ mediâ horâ Officium recitare. Vix sedit ad mensam, cùm vocatur ad confessionem cujusdam graviter in rixa vulnerati; advolat, audit ritè confessionem, redit domum, jam unâ mediâ tantùm horâ restante ante duodecimâ, ut proinde aut Cœna, aut recitatio divini Officij necessariò omittenda foret. Quid faciat Parochus volens sequenti die celebrare jejunus? Sic ferè proponit, at non resolvit Tamburinus. Resolvit autem reflexè Gobat *n.722.* 1. Valde laudabilem fuisse Parochum illum, si genio defraudato Officium recitâsset præsertim sequenti die celebraturus; at, quia hoc valde durum. 2. Siquidem incumbebat obligatio cras celebrandi, puta, quia fuit dies festus, depositionis &c. potuisse sine peccato, omissis Horis cœnare: quia tunc major erat obligatio celebrandi, quàm dicendi Horas, quas cum incommodo dicere non tenebatur. 3. Idque etiam verum esse, etsi ponamus Parochum illum malâ fide, seu culpabiliter distulisse Horas usque ad undecimam: quia iam tunc constitutus erat in statu impotentiæ moralis. 4. Si non aderat obligatio ulla celebrandi, sed sola devotio urgebat, oportebat persolvere dilatas Horas, & ijs persolutis comedere cibos licitos potius, quàm omittere Horas propter illud Sacrum devotionis: Ratio est: quia res præcepti sunt præponendæ rebus consilij: vide ipsum latiùs.

IV. Quæres hic tandem non abs re, utrùm li- 165
ceat sponte suscipere ejusmodi occupationes, seu admittere, vel ponere causas incompossibiles cum recitatione Horarum? R. Omnino suscipere licere ejusmodi occupationes, vel causas actuales & transeuntes quasi, ut ex modò dictis constat; qualis est accedere ad moribundũ, vel ad Confessionale, etsi prævideatur ijs officijs impediendum fore Officium Canonicum: idem dic de præparanda subitò aliquâ concione, quæ nequeat omitti sine scandalo, aut jactura boni spiritualis. At verò regulariter saltem non licere suscipere ejusmodi causas & occupationes incompossibiles cum recitatione Horarum permanentes & habituales, etiam ex honesto fine, utpote aliquod munus, officium, vivendi modum, cum quo nequeat stare Psalmodia: ut rectè docet Cotonius *l.3. Controv.3. cap.6. n.136.* Rationem dans: quia Psalmodia est opus speciale Clericorum, illis conveniens ratione status, & velut proprium eorum munus, quibus proinde Ecclesia ita illud præcipit, ut velit eos vacare à mundanis negotijs, ne præcipuam illam occupationem impediant. Dico autem *regulariter.* Nam sapienter advertit Gobat *n.732.* nihil obstare, quò minùs aliquod vitæ institutum, vel aliquod certum munus possit esse tam utile vel etiam necessarium, aut bono communi Reipublicæ, Regni, Ecclesiæ, aut bono privato ipsius Clerici, ut licitè suscipiatur, etsi cum perpetuo impedimento ac omissione Breviarij. Lege eundem P. Gobat *tr.3. seu Alphab. Sacrif. casu 16. à. n.483.* latissimè casu singularissimo differentem de quodam Sacerdote Idiotâ, qui advertens se inidoneum ad conciones & curam animarum, consultabat Religionem profiteri pro Laico: & censentem potuisse (etsi difficillimè) adesse tam prægnantes causas, ut licitè faceret illam mutationem statûs non obstante lege de penso Canonico perpetuò impediendâ. Dubia plura particularia circa prædicta, consultò rejicio in unum locum §. *ult.*

§. IV.

Dispensatio Legitima aut Privilegium.

I. IPsemet S. Pontifex, tanquam Supremus in om- 166
ni jure positivo Ecclesiastico Legislator habet potestatem ordinariam dispensandi in præcepto Horarum (etiam cum Beneficiato) qui tamen, ut tutus sit in conscientia, cavere debet, ne ejus supplex libellus contineat allegationem causæ non subsistentis, propter generalem illam clausulam dispensationum: *si preces veritate nitantur.* Unde dispensatio Pontificis facta, etiam sine ulla causa, valida est: attamen saltem venialiter illicita, eò, quòd sine causa partem reddat difformem toti.

II. Episcopus autem per se, jure ordinario nequit hic dispensare, cùm inferior nequeat, per se loquendo, relaxare legem Superioris: quanquàm Tamburin. *l. 2. Decal. c.* 5. §. 8. *n.24.* meritò existimet, hoc jus jam ubiq; longo usu esse acquisitum & præsumptum Episcopis. Certò autem Episcopi

scopi per accidens potestate sibi tacitè delegatâ, sed solùm ob rationabilem causam, possunt validè & licitè dispensare in casibus occurrentibus, quando necessitas adest, & commodè non potest adiri Pontifex: idque maximè in casibus, qui frequenter occurrere solent; in ijs enim censetur rationabilissimè Pontifex Episcopis potestatem concessisse, ne in rebus frequenter occurrentibus ad Pontificem recurrere cogantur fideles: ut in jejunijs, festis, & in proposito in Horis Canonicis: idque non tantùm cum nudis Choristis quoad obligationem professæ Religionis Choro adstrictæ, sed etiam cum alijs quoad obligationem Ordinis sacri. Quia etiam Prælatus conventualis exemptus (nisi à Superiore limitetur) se habet in his casibus frequentibus instar Episcopi. Idque etiam ex privilegio Pontificum, ut patet *in compendio Privilegiorum v. Officium divinum, c.* 10. *Et v. Infirmi Fratres* §. 11. & 12. *Et in compendio Privilegiorum Societatis, v. infirmi n.* 1. 2. 3. Atque docent post Suarez & alios, Tamburinus *cit. c.* 5. *n.* 16. Portellus noster, *v. Horæ Canonicæ, n.* 11. Gobat. *n.* 729. Quorum proinde Subditi tutissimi sunt in conscientia, quando Superiores ipsis dicunt, eos hic & nunc ob invaletudinem &c. immunes esse ab hac lege: idque maximè si id dicat Medicus, ut habet Leo X. infrà citandus.

168 III. Tam Episcopus ergo, quàm Prælati Regulares non possunt validè nedum licitè in his dispensare, nisi ob justam & rationabilem causam, ut omnes notant. Ratio manifesta est: quia hi nullo modo possunt dispensare in lege superiori Pontificis vel Ecclesiæ, nisi quatenus ob justam causam necessitatis vel utilitatis ipsemet censetur iis facultatem concessisse, ac delegâsse ad dispensandum: at sine ejusmodi justa causa nunquam censeri potest eis talem facultatem concedere, quia esset ad dissipandum potiùs, quàm dispensandum: ergo sine justa causa nec validè, nec licitè dispensant. Cæterùm justa causa in his dispensandi generatim definiri potest omne impedimentum excusans dubium; dum scilicet dubitatur, utrùm impotentia, infirmitas, occupatio &c. revera gravis sit & sufficiens ad excusandum à recitatione Horarum, ut proinde talis possit statui regula: *Omne impedimentum excusans dubium, est justa causa dispensandi.* Quin in specie, quando dubitatur, an recitatio sit nocitura valetudini, non esse opus dispensatione, probabiliùs jam dictum §. *præced. N. IV.* Inter reliquas causas etiam singulariter esse magnam scrupulositatem & anxietatem, ac difficultatem in recitandis, continuò repetendis, ac cruciandis Horis, saltem ad tempus, quousque malum emendetur, vel minuatur, omnes agnoscunt. Lege utilissimè Patrem Gobat *eodem casu 23. n.714. late.* In quorum scrupulosorum favorem extat insigne Privilegium Leonis X. apud Ludovicum Mirandam *in man. Prælat. q.37. a.* 22. quod libens exscribo verbotenùs.

169 IV. *Cùm videret Leo X. quamplurimos Fratres minores diversis agitari scrupulis circa recitandum Officium divinum, qui non parùm ipsorum contur-*
bant conscientias, eosdem consolari volens concessit iisdem, quod dicendo Horas Canonicas satisfaciant præcepto cap. Dolentes de Celebr. Missarum, de dicendo studiosè pariter & devotè, etiamsi propter aliquam fatigationem vel aliam causam dicant sedendo vel deambulando, vel non proferendo integrè verba, prout sunt scripta, propter negligentiam, vel imperitiam, vel malam pronunciationem naturalem, propter defectum linguæ, seu aliàs qualitercunque Horas imperfectè dicant, aut cum mentis distractione & sensuum evagatione, dum tamen non ex malitia hoc faciant: & quòd, qui cum talibus malè proferentibus, vel alios suprà citatos defectus facientibus dicunt Officium, non teneantur reiterare ab iis imperfectè dicta, aut ab iis non integrè audita propter distantiam localem, vel strepitum, vel aliam causam, sed satisfaciant præcepto Ecclesiæ & Regulæ suæ, qualitercunque audiendo, quæ alij debent dicere, præsertim in Choro. Sic Leo Pontifex apud Mirandam; qui rectè advertit, hoc privilegium, sicut & multa alia, potiùs esse declarationes juris communis ad tollendos scrupulos & addit cum Navarro toties citato, quòd istud privilegium non excuset à veniali eum, qui admittit aliquos defectus ibi expressos, qui aliàs, secluso privilegio essent peccata venialia, sed solùm concedi in favorem ejus, ut non obstantibus illis defectibus, etiam non suppletis postea, tamen satisfaciat præcepto *cap. dolentes.* Multi autẽ satisfaciunt præcepto recitandi etiam peccando venialiter, etiamsi sic non mereantur. Deniq, circa prædicta impedimenta & causas excusantes à recitatione Horarum occurrunt aliqua non levis momenti dubia explicanda, consultò huc in unum locum rejecta.

§. V.

Dubia quædam particularia practica.

Dubium Primum.

Utrùm impeditus dicere Officium statis horis vel temporibus, teneatur anticipare, vel postea supplere?

I. REspondeo omnino sic. Ita communis DD. a- 170
pud citandos. Et ratio communis est. Quia præceptum de Officio persolvendo, non urget solùm suis correspondentibus horis, sed incipit initio diei, & substantialiter urget toto die, est enim unum præceptum totius diei, & accidentaliter tantùm propter mysteria repræsentata, una Hora obligat pro hac parte diei, & alia pro alia parte, utique non ad finiendam, sed potiùs ad augendam obligationem: alioquin transactâ illâ horâ, cessaret obligatio illius partis Officij, ut quis non teneretur recitare postea, sicut transacto die Dominico sine Sacro audito, non teneris ampliùs audire Sacrum alio die: quod nemo dixerit: ergo cùm toto die, & quâlibet ejus parte subitantialiter urgeat præceptum Officij divini, teneberis anticipare manè, si non possis serò; & è contra serò dicere, qui non potuisti manè. Itaque

II. Qui manè prævidet se ob quamcunque cau- 171
sam impeditum iri dicere suo tempore Horas promeridianas, tenetur anticipare, & etiam manè eas persolvere. Ita jam communior, & sine dubio pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

probabiliot & tutior Sententia Doctorum. *Azorius, Suarez*, aliique plurimi cum Bonacina *d. 1. de Horis Can. q. 6. propos. 2. n. 2.* Lessius *l. 2. de Just. c. 37. n. 4.* Sanchez *cit. c. 2. dub. 43.* Tamburinus *cit. c. 5. §. 8. n. 2. Villalobos* apud Dianam *p. 4. tract. 4. misc. resol. 10.* qui probabiliorem judicat, sicut & Leander cum Gobat *n. 711.* Ratio jam dicta est. Cùm enim toto die substantialiter urgeat præceptum Horarum, urgebit etiam dicere ante prandium, quod alioquin jure communi dicendum esset post illud, sicut & horâ sextâ v. g. matutinâ debebis dicere Nonam, si prævideas te impediendum, ne possis dicere postea v. g. horâ decimâ: eo modo, quo si nequeas horâ decimâ audire Sacrum die Dominico, vel festo, teneris horâ octavâ, septimâ, sextâ &c.

172 III. Certissima videtur hæc Sententia, quando impedimentum à te voluntariè ponetur post meridiem: ut, si iter facturus, aliúdve negotium suscepturus cum prævisо certo impedimento recitandi Horas: (& maximè si expertus prævideas te in convivio, largiori potu ineptum futurum ad recitandum) si enim voluntariè velis impedire recitationem post meridiem, ad evadendum peccatum mortale omissionis, utique debebis anticipare, ut contra Caramuel docet *Communis DD.* At verò, si impedimentum sit tibi futurum involuntarium à natura vel violentia, ut si paroxismus febrilis post meridiem impediet recitationem Officij &c. tunc non teneri te Vesperas & Completorium recitare anticipatò ante prandium, fateor, valde probabile est. Ita absolutè docet Henriquez *l. 4. c. 4. n. 7. litt. q.* Canus, *relect. de Pœnit. p. 5. dub. 31.* testans fuisse *communem* suo tempore: & sequuntur *Dicastillus, Cotonius*, alij non pauci: ac probabilem censent ipse Sanchez *cit. dub. 34. n. 7.* Diana *cit. resol. 10.* Gobat *cit. n. 711.* Ratio datur: quia facultas, quæ datur ab Ecclesia anticipandi, vel postponendi Horas intra diem naturalem, est privilegium favoris, non vinculum necessitatis, ut prævenire teneatur. Probabile, inquam, sed oppositum longè probabilius ac tutius, ideóq; in praxi omnimodis consulendum. Id verò probabilissimum, quod addit Gobat *l. c.* Si prævideas te cras non habere facultatem, vel possibilitatem recitandi Matutinum, non teneri te recitare hodie: quandoquidem hodie nullo modo urget præceptum de crastino Officio, & est merum privilegium, quòd liceat hodie satisfacere pro die crastino: nemo autem tenetur uti privilegio.

IV. Eodem modo, si nequivisti debitâ recitare
173 horâ, teneris quâcunq; sequenti ejusdem diei: puta, si Matutinum & Laudes, ac Horas minores non potuisti recitare ante meridiem, teneris post, quâcunque horâ potueris ante mediam noctem. Ita rursus *Communis DD.* Navarr *man. c. 25. n. 100.* constanter Sanchez *cit. dub. 43. n. 4.* Gobat. *n. 712. alij passim* (contra *Umbertum, Turrecrematam, Sa, Caramuelem*, alios quosdam, quorum opinionem pro probabili habet ipse Sanchez *ibidem n. 7.*) Ratio est: quia usus timoratorum satis ostendit legem de certa diei hora latam esse non ad finiendam, sed augendam obligationem, ut dixi *N. 1.* Et: qui vult gaudere favore legis, ut negligenter statо tempore omissas Horas possit persolvere tardius, debet etiam gaudere onere legis, ut rationabiliter omissas postea suppleat. Quare meritò in nova expurgata editione Emmanuelis Sa est expunctus iste §. *Nec tenetur ad Horas, qui urgente negotio est impeditus. Huic enim sufficit recitare Horas temporis non impediti.* Nimis profecto generaliter & liberaliter. Et Navarrus *de orat c. 10. n. 51.* meritissimâ censurâ perstrinxit duorum beneficiatorum factum, his omnino verbis: *Qui stulti quodam die lætabantur, alter, quia erat elapsus meridies; alter quia jam sol occiderat, & necdum recitaverant matutinas ferias prolixas, aut aliud quidquam usque ad Vesperas, putantes jam esse præteritum tempus Officij matutini, & quod non erant obligati illud dicere. Sic enim duplici ratione peccabant: alterâ, quod gauderent præteritũ esse tempus, in quo poterant excusari a peccato mortali: alterâ, quòd minoris faciebant mortiferè Deum offendisse, ob quod æternæ pœnæ vei fiebant, quam laborẽ laudandi aliquantulo tempore divinam ejus Majestatem.* Ita sapienter Navarrus sapientissimus Senex.

Dubium secundum.

An, qui ob impedimenta prædicta non potest recitare totum Officium, potest autem partem, teneatur ad illam?

R. PEr quatuor dicta, & velut Regulas. *Prima*, 174
mihi certissima est *Regula.* Qui potest majorem partem Officij recitare, tenetur illam recitare, etsi non possit recitare aliam partem minorem. Ut, si Breviario carens, solum Diurnale habens, non possis dicere Matutinum, possis autem dicere Laudes, cum omnibus reliquis Horis, teneris has recitare omisso Matutino: illæ enim reliquæ Horæ omnes verè sunt major pars Officij. Idémque esset in casu oppositо (sed vix contingente) si possis orare Matutinum, & Horas minores, non possis autem Vesperas & Completorium. *Navarrus, Suarez, Bonacina*, alij cum Castro-Palao *tr. 7. d. 2. p. 6. n. 8. & 9.* Tambur. *c. 5. §. 8. n. 6.* Gobat *n. 622.* contra Caramuelem *Theol. Reg. n. 1435.*

Secunda etiam mihi antehac probabilis erat *Re-* 175
gula: Qui non potest majorem Breviarij partem dicere, potest autem minorem, ad neutram obligatur, sed totum tutò omittere potest. Ita *Navarr. Azor, Garcias, Lessius, Diana*, alij cum *Castro-Palao, Tambur.* Gobat *ll. cc.* Ratio est: quia major pars trahit ad se minorem: tum etiam quia sic consuetudine receptum sit à prudentibus, & sic onus Officij redditur suavius, & scrupulis minùs obnoxium, ait Tamb. *cit. n. 3.* Et confirmat Rodriq. noster *Q. R. 10. 1. q. 42. a. 10.* Quia perplexitas in omni lege vitanda est: at si Ecclesia voluisset obligare eos, qui non possunt totum, ad recitandam quamlibet partem minorẽ, oriretur maxima perplexitas præsertim infirmis, cùm vix ullus ita impeditus vel occupatus sit, quin possit recitare aliquam partem minorem officij v. g. Horam minorem, Completorium &c. Quare si ob defectum Breviarij, visûs, valetu-

dinis aut occupationis, non possis recitare Matutinum, Laudes & Vesperas, licitè omittis etiam reliquas paucas Horas minores, & Completorium. Idémque est à fortiori, si non posses recitare Matutinum, & Horas minores, posses autem solùm Vesperas & Completorium. Castro-Palaus *cit. p. 6. n. 5.* Quinècontra, si non posses recitare Laudes & reliquas Horas omnes, posses autem solùm Matutinum, ob angustiam temporis v. g. ad nihil obligaberis; quia solum Matutinum est minor pars Officij. Tambur. *cit. n. 6.* Fuerint sanè hæc probabilia & tuta. Interim mihi semper probabiliora visa, & modò post propositionem 54. ab Innoc. XI. nuper damnatam: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem:* omnino certa est oppositа sententia, Suarez *l. 4. de Horis c. 28. n. 27.* Sanchez *supra citat.* Layman *c. 6.* & aliorum, eum, qui potest certò recitare aliquam partem notabilem, puta quamlibet Horam integram etiam minorem v. g. Completorium vel Primam, etsi alias non possit, debere tamen recitare: cùm quævis Hora sit per se Oratio Canonica distincta à cæteris, sub præcepto imperata. Et hoc maximè dicendum est in Sententia eorum, qui volunt in Officio divino quamlibet Horam distincto præcepto præcipi, atque tot esse præcepta distincta, quot sunt Horæ distinctæ.

176 *Tertia Regula* mihi rursus certa. Qui potest æqualem, id est dimidiam partem Officij recitare, tenetur illam recitare, etsi aliam dimidiam non possit. Ex *communissima* Tambur. cit. n. 4. Ratio; quia tunc non possumus recurrere ad regulam illã, quòd major pars trahat ad se minorem: cùm ergo pars dimidia sit planè pars notabilis, ab illa excusari aliquis non poterit. Quare si potes, teneris recitare Matutinum & Laudes, etsi ob inopiam temporis, vel aliam causam nõ possis recitare reliquas Horas, ut ex communi omnium sensu docent Leander, eúmque citans Gobat *cit. n. 622.* Tambur. *cit. n. 7.* Quia nimirum Matutinum cum Laudibus est media pars Officij. Similiter è contra supponunt DD. communiter cum Sanchez *l. 1. Moral. c. 10. n. 8.* eum, qui ob defectum Breviarij vel aliam causam non potest recitare Matutinum & Laudes, possit autem reliquas Horas cum Vesperis & Completorio, omnino teneri has recitare: quia reverâ sunt media pars Officij, tum quantitate, tum mysterio, imò hoc excolere videntur: nam Matutinum & Laudes solùm repræsentant mysteria Passionis Christi nocturnæ: reliquæ verò Horæ repræsentant mysteria totius diei. Etsi contrarium sentiant, *Castro-Palaus & Leander apud Gobat cit.* Item *Molfesius, Garcias, & Rodriquez* noster citatus apud Bonacinam *d. 1. de Horis, q. 6. p. 2. n. 6.* & Tamburin. *cit. n. 7.* eò, quòd Matutinum cum Laudibus sit pars, si non major, certè prima, potior & præcipua pars Officij. Sed hoc reverâ non dicit Rodriquez noster, sed solùm generaliter dicit eum, qui non potest totum Officium recitare, non obligari ad quamlibet partem, quod ex dictis probabile est. Et hactenus locuti sumus de partib⁹ Officij integris per integras Horas divisis. Jam respectu ejusdem Horæ majoris vel minoris sequitur

Quarta Regula, etiam probabilis & tuta. Quan- 177
do constat te non posse recitare notabilem partem alicujus Horæ majoris vel minoris, non teneris dicere reliquum, sive ut proponit Tambur. *cit. n. 10. Non es obligatus recitare illam Horam, cujus notabilem partem necesse habes omittere.* Ratio est: quia sublatâ notabili parte, cessat esse substantialiter Hora. Sic certè quâcunq; Horâ, si nequeas dicere Psalmos, non teneberis dicere Lectiones, Capitula, Antiphonas, Orationes, quæ fortè ad manum habes. Contrà, si cæcus vel Breviario carens, memoriâ teneas, & possis dicere Psalmos Horarum, at in Matutino non teneas Lectiones cum Responsorijs, præsertim quando sunt novem, non teneri te recitare Psalmos, sed à toto Matutino absolvunt te non improbabiliter Castro-Palaus, Filliutius, Garcias, Joan Sanchez apud Pellizarium, *to. 1. tr. 5. cap. 8. n. 110.* Tambur. *cit. n. 10.* Quia Psalmi sine lectionibus, non sunt substantialiter Matutinum, atque adeò Lectiones sunt notabiles partes Matutini. Similiter si scias Psalmos aliarum Horarum, nescias autem Capitula & Orationes, non videris ad recitandas Horas obligandus, quia pariter isti Psalmi non sunt substantialiter Horæ Canonicæ secundùm formam à Pio V. præscriptam, ait Tamburinus *cit. n. 10.* & docent Joan. Sanchez & Garcias apud Pellizarium *cit. n. 112.* Sint rursus hæc probabilia: attamen in praxi omnino videtur amplectenda opinio contraria *Bonacina, Busenbaum, Leandri*, aliorum cum Gobat *ibid.* nimirum talem obligari adhuc ad recitandos Psalmos & ea, quæ potest, vere enim tunc potes majorem partem illius persolvere Horæ.

Ultima Regula, omnium probabilissima sit. Si 178
certus sis, te ob ægritudinem vel similem causam non posse dicere integrum Officium divinum; dubites autem rationabiliter, an possis dicere partem aliquam notabilem, te præsume omnino excusatum ex benigna Ecclesiæ interpretatione, cujus præcepta non obligant cum tanto rigore, ut materiam scrupulorum & anxietatum pariant. Ex communi Suarez *cit. n. 27.* Tannerus *hic q. 1. dub. 5.* Layman *cit. cap. 6.* vide dicta de impedimento infirmitatis.

Dubium Tertium.

Utrùm, qui ob cæcitatem vel aliam causam non potest Officium recitare solus, potest autem cum socio, teneatur socium adhibere?

ABsolutè affirmant plurimi. Navarrus *de Orat.* 179
c. 11. n. 13. & Man. c. 25. n. 100. Graffis, Azorius, Valentia, alij cum Suarez *cit. c. 28. n. 13.* Non pauci absolutè negant, saltem quoad Clericos & Religiosos non beneficiatos, Joannes Sanchez *select. d. 15.* alij, & sequuntur Diana *p. 2. tr. 12. resol. ult. ac p. 4. tr. 4. resol. 12. fine.* Tamburinus *cit. cap. 5. §. 8. num. 11.* eò quòd recitare cum socio sit privilegium: privilegio autem utimur, quando volumus. Alij variè distinguunt. breviter eligendo tutiora respondeo aliquot dictis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

180 I. Qui antea cum socio solitus erat recitare gratuito vel conducto, sanè adveniente impedimento cæcitatis vel alterius, adhuc tenebitur sic recitare, Sanchez *cit. l. 7. c. 2. dub. 84. Garcias, Bonartius*, alij cum Layman *l. 4. tract. 2. cap. 6. n. 2.* Bonacina *d. 1. de Horis Canon. q. 6. propos. 1. n. 8.* alios citans. Ratio est: quia quilibet obligatur satisfacere suo officio, quando facilè potest: sed is, qui antea sic orare solitus erat, adhuc sic orare potest, ut supponitur: ergo adhuc tenetur. Secùs esset, si alia nova difficultas orta esset: ut si antea recitâsset cum socio gratuito tantùm, postea deberet conducere pretio; de hoc *infrà*: aut si surdaster factus non posset audire socium, nisi valde vociferantem, ad quod cùm obligare durum esset, tunc recitationem omittere posse, rectè censet Tamburinus *eodem n. 11. fine.*

181 II. *Generaliter.* Quicunque, etiamsi antea non sic orare solitus, adveniente impedimento adhuc tenetur sic orare cum socio gratuito, vel sponte se offerente. ita (*contra Ioan. Sanchez, Dianam, supra*) omnes DD. absolutè affirmantes, talem teneri adhibere socium, quòd generaliter non possunt dicere, nisi de socio gratuito, *Navarrus, Suarez*, alij. Et ratio est eadem, quæ suprà: quia talis adhuc potest facilè satisfacere suo officio: ergo tenetur. Deinde falsum est fundamentum oppositæ Sententiæ. Nam admittere socium ad recitandum, non est privilegium, neque enim est exemptio à lege, sed potiùs conformitas cum lege, instituente Chorum publicum, ait rectè Gobat *n. 713. fine.*

182 III. Certum videtur, Beneficiatum eo casu teneri adhibere, ac etiam quærere socium, nedùm sponte se offerentem admittere, quando commodè potest habere. Ita Navarrus *de Orat. cap. 11. n. 13. Suarez cit. Vasquez, Azorius, Reginaldus, Layman*, aliique permulti cum Bonacina *cit. n. 8.* & fatetur Tamburinus *cit n. 12.* Gobat, *n. 713. fine.* Ratio est: quia qui obligatur ad aliquid, obligatur etiam adhibere media ad illud ordinata, saltem communia & non multùm difficilia: sed beneficiatus aliquantò strictiùs, quàm alij, nimirum titulo beneficij ex justitia obligatur ad recitandum Officium, ut possit fructus percipere: ergo quóque strictiùs, quàm alij obligatur adhibere media congrua orandi, saltem non multùm difficilia: tale medium in proposito est adhibere socium: ergo tenetur illum adhibere, quando commodè, & sine magno suo detrimento adhibere potest. Unde ulterius

183 IV. Verius est, Clericum Beneficiatum eo casu, si beneficium pingue sit & sufficientes fructus adferat, etiam teneri socium pretio conducere, propter eandem rationem modò datam, quia sic commodè potest habere medium orandi Officium, propter quod fructus percipit. Suarez *cit.* Molfesius, aliósque citans Bonacina *supra*, Castro-Palaus *p. 6. n. 11.* Secùs esset, si beneficium valdè tenue sufficientes fructus non adferret: tunc enim sine gravissimo incommodo, non posset adhibere medium congruum, ideóque morali impotentiâ excusaretur. Verùm absolutè etiam beneficiatum obligari socium pretio conducere, eò quòd hoc medium sit nimis extraordinarium, negant *Joan. Sanchez, Diana, Tamburinus*, atque etiam, *Gobat ll. cc.* quare talem recusantem Confessarius posset absolvere meo judicio, ob authoritatem saltem eorum DD.

Dubium Quartum.

Utrùm is, qui non potest dicere Horas, teneatur aliquid aliud orare, orantem audire, alium substituere, &c.?

184 REsponsio negativa tota est communissima apud citatos omnes. Et quidem primò. Talis non tenetur dicere aliquod aliud officium, vel majorem ejus partem, si quod memoriâ sciret, vel ad manum haberet. 2. Minùs tenetur recitare alias preces vel Psalmos, ut voluit noster Angelus *v. Horæ.* 3. Nec tenetur alios dicentes Officium audire, aut apud se meditari. 4. Nec tenetur alium substituere. Ratio omnium sumitur ex ipso præcepto Horarum. Nam præceptum dicendi Horas. 1. est simpliciter personale: ergo si non possis, non teneris substituere alium. 2. Est de recitando Officio ab Ecclesia ordinato: ergo si hoc non possis, non teneris recitare alias preces vel Psalmos. 4. Est de hoc Officio determinato pro tali die, ergo si hoc nequis, non teneris dicere aliud. vide dicta suo loco. Denique hæc dicuntur sine textu, aut ratione concludente, ait Navarrus *Man. c. 25. n. 100.* & etiam proborum praxis est planè contraria.

Consilium tamen sine dubio est, eo casu alias preces persolvere. Imò Beneficiatos & Religiosos ipsa lex divina naturalis gratitudinis saltem obligat orare pro Fundatoribus & Benefactoribus, attamen nullum certum tempus & modum orandi præscribit, ut bene notavit Navarrus *de orat. c. 11. num. 19.* Unde etiam in dispensationibus, etiam Pontificijs super Horis, semper aliquæ preces præscribi solent, prout nôrunt experti. Et hactenus de Horis utique satis multa, sed pro fectò mihi non multùm satis. Omnia ad Dei cultum & Gloriam.

Finit Prima Pars Theologiæ Sacramentalis.

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS SACRAMENTALIS

PARS II.

Instructio Presbyterandi

De

Sacerdotio; Sacrificio, & Sacramento Eucharistiæ.

DE his sex iterum erunt Capita. *Primum*, de ipso Presbyteratu seu Sacerdotio. *Secundum*, de Sacrificio in communi, & Missa in specie. *Tertium*, de ipso Augustissimo Eucharistiæ Sacramento. *Quartum*, de Sacramenti Eucharistiæ, ipsiúsque Sacrificij effectu, valore, & fructu. *Quintum*, de Sacramenti Eucharistiæ & Sacrificij Ministro offerente, oblatione, & stipendio. *Sextum*, de requisitis ad Sacrificium Missæ celebrandum. In nomine Domini incipiat.

CAPUT I.

De Presbyteratu, seu Sacerdotio.

SUMMARIUM.

2. *Quid Presbyteratus ut ordinatio & Sacramentum.*
3. *Ejus materia & forma duplex.*
4. *Presbyteratus seu Sacerdotium, ut res Sacramenti est potestas in ordinatione collata in Corpus Christi verum & mysticum.*
5. *Qualiter differant Sacerdotium, Sacrificium, & Sacramentum Eucharistiæ? &*
6. *Quæ sint partes eorum?*
7. *Quotuplex sit potestas Sacerdotis, & Confessarij?*
8. *Ad quid Sacerdotes in N. Lege?*
9. *Christus in ultima Cœna materiam & formam Sacerdotij certam in individuo non determinavit, sed Apostolis, eorúmque Successoribus determinandam reliquit.*
10. *Unde in Ecclesia Græca usque hodie Ordines conferuntur per solam impositionem manûs cum certa forma; &*
11. *Etiam in primitiva Ecclesia longo tempore Sacerdotes & alij ordinati sunt sola impositione manuum, sine traditione instrumentorum.*
12. *Processu tamen temporis ad expressiorem significationem ab Ecclesia etiam determinata & ordinata est porrectio Calicis cum vino, & Patenæ cum Hostia. Unde*
14. *Contendunt aliqui solam primam impositionem manuum esse materiam essentialem Sacerdotij.*
15. *Communis tamen sententia docet, eam de facto in Ecclesia latina non esse materiam sacramentalem, sed solùm cæremoniam hujus Ordinationis.*
116. *Alij verò contendunt, eam adhuc esse veram materiam Sacramentalem, non quidem essentialem, sed integralem.*
8. *Traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum Hostia, & juxtà formà, est de facto in Ecclesia Latina omnino materia & forma essentialis,*
20. *Non quidem absolutè,*
21. *Sed suppositâ determinatione Ecclesiæ.*
22. *Et optimè conciliatur cum materia & forma Ecclesiæ Græcæ, & Primitivæ.*

23. *Usque ad n. 27. Resolvuntur varia dubia circa validam & invalidam Ordinationem Sacerdotis.*
27. *Qualis requiratur cõtactus totius hujus materiæ Sacerdotij.*
28. *Ad Sacerdotium adæquatè conferendum essentialis etiam est materia secunda, seu impositio manuum cum sua forma.*
30. *Adeóque respectu Sacerdotij completè & adæquatè conferendi cum completa & duplici potestate in Corpus Christi verum, & Mysticũ, utraq; materia & forma essentialis est.*
31. *Unde si in Ordinatione illa ultima impositio manuum omitteretur, ordinatus esset tantum incompletè Sacerdos, potens quidem celebrare, non tamen absolvere.*
33. *Consecraret ergo talis validè;*
34. *Graviter tamen peccaret, ob non acceptam, vel suppletam impositionem manuum.*
35. *Qualiter & quando suppleanda impositio illa omissa?*
39. *In concelebratione Neomystarum cum Episcopo, ille solum consecrat, qui prior formam finit cum absoluta intentione consecrandi.*
40. *Unde tutò facient concelebrantes formando intentionem proferendi verba eo sensu, quo vult Ecclesia &c.*
41. *Possúntq; illud Sacrificium offerre pro alio, v. g. defuncto.*

Explicatio terminorum.

ΠΡΕΣΒΥΤΕΡΟΣ Græ- 1
cum nomen, latinè significat *senem*, vel *seniorem* cum aliqua eminentia senectutis. Et quia dignitates, officia, & eminentiores status in republica senioribus, tanquam, cæteris paribus, dignioribus conferri solent; hinc factum est, ut 1. Presbyteri olim vocarentur omnes, qui in aliqua dignitate præeminebant, ut passim patet in sacris Litteris, etiamsi senio non præeminerent. Unde D. Hieronymus l. 2. in Isaiam. c. 3. dicit: *In Scripturis sanctis Presbyteros merito & sapientiâ, non dignitate æstimamus*, 2. Eadémque usurpatione in nova lege Presbyteri appellati sunt, qui in Ecclesia speciali dignitate præeminebant. Et quidem in primitiva Ecclesia nomen Presbyteri commune fuit Episcopis & Sacerdotibus, qui populo præsidebant, & curam Evangelij prædicandi, & Sacramentorum ministrandorum habebant: non quod Ordo Presbyteratûs non distingueretur ab Ordine Episcopatûs, sed quia, qui ordinabantur Presbyteri in aliqua civitate vel communitate, simul etiam ordinabantur Episcopi ob necessitatem Ecclesiæ, & paucitatem Ministrorum. 3. Tandem

multi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

multiplicatâ fidelibus & locis per orbem Ecclesiâ, cùm Episcopi suis quisque locis non ampliùs sufficerent, sed ope inferiorum Presbyterorum indigerent, ad vitandam confusionem, hoc nomen *Presbyter* restrictum est, ut significaret Sacerdotem simplicem Presbyteratûs Ordine tantùm insignitum, prout distinguitur ab Episcopo. Et hâc tandem acceptione in proposito agitur de *Presbytero, Presbyterando, Presbyteratu.* 4. *Sacerdotis* deniq; notum est ethymon: dicitur enim Sacerdos, quasi sacrum dans: nimirum Sacrificio rem sacram faciens & offerens Deo. Hæc quoad quæstionē quid nominis: jam quoad rem ipsam sit

§. I.

Quid Presbyteratus seu Sacerdotium?

I. Ut Ordinatio, & Sacramentum est.

2 PResbyteratus *est Ordo sacer Ecclesiasticus, quo confertur Potestas consecrandi & offerendi Corpus, & Sanguinem Christi, & absolvendi fideles à peccatis*: seu, ut loquuntur Theologi: *Potestas in Corpus Christi verum & mysticum.* Effectus est *character* & *gratia sanctificans* cum jure ad gratias actuales suo officio competentes suo tempore dandas; nimirum ad dignè & fructuosè exercendum officium & ministerium sacerdotale.

Cæremonia consecrationis Sacerdotalis multiplex est, ex Pontificali nota. Et maximè notabilis est prima impositio manuum facta ab Episcopo ordinante, & alijs Presbyteris assistentibus, saltem tribus, super caput Sacerdotis ordinandi, de cujus necessitate dicam seorsim §. 3. Sequitur impositio vestium Sacerdotalium, & sacra inunctio manuum presbyterandi: quæ quidem cæremoniæ, etsi magni momenti, de substantia tamen Ordinationis non sunt, omnium propè consensu.

3 Materia & forma hujus Sacramenti, & Ordinationis Sacerdotalis duplex est. *Prima* materia est traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia ex tritico: sic videlicet, ut materia remota sint ipsæ illæ res; proxima, earum traditio seu porrectio. Forma sunt hæc verba Episcopi: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missásque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* Atque hic traditur potestas in Corpus Christi verum. *Secunda* materia est impositio ultima manuum facta ab ipso solo Episcopo, sic rursus, ut ipsæ manus Episcopi sint materia remota; proxima, earum impositio. Forma, sunt hæc verba Episcopi: *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* Atque hic confertur potestas in Corpus Christi mysticum. Ratio ergo hujus duplicis materiæ & formæ est. Quia, ut jam dictum, in Ordinatione Sacerdotis conferuntur duæ potestates diversæ, una in Corpus Christi verum, nimirum ad conficiendum Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi: altera in Corpus Christi mysticum, scilicet ad absolvendum fideles à peccatis, quarum posterior necessariò præsupponit priorem, & ideo ad majorem & distinctiorem significationem diversis signis sacramentalibus & discreto tempore dari conveniebat: idque exemplo Christi, qui in ultima Cæna consecratis Sacerdotes ijs verbis: *Hoc facite in meam commemorationem:* tunc dedit eis potestatem in Corpus suum verum: at primùm post Resurrectionem dedit eis potestatem in corpus suum mysticum, ijs verbis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Cæterùm circa utramque illam materiam & formam, ac etiam circa primam impositionem manuum restant quæstiones sanè perdifficiles, mox inferiùs fideliter proponendæ.

II. *Ut gradus Ministerij, & res Sacramenti est.*

4 PResbyteratus seu Sacerdotium est *Potestas sacrâ Ordinatione collata in Corpus Christi verum & mysticum*: nimirum ad conficiendum & offerendum Corpus & Sanguinem Christi, & absolvendum fideles à peccatis. Sacerdos autem, seu Presbyter, *est Minister Ecclesiæ, ex Ordinatione sua habens potestatem in Corpus Christi verum, ac mysticum, &c.* Quæ duplex potestas residet in duplici Charactere Sacerdotali, duplici signo Sacerdotali jam assignato impresso: prout ampliùs declarabitur in sequentibus. Sacerdotis ergo, seu Presbyteri munia & officia sunt: 1. Eucharistiæ Sacramentum conficere, offerre, ac alijs ministrare ex officio. 2. Confessiones audire, ac alia Sacramenta ministrare, nimirum Pœnitentiam, Baptismum, Extremam Unctionem: ac Matrimonio assistere tantùm, quippe cujus Ministri sunt ipsi contrahentes. 3. Prædicare Verbum Dei, cumulativè tamen cum Diacono, ut suo loco indicatum. Obligationes denique Sacerdotis sunt quatuor. 1. Aliquando celebrare (saltem ter in anno summis festivitatibus, seclusâ aliâ obligatione particulari,) 2. Ritè Sacramenta ministrare. 3. Recta docere. 4. Sanctè vivere, de quibus latiùs in sequentibus, suis locis. Ex dictis, in gratiam Tyronum in examine vexandorum, ponuntur aliquot

Quæstiunculæ Corollariæ & vexatoriæ.

1. *Quomodo differunt hac tria Sacerdotium, Sacrificium, & Sacramentum Eucharistiæ?* 5

DIfferunt hæc tria, sicut actus primus, secundus, & effectus. Sacerdotium enim vel est Sacramentum, quo confertur potestas, vel ipsa potestas conficiendi Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi: Sacrificium, est ipsa actio sacra, quâ conficitur, & offertur Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi. Sacramentum Eucharistiæ tandem, est ipsum Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, tanquam effectus illius potestatis, & actionis sacræ permanens.

II. Quæ sunt partes Sacerdotij, Sacrificij, & Sacramenti Eucharistiæ? 6

SUnt diversissimæ: Sacerdotij, ut *Sacramentum* est, partes sunt materia & forma; eáque duplex: prima, traditio calicis & patenæ cum vino & hostia, ac verba: *Accipe potestate m &c.* secunda, impositio ultima manuum, & verba: *Accipe Spiritum sanctum.* Sacerdotij, ut res Sacramenti est, duæ sunt quasi partes, nimirum duplex

duplex potestas in Corpus Christi verum & mysticum, seu consecrandi & absolvendi. Sacrificij tres sunt partes, Consecratio, oblatio, & sumptio, de quibus mox *cap. seq.* Sacramenti Eucharistiæ partes rursum sunt materia & forma: remota, panis & vinum; proxima: species Eucharisticæ relictæ, Corpus & Sanguinem Christi continentes. Forma sunt verba Consecrationis.

III. Quotuplex est Potestas Sacerdotis, & Confessarij?

7 IMplexa est hæc quæstio involvens duas quæstiones accuratè distinguendas. Prima quotuplex est potestas Sacerdotij in Ordinatione collata: Secunda: quotuplex est, vel requiritur potestas in Confessario?

Ad primam quæstionem sic respondendum. Sacerdoti in Ordinatione ipsa duplex confertur potestas, in Corpus Christi verum, & in Corpus Christi mysticum. Corpus Christi verum est ipsum Corpus & Sanguis Christi in Sacramento Eucharistiæ contentum. Corpus Christi mysticum est Ecclesia fidelium, seu ipsi fideles Christi. Potestas ergo in Corpus Christi verum, & potestas conficiendi & offerendi Sacramentum & Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi, eadem est; eámque accipit Sacerdos in Ordinatione, cùm traditur ei calix & patena, cum vino & hostia. Potestas in Corpus Christi mysticum, est potestas absolvendi fideles à peccatis, & alia eis Sacramenta ministrandi, eámque accipit Sacerdos in Ordinatione, cùm Episcopus ei ultimò imponit manus, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* Et hæc vocatur etiam potestas jurisdictionis, *sed radicalis tantùm*, & in actu primo, quippe adhuc indeterminata ad subjecta. Simplex enim Sacerdos vi Ordinationis nondum habet subjecta subdita, seu materiam, circa quam possit exercere potestatem suam: adeóque in actu secundo nondùm potest absolvere à peccatis, nisi ex generali concessione Ecclesiæ à venialibus vel mortalibus jam semel ritè confessis, ab omnibus in articulo mortis tantùm.

Ad secundam quæstionem sic respondendum. Duplex requiritur in Confessario potestas Ordinis, & Jurisdictionis. Potestas Ordinis est omnis potestas sacerdotalis, quam accipit Sacerdos vi ordinationis suæ, adeóque comprehendit non tantùm potestatem in Corpus Christi verum, sed etiam potestatem in Corpus Christi mysticum, seu potestatem illam Jurisdictionis radicalem, in actu primo, & indeterminatam adhuc, quæ nihil aliud est, quàm ipse Character Sacerdotalis, quo Sacerdos à Deo deputatur, ut possit alios judicare in foro Conscientiæ, posito, quòd ei subditi fiant per jurisdictionem actualem. Potestas ergo Jurisdictionis actualis in actu secundo, & absoluta, est authoritas sententiam ferendi, seu potestas jus dicendi in alium, tanquam sibi subditum in foro interno saltem. Et hæc Sacerdoti ab extrinseco, & Superiore aliquo advenire debet, nimirum à Christo immediatè Summo Pontifici, à Pontifice Episcopis & Privilegiatis: ab Episcopo Parochis & alijs Sacerdotibus subditis. Quæ omnia latiùs patebunt Deo volente Parte tertiâ. Hic tamen in gratiam Tyronum examinandorum, simul sub aspectum ponere libuit.

IV. *Ad quid sunt Sacerdotes in nova Lege?*

8 NOnne Christus est unicus Sacerdos, & quidem in æternum, secundùm Apostolum *Hebr. 7.* ubi postquam dixisset Araonicos Sacerdotes fuisse plures, idcirco quòd morte prohiberentur permanere, de Christo subjungit: Hic autem Christus, eò, quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium: ergo in lege novâ non sunt alij Sacerdotes: vel ad quid essent? ℟. Negando consequentiam. Quia Christus est, & ab Apostolo dicitur unicus Sacerdos in æternum, sicut dicitur unus Pastor, & unus Magister, quia scilicet non habet sibi succedentes in eadem potestate, & authoritate, sicut habebant Sacerdotes Araonici: ex quo tamen non sequitur, quòd non habeat Vicarios in terris, sicut Pastores & Doctores, ita Sacerdotes, imò sequitur, quòd illos habeat: si enim Christus sempiternum habet Sacerdotium, illúdque non debeat esse otiosum, nec tamen per se ipsum exerceat, sequitur, quòd debeat habere Vicarios Sacerdotes, qui suâ authoritate offerant Sacrificium à se institutum, sicut habet Vicarios, Pastores & Magistros, per quos gregi suo provideat.

§. II.

A quo, & quomodo instituta sit materia & forma hujus Sacramenti Presbyteratûs?

9 DIco sequentia. 1. Christus instituens Sacramentum Ordinis, & præsertim Sacerdotij in ultima Cæna (juxta dicta *parte prima hujus Theologiæ moralis c. 5. Sect. 2. à num. 15.*) Explicitè & determinatè in individuo, non instituit materiam & formam Sacramenti Sacerdotij, sed implicitè tantùm & indeterminatè, quatenus Apostolis, eorúmque Successoribus potestatem dedit ordinandi alios Sacerdotes & ministros sacrorum aliquo signo sensibili expressivo potestatis tradendæ, quod ipsis congruum & commodum videbitur: adeóque Apostolis & Ecclesiæ reliquit potestatem determinandi ejusmodi certa signa Sacramentalia. Solùm ergo voluit & determinavit Christus, ut Sacramentum Sacerdotij ac aliorum Ordinum conferretur per aliqua signa sensibilia & verba, quæ sufficienter significarent collationem talis potestatis, relinquendo Ecclesiæ magis specificam, individualem, ac velut materialem illorum signorum & verborum determinationem. Ita Bellarm. *Tom. 2. lib. unico de Sacramento Ordinis, c. 9.* Lugo *de Sacramentis in genere disp. 2. sect. 5. n. 86.* alij Recentiores communiter. Et apertè docet Innocentius IV. communiter receptus in *c. Presbyter de Sacramentis non iterandis.* ubi expressè dicit: manus impositionem, quâ Sacerdotes & Diaconi ordinantur, esse ritum ab Apostolis introductum. Et rursus inquit, *Unde credimus, quòd nisi essent formæ nostræ inventæ* (scilicet ritus ordinandi)

Universidad de Deusto
Biblioteca

sufficeret ordinatori dicere: sis Sacerdos, vel alia æquipollentia verba: sed subsequentibus temporibus formas, quæ servantur, Ecclesia ordinavit. Hæc Innocentius. Ratio autem omnino convincens est; Quia Ecclesia Latina & Græca ordinant Sacerdotes omnino diversâ materiâ, & formâ, & tamen utraque validè, ut patebit: quod fieri non posset, si certa & determinata in individuo materia & forma hujus Sacramenti à Christo instituta fuisset: & non determinationi Ecclesiæ relicta.

10 II. In tota Ecclesia Græca ab antiquo usque in hodiernum diem, tam Sacerdotij, quàm reliqui Ordines, idque non tantùm ab Episcopis schismaticis in Græcia, verùm etiam à Catholicis, & qui Romæ degunt, sciente & consentiente summo Pontifice, & me præsente, (ait oculatus testis Cardinalis de Lugo *disp. de Sacramentis in genere sect. 5. n. 85.*) conferuntur non per traditionem instrumentorum, sed per solam manûs dexteræ Episcopi impositionem super caput Ordinandi cum hac forma: *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt adimplet, promovet venerabilem N. Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat super eum gratia sancti Spiritûs.* Quem ritum ordinandi nemo jure damnare potest, aut de ejus valore dubitare, minùs de facto. Unde cuidam recentiori Doctori, de eo dubitanti meritò alius illudens dixit: *vade & vide!* Quin Ecclesia Catholica non solùm Græcos Schismaticos sic ordinatos in suis Ordinibus suscipit revertentes. Quin hodiéque Pontifex Græcos græco ritu ordinatos instituit Episcopos aut Archi-Episcopos, & ad Græcos Catholicos mittit, ut ibi Pontificalia munia obeant.

11 III. Omnino fatendum est, etiam in Ecclesia primitiva ab initio longo tempore Sacerdotes, aliósque Ministros ordinatos fuisse solâ impositione manuum absque traditione calicis & patenæ cum vino & hostia, vel similium instrumentorum, ut rectè docet D. Bonaventura *in 4. d. 24. a. 1. q. 4.* Ratio est: quia non tantùm Sacra Scriptura in Ordinatione Sacerdotis solam impositionem manuum exprimit, & per illam tanquam visibile signum Gratiam & Presbyteratum conferri affirmat 1. *Tim. 4. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.* & 2. *Tim. 1. admoneo te, ut resuscites gratiam DEI, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Et act. 6. Primi septem Diaconi solâ impositione manuum ordinati leguntur: certè non aderat liber Evangeliorum eo adhuc tempore, cùm Matthæus primus illud scripserit anno octavo post Christi Ascensionem, teste Baronio anno Christi 41. Verùm etiam Concilia antiqua omnia & SS. Patres omnes, ante Stephanum Papam in Ordinatione Presbyteri, solius impositionis manuum meminerunt (Textus habet Lugo *de Sacramentis in genere disp. 2. sect. 5. n. 93. & 97.*) nullâ habitâ mentione illorum vasorum; concorditérque affirmant, Sacerdotium conferri per manus impositionem. Quod ita clarum est in tota antiquitate, ut nemo negare possit, ut fatentur Bellarminus suprà, Vasquez, alij. Quin scriptores concorditer negant, ante Stephanum Papam usum illorum instrumentorum in Ecclesia fuisse. Ut nimis frigida videatur responsio aliquorum, Concilia illa & Patres non scripsisse Ritualia omnium cæremoniarum Ordinationis: cur enim omnes unam tantùm impositionem attingerent, nullus traditionem instrumentorum, si hæc jam tum materia essentialis Ordinationis fuisset? incredibile! Cæterùm quemadmodùm modò apud Græcos, ita olim in Ecclesia primitiva unà cum impositione manuum, tanquam materiâ, simul sine dubio fuerunt prolata aliqua verba tanquam forma correspondens significativa potestatis collatæ in Corpus Christi verum: fortè illa: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* ut sic Sacramentum esset integrum, constans materiâ & formâ: idque non obscurè colligi videtur ex verbis Apostoli citati 1. *Tim. 4. Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.* Ubi per *Prophetiam* videtur significari forma Sacramentalis, quâ invisibilis potestas dari significatur, quæ mysteriosis, & quasi Propheticis verbis impositionem manuum ad significandam illam invisibilem potestatem Presbytetij determinat, eámque distinguit ab alijs impositionibus manuum, de quibus frequens mentio in Scriptura. Vide Marchant. *tribunali. tom. 3. seu speculi parte 2. tr. 6. tit. 6. q. 3. per totam.*

12 IV. Denique processu temporis, absque dubio, ductu & instinctu Spiritûs S. ab Ecclesia instituta & ordinata est Porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostia ad expressiorem significationem, seu tanquam signum expressius significativum potestatis Sacerdotalis, ac tanquam complementum prioris signi, nimirum nudæ impositionis manuum, quæ illâm potestatem implicitè tantùm significabat: quia nimirum omne instrumentum in virtute manuum est, inquit D. Bonaventura *l. cit.* Insuper Ecclesia ordinavit, ut pronuntiatio formæ, quæ antea fiebat cum impositione manuum, modò fieret cum porrectione calicis & patenæ, tanquam ultimo signi materialis complemento. Ut nimirum intelligatur, hanc porrectionem omnino spectare ad materiam totalem hujus Sacramenti, tanquam pars materialis completiva unà cum priori materia scilicet impositione manuum unam totalem materiam constituens, idque totum solùm ad significandam potestatem in Corpus Christi verum seu consecrandi. am ad Nfignificandam aliam potestatem in Corpus Christi mysticum, seu absolvendi adhibet aliam materiam & formam, nimirum ultimam impositionem manuum cum verbis: *Accipe Spiritum sanctum:* cùm tamen apud Græcos (& fortè etiam in primitiva Ecclesia olim) utraque potestas unicâ materiâ & formâ, scilicet impositione manuum, & verbis: *Divina gratia creat hunc Presbyterum &c.* utraque potestas saltem implicitè sufficienter significata conferretur, ut bene notat Lugo *cit. n. 50.*

Tria

Tria ergo habemus controversia & difficilia in moderna ordinatione Presbyteri Ecclesiæ Catholicæ Latinæ. 1. Primam impositionem manuum Episcopi sine forma verborum: 2. Traditionem Calicis, & Patenæ cum vino & hostia, ac forma correspondente, quæ dicitur prima materia & forma: 3. Ultimam impositionem manuum Episcopi cum forma sua, quæ dicitur materia & forma secunda. De singulis videndum, an, & quatenus, vel quomodo sint essentiales Sacramento Ordinis Sacerdotalis.

§. Imprimis certum de fide videtur, etiammum aliquam impositionem manuum esse materiam essentialem Sacramenti Presbyteratûs: nam præter Scripturam, Concilia, & Patres antiquos, id apertissimè docet Concilium Tridentinum, quod nullius materiæ meminit, nisi impositionis manuum, & singulariter affirmat per illam ordinari Presbyterum. Nam *sess. 23. c. 3.* postquam docuit Ordinem verum esse Sacramentum, & per illum conferri gratiam, subjungit *supra cit.* verba Apostoli: *Inquit enim Apostolus: Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ in te est, per impositionem manuum mearum.* Et clarissimè *sess. 14. c. 3.* De ministro Extremæ Unctionis loquens ait: *Ministrum hujus Sacramenti esse solum Sacerdotem, per impositionem manuum Presbyterii ritè ordinatum.* Quid clarius, quæso! dici potuit ad significandum, impositionem manuum esse materiam essentialem Sacerdotii seu ordinationis Presbyteri. At de quanam id impositione manuum intelligendum? an de Prima? an de ultima? Sit

§. III.

Quid de prima impositione manuum?

141. Est sententia D. Bonaventuræ *in 4. d. 24. a. 1. q. 4.* quam late asserit noster Marchant *supra citatus*; solam primam impositionem manuum esse materiam essentialem hujus Sacramenti Sacerdotii, ut collativi potestatis in Corpus Christi verum, seu consecrandi Corpus & Sanguinem Christi: Porrectionem verò calicis & patenæ cum vino & hostia esse tantùm partem materialem integralē, expressioris significationis gratiâ additam, & necessitate præcepti Ecclesiastici requisitam. Et videtur manifestè sequi ex prædictis. Nam ex una parte, non tantùm Scriptura, antiqua Concilia, & Patres, sed etiam Tridentinum citatum, impositionem manuum pro materia essentiali Sacramenti agnoscunt: ex altera parte, Sacramentum Ordinis Sacerdotalis non potest absque sua essentiali materia subsistere: atqui Sacramentum Ordinis Sacerdotalis absque illa porrectione calicis cum vino, & patenæ cum hostia, in sola impositione manuum subsistit in primitiva Ecclesia usque ad tempora Stephani Papæ: & in Ecclesia Græca subsistit de facto usque in hodiernum diem, ut dictum est: ergo sola Impositio manuum, non verò illa Porrectio est essentialis materia ordinationis Sacerdotalis: consequenter erit tantùm materia integralis, non necessitate Sacramenti, sed necessitate tantùm præcepti omnino necessaria. Unde in hac Sententia: si quis ordinaretur omissâ prima impositione manuum, ordinatio esset nulla simpliciter: contrà verò valida esset Ordinatio, si cum prima impositione manuum simul proferretur forma sacramenti, aliis omissâ traditione calicis & patenæ cum vino & hostia (sub qua traditione de facto profertur forma) quia adesset tota essentialis materia & formæ (secùs, si etiam forma omitteretur, ut per se patet) Fieret tamen gravissimum peccatum mortale; cùm omittere materiam integralem tam notabilem inferret Sacramento gravissimam injuriam, utpote in re gravi Sacramentum concernente. §. Hæc sententia mihi semper probabilis visa, cùm nihil videatur obstare efficaciter. Certè non multum urget Concilium Florentinum, solam illam traditionem calicis & patenæ cum vino & hostia assignans pro materia Sacramenti hujus, nullâ factâ mentione impositionis manuum: quia facilè potest dici, Concilium non intendisse præcisè definire materiam essentialem hujus Sacramenti, sed solùm ritum Ecclesiæ Latinæ proprium in sacra Ordinatione docere Armenos, ad quod perinde est, sive illa materia essentialis, sive integralis tantùm sit. Certè Concilium Tridentinum, ut suprà visum, pro ordinatione meminit solius impositionis manuum, non verò traditionis illius: & quid inde infers? Nec plùs conficies ex Concilio Florentino. Magis videbitur obstare, quod Innocentius III. & Gregorius IX. *Tit. de Sacramentis non iterandis* dicunt, *non debere iterari ordinationem sine impositione manuum collatam, sed suppleri, quod omissum est*: sed commodè posset explicari de ultima impositione manuum, quâ Sacerdoti jam ordinato confertur Potestas in Corpus Christi mysticum; & nos de prima impositione agimus. Solùm & maximè obstat communis sententia DD. & sensus fidelium, ac penè ipsius Ecclesiæ, ut §. *seq.* videbitur. Et ideo hanc sententiam nolo docere amplius.

142. II. Communis ergo Sententia Doctorum est, illam primam impositionem manuum de facto in Ecclesia latina non esse materiam sacramentalem Ordinationis, sed solùm cæremoniam sacram præviam, maximi tamen momenti, nunquam omittendam, & omissam fortè n eritò supplendam. Cùm enim in Ecclesia Latina, pro nuda impositione manuum, institutum sit signum distinctius significativum potestatis sacerdotalis in Corpus Christi verum, scilicet traditio calicis & patenæ cum vino & hostia: & insuper impositio manuū adhuc postea adhibeatur, ad conferendam potestatem in Corpus Christi mysticum, de qua impositione sufficienter intelligitur Concilium Tridentinum: non videtur ratio, cur prima illa impositio manuum adhuc debeat esse materia sacramentalis: cùm absque illa adsit materia sufficientissimè significativa utriusque potestatis. Et favet omnino huic communi Sententiæ Gregorius IX. *c. Presbyter, de Sacramentis non iterandis.* Tex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus ita habet: *Presbyter & Diaconus, cùm ordinantur, manûs impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt. Quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos, antè supplendum, quod per errorem extitit prætermissum. Suspensio autem manuum debet fieri, cùm oratio super caput effunditur Ordinandi.* Hæc Gregorius Papa: ubi imprimis manifestè significat impositionem manuum non esse ad valorem Ordinis ita essentialiter requisitam, ut sine illa Ordo non subsisteret: alioquin non sufficeret tempore alterius Ordinationis post tres menses primò solùm supplere illam impositionem omissam, sed necessariò Ordinatio ipsa repetenda esset, quod expressè negat Pontifex. Deinde ultimis verbis clarè significat, se loqui de prima impositione manuum ante porrectionem calicis, &c. Tunc enim fit suspensio manuum, & ratio effunditur super caput Ordinandi. Non commodè intelligi potest de ultima impositione manuum, quando datur Potestas ad absolvendum à peccatis cum illa forma: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris, &c.* nisi per orationem hanc ipsam formam intelligere velis. Sed valde incongruè & tortè. Hæc enim forma, non oratio, sed consecratio est. In hac ergo communi Sententia tutò sistendum erit. Verùm inter has duas Sententias extremè oppositas, mihi omnino placet

16 III. Sententia quædam media; nimirum. Primam illam impositionem manuum etiamnum esse veram materiam sacramentalem Ordinationis sacerdotalis, non quidem essentialiter requisitam ad valorem Sacramenti, ob rationes allatas in secunda Sententia communi; sed integralem, & unà cum traditione calicis ac patenæ cum vino & hostia constituentem unam materiam totalem Sacramenti sacerdotii. Ita nimirum ut ex manûs impositione & traditione panis & vini fiat una integra materia magis explicita, & ex utraque simul unà cum forma prolata unum totale signum sacramentale completè significans potestatem sacerdotalem in Corpus Christi verum. Nec obstat, quòd prima impositio manuum fiat absque prolatione verborum, seu formâ aliquâ: & mora aliqua intercedat usque ad traditionem panis & vini, cum qua demùm profertur forma: non enim ita distat illa impositio manuum à prolatione formæ, quin adsit simultas seu propinquitas moralis sufficiens ad unitatem signi sacramentalis (ut suo loco visum.) Nam postquam imponuntur manus Sacerdotibus, eadem actio moralis continuatur per inunctionem manuum, orationes, cæremonias, quasi præparando illos, ut magis congruè recipiant gratiam sancti Spiritûs & potestatem tantam: & mox traditur alia pars materiæ magis explicita, scilicet traditio vasorum cum pane & vino unà cum prolatione formæ. Quare omnia per modum unius actionis & complexi moralis idem intendentis complentur in porrectione vasorum, & finiri intelliguntur in prolatione formæ: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium &c.* quæ forma cadit super totam materiam præcedentem integratam ex prima impositione manuum & traditione vasorum, cæremoniis intermediis moraliter continuatis, & exprimit potestatem per totam illam actionem complexam intentam. Unde distantia illa non est tam inter materiam & formam, quàm inter partes materiæ, per cæremonias intermedias tamen satis moraliter continuatas & coexistentes: nam certè physicè coexistere non est necesse, ut maximè patet in Sacramento Pœnitentiæ. Ubi Dolor & Confessio sæpe multùm distant, & tamè forma tandem prolata super utrumque cadens unum Sacramentum constituit. Magis id patet in Matrimonio.

IV. Ratio ergo hujus Sententiæ est. Quia 17
cùm illa prima impositio manuum in Ecclesiâ Græca sit, & in Primitiva olim fuerit materia sacramentalis hujus Ordinis, & adhuc in Ecclesiâ Latina tanto studio adhibeatur, cur non adhuc maneat materia sacramentalis implicitè significativa, unà cum materia nova magis explicitâ, præsertim cùm sic appareat major conformitas Ecclesiæ Latinæ cum Græca, & Primitiva: *ut §. seq.* notabo. Cæterùm hoc ipso, quòd Ecclesia Latina determinaverit aliam materiam partialem magis explicitam; & per se sufficienter significativam potestatis sacerdotalis in Corpus Christi verum, jam dicendum est, illam impositionem manuum non esse hîc materiam essentialè essentialiter requisitam ad valorem Ordinis hujus, ut sine illa Ordo non subsisteret, sed integralem tantùm, ut dictum & explicatum est. Unde etiam meritò Pontifex Gregorius IX. suprà dixit: *supplendam esse apud Latinos impositionem manuum prætermissam*: non quidem, quasi aliquid essentiale defuisset (alioquin tota Ordinatio reperenda erat, quod negat Pontifex) sed tanquam aliquid, quod si positum fuisset, integrâsset materiam sacramentalem, postea verò suppletur tanquam cæremonia principalissima, *sicut supplemus solennitates postea in eo, qui fuit domi baptizatus absque illis.* Ait Lugo. *De Sacramentis in genere disp. 2. sect. 5. a. num. 90.* Dices: si prima impositio manuum est materia sacramentalis de se sufficiens ad valorem Ordinis: ergo per illam absque traditione calicis & patenæ cum vino & hostia validè ordinabitur Sacerdos etiam apud Latinos, saltem si cum illa manuum impositione simul proferetur forma, ut fit apud Græcos. Materia enim, quæ alicubi & aliquando est sufficiens, ubique & semper est sufficiens: consequens est contra Decretum Eugenij in Concilio Florentino sæpe indicatum: ergo: ℟ Distinguendo sequelam. Absolutè loquendo, concedo. Suppositâ determinatione Ecclesiæ, nego sequelam. Quia Christus determinationem specificam materiæ sacramentalis reliquit Ecclesiæ: Ecclesia autem Latina determinavit Sacramentum Ordinis

Ordinis sacerdotalis conferre non per nudam impositionem manuum, sed per illam traditionem vasorum, tanquàm materiam magis explicitam, ut sæpe dictum. Quemadmodùm etiam in Ordinatione Diaconi impositio manuum Episcopi sufficiebat olim, & sufficit de facto apud Græcos. At non sufficit in Ecclesia Latina, tum quia determinavit illam Ordinationem conferre per materiam magis explicitam, scilicet librum Evangeliorum, & formam distinctè significativam: *Accipe Potestatem legendi Evangelium &c.* Illa enim forma, quæ profertur cum impositione manuum: *Accipe Spiritum sanctum ad robur &c.* nimis generalis est, & non significat determinatè Ordinem illum. §. Hæc latiùs disputare libuit in gratiam Studiosorum & capacium in re certè maximi momenti & difficillima, ut, qui potest capere, capiat. Si non capis. Tyro simplicior, transi liberè. Nam tibi ad necessariam notitiam abundè sufficient sequentia.

§. IV.

Quid de prima materia, traditione calicis & patenæ cum vino & hostia, & suâ formâ? An & qualiter essentialis huic Sacramento?

18 REspondeo: *Est omnino materia & forma essentialis in Ecclesia Latina; non quidem absolutè, sed suppositâ determinatione Ecclesiæ: & optimè conciliatur cum materia & forma Ecclesiæ Græcæ, & Primitivæ.* Explico.

19 I. *Est materia & forma essentialis &c.* quâ nimirum ad valorem hujus Sacramenti essentialiter requisita, confertur Potestas in Corpus Christi verum, seu consecrandi & offerendi Sacramentum & Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi. Ita communissima Theologorum contra primam Sententiam D. Bonaventuræ, & nostri Marchant suprà allatam, & probabilem judicatam. Estque communis sensus modernus Ecclesiæ: atque omnino ita intelligendum Decretum Eugenii in Concilio Florentino ad Armenos, dicens: *Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum hostia porrectionem*: Et post: *Forma Sacerdotii est: Accipe potestatem &c.* Et ratio est: quia per hæc signa sensibilia perfectissimè significatur conferri ordinando potestas consecrandi & sacrificandi, ut clariùs significari non possit: ergo per illa, tanquam materiam & formam confertur Sacramentum hujus Ordinis. Deinde hic modus est simillimus illi, quo Christus ipse in ultima Cœnâ Apostolos, porrigendo illis Corpus & Sanguinem suum, ac dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*: Sacerdotes ordinavit, ut ex Concilio Tridentino suo loco dictum. Denique post prædicta signa adhibita in Pontificali, ordinati sæpius appellantur jam Sacerdotes, & monentur, ut unà cum Episcopo verba Consecrationis eodem momento proferant, & ante Communionem non dicant Confiteor, ne detur eis absolutio, eò quòd concelebrent Episcopo: ergo censet Ecclesia eos tunc jam habere potestatem consecrandi.

II. *Non quidem absolutè*: nimirum ista tra- 20
ditio Calicis & Patenæ cum vino & hostia non est materia absolutè essentialis, ac ex primæva sua institutione essentialiter requisita ad valorem Sacramenti hujus. Hoc enim omnino convincit ratio suprà allata pro prima sententia *num. 14.* Quia nimirum Sacramentum non potest subsistere absque sua materia & forma essentiali: atqui Sacramentum Ordinis sacerdotalis absque illa porrectione calicis cum vino, & patenæ cum hostia de facto verè subsistit in Ecclesia Græca, & subsistit olim in Ecclesia Primitiva, ut *num. 10. & 11.* ostensum est &c. alioquin fatendum esset, quòd in Ecclesia Græca hactenus nunquam, & tota Ecclesia Primitiva, ante tempora Stephani Papæ, nullus fuisset Sacerdos ordinatus; quod maximum inconveniens, & horribilem causaret in Ecclesia confusionem & errorem: ergo illa porrectio cum sua forma, non est materia & forma essentialis absolutè.

III. *Sed suppositâ determinatione Ecclesiæ.* 21
Nam ut *num. 9.* dictum, Christus instituens Sacramentum Ordinis, non instituit determinatè & in specie materiam & formam aliquam explicitè, sed implicitè tantùm, quatenus Apostolos Sacerdotes ordinans, dedit eis potestatem ordinandi alios Sacerdotes & ministros aliquo signo sensibili significante potestatem conferendam: specificam autem ac materialem quasi ejusmodi signorum determinationem ipsis Apostolis ac Ecclesiæ reliquit: ergo illud signum, quòd Ecclesia determinaverit, suppositâ hâc determinatione, erit materia & forma essentialis hujus Sacramenti: atqui sicut Ecclesia Græca convenienter & sufficienter determinavit impositionem manûs Episcopi cum sua forma, eâque fortè etiam contentâ fuit longo tempore Ecclesia tota Primitiva; ita sanè Ecclesia Latina convenientissimè determinavit istam porrectionem calicis cum vino & patenæ cum hostia & sua forma, idque conformiter ad modum, quo ipse Christus in ultima Cœnâ Apostolos, Sacerdotes ordinavit, ut dictum est: ergo porrectio ista est essentialis materia, non absolutè, sed suppositâ determinatione Ecclesiæ. Atque per hoc perspicuè dissolvitur omnis ratio in oppositum. Nam si objiciatur. Id, quòd semel est materia & forma essentialis Sacramenti alicujus, semper est talis. Item: Ecclesia non potest mutare materias, formas; & ritus essentiales Sacramentorum &c. Semper distingue: si sit materia, & forma, vel ritus Sacramenti essentialis absolutè, & determinatè ab ipso Christo institutus, ut est in Baptismo, Eucharistia, &c. concedo: si sit materia, & forma, vel ritus Sacramenti essentialis non absolutè & determinatè à Christo instituta, sed determinationi ipsius Ecclesiæ relicta, & de facto ab Ecclesia determinata: nego. Insuper per hoc ipsum ritus Ecclesiæ Latinæ

IV. *Optimè*

Universidad de Deusto
Biblioteca

22 IV. *Optimè conciliatur cum materia & forma Ecclesiæ Græcæ & Primitivæ.* Nam utraque Ecclesia formaliter omnino servat materiam & formam à Christo institutam; utraque enim confert ordinationem per signum sensibile, & verba optimè significant traditionem Potestatis Sacerdotalis, quare utraque validè conficit, licèt utraque materialiter utatur signis diversis. Sicut enim Græcus confecrans in fermentato, & Latinus in azymo uterque procul dubio servat materiam à Christo institutam, scilicet panem: Christus enim non determinavit hunc, vel illum: sed panem tantùm, quicunq; esset: sic etiam instituit pro materia Sacramenti Ordinis signum sensibile, & verba, quæ significent Potestatem, quæ traditur: non autem determinavit hæc, vel illa: quæcunque ergo convenientia signa & verba adhibeat Ecclesia, servat formaliter materiam & formam à Christo institutam, etsi materialiter utatur signis diversis. Melius adhuc conciliatur ritus utriusque Ecclesiæ, si dicatur etiam primam impositionem manuum Episcopi esse materiam saltem integralem hujus Sacramenti. Quòd enim Ecclesia Græca simpliciori modo, unicâ impositione manûs conferat Sacerdotium quoad utramque potestatem confecrandi & absolvendi; mi imè adversatur, sed potiùs perficit, quòd Ecclesia Latina utramque illam distinctam potestatem convententiùs conferat per distinctas duas impositiones manuum; & insuper ad excellentissimam potestatem confecrandi magis explicitè significandam adhibeat traditionem illam vasorum cum pane & vino. *Putabis*: per hanc ipsam secundam impositionem manuum sufficienter conciliari Ecclesiam Latinam cum Græca. Ita sanè putant Bellarminus *De ordine c.* 9. Vasquez, & alii quidam; sed minùs congruè: nam agitur hic de materia Sacerdotij principaliter quoad potestatem confecrandi & sacrificandi, quæ potestas non confertur per secundam impositionem manuum, sed tantùm potestas absolvendi, ut ex forma patet. Vide Lugo *de Sacramentis in genere, disp. 2. sect 5. n. 97.*

§. V.

Estne tota hæc materia, traditio calicis & patenæ, cum vino & hostia, essentialis, ita ut si aliquid desit, Ordo non subsistat?

REspondeo: *Non est tota ista materia essentialis essentialiter requisita ad valorem Sacramenti, sed sufficit esse tantum, ut sufficienter significet potestatem in Corpus Christi verum, seu confecrandi & offerendi Corpus & Sanguinem Christi.* Ita Doctores citandi. Explico per casus.

23 I. Valida esset ordinatio, si tradatur calix cum vino, & hostia simul immixta, vel calici superpositâ sine patena, imò etiam si tradatur hostia immediatè in manus Presbyterandi; aut vinum volæ manûs infundatur sine patena vel calice. Ita post alios Tamburinus *l. 7. c. 5. §. 3. n. 5.* Ratio est: quia id, quod per se requiritur, est traditio illarum substantiarum, panis & vini, quæ velut materia essentialis Sacramenti Eucharistiæ abundè significant potestatem sacerdotalem confecrandi Corpus & Sanguinem Christi: & solùm ob decentiam ex præcepto Ecclesiæ traduntur in calice & patena: unde nec necesse est confecratum esse calicem & patenam, prout suprà etiam de Subdiaconatu dictum, ubi tamen major videtur esse ratio.

II. Valida sine dubio esset ordinatio, si in ca- 24
lice esset solum vinum sine aqua modica admixta (& ex præscripto Pontificalis admiscendâ) quemadmodùm etiam valeret ipsa confecratio calicis eo casu: cùm ea modica aqua non ex necessitate Sacramenti, sed ex præcepto tantùm Ecclesiæ admisceatur. Et observat Lugo *Respons. Moral. l. 1. dub. 30. n. 6.* guttas, quæ ex vino effuso remanerent, sufficere in rigore ad validam Ordinationem. At, quòd si in calice esset vinum, aquâ valde multâ dilutum? Distinguendum est: si enim aqua, etsi notabili, non tamen tantâ quantitate admixta sit, quin maneat substantia & denominatio vini absolutè, adeò, ut absolutè verum sit dicere: *in hoc calice est vinum:* valida erit Ordinatio, sicut & esset ipsa Confecratio talis vini. At verò, si tantâ quantitate admixta sit aqua, ut absolutè amittat denominationem vini, invalida vel saltem dubia erit ordinatio. Ratio patet: quia in priori casu verè diceretur tradi vinum, in posteriori verò casu, falsò, vel saltem dubiè diceretur tradi vinum. §. Contigit alicubi, ab imperito ministro totum vinum, & totam aquam, quæ erant in urceolis, infundi calici præparato & porrecto aliquot Sacerdotibus ordinandis; quo comperto, meritò resolutum est, illos Sacerdotes saltem sub conditione reordinari debere, saltem ob dubiam priorem ordinationem, gravissimúmque periculum damnorum: uti refert Tamburinus *cit. n.* 11.

III. Invalida sine dubio esset ordinatio, si tra- 25
datur calix vacuus, & patena vacua sine vino & hostia, seu pane: cùm hæc etiam tradantur subdiaconando, eorúmque traditio ad summum sidiaconando, eorúmque traditio ad summum significet ministerium circa illa sacra vasa in Sacrificio Missæ, & nullo modo potestatem confecrandi. At, quidsi (quod jam sæpiùs contigit per errorem) solum vinum deesset in calice? Speculativè loquendo, ommno probabile est, ordinationem illam esse validam. Henriquez, Filliutius, Bonacina, Diana, & Tannerus infrà *citandi.* Bassæus *v. ordo,* 11. *n.* 3. & latè noster Marchant. *Tribun. tom. 3. seu speculi p. 2. Tract. 6. tit. 6 in appendice.* ac rursus *in Resol. notab. de Sacramento Ordinis casu* 1. concludens, talem ordinationem ne quidem sub conditione esse repetendam: sed ex alio principio *suprà n.* 14. proposito. Ratio est: quia traditio alicujus calicis & patenæ cum sola hostia, adhuc sufficienter significat

ficat, adeóque confert potestatem in Corpus Christi verum; nec opus est, ut significetur distinctè potestas in utramque speciem: quia reverâ non datur potestas confecrandi hostiam, sine potestate confecrandi vinum, sed unica & indivisibilis est potestas sacerdotalis in Corpus Christi verum respectu utriusque speciei, & qui potest in unam, potest etiam in alteram. Unde non divisim traditur potestas in unam & alteram speciem, sed dum datur potestas confecrandi unam speciem, indivisibiliter datur potestas confecrandi & alteram. Sed dixi: *speculativè loquendo.* Nam
26 IV. *Practicè loquendo*: omnino tenenda est opposita Sententia communior DD. & talis ordinatio saltem tanquam dubia sub conditione iteranda. Uti contra Henriquez, Barbosam, Marchant. citt. ac alios tenent Tannerus *to. 4. disp. 7. q 2. dub. 5. n.* 98. Lugo *cit. dub.* 30. alii Doctissimi apud Dianam *p. 3. tract. 4. Resol.* 105. Gobat *Tract. 8. casu* 4. *n.* 98. Ratio est: quia Decretum Eugenii sæpe citatum, & Ecclesia Latina utrumque, & panem & vinum pro materia necessaria assignat, & summo rigore requirit, ideóque defectus unius meritò reddit ordinationem dubiam: atqui in præsenti negotio procuranda est plena certitudo de valore Sacramenti ob incommoda maxima & irreparabilia, quæ ex invalida ordinatione Presbyteri sunt oriunda, cùm sit valde probabile tales invalidè esse ordinatos, & universaliter iterum ordinandi sint, quos probabile est fuisse invalidè ordinatos, ut ex instituto probat idem Gobat *casu* 6. Quare Sacerdos ita ordinatus peccaret contra justitiam, si accepto stipendio sacrificaret pro aliquo: nam generatim loquendo, iniquè decipit homines, qui non habens moralem certitudinem de validitate sui Ordinis Presbyteralis, petit & accipit stipendium ab ignaris illius defectûs certitudinis. Diana *p.* 10. *tract.* 16. *resol.* 88. Gobat *cit. casu* 4. *num.* 98. Atque ex dictis resolvendum est, quid sentiendum

Quoad contactum totius istius materiæ.

27 SUpposito ex dictis suprà *part. 1. c. 5. n.* 34. etsi forte non necessitate Sacramenti ad validam; attamen certissimò necessitate præcepti ad licitam ordinationem requiri contactum physicum materiæ traditæ, ut mortalissimè peccaret, qui scienter non tangeret physicè: quia exponeret Ordinationem suam periculo nullitatis, cum horrendo periculo infinitorum sacrilegiorum, invalidarum Confecrationum, & Absolutionum, &c. Quare talis Presbyteratus saltem sub conditione reiterandus esset, omnium ferè consensu. Quoad contactum ergo physicum totius istius materiæ, paucis sic accipe. I. Inprimis sufficit tangere ipsum calicem & patenâ, in quibus sunt vinum & hostia, etsi immediatè ipsum vinum & hostia non tangantur; certè vinum calice contentum & patenâ tectum nunquam tangitur: hostia quidem tangenda est ex præscripto Pontificalis, nullo tamen præcepto graviter obligante. Diana *p. 2. tr. 2. resol. 3.* Tamburinus *cit. cap. 5. §. 3. n.* 4. & plurimis citatis ex professo Gobat *cit. casu* 4. *à n.* 103. II. E converso, idem à fortiori dicendum, si quis tangeret immediatè hostiam, sed non ipsam patenam: uti cum alijs bene probat Gobat *ibidem num.* 109. Nunquid enim tangendo hostiam patenæ impositam, satis physicè, etsi mediatè, tango patenam? Certè potestas, & ministerium Sacerdotis multò melius significantur per tactum hostiæ, quàm per tactum patenæ: si ergo sufficit tactus solius patenæ, ut modò dictum, multò magis sufficiet tactus hostiæ patenæ impositæ. III. Quin imò ad valorem Sacramenti sufficere, tangere solùm calicem cum hostia superposita, etsi patenam & hostiam minimè attingat, expressè docent *Henriquez, Coninck, Vasquez, Filliutius, Bauny, Petrus Hurtbadus, Leander, Escobar,* eósque citantes Diana *p.* 10. *tr.* 16. *resolut.* 88. Tamburinus *cit. n.* 6. Dicastillius apud Gobat *cit. n.* 98. *fine.* Nam calix cum patena superposita censentur facere quid unum, adeóque qui contingit, vel acceptat unum, moraliter saltem censetur etiam tangere, vel acceptare alterum. Deinde sicut sufficit Sacerdoti tangere immediatè calicem vinum continentem, sic moraliter & humano modo tangendo vinum inclusum: ita sufficiet tangere immediatè calicem continentem super se patenam cum hostia imposita, per hoc enim moraliter & humano modo æquè dicetur tangi patena cum hostia imposita. De valore loquimur. De licito ex se patet. IV. Insuper non nemo apud Tamburinum *cit. n.* 7. censet etiam ad valorem sufficere, si tangantur calix & patena velo cooperta, vel tradita in ara portatili vel disco, tangendo immediatè solum velum, arulam, discum, non ipsum calicem vel patenam; quia sic ista adhuc moraliter & humano modo tangerentur. Sed faceſſant ejusmodi in praxi inutiles speculationes.

§. VI.

Quid de secunda materia & forma, an & qualiter essentialis huic Ordini?

I. SAcerdotio adæquatè conferendo essentialis 28
est etiam secunda materia & forma, scilicet impositio manuum solius Episcopi, cum illis verbis: *Accipite Spiritum S. &c.* Ita (contra aliquos mox nominandos) communissima DD. apud Tannerum *cit. q. 2. n.* 73. Layman *l. 5. tr. 9. c. 5. n.* 2. Gobat *n.* 117. Ratio est: quia signum sensibile, quo confertur Sacerdoti propria potestas, utique spectat ad essentiam Sacramenti Sacerdotii: sed per illam ultimam materiam & formam, scilicet impositionem manuum & verba prædicta confertur potestas absolvendi à peccatis, quæ est una ex præcipuis potestatibus Sacerdoti propriis: nam & SS. Patres, & antiquissima Concilia persæpe scribunt, Sacerdotes creari per manuum impositionem: Et ipsum Concilium Tridentinum non tantùm *sess. 23. can.* 4. dicit anathema iis, qui dicunt per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: *Accipe Spiritum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanctum &c. verùm etiam *sess. 14. c. 1. de pœnit.* expresè docet per eadem verba Apostolis, eorumque successoribus potestatem remittendi peccata, fuisse communicatam & apertissimè *ibidem cap. 3.* de extrema Unctione dicit: proprios hujus Sacramenti Ministros esse Episcopos, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinatos per impositionem manuum Presbyterij; ubi omnino loquitur de hac secunda impositione manuum, & verbis illis, quibus datur potestas absolvendi à peccatis: nam extrema unctio, quæ est quasi consummativa Pœnitentiæ, ministrum habet Sacerdotem, quâ parte præditus est potestate in corpus Christi mysticum.

29 §. Contrarium quidem docent *Sotus, Sylvester, Richardus, Valentia apud Layman & Gobat* citatos: volentes totam materiam & formam hujus Sacramenti consistere in traditione calicis & patenæ cum vino & hostia, ac formâ suprà assignatâ: quâ proinde conferatur tota potestas Sacerdotalis in Corpus Christi verum, & mysticum: ultimam autem istam impositionem manuum esse solam cæremoniam accidentalem sacram & completivam tantùm. Fundamenta (sed certè nihil vel parùm urgentia) sunt I. Concilium Florentinum in Decreto Eugenii assignans materias & formas Sacramentorum, non meminit, nisi primæ materiæ, scilicet traditionis vasorum illorum. At, per hoc non excluśit hanc secundam materiam & formam correspondentem, nec opus erat exprimere jam ubique notissimam, & in qua fortè non errabant Armeni, quos ibi Concilium instruit, inquit Bellarminus cit. II. Gregorius IX. *cap. Presbyter de Sacramentis non iterandis*, impositionem manuum vocat ritum ab Apostolis introductum. At hoc ideo, quia ex commissione Christi, hic ritus est ab ipsis pro materia Sacramentali determinatus, juxta dicta *num.* 9. III. In Pontificalibus quibusdam antiquis, non præscribitur ista ultima manuum impositio. At præscribitur in Pontificali Romano approbato ab Ecclesia Romana, quæ est Mater omnium Ecclesiarum, eique meritò standum est. IV. Ipsum Pontificale Romanum, ante hanc ultimam manuum impositionem ordinatos jam vocat Sacerdotes, quasi jam plenè ordinatos per primam materiam, traditionem vasorum & formam. At intelligitur hoc de Ordinatione Sacerdotis, quâ Sacerdos propriè est, quoad potestatem principalem consecrandi, etsi ista Ordinatio adhuc complenda sit per potestatem alteram absolvendi à peccatis. Sic enim Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 1.* docet Apostolos in ultima cœna ordinatos esse Sacerdotes, datâ scilicet potestate super Corpus Christi verum. At post resurrectionem primùm *Joan. 20.* data est potestas absolvendi, super Corpus Christi mysticum, per eadem verba, *Accipite &c.* quibus nunc datur. Et hinc

30 II. Utraque ergo illa materia & forma est essentialis respectu Presbyterarûs seu Sacerdotii completè & adæquatè conferendi cum complete & duplici potestate in Corpus Christi verum, & mysticum. Nam in prima materia & forma, scilicet traditione calicis cum patena, vino & hostiâ, imprimitur quidem character Sacerdotalis principalis, significativus scilicet potestatis principalis Sacerdotalis in Corpus Christi verum: at nondum imprimitur character Sacerdotalis completus, quippe nondum significativus potestatis in Corpus Christi mysticum; sed ad eam potestatem significandam requiritur distinctum signum Sacramentale, ac distincta materia & forma, scilicet ultima impositio manuum cum verbis illis: *Accipe Spiritum sanctum &c.* & tunc imprimitur novus character partialis completivus Sacerdotij per se significans potestatem Sacerdotalem in Corpus Christi mysticum. Quidquid alij dicant ipsum solum characterem prius impressum, & vi primi signi Sacramentalis solùm significativum potestatis in Corpus Christi verum, per posterius signum Sacramentale (ultimam impositionem manuum) solùm extendi ad significandam aliam potestatem in Corpus Christi mysticum, quomodo autem fiat, & quid sit ista extensio, ipsi viderint. Tu mecum facilius capies imprimi duos characteres partiales. Et hinc ulteriùs

31 III. Si post primam materiam & formam, scilicet traditionem calicis & patenæ cum vino & hostiâ, Episcopus moreretur, aut quovis casu vel errore non adhiberetur secunda materia & forma; scilicet ultima impositio manuum Episcopi cum verbis: *Accipite Spiritum sanctum &c.* Ordinatus tunc esset tantùm incompletè Sacerdos, habens quidem potestatem in Corpus Christi verum, ac potens celebrare tantùm: at non posset absolvere ullum à peccatis (ne quidem veniali, aut in extremo agone constitutum. Gobat *num.* 18.) per quamcunque potestatem collatam ab homine, Episcopo, Papâ: quia nondum haberet potestatem Ordinis ad hoc, seu characterem significativum potestatis in Corpus Christi mysticum necessariò prærequisitæ ad actualem jurisdictionem. Quare talis Sacerdos mortalissimè peccaret, si tentaret audire Confessiones & absolvere, non priùs acceptâ istâ impositione manuum. Esto enim probabilis esset opinio *num.* 29. allata, totam potestatem sacerdotalem, etiam absolvendi à peccatis conferri cum traditione calicis &c. attamen nostra Sententia, si non omnino certa, certè longissimè probabilior est, adeòque opinionem illam, & ipsam absolutionem à tali factam, maximè dubiam reddit: quare nullo modo practicanda illa opinio, nisi fortè in extrema necessitate, & cum consensu expresso pœnitentis, ut bene observat Gobat *num.* 121. Quid de celebratione talis Sacerdotis practicè dicendum, dicam mox inferiùs *dubio priori.*

32 IV. Sunt ergo hæ duæ potestates, scilicet consecrandi & absolvendi realiter distinctæ; ita tamen, & hoc ordine, quòd prima non dependeat essentialiter à secunda. Unde ut modò dictum, Sacerdos ordinatus primâ tantùm materiâ & formâ,

formâ, absque secunda, omninò validè consecraret Corpus & Sanguinem Christi; & de facto consecrant Neo-Mystæ in ipsa Missa Ordinationis cum Episcopo Ordinante, antequam accipiant istam ultimam impositionem manuum, & potestatem absolvendi à peccatis. At contrà secunda potestas essentialiter pendet à prima, & character potestatis in Corpus Christi mysticum essentialiter supponit characterem potestatis in Corpus Christi verum, æquè imò magis, quàm character potestatis Episcopalis præsupponit characterem totum potestatis sacerdotalis. Unde, si impositio manuum cum forma: *Accipe Spiritum sanctum*, fieret omissâ primâ materiâ & formâ, scilicet traditione vasorum, nihil fieret, & nulla potestas conferretur, sed utraque materia & forma repeti deberent, secundùm omnes. Circa prædicta emergit unum & alterum dubium practicum.

Dubium prius.

Quid de Celebratione Sacerdotis Ordinati absque ista impositione manuum?

QUid si ergo Sacerdos per traditionem calicis & patenæ cum vino & hostia jam ritè ordinatus, tamen repentino morbo suo, vel Episcopi, aut quocunque eventu, non factâ ultimâ impositione manuum, antequam eam reciperet, celebret suas Primitias? an validè & licitè? Respondeo & dico

33 I. Sine dubio consecraret validè, ut jam insinuatum *num. 32.* & mox iterum patebit de Neo-Mystis in ipsa Ordinatione cum Episcopo consecrantibus. Quin imò per se, spectato jure divino nullum in hoc apparet peccatum: adeóque etiam licitè. Ratio utriusque est: quia licèt, ut dictum est, potestas absolvendi supponat potestatem consecrandi, cùm priùs sit habere potestatem in Corpus Christi verum, quàm in mysticum: attamen potestas consecrandi nullo modo, ne accidentaliter quidem dependet à potestate absolvendi, ut palàm est.

34 II. Per accidens tamen ex jure positivo, talis peccaret graviter: obligabatur enim petere & accipere istam impositionem manuum, ante primam suam Missam. Nam suprà *cit. cap. Presbyter de Sacramentis non iterandis*, expresè decernit Pontifex esse in Diacono & Sacerdote, qui impositionem manuum non reciperet, *cautè supplendum, quod fuerat incautè prætermissum.* Ex quo DD. unanimiter & generaliter concludunt esse supplendos defectus in Ordinatione commissos, non tantùm substantiales, sed etiam accidentales gravis momenti ante talis Ordinis executionem: adeò ut lethiferè delinquat, qui ante suppletionem ministrat in Ordine sic defectuosè suscepto, si defectus sit ex præcipuis, (uti certè est impositio manuum, maximè hæc ultima) & unctio manuum Presbyterandi. Secùs, si defectus levis fuisset. Ita cum alijs Sanchez *l. 7. Consil. Moral. cap. 1. dub. 13.* Gobat *num. 120.* & rursus *num. 226.*

III. Prætermissa impositio manuum eodem die 35
non suppleta, debet suppleri, non quocunque die alio, sed die & tempore præscripto sacris Ordinationibus. Ita expresè Pontifex cit. cap. Presbyter. ibidem: *sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos, cautè supplendum &c.* At numquid necessariò adhuc, vel rursus jejuno Ordinatore? R. Minimè. Quia impositioni illi manuum non debet præmitti jejunium naturale: constat enim actionem illam fieri in ipsa Ordinatione post sumptionem, & sumptam jam ablutionem: quidni etiam fiat post sumptum prandium?

IV. Quòd si impedimentum (morbus v. g.) 36
durâsset solùm die Sabbathi Ordinationis? Gobat *cit. casu 4. num. 124.* rectè censet, potuisse impositionem manuum, vel Ordinationem suppleri mox Dominicâ immediatè sequenti: cùm & alias ex justa causa possit Ordinatio Sabbathina protrahi in sequentem diem. At si Ordinandus cecidisset in morbum, deliquium, &c. in ipso temporis: numquid durante morbo vel deliquio potuisset heri impositio manuum? R. Omnino validè, & ob rationabilem causam, etiam licitè: cùm ad suscipiendos Ordines sufficiat: intentio habitualis, qualis utique hic aderat sufficiens.

Dubium alterum.

Quid de Consecratione Neo-Mystarum Episcopum prævenientium?

EX præscripto Pontificalis Romani, & con- 37
suetudine jam ubique ferè recepta (quam immeritò reprehendunt *Durandus, Sotus, Gabriel, Palatius* apud *Suarez.*) Neomystæ post Offertorium una cum Episcopo recitant Canonem, simúlque proferunt verba Consecrationis, monentibus omnibus DD. & in ipso actu Cæremoniarijs, ut sic proferant, ut nullus præveniat Episcopum. Quòdsi ergo ipsi, vel aliquis eorum ante Episcopum absolvat formam Consecrationis, quæritur, an verè consecret? Ubi involvitur alia quæstio: qualiter scilicet verba Consecrationis tunc proferantur à Neomystis, an formaliter? an materialiter tantùm? Respondeo & dico

I. Magni Doctores asserunt, illa verba proferri à 38
Neomystis solùm materialiter & recitativè, eo modo, quo proferunt Sacrum probantes, vel quo profert Sacerdos legendo Epistolam in Missa de Corpore Christi: tametsi mens Ecclesiæ præscribentis illam recitationem sit, ut proferant in signum potestatis sibi collatæ ad verè consecrandum. Ita *Richardus, Cajetanus, Angelus*, alij apud *Suarez*, qui hanc sententiam probabilem censet, & valde probabilem vocat *Layman*: adeò ut volens hanc sententiam sequendo ita solùm materialiter proferre, certè peccati reus agi non possit. §. Quin neque peccati gravis arguendus eris, si omnino omittas verba Consecrationis proferre, quidquid sine fundamento obligationem sub mortali asserat. *Quintanadvennas* apud Gobat *cit. n. 132.* Et consequenter in hac sententia Neomystæ, quantumvis Episcopum præveniant, nihil efficient, quia deest intentio omnis consecrandi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

39 II. Communis sententia est, Neomystas proferre ea verba formaliter & practicè in persona Christi, æquè ac Episcopus: adeóque si habentes intentionem consecrandi, ipsi vel unus eorum finiat totam formam Consecrationis ante Episcopum, ipse reverâ solus consecret, non Episcopus, vel alij post ipsum finientes. Ratio est: Quia jam adest potestas in Corpus Christi verum: ergo si etiam adsit intentio consecrandi in formali prolatione verborum consecrationis, reipsâ consecrabit. Quia verò esset maximum absurdum, si Episcopus reverâ tunc non consecraret, ideo meritò sollicitè monentur, ut nullus finiat ante Episcopum, forméntque intentionem non consecrandi, si casu præveniatur Antistes.

40 III. In praxi ergo tutissimè se geret Neomysta, si formet expressam intentionem proferendi illa verba eo sensu, quem petit Ecclesia. aut expressiùs, dicendo v. g. *volo consecrare, sed nonnisi cum Episcopo*: aut adhuc expressiùs: *volo, ut mea prolatio valeat, si finiêro cum Episcopo: at non valeat, si ante ipsum absolvero.* Ita post alios Tannerus *suprà cit. q. 9. n. 65.* Addunt aliqui cum Quintanadvennas apud Gobat *Alphab: Sacrif. num. 116.* Omnes novos Sacerdotes unà cum Episcopo facere moraliter unam Consecrationem, ideóque verè consecrare cum Episcopo, etiamsi formulam absolvant aliquantulùm post Episcopum. Qui de his plura volet, videat Lugo & Dicastillum *cit.*

41 IV. Jam bene est (inquies bone Presbyterande) Ego in mea Ordinatione faciam intentionem optimo modo consecrandi & offerendi Sacrificium istud unà cum Episcopo, conabórque cum ipso absolvere formam Consecrationis: at nunquid potero Sacrificium istud offerre pro aliquo, ei fructum applicando, v. g. Amantissimo meo Parenti non ita pridem defuncto? Certè curiosè quæris, sed quia tam piè quæris. Respondeo; omnino potes, & tam validè potes, quàm poteris postea solus Missam legens. Ita Mæratius apud Dianam *p. 5. tract. 14. Resol. 112.* Ratio est: quia cùm singuli consecrent cum Episcopo, non est ratio, cur non omnes, æquè ac Episcopus ipse, possint totum illud Sacrum donare alteri, ait Gobat proximè *cit. n. 117.* Certè omnes offertis latreuticè & Eucharisticè, cur non item omnes satisfactoriè & impetratoriè quoad fructum applicabilem? Jam ergo in limine salutamus Sacerdotij sacratissimum actum *Sacrificium.*

CAPUT II.

De Sacrificio in communi, & Missæ in specie.

SECTIO I.

De Sacrificio in communi.

SUMMARIA.

42. *Sacrificium dupliciter sumi potest* formaliter & activè; ac objectivè, & *quasi* passivè.
43. *Sacrificium in communi est Oblatio externa legitimè instituta.*
45. *Quâ per legitimum Ministrum*
46. *Res sensibilis realiter immutatur*
48. *In protestationem supremi Dei Dominij.*
49. *Esto, actus Religionis. Religio quid? ejus objectum, &*
50. *Actus duplex: elicitus & imperatus?*
51. *Quid* cultus *generatim? ejus divisio.*
52. *Quid Latria, seu cultus Latriæ?*
54. *Sacrificium est specialissimus actus cultus Latriæ.*
55. *Supremus, & ideo soli Deo debitus*
56. Usq; ad n. 61. *Sacrificium quotuplex, & unde ejus Origo?*

SACRIFICIUM, quoad ethymologiam, dicitur *a sacro faciendo*; quasi *sacrum faciens*, vel *rem sacram*, vel *Deo sacratam efficiens.* Quia nimirum res Sacrificio oblata, prout terminat ipsam actionem sacrificativam, specialiter DEO *sacra*, vel *sacrata* fit, in contestationem supremæ ejus Excellentiæ ac Dominij super universa, & nostræ omnimodæ subjectionis ac dependentiæ ad ipsum. Unde duobus modis accipitur Sacrificium: *Formaliter* & quasi activè: & *objectivè* ac velut passivè. Sacrificium *formaliter & activè* est ipsa oblatio & actio sacrificativa alicujus rei facta DEO in recognitionem ejus supremi in nos Dominij. Sacrificium *objectivè & quasi passivè* sumptum est ipsa res oblata & sacrificata DEO: & propriè dicitur *hostia* vel *victima*, ut quidam volunt, ab *hostibus devictis* sic dicta. De Sacrificio in priori sensu nobis potissimùm sermo est. 42

§. I.

Quid Sacrificium in communi?

SAcrificium est Oblatio externa legitimè instituta, quâ per Ministrum legitimum res sensibilis realiter immutatur, in protestationem supremi Dei Dominij. §. Brevius & sufficienter diceres: *Esto oblatio externa rei sensibilis per realem sui immutationem facta Deo in recognitionem supremi in nos Dominij.* Sed priorem definitionem accuratiorem explico per partes. 43

I. Oblatio externa legitimè instituta.

CUm enim Sacrificium sit signum publicum protestativum supremi DEI Dominij, & specialis DEI cultus, nomine totius communitatis DEO exhibendus, signa autem communia & cultus publici per publicam & legitimam authoritatem institui debeant: ideo Sacrificium necessariò debet esse *Oblatio*, & *externa* (nihil enim internum potest esse publicum) & *legitimè instituta*, à publica legitima authoritate. Et quidem eam institutionem Sacrificiorum in veteri lege DEUS sibi reservavit, determinata Sacrificia, eorúmque ritus Hebræis ipse præscribens: similiter in nova lege per se ipsum instituendo unicum Sacrificium, quo coli velit: seclusâ tamen hâc divinâ reservatione, posset quælibet Respublica instituere Sacrificia, ejusmodi oblationem ac rem significandam determinare, uti ad eam spectat alia signa communia instituere: & prout de facto olim instituta sunt Sacrificia à Gentibus, maximè falsorum Deorum. Unde *Offerre*, hoc loco non significat donare: quid enim nos Codri donabimus ipsi supremo omnium rerum Domino? sed significat alicujus rei usu, quantùm in nobis est, conci- 44

liare Deo publicam existimationem suâ Majestate dignam, ejúsque immensam dignitatem contestari; ut proinde hæc *Oblatio* Sacrificij sit instar tributi, quod damus Deo in recognitionem supremi ejus in nos Dominij.

II. *Quâ per legitimum Ministrum.*

45 QUamvis enim ad essentialem rationem Sacrificij fortè non requiratur Minister à reliquis specialiter deputatus: conveniens tamen est, ut aliquis ad hoc specialiter deputetur tanquam legitimus Minister. Cùm enim Sacrificium sit specialis, & extraordinarius Dei cultus nomine totius Communitatis ei exhibendus, ejus administrationem non decet cuilibet committi. Unde non tantùm modò in lege Evangelica, sed etiam olim in lege Mosaica, Sacrificia offeruntur à Ministris ad hoc specialiter deputatis: & qui sine tali deputatione Sacrificia offerre tentârunt, divinitùs sunt puniti, ut patet de Saule 1. *Reg.* 13. & Oziâ 2. *Paral.* 26. Atque etiam in lege naturæ fuisse aliquos specialiter deputatos, colligitur ex *Genes.* 14. Ubi Melchisedech dicitur protulisse panem & vinum; & ratio additur: *erat enim Sacerdos Dei Summi.* Quamvis certò non constet, quinam præcisè in illa lege fuerint constituti Sacerdotes; communis tamen opinio est, fuisse Principes familiarum & filios primogenitos: præter quos videntur aliqui instinctu divino sacrificâsse, ut Abel & Jacob &c.

III. *Res sensibilis realiter immutatur.*

46 CUm enim, ut dictum est, Sacrificium sit cultus externus, quô protestamur summum Dei Dominium non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus, quibuscum non communicamus nisi in rebus sensibilibus, ideo per Sacrificium offerri debet *res sensibilis.* Et quia protestamur per Sacrificium publicè, Deum habere Dominium in vitam & mortem; sic, ut pro libitu possit omnia immutare: ideo res illa sensibilis debet *realiter immutari*: aliter enim convenientiùs suprema illa in vitam & mortem Potestas Dei significari non poterat; sic enim in omnibus retrò institutis Sacrificijs semper res oblata ex parte immutabatur; pecora enim occidebantur, in holocaustis insuper concremabantur, &c. Neque hæc conditio defuisse censenda est Sacrificio Melchisedech. Etsi enim Scriptura non referat circa panem & vinum ab ipso oblata, fecisse aliquam immutationem; potuit tamen aliquam partem panis adussisse, vel contrivisse; partem vini in terram effudisse; cùm Scriptura referat, eum ibi sacrificâsse, nec intendat eo loco referre modum, quô sacrificârit. Et ulterius. §. Circa prædicta pro Sacrificio Missæ aliqua hic necessariò notanda sunt, suo loco applicanda.

47 Imprimis ad Sacrificium non requiritur universaliter immutatio substantialis rei oblatæ; ut nimirum in ipso actu sacrificandi res immolata substantialiter corrumpatur: sed sufficit in actu sacrificandi fieri mutationem accidentalem tantùm, ut res oblata ponatur in statu corruptionis, vel saltem inutilis omnino reddatur ad usus vel functiones suas naturales. Nam v. g. Qvis verissimè sacrificabatur, quando lethaliter percussa ponebatur in statu corruptionis; etsi non statim tunc moriebatur, & in libaminibus vinum & oleum verè sacrificabatur, quando in terram effundebatur, & sic in statu corruptionis ponebatur, vel saltem inutilis fiebat ad usum suum naturalem, licèt diu non corrumperetur substantialiter. Unde ulteriùs non requiritur, ut ipsa immutatio hostiæ, vel rei oblatæ per se sit sensibilis (*nulla enim mutatio substantialis per se sensibilis est*,) sed sufficit, quòd actio immutativa sit sensibilis. Alioquin necessariò fatendum erit, sumptionem ac consumptionem specierum esse de essentia Sacrificij Eucharistiæ, cùm nulla alia ibi fiat mutatio sensibilis. Denique quamvis ipsa res oblata & destructa regulariter dicatur hostia, quando nimirum rei destructæ nulla succedit alia perfectior, & Deus intenditur honorari in ipsa re, quæ destruitur, ut sit in immolatione pecudum: at verò, quando rei destructæ succedit nova res dignior, ac per illam Deus magis intenditur honorari, tunc hostia Sacrificij consistit in illa re nova producta. Sic in oblatione thuris potiùs sacrificabatur suffitus ex thuris concrematione productus, quàm ipsum thus. Sic in Sacrificio Eucharistico sacrificatur ipse Christus per conversionem panis & vini in ipsum, & non ipse panis & vinum principaliter.

IV. *In protestationem supremi Dei Dominij.*

48 IDeo enim per Sacrificium res sensibilis immutatur, vel destruitur, ut contestemur supremam DEI potestatem super nos, dominiúmque plenum vitæ & mortis, quippe, qui tam facilè possit nos, & omnia immutare vel destruere, quàm facilè nos rem aliquam nostram immutamus, vel destruimus. Quando ergo Sacerdos antiquæ legis mactabat DEO bovem vel ovem, eô ipsô explicitè vel implicitè, atque ipso facto dicebat; Domine, Jehova, Adonai, &c. Sicut ego pro libitu possum jam mactare hanc bestiam; ita tu omnes creaturas unico nutu potes perdere: Et ut hanc tuam in me & omnes creaturas supremam potestatem & dominium rudi exemplo manifestem, ac profitear, en! macto, jugulo, concremo hanc pecudem, &c. Atque eandem intentionem in actu exercito & ipso facto habet etiamnum omnis Sacerdos sacrificans (esto ipse de ea nihil cogitet. Neque enim dubium est, quin illa mutatio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, ipsiúsque Christi, mystica destructio, ex intentione Christi & Ecclesiæ Sponsæ suæ peragatur eo fine, ut per hoc ipsum profiteamur, & protestemur supremum Dei dominium super res creatas omnes, eóque ipso omnimodam, & infinitam DEI super nos excellentiam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam, eminentiam, ut mox magis patebit §. *seq.* Et hinc Sacrificium formaliter & essentialiter consistit in ratione signi protestativi supremæ DEI potestatis in omnes res: neque essentialiter aliam significationem requirit, etsi habere possit, & de facto habeat. Nam sicut omnia Sacrificia veteris legis præsignificabant: ita maximè Sacrificium novæ legis, significat Sacrificium cruentum Christi in Cruce oblatum. Ex dictis patet. Quòd accensio candelarum, incensio thuris, & similia, quæ fiunt in Ecclesia, etiam ab ipsis Sacerdotibus, non tamen esse Sacrificia. Etsi enim fiant ad honorem DEI & Sanctorum, & ob alias mysticas significationes, non tamen ex institutione sua fiunt ad protestationem Summi DEI Dominij: nec fiunt à Ministris ad id specialiter in nova lege deputatis, saltem tanquam talibus, etsi fiant à Sacerdotibus: Sacerdos enim ex Ordinatione sua tantùm deputatur ad offerendum Sacrificium incruentum, non verò ad incendendum thus, & similia. Cæterùm, ut meliùs ex fundamento intelligatur natura Sacrificij, ponam aliam particularem quæstionem.

§. II.

Cujus virtutis actus, qualisque cultus est Sacrificium? quomodo soli Deo proprium?

Sacrificium est Actus virtutis Religionis, & Cultus Latriæ supremus: & ideo soli DEO proprium. Explico particulatim

I. *Est actus virtutis Religionis.*

49 *Religio definitur: virtus moralis, quâ DEO tanquam primo rerum omnium Principio, & Domino excellentissimo debitus cultus exhibetur.* Objectum ejus *proximum* & *Quod*, est cultus tanquam Deo debitus: adeò ut materiale sit ipse cultus, seu actiones illæ, quibus Deum colere intendit, & satagit Religio. *Formale* verò, seu *ratio formalis*, quam Religio in cultu Deo exhibendo immediatè respicit, est ratio debiti propter summam ejus Excellentiam. Objectum verò *remotum & Cui* est ipse Deus ut primum rerum omnium Principium, ac supremus Dominus. Quo differt Religio à Charitate, quæ actu suo elicito immediatè tendit in ipsum Deum ut summum bonum: & actiones omnes refert ad Deum tanquam aliquid bonum & placitum Deo: Religio verò actu suo elicito immediatè tendit non in ipsum Deum, sed in cultum Deo exhibendum, vult enim immediatè non Deum, sed cultum aliquem exhibere Deo: actionésque colendi refert ad Deum tanquam aliquid Deo debitum ob summam ejus Excellentiam & Dominium. Unde Religio non est virtus Theologica, cùm actu suo elicito immediatè in Deum non tendat: sed est virtus moralis nobilissima, quia actiones morales hominis, post virtutes Theologicas, super omnes alias virtutes morales maximè & perfectissimè ad Deum ordinat, & refert. Unde ulteriùs

Religionis actus duplex est, *Elicitus & Imperatus.* Actus Religionis *elicitus*, est voluntas & devotio colendi Deum, sempérque est actus internus voluntatis. Actus Religionis *imperatus*, est ipse cultus, seu actiones illæ, quibus voluntas vult, & intendit colere Deum. Alij sunt actus interni tantùm, ut orationes & affectus mentales erga Deum: alij externi simul & interni, (externi sine internis nihil valent) ut adorationes, genuflexiones, & maximè ipsa Sacrificia. D. Thomas 2. 2. *q.* 82. & 84. universim enumerat undecim actus Religionis. *Devotio, Oratio, Adoratio, Sacrificium, Oblatio, Primitiæ, Decimæ, Votum, Juramentum, Adjuratio, & Laus DEI.* Ad quos referri debent omnes prorsus observationes & cæremoniæ sacræ ad cultum Dei ordinatæ, ut erectiones Altarium, Ecclesiarum, celebrationes festorum, jejuniorum, usus rerum ab Ecclesia benedictarum: & maximè Sacramentorum à Christo institutorum. 50

II. *Et Cultus.*

Cultus (idem ac adoratio latè sumpta) *Est contestatio externa, seu nota submissionis erga alterum ob ejus æstimatam Excellentiam:* 51 quô differt ab honore, seu veneratione. Honor enim, seu veneratio præcisè dicit contestationem nostræ bonæ existimationis de alterius Excellentia, seclusâ notâ submissionis. Unde honorari etiam æqualis vel inferior potest, coli verò vel adorari minimè. Cultus verò seu adoratio dicit contestationem etiam nostræ submissionis, seu subjectionis erga alterum ob ejus æstimatam Excellentiam. Hujus tres sunt species. *Latria, Dulia, & Cultus Politicus. Cultus Politicus* dicitur, qui tribuitur alteri ob ejus excellentiam creatam, & merè naturalem humanam, utpote virtutem, doctrinam, Superioritatem &c. *Cultus Duliæ* dicitur, qui tribuitur Creaturis sanctis ob earum excellentiam creatam & supernaturalem gratiæ & gloriæ, utpote Angelis & Hominibus sanctis defunctis, de quorum gratia & gloria constat: Et dividitur *in Duliam simplicem*, quâ coluntur communiter Sancti ob eorum ordinariam Excellentiam supernaturalem gratiæ & gloriæ: & *Hyperduliam*, quâ colitur creatura ob extraordinariam excellentiam supernaturalem: & de facto sic colitur B. V. MARIA Mater DEI, & singularis sanctitatis, gratiæ & gloriæ, quâ super omnes Angelos & Sanctos excellit: item Humanitas Christi seorsim sumpta, ob excellentiam supremam unitatis hypostaticæ ad Verbum divinum juxta communem DD. cum D. Thoma & Scoto *in 3. d. 25. Cultus Latriæ* denique dicitur, qui ipsi soli Deo exhibetur ob ejus excellentiam increatam & infinitam.

III. *Latriæ.*

Latria, quâ Cultus soli DEO debitus exhibetur, potest accipi vel habitualiter pro virtute 52

tute inclinante ad Deo debitum cultum exhibendum: & sic idem est cum virtute Religionis, hoc solo discrimine, quòd Religio generaliter respicit omnem cultum Deo exhibendum, tam internum, quàm externum: Latria verò specialiter respicit solùm cultum externum simul cum actu interno Deo exhibendum. Communiùs tamen Latria accipitur actualiter pro actuali cultu & adoratione Dei, & definitur:

53 *Latria est actus externus Religionis, quo per convenientem corporis gestum, aliave actione sacrâ externâ protestamur nostram subjectionem erga Deum, ut summum nostrum Dominum, ob ejus increatam & infinitam excellentiam, adeòque tribuimus ei summum & divinum honorem.*

Differentia hujus cultûs & adorationis soli Deo propriæ principaliter & universaliter desumitur ab actu interno religiosо voluntatis, quô homo vult tali actu externo colere ipsum Deum, seu protestari suam subjectionem erga Deum, ut supremum Dominum, ob ejus supremam & infinitam Excellentiam: quicunque deinde sit ille actus externus. Nam generaliter omnis actus externus bonus moraliter, vel etiam indifferens potest esse cultus vel adoratio Dei. Speciales actus sunt Prostratio, Inclinatio, Genuflexio &c. suprà enumerata. Specialissimi autem sunt actus Sacrificij, quæque ad illud referuntur, Templa, Altaria, Sacerdotium, ac sacri Ordines omnes.

54 Est ergo Sacrificium specialissimus actus & cultus Latriæ; atque hoc ipso differt ab omnibus alijs cultibus & actibus Latriæ, quòd omnes alij actus Latriæ externæ & materiales, ut inclinationes, genuflexiones, prostrationes, oblationes &c. communes sint Deo, Sanctis, & hominibus excellentibus, seu cultui Latriæ, Duliæ, & Politico, & differant solùm penes intentiones & inclinationes voluntatis. Nam 1. ut sunt actus Latriæ, dicunt summam inclinationem voluntatis erga Deum apprehensum sub ratione summæ & infinitæ Excellentiæ, supremique Dominij vitæ & mortis: & reipsâ dicit inclinationem erga Deum quasi in *nihilum*; quippe respectu cujus infinitæ excellentiæ & potestatis reverâ sumus *nihil*, & subtracto ejus influxu continuò conservativo, mox in pristinum nihilum recideremus, nullius prorsus divinæ Excellentiæ vel perfectionis capaces.

Y. Hunc affectum Latriæ energicè expressit S. P. Franciscus, ita Deum adorare solitus: *O Domine quis tu? quis ego? Tu omnia, ego nihil; Tu abyssus entis & boni! Ego abyssus nihili & mali! Tibi ergo me abyssali humiliate & veneratione prosterno.* Apud Cornelium à lapide *in c. 7. actuum ad v. 25. sub finem.* 2. Ut sunt actus Duliæ, dicunt longè inferiorem inclinationem voluntatis erga Sanctos apprehensos sub ratione excellentiæ supernaturalis gratiæ & gloriæ, longè tamen plus quàm humanæ, attamen finitæ & creatæ, & divina infinitè inferioris, atque ab illa omnimodè dependentis: respectu quorum proinde non nihil, sed aliquid sumus, quippe ejusdem naturæ consortes, ejusdémque gratiæ & gloriæ capaces: attamen hâc adhuc carentes meritò submittendi. 3. Ut sunt actus Politici, dicunt adhuc longè inferiorem submissionem & inclinationem voluntatis erga homines apprehensos sub ratione certæ excellentiæ puræ naturalis & humanæ in dignitate, virtute, scientia &c. respectu quorum proinde non nihil, sed bene aliquid sumus, quippe ejusdem naturæ consortes, & excellentiæ capaces, & licèt de facto in uno hoc genere excellentiæ inferiores, ideòque meritò submittendi, tamen aliquo alio genere excellentiæ vel bonorum sæpe superiores. Quæ omnia bene penetranda sunt. 4. At verò Sacrificium totum, tam quoad actum externum immolationis seu immutationis rei sensibilis, quàm quoad actum internum intentionis contestandi supremum Dei super nos Dominium, soli Deo proprium est, ipsique soli offerri debet, & nulli creaturæ ut termino principali offerri potest. Unde & Deus præcepit Exodi 22. *Qui immolat Diis, occidatur, præterquam Domino soli.* Et hinc Sacrificium est actus Latriæ.

IV. *Supremus, & ideo soli DEO proprius.*

SAcrificium est Actus Religionis, ac cultûs Latriæ supremus ac simpliciter summus cultus possibilis, qualis sine dubio soli Deo debetur propter se, ejúsque supremam & omnino independentem eminentiam ac dominium super omnia. Nam Sacrificio, quo Deo res sensibilis immutata offertur in recognitionem ejus supremi Dominij, non solùm contestamur nudè Deum esse supremum Dominum vitæ & mortis nostræ, ut explicatum est (quòd ipsi jam soli Deo proprium est) sed contestamur summam omnimodam nostram submissionem, subjectionem, & dependentiam erga Deum, ejúsque super nos supremam eminentiam ac dominium, ut dignissimum agnoscamus, nos ipsos destruere & immolare in cultum & obsequium Dei: neque enim aliter istam omnimodam dependentiam & abyssale nihilum nostrum respectu Dei perfectè repræsentare & profiteri possemus. Verum quia hoc non expedit, nec ipse Deus vult, nec permittit, ideo loco nostri quasi substituimus, & destruimus, ac immolamus aliam rem sensibilem: in veteri quidem lege oves & boves &c. in nova autem lege gratiæ ipsum Corpus & Sanguinem Christi, adeóque concomitanter ipsum Christum Deum & Hominem, modo infrà explicando. Cùm ergo nulli alteri, nisi soli Deo debeatur tanta subjectio, ut supremo Principio & Domino nostro, in cujus gratiam congruat nos ipsos destrui, sequitur Sacrificium soli Deo deberi. Unde olim quóque populorum consensu, Sacrificia nemini, nisi Numini vero vel ficto offerebantur. Hinc est illa pulcherrima sententia D. Augustini *l.* 10. de Civit. Dei c. 4. *Multa de cultu divino usurpata sunt, qua honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimiâ, sive adulatione pestiferâ, ita tamen, ut quibus ea deferuntur* 55

Universidad de Deusto
Biblioteca

feruntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi, si autem eis multùm additur, & adorandi. Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei, quem DEUM aut scivit, aut putavit, aut finxit?

§. III.

Quotuplex est Sacrificium, & unde habens originem?

56 SAcrificium variâ ratione & respectu variè dividitur

I. Ratione materiæ Sacrificium olim dividebatur in *Hostiam* seu *Victimam*, *immolationem & libamen*. *Victima* seu *Hostia* dicebatur Sacrificium, quo Deo offerebatur animal, ut oves, boves, vituli, hirci, capræ, & aves, &c. *Immolatio* dicebatur Sacrificium, quo Deo offerebatur res inanimata solida, ut fruges terræ, panes, thura, &c. *Libamen* dicebatur Sacrificium, quo Deo offerebatur res inanimata liquida, vinum, oleum, sanguis, aqua per effusionem in terram. De modo isto sacrificandi latè Scriptura veteris Testamenti.

57 II. Ratione formæ & finis Sacrificium dividebatur in *Holocaustum*, *hostiam pro peccato*, & *hostiam pacificam*. *Holocaustum* erat Sacrificium, quo tota res oblata destruebatur seu concremabatur, & in fumum resoluta sursum ad Deum ascendebat, ut nihil inde cederet in usus hominum: adeóque erat Sacrificium perfectissimum, quo perfectissimè significabatur, omnia Dei esse, & ad ipsum omnia referenda. *Hostia pro peccato*, erat Sacrificium oblatum pro peccatis externis tantùm & legalibus, & partim cremabatur, partim cedebat in usus Sacerdotum tantùm, eò in atrio templi vescentium. *Hostia pacifica* erat Sacrificium, quod Deo offerebatur in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, aut pro beneficijs impetrandis, & hujus una tantùm pars comburebatur ad honorem Dei; alia pars cedebat similiter in usum ipsorum offerentium.

58 III. Eadem ratione finis: Sacrificium, (non tantùm veteris Legis, sed etiam maximè novæ Legis modo infrà explicando) dividitur in Sacrificium *Latreuticum*, *Eucharisticum*, *Impetratorium & Satisfactorium*. *Sacrificium Latreuticum* est, quod offertur totum ad Deum colendum (& hoc fiebat olim holocausto) *Eucharisticum* dicitur, quod offertur Deo in gratiarum actionem pro beneficijs accept's: *Impetratorium*, quod fit pro beneficijs accipiendis (hæc duo utraque dicebantur olim *hostia pacifica*.) *Satisfactorium* dicitur, quod offertur Deo pro peccatis & peccatorum pœnis ac flagellis avertendis. Et hoc concidit cum hostia pro peccato: hæc porrò omnia olim facta diversis Sacrificijs: modò in nova Lege fiunt unico Sacrificio incruento nostro, ut mox infrà explicabitur.

59 IV. Ratione originis Sacrificium *legis naturæ*, quale oblatum fuit ab Adamo usque ad Moysen: Sacrificium legis *scriptæ*, seu *Mosaicæ*, qualia à Deo præscripta sunt per Moysen plurima. Et Sacrificium *legis gratiæ* seu *Evangelicæ*, quod unicum, cruentum quidem semel obtulit Christus semel in Cruce moriens: Incruentum verò & perpetuum instituit in ultima Cœna. Et de hoc solo jam nobis sermo.

Et hæc quoad primum quæsitum: ex quibus 60
patet etiam ad quæsitum alterum. Habet ergo orginem Sacrificium ex lege naturæ & ordinatione divinâ: Ex lege naturæ quidem: quia homo agnoscens suas in corpore & animâ defectiones, naturaliter intelligit se alterius superioris auxilio indigere in vita & actibus suis, ne deficiat, atque ideo illi superiori reverentiam & honorem exhibendum, aut pro tali auxilio impetrando, aut pro impetrato regratiandum meritò judicat naturali luce, & rectâ ratione; ergo ulteriùs illi superiori in recognitionem illius eminentiæ, ac suæ dependentiæ, ac debitæ subjectionis testificationem, oblationes & sacrificia offerenda eâdem naturali ratione rectè judicat. Unde rectè sancti Patres docent, Sacrificium esse de lege naturæ: quia naturale est homini se interiùs subjicere Deo, & hanc subjectionem internam suam signo aliquo externo prodere & testificari. Ergo Sacrificium habet originem ex dictamine rectæ rationis, & ipsâ lege naturali. Deinde etiam ex expressâ positiva ordinatione divina, ut constat passim in sacris Literis veteris Testamenti. Quin in ipsa lege naturæ Sancti Patres divino instinctu Deo obtulerunt Sacrificia, ut constat de Abel, Noë, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob, Job, alijs.

SECTIO II.

De ipso SS. Missæ Sacrificio.

§. I.

Quid est Missa?

SUMMARIUM.

61. *Missa quid nominis? &*
62. *Quid rei? ejus definitio.*
63. *Missam in nova lege esse verum Sacrificium, probatur variè* Usque ad n. 68.
68. *Solvuntur objectiones.* Usque ad n. 72.
72. *Sacrificium Missæ quotuplex?*

I. Quid Nominis?

61 MIssa communi Ethymologiâ, in Concilijs, Patribus, & Jure Canonico, dicitur à Missione. Et olim idem erat ac dimissio Cathecumenorum, scilicet post Evangelium ante Offertorium, quo incipiebat Missa sacra. Tunc enim Diaconus publicâ voce clamabat: *Ite, Missa est*: quibus auditis ab Ecclesia per Ostiarios excludebantur Cathecumeni, Energumeni, publicè Pœnitentes, quibus fas non erat Consecrationi Corporis & Sanguinis Domini interesse. Nunc autem Missa dicitur tota actio sacra, quâ cum multis cæremonijs, lectionibus, orationibus, conficitur, offertur, & sumitur Sacramentum & Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi. Itidem Ethymologiâ desumptâ à missione. Quia per consecrationem Christus ad nos mittitur à Patre, & per oblationem & sumptionem à nobis offertur, & quasi remittitur ad Patrem: unde modò post tantam illam actionem publicâ voce à Diacono cantantur verba illa: *Ite, Missa est*. quibus significatur & Hostiam sacram jam esse plenè oblatam, missam, seu transmissam ad Patrem: & ideo omnibus esse jam liberam missionem, seu dimissionem, ac licentiam abeundi. Alii volunt nomen hoc Missa, derivari ab Hebræo Missach, quod spontaneam oblationem significat: sed nos cum communi latini maneamus.

II. Quid rei?

62 *MIssa est verum & unicum novæ Legis Sacrificium, quo à Sacerdote ritè Ordinato, Corpus & Sanguis Domini Nostri JESU Christi sub speciebus panis & vini ex ejus institutione certo ritu, pro salute vivorum & defunctorum DEO offertur, immolatur, & sumitur.* Ita in re omnes. Singulæ particulæ explicabuntur per distinctos paragraphos hoc, & duobus sequentibus Capitibus. Pro fundamento autem pono imprimis doctrinam fundamentalem Concil. Trident. *sess. 22. c. 1.* de hoc Sacrificio: *Is igitur Deus & Dominus noster, etsi semel & seipsum in Ara Crucis, morte intercedente DEO Patri oblaturus erat, ut æternam illic Redemptionem operaretur; quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna novissima, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud in Cruce peragendum repræsentaretur, ejúsque memoria usque in finem sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie fiunt, peccatorum, applicaretur, Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituit, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorúmque Successoribus in Sacerdotio, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit &c.* Hæc Concilium accuratè explicans S. Sacrificii hujus institutionem, ideóque bene ponderanda, & continuò deinceps in memoria habenda sunt.

§. II.

Estne in Nova Lege, seu in Missa verum Sacrificium?

63 ESt omnino. Certissima Fidei Orthodoxæ veritas, quam eleganter & perspicuè docet Concilium Tridentinum modò recitatum: & mox *ibidem Can. 1.* definit. *Si quis dixerit, in Missa non offerri verum & proprium Sacrificium, aut quòd offerri non sit aliud, quàm Christum nobis ad manducandum dari, anathema sit:* eadémque veritas liquidissimè constat ex antiquissimis Conciliis, Patribus omnibus, ac Lyturgiis, Basilii, Chrysostomi, ac ipsius Jacobi Apostoli, & Marci Evangelistæ: ac unanimi consensu omnium Orthodoxorum, contra nuper natos nostri tempori hæreticos Calvinistas, ac Lutheranos. Et breviter ac clarè probatur.

I. *Ex figura*: Psalmo 109. dicitur de Christo: 64
Juravit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech: id est secundùm similitudinem seu ritum Melchidesech; qui ut Sacerdos Dei panem & vinum obtulit Genes. 14. *At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, Abrahæ scilicet.* Quo facto præfiguravit Sacrificium à Christo oblatum in ultima Cœna sub speciebus panis & vini, ut docet Concilium Tridentinum suprà allatum, & Patres unanimiter apud Bellarminum *l. 1. de Missa cap. 6.* Et apertissimè Cyprianus *Epist. 63. ad Cæcilium* post alia dicens: *Nam quis magis Sacerdos DEI summi, quàm Dominus noster JESUS Christus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet Corpus & Sanguinem.*

II. Ex prophetia Malachiæ. 1. Ubi Deus ve- 65
lut reprobans Sacerdotes Mosaicos, eorúmque sacrificia, ait: *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus Exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*: nimirum Eucharistica; ut explicat Tridentinum ibidem, & Patres unanimiter, inter quos Damasc. *l. 4. de fide cap. 14.* ait: *Illud est purum & incruentum Sacrificium quod Dominus à solis ortu usque ad occasum oblatum iri per Prophetam prædixit, &c.*

III. Ex Evangelio: Christus summus Sacer- 66
dos panem & vinum in Corpus & Sanguinem convertens seipsum in ultima Cœna obtulit, præcepítque idem fieri ab Apostolis: eorúmque in Sacerdotio Successoribus, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut patet ex Evangelio Matthæi, Marci, Lucæ, & 1. Cor. 11. Definítque Trident. *cit. can. 1.* & docent Patres unanimiter: inter quos Irenæus *l. 4. cap. 32.* dicit: *Quòd Christus tunc novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo.* Atqui istî actioni vel oblationi nihil prorsus deest ad rationem verissimi Sacrificii: est enim vera oblatio rei sensibilis per realem immutationem, nimirum conversionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, facta Deo in recognitionem supremi ejus super nos Dominii principaliter: ut latiùs constabit per §. §. sequentes: ergo in Missa est verum Sacrificium.

IV. *Ratione congruentiæ.* Nam 1. Sacrifi- 67
cium inter actus externos Religionis est perfectissimus soli Deo proprius, & maximum habet cum natura rationali convenientiam, adeò, ut nulla unquam gens eo caruerit, quæ alicujus Numinis

Universidad de Deusto
Biblioteca

minis, seu veri, seu ficti ij persuasionem habuit: ergo non debuit Christus eo privare populum suum Christianum, utpote populis omnibus perfectiorem, & tam in colendo Deo, quàm vivendo naturæ rationali conformiorem. 2. Deinde Deus olim in veteri lege voluit coli sacrificiis Mosaicis &c. Atqui omnes causæ, ob quas Judæi non caruerunt Sacrificio, etiam militant in Christianis: nimirum Deum colere cultu ei proprio & externo nobis etiam corpore præditis convenienti: Deum placare, pro beneficiis gratias agere, nova impetrare, mortem Christi sæpe repræsentare: ergo &c. 3. Christus Sacramenta veteris legis imperfecta mutavit in alia nova veriora & præstantiora: consonum ergo est Christum Sacrificia veteris legis imperfecta tantùm & præfigurativa mortis Christi, commutâsse in novum verius & perfectius Sacrificium Eucharisticum: Est enim Eucharistia maximè idonea, ut offeratur Deo per Sacrificium: & perfectissimè repræsentat mortem Christi, ut ex dicendis magis patebit. Sicut enim Christus in Cruce suum Sanguinem à Corpore separari, & per hoc mori voluit, ut hâc ratione Deo Patri, supremo rerum Domino supremum cultum exhiberet, ac per hujus cultûs exhibitionem, impetraret nobis propitiationem, omniáque dona cælestia; ita etiam eodem volente in Missa separatur mysticè & repræsentativè Corpus & Sanguis Christi primariò ad eum finem, ut supremus cultus Deo exhibeatur tanquam summo rerum conditarum Domino, ut per hoc merita Christi, & cum his dona ac auxilia salutis nobis applicentur, ut docuit Tridentinum *suprà*.

Objectiones solutæ.

68 I. Christus semel obtulit Sacrificium Crucis cruentum pro nobis passus & mortuus: sed illud Sacrificium fuit infiniti valoris, & ideo non oportuit Christum sæpiùs pati juxta Apostolum *Hebr. 7. & 9. c.* ergo neque opus est alio Sacrificio, quod pro nobis quotidie offerretur. Resp. distinguendo minorem. Illud Sacrificium crucis est infiniti valoris, quoad sufficientiam, quia nimirum instar lytri vel pretii est sufficientissimum, ut propterea Deus omnibus, etiam infinitis, quibus illud debitè applicatur, sit paratus tribuere remissionem peccatorum, & vitam æternam: *concedo minorem*: & ideo non oportuit Christum sæpiùs pati. Est infiniti valoris quoad actualem efficaciam & applicationem fructûs illius: *nego minorem*: alioquin enim omnes necessariò essent salvandi. Itaque ad actualem efficaciam, & applicationem fructûs illius Sacrificii Crucis, opus est aliis mediis, utpote bonis operibus, Sacramentis maximè ad applicationem illius fructûs directè institutis: & inter alia media convenientissimum est Sacrificium Missæ incruentum, quò ipsum cruentum Crucis Sacrificium repræsentatur, ejúsque fructus nobis applicatur. Unde sicut ipsa Sacramenta non sunt superflua, nec arguunt insufficientiam Sacrificii Crucis, ita nec Sacrificium. Negatur ergo consequentia. Omnino enim præter Sacrificium Crucis opus erat alio Sacrificio quotidie offerendo, tum ut fructus Sacrificii Crucis nobis applicetur, ut dictum est: tum etiam principaliter ob honorem & cultum Dei, à quo sicut quotidie, imò singulis momentis vita nostra dependet, sic convenientissimè populus Christianus id quotidie protestatur aliquo Sacrificio: & quo alio convenientiùs, quàm illo sacratissimo Eucharistico? Nunc vice versâ.

II. Si Christus instituit & actu obtulit Sacri- 69
ficium Eucharisticum in ultima Cœna, illud necessariò fuisset infiniti valoris & sufficientissimum ad deletionem omnium peccatorum totius generis humani: ergo tunc frustra fuisset ipsum Sacrificium Crucis cruentum: quòd horrendum auditu. Negatur consequentia. Quia etsi illud Sacrificium ultimæ Cœnæ, sicut & quælibet Christi actio, vel passio, v. gr. solus Circumcisionis dolor, sit infiniti valoris: & sufficientissimum ad redemptionem generis humani: tamen ex pacto inter Deum & Christum inito, genus humanum non erat redimentum, nisi per Sacrificium cruentum Crucis, quod proinde non erat frustraneum. Mirare hîc nimiam Dei erga nos charitatem.

III. Eucharistia est Sacramentum: ergo non 70
est Sacrificium. Resp. Disting. consequens. ergo non est Sacrificium, formaliter, concedo totum. Sacrificium enim formaliter & propriè consistit in actione sacrificativa, ideóque non ipsa Eucharistia, sed ipsius Confectio & Oblatio est Sacrificium formaliter. Ergo non est Sacrificium objectivè, seu res oblata per Sacrificium: nego consequentiam. Eadem enim res potest esse Sacrificium, quatenus offertur Deo; & simul Sacramentum, quatenus est signum efficax gratiæ: & sic est de Eucharistia.

IV. Eucharistia, ejúsque consecratio est 71
commemoratio Sacrificii Cruenti crucis ex ipsa institutione Christi expressâ. *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo non est Sacrificium. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Potest enim eadem res simul esse verum Sacrificium, & commemoratio vel figura alterius Sacrificii. v. gr. olim Immolatio agni Paschalis verum verissimum Sacrificium fuit, & tamen simul expressa præfiguratio, & quasi præmemoratio Sacrificii cruenti & incruenti Christi. Similiter ipsum Sacrificium incruentum Missæ, simul actuale verum Sacrificium est, & commemoratio Sacrificii cruenti in Cruce oblati, & quidem perfectissima: id quod hâc similitudine etiam rudis apprehendet. Fac Regem, qui præclaram ex hoste victoriam reportavit, ejus victoriæ memoriam quotidie instaurare velle: idque triplici ratione facere poterit: 1. Si narrari tantùm rei seriem jusserit: 2. Si per actores simulacrum belli gesti referri curet: 3. Si ipsemet inter actores adesse velit, suámque ipsam personam agere repræsentando: quod olim in bello egit. Et hoc tertio modo Christus ipse realiter

realiter præsens in Eucharistia simul seipsum offert, incruentè ponendo Corpus & Sanguinem suum sub diversis speciebus, quasi hominis occisi, ut mox explicabitur: simúlque repræsentat seipsum, in Cruce quondam cruentè oblatum.

§. III.

Quotuplex est Sacrificium novæ Legis, seu Missa?

72 I. Unicum tantùm est Sacrificium novæ Legis, ratione unius tantùm rei oblatæ, quæ est ipse Christus, at ratione modi offerendi, duplex est: cruentum & incruentum: Et hoc unum ultimæ Cœnæ, alterum Missæ. Sacrificium *Cruentum* dicitur, quo Christus in Cruce se ipsum obtulit Deo, cum reali effusione Sanguinis, mactatione, & morte violentâ. Sacrificium *Incruentum* dicitur: quo Christus offertur Deo absque reali effusione Sanguinis & morte violentâ, sed modo incruento & mystico seu repræsentativo, mox explicando. Sacrificium ultimæ Cœnæ, & Missæ, conveniunt etiam in modo offerendi incruento, & differunt solùm in qualitate rei oblatæ: quia in ultima Cœna (sicut & in Cruce) Christus offerebatur adhuc mortalis & passibilis: at modò in Missa offertur Christus immortalis, & impassibilis.

73 II. Unicum est etiam Sacrificium Missæ in nova Lege, & ratione rei oblatæ, & modi offerendi, & qualitatis rei oblatæ: idem enim Christus impassibilis & immortalis, & modo incruento offertur ubique in omnibus Missæ Sacrificiis: sed tamen penes diversos fines dividitur in Latreuticum, Eucharisticum, Satisfactorium, & Impetratorium. Sacrificium *Latreuticum* dicitur, quatenus est summus cultus Dei, & offertur Deo ad colendum Deum, & contestationem ejus supremi Dominij, tanquam finem principalem Sacrificij. *Eucharisticum* dicitur, quatenus offertur Deo in gratiarum actionem pro gratiis & beneficiis collatis & acceptis. *Satisfactorium* dicitur, quatenus offertur Deo in satisfactionem pro peccatis nostris. *Impetratorium* dicitur: quatenus offertur Deo pro impetrandis novis gratiis & beneficiis divinis. At verò, penes solos fructus & effectus suos, Sacrificium Missæ dividitur in *Propitiatorium*, quatenus offertur DEO pro venia peccatorum mortalium: *Expiatorium*, quatenus offertur DEO pro delendis peccatis venialibus in eo, qui jam est in statu gratiæ. *Satisfactorium*, quatenus remittit pœnas debitas pro peccatis jam remissis. *Impetratorium*, quatenus impetrat à DEO beneficia spiritualia & corporalia conducentia ad salutem. Hæc divisio ex professo latiùs tractanda erit *cap.* 4. ubi de fructibus Sacrificii.

SECTIO III.

De Hostia Sacrificii Missæ.

SUMMARIUM.

74. *Hostia seu res oblata principalis est Corpus, & Sanguis Christi sub speciebus;*
75. *Ipsa verò species Eucharistica sunt medium* sub quo.
76. *Substantia autem panis & vini sunt hostia minùs principalis, seu materia* ex qua.
77. *Solvitur objectio.*
78. *Immutatio & destructio Hostia in hoc Sacrificio.*
79. *Alia est* mystica.
80. *Alia* moralis.
81. *Alia aliquomodo* realis.
83. *Partes Missæ alia substantiales, alia accidentales.*
84. *Consecratio est essentialis.*
85. *An & quæ Oblatio essentialis.*
86. *Sumptio non est essentialis pars, sed integralis Missæ.*
87. *Solvuntur fundamenta contraria.* Usque ad n. 90.
90. *Tota essentia Sacrificii consistit in Consecratione utriusque speciei.*
91. *Quomodo differat Sacrificium à Consecratione, Sacramento à Sacrificio Crucis & ultimæ Cœnæ, & à Sacrificiis V. L.*

§. I.

Quænam Hostia seu res oblata in hoc Sacrificio?

Hostia & res oblata principalis, seu id, quod 74
propriè & principaliter offertur in Sacrificio Missæ, est Corpus & Sanguis Christi, atque ipse Christus, ut constitutus sub speciebus panis & vini, vi actionis consecrativæ. Certum de fide. Sumitur ex verbis Christi; quando instituit hoc Sacramentum dicentis. *Hoc est Corpus meum. Hic est calix Sanguinis mei, &c.* Et definitur à Tridentino *sess. 22. can. 2.* ubi definit, Christum instituisse, ut Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum. Et ratio clara est: quia idem omnino offertur in Sacrificio Missæ, quod antea offerebatur in Cruce: uti docet etiam Trident. *cit. sess. cap. 2.* quòd nimirum *sit una, eadémque Hostia, idemque nunc offerens, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, solâ ratione offerendi diversâ.* Atqui ipse Christus fuit in Cruce oblatus modo cruento: ergo Is ipse est Hostia, seu res oblata in Sacrificio Missæ incruento. Unde sicut non tantùm Corpus & Sanguis Christi, sed & ipse Christus fuit Hostia seu victima in Cruce oblata: ita quóque nunc non tantùm Corpus & Sanguis Christi, sed & ipse Christus, ut constitutus sub speciebus est Hostia, seu res oblata in Sacrificio Missæ: quamvis enim sub singulis speciebus, non sit totus vi verborum per se, sed sub specie panis Corpus, & sub specie vini Sanguis: est tamen totus sub utravis specie per concomitantiam, quod omnino sufficit, ut totus Christus dicatur offerri & immolari velut hostia sub utraque specie.

Quid ergo sentiendum de speciebus Eucharisticis?

Species Eucharisticæ non sunt ipsa victima 75
Sacrificii, sed sunt medium, sub quo fit Sacrificium, & sub quo offertur victima Sacrificii, Corpus & Sanguis Christi. Non enim Christus ut existens in propria specie, sed ut constitutus & existens sub speciebus illis Sacramentalibus panis & vini est & Sacramentum, & Hostia in hoc Sacrificio oblata, atque per illas species fit & Sacramentum sensibile, & victima sensibilis Quod indicat Concilium Trid. *cit. sess. 22. c. 1*

dicens: *Christum in ultima Cœna Corpus & Sanguinem suum Deo Patri obtulisse sub speciebus panis & vini: ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium.* Et ratio est: quia Sacrificium essentialiter debet esse oblatio rei sensibilis: atqui Christus non ut existens propriâ specie, sed ut existens sub speciebus Sacramentalibus, est nobis sensibilis: ergo &c. Unde & omnis actio Sacrificii versatur circa Christum non ut in propria specie existentem, sed ut existentem in speciebus Sacramentalibus. Ergòne species illæ Eucharistiæ possunt dici saltem pars ipsius Hostiæ, seu Victimæ in hoc Sacrificio oblatæ? Omnino concedo non malè sic dici. Ita enim significat *Can. hoc est: de Consecrat. d. 2. Hoc est, quod dicimus: Sacrificium Ecclesiæ duobus constare, visibili Elementorum specie & invisibili Christi Carne & Sanguine.* Et ratio est: quia & ipsæ illæ species immutantur à Sacerdote tanquam Ministro legitimo, quatenus abstrahuntur à subjecto proprio, & transferuntur ad alienam substantiam. Deinde Eucharistia dicitur Sacrificium, utique tanquam res oblata, seu victima: ad Eucharistiam autem spectant species, tanquam pars.

Quid de ipsa substantia panis & vini destructa?

76 SUbstantia panis & vini in hoc Sacrificio destruenda sine dubio spectat ad hoc Sacrificium, tanquam materia, ex qua fit Hostia hujus Sacrificii, & per modum termini à quo recedentis ad adventum novæ Hostiæ, ut verificentur verba Consecrationis: *Hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus*, quod de pane & vino verificari nequit: imò panis & vinum rectè dicuntur Hostia minùs principalis hujus Sacrificii: prout & dicuntur in hoc Sacrificio offerri, sacrificari, immutari, ab Ecclesia & SS. Patribus, quidni propriè intelligendis? Ratio est: quia & ipsa substantia panis & vini immutantur reali destructione, factâ à legitimo Ministro in honorem Dei, seu protestationem supremi ejus Dominij, quamvis non tam eorum destructione intendatur Deus honorari, quam novæ & sanctioris hostiæ productione: ergo rectè dici possunt res oblata seu hostia hujus Sacrificii minùs principalis. Cæterùm, quamvis admittamus duas Hostias principalem Corpus & Sanguinem Christi, & minùs principalem panem & vinum destruendum, simpliciter tamen unum tantùm Sacrificium, & *unicum* dicendum est; prout loquuntur PP. & DD. communiter. Ratio: quia Sacrificium formaliter consistit in actione: atqui eâdem actione consecrativâ, quâ destruitur panis & vinum, simul ponitur Corpus & Sanguis Christi: & non duabus actionibus: ergo unum simpliciter, non duo Sacrificia, dicendum est. Jam sequitur

Objectio principalis.

77 IN omni Sacrificio debet hostia destrui, vel saltem poni in statu destructionis, ut §. 1. indicatum; ergo in Sacrificio Missæ illud est hostia principalis, quod ibi verè & realiter destruitur: atqui sola substantia panis & vini verè realiter destruitur, minimè verò Corpus & Sanguis Christi, aut ipse Christus destruitur realiter, sed solùm mysticè & impropriè, ut videbitur: ergo substantia panis & vini, & non Corpus & Sanguis Christi, vel ipse Christus est hostia principalis & res oblata in Sacrificio Missæ. R. Distinguendo antecedens: In Sacrificio debet hostia destrui, vel saltem poni in statu corruptionis secuturæ, quando eo Sacrificio principaliter intenditur Deus coli per substantiam destruendam: ut in Sacrificio ovium, boum, vitulorum &c. concedo antecedens: quando eo Sacrificio Deus principaliter colitur non per substantiam destruendam, sed per substantiam de novo producendam vel ponendam, ut Sacrificio thuris, & aliorum odoramentorum vel thymiamatum: nego antecedens & utramque consequentiam. Nam sicut in Sacrificio thuris, quia Deus principaliter non colebatur per destructionem, etsi necessariam substantiæ thuris, sed potiùs per productionem & oblationem fumi illius odoriferi, ideo non ipsa substantia thuris, sed fumus odoriferus erat hostia principalis, neque enim minùs, imò magis idonea est ad testandum supremum Dei Dominium immutatio productiva Hostiæ principalis, quàm destructiva, nec requirebatur vel attendebatur destructio fumi illius: sed satis erat, quòd per destructionem & combustionem thuris poneretur ac offerretur Deo iste fumus, etsi diu non destrueretur, imò etsi semper maneret, adhuc esset verum Sacrificium. Sic in proposito Sacrificio Missæ: quia Deus principaliter intendit coli non per substantiam panis & vini destruendâ, sed per positionem mirabilem, & oblationem Corporis & Sanguinis Christi dilecti Filii, ideo non ipsa substantia panis & vini, sed Corpus & Sanguis Christi, atque ipse Christus verè est Hostia principalis hujus Sacrificii: nec requiritur destructio realis hujus Hostiæ, sed sufficit, quòd ad realem destructionem panis & vini ponatur & Deo offeratur Corpus & Sanguis Christi, Ipséque Christus, etsi realiter nunquam destruendus, satis, imò abundè est, eum realiter immutari, & aliquo modo saltem destrui. Et de hoc est sanè in hac materia omnium difficillima, & Doctorum ingenia valde torquens, at certè, ut vides, non adeò necessaria, jucundæ tamen & piæ contemplationis sequens quæstio.

§. II.

Qualis sit immutatio & destructio Hostiæ in hoc Sacrificio?

78 CErtè fit mutatio aliqua realis accidentalis Hostiæ, scilicet Christi, quatenus nimirum Christus in cælo existens modo naturali, vi consecrationis, destructâ substantiâ panis & vini, accipit verum realem novum modum existendi miraculosum & sacramentalem sub speciebus panis & vini relictis: Certissimè autem non fit immutatio substantialis, seu destructio realis Hostiæ Christi, Christus enim resurgens à mortuis & ad Dexteram Dei sedens, jam non moritur: attamen fit immutatio & destructio ejusdem Hostiæ, *vel mystica tantùm*, quoad repræsentationem; *vel moralis*, quoad esse morale: *vel etiam aliquo modo realis*, quoad esse sacramentale. Explico singula.

I. *Destructio Hostiæ* mystica.

79 COmmunissimus modus dicendi est, fieri destructionem Hostiæ, Christi scilicet, non realem, sed mysticam. Nam separato totaliter Corpore & Sanguine ab invicem, naturaliter sequitur destructio seu mors hominis: atqui in Sacrificio Missæ totaliter separatur Corpus & Sanguis Christi, non quidem simpliciter & realiter, sed secundùm quid & mysticè ac repræsentativè, quatenus Corpus velut separatum, & Sanguis velut effusus repræsentatur per species diversas panis & vini. Nam in consecratione vi verborum per se, sub specie panis, ponitur tantùm Corpus Christi, & sub speciebus vini, ponitur tantùm Sanguis Christi, reliqua omnia & totus Christus utrobique per concomitantiam tantùm, ratione scilicet realis unionis, quam de facto habent Corpus & Sanguis, & omnia Christi inter se, quam si non haberent (ut in triduo mortis) revera poneretur Corpus Christi separatum, & Sanguis effusus. Atque sic fit destructio Hostiæ, non realis, sed mystica. Totum verissimum. Atque per hoc ipsum Sacrificium Missæ incruentum repræsentat Sacrificium cruentum Crucis ac mortem Christi, quia nimirum per diversas species per se, & vi verborum, Corpus velut mortuum, & Sanguis velut effusus incruentè repræsentatur. Nec dicas: In Sacrificio Crucis Corpus & Sanguis Christi fuerunt separata realiter, & non tantùm mysticè vel repræsentativè, ut in Sacrificio Missæ: ergo non est idem Sacrificium Missæ & Crucis. Est omnino idem Sacrificium ratione rei oblatæ, ac ejusdem Hostiæ, Christi scilicet: at non est idem Sacrificium ratione modi offerendi. In hoc ipso enim modo offerendi differunt, quòd in Sacrificio Crucis Christus fuit oblatus modo cruento per realem mactationem & separationem, ut Animæ à Corpore, ita & Corporis à Sanguine: at verò in Sacrificio Missæ offertur idem Christus modo incruento per mysticam illam, & repræsentativam separationem Corporis à Sanguine. *Verissimus modus.*

II. *Destructio Hostiæ* moralis.

80 ALius modus dicendi satis communis est, fieri destructionem Hostiæ non realem, sed quasi moralem, & quoad esse usuale: quatenus nimirum Christus ponitur sub speciebus inanimatis modo mortuo, & in statu omnino inepto ad operationes & functiones naturales vitæ humanæ, neque alium usum ibi habet, nisi ad cibandum & potandum. Nam Christus homo vivus naturali cibo, potuique inidoneus est, nisi priùs destrueretur, & occidatur: atqui per consecrationem ponitur sub speciebus panis & vini per modum cibi & potûs ex ipsa institutione Christi: *Accipite, & manducate: accipite & bibite &c.* & sic in Sacrificio, & Sacramento Christus accipit novum esse quasi mortuum, non realiter, sed usualiter, ut dictum est. Est etiam facilis & verus modus.

III. *Destructio Hostiæ* aliquo modo realis.

81 ALius modus dicendi singularis est, in Sacrificio Missæ per consecrationem fieri destructionem Hostiæ Christi, aliquo modo veram & realem, non quoad esse simpliciter (abit) sed quoad esse sacramentale, æquivalentem tamen destructioni simpliciter. Quia nimirum Christus positus sub speciebus panis & vini, vi consecrationis accipit novum esse sacramentale, quo non tantùm redditur inutilis ad omnes functiones naturales hominis, sed etiam ponitur in proximo statu & viâ destructionis, quia scilicet destructis speciebus mox & ipse Christus destruetur secundùm illud novum esse sacramentale: & ita quidem, ut si per impossibile, non esset in sua naturali & reali existentia in cœlis, sed solùm in esse sacramentali sub speciebus omnino destructis, destrueretur & ipse Christus quoad esse simpliciter, ut amplius non existeret. Vides jam veram & realem destructionem Hostiæ Christi, quoad esse sacramentale, æquivalentem destructioni simpliciter. Nec obstat, quòd hæc destructio assignata non fiat durante Sacrificio, sed postea corruptis speciebus in stomacho Sacerdotis, longè, minimum quadrante, vel mediâ horâ post Sacrum. Quia jam suprà dictum est; ad Sacrificium non requiritur, ut Hostia substantialiter destruatur in ipso actu sacrificandi; sed sufficit, quòd tunc ponatur in proximo statu & viâ destructionis, vel saltem omnino inutilis reddatur ad functiones suas naturales, ut de ove & libamine ibi exemplificatum est. Quemadmodùm enim in libamine, vino v. g. effuso, vinum, non quando substantialiter corrumpebatur, sed quando ipso actu effundebatur, verè sacrificari dicebatur, quia tunc ponebatur in proximo statu & viâ corruptionis: sic & Christus in ipsa actuali consecratione, quando accipit hunc statum proximum destructionis, quoad esse sacramentale, verissimè dicitur sacrificari, non verò amplius, quando actu amittit illud novum esse sacramentale.

Quartus alius & similis modus dicendi est in valde probabili & modò satis communi Sententia DD. quòd etiam sumptio sit de essentia, seu pars essentialis Sacrificii. Per sumptionem enim Hostia verè & sensibiliter incipit immutari, & adhuc proximiùs tendit ad destructionem quoad esse illud sacramentale, paulò post secuturam in stomacho Sacerdotis (de quo mox etiam §. *sequenti*) Et sic iterum habetur destructio Hostiæ æquivalens destructioni reali.

82 §. Ex his modis dicendi elige eum, qui magis sapit

Universidad de Deusto
Biblioteca

lapit devotioni & contemplationi tam ineffabilis Mysterii. Si nullum capis, mane in responsione *ad objectionem principalem num. 77.* Et dic audacter, ad salvandam rationem genericam veri Sacrificii, non opus esse assignare aliquam realem destructionem Hostiæ principalis in Sacrificio Missæ, ob rationem datam ibidem. Pro ratione specifica hujus Sacrificii incruenti abunde sufficit destructio mystica, explicata *n. 79.*

§. III.

Quot, & quæ sunt partes Sacrificii Missæ: & quæ essentiales?

83 DUplices sunt partes Missæ: substantiales, & accidentales seu cæremoniales. Partes substantiales Missæ sunt, quæ ad ipsam substantiam Sacrificii hujus ex institutione Christi concurrunt: & sunt tres: *Consecratio & oblatio, & sumptio: ita tamen, ut Consecratio & oblatio sint essentiales. Sumptio autem solùm sit pars integralis: atque ipsa oblatio essentialis, & sic tota essentia Sacrificii Missæ consistat in Consecratione:* ut mox explicabitur ampliùs. Partes accidentales seu cæremoniales Missæ dicuntur, quæ non ad substantiam Sacrificii ex institutione Christi, sed solùm ad ordinatam, decentémque administrationem tanti Mysterii ex institutione seu ordinatione Ecclesiæ concurrunt. Et etiam communiter assignantur tres. *Prima* pars ab Introitu usque ad Offertorium exclusivè, quæ olim dicebatur Missa Cathechumenorum. *Secunda* pars, ab Offertorio, totus Canon, usque ad sumptionem inclusivè. *Tertia* pars, à post communione usque ad finem. Singulæ autem hæ partes constant ex variis partim vocalibus orationibus, lectionibus &c. partim realibus cæremoniis, ac gestibus præscriptis in Missali, & ibi videndis. Quare de his nihil speciale hoc loco dicendum. De illis autem dico sequentia.

I. *Consecratio est essentialis,*

84 COnsecratio sine controversia est essentialis pars (imò tota essentia, ut videbitur) Sacrificii. Communissima Theologorum, ac etiam SS. Patrum. Nam Irenæus *lib. 4. contra hæres. cap. 32.* dicit: *Christum docuisse novi Testamenti novam oblationem, quando dixit: Hoc est Corpus meum.* D. Chrysostomus *homil. de proditione Judæ*, dicit: *Verba Domini: Hoc est Corpus meum, usque ad finem mundi præstare Sacrificio firmitatem.* Et antiquissimus Author apud D. Cyprianum *serm. de Cœna Domini*, dicit: cùm verbis Consecrationis panis benedicatur, Eucharistiam fieri medicamentum & holocaustum &c. Ratio est: quia Sacerdotium per se ordinatur ad sacrificandum: atqui Sacerdotium novæ legis, quatenus respicit Corpus Christi verum, ordinatur principaliter ad actum consecrandi; ergo consecratio est essentialis Sacrificio, seu in consecratione consistit Sacrificium essentialiter. Deinde Sacrificium fieri debet in persona Christi, qui est offerens principalis: atqui consecratio, eáque sola fit in persona Christi, in qua Sacerdos loquitur, tanquam ipse sit Christus. Vide Ambrosium *l. 4. de Sacramentis. cap. 4.* Denique in ipsa consecratione perfectè reperitur immutatio Hostiæ in Dei culum, quatenus Corpus & Sanguis Christi succedunt in locum panis & vini tarquam Hostiæ minùs principalis destructæ: atque in ipsa fit potissimùm immutatio seu destructio Hostiæ principalis mystica, ac repræsentativa Sacrificii cruenti, ac mortis Christi: ut §. præcedente explicatum est: ergo in ipsa consecratione consistit essentia Sacrificij, minimùm partialiter, imò totaliter, ut rationes probant.

II. *Oblatio essentialis, qua?*

85 OBlatio essentialis Sacrificio, etiam consistit in ipsa consecratione, & non in aliqua oblatione alia verbali. Communis DD. Ratio est: quia illa debet esse oblatio essentialis in hoc Sacrificio, quâ ipse Christus usus est in ultima Cœna consecrans & offerens: atqui à Christo nulla alia oblatio facta est præter consecrationem: *Accepit Iesus panem & gratias agens benedixit, fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est Corpus meum.* nihil aliud addidit: ergo &c. Deinde oblatio realis, ipsa est de essentia Sacrificij, non verò aliqua verbalis: atqui in ipsa consecratione sola sit oblatio realis Hostiæ, seu Corporis & Sanguinis Christi, quatenus illa actio exhibetur Deo in recognitionem supremi Dominii, quemadmodùm olim mactatio ipsa animalis facta à Sacerdote juxta præscriptum legis veteris ad cultum DEI erat oblatio realis sufficiens ad rationem Sacrificii absque oblatione aliqua vocali; ergo oblatio essentialis Sacrificii consistit in ipsa consecratione, ut mox magis declarabitur: & non in aliqua oblatione vocali. Duæ enim fiunt oblationes vocales in Sacrificio: una materiæ consecrandæ in Offertorio; & hæc secundùm omnes non spectat ad substantiam Sacrificii, neque ut pars essentialis, neque ut pars integralis, sed est merè cæremonialis & præparatoria ad excitandam devotionem, reverentiam, affectúmque fidelium ad mysterium peragendum: altera oblatio est ipsius Hostiæ consecratæ immediatè post consecrationem, iis verbis: *Unde & memores Domine offerimus præclaræ Majestati tuæ &c.* & hanc oblationem aliqui vocant partem essentialem; alii saltem integralem. Utrumque sine Fundamento: & ideo communiter negatur ob rationem dictam, & maximè, quia etsi omittatur ista oblatio, adhuc Sacrificium foret integrum & perfectum. Et hinc, dum una vel utraque species est reconsecranda, non recitatur ista oblatio juxta præscriptum Rubricarum, sed factâ consecratione omissis omnibus aliis, statim species consecratæ sumuntur: ergo non potest esse pars essentialis vel integralis Sacrificii.

III. *Sumptio*

III. *Sumptio non est essentialis, sed integralis tantùm pars Sacrificii.*

86 ITa communior & verior Sententia DD. contra Bellarminum, Lugo, & alios non paucos. Sumitur ex Concil. Toletano XII. ut refertur *c. relatum de Consecr. d. 2.* Ubi graviter reprehenduntur Sacerdotes, qui non communicabant semper, quando sacrificabant dicendo: *quasi non sit toties illi Sacrificio participandum, quoties Corporis & Sanguinis immolatio constiterit.* Ubi manifestè distinguitur sumptio, seu participatio Sacrificii, ab ipso Sacrificio & Immolatione. Ratio ergo est: quia sumptio, seu manducatio, est solùm participatio Sacrificii jam peracti in Altari, Populo & Sacerdoti communis: ergo non est ipsum Sacrificium. Deinde Sacrificium essentialiter, seu quoad essentialia sua, fit in persona Christi; sumptio autem non fit in persona Christi, sed in ipsius sumentis utilitatem, etsi ob honorem DEI. Denique certum de fide est, Christum in ultima Cœna sacrificâsse; at incertum valde est, an ibi ipse Eucharistiam sumpserit: ergo &c. Est igitur sumptio non essentialis, sed integralis tantùm pars Sacrificii, non ad essentiam, sed ad integritatem tantùm spectans Sacrificii, necessitate præcepti divini, ut sine gravissimo sacrilegio omitti non possit, & deficiente Sacerdote celebrante post consecrationem necessariò debet ab alio Sacerdote suppleri, etiam non jejuno. Sive ut alii loquuntur, sumptio spectat ad Sacrificium non intrinsecè, sed extrinsecè, tanquam extrinseca Sacrificii perfectio, & ultimum complementum. Cùm Eucharistia sit instituta non solùm ut Sacrificium, sed etiam ut convivium, adeóque illius sumptione obtineatur finis, ad quem res sacrificata ordinatur. Et hinc tantam semper Ecclesia adhibuit diligentiam, ut ipse celebrans, aut eo deficiente alius Sacerdos per sumptionem sacra mysteria, & Sacrificium consummaret.

87 Nec obstant aut urgent fundamenta oppositæ Sententiæ. Præcipuum videtur, quòd in Sacrificio debeat fieri immutatio Hostiæ: atqui per sumptionem ipsam sit immutatio, & quidem sensibilis Hostiæ: ergo sumptio spectat ad essentiam Sacrificii. Negatur consequentia. Quia immutatio essentialis Sacrificij sufficientissimè habetur in ipsa consecratione, ut §. *præcedenti* latè explicatum est: quòd verò per sumptionem magis immutetur sensibiliter & proximiùs ponatur Hostia in statu vel viâ destructionis quoad esse sacramentale fiendæ in Sacerdotis stomacho, ùtique non ad essentiam Sacrificij, sed summùm ad ejus integritatem & complementum spectat.

88 Aliud fundamentum est. Quia Sacrificium novæ legis est holocaustum: ergo ad essentiam ejus spectat totalis consumptio per manducationem. Negatur iterum consequentia. Holocaustum enim non debet consumi per manducationem: nihil enim olim comedebatur de holocausto, sed totum concremabatur: & Sacrificium Crucis fuit æquè holocaustum, & tamen Corpus Christi non consumebatur, neque per manducationem, neque alio modo. Ad rationem ergo holocausti sufficit, quòd victima totaliter offeratur, & cedat in honorem Dei, sive id fiat per Hostiæ consumptionem, ut fiebat in veteri lege, sive per talem oblationem, quâ res sic integrè cedat Deo, ut nulla ejus pars cedat in usum humanum corporalem, nisi spiritualem tantùm, ut fit in Sacrificio novæ legis, idque in ipsa consecratione, ut dictum. Sumptio enim non fit ideo principaliter, ut Hostia consumenda DEO magis offeratur, sed ut ad utilitatem spiritualem sumenti participetur.

Denique afferunt, quòd in Officio feriæ sextæ 89
Parasceves dicatur in oratione. *Sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie &c.* Atqui in illa feria non fit consecratio, sed tantùm sumptio: ergo sumptio est aliquid essentiale Sacrificio. R. Negando consequentiam. Illo enim die Parasceves simpliciter non est Sacrificium, cùm non fiat consecratio, quæ sine dubio est de essentia Sacrificii incruenti. Dicitur tamen illa actio Sacrificium in illa oratione, quia fit commemoratio cæremonialis Sacrificii cruenti in Cruce peracti, & quidem in Hostia residua ex Sacrificio incruento præcedentis diei; unde meritò orat Ecclesia: *ut fiat Sacrificium nostrum* saltem cæremonialiter repræsentativum Sacrificii cruenti in Hostia incruento modo oblatâ.

IV. *Tota ergo essentia Sacrificii consistit in consecratione utriusque speciei.*

ITa communior DD. Et sequitur manifestè 90
ex dictis. Nam sola consecratio fit in persona Christi, qui est principalis offerens hujus Sacrificii. In sola consecratione utriusque speciei reperitur repræsentatio Sacrificii cruenti, quatenus per diversas species, Corpus velut separatum, & Sanguis velut effusus incruentè significatur. Denique tota essentia Sacrificii sine dubio consistit in immolatione, seu immutatione, ac oblatione Hostiæ: atqui in sola consecratione fit illa immolatio & immutatio Hostiæ, atque ipsa realis & essentialis oblatio, ut §. *præcedenti* ostensum est: ergo in sola consecratione consistit tota essentia Sacrificii Eucharistici: atque adeò eadem actio consecrativa, diverso respectu; quatenus enim sub speciebus panis & vini ponit Christum præcisè, dicitur *Consecratio*: quatenus verò ponit Christum illo miro modo quasi mortuum vel occisum incruentè (modo explicato *num. 79.*) dicitur *immolatio vel immutatio*: quatenus verò eundem Christum ponit ad supremum Dei cultum in recognitionem supremi ejus Dominii, sicque divino Patri offert, & præsentem se exhibet cum suis meritis & satisfactionibus, dicitur *Oblatio*: sicque tota cæremonia Sacrificii perficitur, & solùm extrinsecè completur, & integratur per sumptionem Hostiæ oblatæ. Dixi autem: *in Consecratione utriusque speciei.* Certum enim apud omnes, ad essentiam perfectam

&

& completam Sacrificii à Christo instituti, ex ejus institutione requiri consecrationem utriusque speciei. Quia Christus expresè instituit in illo Sacrificio offerri Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini : atque in consecratione utriusque speciei, & non unius tantùm, fit perfecta repræsentatio Sacrificii cruenti, dum sub specie panis Corpus Christi velut mortuum, & Sanguis velut effus⁹ incruentè repræsentatur. Unde quamvis validè consecretur una tantùm species, & verum fieret Sacramentum ; non tamen fieret verum & perfectum Sacrificium à Christo institutum, sed mutilum & imperfectum, atque omni modo possibili supplendum per consecrationem alterius speciei. De quo rursus inferiùs.

J. Ex dictis in gratiam Tyronum ponitur hæc non speranda quæstio corollaria.

§. IV.

Quomodo ergo differt Sacrificium Missæ

I. A Consecratione ?

91 SAcrificium Missæ non differt essentialiter à consecratione, sed est ipsa Consecratio, quatenus rationem immolationis & immutationis habet modo explicato : differt tamen integraliter, quatenus Sacrificium plures præter consecrationem partes integrales requirit, nimirum sumptionem, aliásque partes cæremoniales antecedentes & consequentes, requisitas vel ex præcepto divino, ut sumptio : vel Ecclesiæ, ut reliquæ omnes.

II. *A Sacramento Eucharistiç.*

SAcrificium Missæ, & Sacramentum Eucharistiæ essentialiter differunt in hoc : quòd essentia Sacrificii consistat in actione transeunte sacrificativa, scilicet consecratione, & necessariò requirat utramq; speciem, ut dictum est. Essentia verò Sacramenti Eucharistiæ, velut ejus effectus, in facto esse permanet, & in una specie salvatur. Differunt etiam penes fines diversos. Nam Sacrificium ordinatur ad Deo debitum cultum exhibendum, quippe actus Latriæ supremus : Sacramentum verò Eucharistiæ, (sicut aliud quodvis) ordinatur ad hominem justificandum, seu spiritualiter nutriendum. Unde licèt realiter loquendo Sacrificium, & Sacramentum ratione rei contentæ, & oblatæ, omnino idem sint, adeóque æquè perfecta ; idem enim Chrstus iisdem speciebus continetur Sacramento, & offertur Sacrificio ; moraliter tamen & ratione finis, perfectius est Sacrificium, quàm Sacramentum : quia Sacrificium habet finem proximum nobiliorem, scilicet cultum Dei, Sacramentum autem habet finem minùs nobilem, scilicet hominem sanctificare per gratiam secundam.

III. *A Sacrificio Crucis & Cœnç ultima.*

SAcrificium Missæ differt à Sacrificio Crucis solùm ratione modi offerendi cruenti, & incruenti. A Sacrificio verò Cœnæ solùm differt in qualitate rei oblatæ, scilicet Christi mortalis : & immortalis, ut suprà *n.* 72. notatum est.

IV. *A Sacrificiis veteris Legis.*

SAcrificium Missæ à Sacrificiis veteris Legis differt toto genere, in quatuor præsertim. 1. In offerente : alius est enim modò offerens & Sacerdos, alius olim. 2. In re oblata. Nam res oblata in hoc Sacrificio est ipse Christus, olim erant animalia, aliæque res solùm præfigurativæ Christi. 3. In modo offerendi, qui olim erat per realem destructionem victimarum : in Sacrificio Missæ autem fit destructio Christi solùm mystica, vel quoad esse sacramentale tantùm. 4. In valore. Quia veteris legis Sacrificia conferebant tantùm gratias legales, & nullum alium effectum ex opere operato, de quibus postea : priùs enim naturam & partes ipsius Sacramenti explicabimus.

CAPUT III.

De Ipso SS. Eucharistiæ Sacramento.

TRactatio hæc pleraque supremè speculativa est & Scholastica. Delibabo per compendium ea solùm, quæ Tyroni pro notitia morali, ad examen & praxin necessaria & utilia magis, ac sufficientia videbuntur.

SECTIO I.

De Essentia Eucharistiæ & contentis in ea.

§. I.

Quid significet, & quid sit Eucharistia ?

SUMMARIUM.

92. Eucharistia *quid secundùm nomen.*
93. *Quid secundùm rem.*
94. *Vt signum gratiæ subsistentis consistit in solis speciebus consecratis.*
95. *Vt verò signum efficax gratiæ sanctificantis essentialiter includit simul species, & Corpus ac Sanguinem Christi.*
96. *Forma consecrationis non est de essentia intrinseca hujus Sacramenti.*
97. *Et nullatenus Sumptio.*
98. *Eucharistia est verum N. L. Sacramentum ;*
99. *Et ut complectens utramque speciem unum unitate integritatis,*
100. *Similiter tamen & seorsim duo numero.*
102. *Conficitur vi consecrationis per realem conversionem totius subst antiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.*
103. *Factâ consecratione manent species seu accidentia miraculosè sine subjecto.*
104. *Possuntque ab agente naturali pati.*
106. *Sub speciebus consecratis existit totus Christus cum tota Divinitate, & Humanitate.*
107. *Cum quantitate, & qualitate, & omnibus aliis accidentibus absolutis.*
108. *Quomodo totus sit sub utraque specie ; vi verborum, & per concomitantiam ?* Usque ad n. 111.
111. *Quomodo totus sit sub partibus specierum ?* Usque ad n. 115.
115. *An & quid Christus agere, vel pati possit in Eucharistia ?* Usque ad n. 119.
119. *Quamdiu Christus maneat in Sacramento sub speciebus* usque ad n. 124.
124. *Quid sentiendum de specierum consecratarum mutationibus miraculosis ?* usque ad n. 128.

I. Quid significat ?

92 EUcharistia vox græca, latinè idem est ac *bona gratia*, vel *gratiarum actio* : éstque communi Ecclesiæ totius usu assumpta ad significandum hoc Sacramentum à Christo in ultima Cœna institutum, in quo sub speciebus panis & vini Christus veraciter continetur, & à fidelibus sumitur ad nutritionem spiritualem animæ. Est enim verissimè hoc Sacramentum *bona gratia* ; quia est maximum Dei beneficium, & non solùm gratiam sanctificantem optimam confert, sed etiam realiter ipsum Christum continet, qui est plenus gratiâ, & fons omnis gratiæ. Rectissimè etiam dicitur *gratiarum actio*. Tum quia ipse Christus illud instituens gratias egit : græcè *Eucharistizavit* : tum quia nos idem in gratiarum actionem offerre & sumere debemus : ob quam causam etiam vocatur Hostia.

Sacramenti hujus alia nomina sunt. 1. *Cœna Domini*, quia in ultima Cœna à Domino fuit institutum. Item *Convivium*. Quia per modum cibi & potûs animam replet & satiat. 2. *Communio*, quia conjungit & unit fideles tanquam membra cum Christo capite & inter se, ideóque per illud communicant fideles cum Christo & inter se. Nam quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, unde verissimè dicitur Sacramentum amoris. 3. *Synaxis*, id est Congregatio. Tum propter eandem conjunctionem fidelium cum Christo & inter se, quam significat & efficit : tum quia ejus gratiâ solent fideles in unum convenire. 4. Antonomasticè vocatur *Mysterium* & *Sacramentum* absolutè. Quia inter omnia Sacramenta rem maximè arcanam & sacram significat. Eâdemque ratione communiter vocatur *Venerabile Sacramentum*. Quia singulariter præ cæteris venerabile & sanctum est. Denique dicitur *Viaticum*, quatenus datur morituris, quia vires transituris ad alteram vitam præbet, ac velut viam sternit.

II. Quid est ?

93 EUcharistia *est Sacramentum sub speciebus panis & vini consecratis veraciter significans & realiter continens Christum ut spiritualem refectionem animæ.* Brevis, clara, & sufficiens definitio. Prolixior pro Tyrone, at accurata est illa definitio Scoti *in 4. d. 8. q. 1.* Eucharistia *est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi veraciter contenti sub speciebus panis & vini post consecrationem factam à Sacerdote sub certis verbis cum debita intentione prolatis, ex institutione divina, veraciter significans Corpus & Sanguinem Christi sub eis realiter contineri ad spiritualem refectionem animæ.* Quâ definitione Scotus distinctissimè omnia prorsus concludit ad hoc Sacramentum concurrentia ; utpote materiam, formam, causam efficientem, & finalem &c. ut intuenti patet, & patebit per totum decursum, ut frustrà sit hic aliam explicationem texere. *J.* Cæterùm in quonam præcisè consistat essentia hujus Sacramenti, quidque in recto importet, ampla est controversia Scholasticorum. Ego cum necessaria distinctione breviter & clarè dico sequentia.

I. Essentia Sacramenti Eucharistiæ, quatenus 94
est signum gratiæ subsistentis, scilicet Corporis & Sanguinis Christi realiter ibi præsentis consistit in solis speciebus consecratis, & non includit essentialiter ipsum Christum, sed solùm connotat in obliquo, tanquam rem significatam. *Ratio est* : quia Sacramentum essentialiter est signum sensibile significans gratiam aliquam, quæ utique non est de essentia ipsius Sacramenti : atqui ipsæ species consecratæ tantùm sunt signum sensibile significans gratiam subsistentem : Christus autem contentus sub speciebus, nec sensibilis est, nec significat seipsum, sed est ipsa res significata per species : ergo Eucharistia ita sumpta essentialiter consistit in solis speciebus &c. unde *c. Ego Berengarius 42. de consecr. d. 2.* declaratur : panem & vinum post consecrationem non solùm esse Sacramentum, sed etiam verum Corpus & Sanguinem esse : ubi patenter nomen *Sacramentum*, tribuitur solis speciebus.

II. Essentia Sacramenti Eucharistiæ, quatenus 95
est signum efficax gratiæ sanctificantis includit essentialiter simul & species, & Corpus, & Sanguinem Christi. Ratio est : quia nec solæ species : nec solùm Corpus & Sanguis Christi seorsim ? sed Corpus & Sanguis Christi, ut contentum sub speciebus, vel, quod perinde est, species panis & vini, ut continentes Corpus & Sanguinem Christi, sunt signum sensibile efficax gratiæ sanctificantis per modum convivij sensibilis & cælestis, sensibilis quidem ratione specierum, cælestis autem ratione Corporis & Sanguinis Christi contenti. Quod ipsum significat modus ille usitatus loquendi Theologorum cum Magistro *in 4. d. 8.* approbatus etiam ab Innocentio III. *c. Cùm Martha de celebr. Missarum*, videlicet, quòd tria in hoc Sacramento distinguenda sunt. Unum, *quod est tantùm Sacramentum* (nimirum species consecratæ) Alterum, *quod est res Sacramenti, & non Sacramentum.* (sicut gratia sanctificans) Tertium, *quod est Sacramentum simul & Res*, nimirum Corpus & Sanguis Christi, hoc enim est res Sacramenti respectu specierum, & simul est Sacramentum, respectu gratiæ sanctificantis, seu spiritualis refectionis animæ, & unionis cum DEO, non quidem Corpus & Sanguis Christi secundùm se, cùm sic non sit sensibile, sed ut contentum sub speciebus, sic enim est sensibile per accidens, sicut in Pœnitentia Contritio, & in Matrimonio consensus fit sensibilis per actus externos.

III. Forma verbalis, seu verba consecrationis, 96
non sunt de essentia intrinseca hujus Sacramenti, sed ratio causalis extrinseca necessariò prærequisita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sita. *Ita communior* DD. Ratio est: quia essentia Sacramenti Eucharistiæ tota est permanens post consecrationem, sed forma vel verba consecrationis non permanent, sed factâ consecratione transeunt, manente nihilominùs Sacramento Eucharistiæ: ergo verba illa non possunt esse de essentia intrinseca Sacramenti Eucharistiæ, sed sunt ratio causalis & quasi causa extrinseca confectiva hujus Sacramenti. Quod ipsum significat Concilium Florentinum dicens: per verba illa confici hoc Sacramentum: causa autem effectiva seu confectiva rei, non est intrinseca, sed extrinseca rei. Nec obstat, quòd verba consecrationis dicantur forma hujus Sacramenti, nam intelligitur forma extrinseca & transiens, eâdem enim ratione panis & vinum dicuntur materia hujus Sacramenti, nimirum extrinseca, & transiens ad confectionem Sacramenti. Quò ipsò hoc Sacramentum differt ab aliis Sacramentis, quæ consistunt in materia & forma intrinseca transeunte, ut infrà videbitur.

97 IV. Sumptio nullo modo est de essentia hujus Sacramenti Eucharistiæ. Certum de fide. Quia Sacramentem Eucharistiæ permanens & perfectum est antecedenter ad Sumptionem, etiam dum in Sacrario asservatur: sempérque est collativum gratiæ, etsi actu non conferat, nisi dum sumitur. Ac etiam dum sumitur ipsum Sacramentum confert gratiam & spiritualiter nutrit animam: Sumptio verò est solùm conditio sine qua non applicans Sacramentum, ut possit conferre gratiam, ac spiritualiter animam nutrire, quemadmodùm ignis semper est calefactivus, etsi actu non calefaciat, nisi applicetur alicui subjecto. Ex dictis patet, tam verba Consecrationis, quàm Sumptionem non esse de essentia intrinseca Sacramenti Eucharistiæ, sed neque esse Sacramentum aliquod distinctum ab Eucharistia, & ad illud reducibile, alioquin darentur plura Sacramenta quàm septem: sed tamen utrumque esse aliquid sacramentale, & pertinens ad Sacramentum Eucharistiæ: verba quidem Consecrationis tanquam aliquid antecedens & prærequisitum ad ejus essentiam: quia est productiva Eucharistiæ; Sumptio verò tanquam aliquid consequens, & conditio necessariò requisita, ut suum effectum in anima producat Sacramentum Eucharistiæ.

§. II.

Sitne Eucharistia verum Sacramentum? & an unum, vel plura?

98 I. EUcharistia *est verum & excellentissimum novæ legis Sacramentum à Christo in ultima Cœna institutum.* Certissimum de fide ex Scriptura apud Matthæum, Marcum, Lucam, & Apostolum 1. *Corinth.* 11. Conciliis & Patribus omnibus: & adeò certum est, & semper fuit in toto Christianismo, ut in hoc omnes, etiam hæretici cum Catholicis consentiant. Ratio clara est: quia Eucharistia ac species Eucharisticæ verè est signum sensibile, gratiam Dei tam subsistentem, scilicet Corpus & Sanguinem Christi, quàm inhærentem seu sanctificantem ex institutione Christi efficaciter significans: ergo est verum & eô ipsô excellentissimum novæ legis Sacramentum.

DICES: Sacramentum novæ legis debet esse efficax & aliquid efficere: sed Eucharistia nihil efficit: non enim Christum, qui solâ divinâ virtute sub speciebus ponitur & conservatur: neque gratiam, ut patet, quando asservatur in Sacrario: ergo pro tunc saltem non est Sacramentum. Negatur minor: Eucharistia enim verè efficit Corpus Christi, quoad esse illud præsentiale, & Sacramentale, non quidem physicè, ut probatum est, sed moraliter, quatenus à Deo, nonnisi dependenter à speciebus consecratis ibi ponitur & conservatur. Deinde Eucharistia Sacramentum permanens, semper est communicativa gratiæ in actu primo, quod sufficit ad Sacramentum, etsi actu secundo non confert, nisi quando dignè sumitur: quo etiam differt ab alijs Sacramentis, quæ, quia in ipla actione transeunte & usu consistunt, nec habeant esse, nisi quando actu applicantur, ideo semper, quando sunt, debent actu causare gratiam.

II. Eucharistia, quatenus complectitur 99
utramque speciem panis & vini simpliciter est unum specie Sacramentum unitate integritatis etsi seorsim sint distincta Sacramenta essentialiter. Communis DD. Ratio: quia species panis & vini significant Corpus & Sanguinem Christi per modum cibi & potûs, adeóque sibi invicem subordinantur ad simul significandam unam perfectam & integram refectionem spiritualem animæ, per modum unius convivij, quod, ut perfectum sit, cibum pariter & potum requirit: ergo dicendum simpliciter unum specie Sacramentum unitate integritatis nihilominùs utravis species seorsim est verè Sacramentum essentialiter, cùm quævis Christum contineat & gratiam conferat, & quidem specie partiali sunt diversa Sacramenta, nam per se, vi verborum species panis, solùm Corpus, species vini verò, Sanguinem tantùm significant & continent, etsi per concomitantiam quælibet totum Christum concomitantiam quælibet totum Christum contineat. Unde fideles Laici sumentes unam tantùm speciem, etsi non lumant integrum Sacramentum Eucharistiæ integraliter in ratione integri convivij ac refectionis spiritualis completæ, sumunt tamen integrum Sacramentum essentialiter, & quoad rem contentam, cùm una species panis scilicet habeat totam essentiam veri Sacramenti, totúmque Christum realiter contineat, ac gratiam causet, imò secundùm multos DD. non minorem, quàm si utrâque specie communicarent.

III. Sacramentum Eucharistiæ simpliciter 100
non est unum numero, sed plura: idque loquendo non tantùm de speciebus diversi generis, panis & vini, de his enim Ecclesia & Patres passim loquuntur ut diversis, ut patet in Sequentia: *Sub diversis speciebus, signis tantùm & non rebus, latent res eximiæ*: Et quotidie Sacerdos orat: *Quem pura & sancta refecerunt Sacramenta*: sed etiam de speciebus ejusdem generis, utpote plures Hostiæ consecratæ plura sunt numero Sacramenta, sive deinde seorsim, sive simul ponantur, sive ab eodem, sive à diversis sumantur. Adeóque tot sunt Sacramenta Eucharistiæ distincta numero, quot sunt species distinctæ & discontinuæ. Quia nimirum quælibet Hostia vel species totalis est in ratione signi Sacramentalis, totúmque Christum continet, & gratiæ causativa est independenter ab omni alia Hostia, vel specie.

101 IV. Quando plures Hostiæ, vel Hostiæ fractæ plures particulæ sumuntur simul: rectè dicuntur unum tantùm numero Sacramentum. Quia licèt illæ plures Hostiæ, vel partes Hostiæ seorsim sumptæ distincta Sacramenta sint, dum tamen simul sumuntur, coalescunt in unum signum Sacramentale, & non tantùm eundem Christum: sed etiam eandem numero gratiam sanctificantem per modum ejusdem, & unius ferculi seu refectionis significant, sicut diversæ partes hæderæ seorsim essent apta signa distincta ad significandum vinum venale, & in unum fascem collectæ coalescunt in unum tantùm signum. Idem quóque moraliter dici potest de pluribus Hostijs in uno Ciborio contentis. Sed hoc totum pertinet ad modum loquendi.

§. III.

Quomodo conficitur hoc Sacramentum?

102 I. HOc mirabilissimum Sacramentum conficitur vi consecrationis per veram & realem conversionem totius substantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, adeò, ut peractâ consecratione sub speciebus nihil omnino remaneat substantiæ panis & vini, sed loco ejus tantùm Corpus & Sanguis Christi. Est de fide Catholica definitum in varijs Concilijs, Lateranensi sub Innocentio III. Florentino sub Eugenio IV. & novissimè Tridentino sess. 13. Can. 2. ubi dicitur: *Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini una cum Corpore & Sanguine Domini nostri JESU Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus; & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transubstantiationem appellat, anathema sit.* Ratio sumitur ex verbis institutionis accedente intellectu & interpretatione Ecclesiæ. Nam ad veritatem & proprietatem verborum Christi: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*: necesse est, ut saltem in fine prolationis panis & vinum desinat esse, & loco ejus successerit Corpus & Sanguis Christi: sed hoc non potest fieri nisi per veram & realem conversionem unius substantiæ in aliam.

Dicitur autem ista singularissima conversio transubstantiationis, quia est transitio substantiæ in substantiam: ut rectè definit Scotus *in* 4. *d.* 11. *q.* 1. sed de hoc latiùs Scholastici: ex quibus addo aliquid breviter de speciebus.

II. Factâ consecratione, destructâque totâ sub- 103
stantiâ panis & vini, manent realiter species Eucharisticæ, id est, omnia accidentia absoluta panis & vini propriam entitatem habentia existentia miraculosè absque omni subjecto substantiali: uti sunt quantitas, forma, figura, color, odores, sapor, aliæque qualitates activæ. Unde accidentia Eucharistica sic separata à substantia panis & vini possunt habere, & de facto habent omnem illam operationem realem & intentionalem, quam in substantia panis & vini habere poterant, ut experientiâ constat ad sensum, gustum, tactum, &c. Dixi autem absque omni subjecto substantiali. Sola enim quantitas manet existens extra omne subjectum: omnia autem alia accidentia & qualitates insunt & inhærent ipsi quantitati tanquam in subjecto proximo & immediato. Patet enim ad sensum albedinem v. g. in Hostia consecrata esse extensam, & omnes qualitates se invicem comitari, ita ut unâ motâ moveatur & altera: quòd non posset bene explicari, nisi per unionem illorum accidentium in aliquo tertio, quod non potest esse aliud nisi quantitas. Nec dictis obstat, quòd post consecrationem Eucharistia in Scriptura adhuc dicatur panis & vinum: 1. Corinth. 10. *Panis, quem frangimus.* Ibidem c. 11. *Et sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Et Christus ipse Matth. 26 post consecrationem Calicis ait: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Resp. enim Corpus & Sanguinem Christi post consecrationem retinere nomen *panis & vini*, more Scripturæ usitato, quo terminus *ad quem* retinet nomen termini *à quo*, ut significetur illum in alium esse conversum; sic Adam vocatur *terra & cinis*: Eva *os, &c.* Deinde Eucharistia retinet nomen *panis & vini*, propter speciem externam panis & vini, propter accidentia externa remanentia, eorúmque virtutes: illa enim eodem modo operantur post consecrationem, sicut antea, ut dictum est.

III. Quantitas Eucharistica post consecra- 104
tionem potest naturaliter ab agente naturali pati & moveri, non tantùm motu locali, ut minùs notum, sed etiam mutatione alterativâ ad novas qualitates expulsis prioribus, ut calefieri, congelari, denigari &c. & aliâ quâcunque mutatione, quæ non requirit novam quantitatem, & quæcunque potuisset fieri manente substantiâ panis & vini: non autem potest illa quantitas ab agente naturali corrumpi; nam omne accidens absolutum naturaliter corrumpi potest, vel per actionem contrarij, vel per destructionem subjecti: sed quantitas Eucharistica neutro modo corrumpi potest, cùm nec habeat subjectum, secundùm fidem: nec contrarium, secundùm Philosophiam: ergo non potest effective

rumpi ab agente naturali, nisi tantùm dispositivè; effectivè autem corrumpitur à solo DEO. Utpote, si aliquod agens applicatum, qualitatibus contrariis inductis ita alteret quantitatem, ut naturaliter petat ejus destructionem, ac ipsa substantia panis vel vini deberet destrui, si adesset, Deus immediatè illam corrumpit & producit novam substantiam, cui illa accidentia sint connaturalia. Et hinc

105 IV. Ex speciebus Eucharisticis potest aliquid generari. Constat enim ad sensum ex Hostia combusta generari ignem & cineres; ex contusa pulveres; ex putrefacta vermes; ex vini speciebus acetum: & potest homo nutriri ex speciebus magnâ quantitate sumptis & in substantiam aliti conversis, sicut & ex speciebus vini inebriari, idque modo jamjam indicato. Quia nimirum Deus ita vult Eucharistiam existere in Ecclesia, ut tamen circa ejus species velit agentia naturalia agere sinere, quidquid existente substantiâ panis & vini agerent, ac proinde id, quod ob defectum substantiæ panis, & vini agere non possunt, vult ipse supplere; idque ad occultandum tam mirabilissimum *Mysterium fidei*: quando ergo agens naturale applicatum ita alterat accidentia Eucharistica, ut naturaliter deberet corrumpi substantia panis vel vini, & generari alia nova substantia, v. g. ignis, vel vermis, &c. tunc Deus supplendo defectum agentis naturalis, quod non potest aliquid destruere vel producere independenter à subjecto (aliàs enim annihilaret & crearet) ipsemet immediatè & quantitatem destruit, & novam materiam producit, & subministrat agenti naturali applicato, igni v. g. ut suam formam inducat, & sic ignem novum, vel aliam substantiam producat juxta exigentiam dispositionum inductarum. Sed de his latiùs Scholastici.

§. IV.

Quid continetur in Sacramento Eucharistiæ? & quomodo?

I. An, & quomodo totus Christus?

106 IN hoc Sacramento sub speciebus panis & vini consecratis verè & realiter existit Corpus & Sanguis Christi: imò totus Christus cum divinitate & humanitate, corpore & anima, carne & sanguine, in hoc Sacramento, & sub utraque specie divisim sumptâ: idque statim factâ consecratione permanenter ante omnem usum. Est totum de fide Catholica, definitum à variis Concilijs, & novissimè Tridentino sess. 13. Can. 1. *Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè realiter & substantialiter Corpus & Sanguinem unà cum animâ & divinitate Domini nostri JESU Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodò esse in eo, ut in signo vel figura, aut virtute, anathema sit.* Rursus Can. 4. *Si quis dixerit, peractâ consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post; & in Hostiis seu particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini: anathema sit.* Sumitur hæc tota veritas ex verbis institutionis Christi: *Hoc est Corpus meum;* &: *Hic est Sanguis meus.* juxta sensum Ecclesiæ, & omnium SS. Patrum. Nam illa verba litteraliter & propriè accepta omnino significant id, quod Christus tunc in manibus habebat, & quod modò Sacerdotes in manibus habent, quando consecrant, esse Corpus & Sanguinem Christi: & quidem tale Corpus, & talem Sanguinem, quale Corpus & Sanguinem tunc Christus habuit in ultima Cœna, & modò habet in Cælis. Atqui tunc Christus habuit, & modò in Cælis habet Corpus vivum & divinum, unitum scilicet animæ & divinitati, & Sanguinem vivum & divinum unitum scilicet corpori & animæ & divinitati: ergo in Sacramento Eucharistiæ verè & realiter, statim factâ consecratione continetur Corpus & Sanguis Christi cum anima & divinitate, totus scilicet Christus cum divinitate, humanitate, anima & corpore, carne & sanguine.

Insuper non solùm nudum Corpus & Sanguis 107
Christi quoad substantiam, sed etiam quoad quantitatem, qualitates, & omnia accidentia absoluta & intrinseca, quæ modò in Cælis habet, ipsique insunt independenter ad locum, ut docent Theologi omnes: quamvis quantitas Corporis & Sanguinis Christi non habeat extensionem actualem impenetrabilem partium in ordine ad se & ad locum: cùm omnes partes Corporis & Sanguinis sint simul in uno loco inter se, & cum quantitate Eucharistica: habent tamen extensionem entitativam partium inter se etiam radicalem impenetrabilem: hæc enim & non actualis extensio impenetrabilis est de essentia quantitatis, ut in Philosophia docetur. *J.* Ex dictis inquire curiosule, num in Sacramento Eucharistiæ sint aliquæ Reliquiæ de B. V. MARIA: est enim ibi particula materiæ purissimi Sanguinis B. V. MARIÆ, ex qua in ejus utero à Spiritu sancto formatum, ac generatum (neutiquam ex nihilo creatum) est sanctissimum Corpus Christi.

II. Quomodo totus sub utraque specie?

IN Sacramento Eucharistiæ, sub speciebus pa- 108
nis est tantùm Corpus Christi, & sub speciebus vini est tantùm Sanguis Christi, per se & vi verborum Consecrationis; reliqua omnia supradicta ac totus Christus sunt sub utravis specie per concomitantiam. De fide ex Concilio Tridentino *sess.* 13. *cap.* 3. ubi docet existere in „hoc Sacramento: Corpus quidem sub specie „panis, & sanguinem sub specie vini ex vi ver„borum, ipsum autem Corpus sub specie vini, „& Sanguinem sub specie panis, animámque „sub utraque, vi naturalis illius connexionis & „concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, „qui jam ex mortuis resurrexit non ampliùs „moriturus, inter se copulantur. Divinitatem porrò

„porrò propter admirabilem illam ejus cum „Corpore & Anima hypostaticam Unionem. „Quapropter verissimum est tantundem sub al„terutra specie, atque sub utraque contineri: to„tus enim & integer Christus sub panis specie, „& sub quavis ejus speciei parte totus, item „sub vini specie, & sub ejus partibus existit.

109 Hactenus Concil. Explico breviter. 1. Illud dicitur *per se, ex vi verborum* esse sub specie Sacramentali, quod præcisè per formam significatur ex institutione divina, cujus proinde præsentia ad verborum veritatem necessaria est; sed forma consecrationis panis: *Hoc est Corpus meum,* præcisè solùm significat, & ad veritatem verborum nihil aliud requirit nisi præsentiam Corporis Christi: & similiter forma consecrationis vini: *Hic est Sanguis meus*, præsentiam Sanguinis Christi, ergo vi verborum & per se, sub speciebus panis est tantùm Corpus Christi, & sub speciebus vini est tantùm Sanguis Christi. 2. *Per concomitantiam* verò dicitur aliquid poni & esse sub specie Sacramentali, quod ibi ponitur tanquàm aliquid realiter unitum, & naturaliter connexum cum eo, quod ibi per se vi verborum ponitur; sed talia sunt omnia suprà enumerata spectantia ad personam Christi, & totus Christus: ergo per concomitantiam 1. est sub specie panis Sanguis; & sub specie vini, Corpus Christi. 2. Sub utraq; specie Anima Christi, ob naturalem unionem. 3. Unio Animæ & Corporis, ac totius Humanitatis Christi cum Verbo divino. 4. Consequenter ipsum Verbum divinum seu substantia Verbi ac ipsa Divinitas, ac tandem totus Christus una cum omnibus accidentibus suis absolutis, ut suprà *n.* 107. annotatum.

110 Ratio autem horum à priori est voluntas Christi. Quia nimirum Christus Dominus decrevit, non ampliùs permittere, ut suum Corpus existat sine Anima & Sanguine; nec econtrà, Anima vel Sanguis sine Corpore: (multò minùs horum aliquid sine divinitate) alioquin Christus moreretur quotidie contra Apostolum *Rom.* 6. asseverantem: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur &c.* Et ideo consequenter fit, ut ubi statuitur unum, statuatur & alterum: sicque ex decreto Christi unum comitatur alterum, ad eum ferè modum (ut rudi exemplo lepidè Gobat) sicut, si ad mensam tuam invites Titium, aut Religiosum, quem scis non venturum, nisi cum Cajo amico, vel cum socio Religioso, concomitanter etiam invitas Cajum, vel socium. *J.* Quidsi ergo Petrus consecrâsset in triduo mortis Christi, non fuisset sub speciebus panis nisi Corpus Christi: & sub speciebus vini solus Sanguis Christi? R. Omnino sic. sub speciebus panis non fuisset Anima & Sanguis; nec sub speciebus vini Anima & Corpus: attamen tam cum Corpore, quàm cum Sanguine, (sicut & cum Anima separata adfuisset divinitas, juxta receptissimum dictum D. Damasceni. l. 3. de Fide. c. 27. *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.*

III. Quomodo totus sub partibus specierum?

I. TOtus Christus continetur & est sub spe- 111
ciebus Eucharisticis in hoc admirando Sacramento: imprimis non propriè localiter, tanquam in loco continente, ambiente, & circumscribente, (quemadmodùm nos sumus in loco, nimirum superficie aëris nos ambiente) cùm nulla pars aut superficies specierum sit extra Christum, & ipsum ambiat, vel circumscribat; sed quælibet sibi intimè præsentem Christum habet: sed est sub speciebus Sacramentaliter tantùm, id est, tanquam in signo sensibili ex institutione divina significante ipsum verè & realiter præsentem. Cæterùm in quonam entitativè consistat *hæc præsentia Sacramentalis*, disceptatio grandis est inter Scholasticos, Theologo tamen morali scitu parùm necessaria. Si Scotista es, facilè dices, esse relationem extrinsecùs advenientem intimæ & mutuæ præsentiæ specierum ad Christum contentum, & Christi ad species continentes, per modum ubicationis activæ & passivæ, ac proinde ad prædicamentum *Ubi* reducibilem, quamquàm, ut jam dictum, propriè dicta ubicatio non sit.

II. Christus non est sub speciebus modo 112
quantitativo & divisibli, cum commensuratione partium corporis ad partes loci, quasi una pars Corporis Christi sit sub una parte specierum, alia sub alia. v. gr. partes superiores, caput, collum &c. sub parte superiori specierum Hostiæ; partes inferiores, tibiæ, pedes &c. sub aliis inferioribus partibus Hostiæ; & sic de cæteris, (quemadmodùm nos & omnia corpora necessariò naturaliter sumus in loco) non sic, absit: quanta enim tunc deberet pinsi hostia, quis sumere posset? sed est Christus sub speciebus entitativè tantùm, & modo indivisibili & quasi spirituali: quemadmodùm anima rationalis v. gr. tota est in toto corpore humano, & tota eadem in qualibet parte corporis vivente, & nullo modo alia pars animæ in capite, alia in pectore, alia in pedibus &c. cùm sit spiritus indivisibilis (eodémque modo Angelus est in loco, & Deus ubique in toto universo:) ita Christus totus est in tota Hostia consecrata, & totus in qualibet parte ejus sensibili etiam minutissima & divisibili in infinitum: ut verè & piè dicatur, Christum esse in qualibet Hostia infinities, etsi non quælibet minutissima particula consecrari possit. ob rationem dandam *sect. seq. num.* 176.

III. Christus est sub singulis partibus specie- 113
rum post consecrationem divisis. Sic enim definit Tridentinum cit. sess. 13. Can. 3. *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque specie partibus, separatione factâ, totum Christum contineri, anathema sit.* Ratio est: quia post divisionem Hostiæ consecratæ, sine dubio non manet una pars Corporis Christi sub una parte divisa Hostiæ, & alia sub alia, quàm horrendè

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim tunc discerperetur Corpus Christi, contra incorrupibilitatem Corporis glorioſi; ſed neque definit Corpus Christi esse sub speciebus divisis, ergo manet sub singulis. Et patet evidenter ex ipso facto Christi, qui unâ consecratione tantùm vini consecravit in uno calice quantùm sufficiebat omnibus Apostolis inde divisim bibentibus, & sine dubio singulis totum Christum sumentibus ergo &c.

114 IV. Totus Christus est sub singulis partibus specierum etiam adhuc conjunctis, id est: ante divisionem Hostiæ consecratæ totus Christus est sub tota Hostia consecrata, & totus sub quavis ejus parte sensibili, idcóque negativè saltem infinities. Commnnis cum D Thoma & Scoto *hìc*. Et quamvis non definiat id Concilium Tridentinum in *cit. Can. 3.* loquens solùm *factâ separatione*: tamen non obscurè indicat *cit. cap. 3.* dicens absolutè nullâ factâ mentione separationis vel divisionis: *Totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totus etiam sub specie vini, & sub ejus partibus existit.* Et ratio est: quia totus Christus est sub speciebus diversis secundùm fidem, ut modò dictum: ergo & ante divisionem sub speciebus conjunctis. Quia sola separatio non facit novam consecrationem, nec ponit Corpus Christi alicubi, ubi antea non fuit: ergo &c.

§. V.

Potéstne Christus aliquid agere vel pati in Eucharistia:

115 I. CHristus ut existens in Eucharistia, potest per se primò habere operationes internas intellectûs & voluntatis, utpote intelligere & velle objecta sibi præsentia. Communis. Ratio est: quia Anima Christi nunc beata & informans Corpus glorioſum non dependet à sensibus & sensibilibus: ideóque (quemadmodùm Angelus) potest intuitivè videre seu intelligere, & consequenter etiam velle vel nolle objecta sibi præsentia.

116 II. Christus ut existens in Eucharistia per se primò nullam potest habere sensationem ullius sensûs externi vel interni: nec potest naturaliter agere in aliquod extrinsecum: nec potest aliquid pati ab ullo agente naturali virtute naturali. Ratio est: quia ad eliciendas sensationes; ad agendum & patiendum naturaliter, necessariò requiritur in agente & patiente corporeo modus existendi quantitativus & extensus; Christus autem seu Corpus Christi in Eucharistia non habet modum existendi quantitativum & extensum, sed penetrativè & indivisibiliter est totum in tota specie, & totum in qualibet parte, ut dictum est: ergo &c.

117 III. Christus tamen existens in Eucharistia concomitanter habet omnes operationes internas & externas, quas per se primò habet in cælo, sicut & posset habere omnes passiones. Nimirum quidquid Christus primò in cælo intelligit, videt, sentit; etiam intelligit, videt, sentit in Eucharistia: Item si Christus in cælo primò mutaretur ad calorem v. g. vel aliam qualitatem absolutam, eundem calorem vel qualitatem etiam haberet in Eucharistia concomitanter. Ratio est: quia nullum absolutum variatur vel definit esse in substantia propter solam variationem loci: ergo quidquid absolutum Christo inest vel advenit, ut existit in cælo, necessariò etiam inest vel advenit ei concomitanter, ut existit in Eucharistia. Seclusis solùm motibus & respectibus localibus.

118 IV. Christum in Eucharistia moveri localiter in quemcunque locum moventur species consecratæ, certâ fide constat: nam Trident sess. 13. Can. 8. definit: *quòd manente Hostiâ, semper cum illa maneat Corpus Christi*: alioquin adorans Hostiam elevatam, si non simul motum elevaretur Corpus Christi, committeret idololatriam: attamen Sacerdos, vel quodvis agens movens Hostiam, non movet per se & physicè Corpus Christi, quasi Corpus Christi per se primò reciperet motum à Sacerdote, ob rationem datam, sed tantùm per accidens & moraliter, quatenus nimirum dum Sacerdos, vel aliud agens movet species consecratas, ipsemet Deus vi decreti & institutionis suæ, quâ vult Corpus & Sanguinem Christi semper conservare sub speciebus consecratis, quamdiu existunt, ad motum specierum per se immediatè & physicè movet ipsam Corpus & Sanguinem Christi, atque adeò sicut Sacerdos consecrans est causa moralis positionis Corporis Christi sub speciebus, ita Sacerdos vel aliud quodcunque agens movens species potest dici causa moralis concomitantis motûs Corporis Christi, ex ipsa institutione Eucharistiæ, quâ Deus determinavit post consecrationem semper facere & conservare Corpus Christi præsens sub speciebus, & consequenter quocunque illa moveantur, simul movere istud, idque non novo semper miraculo simpliciter loquendo, sed eodem antiquo continuato. Non enim dicendum est novum miraculum, quod, supposito semel decreto Dei de miraculosa positione & conservatione Corporis Christi sub speciebus, de facto semper ordinariè fit.

§. VI.

Quamdiu manet Christus in Sacramento sub speciebus?

119 TAmdiu manet Corpus & Sanguis Christi, ac ipse Christus sub speciebus Eucharisticis, quamdiu posset sub eis conservari ipsa substantia panis & vini, si adesset: donec nimirum tanta fiat mutatio earundem specierum, ut consueta substantia panis & vini, si adesset, corrumperetur. *Communis & certa de fide.* Et Ratio est: quia Corpus & Sanguis Christi succedunt substantiæ panis & vini, sub ijsdem speciebus seu accidentibus separatis: ergo quamdiu substantia panis & vini sub ijsdem accidentibus permansisset, consecratio facta non fuisset, tamdiu permanebit Corpus & Sanguis Christi &c. Unde inferes & resolves

120 I. Falsum est, quod contendunt hæretici: nimirum si quis indignè accedat ad hoc Sacramentum, statim recedere Christum, & redire substantiam panis, antequam comedatur. Si enim peccatore communicante, Christus recedit, & tantùm sumitur substantia panis, non esset, unde diceretur indignè sumere Sacramentum: juxta illud 1. Corinth. 11. *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

121 II. Falsum est, quod alij docent: recedere Corpus Christi, si species in lutum vel alium locum sordidum cadant; si pollutis manibus tangantur; si à mure vel alia bestia devorentur. Item (quod docuit etiam D. Bonaventura) Corpus Christi ex ore comedentis non trajici in stomachum, etsi perseveret in tota manducatione, quæ fit in ore, & gutture. Ratio falsitatis ex dictis patet: quia propter ejusmodi actiones nondum sunt corruptæ species. Quin etiam species per vomitum rejectæ, si tales adhuc sint, ut sub illis substantia panis & vini posset adhuc existere, tanquam adhuc verè continentes Corpus & Sanguinem Christi, verè sunt adorandæ: & si iterum summam, iterum conferre gratiam, docet Card. de Lugo *hìc disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 53.

122 III. Species seu Hostia sumpta non est tamdiu detinenda in ore, donec penitùs consumatur, & pereat. Quia tunc non manducaretur Christus, nec gratia Sacramentalis conferretur: sicut neque, si quis moriatur, dum Hostia adhuc est in ore; ut cum *Diana* bene resolvit Busenbaum *hic cap.* 1. *dub.* 7. An verò communicanti in statu peccati mortalis expediat ita detinere Hostiam in ore, donec consumatur potiùs, quàm indignè deglutire, curiosa quæstio est, infrà suo loco tangenda.

123 IV. Si vino consecrato misceatur alius liquor, utique omnium consensu, peccatur gravissimè: at numquid tunc Sanguis Christi, ac ipse Christus desinet esse sub speciebus? Resp. Siquidem modico vino consecrato misceatur alius liquor vini naturaliter corruptivus, ut acetum, vinum adustum, aut etiam aliud vinum diversæ ac longè fortioris speciei, ita ut non ampliùs maneret substantia prioris vini, si adesset, palàm videtur tunc desineret ibi esse Christum. At verò si parvæ quantitati vini consecrati, admisceatur multum vini non consecrati, saltem ejusdem, seu non multum diversi speciei & virtutis (prout fieri solet in prima ablutione calicis) quanquam tunc adhuc desinere ibi esse Christum, ideóque illud vinum liberè tractari posse, doceant multi cum D. Thoma *q.* 77. *a.* 8. Sed longè verius non desinere, cum aliis docet Lugo *de Eucharistia disp.* 10. Ideóque saltem ob metum sacrilegii, illud vinum reverenter habendum, & pro Sacrificiis Missæ asservandum, rectè censent etiam *Tannerus & Dicastillus* cum Gobat *num.* 52. Ratio est: quia tunc non adest agens contrarium corruptivum specierum, ac ipsius substantiæ vini, si adesset. Unde idem Lugo in *Respons. moralibus*, rectè resolvit, ablutionem calicis in Festo Natalis Domini non posse bibi à Laico, vel alio non Sacerdote: remanet enim aliquantulum speciei consecratæ ob dictam rationem. Tollendus ergo talis abusus alicubi apud Moniales. Quin imò, si gutta vini consecrati lapsa sit in dolium vini ejusdem speciei, totum illud vinum adhibendum esset tantùm pro Sacrificio, uti post Lugo & alios resolvit Busenbaum *loco cit. n.* 6. etsi alij dicant posse bibi à Laicis.

Dubium incidens.

Quid de miraculosis mutationibus specierum consecratarum.

124 I. SOlent subinde miraculosè mutari species consecratæ, & apparere parvulus, caro, sanguis &c. Quæ mutationes seu apparitiones duobus modis fieri possunt. 1. Apparenter tantùm per immutationem solius medii & potentiæ: ejusmodi parvuli, carnis, sanguinis &c. speciebus in aëre intermedio productis, & potentiæ visivæ impressis: cujus apparentis tantùm mutationis signum est, si brevi tempore tantùm duret ejusmodi apparitio, ac antea & post videantur species in sua propria ratione & forma, aut si ab uno vel altero tantùm videatur illa mutatio, alii autem videant species Eucharisticas, prout reverâ sunt. 2. Realiter & per immutationem ipsius objecti seu rei: ut reverâ species mutentur in aliam rem: cujus mutationis signum est, si ad longum tempus ita permaneat, & ab omnibus, & constanter ita videatur. Quòd si ergo ejusmodi mutatione ita immutentur species & accidentia Eucharistica, ut sub eis non remaneret substantia panis vel vini, si adesset, & reverâ fiat alia nova res, palàm erit, ibi desinere esse Christum. Secùs si non ita immutentur, sed accidentaliter tantùm alterentur quoad colores, formam, figuram, reipsâ remanente eâdem quantitate & accidentibus connaturalibus substantiæ panis & vini, si adesset. Hinc quia in admirabili Sacramento & carnea Hostia Augustæ ad S. Crucem, acutiori visu præditi, vident à lateribus aliquid de speciebus panis; ideo probabile est, ibi remanere Corpus Christi, ac proinde adorari posse Latriâ absolutâ.

125 II. Certum videtur hujusmodi apparentem parvulum non esse ipsum Christum reipsâ, neque id necesse est ad effectum & finem miraculi, sed sufficit sive sit illa species repræsentans Christum, sive Angelus appareat in ea forma: sicut ad ostensionem alicujus veritatis, quando assimulatio ad aliquod verum significandum refertur, non est mendacium, juxta D. Augustinum *libr. contra mendacium c.* 9.

126 III. Magis certum videtur carnem vel sanguinem ibi apparentem non esse reipsâ veram Christi Carnem vel Sanguinem, quasi de glorioso ejus Corpore sectam, vel fusam (quod piæ aures abhorrent) aut certè replicatè ibi positam; inde-

Universidad de Deusto
Biblioteca

indecens namque foret veram Christi Carnem claudi pixide, imò diuturnitate temporis alterari vel corrumpi. Quin D. *Thomas*, ac post eum *Suarez*, ac alij negant omnino esse reipsâ veram aliquam carnem, aut verum sanguinem, sed tantùm aliquid colore simile: cùm non sint multiplicanda miracula sine necessitate. Attamen probabiliter dici potest, esse tam veram carnem vel sanguinem, quàm quodvis aliud corpus: quin etiam id magis conducit ad finem apparitionis. Neque opus est dici carnem humanam, vel alterius animalis, quia seorsim à Deo creata, nulli animali incorporata fuit.

127 IV. Quidquid sit, vel appareat eo casu. cultu Latriæ adorari potest. Vel enim Christus adhuc realiter adest in Eucharistiâ; & tunc debet adorari cultu Latriæ absoluto, ut jam suprà innui. Vel certè quod ibi est, vel apparet, non minùs signum Christi est, quàm Crux vel Imago Salvatoris, sicque illud perinde; ac hæc, cultu Latriæ respectivo adorari poterit. Denique si Sacerdoti contingat talis mutatio, non est sumendum, quod apparet, sed loco decenti asservandum. At, nunquid debebit de novo consecrare aliam materiam? D. *Thomas*, aliique communiùs docent, posse iterum de novo consecrare, at non teneri ex præcepto: licèt enim sumptio sit necessaria de præcepto & integritate Sacrificij, tamen hoc præceptum non potest ampliùs servari post ita mutatas species consecratas: nam tunc consecrare de novo, non esset idem Sacrificium consummare, sed aliud Sacrificium inchoare: Et Deus ipsâ mutatione miraculosâ specierum, censetur in hoc præcepto sumptionis dispensare. Alia est ratio: si pro vino aquam consecrâsses. Debes tunc de novo consecrare, quia tunc Sacrificium non fuit essentialiter completum, sicut fuit in nostro casu.

SECTIO II.

De materia Sacramenti Eucharistiæ.

SUMMARIUM.

128. *Materia in hoc Sacramento est panis, & vinum;*
130. *Consecratio utriusque speciei non est de necessitate Sacramenti.*
131. *Sed præcepti divini.*
132. *Adeóq; per se nunquam licet consecrare unam speciem sine alia, nec Pontifex in hoc dispensare potest.*
135. *Per accidens tamen in quibusdam casibus consecrata una specie Sacerdos licitè non consecrat alteram.*
135. *Materia necessaria & sufficiens hujus Sacramenti est omnis & solus panis triticeus.*
136. *Et usualis (ex quo frumento is confici possit?* Usque ad n. 142.
142. *Ac confectus ex farina triticea, & aqua naturali,*
143. *Igne tostus.*
144. *Et substantialiter incorruptus.*
146. *Isq; in Ecclesia latina debet esse azymus.*
147. *Qui etiam est convenientior fermentato.*
148. *In quo quilibet tam Græcus, quàm Latinus sub mortali debet servare ritum suæ Ecclesiæ.*
149. *Quid si sint extra?*
151. *Materia item hujus Sacramenti est vinum vitis (ubi quæ excludantur à ratione vini,* Usque ad n. 155.)
155. *Et quidem omne vinum vitis verè tale & per se potabile, cujuscunq; speciei vel coloris, est materia validæ consecrationis,*
156. *Etiam mustum ex uvis maturis expressum.*
157. *Quid de vino acido.*
158. *Et conditio aromatibus, absynthio &c.*
159. *Ac congelato.*
160. *Vino consecrando admiscenda est aqua.*
161. *De necessitate præcepti Ecclesiastici tantùm.*
162. *Eáq; naturalis. Et 163. modica. 164. Ad Altare in ipso calice.*
165. *Quæ convertitur in Sanguinem Christi non immediatè, sed mediatè.*
167. *Materia consecranda debet esse certa & determinata in individuo, & ex intentione consecrantis.*
168. *Resolvuntur varia* usque ad n. 173.
173. *Qualiter materia consecranda debeat esse præsens consecranti.*
174. Usque ad n. 177. *resolvuntur varia.*
177. *Validè consecrari potest materia in quacunque quantitate sensibili.*
178. *Etiam minima pars.*
179. *Licitè verò non nisi in quantitate conveniente fini, usui, & reverentiæ Sacramenti.*

§. I.

Quæ & quotuplex est materia Sacramenti Eucharistiæ? & quomodo utraque necessaria?

129 MAteria *ex qua* Sacramenti Eucharistiæ est panis & vinum. De fide ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis*; & Tridentin. *sess. 13.* Constat ex institutione Christi Matth. 26. *Accepit JESUS panem &c.* quem scilicet consecravit in Corpus suum. Et post: *Accepit JESUS calicem* &c. utique cum vino, quod consecravit in Sanguinem suum: nam factâ consecratione addidit: *non bibam amodò de hoc genimine vitis* &c. Ratio à priori est voluntas Christi. Congruentiæ sunt 1. Quia panis & vinum sunt aptissima ad significandum spirituale convivium, utpote cibus & potus homini maximè naturalis, & in conviviis adhiberi solitus. 2. Quia optimè significat hujus Sacramenti effectum, refectionem scilicet & unionem spiritualem. Nam sicut ex multis granis unus panis efficitur, & ex multis uvis vinum confluit, ita per hoc Sacramentum multi fideles, & inter se, & cum suo Capite Christo, perfectissimè uniuntur. 3. Quia sicut panis confortat, & vinum recreat: sic Christus in hoc Sacramento (ut canit Ecclesia:) *Dedit fragilibus Corporis ferculum; dedit & tristibus Sanguinis poculum &c.*

129 Porrò sicut in aliis Sacramentis, ita & in hoc Sacramento Eucharistiæ, duplex est materia; *proxima & remota*, sed modo & ordine inverso. Nam in aliis Sacramentis materia remota est res permanens, ut aqua, chrysma, oleum, calix &c. materia proxima verò, scilicet usus & applicatio illius rei est mox transiens: at in hoc Sacramento materia remota est transiens, & materia proxima permanens. Materia remota, & *ex qua*, est panis & vinum, & hæc mox transit per consecrationem & conversionem in Corpus & Sanguinem Christi. Materia proxima sunt species Eucharisticæ, nimirum accidentia absoluta panis & vini relicta. Et hæ species permanent, ac permanenter sub se continent Corpus & San-

guinem Christi, ut suprà explicatum. Insuper nota, in hoc solo Eucharistiæ Sacramento, quia in esse permanente consistit, idem esse materiam proximam, ac essentiam Sacramenti. Quare requisitus de materia proxima hujus Sacramenti, respondere potes juxta eandem distinctionem suprà datam de essentia hujus Sacramenti §. 1. *n.* 94. & 95. Jam ad tertium in titulo quæsitum: *Quomodo utraque hæc materia sit necessaria?* dico sequentia.

130 I. Consecratio utriusque speciei panis & vini, non est de necessitate Sacramenti. *Certum apud omnes.* Nam panis validè consecratur, & sub ejus speciebus realiter continetur Christus, exhibetúrque populo adorandus, antequam consecretur vinum. Et ratio à priori est: quia forma consecrationis panis & vini sunt à se invicem independentes in significando, adeóque in causando verum Sacramentum. Quomodocunque ergo alterutra species tantùm consecretur, sive per oblivionem, ignorantiam, malitiam, sive per impossibilitatem alterius speciei, validè consecratur, & verum Sacramentum efficitur essentialiter in ratione Sacramenti, etsi non integrum sit in ratione convivij spiritualis, ut suprà annotatum §. 3. *n.* 103.

131 II. Consecratio utriusque speciei panis & vini, est de necessitate præcepti divini. *Communissima.* Constat ex ipso facto Christi utramq; speciem consecrantis, & adjuncto præcepto: *Hoc facite in meam commemorationem*, accedente interpretatione & usu totius Ecclesiæ. Hinc Concilium Tridentin. *sess. 22. cap. 1.* dicit: Christum Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulisse ac sub earundem rerum Symbolis Apostolis, eorúmque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepisse per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo præcepto divino necessaria est consecratio utriusque speciei. *Ratio est*: quia hoc Sacramentum non conficitur, nisi in Sacrificio ex institutione divina: quin imò Sacrificium est ipsa confectio hujus Sacramenti, ut ex superioribus patet: sed Sacrificium ex institutione & præcepto Christi ad sui essentialem integritatem requirit utramque speciem: ergo eodem præcepto divino necessaria est consecratio utriusque speciei. *Min. patet.* & accedit: quòd Sacrificium ex sua institutione est repræsentativum Sacrificii cruenti Crucis ac Mortis Christi: atqui hæc repræsentatio perfectè & completè non habetur, nisi in consecratione utriusque speciei, quâ separatim consecratur Corpus, & separatim Sanguis. Nec obstat, quòd juxta aliquos SS. Patres, Christus in Castello Emmaus consecrârit sub specie panis, & solius, cùm nulla vini fiat mentio (res incerta & controversa) potuit námque hoc Christus facere dispensatoriè per potestatem Excellentiæ. Legislator enim non tenetur suis Legibus.

132 III. Per se ergo nunquam licitum est consecrare unam tantùm speciem, panis v. g. etiam in gravi necessitate, utpote communicandi infirmum alioquin sine viatico moriturum: juxtà communissimam DD. Ex quo Tamburinus *de Sacrificio l. 2. c. 7.* rectè negat, posse etiam intentato mortis metu inchoari Missam cum intentione consecrandi unam tantùm speciem, etiam pro moribundo, quartò minùs, si metus mortis intentaretur ab impio hæretico in contemptum Fidei, Religionis, vel ipsius Sacramenti. Ac proinde juxta communiorem & veriorem Sententiam DD. neque Summus Pontifex, vel Ecclesia potest dispensare, & concedere, ut una tantùm species consecretur. Nam Sacrificatio sub utraque specie pertinet ad substantialem integritatem Sacrificii, ut dictum est, ipso jure divino: atqui Pontifex vel Ecclesia non potest *propriè* dispensare in illo jure, vel præcepto divino, secundùm communem doctrinam in materia de Legibus. Et constat ex perpetuo usu Ecclesiæ, quem aliquando fuisse immutatum, nullo sufficienti testimonio probari potest (quidquid *Volaterranus*, & quidam alij de *Innocentio* IV. referant, eum dispensâsse cum Norwegis, ut in solo pane consecrarent, eò quòd ob nimium frigus, vinum ibi conservari nequeat: fabulosum fundamentum, cùm oppositum constet) Ecclesia enim in nullo casu permittit Sacrificiũ mutilum; & ut hoc caveat, dispensat in strictissimo præcepto jejunii naturalis: ut si Sacerdos post consecrationem unius speciei, recordetur se non esse jejunum, nihilominùs pergat: & si moreretur post consecrationem Corporis, præcipit, compleri ab alio Sacerdote etiam non jejuno: nè nimirum maneat Sacrificium mutilum; eò ipsò significans, se non posse dispensare in hoc. Nec sanè credibile est uspiam in ulla Provincia reperiri tantam penuriam ejus materiæ tritici vel vini, ut huic Sacramento non sufficiat: & si reperiretur alicubi, potiùs privaretur illa Provincia hoc Sacramento non simpliciter necessario, quam substantialis & universalis actus tanti Sacrificii immutaretur: ut habet Communis DD. Sententia. Quamvis non videatur improbabile, quòd eo casu ex rationabili interpretatione cessaret obligatio præcepti divini de integritate Sacrificii. Uti notat noster Herincks *de Eucharistia disp. 2. quæst. 7. in fin.* Dixi autem *per se*: nam

133 IV. Per accidens omnino dantur casus, in quibus Sacerdos unâ specie jam consecratâ licitè non consecrat alteram. Utpote 1. si post consecrationem Hostiæ subitò immineat periculum mortis ab incendio, ruina Ecclesiæ fatiscentis, hostium incursu, secluso tamen scandalo & contemptu fidei (secùs enim est, si Sacerdos ab hostibus cogeretur mutilare Sacrificium in contemptum fidei: tunc enim id esset intrinsecè malum) Ex Communi Tamburinus *lib. 2. c. 7. §. 1. n. 48. in fine.* 2. Si Sacerdos post consecrationem Hostiæ deprehendat non esse vinum, vel esse aquam, & aliud vinum reperiri nequeat. 3. Si Sacerdos aquam vel alium liquorem jam consecrâsset pro vino: neque defectum

intelligeret, nisi diu post: aut postquam advertisset, non posset habere aliud vinum, aut quamvis haberet, non tamen posset illo uti sine gravi scandalo vel irreverentiâ tanti Sacramenti & Sacrificii, v. gr. si jam ab Altari recessisset, & primò advertisset in Sacristia, vel alio loco, ubi nulla Ara parata est. Prout mihi non ita pridem contigit. 4. Si Sacerdos, consecratâ Hostiâ moriatur, animo deficiat, loquelam perdat, in amentiam incidat, nec adsit alius, qui possit Sacrificium perficere. Quò tamen casu, si alius Sacerdos suppleret, & Sacerdos infirmatus communicare posset, deberet ei dari pars Hostiæ divisæ, ut de suo Sacrificio inchoato participaret, ut notat Tamburinus *opusc. de Sacrificio lib. 1. capit. 8.* Ratio omnium una est: quia præceptum positivum complendi Sacrificium integrum, non obligat in tanta necessitate, nedum ad impossibile.

§. II.

Qualis panis requiritur, & est materia necessaria ac sufficiens hujus Sacramenti?

134 *Materia necessaria & sufficiens hujus Sacramenti est omnis & solus panis triticeus & usualis: ideóque ex farina triticea & aqua naturali mixtus, & igne tostus, atque substantialiter incorruptus: Et in Ecclesia Latina azymus de præcepto.* Communis & certa DD. Sententia, quam explico particulari n.

I. Omnis & solus panis triticeus.

135 EST materia sufficiens hujus Sacramenti. Est Communissima Theologorum. Et constat manifestè ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis*, ubi dicitur: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum ex vite.* Unde Catechismus Romanus c. de Eucharist a §. 12. *Nullus panis, nisi triticeus apta ad hoc Sacramentum materia putandus est: hoc enim Apostolica traditio nos docuit, & Ecclesiæ authoritas firmavit*: Hæc ibi: quam proinde traditionem Concilium Florentinum modò citatum clariùs declarâsse putandum est. Unde veteres Concilia, Pontifices & Patres, quando dixerunt, materiam hujus Sacramenti esse panem ex frumento confectum: nomen frumenti sine dubio non accipiunt genericè pro qualibet frumenti specie (nunquid etiam avenâ, hordeo &c.) sed specificè & quasi antonomasticè pro perfectissima specie, quod est triticum, pro quo non rarò supponit in Scripturis nomen frumenti. v. gr. Zachariæ 9. *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum? &c.* Ubi D. Hieronym⁹ ait: *frumentum electorum nos intelligimus Dominum Salvatorem, qui loquitur in Evangelio &c.* De hoc tritico efficitur ille panis, qui de Cælo descendit. Ratio est: quia solus panis triticeus communiter usualis dicitur simpliciter panis, alii verò panes non dicuntur panes simpliciter, sed cum addito hordeaceus, avenaceus &c. Deinde licèt alterius generis panes hordeaceus, avènaceus sint communes & usuales in aliquibus Provinciis, id est per accidens propter defectum terræ vel penuriam tritici, quòd si verò eò asportetur triticum; statim panis ex eo confectus recipitur ut usualis & communis, aliisque panibus præfertur, quod signum est, hunc ex natura sua esse usualem & communem apud omnes nationes: alios verò per accidens tantùm.

II. Et usualis.

136 MAteria hujus Sacramenti est solus panis triticeus *usualis*, nimirum accipiendo nomen tritici, non strictè pro illa certa & infima frumenti specie, quàm Germani vocamus Waitzen / sed latiùs pro omni frumento, quòd cum illo tritico strictè sumpto, tam naturâ, quàm communi hominum usu, maximam similitudinem habet, ut omnes fatentur, & mox magis declarabo. Quare hæc esto

137 REGULA GENERALIS. Ex illo solo frumento conficitur certa hujus Sacramenti materia, quod in quavis Regione à peritis certò judicatur esse triticum. Omnis autem alius panis est aut absolutè insufficiens, aut certè materia dubia: quod ipsum sufficit, ut quivis teneatur ab ea sub gravi peccato abstinere: adeò, ut ne quidem in extrema necessitate liceat consecrare materiam dubiam; illam nimirum etiam, de qua inter Authores utrinque probabiliter disceptatur, utrum sit materia valida, nec ne? Ita cum aliis Suarez *disp. 44. de Eucharistia sect. 1.* Alanus, Chappeaville, cum Gobat *Alphab. Sacrif. casu 2. num. 33.* Ratio est: quia cùm hoc Sacramentum omnium dignissimum & sanctissimum sit, nec tamen simpliciter necessarium ad salutem, ideo summâ reverentiâ tractandũ est, ut proinde moraliter nulla sufficiens causa videatur posse occurrere, quæ dubiam sinat materiam adhibere: quanquam id in Baptismo, Sacramento summè necessario, quandóque licitum esse possit. Atque hinc resolves in particulari

138 I. Species illa frumenti Suevici, vulgò Fesen / vel Kehrn / & in aliquibus locis Dünckel vocatum, & latinè communiter *Spelta*, ab aliis *Far*, (ab Adriano Junio *Siligo*, vel triticum siligineum vocatur) & panis ex ea farina confectus, circa contraversiam est apta materia Euchristiæ; cùm sit verè triticum, ac triticum strictè sumptum proximè accedat, imò usu & bonitate excedere dicatur. Quocirca ex eo tritico in iis partibus passim conficiuntur Hostiæ pro Eucharistia: uti observant DD. passim, & nominatim omnes citandi.

139 II. Materia dubia huius Sacramenti, & eò ipsò excludenda, est omnis panis confectus ex aliqua frumenti specie, de quo dubitatur, an sit verum triticum: ut sunt siligo seu secale, germanicè Rocken / item far, vel spelta & similes species frumenti, etsi satis usuales, attamen inferiores tritico, vulgò Kohren. De his enim magna est inter DD. controversia: multi enim affirmant illas esse essentialiter triticum, & differre solùm

solùm accidentaliter ob sterilitatem soli: ideóque panem ex iis confectum esse materiam aptam Eucharistiæ: alii plures negant, dicentes, omnino esse species diversas essentialiter, & longè inferiores tritico, ideóque panem ex iis confectum non esse materiam aptam: & certè prior sententia probabilissima est. Quia in Germania panis siligineus etiam inter honestæ conditionis homines, in ipsis Urbibus, etiam ubi minimè est defectus rei frumentariæ, ubique ferè est in usu, & certè ex siligine bene commolitâ & percolatâ, conficitur panis optimus, qui ipsis etiam Principibus quóque in usu est. Unde illum panem non simpliciter, sed secundùm quid tantùm panem dicere Germanis est plus quàm paradoxum. Ideóque licitè adhiberi, quando non potest haberi alius panis, concedunt Layman. *l. 5. tr. 4. c. 2.* Tannerus *tom. 4. disp. 5. dub. 3. num. 102.* ac Gobat *cit. num. 29.* qui duo tamen meritò requirunt casum urgentis necessitatis; cùm enim res non omnino certa sit, sed dubia & controversa maneat, ideo in praxi adhiberi non debet saltem citra urgentem necessitatem.

140 III. Materia certò inepta & insufficiens ad hoc Sacramentũ est omnis panis confectus ex aliqua frumenti specie, quàm apud omnes constat non esse triticum etiam latè sumptum, utpote panis ex hordeo, avenâ, milio, orizâ, tritico Turcico, seu Indico vel Asiatico, ex ozimo seu fagopyro (vulgò Haydenkohren) & à fortiori, omnis panis confectus ex fructibus arborum, utpote amygdalis, castaneis, nucibus, glandibus, fabis, pisis, &c. secundùm omnes. Tales enim omnes, non sunt panes simpliciter, nec per se usuales, sed tantùm per accidens, ratione sterilitatis vel penuriæ locorum. Quare quamvis Gabriel noster, & alii quidam censuerint, farinam ex hordeo vel avena molitam & pistam validè consecrari; quia tamen hæc sententia jam passim rejicitur ab omnibus, ut saltem sine periculosa temeritate, (ut loquitur *Dicastillus* apud Gobat *cit. n. 32.* asseri nequeat, nedum practicari: ideò si contingeret tempore magnæ famis (prout reverâ non semel factum) in aliquo pago non reperiri aliam farinam, nisi ex hordeo vel avena &c. sine dubio deberet potiùs Parochus die Dominico vel Festo Sacrum omittere, quàm Hostiam ex tali farina confectam adhibere. At quid si complures eò loci periculoso morbo decumbant ex tali esu contracto; an etiam patietur Parochus omnes mori sine viatico potiùs, quàm sequendo sententiam Gabrielis Hostiam ex tali farina adhibeat? Ita omnino volunt *Alanus, Chappeaville* suprà relati, ob rationem initio datam *n. 137.* sed probabiliter permittunt adhibere *Henriquez & Tannerus* apud Gobat *n. 34.* consentientẽ. Ratio esse potest, quòd non videatur agere contra reverentiam tanti Sacramenti, qui sequens judicium doctorum virorum, in tanta necessitate intendit, & tentat procurare salutem proximi. Avertat Deus à nobis necessitatem practicandi hanc sententiam.

141 IV. Si panis confectus sit ex granis diversi generis frumentorum; distinguendum est: siquidem major pars granorum cum notabili excessu, sit materia apta, adhuc censeb tur materia valida: prout patet ex ipso usu loquendi, quò panis simpliciter vocatur triticeus, etiamsi habeat aliquid admixtum alieni frumenti. Quòd si verò major pars granorum cum notabili excessu sit inepta consecrationi, & ipse panis non erit materia sufficiens. Idémque dicendum, si partes sint æquales granorum aptorum, & ineptorum, ut ex communi notat *Tannerus citat.* Quare sine dubio peccat mortaliter, qui consecrat Hostiam confectam ex farina, cujus ferè dimidia, vel saltem valde notabilis pars sit hordeacea, avenacea &c. Nam talis panis non est debita, vel saltem dubia materia hujus Sacramenti: ut notavit etiam S. Thomas *3. p. q. 74. art. 3. ad 3.* Secùs, si valde parum hordei vel alterius frumenti admisceatur. Neque puto, quemquam Theologum esse tam rigidum, ut noxæ lethalis damnet Sacerdotem, qui uteretur Hostiâ, sciens pauca grana hordei esse in ea commolita. Nam ut ait D. Thomas *cit. a. 3. corp.* Ad usum Sacramentorum assumitur talis materia, quæ communiter apud homines in talem usum venit: communissimè autem homines vescuntur pane pisto ex farina non prorsus syncerâ. Quid sentiendum de Hostiis rubris sigillatoriis, mox inferiùs dicam.

III. *Ex farina triticea, & aqua naturali mixtus &c.*

142 I. PAnis triticeus, apta materia consecrationis, debet esse confectus ex farina triticea, & aqua naturali tantùm: alioquin enim non erit panis usualis. Unde non valet, si farina sit subacta aquâ artificiali v. g. rosaceâ, vel alio liquore, ut lacte, butyro, melle, saccaro, vino, &c. Tunc enim non erit panis usualis, sed potiùs habebit rationem libæ, vel tortæ. Si tamen modicum quid de ejusmodi alio liquore admisceatur aquæ naturali, panis inde confectus adhuc esset consecrabilis validè, attamen non licitè: cùm id repugnet Christi institutioni, usui Ecclesiæ, & hujus materiæ puritati. Similiter Hostiæ rubræ, quibus sigillantur litteræ, non sunt materia valida, vel saltem valde dubia, quia per admixtionem cinnaberis notabiliter alterantur, & cessant esse panis usualis: uti notant Diana *p. 7. tract. 12. Resol. 8.* Lugo *de Euchar. disp. 4. sect. 1.* Gobat. *num. 43.* Limitant tamen aliqui nisi valde parùm cinnaberis sit admixtum, tunc probabiliter esse materiam validam, etsi illicitam.

143 II. *Et igne tostus.* Panis porrò confectus ex farina triticea, & aqua naturali, debet esse coctus calore ignis, sive deinde furnò, vel clybano, sive sub cineribus, sive intra ferri calefacti laminas, sive in vase æneo vel fictili calefacto, quæ certè æquivalent vel furno vel clybano: sive alio modo assus vel tostus. Unde non est materia valida pasta, seu massa cruda,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia nondum est panis usualis, sive deinde specie differat à pane cocto, ut vult D. *Thomas*, sive accidentaliter tantùm differat, ut vult *Scotus* & alii. Similiter eadem massa ex farina triticea, & aqua naturali, non tamen solo igne cocta per modum assationis, sed aqua, butyro, oleo elixa vel frixa, non est materia valida, quia similiter non est panis usualis, sed cibus omnino diversus pultis, placentæ &c.

144 III. *Et substantialiter incorruptus.* Sine dubio enim non est materia valida consecrationis panis jam substantialiter corruptus, cujus corruptio substantialis debet attendi ex mutatione accidentium connaturalium panis, coloris, odoris, saporis, an sit facilè resolubilis quasi in cinerem vel pulverem. In dubio autem, an sit corruptus substantialiter nec ne, non debet fieri consecratio ob reverentiam Sacramenti. Panis tamen mucidus & ad corruptionem tendens, manet materia valida, etsi ob eandem irreverentiam gravem Sacramenti, graviter illicita. Multò magis manet materia valida panis bis coctus, cùm non obstante iterata coctione, simpliciter maneat panis usualis.

145 IV. Denique aut invalida, aut certè summè dubia materia est panis ex amydo, vel amylo, quod est medulla, aut quasi lac tritici, sine mola, per macerationem granorum tritici madefactorum expressum: aut enim amydum est alterius speciei à tritico per illam macerationem corrupto, ut ex qualitatibus ejus ostendi videtur, aut certè panis inde confectus non est usualis, sed potiùs medicatus &c. Hactenus omnia ex communi DD. sententia: etsi ubique alii alia sentiant.

IV. *Et in Ecclesia Latina, azymus de præcepto.*

146 I. SAcramentum Eucharistiæ potest validè confici tam in pane azymo, quàm in pane fermentato: adeóque panis verè triticeus, sive azymus sit, sive fermentatus, est valida materia hujus Sacramenti. Certum de fide ex Concilio Florentino in Decreto Unionis. *Definimus in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem.* Ratio est: quia uterque panis triticeus sive azymus, sive fermentatus, est verè, propriè & simpliciter panis, farinâ triticeâ & aquâ naturali confectus, etsi accidentaliter differant. De fermentato non est dubium, cum sit nunc maximè usualis & propriè panis. Etiam azymus in Scriptura absolutè dicitur panis: nam Lucæ 24. in Castello Emmaus Christus dicitur specialiter accepisse panem, qui sine dubio fuit azymus: cùm illo die, (qui fuit unus ex diebus azymorum) nullus panis fermentatus debebat esse in domibus Judæorum.

147 II. Porrò uterque panis est materia satis conveniens huic Sacramento. Fermentatus quidem, quia est communior & usitatior: & quia fermentum mixtum farinæ aptè significat unionem Divinitatis cum Humanitate. Unde Græci eò licitè utuntur, neque ideo sunt Schismatici, quia celebrant in fermentato, sed quia Ecclesiam latinam in azymo celebrantem damnant, definiúntque panem azymum non esse materiam aptam consecrationis: unde Latinos Azymitas vocant, nec in Altaribus suis celebrare sinunt, & si celebrent, quasi prophanata habent. Nec minùs, imò multò magis aptus & conveniens est panis azymus: Tum quia panis azymus est purior, adeóq; aptior ad significandum Christum sine virili semine conceptum, fontem omnis puritatis, & ad significandam puritatem conscientiæ, quam hoc Sacramentum requirit & auget in suscipiente: fermentum autem sæpe significat corruptionem & malitiam 1. Corinth. 5. *Epulemur non in fermento veteri, &c. sed in azymis synceritatis & veritatis:* unde usus Ecclesiæ latinæ longè rationabilior quàm Græcæ: Tum maximè & principaliter, quia ipse Christus in azymo consecravit, ut tenet tota Ecclesia Latina contra Græcos. Nam Christus Pascha & ultimam Cœnam celebravit 14. Lunæ 1. Mensis, qui erat primus dies Azymorum, incipiente usu azymorum ad vesperam, quando non amplius licebat uti fermentato, juxta præscriptum legis *Exod.* 12. Azymos panes 7. diebus comedes, in prima die non erit fermentum in domibus vestris: ergo Christus in ultima Cœna jam usus est azymo, consequenter in azymo consecravit; quia sine dubio Christus servavit legem usque ad finem. Quâ ipsâ ratione refellitur responsio Græcorum, Christum anticipâsse Pascha in diem decimum tertium. Sed de hoc vide Doctores.

148 III. Insuper tam Græcus, quàm Latinus Sacerdos, tenetur sub mortali servare consuetudinem & ritum suæ Ecclesiæ, quando in ea celebrat, ut expressè significat Concilium Florent. proximè allegatum: quia nimirum quilibet obligatur ad legitima præcepta suæ Ecclesiæ, & in re tam gravi, utique sub mortali. Peccat ergo mortaliter Sacerdos latinus in sua Ecclesia consecrans in fermentato (sicut & Græcus consecrans in azymo.) Quin imò tam graviter hoc præceptum obligat, ut non sufficiat necessitas viatici pro moribundo, ut liceat celebrare in fermentato, juxta communem sensum Doctorum. *Sotus, Suarez, Ledesma*, alii passim, & tam constanter, ut P. Thom. Tamburinus *opusc. de communione c. 2. §. 9.* malit permittere & permitti aliquem animâ & corpore perire, quàm sequi oppositam sententiam id concedentem Majoris apud Tannerum *cit. n.* 134. Qui tamen non audet damnare hanc sententiam, seclusò scandalo vel perturbatione. Consentit Gobat *Alph. Sacrif. num.* 42. Consentio & ego, licèt vix videam sine scandalo vel perturbatione practicari posse, ut ex pane communi usuali scindatur frustillum in formam hostiæ, & consecretur. 5. Denique ex communi sensu DD. apud eundem Tannerum *num.* 109. pani azymo consecrando non debet misceri sal. Quid si ergo per errorem admixtus sit? rectè censet Gobat *ibidem n.* 42. non solum in necessitate celebrandi, sed etiam ex libera devotione adhiberi posse pro Sacrificio, quando deest alia Hostia; quia nec ratio, nec lex, nec authoritas vel consuetudo id vetat.

149 IV. Sacerdos latinus transiens per Græciam sicut & Græcus transiens per terras Latinorum, adhuc quivis potest servare ritum suæ propriæ Ecclesiæ: sic enim habet consuetudo recepta etiam Romæ: attamen non tenetur: sed potest Græcus in Ecclesia latina consecrare in azymo, & Latinus in Ecclesia græca in fermentato: ex illa generali Regula, quod Peregrinus possit se accommodare legibus & consuetudinibus propriis loci, ubi degit. Quin imò si Sacerdos latinus fixisset domicilium in Græcia, jam tenetur sequi ritum Ecclesiæ græcæ, sicut in simili casu Sacerdos græcus ritum Ecclesiæ latinæ, nam per domicilium fit Incola, adeóque obligatur ritibus & legibus loci, ubi habitat. Excipe, nisi Latini in terris Græcorum haberent proprium aliquod templum latini ritûs (aut contrà Græci apud Latinos) tunc in illo templo celebrans teneretur servare ritum suæ Ecclesiæ, quandoquidem perinde esset, ac si in sua propria Ecclesia ageret.

§. III.

Quale vinum est materia Sacramenti Eucharistiæ?

150 MAteria necessaria & sufficiens Eucharistiæ est solum vinum vitis: admixtâ ex præcepto modicâ aquâ naturali &c. Omnes, ex Concilio Florentino in Decreto Unionis.

I. Solum vinum vitis.

151 I. SUmitur ex facto Christi, Matth. 26. & Marci 14. post consecrationem calicis dicentis: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.* Et ratio est: quia solum vinum vitis dicitur & est propriè & simpliciter vinum, tam in sacris, prophanisque litteris: quàm communissimâ loquendi consuetudine: & quia hoc vinum calidum est & humidum, aptissimum est ad nutriendum sanguinem, & consequenter eum significandum: & propterea in Scriptura appellatur *Sanguis uvæ.*

152 II. Excluduntur ergo à materia valida consecrationis omnes alii liquores, qui substantialiter non sunt vinum ex vite: utpote 1. Cicera, cerevisia, & omnis liquor vel succus expressus ex aliis fructibus vel herbis, ut pomis, pyris, moris, malogranatis, sive ea dicantur vinum, vel non. 2. Agresta, seu succus ex immaturis uvis expressus, ut omnes consentiunt, & habetur in defectibus Missæ; quia non est vinum, sed in via ad vinum, cujus naturam nondum induit, habétque se sicut massa cruda respectu panis, neque est per modum vini potabile. 3. Lora, quod est vinum secundarium, & liquor ex uvis jam antea expressis, & affusâ aquâ denuò expressus, quia nec substantialiter, nec usualiter vinum est, sed major pars aqua. Quòd si tamen liquor ille ex uvis antea tenuiter pressis, modicâ affusâ aquâ expressus, multum substantiæ vini retineret: esset materia valida, non tamen licita, ob periculum & irreverentiam. 4. Acetum, quod est vinum substantialiter corruptum, & diversæ omnino speciei effectum, ut constat ex ejus effectibus. De vino acido & dubio mox infrà.

153 III. Excluduntur etiam ea, quæ licèt vinum substantialiter contineant, attamen jam non rationem & usum potûs, sed cibi obtinent utpote imprimis sapa, seu defrutum, ad tertiam vel dimidiam partem decoctum, & condensatum: quia non est ampliùs vinum potabile vel potus, sed merus cibus. Idémque (contra *Amicum & Dianam*) censendum videtur de succu expresso ex uvis passis, qui adeò decoctus & siccus est, ut non censeatur ampliùs vinum potabile, sed cibus potiùs dictæ sapæ similis. Deinde uvæ ipsæ vinum continentes non sunt materia valida consecrationis, ut habetur *cap. Didicimus. De consecrat. d.* 2. Tum quia non sunt potus, sed verus cibus, adeò ut earum manducatione jejunium Ecclesiasticum solvi possit: tum quia succus uvis inclusus, non dicitur propriè vinum, nec censetur vinum, donec exprimatur. Et esto, sit substantialiter vinum, antequam exprimatur, adhuc tamen non est consecrabilis, quia eo statu non est ad sensum demonstrabilis, dicendo *hoc est vinum*: Est enim succus ille in uvis tanquam pars, sicut sanguis in homine: adeóque sicut demonstrando hominem, non rectè dicitur: *hic est sanguis*: sic demonstratis uvis, non rectè dicitur: *hoc est vinum.* Eâdemque ratione

154 IV. Ipsum vinum imbibitum in pane non est materia consecrationis: tum quia eo statu non potum, sed cibum potiùs constituit: tum maximè, quia ibi non est demonstrabile ad sensum: non enim absolutè dici potest: *hoc est vinum*: sed potiùs: *hic est panis*: ac propterea panis sic vino imbutus maneret materia apta validæ consecrationis SS. Corporis Christi, ut notat Tamburinus *l. 4 c. 1 § 2 n.* 8.

Quod si verò vinum in pane maneret satis sensibile & eminens, adeóque demonstrabile, non apparet, cur non esset ibi primò consecrabile: validè nimirum: De licito, quis somniet?

II. Et omne vinum vitis.

155 QUodcunque scilicet vinum de vite, sive album, sive rubrum, sive ex utroque mixtum, cujuscunque Regionis vel geniminis: sive naturâ suâ generosum (quod quidem semper convenientius) sive debile, sive ejusmodi vina differant specie inter se; ut censet Aristoteles, sive accidentaliter tantùm) adde etiam miraculosè productum, ut illud à Christo ex aqua factum, in nuptiis Canæ Galilææ: adhuc enim est vinum vitis quoad substantiam, etsi non quoad modum generandi) dummodò sit verè vinum ex natura sua, & per se potabile, atque in specie sua perfectum, est materia valida consecrationis SS. Sanguinis Christi. Certum

Universidad de Deusto
Biblioteca

apud omnes. Ratio est: quia quodlibet, ut supponitur, habet veram & essentialem rationem vini: & nihil est, unde colligi possit, unam potiùs, quàm aliam speciem institutam esse: quin imò ex praxi Ecclesiæ oppositum constat. Semper ergo erit valida materia consecrationis, etsi non semper licita sit, ad hoc enim, ut etiam materia licita sit, debet esse vinum vitis *simplex, & purum, & perfectum.* Et hinc validæ quidem, at per se illicitæ materiæ consecrationis sunt sequentes

156 I. Mustum, id est liquor ex uvis maturis recenter expressus, est materia validæ consecrationis, juxta communem DD. cum D. Thoma *3. p. q. 74. a. 5.* Et habetur *cap. cùm omne crimen de consecrat. d. 2.* Quia scilicet verè & substantialiter vinum & potabile est, licèt nondum defæcatum & purgatum, sed valde impurum, fæcibus permixtum: attamen per se illicita est materia, ob consuetudinem Ecclesiæ, cùm, ut dictum, sit adhuc impurum, & habens admixtas fæces inconsecrabiles. Quare peccaret graviter (*Filliutius & Bonacina* dicunt esse ex suo genere peccatum mortale, *Gavantus*, esse certissimè mortale, apud Gobat *num. 50.*) si quis absque necessitate in musto consecraret: secùs, si adsit necessitas aliqua consecrandi, & desit vetus vinum: uti clarè significat Pontifex *cit. cap. cùm omne*, dicens: *sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur.* Quid si ergo in pago nullum sit vinum, habeat tamen Parochus circa domum suam, pendulas è vite uvas maturas non peccabit, si unam alterámve comprimat pro suo Sacro? Resp. Si Sacrum faciendum sit ex obligatione, utpote die Dominico vel Festo, & maximè pro viatico moribundi, excusabit ipse Pontifex modò allegatus: si ex sola devotione, certè non item, ob rationem datam. Quid ergo sentiendum de consuetudine in multis locis, ut primitiæ uvarum in calice exprimantur pro Sacrificio, aut in Festo transfigurationis Domini, vel S. Laurentii in musto novo ex uvis in cantharo expresso consecretur? R. Et licèt hunc morem reprobent *Suarez, Vasquez*, alij non pauci: attamen ex devotione populi & pia consuetudine excusant *Layman, Tannerus* citati, alii cum Gobat *cit. n. 50. Quia usûs longævi, non est levis authoritas*: inquit iste Pontifex *cap. cùm consuetudinis. Tit. de consuetudinibus.* Eadem erit ratio de alio quovis vino impuro seu fæculento, validè quidem, sed non nisi graviter illicitè consecrabili extra casum urgentis necessitatis. Quo in genere sanè sæpe graviter peccatur ruri per incuriam Parochorum vel ædituorum.

157 II. Vinum acidum vel acescens, cùm adhuc substantialiter sit vinum, etsi tendens ad interitum, seu in acetum jam abire deprehendatur (quod sapore & odore periti facilè discernunt) valida manet materia consecrationis, attamen per se minimè licita, nisi urgente aliquâ necessitate. Placet judicium P. Gobat *cit. num. 54.* „ Vinum aliquantulùm acescens, deficiente alio, „ adhiberem sine scrupulo nixus authoritate „ Suarij, *hic disp. 85. sect. 2.* accensentis leviori„ bus defectibus, si vinum sit aliquantulùm aci„ dum: nixus & praxi satis communi Parochis „ ruralibus: at valde notabiliter acido non uterer. Hæc ille prudenter. Quòd si verò vinum ita sit alteratum, ut discerni nequeat, & verè sit dubium, num adhuc substantialiter vinum, vel acetum sit, nunquam licet in eo consecrare citra gravissimum sacrilegium, ne quidem in necessitate: v. g. ut populus audiat Sacrum die Festo, aut ei detur communio Paschalis, aut moribundo viaticum. Plùs enim urget reverentia tanto Sacramento debita, & certam materiam postulans, quàm præceptum audiendi Sacrum, communicandi in Paschate, aut etiam viaticum sumendi. Quódsi tamen post consecrationem, in sumptione, vel postea dubium incidat, an fuerit vinum vel acetum, esse præsumendum pro vino, quippe quod priùs est, quàm acetum, docet Tamburinus *opusc. pe Sacrif. l. 2. c. 8. §. 5.*

III. Vinum aromatibus conditum, absynthio, 158
cariophyllis, juniperis &c. si quidem ita modicè sit conditum vel permixtum, ut substantiam vini notabiliter & sensibiliter retineat, valida manet materia consecrationis, etsi semper graviter illicita contra præceptum vel consuetudinem Ecclesiæ. Si verò admixtio aromatum vel alterius liquoris sit immodica, ad minimum erit Materia dubia, multòque minùs licitè citra gravissimum sacrilegium consecrabilis. Semper enim timendum est, ne aromata adeò sint valida, ut vinum extrahant, si non ab ipsa substantia vini, saltem à communi denominatione & usu vini sic, ut non possit absolutè dici: *hoc est vinum*; nec pro communi usu vini serviat, sed potiùs rationem alterius potûs, vel mulsi alicujus induat. Similiter discurrendum de vino, aquâ, vel alio liquore permixto: vide suprà *n. 123.*

IV. Vinum congelatum adhuc esse validam 159
materiam consecrationis, validéque consecrari, docet communis DD. sententia. Ratio est: quia, ut omnes Theologi, ac etiam Rubricæ Missalis supponunt, sub speciebus vini post consecrationem primò congelatis permanet Sanguis Christi, & ideo ordinatur in Rubricis, esse liquefaciendum & sumendum ut verum Sacramentum: ergo etiam vinum congelatum primò potuit consecrari. Nam id, quod post consecrationem potest continere Sanguinem Christi, etiam primò est materia consecrabilis, per se loquendo: (nisi deficeret demonstrabilitas, ut de vino pane imbibito suprà dictum, & de minima particula respectu consecrantis non sensibili dicetur infrà) Deinde vinum congelatum adhuc est verum vinum substantialiter, neque enim per congelationem corrumpitur substantialiter, sed accidentaliter tantùm mutatur, quandoquidem postea liquefactum retinet eundem colorem, odorem, saporem, etsi virtute nonnihil diminutâ. Nec obstat: quòd non sit actu & proximè potabile per accidens durante eo statu congelationis, cùm

cùm actualis potatio non sit de essentia hujus Sacramenti: est enim simpliciter per se, & ex natura sua potabile, & de facili per liquefactionem reducitur ad statum proximè potabilis. Alia ratio est de vino adhuc uvis contento, cùm enim non sit vinum simpliciter, per se, & ex natura sua non est potabile, sed comestibile, & magnâ quantitate sumens uvas, jejunium frangeret: at verò vinum congelatum deglutiens simpliciter tantùm biberet ad effectum potationis proprium, & nullo modo comederet, nec in quacunque quantitate jejunium Ecclesiasticum frangeret. Denique alia quóque ratio est de Baptismo. Aqua congelata eô statu sine dubio non est materia valida Baptismi: quia materia proxima & essentialis Baptismi consistit in ablutione, quæ per aquam congelatam fieri nequit. Sacramentum autem Eucharistiæ essentialiter non consistit in sumptione vel potatione, sed est Sacramentum permanens institutum sub speciebus panis & vini per modum cibi & potûs, atqui quemadmodùm panis valde induratus adhuc simpliciter est cibus, ita vinum congelatum adhuc simpliciter est potus, & naturâ suâ potabile, ut dictum. Valida est ergo materia consecrationis vinum congelatum, attamen minimè licita, imò ob contrariam opinionem multorum DD. aliqualiter dubia. Unde graviter peccaret, qui in vino plenè congelato celebraret, tum contra reverentiam Sacramenti adhibendo materiam aliqualiter dubiam, tum, quia faceret contra consuetum Ecclesiæ morem in re gravi. Nullum autem peccatum erit, si vinum congelatum ante consecrationem liquefiat, etsi consultius sit, illud vinum congelatum, ante oblationem præsertim, deponere & aliud sumere, si commode habere possit. Post oblationem verò congelatum, perinde videtur, aut illud liquefacere, aut aliud sumere factâ novâ oblatione tacitâ mentali, quòd Rubricæ indicant. Post consecrationem tandem congelatum, ut sumas, utique priùs liquefacies prunis, panno calefacto, aut alio modo decenti. Quid si potiùs solverem halitu meo? Hunc ruisticissimum, post *Suarez* & alios meritò reprobat & dissuadet Gobat *cit. num. 55.* idque maximè in proposito, post consecrationem dicens. *Sanè malle glaciatum, digito tamen reverenter comminutum* (sicut post *Suarez* exprimit Tamburinus *opusculo de Sacrificio lib. 2. cap. 8. num. 9.*) *sumere, quàm halitu solutum.* Certè Theologi non permittunt vino consecrato misceri vel aquam, vel rem aliam, præter particulam Hostiæ consecratæ.

III. *Admixtâ, de præcepta, modicâ aquâ.*

160 I. Vino consecrando admiscenda est aqua modica. Ita Concil. Florent. *in Decreto Unionis*, & Tridentinum *sess. 22. c. 7.* Pontifices & SS. Patres latè descriptos habes *dist. 2. de Consecratione* per varios Canones. Et Bellarminus *de Sacrificio l. 4. c. 10.* Nobis sufficit Alexander I. Papa, post D. Petrum Sextus, ante annos 1500. Epist. ad omnes Orthodoxos dicens: *Non debet, ut a Patribus accepimus, in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumq; permixtum.* Rationem congruentiæ hujus sacræ cæremoniæ, & mixtionis, triplicem assignant Concilia & Patres communiter: 1. ob factum Christi. Quia juxta testimonium SS. Patrum ipse Christus creditur in vino aquâ mixto consecrâsse. 2. Quia significat & repræsentat Sanguinem & Aquam, quæ de latere Christi profluxerunt. juxta Innocentium III. *c. in quadam de Celebr. Missarum. 3.* Quia, cùm vinum significet DEUM vel Christum, & aqua populum, *Apoc. 17.* mixtio aquæ cum vino significat unionem Ecclesiæ, seu populi Christiani cum Christo Capite, quæ unio est hujus Sacramenti effectus, ut habetur *c. cùm omne de consecrat. d. 2.*

II. Vino consecrando aqua admiscenda est, 161
non necessitate Sacramenti, sed præcepti tantùm, non divini, sed Ecclesiastici, sub mortali tamen obligantis. Explico 1. *Non necessitate Sacramenti*: ut expressè habent Rubricæ Missalis *de defectibus supplendis.* Nam Concilia Florent. & Trident. absolutè definiunt materiam hujus Sacramenti esse vinum de vite: cui aqua admisceri debet: at si aqua admixta esset de necessitate Sacramenti, deberet dici: materiam hujus Sacramenti esse vinum aquâ mixtum, quemadmodùm definiunt materiam Confirmationis esse Chrysma confectum ex oleo & balsamo. 2. *Non necessitate præcepti Divini, sed Ecclesiastici tantùm.* Quia de nullo præcepto Divino constat: & Concil. Tridentin. cit simpliciter dicit: *Præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent. 3. Sub mortali tamen obligantis.* Adeò, ut peccet mortaliter Sacerdos, qui scienter aquam vino non misceret, ut habet communis & certa Theologorum sententia. Quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi, non quidem ratione materiæ secundùm se, sed ratione finis intenti & gravissimorum mysteriorum per illam mixtionem significatorum, ut suprà dictum est. 4. Tandem admixtio hæc aquæ tam necessaria est, ut Theologi non admittant ullum casum, quò liceat inchoare Sacrificium cum præviso defectu aquæ: quàm si oblitus es infundere suo tempore, debes postea defectum supplere, si eum advertas (etiam post consecrationem Hostiæ) ante consecrationem calicis, & non postea ampliùs. Quia ex præcepto Ecclesiæ, *Vino* consecrando miscenda est aqua: atqui ante consecrationem adhuc adest vinum: post consecrationem autem calicis, non ampliùs adest vinum: nihilque non consecratum miscendum est consecrato, ex usu Ecclesiæ latinæ.

IV. *Aqua modica naturalis, &c.*

Vino consecrando miscenda est *aqua naturalis tantùm, & modica; & per modum sacræ Cæremoniæ, ad Altare & in Calice.* Ita omnes. Explico:

I. *Aqua naturalis tantùm.* Adeò, ut licèt 162
validè

Universidad de Deusto
Biblioteca

validè consecraret, peccaret tamen mortaliter, qui misceret aquam rosaceam, vel aliam artificialem, etiam in necessitate, quæ tamen vix contingere posse videtur, uti cum D. Thom. aliisque communiter docet Diana *p. 6. tract. 7. Resol. 18.* ubi meritò nimis duram censet sententiam aliquorum opinantium, mortale etiam esse, admiscere aquam calidam: addens, si in præfrigida aliqua regione consuetudo esse talis, ne vinum fortè congeletur: nullum fore peccatum. Hoc ergo bene credo. Sed tu cogita, an suppositum sit satis physicum, & experimentale.

163 II. *Aqua modica.* Concilium Florentinum determinat *modicissimam.* Communis DD. sententia & sufficere *minimam quantitatem.* Suarez & alij affirmant, certum esse, sufficere *quamlibet guttulam*, dummodò satis sit sensibilis: quia est vera aqua, & sufficiens ad totam significationem mysticam ac imitationem Christi. vide *numero* 180. Non tamen in hoc scrupulosè agendum est, dummodò quantitas aquæ admixtæ tertiam partem vini non excedat, quia alioquin redderet materiam dubiam ob periculum corrumpendi substantiam vini, præsertim tenuis & non multùm meraci. Adde, quòd per notabilem excessum vini super aquam, significetur eminentia majestatis Christi suprà populum. Sed de hac aquæ quantitate, vide omnino Gobat *cit. Alph. Sacrif. a num.* 60. latè & practicè suo more differentem.

164 III. Debet aqua admisceri vino cæremonialiter *ad Altare in ipso calice vini*, per modum cæremoniæ sacræ ad ipsum Sacrificij ritum spectantis: uti constat ex praxi Ecclesiæ ita præscribentis, atque ex ipso Tridentino *cit. sess. 22. c. 7.* Idque fieri debet ab ipso Sacerdote in Missa privata, aut à Subdiacono in Missa solemni, juxta præscriptum ritum Ecclesiæ in Rubricis. Non ergo sufficit admixtionem aquæ cum vino priùs factam esse in urceolo, cantharo, alio vase, vel dolio à caupone more ipsis solito: alioquin valde sæpe non opus esset, hanc admixtionem aquæ fieri in Altari. Tandem observat Dicastillus apud Gobat *num. 59. fine.* non esse reprehendendos eos, qui ex privilegio, aut consuetudine Ordinis miscent aquam vino ante Sacrum inchoatum: præsertim cæremonialiter in ipso Altari.

℣. Sed nunquid curiosè Tyro, etiam libenter nosses, quid istâ aquâ vino mixtâ, fiat in consecratione, an ipsa quóque convertatur in Sanguinem Christi? Non moralis & practica, sed speculativa & Scholastica est quæstio ista, tamen ne tristis abeas, accipe sensum meum compendio.

165 IV. Aqua vino admixta in consecratione, convertitur in Sanguinem Christi, non immediatè: quia aqua ut sic, non est immediatè consecrabilis (alioquin aqua esset æquè materia Eucharistiæ, ac vinum: posséntque ambæ seorsim consecrari) sed mediatè tantùm, quatenus aqua modica admixta vino virtute ejus priùs convertitur in vinum, & sic jam vinum factum, per consecrationem in Sanguinem Christi: uti contra RR. docet communissima Theologorum cum D. *Thoma, Scoto, Bonaventura, &c.* Quòd si ergo aqua ante consecrationem non convertatur in vinum, utpote quia immediatè ante consecrationem admixta est, vel in majori quantitate, ut tam citò virtute vini, præsertim debilioris, converti non potuerit: manebit sanè post consecrationem aqua illa inconversa admixta speciebus vini consecrati & Sanguinis Christi: neque tunc falsam reddet formam: *Hic est Sanguis meus*: sicut nec musca, nec guttula alterius liquoris cadens in calicem: & sicut nec granum hordei v. g. admixtum pani tritceo falsam reddit formam consecrationis panis. Quia pronomen *hoc & hic*, capienda sunt, non mathematicè, sed moraliter, denominatione desumptâ à potiori. Neque illa aqua admixta manens impediet adorationem calicis. Nam totum & solum in calice consecratum adoratur, non omne simpliciter, quod in eo est. Primario & absoluto cultu Latriæ adoratur Christus sub speciebus contentus. Secundario & cultu Latriæ respectivo coadorantur species, tanquam signum continens Christum. Per accidens solum adoratur calix per modum vestis regii adorati, alia per accidens in calice permixta nullo modo adorantur. Nec denique timendum, ne per illam aquam admixtam permanentem frangatur jejunium naturale, adeò, ut Sacerdos in nocte Natalis Domini sub primo Sacro sumens calicem cum illa aqua adhuc manente, non posset amplius celebrare secundum & tertium Sacrum. Cum enim aqua admiscenda sit ex præcepto Ecclesiæ, & sumptio sit de præcepto divino; hoc ipsum cessabit, & consequenter non violabitur præceptum Ecclesiasticum jejunii naturalis, quando una cum speciebus Sanguinis per modum unius potùs sumeretur illa aqua admixta, adhuc inconversa. Denique fallax & vana est experientia, quod aqua calici admixta, post consecrationem possit denuò extrahi per juncum, vel alio modo: nisi fortè in hoc ipso casu concesso.

§. IV.

Quas conditiones requirit materia consecranda?

166 *Materia consecranda (panis & vinum) ut validè consecretur, duas conditiones requirit: una est, ut sit materia certa & determinata in individuo ex intentione consecrantis: altera est, ut eidem consecranti sit moraliter & sensibiliter præsens. Quare validè consecrari potest in quacunque quantitate, modicâ vel magnâ, sensibili, & ad sensum demonstrabili: at licitè, non nisi in quantitate modica conveniente fini, usui, & reverentiæ tanti Sacramenti.* Ita omnes Theologi. Ratio est: quia in forma consecrationis: *Hoc est Corpus meum. hic est Sanguis meus*: pronomina demonstrativa, *hoc*, & *hic*, omnino significant materiam certam & determinatam in individuo, & moraliter præsentem consecranti: res

res enim indeterminatè & in confuso concepta, aut omnino absens Consecranti, aut certè eidem non sensibilis, non potest ab eo verè demonstrari per pronomina demonstrativa, *hoc est: hic est*: ergo materia validè consecranda debet esse

I. *Certa & determinata in individuo, ex intentione Consecrantis.*

167 ITa nimirum, ut Consecrantis intentio vel actualis, vel virtualis, verè tendat in hanc certam & determinatam in individuo materiam, hunc panem, hoc vinum. Ab hac enim intentione Sacerdotis res tota essentialiter pendet. ℣. Quare ad tollendos scrupulos & anxietates, & dubietates in hac re frequentissimas, consultissimum est, ut Sacerdos ante, vel in ipsa Missa, aut semel pro semper expresè dicat, esse suam intentionem consecrandi omnem materiam præsentem, licitè & debitè consecrabilem, quæ ipsi tempore consecrationis præsens erit, & quam juxta intentionem Ecclesiæ deberet hic & nunc consecrare. Quâ intentione positâ, si contingat, ut sive in tuis manibus pro te, sive in corporali pro communicaturis, post consecrationem reperias plures Hostias, quàm putaveras, ne ambigas, quin omnes sint conversæ in Corpus Christi. Et præter rationem communem jam datam: Ratio specialis est: Quia Consecrans suâ intentione debet operari practicè, & conficere velle aliquid: actiones autem sunt circa singularia vel determinata: unde si Consecrans suâ intentione feratur circa materiam confusam & indeterminatam, nihil efficiet. Jam declaro latius per casus quanquàm de hoc etiam dixerim *in prima parte c. 2. à num.* 132.

168 I. Invalida est consecratio 1. Si Sacerdos intenderet consecrare solùm mediam vel tertiam partem suæ hostiæ, nullam designando aut solùm partes illas, quæ mansuræ sunt continuæ post fractam Hostiam, non verò eas, quæ excident: quia non est materia determinata ex intentione consecrantis. 2. Si ex integro cumulo hostiarum, vel ex multis hostiis 20. v. g. intenderet consecrare solùm quinque vel sex, aut mediam vel tertiam partem in confuso: tunc enim nulla esset consecrata, quia non esset major ratio, cur hæ hostiæ potiùs essent consecratæ, quàm aliæ. 3. Si Sacerdos ex multis hostiis intenderet solùm consecrare illas, quas DEUS vel Titius determinabit post consecrationem; secundùm omnes. Quia nondum adest materia determinata, & Sacramenti effectus non potest dependere ab eventu vel conditione futura, ut *in prima parte loco citato dictum.* 4. Quin imò nec valebit consecratio, si intenderes consecrare illas hostias, quas Deus, vel Titius jam determinavit: ut contra *Coninck* rectè docent *Vasquez*, & alij cum Tamburino *cit. opusc. de Sacrificio l. 4. c. 11. n. 11.* Nisi enim Dei vel Titii voluntas & determinatio nota sit Sacerdoti, non potest Sacerdos per pronomen, *Hoc* demonstrare, quas Hostias vel partes Hostiarum consecret. Contrà valida (at certè illicita, nugatoria, & reverentiæ tanti Sacramenti repugnans) esset consecratio, si Sacerdos ex pluribus hostiis præsentibus intenderet consecrare tantùm quinque vel sex, eas ipse designando: vel omnes præter supremam & infimam cumuli; aut omnes pares, secundam, quartam, sextam, si ordine collocatæ sint, & determinetur, unde initium numerandi sumendum sit. Quòd si eo casu hostiæ non consecratæ commisceantur cum consecratis, ita ut discerni nequeant, totus cumulus ad Altare deferendus, & iterum consecrandus est, non absolutè, quia sic caderet consecratio super jam consecratas, quod esset sacrilegium: sed limitatè, cum intentione consecrandi eas tantùm, quæ consecratæ non sunt, ut cum *Diana* & aliis sentit *Tamburinus cit. n. 12.* aut faciliùs, consecrando cumulum sub conditione, si hostiæ non sint consecratæ, ut placet Lugo *De Eucharistia disp. 4. n. 136.* Qui tandem consulit, totum illum cumulum esse asservandum, donec corrumpatur.

II. Non consecrantur hostiæ positæ super 169
Altare (etiam super corporale) omnino inscio Sacerdote, sejunctæ à cumulo aliàs consecrando: quia nimirum illæ hostiæ nullo modo sunt intentæ vel determinatæ in mente Sacerdotis, cujus voluntas & intentio non potest ferri in incognitum. At contrà, quando Sacerdos ipsemet plures hostias consecrandas ad Altare posuit (& maximè si in Offertorio jam obtulit) aut ipso jubente vel volente, alius attulit & reposuit, aut saltem rationabiliter advertit ab alio afferri consecrandas, aut ab alio monitus fuit de consecrandis particulis jam in Altari repositis (dummodò saltem tempore consecrationis sint super corporale positæ, vel in vase sacro repositæ) etiamsi earum particularum tempore consecrationis, vel etiam oblationis minimè recordetur, nec eas videat, adhuc tamen eas omnes validè consecrat. Ex communi Layman *lib. 5. tract. 4. c. 2. n. 14.* Gobat *casu 3. n. 85.* Quia intentio expressa vel implicita eas consecrandi antea habita, adhuc virtualiter perseverat, & illæ particulæ debitam præsentiam ad validam & licitam consecrationem habent, ut supponitur; nimirum tempore consecrationis repositæ super corporale, vel in vase sacro. Nam si eo casu, Sacerdote non amplius recordante, particulæ mansissent repositæ in Altari extra corporale, vel in vase non sacro, ligneo, stanneo &c. regulariter illæ particulæ non consecrarentur, juxta communem DD. *Suarez, Tanner.* aliósque citans Diana *p. 5. tract. 2. Resol. 19.* Tamburinus *opusc. de Sacrificio l. 2. c. 3.* Ratio est: quia regulariter omnis boni Sacerdotis intentio est, & debet esse, & semper supponitur fuisse solùm consecrare, quidquid est à se consecrabile licitè sine peccato; nemo enim, præsertim in tam sancto ministerio præsumitur velle agere illicitè, seu peccare: atqui particulæ extra corporale, vel in vase non sacro positæ, non sunt licitè consecrabiles, ob reverentiam Sacramenti, & contrariam ordinationem Ecclesiæ: ergo inten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

intentio Sacerdotis, non se extendit ad illas sic positas consecrandas, & consequenter non consecrabuntur. Atque ita respondi alicubi in facti contingentia: quandoquidem Superior pro summo Sacro ipsemet jusserat particulas pro populo consecrandas ad Altare portari, utique cum intentione illas consecrandi: detulit Acolythus in scatula lignea, & prope extremum candelabrum reposuit in Altari, ibique remanserunt toto tempore, Superiore non amplius recordante. Respondi, inquam, non fuisse consecratas ob dictam rationem: ob scrupulos tamen permisi postea consecrari sub conditione, si consecratæ non sint. Quia tamen probabiliter dici potest, Ecclesiam permittere in tali casu inadvertentiæ, ut intentio Sacerdotis extendatur ad tales hostias, ideo posse eas, absque nova consecratione præberi fidelibus in casu manifestæ necessitatis, censent *Tannerus & Gobat cit. n. 88.* atque etiam extra casum necessitatis id permittunt *Gamachæus & Præpositus* apud *Dianam* citatum. Et certè *Layman loc. cit.* universaliter testatur, esse intentionem & praxin Ecclesiæ, ut si Sacerdos tempore oblationis non recordatur hostiarum appositarum, vel tempore consecrationis immemor sit oblatarum, censeantur nihilominus consecratæ, dummodò habuerit virtualem saltem intentionem eas consecrandi, juxta modos suprà positos. Sic Layman nihil restringens ad positas suprà corporale vel arulam. Sed ego maneo in priori sententia, & denuò sub conditione consecrandas censeo ante distributionem.

Cæterùm, si eo casu Sacerdos haberet intentionem consecrandi quidquid ab eo validè consecrabile est, sive licitè, sive illicitè, eo ipso quidem peccaret, attamen hostias ita positas validè consecraret, quia jam antea retentæ retinent moralem præsentiam sufficientem, ut supponitur. Talis tamen intentio, ut dixi, *regulariter* non præsumitur, & utique illicita est, quemadmodùm Layman *cit.* & alii etiam illicitam censent, si ita statueret, nolo consecrare ullas hostias appositas, nisi tempore consecrationis, vel saltem oblationis memor fuero, quia conditionem non necessariam & inutilem apponit, quamvis Tamburinus citatus, in hoc nullum peccatum agnoscat.

170 *Y.* Huc incidenter spectat, quod Rubricæ Missalis præscribunt, hostias pro communicantibus consecrandas debere poni super corporale vel arulam ante Offertorium: attamen adhuc eas licitè consecrari, si afferantur paulo post Offertorium, cum oblatione mentali, modò adsint ante Præfationem, docent Diana *p. 2. tract. 14. Resol. 71.* Gavantus apud ipsum, & Busenbaum *Tract. 3. c. 1. dub. 5. in fine.* Et quidni etiam, modò adsint ante consecrationem? omnino concedunt Tamburinus *cit. l. 2. c. 5. §. 2.* & Gobat *cit. n. 96.* Qui addit: si unus tantùm dimittendus esset sine Communione, se tunc non amplius pro ipso consecraturum peculiarem hostiam, sed dissringerem, ait, particulam à mea grandiori, ipsique porrigerem, secutus arbitrium Gavanti; & tu tutò fac similiter. *Y.* Consecravi semel Ciborium plenum particulis: & mox factâ consecratione, alius Sacerdos aufert ad communicandum populum: an rectè & citra peccatum? Resp. Citra peccatum mortale quidem, at certè non sine veniali indecentia, nisi urgeat necessitas aliqua tam citò communicandi alios: est enim aliqua deordinatio, si super illas particulas non fiant Signa, Cruces, Benedictiones præscriptæ in Missali. Ita post alios Lugo *disp. 10. sect. 2.* Tamburinus & Gobat *citati.*

III. Valida regulariter est consecratio, quando 171
Sacerdos consecrans habet in manibus duas hostias compactas, putans esse unam tantùm, aut si putat hostias à se, vel ab alio appositas ad consecrandum, esse tantùm tres, cùm tamen sint quatuor, Communis DD. Ratio est: quia regulariter intentio Consecrantis solet esse, imò semper deberet esse, consecrandi totam materiam præsentem, quam in manibus tenet vel in corporali propositam habet. Error autem speculativus & privatus non obstat intentioni practicæ & absolutæ consecrandi omnem materiam præsentem, quam tanquam Ecclesiæ consuetudini conformem quisque censetur habere implicitè. Unde si Sacerdos advertat post consecrationem esse duas Hostias simul junctas, utramque ut consecratam sumat, ut habet Missale. Si verò ante consecrationem post oblationem factam advertat, alteram reponat, & post Missam ipse vel alius sumat tanquam panem benedictum. Quòd si tamen eo casu Criticus quispiam expressè & determinatè intenderet consecrare tantùm unam hostiam, cùm tamen sint duæ, aut tantùm tres particulas, cùm tamen sint quatuor, omnino neutram vel nullam consecrabit: quia semper non erit major ratio de una, quàm de altera: quamvis aliqui putent, tunc ex duabus majoribus hostiis compactis, consecrandam majorem, quæ erat in conspectu Sacerdotis, idque maximè si majori minor particula esset appacta à tergo.

IV. Consecrato calice, non consecrantur gut- 172
tulæ vini exteriùs calici aspersæ & adhærentes: quia minimè à Consecrante intenduntur: & si quis intenderet eas consecrare, consecraret utique validè, utpote materiam sensibilem satis præsentem, & ex intentione determinatam: attamen peccaret graviter contra reverentiam Sacramenti. Similiter & guttulas vini calici interiùs adhærentes separatim à vino in fundo congregato, siquidem Sacerdos habuisset intentionem consecrandi, quidquid est in calice validè consecrabile, validè consecrari non est dubium. Et verò etiam absolutè eas semper consecrari (nisi Sacerdos habuisset contrariam intentionem) valde probabiliter defendunt Tannerus & Dicastillus apud Gobat *num. 89.* eò, quòd non requiratur physica conjunctio materiæ consecrandæ. Contrà verò, si habuisti intentionem solitam & debitam consecrandi solùm, quicquid est licitè & decenter consecrabile juxta morem Ecclesiæ, longè verius est, eas non consecrari. Ita Suarez, Reginaldus, aliisque citatis Layman *eodem l. 5. tract. 4. c. 2. n. 15.* Ratio est: quia intentio Ecclesiæ censetur esse, & intentio Sacerdotis debet esse, consecrare solum liquorem, qui per modum unius continui potabilis, tempore consecrationis est in calice congregatus: certè intentio consecrandi solùm id, quod est in calice licitè consecrabile, non videtur rationabiliter se extendere posse ad illas guttulas. Addit Escobar *Tract. 7. Exam. 6.* Sacerdotem vi ipsius particulæ, *Hic est calix Sanguinis mei*, tantùm intendere consecrare id, quod per modum unius continui potabilis est in calice, ideóque guttulas illas non consecrari; nec opus esse, sollicitum esse Sacerdotem de iis abstergendis: & optimè faciet Sacerdos, si semel pro semper intendat illas guttulas, sicut & micas Hostiæ adhærentes, nunquam consecrare. Aut pro majori securitate, juxta communem DD. monitionem & praxin, illas guttulas animadversas ante consecrationem, imò statim post infusionem, purificatorio abstergę; aut maximè si serò & proximè consecraturus advertas, circumacto vino, quod est in calice, cum illo uni, ut rectè consulit Gavant apud Gobat *cit. casu 2. n. 64.* Cæterùm non abstergentem peccare, meritò negat Tamburinus *citat. opusc. de Sacrif. l. 2. cap. §. 3. n. 19.* addens, nec expedire, ut eas abstergat, si primò advertat jamjam consecraturus ad *simili modo.* Post consecrationem autem nullo modo sunt abstergendæ, tum quia sine periculo irreverentiæ fieri vix poterit, tum quia fortè consecratæ sunt, quare admoto reliquo vino consecrato uniendæ sunt ante sumptionem, aut saltem in prima ablutione.

II. *Materia sit moraliter & sensibiliter præsens Consecranti.*

173 I. REgula hic communis est. Ad validam consecrationem requiritur & sufficit, quòd materia consecranda, (panis & vinum) sit ita vicina Consecranti, ut moraliter prudenti hominum judicio, censeatur ei præsens per pronomina *Hoc*, & *Hic*, sufficienter demonstrari: sic nimirum, ut illi articuli retineant suum proprium sensum; & non potiùs dicendum sit, *illud*, vel *ille*: quas particulas à valida consecratione meritò rejicit Vasquez *hic disp. 171. cap. 4. §.* Ad licitam autem consecrationem requiritur, ut materia consecranda sit aut in manibus Consecrantis, uti est hostia major Sacrificii, aut in Altari consecrato super corporale, vel in vase sacro ordinario continente, & aperto, utpote vinum in calice, particulæ consecrandæ in Ciborio, pixide, vel calice apertis: adeò ut servando morem & ordinationem Ecclesiæ, omne dubium sufficientis præsentiæ omnino evitetur: ut proinde omnium consensu, graviter peccaret, qui scienter calicem consecrandum, vel vas, in quo hostiæ consecrandæ continentur, non aperiret, aut consecraret materiam extra corporale, in vase non sacro, aut extra Altare &c. Jam pergamus quoad valorem, cùm de licito nulla sit difficultas.

II. Ad validam consecrationem non requiri- 174
tur, ut materia consecranda à Consecrante actu videatur, manu tangatur, alióve sensu percipiatur, aut verborum consecrationis sono eò usque pertingente feriatur. Nec probatur praxis eorum, qui ridiculè os proximè admovent, ut anhelando halitum in panem vel calicem inspirent &c. Quia hæc omnia impertinentia sunt ad hoc, ut materia sit moraliter & sensibiliter præsens, & sine illis sufficienter possit fieri demonstratio ad sensum per pronomina *Hoc & Hic.* Imò juxta praxin Ecclesiæ rectè consecrantur Hostiæ in calice, vel in cumulo super Corporale congestæ omnes, etsi inferiores nec videri, nec tangi, nec sono verborum aut halitu feriri possint, censentur tamen satis præsentes & demonstrabiles ad sensum per superiores particulas ratione inferiorum magis elevatas. Communis apud *Layman, Tannerum, Tamburinum*, Gobat *ll. cc.* Unde suppositâ semper intentione consecrantis se eò usque actu vel virtute extendente validè consecratur vinum in calice non detecto, particulæ in Ciborio, vel pixide clausis, vel tectis, etsi illicitè: imò etiam vinum in cantharo, vel vase, panis in canistro clauso, etsi magis illicitè. Ratio est: quasi sic illa materia adhuc est moraliter satis præsens ratione sui ordinarij continentis, in quo à Sacerdote, vel, eo sciente, & volente, ab alio, loco congruo est posita cum intentione illam consecrandi. Nam tunc continens & contentum demonstratur per formam: *Hoc est: Hic est, &c.* per modum unius: sicut solemus dicere de loculis clausis cum pecunia: *hoc est aurum, argentum &c.* & de poculo clauso vini: *hoc est vinum.* Quare ob moralem certitudinem, propter communem DD. sententiam apud suprà citatos, non est iteranda consecratio, si per oblivionem vas continens particulas sub consecratione non detectum, sed tectum vel clausum manserit.

III. Quoad interpositionem alterius corporis 175
inter Consecrantem & materiam consecrandam, placet regula Suarii. *Quòd si corpus interponatur per modum ordinarii continentis vel tegentis, valet Consecratio.* Ut in exemplis modò allatis: *Secùs, si corpus interponatur per modum dividentis vel separantis.* Unde non valet consecratio, si materia consecranda existat post parietem, retrò Altare, aut retrò tergum Sacerdotis, sic enim verè moraliter materia esset divisa à Sacerdote, nec ita præsens, ut possit demonstrari per pronomen *Hoc.* Quòd si tamen materia à tergo manu teneatur, vel designetur, aut facie aversâ aspiciatur, non videtur irrita consecratio, sed sufficienter demonstrari. *Suarez, Vasquez, Tannerus*, alii. Hostia conscio Sacerdote latens sub corporali immediatè, videtur validè consecrari, est enim sub ordinario tegente, & sufficienter demonstratur: at latens sub mappa Altaris, vel in Missali, sub cussino, &c. an validè consecretur, valde dubium est. Affirmant *Suarez & alii cum Bonacina hic.* Sed rectiùs videntur negare *Vasquez & alii cum Layman libr. 5. tr. 4. c. 2.* Non enim censetur

Universidad de Deusto
Biblioteca

sufficienter præsens & demonstrabilis per pronomen *Hoc*: unde saltem ob dubium gravissimè peccaret, qui sic latentes consecraret. Similiter validè consecraretur hostia vel materia existens in Tabernaculo, vel Sacrario aperto: nunquid etiam in clauso? *Coninck*, & alij communiùs rectè negant, & æquiparant tabernaculum clausum parieti dividenti: aliqui tamen apud Tamburinum *cit. c. 2. n. 7.* affirmant, æquiparántque tabernaculum clausum pixidi clausæ, & esse velut vas magnum continens, adeóq; eo demonstrato sufficienter demonstrari materiam in eo contentam per pronomen *Hoc*: Lugo verò *cit. disp. 4. num. 123.* rem sub dubio relinquit, ideóque omnimodis cavendam in praxi.

176 IV. Invalidè sine dubio consecraretur materia valde distans, v. g. per centum passus vel ultrà, etiamsi tam procul videri possit: nam tam procul posita non potest verè demonstrari per pronomen *Hoc*. Quanta autem propinquitas requiratur ad validam consecrationem, dubium est, & ex morali prudentum judicio pendet. Sotus apud Tamburinum *cit. num. 8.* censet certum esse, hostiam posse consecrari, si distet à Confecrante per decem passus: at si distet per triginta passus, esse dubium. Et quamvis id non dubium, sed certum putent aliqui: *Bonacina* tamen & *Tamburinus cit.* meritò censent incertissimum esse: & ego puto, Non enim video, quâ ratione res à me per 30. passus distans ita sit mihi præsens, ut de illa verè possim dicere & demonstrare: *Hæc res* vel *Hoc est.* Denique etiam requiritur, ut tota materia consecranda & secundùm omnes partes consecrabiles sit ita moraliter propinqua & præsens Consecranti: nam sicut nobis non est præsens totus aër, & navigantibus totum mare, ita si totum mare converteretur in vinum, & tantùm spatium esset plenum pane, non posset tanta quantitas tota consecrari ab uno simul: sed consecraretur solùm ea quantitas, quam vel Consecrans verè demonstraret, vel quam Deus ipsi moraliter præsentem videt: nam vasta quantitas non potest censeri tota præsens uni ratione unius respectivè tam modicæ partis v. gr. (ponamus) tringinta passuum. Communior cum *Suarez.* Oppositum tamen docet *Vasquez.* *Lugo* autem *cit.* rursus sub dubio relinquit. Et hinc consequenter dixi

III. *Validè consecrari potest materia in quacunque quantitate, modicâ, vel magnâ, sensibili, & ad sensum demonstrabili.*

177 I. Quæcunque magnitudo vel multitudo panis & vini potest validè Consecrari, dummodò tota sit sufficienter præsens consecranti, ut simpliciter possit demonstrari ad sensum per ly *Hoc*. Communis DD. contra nonnullos antiquos. Ratio est: quia panis & vinum in quacunque magnitudine vel multitudine est verus panis & verum vinum substantialiter & usualiter, adeóque materia naturâ suâ consecrabilis; neque ex ullo capite certa quantitas, magnitudo, vel multitudo determinatur: non enim ex institutione: quia potestas consecrandi absolutè & indefinitè à Christo concessa est Sacerdotibus, absque ulla limitatione ad certum terminum: neque ex forma consecrationis: quia & hæc ex se apta est cadere supra quamcunque materiam consecrabilem saltem moraliter præsentem & demonstrabilem per ly *Hoc*. Neque ex intentione Ministri, quia & ista potest extendi ad quamcunque materiam. Nec denique obstat malitia Ministri, & inconvenientia, ex qua consecratio tantæ materiæ, v. g. panis totius officinæ, vinum integri plaustri, &c. inutilis planè, inepta ad finem institutionis, seu usum sacramentalem, & injuriosa Sacramento fieret: non enim omne inconveniens invalidat Sacramentum. Certè maximè inconveniens & injuriosum Sacramento esset consecrare hostiam ad usum magicum; vel ad eam conculcandam, comburendam: &c. & tamen consecratio valeret. ergo &c. Dixi autem *validè*. Nam licitè sine dubio non potest consecrari quæcunque quantitas panis & vini: corbatim, vel plaustratim: cùm tanta quantitas nec cum debita reverentia asservari, nec juxta ritum Ecclesiæ dispensari possit. Ad licitam ergo consecrationem requiritur, ut non sit major quantitas, quàm tempore opportuno possit absumi, quia periculum esset, ne species computrescerent. 178

II. Quæcunque etiam minima pars, micula, guttula, panis & vini potest validè consecrari, dummodò humano sensu sit verè sensibilis, ac substantiam panis & vini verè contineat: secundùm omnes. Tunc verè erit panis & vinum sufficienter demonstrabilis ad sensum per ly *Hoc*. Non autem validè consecrari posset materia panis & vini tam minutissima, ut simpliciter sensu percipi non possit. cùm talis non possit ad sensum demonstrari per ly *Hoc*, & universim Sacramentum essentialiter sit signum sensibile: adeóque requirat materiam sensibilem: quòd si verò talis materia esset naturaliter quidem insensibilis, adhuc tamen validè posset consecrari, si visus Sacerdotis supernaturaliter elevaretur ad illam videndam, adeóque demonstrandam per ly *Hoc*: quemadmodùm etiam de facto consecratur conjuncta hostiæ, vel materiæ sensibili. Quòd si autem talis materia simpliciter quidem esset sensibilis naturaliter, at non respectu Sacerdotis consecrantis, non posse validè consecrari, (contra Lugo *cit. num. 116.*) probabilius docent *Vasquez.* & alij apud Tamburinum *cit. c. 1. §. 1. n. 12.* Quia non poterit tunc eam demonstrare Sacerdos per ly *Hoc*, cùm ipsi non sit sensibilis. Loquimur enim de tali particula separata. Nam quæcunque minima simpliciter sensibilis conjuncta toti materiæ sensibili, utique validè consecratur, & etiam, postea separata, consecrata manet, dummodò speciem panis & vini retineat, ut definit Tridentinum, inde tamen non sequitur, sic separatam posse primò consecrari: nam ad Sacramentum in facto esse sufficit materiam simpliciter quocunque modo esse sensibilem, ad actualem autem consecrationem requiritur, ita esse sensibilem, ut actu ad sensum possit demonstrari. Dixi rursus *validè*.

IV. *At licitè nonnisi in quantitate modica, conveniente fini, usui, & reverentiæ tanti Sacramenti.*

179 I. Ad licitam nimirum consecrationem requiritur ea quantitas panis & vini, quæ tanquam conveniens fini institutionis, usui, & reverentiæ tanti Sacramenti & Sacrificij ab Ecclesia præscripta & usurpata est. Nimirum ut materia panis sit figuræ rotundæ (in Ecclesia latina) major pro usu Sacrificij, ut elevata à populo videri commodè, & decenter sumi possit. Cæterùm in defectu majoris Hostiæ, etiam in minori licere celebrare privatim, imò & publicè, si causa urgeat; & scandalum absit, rectè docent *Diana, Marchantius*, alij cum Tamburino *opusculo de Sacrificio l. 2. c. 8.* Eò quòd hìc nullum obstet præceptum, nec constet de consuetudine obligante sub præcepto. Eò casu, ad vitandum scandalum populi licere quidem consecrare & sumere minorem: & tamen elevare majorem jam ab alio præconsecratam, vult idem *Tamburinus ibid.* Sed mihi probabiliùs negant *Diana, Marchant. Gobat, alij.* Quia tunc populus deciperetur, qui credit se adorare Hostiam præsentis Sacrificij. Liceret tamen eò casu sumere minorem Hostiam tunc consecratam, & majorem simul consecratam, quam unicam haberet, reponere pro Hierotheca. Minimè verò liceret eo casu majorem reponere, & minorem aliquam jam antea, vel ab alio consecratam sumere. Quia sacrificans debet participare de suo hoc præsenti Sacrificio, ut contra *Fagundez.* optimè & nervosè probat Lugo de *Eucharistia d. 19. sect. 5.*

180 II. Similiter quantitas vini licitè & decenter consecrabilis, omnium sensu ita debet esse modica, ut brevi ductu facilè & decenter hauriri possit: & placet communis suasio & praxis piorum, in mediocri calice infundendum ad latitudinem circiter thaleri. Sic enim ex una parte abest periculum, ne facilè casu affundatur nimis multum aquæ, & materia reddatur dubia, ideóque rursus indecorè vinum superfundi debeat; ex altera autem parte, sic faciliùs debito modo purificatur calix, minúsque timendum est, tum ne sacer Sanguis defluat in barbam, vel etiam in patenam, tum ne furtim subrepat, placeátque dolosa ac sensualis voluptas, quam naturaliter provocat suavitas specierum vini boni consecrati.

¶. Scrupulum jam mihi injecisti. Ego enim, quando adverto bonum, suave ac Theologicum esse vinum, liberaliter infundere soleo, ac sanè longè plùs, quàm tu consulas. At quando scio vinum esse Laurentij Surij, parcus admodùm sum, & vix quantitatem à te consultam attingo. Annè ergo pecco? Certè, qui te à veniali irreverentis gulæ vitio excuset, si ita facias ad captandam delectationem sensualem in sacro epulo, scio neminem: In ablutione faciliùs transiret. At ex eo præcisè, quòd minùs affundas, quia non sapit vinum, nullum peccatum meritò agnoscunt Tamburinus *cit. l. 2. c. 5. §. 1. n. 10. 11.* & Gobat *Casu 2. num. 52.* nisi fortè actuali affectu (non habituali solùm dispositione) diceres: infunderem plùs ob gulæ voluptatem, si vinum esset notæ melioris. Denique quid sentiendum de ijs, qui ex devotione multum vini infundunt, aut majores & grossiores hostias expetunt, ut eò dilutiùs species in stomacho conserventur, per occasionem dicam inferiùs *Sect. 4.* cum de fructibus Eucharistiæ.

SECTIO III.

De Forma Sacramenti Eucharistiæ.

SUMMARIUM.

182 *Forma Consecrationis panis est hæc*: Hoc est enim Corpus meum, *ly enim non est de Essentia.*
183 *Forma essentialis consecrationis vini, sunt*: Hic est calix Sanguinis mei.
184 *Reliqua omnia verba non sunt de essentia formæ, & de necessitate Sacramenti, sed præcepti Ecclesiastici.* Usq; ad 187.
188 *Quid significent Particulæ* Hoc, Hic.
189 *Ly* Est, *ac* 190. Enim?
191 *Item* Corpus meum.. Sanguis meus?
194 *Verba Consecrationis proferenda sunt* recitativè, *&*
196 Significativè, *ac* 197. Practicè, *&*
199 *Invariata substantialiter, & accidentaliter. Quæ mutatio substantialis?*
200 *Quæ accidentalis?*
204 *Forma Consecrationis realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam in ultimo prolationis instanti efficit,*
205. *Non physicè, sed moraliter; &*
206. *Præcisè ut significativa, non ut formaliter vera.*

§. I.

Quæ, & quotuplex est Forma Sacramenti Eucharistiæ? quæ verba essentialia?

181 Forma Sacramenti Eucharistiæ dicuntur illa verba, quibus Sacramentum Eucharistiæ conficitur; seu quibus fit præsens Corpus & Sanguis Christi sub speciebus panis & vini. Quia verò Eucharistia essentialiter est Sacramentum permanens in facto esse consistens in solis speciebus Corpus & Sanguinem Christi continentibus, uti *sect. 1.* visum: ideo verba illa non sunt essentialis intrinseca & propriè dicta forma Sacramenti Eucharistiæ, sed extrinseca & causalis tantùm: sed potiùs dicenda sunt forma consecrationis. Porrò, sicut Sacramentum Eucharistiæ duplicem habet materiam partialem, panem & vinum consecrandum in Corpus & Sanguinem Christi: ita duplicem quóque habet formam partialem, scilicet consecrationis panis in Corpus; & vini in Sanguinem Christi.

Forma Consecrationis Panis, & Corporis Christi.

182 Hæc est: *Hoc est enim Corpus meum.* Desumpta, ex facto & institutione Christi iisdem verbis Consecrantis, & præceptum addentis: *Hoc facite in meam commemorationem*, ita interpretante universali usu, traditione, & definitione Ecclesiæ in varijs Concilijs maximè Florentino

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Decreto de Armenis. Et Tridentino *sess. 13. cap. 1.* Et ratio est: quia illa est forma hujus Sacramenti, quâ conficitur ipsum Sacramentum, quâque significatur consecratio: sed utrumque fit per illa verba, ergo &c. Omnia illa verba (exceptâ particulâ conjunctivâ *enim*) & sola illa sunt de essentia & necessitate formæ consecrationis Corporis Christi. Omnes. Neq; enim ulla alia verba sive subsequentia, sive præcedentia possunt esse de essentia hujus formæ. 1. Non illa subsequentia, *quod pro vobis tradetur*, vel, *quod pro vobis datur*. Cùm illa verba non referant Matthæus & Marcus, sine dubio non omissuri, si essent essentia Consecrationis, & alioquin in Ecclesia latina nunquam conficeretur Sacramentum Evchariſtiæ. 2. Non illa verba præcedentia: *Accipite vel manducate, vel comedite:* quia hoc secundum omittitur à Marco, & utrumque à D. Luca. Non est autem credibile, Evangelistas commemorando institutionem Evchariſtiæ omisisse essentialia. Deinde illa verba solùm significant aliquid extrinsecum, scilicet usum Sacramenti: usus autem non est de essentia hujus Sacramenti, ut suprà dictum. 3. Multò minùs illa alia præcedentia. *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem &c.* cùm sint mera narratio facti Christi, & nullo modo proferantur in persona Christi. Quòd autem Scotistæ (cum Scoto *in 4. d. 8. q. 2.* attamen non assertivè. sed arguitivè tantùm loquente) contendant illa verba, *Qui pridie &c.* necessariò debere proferri, non quòd sint essentialia, sed ad hoc, ut alia verba essentialia *Hoc est Corpus meum* significativè, & formaliter proferri intelligantur in persona Christi, nihil urget, & ab alijs communiter explauditur. Nam quòd Sacerdos loquatur in persona Christi, non pendet ex illis vel ullis verbis antecedentibus, sed ex intentione, quam requirit veritas verborum proferendorum. Hoc enim ipso, quòd Minister habeat veram intentionem verbis competentem, & veraciter dicat: *Hoc est Corpus meum*, loquitur in persona Christi: alioquin illa verba non essent vera, sed falsissima, ut patet.

Forma Consecrationis vini, calicis, Sanguinis Christi.

COnsueta hæc est: *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* De fide, authoritas & ratio est eadem, quæ suprà.

183 I. De essentia & necessitate formæ consecrationis calicis sunt sola illa verba. *Hic est calix Sanguinis mei;* vel, quòd id ipsum est: *Hic est Sanguis meus.* Ratio est: quia illa tantùm verba sunt essentialia Sacramentorum, quæ significant & efficiunt effectum Sacramentalem, sed sola illa verba: *Hic est calix Sanguinis mei*, significant & efficiunt conversionem vini in Sanguinem Christi, ejúsque realem & permanentem præsentiam: ergo illa sola verba sunt essentialia, non item reliqua sequentia, quæ non ipsam præsentiam Sanguinis Christi, sed alia exprimunt, nec consequenter determinant formam in sensu essentiali & sacramentali, qui completur absque ipsis.

II. Verba ergo sequentia *novi & æterni testamenti*, non sunt essentialia formæ, & de necessi- 184
tate Sacramenti hujus. (contra *D. Thomam & Thomistas*) docent alij omnes communissimè cum D. *Bonaventura, Alensi, Scoto, Suarez, Bellarmino* &c. Nam (præter rationem dictam) Evangelistæ omnes omiserunt hæc verba: *& æterni, Mysterium fidei.* Evangelistæ autem sine dubio retulerunt omnia verba essentialia ad consecrationem, cùm singuli narrent id, quod Christus fecit & instituit, singulique addunt, dixisse Christum: *hoc facite in meam commemorationem*; ergo illa saltem verba non sunt essentialia. Deinde eadem verba *æterni*, & *Mysterium fidei*, omittuntur in omnibus Liturgijs Græcorum, etiam D. Basilij, Chrysostomi, & ipsius D. Jacobi Apostoli. In Missa Æthyopum, cujus author creditur D. Matthæus, omittitur, *novi & æterni testamenti, Mysterium fidei*: Et in liturgijs Maronitarum (quas D. Joanni Evangelistæ adscribunt) tantùm habetur: *Hic est Sanguis meus.* Qui ritus omnes, etsi notissimi, nunquam sunt ab Ecclesia in quæstionem vocati, minùs damnati vel reprehensi: & nimis temerarium est toti Ecclesiæ Græcæ, tot, tantisque SS. Patribus negare valorem consecrationis Sanguinis Christi, quasi dimidiatum semper Sacrificium obtulerint, contra præceptum divinum.

III. Denique sicut verba illa: *quod pro vobis* 185
tradetur, non sunt de essentia vel substantia consecrationis Corporis Christi, ut suprà dictum *num.* 182. cùm ea neque etiam in Ecclesia latina proferantur: ita neque similia verba; *qui pro vobis & pro multis effundetur* &c. sunt de essentia vel substantia consecrationis Sanguinis Christi. Quòd autem ea additio sit retenta, & proferatur in forma calicis potiùs, quàm in forma consecrationis panis, ratio est: quòd forma consecrationis calici posteriùs adveniens compleat oblationem Sacrificij; in qua proinde additur ad expressiorem repræsentationem passionis ac mortis Christi: Nam per effusionem Sanguinis & separationem à Corpore, maximè significatur passio & mors Christi.

IV. Eadem tamen verba sequentia: *novi &* 186
æterni testamenti, &c. omnino sunt de necessitate præcepti Ecclesiastici, adeò, ut gravissimè peccaret Sacerdos, qui ea omitteret, & non consecraret per integram formam in Canone præscriptam. Sunt enim illa verba peculiari ratione accidentalis perfectio formæ, eò quòd explicent rationem & vim illius prædicati formæ essentialis, scilicet Sanguinis Christi, faciúntque cum verbis essentialibus formæ unam integram & perfectam orationem grammaticalem, licèt non Sacramentalem, cùm non determinent formam in sensu sacramentali, ut dictum est: hinc que à Sacerdote etiam eodem actu & ritu tenendo calicem proferuntur, & æqualiter in Missali notantur.

tantur. Cæterùm quoad intentionem Sacerdotis in praxi optimè monet Tamburinus *hic l. 4. cap. 2. num. 23.* minimè opus esse, ut Sacerdos apud se speculativè determinet, & intendat consecrare: aut per sola illa verba à nobis assignata ut essentialia, aut per omnia in Missali notata, sed referat se ad intentionem Ecclesiæ, intendendo consecrare per ea verba, quæ intendit Ecclesia. Cùm enim nomine Ecclesiæ intelligatur morale Ecclesiæ fidelium Corpus, cujus Caput est Christus Dominus: etiamsi id omnes fideles nescirent, at certè scit ipse Christus, qui hoc Sacramentum instituit, per quæ verba fiat consecratio Sanguinis sui. De particula *enim* consentiunt omnes, non esse essentialem, de quo mox infrà.

§. II.

Quid significant singula verba utriusque formæ?

I. *Hoc, Hic.*

187 PRonomina *Hoc, & Hic*, imprimis necessariò significant & demonstrant rem aliquam præsentem modo latè explicato *sect. 2. §. 4. ait.* 173. unde nulla erit consecratio, si dicatur: *Illud* est Corpus meum: *Ille* est Sanguis meus: quia ista pronomina nunquam sunt ostensiva rei præsentis, sed relativa rei absentis. Dubia autem erit consecratio, si dicatur: *Istud* est Corpus meum: *Iste* est Sanguis meus. Eam simpliciter rejicit Vasquez. *disp.* 171. *c.* 4. quia pronomina *Iste, Ista, Istud*, apud Latinos propriè significant rem, aut personam existentem in loco, in quo est iste, quem alloquimur. Ut si dicam Petro: *iste est liber meus*: significo librum, qui apud ipsum est, esse meum. Si Passavio scribo amico Augustam: utinam omnes Cives istius urbis essent Catholici, quilibet bonus Latinus intelligit me loqui de Civibus Augustanis, non Passavienſibns: atqui hic sensus repugnat formæ consecrationis, ut de se patet: ergo &c. Quia tamen à minùs saltem doctis ita usurpantur pronomina ista, ut demonstrent rem præsentem, ideo valere putat *Leander* apud Tamburinum *cit. c. 2. num.* 17.

188 Jam verò, quidnam in specie & particulari significent hæc pronomina, *Hic & Hoc*, in consecratione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi; explicandum est. Octo diversas significationes refert Dicastillus de Evchariſtia *tract. 4. disp. 3. dub. 10.* Dico breviter. 1. Hæc pronomina non significant vel demonstrant panem & vinum: quia hæc non sunt Corpus & Sanguis Christi. 2. Nec significant species Evchariſticas: quia neque hæ sunt Corpus & Sanguis Christi, ut de se patet. 3. Neque etiam significant ipsum Corpus & Sanguinem Christi distinctè ex parte subjecti intellectum: sic enim esset propositio omnino identica & nugatoria: *Hoc Corpus meum est Corpus meum*: *Hic Sanguis meus est Sanguis meus.* Dico autem: *distincte ex parte subjecti intellectum.* Nam optimè potest dici, intelligi *Hoc Corpus*: apprehensum in confuso & metaphysicè: uti quando dico: *Hæc est Mater mea*: intelligo hæc fœmina, vel hæc mater (confusè & in genere apprehensa) est mater mea. Ita *Vasquez & alij.* Et sic propè coincidit cum modo dicendi sequenti & communi. Itaque. 4. Pronomen *Hoc* substantivè acceptum, significat individuum genericum, seu singulare entis, ut docet *Scotus*, vel, ut alij volunt, singulare *rei, substantiæ, corporis, &c.* ut sensus sit: *Hoc ens: Hæc res: Hæc substantia: Hoc corpus* (genericè apprehensum) *Hoc contentum* est Corpus meum. Similiter pronomen *Hic*, in consecratione calicis, substantivè sumptum significat singulare entis, rei, liquoris, potûs, calicis, imò & sanguinis genericè apprehensi, ut sensus sit: *Hoc ens, hæc res, hic liquor, hic potus, hic calix, hic sanguis*, genericè apprehensus, est Sanguis meus. Vel ut loquitur Tannerus. *Substantia contenta sub his accidentibus panis, est Corpus meum. Substantia contenta sub his accidentibus vini, est Sanguis meus.* Omnibus his magis clarè & verissimè significatur identitas prædicati cum subjecto in istis mirificis propositionibus formæ consecrationis importata per copulam, & verbum substantivum *est.*

II. *Est.*

VErbum *est*, sicut in omni propositione, 189
tanquam copula, propriè & ex natura sua significat identitatem prædicati cum subjecto, seu unum esse aliud; ita quóque in forma consecrationis (quæ debet intelligi secundùm propriam & apertissimam significationem) significat hanc rem præsentem esse Corpus Christi, Sanguinem Christi. Unde rejecta manet explicatio quorundam, qui explicârunt verbum *est*, per verbum *fit*, vel *transit*: quasi sensus esset: *Hoc fit Corpus meum*: *Sanguis meus*: vel *hoc transit in Corpus meum*: *in Sanguinem meum*: & forma sic pronuntiata esset valde dubia. Certò autem nulla esset forma, si quis diceret: *Hoc fit*, vel: *hoc fiat Corpus meum &c.* Quia forma à Christo prolata, est à Sacerdote proferenda enuntiativè seu assertivè, *Hoc est illud.* Atqui *hoc fit, hoc fiat*, non est enuntiatio intellectûs, sed potiùs imperium vel desiderium voluntatis. Denique ab Ecclesia & omnibus orthodoxis damnatur & rejicitur explicatio Calvinistica & Zwingliana nimirum in hac forma ly *est*, esse idem ac significat: *Hoc significat Corpus meum, Sanguinem meum.* De quo latè videre potes Theologos & Controversistas.

III. *Enim.*

PArticula hæc conjunctiva & causalis *enim* in 190
utraque forma significat solùm continuationem verborum subsequentium cum præcedentibus, & causam indicat verborum Christi: *Accipite & manducate, hic est enim &c.* Quare nullo modo est de essentia formæ, vel necessitate Sacramenti, cùm nihil omnino conferat ad significandum effectum formæ, atq; tam ab Apostolo Paulo, quàm ab Evangelistis omissa sit: est tamen aliqualiter de necessitate præcepti, attamen ob parvitatem materiæ, secluso contemptu, nonnulli

Universidad de Deusto
Biblioteca

nonnisi sub veniali obligantis juxta communem DD. contra nostrum *Gabrielem*, & quosdam nimis rigidè censentes sine mortali culpa omitti non posse: forte ideo, quia reverâ in omnino voluntariè, & ex mera libertate omittente, præsumi & facilè adesse potest contemptus formalis præcepti & ordinationis Ecclesiæ, cùm nulla possit esse vel fingi ratio, vel rationabilis causa omittendi: contemptus autem formalis ubique mortale inducit.

IV. *Corpus meum, Sanguis meus.*

191 COrpus in forma consecrationis significat compositum materiale, constans carne, ossibus, nervis &c. (in sententia Scoti, constitutum ex materia prima & formâ corporeitatis, vel, ut multi Recentiores loquuntur, ex materia, & formis partialibus: de quo consule Physicam) quare dubia & ambigua, eóque ipso mortaliter illicita esset forma, si quis diceret: *hoc est caro mea.* Nam vox *caro* propriè significat partem corporis molliorem distinctam ab ossibus, nervis, cartilaginibus &c. unde sic sumpta nullatenus esset vox synonima cum voce *corpus*, ideóque insufficiens ad validam consecrationem. At verò, si vox *caro*, per tropum satis usitatum in sacris litteris, sumatur pro toto corpore, prout caro opponitur animæ, vel spiritui, omnino valida esset consecratio, quâ conciliantur Doctores, alii negantes, alii asserentes, hanc esse validam formam. Vide Layman *citatum c. 3.*

192 Sanguis similiter in consecratione vini significat humorem illum præcipuum in humano corpore contentum, & per venas diffusum, nimis notum. Idem autem significant: *Hic est Sanguis meus*: & *hic est calix Sanguinis mei.* Vel enim *calix* sumitur propriè pro ipso vase, hoc sensu: *Hic est calix, seu vas continens Sanguinem meum*: vel sumatur *calix* per Metonomiam, pro ipso potu contento in calice, quasi dicatur: *Hic est Sanguis meus contentus in calice*, prout explicat D. Thomas.

¶. At, inquies: Calix, quem ego consecrans teneo in manibus, non est ille calix, quem habuit Christus consecrans: ergo falsa forma. Resp. Nec tua verba consecrationis sunt ipsa verba Christi consecrantis, sed repræsentant ea prolata in persona Christi. Idem dic de calice tuo repræsentante calicem Christi. Tandem vox, *meum*, ac *meus*, determinant Corpus & Sanguinem Christi, & denotant totam formam consecrationis proferri à Sacerdote in persona Christi. Quare non valeret consecratio, si quis diceret: *Hoc est Corpus Christi, hic est calix divini Sanguinis, &c.* Quia sic Sacerdos non loqueretur in persona Christi. Et hinc sequitur.

§. III.

Quomodo proferenda sunt verba consecrationis?

193 PRoferenda sunt *& recitativè, & significativè, & practicè, & invariata substantialiter, & accidentaliter.* Nota. Verba dicuntur proferri *recitativè*, historicè & materialiter tantùm, quando pronuntiantur per modum narrantis, tanquam dicta ab alio: ut legendo Evangelium. *Significativè* & formaliter dicuntur efferri verba, quando pronuntiantur per modum asserentis, volentísque per illa verba efferre sui animi sensum, seu se ita sentire, ut loquitur. *Practicè* autem proferri dicuntur verba, cùm proferens intendit aliquid per verba operari. Jam explico particulatim.

I. *Recitativè.*

VErba consecrationis debent proferri, & 194
de facto proferuntur à Sacerdote *recitativè* & historicè, nimirum tanquam ab alio, nempe ipso Christo prolata: ut manifestè constat ex contextu Canonis, in quo Sacerdos expressè refert & recitat, Christum ea verba protulisse, & ipsa esse verba Christi. *Benedixit, fregit, deditq; Discipulis suis dicens: Accipite & manducate, hoc est enim Corpus meum. Similiter & calicem &c.* Ubi Sacerdos refert, quid Christus fecerit & dixerit, atque ut vera loquatur Sacerdos, necesse est, Christum eadem verba locutum fuisse: nam hoc ipsum ipse affirmans intendit, & qui audiunt, ita intelligunt. Sicut ergo, quando Sacerdos Missam legens dicit: *Dixit JESUS Discipulis suis: Ego sum Pastor bonus:* fungitur officio narrantis, quòd Christus Dominus dixerit hæc verba: *Ego sum Pastor bonus*; ita etiam similiter narrantis officio fungitur, quando dicit; deditque Discipulis suis, & ait: *Accipite & manducate, hoc est enim Corpus meum*: ergò sicut in priori casu proferuntur *recitativè* illa verba: *Ego sum Pastor bonus*; ita etiam & ista: *Hoc est Corpus meum.*

Nec obstat: quòd eadem verba Sacerdos de- 195
beat proferre *significativè*. Nihil enim repugnat, eadem verba efferri ab eodem simul & recitativè & significativè ex intentione proferentis, ut exemplis manifestum erit. Sic enim ipse Christus Matth. 15. dixit Pharisæis: Hypocritæ bene prophetavit de vobis Isaias dicens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* patenter locutus simul recitativè & assertivè seu significativè, significans scilicet, se idem sentire, eandem esse mentem suam. Eodémque utroque sensu Apostolus *Act.* 20. refert verba Domini JEsu, quoniam ipse dixit: *Beatius est, magis dare, quam accipere.* Sic passim Magistri in scholis, Concionatores in cathedris recitantes authoritates, recitativè simul & significativè loquuntur. v. g. O quàm rectè scripsit Joannes: *Totus mundus in maligno est positus.* Sic furi dicimus: Nonnè Deus dixit? *Non furtum facies* &c. Simili ergo modo Sacerdos & recitativè & significativè profert illa verba: *hoc est Corpus meum*: & *hic est calix Sanguinis mei*: vult enim iis significare, & Christum ita locutum fuisse, & se idem sentire ac asserere: Hoc esse Corpus Christi, Sanguinem Christi: cujus personam repræsentat, & quatenus velut est alter Christus; nam ea verba proferuntur

tur à Sacerdote, ac si ea Christus præsentialiter proferret, inquit D. Thomas *cit. q. 7. a. 3.* Et hinc

II. *Et significativè.*

196 VErba consecrationis à Sacerdote proferenda sunt, non præcisè materialiter, recitativè & historicè (quomodo etiam proferret Sacerdos legendo Epistolam vel Evangelium in Missa, cathedrâ, vel ad mensam:) sed etiam formaliter & significativè, ex propria scilicet etiam mente significans & asserens, hoc esse Corpus Christi, hunc esse Sanguinem Christi. Ita (contra Bonaventuram, Vasquez, alios paucos) communissima DD. & optimè Cardinalis de Lugo *De Eucharistia, disp. 11. à num. 110.* Ratio est: quia Sacerdos consecrans debet proferre verba, & formam consecrationis in persona Christi facientis per Sacerdotem id, quod olim per se ipsum fecerat. Nam Concilium Florentinum clarè exprimit, Sacerdotem in persona Christi loquentem conficere hoc Sacramentem: adeóque eo sensu debet proferre verba illa, quo Christus protulit: atqui Christus in ultima Cæna consecrans protulit illa verba, utique non recitativè tantùm, sed formaliter & significativè, asserens ibi esse suum Corpus, suum Sanguinem: ergo etiam Sacerdos illa verba debet proferre formaliter & significativè, & ita se circa præsentem materiam habere, ut de illa significet & asserat, esse Corpus & Sanguinem Christi. Alioquin, si solùm recitativè proferret ut prolata à Christo, 1. Non loqueretur in persona Christi: qui enim solùm alterius verba recitat, non ideo loquitur in persona eius. 2. Nec verba Sacerdotis ullo modo referrentur ad præsentem materiam, sed tantùm ad dictum & factum Christi: & consequenter. 3. ad veritatem eorum verborum non requireretur realis præsentia Corporis & Sanguinis Christi, adeóque nec conficeretur Sacramentum. 4. Denique jam esset alia forma consecrationis, formaliter loquendo, ab illa, quâ usus est Christus. Nam Christus usus est illis verbis formaliter & significativè; modò autem Ecclesia uteretur illis solùm materialiter & recitativè. Quæ omnia sunt inconvenientia: ergo &c. Addunt tamen Doctores, illa ultima verba in consecratione calicis: *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: recitativè tantùm & non significativè proferri, quia non ampliùs effundetur Sanguis Christi.

III. *Et practicè.*

197 VErba consecrationis proferenda sunt, & recitativè, & significativè, & non utique speculativè tantùm nudè asserendo, hoc esse Corpus & Sanguinem Christi: (Quomodo Sacerdos ea verba posset proferre in persona Christi stans coram venerabili Eucharistia jam consecrata in Ciborio vel Monstrantia exposita) sed omnino *practicè* & efficaciter, nimirum cum intentione per prolationem eorum verborum conficiendi Corpus & Sanguinem Christi, seu efficiendi, ut ibi realiter ponatur & adsit Corpus & Sanguis Christi. At, inquies, quomodo mei similis rudior Sacerdos, in actuali consecratione observabit omnes sensus istos, *recitativè, significativè, practicè*; Noli hic scrupulizare, mi bone simplex *Præstaque sumus.* Sensus istos omnes implicitè sufficientissimè habes, observas, & exerces, quando intendis facere id, quod Christus fecit, & instituit, vel quod Ecclesia facit. Quare generaliter intende, ita te semper habere in consecrando, sicut Ecclesia intendit, & nunquam errabis.

Cæterùm, etsi sensus recitativus de facto 198
semper adesse debeat, & præceptus sit juxta præscriptum Canonis; solus tamen sensus significativus & practicus necessarius est ad valorem Sacramenti & consecrationis, adeò, ut si solus adsit, conficiatur; si verò solus desit, non conficiatur Sacramentum Eucharistiæ. At rursus inquis: Ego securus sum Seraphicum Doctorem nostrum D. Bonaventuram, quòd ea verba ponantur tantùm recitativè; hactenus cum hac opinione & intentione semper protuli solùm recitativè; ergóne invalidè consecravi? Resp. adhuc validè. Nam tua generalis intentio faciendi id, quod Christus instituit, & Ecclesia facit (quam utique semper habes) fuit validior tuâ falsâ opinione & errore privato, atque in hoc fundata intentione non recta, juxta Doctrinam communem *de Sacramentis in genere*, etiam à nobis traditam *in prima parte c. 2. num. 127.*

IV. *Et invariata substantialiter & accidentaliter.*

MUtatio substantialis formæ censetur, 199
quando mutatur sensus proprius verborum à Christo institutorum, & ab Ecclesia usurpatorum. Accidentalis mutatio dicitur, quando verba, etsi mutata, retinent tamen eundem sensum. Hæc *in prima parte c. 2. Sect. 2. tota* generatim explicata & exemplificata, applico hic breviter ad propositum nostrum.

1. Mutatio substantialis formæ reddit invalidam consecrationem & Sacramentum nullum. Ita omnes. Ratio clara est: quia jam deficit aliquid essentiale, vel saltem ad essentiam Sacramenti necessariò requisitum. Nec refert, an mutatio talis fiat deliberatè, an verò casualiter & involuntariè, quantùm ad valorem, bene tamen quoad licitum. Vide *ibidem.* Quare invalidæ sunt formæ, & consecratio nulla erit, si dicas: 1. *Hic* (adverbialiter) *est Corpus meum*, vel *Sanguis meus.* Quia significatur solùm speculativè, hoc loco esse Corpus vel Sanguinem Christi, non verò practicè ibi poni. 2. *Hæc est substantia mea*: quia ly *substantia* non significat idem, quod corpus, & æquè con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

venit animæ. 3. *Hoc Corpus est meum, hic Sanguis est meus*: quia significas solùm, hæc ad te pertinere, non autem ibi poni Corpus & Sanguinem Christi. Idémque est, si dicas: *Ecce Corpus meum, ecce Sanguis meus.* 4. *Hoc fit, hoc sit, hoc fiat Corpus meum, Sanguis meus*: vide suprà *num.* 187. Idémque est, si dicas: *Hic panis convertitur in Corpus Christi*, ibidem. Item: *ego conficio Corpus meum, vel Corpus Christi, ex pane: Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum.*

201 II. Mutatio accidentalis formæ, non efficit quidem invalidam consecrationem, & Sacramentum nullum; plerumque tamen graviter est illicita. Specialiter autem in hoc omnium dignissimo Sacramento omnis omnino voluntaria formæ mutatio illicita & sub mortali cavenda est; excepto, si quis inculpatè ex defectu scientiæ, vel linguæ aliquantulùm mutilaret, eodem tamen sensu retento, ut omnes advertunt. Quare valida, etsi graviter illicita esset consecratio. 1. Si quis utatur formâ descriptâ à D. Luca: *Hic est calix, novum Testamentum in Sanguine meo*: aut D. Paulo: *Hic calix novum Testamentum est in meo Sanguine.* Communis contra paucos. Idem enim substantialiter est sensus cum nostra forma ordinaria: & credendum est, singulos Canonicos Scriptores institutionem hujus Sacramenti enarrantes assignâsse formam substantialem sufficienter. 2. Si addas aliquid non varians vel corrumpens sensum substantialem: exempli gratiâ. *Hoc est corpus meum, natum de Virgine: hic est Sanguis meus infiniti valoris.* 1. Si utâris Synonimis ejusdem linguæ, v. g. *Hic cibus, hic potus, hæc res, hæc substantia, contentum sub his speciebus, est Corpus meum, Sanguis meus.* Idémque est, si mutes idioma latinum in germanicum, Italicum &c. Quod in solo Baptismo in casu necessitatis etiam licitum est, aliàs nunquam. Item si transponas verba, sensu retento: v. g. *Hoc meum Corpus est: hic calix est mei Sanguinis &c.* Si solùm grammaticè erres. v. g. putans *Corpus* esse generis masculini, dicas: *Hic est Corpus meus.* Idémque est, si ex defectu linguæ, balbutie, festinatione &c. solùm unam litteram non variantem sensum mutes, vel detrunces. v. g. dicendo: *Hoc est Corpus meu. Hic est Calis mei Sanguinis.* Certè illam formam: *Hoc est Corpus meu*, valere, etiam meritò approbat Layman *l. 5. tract. 1. c. 4.* Nam truncatio ultimæ syllabæ, in hoc casu, non mutat significationem. Secùs esset, si mutatione vel omissione etiam unius litteræ, mutaretur sensus substantialis: v. g. dicendo: hoc est *Opus meum*: hic est *Anguis meus*: Ego te baptizo in nomine Matris & Filii &c. Plura reperies apud Scholasticos, omnia tamen ad has classiunculas reducibilia. Plus satis curiositati datum.

Tandem petes hic non immeritò, quid 202
sentiendum de iis, qui formam consecrationis ita proferunt, ut unum verbum bis, térve repetere, unam voculam diu post aliam recitare soleant &c.? Respondeat pro me P. Gobat, *Alphab. Sacrif. casu 3. n. 94.* his omnino verbis: *Eos committere ex genere suo mortale, quia inducunt novum ritum circa actionem omnium sacratissimam: mutant formulam sacramentalem bis, térve ponendo unum verbum: repræsentant nobis Christum riduculè loquentem. Credo tamen tales coram Deo non peccare graviter, quia scrupuli eos redigunt ad hanc parvam stultitiam. Ita liberè, atque apertè loquor de iis, quia clavus clavo, scrupulus insanus scrupulo sano pellendus est.* Hæc Gobat. Cui addo: idem me sentire de iis, qui consecraturi pro intentione formanda, longâ, scrupulosâ, tædiosâ, ac ridiculâ morositate hostiæ consecrandæ incubant velut gallina pullis excludendis, &c. prout etiam in prima parte alicubi notavi.

§. IV.

Quis est Effectus formæ consecrationis? quando? & quomodo causatus?

NOta, alia est quæstio, quis sit effectus ipsius Sacramenti Evchariſtiæ per consecrationem jam confecti & dignè communicati, de qua *sect. seq.* Hic quæritur, quis sit effectus formæ consecrationis in conficiendo ipso Sacramento Evchariſtiæ, quando & quomodo causetur? Quæstionem purè speculativam paucis expedio, & dico

1. Effectus formæ consecrationis *est Trans-* 203
substantiatio ac realis conversio substantiæ panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus seu accidentibus panis & vini relictis veraciter contenti. uti *supra Sect. I. §. 3.* satis explicatum est.

II. Forma consecrationis conficit suum ef- 204
fectum, realem scilicet præsentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus, in ultimo instanti prolationis verborum. *Omnes.* Ratio est: quia tunc forma conficit effectum suum, quando perfectè significat præsentiam Corporis & Sanguinis Christi: atqui hoc perfectè non significat, nisi completâ prolatione verborum, ut de se patet: ergo &c. Et generaliter hoc commune est omnibus propositionibus effectivis, seu practicis Sacramentorum formis, quòd nec significent, nec causent suum effectum, nisi in instanti, quo ultimò complentur.

III. Formæ consecrationis causant suum ef- 205
fectum, præsentiam scilicet Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus, non physicè, cùm nuda verba ex natura sua nullam habeant proportionem physicam ad attingendum effectivè tam supernaturalem & mirabilissimum effectum, sed moraliter, quatenus ad eorum ver-

verborum prolationem, ex vi institutionis factæ, ipse Deus, ut causa physica & principalis Corpus & Sanguinem Christi, ipsúmque Christum præsentem effeit. Quâ ratione etiam tam hoc, quàm alia omnia Sacramenta gratiam Sanctificantem efficiunt, uti in *prima parte c. 1. an. 45.* explicatum est.

206 IV. Formæ consecrationis operantur prædictum suum effectum præcisè ut significativæ sunt, non ut formaliter veræ sunt. *Communis cum Scoto.* Ratio est: quia hæc propositio: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus*: ut causativa & conversiva panis & vini, in Corpus & Sanguinem Christi, est prior naturâ conversione panis & vini, & consequenter ipsâ præsentiâ Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus, cùm omnis causa sit naturâ prior suo effectu: atqui pro illo priori naturæ illa propositio præcisè est significativa, seu enunciativa, (quod est de essentia omnis propositionis) at nondum est formaliter vera: nam veritas formalis formarum consecrationis est naturâ posterior præsentiâ & existentiâ Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus: ideo enim est vera propositio: *Hoc est corpus meum*: quia reverâ ibi existit Corpus Christi, non è contra: ex eo enim quòd res est, vel non est, dicitur propositio vera vel falsa. Econtrà verò, ideo ibi existit Corpus Christi, quia id forma ex institutione Christi significat: ergo formæ consecrationis operantur suum effectum præcisè & significativè in ratione signi Sacramentalis à Christo instituti, non verò ut formaliter veræ sunt: quod est naturæ posteriùs ipso effectu seu præsentiâ Corporis & Sanguinis Christi: adeò, ut illa propositio: *Hoc est Corpus meum &c.* integrè prolata, in ultimo instanti temporis prolationis tria habeat instantia seu signa naturæ. In primo præcisè significat. In secundo causat effectum abstrahendo adhuc à veritate & falsitate: In tertio demum, jam existente ibi Corpore & Sanguine Christi, evadit formaliter vera.

CAPUT IV.

De Sacramenti Evchariſtiæ, ipsiúsque SS. Sacrificii, effectu, valore, fructu.

SECTIO I.

De Effectibus Sacramenti Evchariſtiæ.

SUMMARIUM.

207 *Effectus Evchariſtiæ principalis est augmentum gratiæ.*

208 *Probabiliter major gratia confertur sub utraque specie, quàm sub una tantùm.*

209 *Probabilior tamen videtur sententia opposita negativa, cæteris paribus.*

210 *Si verò dispositio sumentium sit inæqualis, major erit gratia in melius disposito, sive utramque, sive unam tantùm sumat speciem.*

211 *Si dispositio manet eadem, non confertur major gratia, sive quis unam, sive plures Hostias simul sumat.*

212 *Evchariſtia confert gratiam, non dum species adhuc sunt in ore, sed*

213 *In instanti completæ manducationis.*

214 *Et non amplius, dum perseverant in stomacho,*

215 *Nisi augeatur dispositio.*

216. *Sacramentum Evchariſtiæ habet præsertim quatuor effectus secundarios,*

217. I. *Spiritualiter reficit.*

218. II. *Præservat à mortalibus.*

219. III. *Delet venialia quoad culpam, &*

220. IV. *Vnit cum Christo & Fidelibus.*

§. I.

Quis est Effectus principalis Sacramenti Evchariſtiæ?

SAcramenti Evchariſtiæ effectus primus & 207
principalis est, augmentum Gratiæ sanctificantis, ac Charitatis habitualis. De fide ex Concilio Florentino ac Tridentino *sess. 13. c. 1.* Et constat ex generali doctrina de Sacramentis. Specialiter sumitur ex illo Ioan. 6. *qui manducat me, vivet propter me.* Et ratio est: quia hoc Sacramentum institutum est à Christo per modum cibi ac potûs, &, cum quadam analogia & proportione ad cibum & potum corporalem, cujus effectus est nutritio & augmentatio corporis: ita effectus hujus spiritualis cibi & potûs est nutritio & augmentatio spiritualis animæ per Gratiam & Charitatem; & sicut cibus ac potus corporalis præsupponit hominem nutriendum jam viventem vitâ corporali: ita spiritualis hic cibus præsupponit jam animam viventem per Gratiam & Charitatem, adeóque per se ex institutione sua, confert solùm augmentum Gratiæ & Charitatis, seu gratiam secundam, non verò gratiam primam, nisi quandoque per accidens: ut *in primâ parte c. 1. n. 23.* ostensum est. Ubi etiam *num. 51.* generaliter dictum, quodlibet Sacramentum, adeóque etiam Evchariſtiæ, conferre majorem gratiam melius disposito, quàm minùs disposito, non tantùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato: quæ hic non sunt repetenda. Verùm de hoc effectu principali duo restant sanè delicata dubia.

§. II.

DUBIUM I.

Confertúrne major gratia Evchariſtiâ sumptâ sub utraque specie a Sacerdote, quam sumptâ sub una tantùm à Laico?

PRobabilis valde est Sententia affirmativa *A-* 208
lensis, Vasquez, aliorúmque multorum Recentiorum cum Lugo *hic disp. 12. sect. 3.* Ratio est: quia Sacramenta causant id, quod significant, & efficacia Sacramentorum accomodatur eorum significationi: atqui Sacramentum Evchariſtiæ institutum est à Christo sub bina specie panis & vini, sub ratione unius integri & perfecti convivii, quod requirit cibum ac potum; er-

go sicut utraque species simul perfectiùs significat, ita etiam perfectiùs causat spiritualem refectionem animæ per gratiam: etenim in calice est distincta significatio novæ refectionis, nimirum per modum potûs, distincta à significatione Corporis, quæ est refectio per modum cibi: & consequenter per sumptionem calicis confertur gradus gratiæ reficientis animam correspondens illi significationi, distinctus à gradu gratiæ, qui confertur per sumptionem solius Corporis sub specie panis. Et videtur supponere hanc Sententiam Concilium Tridentinum *sess. 21. c. 3.* declarans: *nullâ gratiâ ad salutem necessariâ defraudari eos, qui unam tantùm speciem accipiunt.* Audis? non dicit simpliciter *nullâ gratiâ* defraudari sed solùm nullâ gratiâ *ad salutem necessariâ.* Unde ulteriùs patet, nullam injuriam factam esse Laicis ab Ecclesia illis usum Calicis denegante: licèt enim major gratia detur per utramque speciem, tamen illud bonum ad salutem non necessarium, & facilè ex opere operantis alijs medijs recuperabile, non debet præponderare reverentiæ tanti Sacramenti, quòd sub specie calicis, salvâ debitâ reverentiâ, commodè nec administrari, nec servari, nec infirmis deferri potest, ob periculum effusionis &c.

209 II. Probabilior tamen videtur oppositа Sententia negativa. *Communis DD. cum D. Thoma, D. Bonaventurâ*, nimirum cæteris paribus, Evchariſtiam non conferre majorem gratiam sub utraque, quàm sub una specie sumptam. Et omnino favet Concilium Tridentinum *cit. sess. 21. c. 3.* ita enim habet: *sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verúmque Sacramentum sumi, ac propterea quod ad fructum attinet; nullâ gratiâ necessariâ ad salutem privari eos, qui unam speciem solam accipiunt.* Ubi ex eo, quòd totus & integer Christus sit sub alterutra specie, infert: propterea unam tantùm speciem sumentes non privari ullâ gratiâ ad salutem necessariâ. Subaudi *saltem*, ut abstraheret à Sententiis: atqui ex illo rectè infertur, nullâ omnino gratiâ privari eos, qui unam tantùm speciem sumunt. Ratio est: nam ideo præcisè species conferunt gratiam, quatenus continent Christum, & eas sumentes fideles Christum sumunt, eíque uniuntur: atqui sub altera tantùm specie æquè totus & integer Christus continetur & sumitur, quàm sub utraque: ergo æqualis per se confertur gratia, sive una tantùm, sive utraque species sumatur. Neque multùm urget ratio prioris Sententiæ. Etsi enim in utraque specie sit perfectior & expressior significatio practica gratiæ sub ratione integri & perfecti convivij, hoc tamen solùm est quoad modum significandi, non verò quoad rem significatam & acceptam, quæ æquè continetur sub una, ac sub utraque specie: sicut enim utraque species non perfectiùs Christum continet, etsi perfectiùs significet, quàm una: ita etiam utraque species non perfectiorem gratiam continet & confert, Etsi perfectiùs significet quàm una: eadem ergo gratia confertur cæteris paribus, sive sub una, sive sub altera, sive sub utraque specie sumatur Evchariſtia, sed solùm diversimodè gratia significatur: sub specie panis, per modum cibi: sub specie vini, per modum potûs tantùm: sub utraque specie per modum integri & perfecti convivij animam reficientis. Denique hâc Sententiâ apparet justior lex Ecclesiæ Laicis usum calicis denegantis, contra cavillos Hæreticorum.

III. Dixi semper; *Cæteris paribus*, suppo- 210
sitâ scilicet æquali dispositione sumentis utramque, & unam tantùm speciem: si enim dispositio sit inæqualis, utique erit etiam inæqualis gratia, & major in meliùs disposito, sive utramque, sive unam tantùm speciem sumat. Similiter si in Sacerdote, sumptâ specie panis dispositio augeatur, (quod sæpè fit) mediante interim novâ devotione, & actibus amorosis; tunc altera species calicis cum tali auctâ dispositione susceptа, utique correspondens augmentum gratiæ conferet. Quin imò si quis indispositus sumpsisset primam speciem, & interea primò disponeretur actu Contritionis saltem bonâ fide æstimatæ, altera species vini conferret tunc gratiam; sicut etiam si casu ante species panis sumeretur, conferret gratiam, quam species panis primo loco sumi solita contulisset. Unde quamvis fatendum sit, species vini per se, & durante eâdem dispositione sumentis, rarò conferre aliquam gratiam, id tamen non absurdum videri debet: sicut nec quòd partes Hostiæ posteriores sumptæ, gratiam non conferant. Hoc enim non provenit ex defectu virtutis Sacramenti, sed quia jam reperitur effectus productus in toto gradu, qui in taliter dispositо unâ sumptione Sacramenti produci poterat. Neque ideo frustrà erunt, & sumentur species vini, uti neque partes posteriores Hostiæ sumptæ, imò potiùs utiles. Nam præterquam, quòd valeant ad augmentum gratiæ, mediante novâ meliori dispositione, ut dictum est: Sacerdos tenetur satisfacere præcepto, complendo integrum Sacrificium. Et juxta dicta à fortiori

IV. Evchariſtia pluribus particulis seu specie- 211
bus ejusdem rationis successivè sumptis, cæteris paribus, non confert majorem effectum gratiæ, quàm si una tantùm particula seorsim, vel omnes simul, aut in una continua quantitate sumerentur. *Communis DD.* Ratio est: quia unum & idem Sacramentum, semper operatur eundem effectum, quantùm est de se. Ubi nimirum ex parte subjecti non est diversa dispositio, sed in proposito sumitur unum & idem Sacramentum. Nam plures illæ particulæ ejusdem rationis, integrant unum Sacramentum, plurésque illæ successivæ sumptiones, non sunt plures communiones, sed una moraliter communio, sicut si simul, vel in una continua quantitate sumerentur: ergo datur etiam unus & idem effectus. Totus ergo effectus Sacramentalis

talis gratiæ datur in prima manducatione vel sumptione primæ particulæ, cùm jam sit integrum Sacramentum, adeò ut in sumptione reliquarum particularum non conferatur ulterior gratia, non ex defectu virtutis, cùm reliquæ particulæ sint Sacramentum, sed quia jam productus est effectus uno Sacramento conferendus, reliquæ enim particulæ cum prima sumptæ unum Sacramentum integrant. Alioquin fructuosiùs esset Sacerdoti duas partes Hostiæ fractæ sumere successivè, quàm simul, & species vini multis ductibus iteratis, & quasi guttatim hauriendo, quàm simul, quæ meritò censentur ridicula. Sed neque dici potest, tunc effectum Sacramentalem conferri per partes divisim in singulis sumptionibus, qui aliàs in sumptione unica contintæ Hostiæ daretur simul. Tunc enim una sumptio impediret effectum alterius, & nulla haberet sibi proportionatum effectum: & repertinè moriens sumptâ primâ particulâ, privaretur effectu Sacramentali competenti: denique effectus Sacramentalis non debet dependere à futuro & contingenti eventu.

Dixi iterùm *cæteris paribus*: Nam si ita successivè susciplens ad posteriores particulas augeat dispositionem novis actibus devotionis amoris, omnino probabile est, etiam augeri effectum Sacramentalem gratiæ, juxta dicta suprà de sumptione Calicis: & certum est, si primam partem accepisset indispositus sine effectu, reliquas autem sumeret dispositus, eum recepturum totum effectum Sacramentalem. Denique apud omnes in confesso est, quando & physicè & moraliter plures sunt Communiones, ut in tribus Missis Nativitatis, conferri in singulis specialem effectum Sacramentalem juxta præsentem susciplentis dispositionem.

§. III.
DUBIUM II.
Quando? & quamdiu Sacramentum Evchariſtiæ confert gratiam?

212 I. SAcramentum Evchariſtiæ confert effectum Sacramentalem gratiæ in ipsa manducatione seu sumptione. *Communissima.* Sumitur ex Scriptura Joan. 6. *Qui manducat me, vivet propter me, &c.* Ubi, & alibi semper effectus hujus Sacramenti tribuitur manducationi vel sumptioni, aut ipsi manducanti vel sumenti. Unde meritò ab omnibus rejicitur opinio quorundam putantium effectum hujus Sacramenti conferri, quando adhuc Hostia vel species sunt in ore. Quia ille nullo modo verè dicitur manducâsse vel bibisse, qui cibum ore masticatum, aut potum attractum ejiceret, neque talis ideo fregisset jejunium. Unde, si species in ore corrumpantur, antequam eæ, vel pars aliqua earum incorrupta deglutiatur, aut si homo antea moriatur, non reciperet fructum seu effectum Evchariſtiæ: neque solet, neque debet dari infirmis, qui non possunt deglutire: & suprà jam monuimus, non esse species tamdiu in ore retinendas, donec corrumpantur.

II. Evchariſtia confert suum effectum in 213
instanti completæ manducationis. *Omnes.* Ratio est: quia manducantibus promittitur gratia *Ioan. 6.* atqui ante instans completæ manducationis non dicitur quis verè manducans vel manducâsse: ergo &c. Quodnam autem sit illud instans completæ manducationis, communior opinio est, esse illud, quo cibus trajicitur ex ore per guttur versus stomachum, & attingit indivisibile medium inter os & guttur. *Coninck* tamen & plures alij probabiliùs censent, tunc primò conferri gratiam, quando Hostia vel pars illius (adeóque ipse Christus) primò in stomachum recepta est: tunc enim quis est perfectè manducans, & eoúsque cibus corporalis non habet se per modum nutrimenti; quare etiam censeretur jejunus, qui cibum ejiceret, priusquam stomachum attingeret: adeóque eoúsque etiam Christus sub speciebus non habet se per modum nutrimenti spiritualis conferendo gratiam. Unde si homo moreretur, antequam species per guttur trajectæ stomachum attingerent, gratiam non reciperet juxta hanc Sententiam. Denique fatendum est, nihil certi in hac re definiri posse: & ideo *Sylvius Diana* & alii dicunt, gratiam conferri manducanti vel sumenti in instanti DEO cognito, nobis autem ignoto.

III. Evchariſtia confert suum effectum tan- 214
tùm in instanti completæ manducationis, & nihil ampliùs deinceps, quando adhuc species Sacramentales perseverant, adeóque Christus realiter præsens manet in stomacho, saltem per se, & cæteris paribus. Nam Evchariſtia per modum causæ naturalis in subjecto capaci, statim producit totum effectum, quem producere potest, saltem nisi fiat aliqua variatio melioris dispositionis. Et sanè alioquin per se ad augmentum gratiæ conduceret magnitudo specierum & stomachi languor. Insuper verius est, etiam interea temporis, auctâ dispositione susciplentis, non tamen augeri gratiam ex opere operato. Ita communior Doctorum cum *Vasquez* & alijs. Ratio est: quia tota operatio Sacramentorum est ex institutione & voluntate divina: sed hæc ex sacra Scriptura non constat nobis aliter, quàm quòd manducantibus & bibentibus promittatur gratia: neque novi quidquam asserendum est circa Evchariſtiam, quod non rectâ ratione colligatur ex ejus institutione, aut sit firmatum authoritate, vel communi sensu Ecclesiæ: ergo Evchariſtia ex divina institutione tantùm confert suum effectum, quando actu manducatur vel bibitur, non verò toto reliquo tempore, quamdiu manent species, & sub ipsis Christus in stomacho: alioquin sequerentur inconvenientia aliqua. 1. Adhuc expedi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pedire, & fructuosiùs esse majores vel plures sumere species, ut Sacramentum diutiùs maneat in stomacho. 2. Peccare hominem sacrilegè, non tantùm actu suscipiendo hoc Sacramentum indignè, sed etiam indignè illud conservando in seipso, utpote eo tempore interim in peccatum consentiendo. 3. Posse hominem justificari per hoc Sacramentum, qui illud quidem indignè suscepit, si adhuc præsente Sacramento, & etiam tunc ex opere operato gratiam conferente, se disponeret dolendo de peccato. 4. A fortiori ergo hoc Sacramentum indignè susceptum, recedente fictione, non conferet suum effectum, si jam desijt Sacramentum, & præsentia Christi corruptis speciebus, juxta communiorem cum D. *Thoma*.

215 IV. Nihilominus certè etiam probabilis & pia est opposita Sententia, nimirum durante Sacramento, si augeatur & innovetur dispositio, adhuc augeri gratiam. Ita *Cajetanus*, *Gabriel*, *Suarez*, *Coninch*, & plures Recentiores apud Lugo *disp.* 12. *sect.* 2. *Diana p.* 3. *tr.* 6. *misc. Resol.* 46. Tamburinus *l.* 4. *c.* 4. Ratio est: quia operatio gratiæ tribuenda est ipsi Christo præsenti sub speciebus, sumptione tantùm se habente per modum conditionis: ergo quamdiu est nobis Sacramentaliter præsens, si nos augeamus dispositionem, actus devotionis plures & plures exhibendo, non est, cur Christus non causet in nobis aliam & aliam gratiam, ad quam isti actus disponunt. Deinde hoc Sacramentum habet se per modum cibi: ergo cum proportione ad cibum corporalem, quamdiu ratione melioris dispositionis Sacramentaliter perficitur, tamdiu pergit nutrire spiritualiter animam per collationem gratiæ. Unde in hac Sententia negantur illa superiùs illata esse inconvenientia. Et omnino conceditur: non quidem per se, sed per accidens, ratione novæ & melioris dispositionis meliùs & fructuosiùs esse, sumere majores & plures species: nec carpendam esse devotionem illius, qui ad eum finem libentiùs sumit majores species panis vel vini, ut non tam citò corrumpantur, & sic Christus diutiùs maneat & sæpiùs gratiam conferat. Omnes tamen fatentur, id esse illicitum facere ex industria cum aliquo notabili excessu ultra morem Ecclesiæ: adeò ut peccaret & Sacerdos præbens, & Laicus sumens ad eum finem plures particulas. Ratio sumitur ex usu perpetuo Ecclesiæ, & ex periculo, quòd posset sensim introduci, superstitio, vel opinio erronea de virtute hujus Sacramenti, ut eò major putaretur esse virtus hujus Sacramenti per se, quò plures vel majores sumuntur species. Unde Inquisitores solent contra id facientes procedere tanquam suspectos de errore.

§. IV.

Qui sunt Effectus secundarii hujus Sacramenti?

SUnt generatim loquendo varia auxilia gra- 216
tiæ actualis ad promovendum in bono, & avertendum à malo. Quemadmodùm enim quodlibet Sacramentum, præter effectum primarium gratiæ sanctificantis, secundariò confert jus ad gratias actuales, & auxilia divina suo tempore conferenda ad debitè exercendos actus tali Sacramento correspondentes, seu ad quos tale Sacramentum ordinatur uti *in prima parte c.* 1. *num.* 43. 44. explicatum est: ita maximè hoc divinissimum Sacramentum dignè susceptum, etiam in ipsa susceptione, & probabiliter, quamdiu manet Christus homini Sacramentaliter præsens, confert varia auxilia & gratias actuales, quibus operatur mirandos illos effectus, quos huic Sacramento passim attribuunt Concilia & SS. Patres. De his Concilium Tridentinum *sess.* 13. *c.* 2. sic loquitur: *Sumi autem voluit* (Christus) *Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: qui manducat me, & ipse vivet propter me: & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à mortalibus præservemur. Pignus præterea esse voluit futuræ gloriæ nostræ & perpetuæ felicitatis: adeóque Symbolum unius illius corporis, cujus ipse Caput existit, cuique nos tanquam membra, arctissimâ Fidei, Spei, & Charitatis connexione adstrictos esse voluit.* Hactenus Concilium Trid. quibus quatuor potissimùm effectus Evchariſtiæ expressi, explicandi sunt: *Reficit, præservat à mortalibus, liberat à venialibus, unit cum Christo, & Fidelibus.*

I. Reficit.

COncilium Florentinum in Decreto unio- 217
nis expresè dicit: *omnem effectum, quem naturalis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quo ad vitam spiritualem & hoc Sacramentum operatur.* Hæc Concilium. Atqui cibus & potus corporalis imprimis REFICIT, id est: *sustentat, auget, reparat, confortat, delectat &c.* Ita proportionaliter hoc Sacramentum quoad vitam spiritualem animæ: 1. *Sustentat* & confert vires ad exercenda opera vitæ spiritualis, scilicet Charitatis & virtutum, ut mox infrà explicabo. *Auget*, & facit nos crescere in vita spirituali, id est, virtutibus, & maximè Charitate DEI & proximi. 3. *Reparat* vires animæ, quas noxij fomitis calor debilitat, ipsámque vitam animæ conservat & confortat in via salutis. Unde ejus figura fuit ille panis subcinericius 3. *Reg.* 19. in cujus comestu fortitudine Elias ambulavit 40. diebus, & 40. noctibus, usque ad montem Dei Horeb, 4. *Delectat*, & recreat animam dulcedine spirituali excitat fervorem Charitatis & Devotionis, sapitque spiritualis hic cibus animæ cœlesti gustu, sicut cibus & potus corporalis affert saporem sensualem: unde ei Ecclesia meritò applicat illud Propheticum Genes. 49. *Pinguis est panis ejus, & præbebit delitias Regibus.* Has tamen delitias animæ, illi soli sentire solent, qui animo ab omnibus inordinatis affectibus, etiam venialibus vacuo & purgato, sollicitè ad ejus sumptionem se præparant, ac sanctis meditationibus atque affectibus imbuti ad hanc mensam accedunt. Quare passim impeditur hic effectus per incustodiam cordis, evagationes vanas, affectiones inordinatas, complacentiam in venialibus &c. Etsi enim venialia ejusmodi non tollant, tamen minuunt, & impediunt fervorem Charitatis.

II. Præservat à mortalibus.

218 SIc Concilium Trident. *cit.* omnésque DD. Sumitur ex illo *Joan.* 6. *Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur;* scilicet spiritualiter per peccatum. Præservat autem Evchariſtia sumpta à mortalibus peccatis, quatenus Deus vi illius, hominem & interiùs specialiter protegit, ac etiam exteriùs corroborat per singulare adjutorium, ut vel represso dœmone, & amotis occasionibus liberet, vel ad superandas tentationes tempore opportuno specialia auxilia, & gratias actuales tribuat. Cæterùm quemadmodùm hoc Sacramentum non operatur suum effectum principalem, gratiæ sanctificantis augmentum sine congrua dispositione hominis, sic nec hanc à mortalibus præservationem præstat sine ejus congrua dispositione, quæ in hoc consistit, ut homo bene utatur libero arbitrio, & sedulò cooperetur auxiliis divinis, & gratiis actualibus à DEO sibi exhibitis. Unde non mirare, in multis hoc Sacramentum frequentantibus, non apparere hunc effectum: defectus ex parte ipsorum est, non Sacramenti. Non tamen omnia nobis nunc patent. Olim apparebit autem, à quot, & quantis peccatis quisque virtute hujus Sacramenti præservatus sit.

III. Venialia delet quoad culpam.

219 SIc omnes Theologi, & expresè Concilium Trid. *cit.* dicens: *Hoc Sacramentum sumi tanquam antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis*, id est, à peccatis venialibus quoad culpam, (nam pœnam temporalem debitam Evchariſtia, non ut Sacramentum, sed ut Sacrificium, ex opere operato delet) Ratio est: quia hoc Sacramentum est institutum ad nutriendam Charitatem & vitam spiritualem, adeóque ut per modum alimenti spiritualis restauret ruinas quotidianarum defectionum cum proportione ad cibum corporalem. Delet autem Evchariſtia venialia duobus modis. Primò (secundùm omnes Theologos) mediatè, quatenus nimirum confert actualia gratiæ auxilia, quibus excitantur actus Charitatis, Contritionis, & similes pij motus, per quos deinde venialia immediatè delentur, & remittuntur ex opere operantis. Secundò (secundùm *D. Thomam*, *Suarez*, & ferè communem DD.) etiam immediatè & ex opere operato conferendo remissionem venialium, ad quæ amplius in anima non viget affectus, vel complacentia actualis: adeò ut ad hunc effectum non alia requiratur dispositio, quàm digna sumptio sine actuali affectu alicujus peccati venialis: quamvis alij probabiliter etiam hic requirant aliquam positivam displicentiam, vel retractationem saltem virtualem & implicitam, qualisque sine Sacramento hoc non sufficeret ad delenda venialia. Non enim videtur Deus offensas etiam leves remittere, nisi ab eis se homo aliqualiter avertat, & ea retractet. Et hinc, quamvis per Evchariſtiæ sumptionem eo modo venialia deleantur, non tamen frustrà inducuntur probi fideles, ut ante Communionem studeant per Confessionem se à venialibus emundare. Nam suadetur ipsis, quod est securius: Confessio enim ad hoc est magis per se instituta. Deinde illa expurgatio est dignior dispositio, adeóque conferens ad uberiorem gratiam in Sacramento Evchariſtiæ accipiendam. Nam simili ratione quamvis Confessio cum sola attritione deleat tam mortalia quàm venialia, tamen non frustrà suadetur fidelibus Contritio per se, & accedenter ad absolutionem peccatorum deletiva. Prout etiam Confessio, vel saltem dolor venialium est suadenda inungendo, etsi venialia per ipsam Extremam Unctionem deleantur. Cæterùm ijs, qui nimij sunt in venialibus confitendis, Confessarij, quandoque rectè ingerunt, ex alijs quòque medijs, præsertim ipsâ sacrâ Communione deleri. Ut rectè monet noster Herinx *hic disp.* 7. *q.* 1. *n.* 4.

IV. Unit cum Christo & Fidelibus.

SAcramentum Evchariſtiæ, cùm per se insti- 220
tutum sit ad augendum fervorem Charitatis per auxilia specialis gratiæ actualis, inprimis spiritualiter unit animam Christo. Sicut enim cibus corporalis transmutatur in substantiam aliti; ita cibus iste cœlestis sumentis affectum transformat in ipsum Christum. Sic enim Christum loquentem inducit D. Augustinus 7. *Confess. c.* 10. *Manducabis me, nec tu me in te mutabis. sicut cibum carnis tuæ: sed tu mutaberis in me.* Quod pulchrè declarat D. Bonaventura: *opusculo de præparatione ad Missam. c.* 7. dicens: *Hæc est differentia inter comestionem corporalem & spiritualem, quia ibi cibus comestus transit in substantiam & nutrimentum comedentis, hic verò comedens incorporatur Christo, & transit in amorem & unitatem Spiritûs Christi.* Similiter hoc Sacramentum, cùm sit Sacramentum unitatis fidelium augendo charitatem Dei & proximi, unit fideles non tantùm cum Christo Capite, sed etiam inter se, uti indicat Tridentinum *Sess.* 13. *c.* 2. & 8. Et significant ipsæ species panis & vini. Nam-

que

Universidad de Deusto
Biblioteca

que (ut notavit D. Augustinus *tract. 26. in Ioannem.*) Aliud in unum ex multis granis conficitur: aliud in unum ex multis acinis confluit: ideóque Apostolus 1. *Corinth.* 10. ait: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.*

221 Denique hic observandum est, sicut & aliorum Sacramentorum, ita & Eucharistiæ quatenus Sacramentum est, effectum esse tantùm proprium sumentis, & nullum aliis communicabilem: secùs mox dicemus de effectu Sacrificii. Quando ergo quandoque pii communicant pro alijs vivis vel defunctis, non applicant illis Communionem, ut illis valeat ex opere operato: sed solùm applicant ipsis Communionis effectum satisfactorium vel impetratorium ex opere operantis, quatenus scilicet ipsa Communio est opus meritorium satisfactorium, & specialiter, quando Christo realiter præsente solent fideles ferventiùs & efficaciùs pro aliis deprecari, seu vivis seu defunctis. Ratio autem disparitatis inter Sacramentum Eucharistiæ sumptum, & Sacrificium oblatum est: quia Sacramentum Eucharistiæ operatur suos effectus per modum cibi spiritualis: cibus autem per se solùm proficit comedenti: at verò Sacrificium offertur per modum cultûs publici repræsentantis merita passionis & mortis Christi omnibus communia: ideóque fructus Sacrificij ex natura sua est alijs communicabilis. Hactenus de effectibus Sacramenti Eucharistiæ. Nunc ad Sacrificii effectus & fructus procedendum.

SECTIO II.

De Fructibus Sacrificij.

SUMMARIUM.

222 *Sacrificii effectus, valor, fructus quid? &*
223 *Quotuplex?*
224 *Quid valor & fructus ex opere operato, & ex opere operantis?*
225 *Quid opus operatum, & opus operantis?*
226 *Qualiter remittat pœnas purgatorij?*
228 *Quid fructus meritorius, satisfactorius, & impetratorius?* Usque ad n. 233.
233 *Qualiter Sacrificium sit satisfactorium, seu remissivum pœnæ peccatis debitæ?* Usque ad n. 237.
237 *Qualiter & qualium bonorum Spiritualium & temporalium sit impetratorium?*
239 *Qualiter sit propitiatorium, seu conferens ad remissionem peccatorum mortalium?*
242 *Qualiter sit expiatorium, seu deletivum peccatorum venialium?*
245 *Fructus ex parte participantium quadruplex;* generalis, specialis, specialissimus, & ministerialis.
246 *Fructus seu portio* generalis *qualis?* 247. *cui obveniat?* 248. *an pro libitu applicari possit,* & 249. *Quantus?*
250 *Fructus seu portio* specialis *quibus obveniat, & applicari possit?* Usque ad n. 255.
253 *Fructus seu portio* specialissima *qualis. & an aliis applicari possit?*
246 *Fructus* ministerialis *quis, & quibus obveniat?*

§ I.

Quotuplices sunt Fructus Sacrificii?

I. Quid Sacrificii Effectus, Valor, Fructus?

222 1. EFfectus *Sacrificii* dici potest omne id, quod per Sacrificium efficitur. Hinc, quia Sacrificii tres sunt partes substantiales, Consecratio, Oblatio, & Sumptio, quæ singulæ aliquid efficiunt, tres quóque erunt Sacrificii effectus. Nam ut consecratio est, Sacrificii effectus est ipsum Sacramentum Eucharistiæ, seu Corporis & Sanguinis Christi, de quo *cap.* 3. §. 3. Ut oblatio est, Sacrificii effectus propriè dicitur, fructus ejus, de quo in præsenti agimus. Denique ratione sumptionis; seu potiùs ratione Sacramenti dignè sumpti, ejus effectus est gratia sanctificans &c. de quibus modò *Sect.* 1. §. 1. & 2. Absolutè ergo, quando quæritur de effectu Sacrificii, intelligitur de valore & fructu ejus. Hinc II. *Valor* Sacrificii est ejus efficacia, quâ Deo oblatum confert bona aliqua & offerenti, & iis, pro quibus offertur. III. *Fructus* Sacrificii, sunt ipsa illa bona, quæ Sacrificium oblatum, vel potiùs ration- & intuitu Sacrificii oblati, motus ipse DEUS confert offerenti, & iis, pro quibus offertur.

II. Quæ & quot sunt divisiones valoris, seu fructuum Sacrificii?

223 TRiplex est divisio, seu tres sunt divisiones valoris seu fructuum Sacrificii, ex parte causæ, ex parte rei, ex parte participantium. 1. *Ex parte causæ* seu causalitatis, duplex est fructus Sacrificij *ex opere operato, & ex opere operantis.* De his mox N. sequenti. II. *Ex parte rei*, universim triplex est fructus Sacrificii, *meritorius, satisfactorius, impetratorius*, de quibus mox. N. IV. Paulò aliter, quantùm est ex opere operato principaliter, quadruplex numeratur, fructus satisfactorius, impetratorius, propitiatorius, & expiatorius, de quibus seorsim. §. 2. III. *Participativè, ex parte participantium*, triplex quóque communiter assignatur fructus: *Generalis*, totius Ecclesiæ: *specialis*, Eorum, pro quibus offertur Sacrificium, & *specialissimus*, ipsius Sacerdotis celebrantis. Attamen Recentiores non abs re, addunt quartum, *ministerialem*, eorum pro quibus offertur Sacrificium, loco fructûs *specialis*, per quem intelligunt fructum Missæ assistentium, vel cooperantium: sed de his distinctiùs dicam infrà. §. 3.

III. Quid est Valor & Fructus ex opere operato, & ex opere operantis?

224 1. FRuctus *ex opere operato* est, quem confert Sacrificium ex vi institutionis à Christo factæ, independenter à sanctitate & meritis Offerentis. Quâ ex parte Sacrificium ritè factum à Sacerdote malo, & quantumvis impio, ejusdem valoris & efficaciæ est, eundémque effectum seu fructum tribuit ex opere operato subjecto capaci, ac Sacrificium Sacerdotis quantumvis sancti. Fructus *ex opere operantis est*, quem confert Sacrificium, quatenus est actio religiosa procedens à Ministro gratiâ & meritis prædito, debitâ cum dispositione offerente, eóque major, quò majori gratiâ & merito præditus, majorique cum dispositione & devotione offert. An satis capis Tyro? Capio utcunque, at certè non satis intelligo, quidnam sit, vel cur dicatur illud *opus operatum, & opus operantis*? Si fusiorem explicationem expectas, vide *Suarez, Vasquez, Tannerum, Dicastillum*, allegatos à P. Gobat *Alph. Sacrif. a num.* 146. ex quo compendio sic accipe

225 II. *Opus operatum* dicitur aliqua actio (Sacramentum, Sacrificium &c.) considerata secundùm se, & sine respectu ad dispositionem, meritum, dignitatem, vel sanctitatem hominis eam exercentis, vel recipientis; atque adeò, non ut modò *facienda* vel *fienda* ab hoc tali, vel tali homine, sed jam pridem quasi *facta*, id est, instituta à Christo, atque ex ipsa institutione Christi efficax & operatoria facta ad aliquem effectum causandum, utpote gratiam conferendam, peccatum vel pœnam remittendam. Et jam capere debes, quare dicatur *opus operatum*, seu actio operata. Quia enim Christus instituit illas actiones, ut efficaces sint ad hujusmodi effectus, aptæ dicuntur illæ actiones à Christo *factæ vel operatæ*, &, quod idem est, *opus operatum.* Ac proinde effectus seu fructus, qui provenit ex tali actione secundùm se consideratâ præcisè ut à Christo factâ, vel institutâ, sine respectu ad dispositionem vel meritum hominis operantis illam, dicitur effectus seu fructus *ex opere operato. Opus operantis* dicitur eadem actio, considerata prout hic & nunc fit & exercetur ab homine hoc in tali vel tali dispositione, devotione, fervore, virtute, & sanctitate operante: ideóque fructus, quem causat actio vi talis dispositionis, fervoris, probitatis, ac meriti hominis operantis, exercentis, vel recipientis illam, congruentissimè dicitur fructus seu effectus *ex opere operantis.* Jam applica ad propositum.

226 III. Sacrificium (quod etiam est actio Sacerdotis celebrantis ac consecrantis) habet valorem & vim remittendi pœnas purgatorii in toto vel in parte; ex ipsa institutione Christi, qui nimirum instituit & decrevit, ut quando offertur Sacrificium pro una anima in purgatorio, remittatur ei aliquanta pœna, certâ aliquâ mensurâ ab eodem taxata: v. g. ponamus octo dierum: quem fructum eâdem mensurâ Sacrificium ritè oblatum semper causat & confert, quiscunque sit sacrificans, etiam pessimus, adeóque nullius apud Deum meriti, quia causat, ut opus factum, & institutum à Christo; id est *ex opere operato.* Jam verò sæpissimè per Sacrificium remittitur longè plus pœnæ: quia nimirum Deus ratione Sacrificii talis condonat non tantùm octo, sed duodecim vel etiam plures dies, attendendo ad Sacrificantis (imò etiam aliorum offerentium) dignitatem, meritum, devotionem, fervorem, aliámve virtutem tunc exercitam, v. g. magno frigore patienter tolerato, aut si podagricus magno dolore stare debeat &c. Ecce hi alij quatuor vel plures dies erunt fructus Sacrificij *ex opere operantis.* Atque similiter discurre de aliis Sacrificii fructibus infrà consequenter enumerandis, ut satisfactorio, impetratorio &c.

227 IV. Res clarior est in Sacramentis: v. g. ipsâ nostrâ SS. Eucharistiâ. Quisquis recipit Sacramentum Eucharistiæ citra obicem peccati mortalis, etiamsi tepidissimè se habeat, & eo usque modò, quò reciperet infans, vel amens, obtinet tamen aliquem gradum gratiæ Sacramentalis à Christo instituente taxatam ipsi cognitam, v. g. ponamus, *ut duo.* Quia nimirum Christus statuit, illam saltem mensuram gratiæ concedere non indignè manducantibus Carnem suam. Et hunc effectum dicitur Eucharistia causare & conferre *ex opere operato.* Jam verò tu accedis cum exacta præparatione & devotione, magno fervore, ardentibus desideriis, actibus & effectibus amoris, fidei, spei, reverentiæ &c. propter hanc tuam bonam dispositionem, dignitatem, meritum, accipis aliquid plus gratiæ, ampliorem gratiam, v. g. *ut quatuor*, vel ampliùs: illud plus, hanc ampliorem gratiam, duos vel plures gradus gratiæ dicitur Eucharistia causare & conferre *ex opere operantis.* Eâdémque ratione discurre de aliis Sacramentis, imò etiam, Sacramentalibus, ut efformatione crucis, usu aquæ benedictæ, aliarúmque rerum ab Ecclesia benedictarum, quæ ex institutione Ecclesiæ, dilectæ Sponsæ Christi, in capaci semper aliquem effectum bonum Spiritualem *ex opere operato*; at pro meliori dispositione, majorem & majorem causant *ex opere operantis.*

IV. Quid fructus meritorius, satisfactorius, impetratorius?

228 I. FRuctus *meritorius* est, quo celebrans, vel Missæ assistens debitè, in statu gratiæ, meretur augmentum gratiæ sanctificantis in præsenti, & gloriæ in futuro. Fructus *satisfactorius* dicitur, quo celebrans vel Missæ assistens satisfacit pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis jam remissis, alioquin in hac vel altera vita luendis. Fructus *impetratorius* dicitur, quo celebrans vel Missæ assistens debitè, impetrat à Deo beneficia spiritualia vel temporalia de quibus infrà latiùs. Hunc triplicem fructum habet quodlibet opus bonum in gratia factum.

229 II. Ex dictis fructibus, fructus meritorius totus essentialiter est ex opere operantis; & non ex opere operato Sacrificii ipsius immediatè, secundùm communem DD. Alioquin quoad hoc Sacrificium non differret à Sacramento, quò solò ex opere operato confertur gratia sanctificans, sicut fit in sumptione SS. Eucharistiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Unde vides dignè celebrantem duplicem percipere gratiam sanctificantem, unam ex opere operantis, quatenus dignè sacrificat: alteram ex opere operato, quatenus dignè communicat. Idémque dic de dignè assistente Sacro, & simul communicante.

230 III. At verò fructus satisfactorius & impetratorius in Sacrificio principaliter est ex opere operato, quia per se institutum est ad satisfactionem pro peccatis, & impetranda bona salutaria animæ & corporis, ut mox dicetur; & uterque est etiam ex opere operantis in dignè offerente Sacrificium, sicut est æqualiter in omni opere bono ac meritorio. Et hinc ulteriùs

231 IV. Utrumque hunc fructum, satisfactorium, & impetratorium, ex opere operato, & opere operantis, Sacerdos (vel alius offerens, imò quilibet opus meritorium exercens) potest applicare & donare alteri: at verò fructum illum meritorium, cùm sit essentialiter ex opere operantis & soli operanti proprius, alteri applicare vel donare minimè potest. Quia nemo, nisi Christus, alteri gratiam sanctificantem mereri potest; ergo neque applicare opus suum, quatenus gratiæ & gloriæ meritorium est. Relicto ergo, attamen semper suppositio opere operantis, deinceps per se solùm de valore & fructibus Sacrificii ex opere operato sermo nobis erit.

§. II.

Qualis & quotuplex est fructus Sacrificij ex opere operato?

232 *Sacrificium ex opere operato est immediatè Satisfactorium & impetratorium, ac mediatè propitiatorium & expiatorium.* Quadruplex proinde est valor & fructus Sacrificii: Immediatus duplex, *satisfactorius*, & *impetratorius*: & duplex mediatus (mediantibus scilicet impetratis per Sacrificium gratiis actualibus, auxiliis, & piis motibus) *propitiatorius* & *expiatorius*. Communis DD. ut patebit.

I. *Satisfactorium immediatè.*

233 I. Sacrificium Missæ ex sua institutione habet valorem & vim satisfactivam, ad remittendam ex opere operato aliquam pœnam temporalem debitam pro peccatis mortalibus, & venialibus jam remissis, fidelium vivorum, & defunctorum. Ita omnes orthodoxi. Et perspicuè Concilium Tridentinum *sess. 22. c. 2.* dicens: *Quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis & satisfactionibus, & aliis necessitatibus; sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolorum traditionem offertur.* Ratio est: quia Sacrificium Crucis offerebatur potissimùm in satisfactionem pro pœna peccatis nostris debitâ: atqui per Sacrificium Missæ applicatur nobis fructus Sacrificii Crucis: ergo Sacrificium Missæ primariò est satisfactorium, & quidem

234 II. *Immediatè* remittit Sacrificium pœnam peccatis debitam, nimirum per modum solutionis jam pro nobis factæ in Cruce, & nobis per Sacrificium applicatæ (Tridentinum ibidem) in subjecto tamen capaci, nimirum constituto in gratia, & affectum ad peccata non retinente: neque in eo ulla alia dispositio prævia requiritur: ut patet in defunctis, qui suis actibus minimè possunt satisfacere pro peccatis: quare suis pœnis dicuntur communiter *satispati* tantùm, non satisfacere. Et significat etiam Tridentinum *sess. 25, in Decreto de purgatorio* definiens: *Animas ibi detentas suffragiis fidelium, potissimùm autem acceptabili Altaris Sacrificio juvari.* Certum est autem juvari fidelium suffragiis immediatè per modum solutionis: ergo multò magis sic immediatè juvari debent per Sacrificium Missæ. Atque ita docent & Concilium intelligunt DD. communissimè, ut meritò asserat *Tannerus*, id absque peccato negari non posse.

235 III. Sacrificium Missæ remittit pœnam peccatis debitam ex opere operato, lege infallibili, adeò, ut fructus hic satisfactorius, de lege ordinaria sit infallibilis: idque non tantùm respectu vivorum capacium, in quo omnes Doctores consentiunt, sed etiam respectu defunctorum, secundùm communem Theologorum. (contra *Sotum & Canum*, putantes defunctis solùm prodesse Sacrificium, in quantum & prout DEO placuerit acceptare.) Ratio est: quia hic effectus est ex institutione divina, atque infallibili: atqui Sacrificium hoc æquè & indiscriminatim institutum est pro vivis & defunctis: Nec est ratio, cur potiùs illis, quàm istis infallibiliter prosit. Ais. Ergóne, si faciam Sacrum, vel fieri curem in satisfactionem pro peccatis meis, non debeo esse solicitus de implendis pœnitentiis, lucrandis indulgentiis, aliisque operibus satisfactoriis & pœnitentialibus. Insulsa consequentia à nullo Theologo, vel bono Christiano admittenda. Nam

236 IV. Non quovis Sacrificio satisfactorio tota quanta pœna peccatis debita remittitur: alioquin frustrà pro eodem defuncto v. g. legerentur plura Sacra, sed remittitur tantùm certa pars aliqua pœnæ juxta determinationem Christi, ac dispositionem offerentium & participantium. Quare post habitum hunc effectum satisfactorium, remanens pœna, quoad partem saltem remitti potest eodem Sacrificio, quatenus impetratorium est, seu per modum impetrationis, si ita applicetur ab offerente. Atque ita semper applicari debet in Missis defunctorum, ut suo loco videbimus. Animæ enim defunctorum non sunt capaces alterius impetrationis seu beneficii impetrandi, quàm remissionis pœnarum ad suam liberationem accelerandam.

II. Et

II. Et impetratorium immediatè.

237 I. Sacrificium Missæ est etiam impetratorium beneficiorum ac bonorum spiritualium ac temporalium ad salutem conducentium. *Omnes.* Constat ex suprà allegato Concilio Tridentino definiente, Sacrificium Missæ ritè offerri non tantùm pro peccatis & pœnis, sed etiam *pro aliis necessitatibus* fidelium. Ratio est: quia similia beneficia impetrari possunt per orationem: atque præstantissimum orationis genus est Sacrificium, quippe habens suam efficaciam ex meritis Christi, qui simul est principalis offerens & res oblata. Christus autem meruit nobis solùm bona salutaria, necessaria, vel conducentia ad salutem. Valet ergo Sacrificium ad impetranda bona, non tantùm spiritualia, ut singulariter gratias actuales excitantes & adjuvantes ad conversionem, ad gratiam & gloriam consequendam, auxilia specialia, ad resistendum tentationibus, ad virtutes, v. g. castitatem, humilitatem &c. impetrandas, vitia extirpanda &c.; sed etiam secundariò ad impetranda bona temporalia spiritualibus subservientia, ad salutem conducentia, v. g. sanitatem corporis, aëris clementiam, frugum proventum; ad avertendum mala opposita, ut infirmitatem, sterilitatem, famem, bella, pestem, &c. ut patet ex quotidiano usu Ecclesiæ, quæ semper consuevit offerre hoc Sacrificium pro bonis tam spiritualibus, quàm corporalibus seù temporalibus consequendis, & malis oppositis avertendis. Effectus probant experientiæ innumeræ & propè quotidianæ, testésque innumeri: antiqui & locupletissimi sunt D. Augustinus *l. 12. de civit. c. 8.* referens liberatos fuisse servos & animalia ab infestatione Dæmonum, oblatione Sacrificii. Et D. Gregorius *l. 4. Dialog. c. 57.* Fuisse cujusdam captivi vincula soluta, quoties, curante ejus conjuge, oblatæ sunt Hostiæ pro salute ipsius. Idem *ibidem* fuisse Baracam in naufragio morti ereptum eo die, quo pro eo Presbyter Hostiam sacræ oblationis immolavit.

238 II. Sacrificium est impetratorium ejusmodi beneficiorum ac bonorum spiritualium ac temporalium, ex opere operato *immediatè*: eo sensu, quo Sacrificium ex se, vi institutionis suæ, atque ex dignitate offerentis principalis, ac Hostiæ, nimirum Christi, est idoneum sufficiens, & efficax ad flectendam divinam bonitatem, ut beneficia postulata concedat, etiam independenter à dignitate vel indignitate Ministri offerentis. Quare cavenda est hic æquivocatio. Non enim dicimus Sacrificium ex opere operato immediatè causare ista beneficia ac bona, v. g. sanitatem corporis &c. sed ex opere operato *immediatè* impetrare illa: hoc est vi ipsius actionis à Christo institutæ nullo alio mediante, moveri DEUM ad conferenda bona illa, juxta conditionem & capacitatem suscipientis. Unde nec est ex opere operato impetratorium cujuscunque boni postulati seu spiritualis, seu temporalis, præcipuè determinatè, ut experientia docet. Quia Christus suam institutionem subordinavit dispositioni divinæ providentiæ. Nec habemus de ejusmodi impetratione promissionem absolutam DEI, sed tantùm conditionatam, *si nobis, quod rectè petimus, secundùm divinæ providentiæ ordinationem, dari expediat.* Veruntamen quamvis non semper obtineatur id, quod petitur, semper tamen obtinetur aliquid vel idem alio tempore opportuno, vel aliud quid, & prout DEO melius visum fuerit. Ut notant PP. & DD. communiter. Denique etsi fructus iste impetratorius principaliter sit ex opere operato, ut dictum est; certum tamen est ad eum promovendum plurimùm conducere dignitatem, devotionem, ac sanctitatem Ministri offerentis, ex opere operantis. Etsi enim dignitas principalis offerentis ac Hostiæ, Christi, sit sufficientissima ad quidvis impetrandum, efficacia tamen etiam proportionatur devotioni ac meritis Ministri ac offerentium. Quemadmodùm etiam in humanis, etsi gratus sit principalis, qui per legatum petit, gratumque munus, quod offert, facilius tamen & melius impetrat, quando legatus ejus nomine postulans, similiter gratus & acceptus est. Unde Missa Sacerdotis boni, etsi ex se, & opere operato, non plùs valeat, quàm mali, tamen ex hoc multò plùs prodest Ecclesiæ, & fidelibus, pro quibus offert.

III. Propitiatorium mediatè.

239 I. Sacrificium Missæ verè est propitiatorium, causans aliquo modo, ac conferens ad remissionem peccatorum mortalium, justificationem peccatoris, ac primam gratiam obtinendam ex opere operato: at non immediatè est remissivum peccatorum mortalium (sicut Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ) juxta communissimam Theologorum, teste Laymanno *l. 5. tract. 5. c. 1. n. 4. fine*, contra aliquos apud *Dicastillum*. Ratio est: quia virtus hæc propria Sacramentorum est, ut in actuali applicatione hominem sanctificent, gratiam conferendo vel augendo. Deinde si Sacrificium ex opere operato immediatè deleret mortalia, & conferret primam gratiam, sequerentur plura inconvenientia. 1. Sacramentum Pœnitentiæ non esset nobis simpliciter necessarium necessitate medii ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum. 2. Sufficeret sola attritio cum Sacrificio, cùm tamen illa extra Sacramentum non possit perducere ad justificationem peccatoris, ut docet Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 4.* 3. Aliquis attritus, pro quo celebratur Missa, etiam dormiens vel absens, ac ipse Sacerdos, per consecrationem justificaretur, contra omnium intellectum. 4. Sacrificium denique non differret à Sacramento quo ad hoc, nisi tantùm secundùm aliquid amplius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

240 II. Sacrificium ergo est propitiatorium *mediatè* tantùm, mediante impetratione, quatenus nimirum per Sacrificium oblatum impetrantur à DEO auxilia sufficientia & sæpe etiam efficacia, & gratiæ actuales prævenientes, excitantes, & adjuvantes pio aliquo motu ad conversionem, pœnitentiam, vitæ emendationem, ut sic proprio actu, extra, vel intra Sacramentum, consequatur remissionem peccatorum & primam gratiam. Quam doctrinam perspicuè indicat Concilium Tridentinum *Sess. 22 c. 2.* dicens : *Docet S. Synodus Sacrificium illud vere propitiatorium esse, per ipsúmque fieri, ut ---- ad Deum accedamus, misericordiam consequámur, & gratiam inveniamus* IN AUXILIO OPPORTUNO. *Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* (jam vides Concilium loqui de remissione peccatorum mediatâ, mediante scilicet gratiâ actuali, auxilio, & dono Pœnitentiæ, intuitu hujus Sacrificii à Deo impetratis & concessis) & rationem dat : *Una enim, eademque est Hostia. Idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversâ. Cujus quidem oblationis cruentæ fructus per hanc incruentè percipiuntur.* Hactenus Concilium. Certum autem est, Christum eo Sacrificio cruento meruisse nobis remissionem peccatorum, gratiam & gloriam : ergo eadem per modum impetrationis consequimur per hoc Sacrificium cruentum.

241 At numquid effectus ille immediatus impetrationis auxiliorum & gratiæ prævenientis, & excitantis peccatoris ad pœnitentiam, (sicut & justi ad majorem profectum) est infallibilis ? negat quidem *Suarez*, sed affirmat *Coninck* apud Layman. *cit. c. 1. n. 7.* Quia Christus huic Sacramento absolutè & simpliciter tribuit virtutem *remissionis peccatorum* : quod signum est eam habere ex Christi institutione, adeóque infallibiliter : quamvis autem effectus hic sit infallibilis, ac gratiæ illæ ac auxilia impetrata per Sacrificium semper sint sufficientia ad pœnitentiam, & sic mediatè remissionem peccatorum consequendam : certè tamen non semper sunt efficacia, & respectu ominum, ob defectum cooperationis. Quare non est mirum, nec dictis officit, quòd multi, qui sæpe, & quotidie Missam audiunt, imò ipsi celebrant, aut pro se offerri faciunt, nihilominus *bibant velut aquam, iniquitatem.*

IV. Expiatorium etiam mediatè tantùm.

I. Sacrificium Missæ etiam *expiatorium* est,
242 ac deletivum peccatorum venialium quoad culpam ex opere operato quidem, sed etiam non immediatè, sed mediatè tantùm, & per modum impetrationis, mediante scilicet pio per gratias actuales & auxilia divinâ virtute impetrata excitato motu, in offerente vel audiente Missam, aut in eo, pro quo offertur, quemadmodùm fit in aliis Sacramentalibus, ut aspersione aquæ benedictæ, &c. Ita (contra *Canum, Henriquez, Cordubam, Petrum Navarrum &c.* communis Sententia DD. D. *Thomas, Suarez, Coninck, Azorius*, aliósque citans *Layman. cit. n. 6.* Ratio est : quia universim loquendo, valde conveniens est, quòd peccata venialia, cùm sint quædam animæ maculæ, libero arbitrio contractæ, nunquam tollantur sine pia animæ actione peccatis venialibus aliquo modo repugnante : quam etiam gratiæ infusio comitetur. Nam licèt remissio pœnæ fieri possit per solam condonationem extrinsecam, ut nimirum debitor non sit ampliùs debitor : at verò remissio culpæ etiam venialis, ut scilicet offendens non sit ampliùs offendens, videtur non posse fieri sine aliquo proprio actu offendentis, quo is offensam aliquo modo expresse vel virtualiter retractet, revocet, & velut infectam velit, sicque DEUM offensum conciliet ; quos pios actus & motus venialium deletivos (sicut & mortalium suprà) impetrat & excitat Sacrificium oblatum in offerente, audiente, ac eo, pro quo offertur, eo modo, quo alia Sacramentalia, sed eò efficaciùs, quò his præstantiùs est Sacrificium. Attamen rectè advertunt Suarez, aliique apud *Layman. cit. n. 6.* Si curâsti fieri Sacrum pro remissione peccatorum tuorum venialium, & dispositus sis, hoc ipso tibi certò remitti omnia venialia, ad quæ non habes affectum vigentem, saltem per dictum modum impetrationis : jam enim habes voluntatem repugnantem venialibus culpis, quas per Sacrificium remitti & aboleri cupis : & oratio per Christum DEO Patri oblata, & præsentata efficacissima est ad impetrandum, in hoc Sacrificio specialiter utili ad remittendas culpas quotidianas : ut dixit Concilium Tridentinum *suprà citatum.*

II. Hinc patet, Sacrificium Missæ ex opere 243
operato *immediatè*, non solùm non delere ullum peccatum mortale, vel veniale, quoad culpam, neque conferre primam gratiam sanctificantem : sed neque in justis augere gratiam sanctificantem, conferendo scilicet immediatè tantùm per modum impetrationis, mediantibus scilicet gratiis & auxiliis actualibus per Sacrificium à Deo impetratis, quæ sicut peccatorem excitant & movent ad conversionem, Pœnitentiam, Contritionem, & sic peccatorum remissionem, ac primam gratiam consequendam, ita & justum movent ad pios motus & actus meritorios, quibus gratiam auget, & venialia delet. Nam de immediata tali Sacrificii efficaciâ nihil nobis constat ex doctrina revelatâ vel aliunde, sed oppositum potiùs, cùm nemo recipiat augmentum gratiæ sanctificantis absque proprio merito, vel susceptione Sacramenti ; atque proprium Sacramentorum sit, ut in actuali applicatione homini gratiam conferant vel augeant, ut jam suprà dixi. Deinde sequeretur justum diviteri, pro quo multa Sacra celebrant, etsi nihil de sua salute cogitet, aut dormiat, nihilominus continuò eò magis sanctificari, quò plura pro eo Sacra leguntur.

244 Ex dictis nota incidenter, universalem & adæquatam esse divisionem communem Sacrificii Missæ penes fines, in *Latreuticum, Eucharisticum, Satisfactorium, & Impetratorium.* Quia sub impetratorio comprehenditur etiam propitiatorium & expiatorium : cùm Sacrificium non alio modo sit propitiatorium & expiatorium, quàm mediante impetratione gratiarum & auxiliorum, ut dictum est. Adeóque divisio illa Sacrificii penes fines, continet sub se divisionem nostram quoad solos effectus : scilicet propitiatorium, prout delet mortalia : expiatorium, prout delet venialia quoad culpam : satisfactorium, ut delet pœnam pro mortalibus & venialibus remissis debitam : impetratorium, quatenus impetrat beneficia.

§. III.

Quotuplex est fructus Sacrificii ex parte participiantium ?

245 TRiplex communiter assignatur fructus Sacrificii. *Generalis*, totius Ecclesiæ : *Specialis*, illius, pro quo offertur : *Specialissimus*, ipsius Sacerdotis offerentis : Scotus paulò aliter : Fructum *generalem* itidem vocat totius Ecclesiæ, *specialem*, offerentis, & *medium*, illius, pro quo offertur. Sed adhuc distinctiùs Recentiores cum Suarez quadruplicem distinguunt Sacrificij fructum. *Generalem*, Ecclesiæ : *Specialem*, assistentium Sacro, & cooperantium ad illud : *Specialissimum* ipsius Sacerdotis offerentis : & *Ministerialem*, illius, vel illorum, pro quo vel quibus offert, eisque applicat Sacerdos celebrans. Ratio hujusmodi divisionum est. Quia sicut quodlibet Sacrificium, ita & Sacrificium Missæ, debet prodesse & ipsi offerenti, & ijs, pro quibus offertur : Atqui 1. Sacerdos ut Minister Christi & in persona Christi, est immediatus offerens, adeóque fructum aliquem participat, qui dicitur *specialissimus*. 2. Sacerdos non est Minister privatus suo tantùm nomine in persona Christi offerens ; sed est minister publicus Ecclesiæ : semper enim celebrat & offert in nomine, & velut in persona totius Ecclesiæ, & sic fructum confert & participat toti Ecclesiæ, qui dicitur fructus *generalis*. Ulteriùs 3. Quia unà cum Sacerdote, non solùm tota Ecclesia generaliter, sed particulariter & personaliter etiam alij secundariò, cofferunt, nimirum assistentes Sacro vel cooperantes ad illud, juxta dicenda *cap. sequenti sect.* 2. etiam hi debent participare suum fructum, quem nos vocamus *specialem*. 4. Denique Sacerdos ut Minister Christi offert pro aliis vivis vel defunctis in specie, & illis vel maximè confert aliquem fructum specialem Sacrificii, quem nos aptè vocamus fructum *ministerialem*, quia à solo Sacerdote conferri potest. Alii communiter eundem vocant fructum *specialem*, quia certis & determinatis in specie confertur. Scotus eundem vocat fructum *medium* : quia inter generalem totius Ecclesiæ, & specialissimum Sacerdotis, & particulariter offerentium velut medius est. Tametsi autem hi fructus conferantur hoc ipso ordine ordinato hâc ratione : utpote 1. Specialissimus, Sacerdoti offerenti : 2. Generalis & Specialis Ecclesiæ, aliis coofferentibus & Sacrificio cooperantibus : 3. tandem Ministerialis iis, pro quibus offertur Sacrificium, tamen explico & declaro illos ordine sequenti, prænotato, quòd hi fructus in specie à Recentioribus etiam communiter vocentur portiones.

I. Fructus seu Portio Generalis.

I. NOn satis constat, qualis sit iste Sacrificii 246
fructus generalis totius Ecclesiæ. Varii existimant, esse fructum ex opere operato tam satisfactorium, quàm impetratorium toti Ecclesiæ, & omnibus omnino fidelibus capacibus, vivis & defunctis applicatum : adeò, ut per singula Sacrificia omnibus Christianis non excommunicatis, nec peccato mortali obnaxiis certò, & infallibiliter ex opere operato remittatur aliquid de pœna temporali peccatis debita, in purgatorio luenda : sicut & ipsis defunctis singulis ibi existentibus. Ita Recentiores plerique, *Vasquez*, alij cum Tannero *hic disp. 5. q. 8.* Ratio est : quia sine dubio Christus sic potuit instituere hoc Sacrificium, & de facto sic instituisse consonum & rationi est, & majestati tanti Sacrificii ac Hostiæ infiniti valoris.

II. Certùm videtur, eum fructum tam satis- 247
factorium quàm impetratorium obvenire ijs, pro quibus Ecclesia in Missa specialiter orat, utpote Pont. Episc. Imperat. Regib. &c. Item, circumstantibus omnibus cum Sacerdote simul offerentibus, atque ad Sacrificium cooperantibus, (ubi vides fructum illum à nobis dictum *specialem*, & mox infrà considerandum, ab aliis aptè comprehendi sub fructu generali Ecclesiæ.) De cætero plures censent fructum illum generalem impetratorium esse quidem respectu omnium fidelium vivorum, præsertim quoad bona illa communia spiritualia & temporalia, quæ pro fidelibus in Missa petuntur : at verò fructum generalem satisfactorium obvenire solùm ijs modò nominatis, pro quibus Ecclesia in Missa specialiter orat, aut etiam Sacerdos. Nam quòd omnibus & singulis fidelibus ex singulis Sacrificijs obveniat aliquis fructus etiam satisfactorius Missæ ex opere operato, videtur minùs esse credibile : ex tot enim millibus Sacrificiorum quotidie oblatorum, quàm ummensæ pœnæ remissionem, quilibet justus, vivus, & defunctus obtineret ? Et, quid si Sacerdos totum hunc fructum

Universidad de Deusto
Biblioteca

generalem (etsi illicitè, attamen validè) applicaret uni soli, vel sibi ipsi? Tandem quamvis nobis certò non constet, qualis & quorum sit iste fructus, certum tamen est esse maximi momenti. Nam

248 III. Hunc fructum generalem totius Ecclesiæ non potest Sacerdos aliter applicare, immutare, aut pro libitu disponere, suspendere, uni vel aliquibus tantum applicare, aliquem vel aliquos ab eo excludere, saltem licitè secundùm communem DD. & secundùm multos, neque validè. Ratio est: quia fructus ille generalis provenit non ex intentione privata Ministri, sed ex intentione communi totius Ecclesiæ: Sacerdos enim semper tenetur Sacrificium offerre, prout Christus instituit, & Ecclesia intendit; nimirum tanquam Minister publicus Christi, & Ecclesiæ totius. Atqui Christus instituit, & Ecclesia semper intendit Sacrificium offerre pro tota Ecclesia, seu omnibus fidelibus, sic, ut fructu generali omnibus prosit membris vivis & defunctis, prout significant omnes orationes in Missa, præsertim in Canone recitatæ, clarè docent Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 6. declarans: *Missas privatas verè communes censeri debere, quia à publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Christi Corpus pertinent, celebrantur.* Hæc Concilium: quare Sacerdos verè & debitè celebrare intendens, fructum illum generalem Ecclesiæ non potest, saltem licitè, suspendere, limitare, aliter applicare in toto, vel in parte. Et proinde Sacerdos ad hoc generali Ecclesiæ fructu, aliquem positivè excludens (prout inimicum suum exclusisse impius quidam Sacerdos refertur apud Tamburinum *opusc. de Sacrif. l. 2. c. 2. §. 13.* peccaret gravissimè & dupliciter 1. contra obedientiam & instructionem Ecclesiæ, cujus in offerendo Minister est Sacerdos, ut dictum est. 2. Contra Charitatem, dum utique aliquo odio vel inimicitiâ gravi stimulatus proximum tentat excludere ab eo, & suffragiis communibus Ecclesiæ. Cæterùm: quia Sacerdos principaliter ut Minister Christi, ejusque authoritate habet potestatem applicandi fructum Sacrificii, sitotum fructum Sacrificii sui, etiam generalem Ecclesiæ debitum, vellet alicui uni applicare, vel aliter disponere, quantumvis illicitè, validè tamen facturum, post alios docet etiam noster Herincx *hic disp. 8. quæst. 7. n. 78.* & ipse Gobat *hic casu V. num. 130.*

249 IV. Fructus generalis Ecclesiæ satisfactorius & impetratorius est infinitus extensivè, & syncategorematicè, quatenus quantumvis aucto numero fidelium, respectu singulorum tamen non minuitur, sed potiùs augetur: uti mox dicetur *Sect. sequenti.* Et quamvis intrinsecè finitus & limitatus sit, cùm Sacrificium, quatenus nomine Ecclesiæ offertur, finitam habeat vim satisfaciendi juxta *ibidem* dicenda: tamen eò majorem habet vim, eòque major erit fructus, quò sanctior est Ecclesia, sive quò plures in eo justi, Deóque gratiores existunt. Communis & certa apud Layman *cit. c. 1. n. 11.* Quemadmodùm etiam Legatus alicujus Communitatis apud Regem tantò faciliùs & majora impetrat, quantò ea Regi gratior est.

II. Fructus, seu Portio Specialis.

250 COmpetit specialiter concurrentibus ad Sacrificium infrà *c. seq. n.* 324. enumerandis, ac iis, pro quibus in Missa, in *Memento* specialiter orat Sacerdos celebrans. Cùm enim ij concurrentes, ad Sacrificium cooperantes, assistentes &c. quid unum cum Sacerdote constituant, ac velut simul coofferant, etiam ipsos aliquem fructum ex opere operato, tam satisfactorium, quàm impetratorium participare debere, omnino rationi, reverentiæ, devotioni, ac dignitati tanti Sacrificii consentaneum est. Et mirum esset, si participarent de fructu *generali* omnes fideles, etiam de hoc Sacrificio nihil cogitantes, & non aliquem fructum *specialem* specialiter ad hoc Sacrificium concurrentes. Ita *communis DD.* quanquam plerique hunc fructum & portionem *specialem* sub fructu & portione generali comprehendant, ut jam *suprà num.* 247. innui. Insuper hìc aliqua specialia addenda sunt.

251 I. Fructus hic *specialis*, (quemadmodùm & generalis *n.* 249.) est infinitus extensivè, ut non minuatur, sed æquè participetur à singulis Missæ assistentibus, vel cooperantibus, sive pauci, sive plures, & quantumvis multi Missæ assistant, quin potiùs intensivè tantò augeatur, quantò plures, meliores, digniores ad Missam concurrunt, de quò *sect. seq.* plura. Insuper quantò immediatiùs, meliùs & efficaciùs quis concurrit ad Sacrificium, tantò plùs participat de hac portione *speciali* fructûs. Plus enim fructûs Sacrificii redundat in illum, qui calicem v. g. donavit, quàm qui velum calicis: qui Sacro ministrat solemniter vel privatim, quàm qui solùm audit: qui præsens interest & devotus assistit, quàm qui absens vota sua cum offerente conjungit, &c. Intellige semper, *cæteris paribus* quoad dispositionem &c. Insuper aliquid singulare de audiente Missam addam *num. IV.* 254.

252 II. Hi omnes concurrentes seu offerentes secundarii participant suum fructum *specialem* ex opere operato, etsi Sacerdos nihil de illis cogitet, nec eis conferre intendat expressè: quia semper offert in nomine totius Ecclesiæ & assistentium seu cooperantium: & solùm ad fructum *ministerialem*, variabilem pro libitu, applicandum, non item *ad generalem specialem*, vel *specialissimum*, requiritur intentio expressa Sacerdotis, ut inferiùs iterum notabo. Addit Suarez apud Gobat *cit. n.* 110. eos participare hunc fructum, etiamsi Sacerdos eos positivè excluso velit. Verùm hìc idem dicendum videtur, quod

quod suprà *num.* 248. de fructu seu portione *generali* Ecclesiæ. Si enim ab illo *generali*, certè etiam ab hoc *speciali* fructu, validè excludere poterit, etsi multò minùs licitè.

253 III. Hi offerentes secundarii, v. g audientes Missam, possunt hunc fructum suum *specialem*, tam satisfactorium, quàm impetratorium ex opere operato applicare & donare aliis, quemadmodùm alias suas satisfactiones, orationes, ac bona opera sua. Ita cum aliis Coninck apud Gobat *cit. Casu. 4. n.* 110. Et insigni eventu, ex Ænea Sylvino confirmat Fernandez. *Exam. Theol. de Sacrificio. c. 5. §. 2. q. 4.* Et significat ipsa Ecclesia in Canone dicens: *qui tibi offerunt pro se, SUISQUE omnibus.* Hinc vides, satis eruditè loqui simplices homines, quando dicunt, se velle audire Missam pro alio: quia intelligunt, se velle ei donare portionem suam *specialem.* At non æquè peritè dicunt, se velle communicare pro alio, quantùm est ex opere operato: quia Sacrificium bene, non autem Communio potest ex opere operato prodesse aliis, juxta dicta *num.* 221. Solùm ergo volunt alteri communicare fructum suæ Communionis ex opere operantis, sicut alterius boni operis, orationis, jejunii, disciplinæ, &c.

254 IV. Denique addit Lugo *de Eucharist. disp. 19. num. 235.* te plùs obtinere per modum impetrationis, etsi non satisfactionis, si devotè adsis Sacro, illud cum Sacerdote pro te offerendo, quàm si cures pro te absente Sacrum fieri. Hinc Tamburinus *suprà cit. l. 2. cap. 2. §. 14.* cujdam pauperi viduæ sollicitæ de Sacrificio juvandâ animâ defuncti sui mariti, respondit, posse fieri, ut multis Sacris devotè auditis, & DEO oblatis pro anima defuncti, ea citiùs liberetur à pœnis purgatorii, quàm si una tantùm vel altera Missa pro ipso celebretur: quandoquidem fieri potest, ut tot Sacris devotè auditis, per modum impetrationis, DEUS moveatur ad liberalem condonationem pœnæ totius, quæ tota non remitteretur uno tantùm vel altero Sacro per effectum satisfactionis, qui utique limitatus est, nec ad quantamcunque pœnam remittendam se extendit. Omnino probabilis & salutaris doctrina, pro solatio pauperum, & stimulo aliorum, ut Sacris pro se vel defunctis suis fieri curatis, etiam ipsi devotè assistant, vel alios interesse faciant.

III. Fructus Specialissimus: *Portio specialissima*

255 EST ille fructus Sacrificii, qui omnium primò confertur ipsi Sacerdoti sacrificanti, satisfactorius & impetratorius ex opere operato. Nam si alijs impropriè tantùm & accessoriè cum Sacerdote sacrificantibus & offerentibus respondet suus fructus & portio specialis, quidni & ipsi Sacerdoti in propria persona & propriè sacrificanti suus fructus meritò dicendus *specialissimus*? Et quidni 1. etiam major ipsi, quàm aliis, etiam curantibus pro se celebrari? 2. Sine dubio etiam major & major juxta dispositionem & capacitatem suam. 3. Idque semper, etiamsi ipse de hoc fructu non cogitet, aut expressè sibi acquirere intendat: atque etiam, quando accepto stipendio pro aliis celebrat: juxta communem DD. & certum dicit Gavantus *p. 2. tit. 8. n. 3.* 4. At, nunquid hunc fructum satisfactorium specialissimum Sacerdos poterit aliis applicare vel donare? Posse æquè ac satisfactorium & impetratorium aliorum bonorum suorum, cùm in hoc nulla appareat repugnantia, non improbabiliter affirmant *Filliucius*, *Molfesius*, *Naldus*, alij apud Ascan. Tamburin. *De Iure Abbatum. tom. 2. disp. 5. quæst. 9.* Et quidem Filliucius *tract. 15. c. 6. n.* 151. Taxat res tales portiones *specialissimas*, æquivalere uni portioni *ministeriali*: Ut proinde Sacerdos tribus Missis aliunde debitis, lectis, possit simul satisfacere pro aliquo quarto Sacro alteri alicui debito applicando ei illorum trium Sacrorum tres suas portiones specialissimas. (De quo ampliùs *c. 6.* cùm de stipendio.) Contrà verò non posse applicare aliis, sicut nec potest effectum Sacramentorum perceptorum, aut satisfactionem Sacramentalem, mihi probabiliùs docent Suarez *disp. 79 sect. 9.* Lugo *disp. 21. sect. 2.* Thomas Tamburinus *opusculo de Sacrificio l. 3. c. 1. §. 3. n. 71.* negans priorem Sententiam esse probabilem. Et sine dubio falsa est, si intelligatur de applicatione facta ad satisfaciendum obligationi justitiæ, de quo *infrà suo loco indicato.* Res ergo tota est incerta. Si sapis Sacerdos, semper retine tibi ipsi.

IV. Fructus, seu Portio ministerialis.

256 ALii *specialem*: Scotus, *medium* vocat, ut *n.* 245. notavi.) Est ille fructus, quem Sacerdos sacrificans, ut Minister Christi applicat, víque hujus applicationis ipsum Sacrificium oblatum ex opere operato confert iis, pro quibus Sacrificium offertur, seu quibus à Sacerdote applicatur. Ratio initio *n.* 245. indicata fuit. Estque hic fructus. 1. ex opere operato tam satisfactorius pro pœnis debitis, quàm impetratorius bonorum ac beneficiorum spiritualium, ac temporalium, pro quibus impetrandis Sacrificium offertur: 2. Quantus sit uterque, mox audies *Sect. seq.* 3. Est simpliciter in potestate celebrantis, ut pro libitu possit cum vel alij applicare, vel sibi ipsi, si voluerit, & pro aliis non celebraverit. 4. Atque ut hic fructus aliis prosit, omnino necessaria est propria applicatio Sacerdotis celebrantis, adeò, ut ab hoc fructu conferendo non possit impediri neque à Superiore, neque ab Ecclesia: quia illum non ut Minister Superioris, vel Ecclesiæ, sed ut Minister Christi applicat. Solus enim Sacerdos celebrans sustinet personam Christi, in cujus persona, sicut ipsum Sacrificium pro nobis offertur: ita enim

ejus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ejus fructus nobis applicatur. Et solus Sacerdos Minister publicus ad hoc Mysterium dispensandum constitutus, qui in ipsa Ordinatione accepit potestatem *offerendi Sacrificium pro vivis & defunctis*, & consequenter etiam applicandi ejus fructum. De hujus fructûs ministerialis applicatione, dicam consequenter inferiùs c. §. 2. Priùs nunc videndum: quantus sit iste fructus, & applicabilis.

SECTIO III.

Quantus sit valor, & fructus Sacrificii?

SUMMARIUM.

257 *Fructus & valor Sacrificii non est tantus ac Sacrificii Crucis.*
258 *Nec infinitus simpliciter & positivè, seu intensivè & extensivè.*
259 *Sed tam Satisfactorius; quàm impetratorius certus intensivè finitus.*
262 *Potest tamen impetratorius incertus dici infinitus negativè.*
263 *Qualiter fructus generalis & specialis, ac ministerialis sit, vel dici possit infinitus extensivè?*
266 *Praxis pro* Memento.

§. I.

Estnè tantus, quantus fructus Sacrificii Crucis?

257 NOn est tantus, *sed est ejusdem Sacrificii Crucis valoris ac fructûs in actu primo, & quoad sufficientia infiniti, in actu secundo efficax & limitata participatio.* Explico. Valor Sacrificii cruenti in Cruce oblati per mortem Christi, verè est infinitus, infinitè satisfactorius, omnisque plenissima satisfactio, infinitè impetratorius omnis boni, gratiæ, gloriæ &c. idque respectu omnium omni tempore existentium, imò etiam possibilium, etiam mille vel infinitorum mundorum: ex infinita nimirum dignitate Hostiæ, & Offerentis principalis ob Unionem hypostaticam cum Verbo, Christi scilicet DEI Hominis: Attamen hoc quoad sufficientiam, & actum primum per modum solutionis jam exhibitæ, ac velut in infinito thesauro congestæ: & per certa media omnibus participabilis & applicabilis. At verò quoad efficaciam & actum secundum satisfactionis & impetrationis, ut nimirum valor ille & thesaurus infinitus meritorum Christi, & Sacrificii cruenti, actu nobis prosit & participetur satisfactoriè & impetratoriè, pendet ab applicatione per certa media facienda: cujusmodi media sunt, ex opere operantis quidem actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, & omnia opera meritoria, quæ omnia vim merendi, satisfaciendi, & impetrandi ex meritis Christi trahunt. Deinde sunt media à Christo ad eam participationem & applicationem meritorum Christi, ex opere operato, specialiter à Christo instituta: ut imprimis sunt Sacramenta, quibus ipsa gratia sanctificans immediatè ex opere operato confertur ex institutione & meritis Christi. Et post Sacramenta, omnium nobilissimum medium participationis meritorum Christi, & Sacrificij cruenti Crucis, est ipsum Sacrificium incruentum Altaris, quo, eâdem Hostiâ incruentè oblatâ, Sacrificium cruentum Crucis repræsentatur, ejúsque fructus nobis applicatur, *& uberrimè participatur*, (ut loquitur Tridentinum suprà allegatum *cap. 2. num. 62.*) Est ergo fructus Sacrificii incruenti Missæ non totus fructus Sacrificii cruenti Crucis, adeóque nec tantus; sed est ejusdem fructus velut adhuc generalis omnibus, omni tempore infinitè sufficientis, in actu primo præsuppositi, particularis, determinata, in actu secundo efficax applicatio ad certos participantes, & tali tempore existentes, pro quibus eo tempore Sacrificium offertur, ejúsque fructus applicatur. Quare meritò Concilium Tridentinum *sess. 22. c. 2.* dicit: efficaciam hujus Sacrificij minimè derogare Sacrificio Crucis, cùm illud institutum sit, ut per illud salutaris Sacrificii Crucis fructus nobis applicetur. Ut proinde liceat imitari Apostolum: *Quid ergo? per Missam Crucem tollimus? absit! Sed Crucem statuimus*: quippe tanquam fundamentum efficaciæ, & fructuum Sacrificii Missæ, ut dictum est, & magis patebit ex dicendis.

§ II.

Estnè aliquo modo infinitus.

258 CErtissimum est, valorem seu fructum sacrificii non esse infinitum simpliciter & positivè, seu, ut loquimur in scholis, categorematicè, seu intensivè extensivè, quasi per Sacrificium Missæ de facto fiat infinita satisfactio pro infinitis pœnis: aut infinita impetratio infinitorum bonorum: nam talem infinitum fructum neque ipsum Sacrificium cruentum Crucis habet, vel habebit unquam: quin tale infinitum actu dari secundùm communiorem sententiam Philosophorum repugnat. Sed quæstio est, an valor & fructus Sacrificii Missæ, sit infinitus secundùm quid & negativè, seu, ut vocant, syncategorematicè, id est: *non finitus, non determinatus* ad certam quantitatem vel numerum, sed sic, ut quolibet Sacrificio possit conferri major & major fructus in infinitum (quanquam actu nunquam fiet infinitus positivè) idque & *intensivè* respectu ejusdem, & *extensivè*, respectu diversorum participantium? Cùm ergo quæritur, an valor & fructus Sacrificii satisfactorius & impetratorius sit infinitus intensivè? sensus quæstionis est, an quolibet Sacrificio possit deleri quæcunque pœna major & major in infinitum? aut impetrari quodcunque bonum majus & majus in infinitum? Similiter quando quæritur an fructus sit infinitus extensivè? sensus quæstionis est, an fructus Sacrificii, etsi de se finitus & taxatus, æqualiter tamen se extendat ad omnes participantes plures & plures in infinitum, ita ut omnes, pro quibus offertur hoc Sacrificium, quotcunque sint, plures & plures, semper tamen omnes æqualem fructum participent: & sic fructus dicetur infinitus extensivè. An verò fructus Sacrificii extendendo se ad plures, velut divisus magis & magis minuatur, adeò, ut quò pro pluribus offertur Scrificium, eò minorem fructum singuli participent. Et sic fructus dicetur finitus extensivè, seu satisfactorius, seu impetratorius. Estque quæstio de fructu generali, speciali, & ministeriali: non autem de specialissimo Celebrantis, qui unus tantùm est.

§. III.

An infinitus intensivè?

259 I. VAlor & fructus Sacrificii tam satisfactorius, quàm impetratorius certus & infallibilis (si talis detur, vide *suprà n. 241.* intensivè finitus est, & nullo modo, etiam negativè infinitus. Communissima DD. D. *Thomas, Bellarminus, Tolletus, Navarrus, Suarez*, aliisque congestis Tannerus *num. 98.* Layman *cit. c. 1. n. 9.* Ratio est: quia quamvis ipsa Hostia oblata, Christus, sit infiniti valoris & meriti. quoad sufficientiam & actum primum, ut suprà dictum: & principalis offerens, idem Christus ob Unionem hypostaticam, sit infinitè dignus, & DEO gratus, ac propterea hac Sacrificio DEUS quodammodò infinito cultu & honore afficiatur, ipsúmque Sacrificium ex natura sua secundùm primam & remotam potentiam, habeat infinitam dignitatem & valorem satisfaciendi & impetrandi, tamen secundùm actum secundum & proximam potentiam, quam habet ex Christi institutione & voluntate, non habet efficaciam producendi effectum infinitum, sed finitùm & limitatum intensivè saltem: adeóque Sacrificium, ut hàc actione à Sacerdote oblatum, finiti tantùm valoris est. Et universaliter quamvis Christi dignitas & merita infinita sint quoad sufficientiam & actum primum, tamen quoad efficaciam & actum secundum ac applicationem, semper effectus finitus promanat per Sacrificium, & Sacramenta velut instrumenta à Christo instituta.

260 II. Instituit nimirum, & voluit Christus DEUS, ut Sacrificium offeratur & prosit ad finitum tantùm & certum effectum satisfactionis, & impetrationis, à se determinandum, ac juxta dispositionem offerentium dispensandum, ut ideo tantùm Sacrificium frequentiùs & ferventiùs offeratur. Et confirmat hanc doctrinam efficaciter praxis Ecclesiæ, quæ est infallibilis interpres institutionis Christi: & ipsa ad eundem effectum obtinendum, ut maximè pro eadem anima defuncta multas Missas offerre consuevit; eô ipsô indicans valorem seu fructum unius Sacrificii esse finitum & limitatum. Quòd si enim fructus satisfactorius esset infinitus, ut quamvis pœnam majorem & majorem in infinitum delere posset, posset unico Sacrificio totum purgatorium exhauriri, nedum una anima, quantumvis gravibus pœnis obnoxia, liberari: ad quid ergo tot repetita Sacra pro defunctis, etiam unicâ animâ? Et si fructus impetratorius esset infinitus, ita ut unico Sacrificio posset impetrari quodcunque bonum majus & majus in infinitum certò & infallibiliter, quid opus esset pro eadem re impetranda, v. g. sanitate, serenitate aëris, peste avertenda, multiplicari tot Sacra juxta praxin Ecclesiæ?

III. Attamen valor & fructus Sacrificii impetratorius incertus & fallibilis, dependens scil. à libera acceptatione, & ordinatione DEI juxta dispositionem offerentium, & eorum pro quibus offertur, potest verè dici infinitus negativè, seu syncategorematicè, tam extensivè, quàm intensivè. *Communis* DD. Suarez *disp. 79. sect. 11.* Alii cum Layman *cit. num. 11.* Nam imprimis quatenus offertur nomine Ecclesiæ, esse majorem & majorem fructum, quò sanctior est Ecclesia, seu quò plures in ea Justi, Deóque gratiores existunt, jam nuper dixi, *num. 249.* Deinde, quatenus Sacrificium offertur à privatis personis, tum ab ipso Sacerdote, tum ab aliis concurrentibus, non est dubium, eò majorem & majorem impetrari fructum, quò major est devotio, quò plures & meliores, Deóque gratiores concurrentes: quin etiam ex concursu & conspiratione multorum concurrentium, crescere solet singulorum devotio, ac fervor orandi, & consequenter Sacrificii fructus, qui eis secundùm singulorum dispositionem confertur; præterquam quòd preces multorum simul in id unitorum, & tanto Sacrificio conjunctorum faciliùs à Deo audiantur, juxta promissionem Christi *Matth. 18. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis.* Quare meritò gaudent fideles plurimos interesse Sacro pro se celebrato, scientes sibi ex hoc fructum non minui, sed potiùs augeri. Neque in ejusmodi augmento fructûs potest assignari certus & determinatus status vel mensura impetrationis: ergo meritò & verè dicitur hic fructus infinitus negativè, & syncategorematicè, id est, *non infinitus* vel determinatus ad certam quantitatem, vel mensuram impetrationis. 261

IV. Ratio dictorum à priori est: quia impetratio beneficiorum innititur soli divinæ bonitati, benignitati, & misericordiæ, attentâ dispositione petentium, DEUS enim, sicuti intuitu SS. Sacrificii, rei oblatæ, & principalis offerentis Christi, ac orationum illi Sacrificio unitarum, ac per Christum oblatarum, & juxta petentium dispositionem, paratus est plura & plura, majora & majora bona, ac beneficia, uni & pluribus conferre, absque ullo præfixo statu, termino, vel mensurâ: ergo valor & fructus Sacrificii impetratorius, non quidem certus & infallibilis, attamen juxta divinæ bonita- 262

Universidad de Deusto
Biblioteca

nitatis, atque humanæ dignitatis dispositionem impetrabilis & obtinibilis est infinitus negativè, seu *non finitus, non determinatus, non restrictus* ad certum terminum, sed semper potens esse major & major &c. Confirmat hoc, & ex hoc confirmatur pia praxis Ecclesiæ, & piorum Sacerdotum omnium: quâ Sacerdos, etsi ad unam intentionem determinatam præfixam Sacrum offerre debeat pro vivo vel defuncto, adeóque illi totum effectum ministerialem satisfactorium, utpote finitum, determinatum, applicare; attamen nihilominùs utiliter & efficaciter, non tantùm in utroque *memento vivorum & defunctorum* pro variis aliit meminit, & orat; sed etiam collectas & orationes pro aliis vivis vel defunctis assumit: quæ nimirum orationes & collectæ, non solùm habent amplum effectum ex opere operantis, sed etiam sunt veræ applicationes fructûs Sacrificii impetratorii ex opere operato. Certè Layman *cit. n.* 11. sic scribit: *Communis & vera fidelium persuasio est, etsi Sacerdos pro certa persona Missæ Sacrificium offerre debeat, nihil tamen illi decedere, si in Memento, in propria persona, & ex privata devotione, idem Sacrificium pro seipso, & aliis pluribus personis, distinctis actionibus seu petitionibus offerat: cùm enim hæ oblationes diversæ & repetitæ sint, quarum nulla alteram impedit, ideo singulis tantundem fructûs impetrare possunt, quam si una sola, pro una persona fieret.* Sic Laymannus. sed vide rursus *infrà num.* 265.

§. IV.

An infinitus extensivè?

263 I. FRuctus Sacrificii & *Generalis* Ecclesiæ, & *Specialis* concurrentium est infinitus extensivè, adeò ut omnes omnino fideles capaces vivi & defuncti, omnes omnino Missæ assistentes vel cooperantes, quanticunque sint plures & plures in infinitum, æqualiter tamen ex eo fructu participent ex opere operato. Ita Communissima DD. & communis fidelium persuasio est, si plures Missam audiendo Sacrificium DEO offerant, non minorem exinde fructum referre singulos, quàm si soli essent, propterea, quòd privatæ eiusmodi oblationes distinctæ sint, ideóque eis distincti effectus respondeant. Quare Victoria apud Fernandez *hic c. 5. §. 2. q. 6.* disertè docet, crescente numero assistentium, crescere valorem & fructum Missæ, dicens: *Regulariter majoris valoris est Missa, ubi sunt multi, quam ubi sunt pauci: quoniam circumstantes etiam offerunt, sicut in Canone dicit Sacerdos: Pro omnibus circumstantibus, qui tibi offerunt.* Vide *num.* 261. 262. Deinde alioquin sequeretur Christi fideles detrimentum pati in participatione fructûs Generalis, crescente numero Christianorum, quibus omnibus intendit Ecclesia Sacrificium, eiúsque generalem fructum applicare, si nimirum pro majori numero participantium minueretur fructus. Itémque sequeretur, quòd, quo plures Missæ assistentes, vel ad illam cooperantes, eò minùs singulos participare de fructu Sacrificii, eóque minùs prodesse Sacrificium singulis: quæ per se absurda videntur.

§. Saltem non negabis tantò minùs ex hac portione speciali derivari in eos, pro quibus in suo *Memento* orat, quantò plures ii sunt? Nego constanter cum Coninck, Tannero, Gobat *n.* 129. Si tamen Sacerdos tam intentè & particulariter oret pro singulis, quàm pro uno: nam fructum Sacrificii ex devotione Sacerdotis & augeri & extendi, omnes agnoscimus.

264 II. Fructus Sacrificii ministerialis satisfactorius, quem scilicet Sacerdos applicat certis personis, vel personæ, non est infinitùs extensivè, sed quò pluribus applicatur, eò magis minuitur in singulis: ita nimirum, ut si unum Sacrificium totum applices uni, aliud duobus, hi duo dimidiatas tantùm portiones participent, & sic deinceps proportionaliter. Ita *Communis DD. D. Bonaventura, Scotus, Richardus, Durandus, Suarez*, aliíque congestis Tannerus *supra*, Layman *cit. c. 1. num. 13.* Dicastillus *disp. 3. n. 105.* Gobat *cit.* & alii passim. (contra Cajetanum, Angelum, Sylvestrum, alios non paucos, apud citatos.) Ratio est: quia licèt Christus Dominus absque dubio ita potuisset instituere hoc Sacrificium, ut singulis, pro quibus offertur in persona Christi, certus & æqualis obveniret fructus, non minuendus paucitate participantium, adeóque adeò extensivè infinitus: attamen de facto non ita instituisse, & ratio probat, & praxis. *Ratio* quidem: quia, sicut ex eo, quòd Christus aliquem fructum Sacrificii voluit esse generalem & communem omnibus, ut modò dictum: ita ex eo, quòd alium fructum voluit esse peculiarem, & proprium alicui, vel aliquibus tantùm, pro quo, vel quibus Sacrificium offertur, & applicatur specialiter, fructus ille non debet æqualiter participari à pluribus, sicut ab uno vel paucioribus: est ergo ille peculiaris & ministerialis Sacrificii fructus determinatus & uniformis ex opere operato, (quantus sit, DEUS novit, & Angeli ejus) ideóque minor venit ad plures, quàm perveniret ad pauciores, vel unum tantùm, seu minus participatur à pluribus, quàm à paucioribus, vel uno tantùm, adeóque finitus non infinitus extensive. *Praxis* verò omnium optimorum & doctissimorum Sacerdotum, imò ipsius Ecclesiæ est, ut quando volunt suum Sacrificium singulariter & magnoperè prodesse alicui: amico v. g. vivo vel defuncto, offerunt illud DEO pro ipso solo: quòd sanè nimis structâ & avarâ charitate facerent, si crederent illi uni amico nihil decedere, si ad participationem illius fructûs advocarent alios plures, præsertim pauperes, qui Sacerdotem nequeunt constituere. *Confirmatur.* Si una Missa tantundem valet pro uno applicata:

ta. cur is, qui multa Sacra promisit, vel dicere obligatur ex pacto, stipendio, fundatione, non possit omnibus satisfacere unâ tantùm Missâ? quod tantoperè improbat Ecclesia, & meritò. Deinde vanus, & quodammodò iniquus erit mos ab Ecclesia approbatus & usurpatus, ut applicentur Missæ pro uno defuncto v. g. ejúsque particulari satisfactione: cur non applicantur potiùs omnes pro omnibus fidelibus defunctis eâdem operâ æqualiter juvandis? Denique cur tam solliciti sunt fideles, ut pro se in particulari Missa applicetur, cùm tamen non sint solliciti, ut ipsi soli Missam audiant, quin potiùs gaudeant adesse multos? nimirum quia fructus iste ministerialis seu specialis Sacrificii minuitur ex consortio aliorum participantium. Non ita minuitur fructus Sacrificii Generalis, aut Specialis concurrentium ex consortio aliorum Missæ assistentium.

265 III. Fructus tamen idem *ministerialis* impetrationis, aliquatenùs potest dici infinitus extensivè, quia si pro singulis hominibus alicujus v. g. Communitatis, Collegii, Civitatis offeras Sacrificium cum tanto fervore devotionis, quanto si pro uno solo offerres, sanè Sacrificium illud tantum boni impetrabit singulis, quantum, si singulariter fecisses Sacrum pro singulis, ob rationem proximè indicatam. Vasquez *disp.* 231. Dicastillus *cit. n.* 133. Gobat *casu V. num.* 132. Secùs, si in confuso tantùm fecisses Sacrum pro decem, toto Collegio, tota urbe. Ratio est, quia applicatio hujus fructûs impetratorii, fit per orationem; oratio autem fusa pro decem in confuso non tam multum emolumenti affert singulis, quàm si pro singulis particulatim oraretur: uti definit Concilium Constantiense *sess.* 8. *contra Wicleffi art.* 15. Denique qualiter Fructus Sacrificii quatenus in nomine Ecclesiæ, & à personis privatis offertur, impetratorius, fallibilis sit intensivè, & extensivè infinitus negativè, adeò ut etiamsi Sacrificium ad unam certam intentionem pro una v. g. persona, vivâ vel defunctâ offeratur, tamen per *Memento*, orationes seu collectas & distinctas applicationes ad plures & plures se extendere possit, dixi satis *n.* 262. Ora ergo Sacerdos Dei, ora diligenter & ferventer in tuo Sacro, pro quibuscunque voles, & quantùm potes, tantùm aude. Nec timeas, ne fructum illum impetratorium exhaurias, aut ministerialem fructum certæ personæ debitum diminuas. &

266 IV. Pro coronide delicatæ hujus quæstionis, accipe praxin pro *Memento*, quod (ait Gobat piè lepidus) non debet fieri in *momento*. In memento vivorum, postquam commendâsti Deo vivos, pro quibus Sacrificium offers, ora Deum, ut eo ordine, eâque quantitate distribuat inter eos fructus, prout ille te novit obligari. Et deinde potes ut formâ traditâ à Scoto citato quodlibet 020. *Memento Domine mei, & eorum vivorum, quibus possum sine præjudicio prædictorum* (pro quibus scilicet Sacrificium quoad fructum ministerialem offerre debes) *valorem huius Missæ applicare. Et humillimè supplico Tibi omnia scienti, ut ita eum des & illis, & eo ordine feras applicatum, quò possem ego tuo Consilio, quàm optimè applicare.* Et tandem ora in particulari, pro quibus placet. Et similiter ferè fac in *Memento mortuorum.* Sed ultimò in memoriam & honorem quinque vulnerum illius, quem manibus tractas, ne obliviscâris meminisse quinque animarum illarum; quæ modo proximè liberandæ cælum ingressuræ sunt: hæ enim per te aliquantulum promotæ, statim tui memores supplicabunt Deo pro compensatione tuæ charitatis. Item & adhuc ferventiùs memineris quinque animarum omnium miserrimarum, quæ omnium sunt à suffragiis desertissimæ. Hæ enim idipsum tantò impensiùs facient, quantò clariùs cognoscunt se tibi singulariter debere sui liberationem. Plura ejusmodi Sanctæ devotionis facilè suggeret Spiritus. Quod autem de Sacrificante dixi, etiam de Audiente Missam, aut aliàs Orantibus pro defunctis, dictum esto.

SECTIO IV.

De Applicatione Fructûs Sactificii.

SUMMARIUM.

267 *Quibus prosit, & applicari possit fructus satisfactorius?* usque ad n. 271.
271 *Quibus prodesse, & applicari possit impetratorius?*
272. *Qualiter Sacrificium offerri possit pro Beatis?*
274. *Qualiter pro Infidelibus?*
275. *Qualiter pro Catechumenis? &*
276. *Qualiter pro Excommunicatis?*
278. *Quando facienda sit applicatio?*
279. *Explicantur varii modi applicandi.*
280. *Quando valeat applicatio sub conditione de præsente, vel de futuro?*
283. *Quid si Sacerdos nulli applicet?*
284. *Aut incapaci?*
285. *Vel prius uni, postea alteri?*
287. *Sacerdos contra voluntatem Superioris applicat illicitè quidem.*
289. *Attamen validè.*
293. *Potest Celebrans validè, & sæpe licitè dividere fructus Sacrificii.*
295. *I. Quoties et non incumbit celebrare ad aliquam certam intentionem,*
296. *II. Vel liberaliter promisit pluribus, præsertim ad diversos fines,*
298. *III. Aut quando ex sola obedientia, præcepto, vel statuto tenetur facere Sacrum ad aliquem unum certum finem.*
299. *IV. Non verò, si obligetur ex justitia pro stipendio accepto, vel accipiendo.*

§. I.

Quibus prodest & applicare potest Fructus Sacrificii.

QUæstiones incidentes sunt: pro quibus Sacrificium offerre liceat, & utiliter offerri possit: aut quid requiratur ad hoc, ut quis participet fructum Sacrificii. Et procedit quæstio de fructu Sacrificii & satisfactorio & impetratorio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

I. Quoad Fructum satisfactorium.

267 FRuctus satisfactorius prodest solis viatoribus justis in gratia constitutis: adeóque pro istis solis Sacrificium fructuosè offerri potest quoad fructum satisfactorium. Communis DD. Explico breviter:

I. *Solis viatoribus.* Quales quoad statum satisfactionis etiam adhuc censentur esse fideles defuncti in purgatorio. Non ergo potest prodesse hic fructus Beatis in cælo, quibus nulla superest satisfactio: neque damnatis, quia in inferno nulla est redemptio, nec consequenter satisfactio: Nequn parvulis sine Baptismo defunctis: quia non ampliùs viatores, sed etiam sunt in termino suo, termino damnationis æternæ quoad pœnam damni.

268 II. Solis viatoribus *justis in gratia constitutis* prodest hic fructus. Ratio clara est: quia remissio pœnæ temporalis (qualis fit per fructum Missæ satisfactorium) non potest fieri, nisi priùs pœna æterna peccato mortali debita remissa, & in pœnam temporalem commutata sit, atque hoc ipso peccatum mortale remissum sit per justificationem, adeóque homo jam justus, & in gratia Dei constitutus sit: quare non potest prodesse existentibus in peccato mortali æternæ adhuc pœnæ reis: & singulariter excommunicatis. Ubi incidenter nota: Quòd si alicui propter obicem peccati mortalis non profuit fructus satisfactorius Missæ à se vel pro se celebratæ, etiam postea ablato obice non ampliùs profuturus est: quia neque Sacrificium oblatum, à vel pro justo, tunc nullâ satisfactione indigente, v. g. jam jam indulgentias plenarias consecuto, suspenditur, usque dum rursus indiguerit, aliquo novo peccato veniali commisso, ergo multò minùs suspenditur pro peccatore, usque dum pœnituerit.

269 III. Rectissimè ergo Sacrificium offertur pro animabus defunctorum in purgatorio detentis, ut contra hæreticos latè demonstrant Theologi & Controversistæ: idque quoad fructum satisfactorium, *ut à peccatis*, id est, peccatorum pœnis, *Solvantur*, 2. *Machab.* 12. ac definit Concilium Tridentinum *sess.* 2. 2. *c.* 2. At verò nec validè, nec licitè offertur pro damnatis, id est notoriè in statu peccati mortalis defunctis. Nam ut ait D. Augustinus relatus à Concilio Triburiensi *cap.* 31. *Nemo te post mortem redimet, quia tu te redimere noluisti.* Et cap. placuit 23. *q.* 5. cavetur: *Placuit, ne pro iis, qui violentam mortem sibi intulerunt, ulla prorsùs in oblatione commemoratio fiat.* Quod tamen post alios Gobat *num.* 170. rectè intelligit de *commemoratione publica*, per collectam v. g. nomine Ecclesiæ faciendâ. Nihil enim obstat, quin in tuo *Memento mortuorum* ex privata devotione dicas: *Domine commendo tibi etiam animam illius, qui se nuper suspendit, vel submersit, si forte ex inculpata amentia fecit, aut si ante mortem vere pœnituit.* Certè potes pro tali privatim recitare rosarium: quidni etiam ejus meminisse in Sacro? Idem dicendum pro solatio eorum, quorum parentes, consanguinei, &c. in hæresi lutherana, vel calviniana decesserunt. Possunt enim & privatim pro iis orare, & si Sacerdotes sint, in Sacro eorum meminisse sub simili conditione, puta: *Si forte decesserunt in hæresi solùm materiali, & alioquin in statu gratiæ fuerunt.*

IV. Quoties lego Requiem, turbat me ora- 270
tio Offertorii, & cogit me cogitare etiam orari pro damnatis in inferno, quia non satis intelligo illa mirabilia & obscura aliqua verba: velim paululùm hìc explicari. Accipe ergo compendio ex Azorio *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 22. *quæst.* 8. ex quo etiam Gobat *loc. cit. Domine Jesu Christe, Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum:* 1. *de pœnis inferni:* intellige de igne purgatorij, qui idem est cum igne infernali damnatorum. Sic enim, cùm in Symbolo profiteris de Christo: *descendit ad inferos:* non intelligis damnatos in inferno, sed justos in purgatorio, vel limbo Patrum &c. II. *De ore leonis*, id est, à potestate, tyrannide & tortura Dæmonum, nam animas in purgatorio etiam à Dæmonibus torqueri, constat ex revelationibus & historiis authenticis apud *Bedam*, *Carthusianum*, & alios. III. *Et de profundo lacu:* id est à carcere sub terra abdito & obscuro, ubi regulariter saltem detentæ expiantur animæ justorum. IV. *Ne absorbeat eas tartarus:* id est: ne eas ampliùs & diutiùs carcer ille, & vincula detineant, & quasi fauces belluæ immanis quasi absorptas vel penitùs absorbendas concludant. V. *ne cadant in obscurum*, id est: ne post hoc Sacrificium oblatum, quo se emergere & evadere è pœnis confidunt, permittas illas in obscuro illo carcere diutiùs cruciari, & post hanc tantam spem liberationis, quasi de novo in illas pœnas incidere. VI. *Sed signifer sanctus Michael repræsentet illas in lucem sanctam*; id est: fac, ut per hoc Sacrificium pœnas debitas exsolvant in totum, ut proinde eas plenè purgatas, mundásque S. Michaël sistat in luce & patria cælesti. Denique in Missa & Officio defunctorum pœnæ purgatorii etiam vocantur *æternæ*, in quantum scilicet duraturæ sunt usque ad finem mundi, communi stilo sacræ Scripturæ, quæ multas res vocat *æternas*, quæ tamen tanto tempore non durârunt, vel durant, quantum est usque ad diem extremum judicij, ut vel Tyroni in sacra Scriptura notum est.

II. Quoad Fructum impetratorium.

271 FRuctus impetratorius Sacrificii omnibus prodesse potest, adeóque quoad hunc fructum, Sacrificium pro omnibus rectè offerri potest fidelibus vivis, etiam quantumvis peccatoribus, & defunctis: etiam infidelibus, vel catechumenis: etiam aliquo modo pro Beatis: exceptis solis damnatis, & excommunicatis saltem non toleratis. Ratio generatim est: quia fructus impetratorius, etsi intuitu Sacrificii fiat, procedit ex sola libera Dei misericordia, non autem ex certa dispositione recipientis, sicut fructus satisfactorius: ideóque intuitu Sacrificii, & ex opere operato omnibus prodesse potest quoad aliquod bonum spirituale, vel temporale. Unde etiam pro existentibus in peccato mortali saluberrimè offeruntur Sacrificia ad impetranda ipsi auxilia divina efficacia excitantia & adjuvantia ad conversionem, pœnitentiam, emendationem. Verùm hìc particularia aliqua explicanda sunt.

I. Pro Beatis.

272 ATque in memoriam & honorem Sanctorum, quos publico Ecclesiæ testimonio constat jam esse translatos in cælum, & gloriâ æternâ perfrui, rectè Deo offeruntur ad finem 1. *Latreuticum*: quatenus in memoriam & honorem, ac nomine Sanctorum Deum colimus cultu illo supremo Latriæ, magno eorum gaudio & gloriâ accidentali, ut iterum notabo *cap. seq. Sect.* 3. §. 1. *cui offerendum Sacrificium*: 2. *Eucharisticum*: ut gratias agamus Deo pro beneficijs gratiæ & gloriæ collatis in illos suos nimis honoratos amicos, aut etiam pro beneficiis eorum intercessione & intuitu à Deo nobis collatis, quæ valde nota in Festo Sanctorum celebrans, vel Missam audiens. 3. *Impetratorium* nobis, ut nobis eorum intuitu & meritis à Deo beneficia spiritualia vel temporalia salutaria impetremus. 4. Quin etiam quandoque ad finem impetratorium ipsismet Sanctis, non utique alicujus gloriæ essentialis vel accidentalis absolutæ impetrandæ in cælis, ibi enim jam sunt in suo termino; sed bene alicujus gloriæ accidentalis respectivè impetrandæ in terris, & Ecclesia militante, rogantes Deum virtute Sacrificii, ut eorum cultum longè, latéque propagare dignetur, præsertim suæ Sanctissimæ Genitricis, pio impetranda à Deo Canonizatione alicujus Sancti &c. Sic dum Romæ ageretur de definienda Immaculata Conceptione B. V. MARIÆ: aliquis piè facetus aliis dicere solebat: *Orate pro B. V. Maria*: id est: orate pro impetranda hac gloria accidentali purissimæ Conceptionis Deiparæ in Ecclesia manifestandæ. Poterat ergo alius similis devotionis ad eundem finem offerre Sacrificium.

273 At quid de parvulis post Baptismum defunctis, qui statim in cælum evolant? clarum est, pro iis non posse offerri Sacrificium, nisi ad finem *Latreuticum*, & *Eucharisticum*: & specialiter ad commendandum Redemptionis mysterium in hoc Sacrificio repræsentatum, per quod parvuli illi sine proprio merito salutem æternam consequuntur, ob idque Deo supremum cultum exhibendo & gratias agendo: deinde etiam ad ostendendum illos parvulos ad unitatem Corporis mystici Ecclesiæ pertinere. Unde non est dicenda pro eis Missa *de Requiem*, nisi pro omnibus defunctis: ut notant DD. communiter.

II. Pro Infidelibus.

274 PRo his etiam licitè & fructuosè offerri potest Sacrificium, quantùm ad effectum impetrationis. Nam & veteri lege leguntur Sacrificia oblata pro infidelibus: ut 2. *Machab.* 3. Onias Pontifex obtulit Sacrificium pro Heliodoro Ethnico ob tentatam deprædationem thesauri templi divinitùs flagellato, & alibi. Et Apostolus 1. *Timoth.* 2. vult fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: quia unus Deus, unus est mediator Dei & hominum homo Christus JEsus, qui dedit se ipsum redemptionem pro omnibus. Ratio est: quia hoc Sacrificium est applicativum meritorum Christi & Sacrificii in Cruce oblati pro omnibus quoad sufficientiam: ergo etiam quoad efficaciam potest offerri pro omnibus alicujus ejus fructûs capacibus: atqui infideles sunt capaces alicujus fructûs Sacrificij: non quidem quoad meritum & satisfactionem (quemadmodùm nec fideles in peccato mortali existentes) attamen bene quoad impetrationem, etiam ex opere operato, quatenus intuitu Sacrificii eis impetrari possunt aliqua bona tam spiritualia, ut gratiæ actuales, auxilia divina, bonæ inspirationes, & lumina in ordine ad conversionem, pœnitentiam &c. quàm temporalia, ut sanitas corporis, libertas, serenitas aëris, vel pluvia &c. Unde sic volente infideli Turcâ, Judæo, pro eo non tantùm Sacrificium offerri ad ejusmodi fines, sed etiam pro oblato stipendium exigi & recipi poterit. Nec obstat, quòd is tantùm partem fructûs Sacrificii recipiat (sicut & fidelis existens in mortali. Quia solus etiam fructus impetratorius tanti est; ut superet omnem æstimabilitatem pretij temporalis. Ex communi apud citatos.

III. Pro Catechumenis.

275 PRo his à fortiori, etiam offerri potest Sacrificium, quoad fructum impetratorium, eadem enim ratio pro his fortiùs militat. At numquid etiam quoad fructum Satisfactionis offerri potest & prodesse Catechumeno jàm justificato per contritionem ante Baptismum, vivo, vel defuncto? Communior Sententia negat apud Layman *l.* 5. *tract.* 5. *c.* 2. *n.* 8. Alij tamen varij apud eundem & Tamburinum *opusc. de Sacrif. l.* 2. *c.* 2. 3. piè & probabiliter concedunt & affirmant. Eò, quòd Catechumeni non sint omnino extra Ecclesiam, sed aliquo modo, inchoativè jam spectant ad Ecclesiam visibilem per fidem, quam jam animo conceperunt, & exteriùs professi sunt: ideóque putandum est, Christum non voluisse eos excludere à fructu & satisfactione Sacrificij: Exemplum

Universidad de Deusto
Biblioteca

affertur de Novitiis, qui inchoativè jam spectant ad illam Religionem, quam probant, & profiteri intendunt, & ideo illius Religionis privilegiis gaudent.

IV. Pro Excommunicatis.

276 Sacerdos, ut publicus Minister Ecclesiæ, atque in persona & nomine Ecclesiæ, offerens, & orans, non potest, nec validè, nec licitè, offerre Sacrificium pro excommunicatis, saltem non toleratis & vitandis (quales sunt solùm nominatim denuntiati, & notorij percussores Clericorum) *Omnes.* Ratio clara est, quia id Ecclesia expressè prohibet *c. sacris de sententia* excommunicationis, privans excommunicatum omnibus communibus Ecclesiæ suffragiis, inter quæ præcipuum est Sacrificium nomine Ecclesiæ oblatum, nec omnino vult pro talibus orari in publicis suis precibus, ut proinde longè miserrima sit sors ejusmodi hominum. Atqui Sacerdos nomine Ecclesiæ offerens & orans, nec licitè, nec validè illius intentionem mutare potest, ut vel aliquem excludat, quem Ecclesia in sua generali intentione includit, vel aliquem includat, quem Ecclesia exclusum vult, nempe excommunicatum. Ergo.

Dixi: *saltem non toleratis.* Nam pro excommunicato tolerato & non vitando (quales sunt omnes præter suprà dictos) simpliciter posse offerri Sacrificium, etsi plures negent, attamen ex communi rectè concedunt Tannerus *to. 4. disp. 5. q. 9. n.* 88. Tamburinus *cit. S. 3. n.* 8. Ratio est: quia illud nullum jus clarè prohibet, quin favet Concilium Constantiense *Extravag. ad evitanda scandala.* Universaliter permittens fidelibus, in quibuslibet, etiam in Sacris, communicare cum excommunicatis toleratis, seu non vitandis. Quæ concessio ad dilatandas conscientas data, non est restringenda sine fundamento, & licèt principaliter data sit in favorem fidelium, & non excommunicatorum: tamen etiam hic agitur de favore fidelium, ne restringatur libertas orandi & sacrificandi pro quibuslibet.

277 II. Sacerdos quatenus ut privata persona Sacrificium offert & orat, omnino potest illud offerre, & fructum tam satisfactionis, quàm impetrationis secundùm privatam suam dispositionem proventurum applicare cuicunque homini capaci, quamvis excommunicatus non toleratus sit. *Communis DD. Sylvester, Navarrus, Suarez, Coninck,* alii cum Layman. *cit. c. 2. n.* 17. Quia Ecclesia solùm privat suffragiis Ecclesiæ communibus seu publicis, adeóque etiam Sacrificio, quatenus offertur nomine Ecclesiæ: atqui ista privata oblatio & oratio est oratio propria Sacerdotis, ideóque meritò ejus arbitrio permittitur, nec ab Ecclesia prohibetur: *& fortasse prohibere non potest, quò minùs ex motivo Charitatis communicetur cuicunque homini spiritualium bonorum, & salutis capaci. Quemadmodum & alii ad Sacrificium concurrentes privatâ devotione illud offerre possunt, pro quibuscunque volunt, tam vivis, quam defunctis, si capaces esse credantur.* Sic Layman *loc. cit.* Inde patet, posse Sacerdotem in *Memento*, vel aliàs sub Missa privatim orare pro excommunicatis; at non per orationes, seu collectas, quæ communi Ecclesiæ nomine dicuntur. Quin imò in iisdem orationibus seu collectis, v. g. *pro peccatoribus, infirmis, defunctis &c.* recitatis potest animo suo intelligere & comprehendere etiam excommunicatum peccatorem, infirmum, defunctum. Quia etiam hoc modo Sacerdos agere potest nomine suo privato, & non nomine Ecclesiæ. Pro bestiis denique sine dubio non potest offerri Sacrificium directè, ut ipsis in se & propter se prosit: sed tamen bene indirectè, nimirum quatenus directè offertur pro ipsis hominibus ad conservanda ipsis sua bona temporalia, inter quæ non infimum locum tenent etiam bestiæ, præsertim utiles, boves, oves, equi.

§. II.

Quomodo facienda est applicatio fructûs Sacrificii in particulari ad certas personas?

Quæstiones remissivæ.

278 I. Qualis requiritur intentio applicandi fructum Sacrificii? dicam commodiùs *cap seq. sect. 3. §. 2. cùm de Offerente.* II. Quando debet fieri applicatio, seu intentio applicandi fructum: *Ibidem §. 3. & consequenter §. 4.* de obligatione applicandi fructum. III. Quem fructum pro libitu potest applicare Sacerdos? Resp: Fructum ministerialem: *suprà num. 256.* & probabiliter etiam suum specialissimum, *suprà num. 255.* non autem fructum generalem Ecclesiæ, *suprà num. 246.* Nec specialem assistentium; *suprà num. 252.* IV. Quis fructus speciali intentione debet applicari à Sacerdote? Resp. solus fructus *ministerialis*, non item fructus *generalis, specialis, specialissimus*, uti *eodem* §. 3. de singulis jam indicavi. Ratio est, quia eô ipsô, quô Sacerdos ut Minister Christi & Ecclesiæ offert Sacrificium ad cultum Dei, absque alia applicatione, provenit, & Ecclesiæ suus fructus generalis, assistentibus suus specialis, & sibi ipsi suus specialissimus: non item eô ipsô provenit alicui fructus ministerialis, qui variabilis est, & à speciali intentione applicante Celebrantis dependet. Quòd si Sacerdos non applicet, patebit *infrà in dubiis.* Ergo de applicatione solius fructûs ministerialis, (quem alii specialem vocant) sermo esse debet.

Explicantur modi applicandi.

279 Dupliciter fieri potest applicatio fructûs Sacrificii: aut expressè, scilicet nominatim exprimendo personam: v. g. *Offero tibi Domine hoc Sacrificium, pro Petro, Paulo, Patre meo, &c. vivo vel defuncto:* aut implicitè & generali termino & intentione tangendo personam, vel personas in particulari: v. g. *Offero tibi hoc Sacrificium pro illa persona, pro qua vult offerri Superior.* Subditus enim satisfacit simpliciter legendo ad intentionem Superioris. Item: *Offero pro illa persona, quæ hodie plurimum pecuniæ misit in Gazophilacium.* Item; *Offero pro ea anima, quam Deus nôsti maximè indigere: pro anima miserrima in purgatorio: pro omnium diutissimè cruciandâ: pro anima nuperrimè defuncta in nostra civitate vel Provincia.* Item. *Offero pro vivo vel defuncto, cui Deus scit me maximè obligatum: aut nunc debere pro eo offerre: aut pro ea anima, pro qua de facto vult me offerre.* Non autem sic. Offero hoc Sacrificium, ut Deus ipse applicet vel applicare velit. Quia ex institutione Christi, Sacerdotis est, & non DEI Sacrificium applicare & determinare: atqui priori modo adhuc determinat Sacerdos, non autem posteriori modo. Tamburinus *l. 2. c. 2. §. 9. n.* 17. Similiter in Ecclesiis, in quibus per annum, singulis mensibus, septimanis, certis diebus, celebrantur certæ Missæ pro defunctis v. g. pro Fundatoribus &c. satis erit, si celebrans intendat applicare Missam pro ea anima, vel aliis animabus, quibus eo die debetur: quamvis utique meliùs sit, earum distinctè meminisse. Cæterùm Sacerdotibus obligatis celebrare Missam ad certas intentiones, servire potest formula, quam tradit Scotus *suprà num. 266.* Aut simpliciter dicat: *Dignare Domine Deus hoc Sacrificium specialiter acceptare pro illis, pro quibus scis me debere specialiter offerre, ex obedientia, ex justitia, ex promissione, ex fidelitate.*

280 II. Valida est etiam applicatio facta sub conditione de præsenti subsistente, vel de præterito jam impleta, utpote offero pro hac anima, si capax est, si indiget, pro Petro, si ut audio, mortuus vel infirmus est. Quia applicatio facta sub conditione impleta transit in absolutam, eíque æquivalet. Invalida est autem applicatio facta sub conditione de futuro contingente: *Offero Petro nunc, si intra hunc annum morietur; si ægrotabit, si stipendium bonum offeret, si uxorem ducet, si Religionem ingredietur, &c.* ad hoc enim, ut applicatio sub conditione sit valida, debet conditio existere pro illo instanti, quando datur fructus Sacrificii: atqui conditio pro illo instanti nondum existit: ergo &c. Nam juxta communissimam Sententiam DD. ad effectum, non solùm Sacramentorum, sed etiam Sacrificii requiritur intentio absoluta & independens ab eventu contingente in futurum v. g. invalidè baptizaretur infans sub conditione, si in fide suscepta adultus defecturus non sit. Ratio petenda est ex institutione Christi, quam communis sententia DD. & Ecclesiæ praxis satis declarant. Nam sicut Deus nec punit, nec præmio afficit hominem nunc propter opera ejus postea futura bona ac mala: ita nec fructum Sacramentorum aut Sacrificii

confert homini cum respectu & dependentiâ ad opus ab eo liberè postea futurum. Declaratur hoc ampliùs. Quando offers hodie Sacrificium pro aliquo sub conditione de futuro: v. g. si stipendium cras obtulerit: vel fructus Sacrificii proveniret ipsi hodie statim, quando Sacrificium pro ipso offertur ante conditionem impletam, ut sentit noster Corduba apud Layman *n.* 13. quod dici nullo modo potest ob rationem jam datam: & quia tunc cras in libera potestate Petri erit, quòd sibi hoc Sacrificium tuum profuerit, vel non profuerit, quod sanè absurdum, imò ridiculum est dicere: vel ei postea primò eveniet fructus Sacrificii, cùm eventus conditionis positus erit, utpote quando stipendium largietur, ita ut interim fructus Sacrificii maneat suspensus in DEI scientia & acceptatione, uti sentiunt *Arragonius & P. Navarrus ibidem.* Neque hoc dici potest. Sic enim Sacerdos posset applicare fructum Missæ satisfactorium pro nunc actu peccatore, ut ipsi proveniat, quando à peccato justificatus erit; Item posset applicari infanti, vel alteri homini nondum indigenti, ut ipsi proveniat, posteaquam in peccata lapsus fuerit: &c. quæ utique absurda sunt, & contra omnem Ecclesiæ sensum ac praxin:

281 III. Eâdem ergo ratione invalida est omnis applicatio facta in eventum futurum; valida autem facta ad eventum jam præteritum. v. g. valet applicatio, si dicas: Offero Sacrificium pro ea persona, quæ proximo tempore ex nostra Provincia vel Congregatione, vel ex Benefactorum nostrorum numero mortua est: quæ fieri Missam petiit, & memoriâ excidit: At non valet, si dicas: Offero tibi DEUS hoc Sacrificium pro illo, quem ego postea designavero, vel Superior designabit: qui primus ex nostris fratribus obibit diem suum, qui mihi prior offeret stipendium &c. Quare non satisfacit Sacerdos Francicanus offerens Sacrificia pro fratribus proximè morituris & promulgandis: satisfaceret autem offerens pro jam proximè mortuis, etsi nondum promulgatis, nec sibi adhuc cognitis, ut in simili notat Layman *cit. tract. 5. c. 2. n.* 14. *in Corollario.* Simpliciter autem reprobanda est praxis illorum Sacerdotum, qui cùm non habeant intentiones & stipendium pro Sacrificiis, celebrant Sacrificia sine applicatione præsenti, postea primùm applicaturi, & velut è marsupio erogaturi illis, qui petent, & stipendia offerent: non enim est in potestate illorum ita fructum Sacrificii suspendere: cùm Sacrificium conferat suum effectum, quando actu offertur. Quibus autem prosint illa Sacrificia sic actu nulli applicata, videbimus inferiùs *dubio* 1. Quin & communis DD. meritò reprobat praxin illorum, qui per modum anticipatæ solutionis offerunt, & tunc applicant fructum Sacrificii illis, qui postea petent, & offerent stipendium. Nam licèt possit contingere, ut tali cras petituro tu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

um Sacrificium jam hodie prosit, puta, quia jam capax est, ejúsque intentionem & causam tu tetigisti, semper tamen periculum est, ne futuræ intentioni petentium non satisfiat : ntpote quia hodie adhuc vivit, pro quo cras defuncto petetur, aut quia huic totus fructus Sacrificii hodie non prodest, cras autem prodesset jam dispositio. Et ideo praxis ista, tanquam periculosa, scandalosa, & communi vetustissimo Ecclesiæ mori contraria, reprobata & damnata est à Clemente VIII. & Paulo V. uti testantur *Gavantus*, *Diana*, *Thomas Tamburinus*, *Ascanius Tamburinius* describens censuram hujus practicæ, apud Gobat *casu* 17. *num.* 603. Atque etiam à Congregatione Cardinal. anno 1605. apud Barbosam *in Concil. Trident. ad sess.* 22. *in principio.*

282 IV. At, quid si expresè ita dicas: *Offero pro eo homine, quem DEUS scit primum ex hac Communitate moriturum: aut pro illo, quem DEUS novit esse primò petiturum, & stipendium daturum, & ad intentionem illius, quam futuram DEUS jam scit* : v. g. pro se ipso, vel alio infirmo, pro amico defuncto, &c. Tunc validam esse consecrationem affirmant *Corduba*, *& Vasquez* apud Layman. *cit. n.* 14. Et probabile Judicat Lugo *disp.* 12. *sect.* 4. *n.* 137. Imò & licitam putat Pellizarius *Manuali Regular. tract.* 5. *c.* 9. *sect.* 3. *num*, 68. Ratio est: quia Sacrificium validè applicatur alicui sub conditione jam existente : ex dictis *num.* 260. Atqui conditio illa: *quem Deus scit vel novit*, *&c.* jam existit : ergo si etiam causa, propter quam ille à DEO præscitus (v. g. infirmitas propria, vel alterius, mors amici &c.) petet, Sacrificiúmque & stipendium offeret, jam existat tunc, quando sacrificatur ad illam à DEO præscitam intentionem, valida erit illa applicatio, & tunc statim conferetur fructus petituro, neque suspenderetur effectus Sacrificii in futurum, cùm supponatur jam adesse causam finalem Sacrificii postulandi. Non ausim ego negare probabilitatem huic sententiæ. Verùm etiam hanc applicationem valere, cum *Suarez & Coninck* rectiùs negat *Layman eodem num.* 14. Ratio valida est, quia scientia DEI *visionis* objectivè dependet ab ejusmodi liberis & contingentibus & actionibus (nam ideo DEUS scit Titium moriturum, aut hoc vel illud facturum, quia ipse revera moriturus, aut liberè facturus est,) atque ideo conditio hæc: *Si DEUS scit vel novit hoc futurum &c.* virtualiter & æquivalenter non minùs est de futuro contingenti, quàm ipsemet eventus contingenter & liberè futurus est: adeóque adhuc urget ratio data *num.* 280. Certè adhuc sequitur: quod, si Titius sciat me obtulisse Sacrificium pro eo, quem Deus scit mihi stipendium cras daturum, cras in libera ejus potestate esse, ut ipsi hodie Sacrificii mei fructus obveniat vel non obveniat? quod ridiculum videtur. Denique ut *ibidem* dixi, secundùm legem ordinariam, quam nobis Ecclesiæ traditio testatur. Deus non solet hominem punire aut præmio afficere, aut gratiam Sacramentorum vel fructum Sacrificii conferre, secundùm præscientiam futurorum contingentium, ac liberorum eventuum, sed secundùm præsentem duntaxat hominis statum ac conditionem : siquidem id magis congruere videtur divinæ providentiæ ac suavi gubernationi, quæ omnimodè se creaturaram suarum naturis accommodat. Ac tandem, quicquid sit de valore hujusmodi applicationis: nego constanter cum communi, etiam Lugo & Gobat *citatis*, hanc praxin esse licitam : quia, (ait Suarez apud Layman *cit.*) est contra usum Ecclesiæ, & magnos abusus parere posset, si introducatur.

§. Quid autem sentiendum de praxi illorum, etiam aliquorum Sanctorum, qui adhuc viventes, ipsi præsentes & assistentes curant pro se celebrari Exequias & Missas de Requiem, ut eis post mortem prosit? mihi placet judicium ejusdem P. Laymanni *eodem c.* 2. *n.* 15. si nosse cupis, lege. Alia magis necessaria & practica dubia explicanda restant.

§. III.

Resolvuntur aliqua dubia.

DUBIUM I.

Quid si Sacerdos nulli applicet fructum sui Sacrificii?

283 GEneraliter eum fructum nulli profuturum in particulari, sed remansurum in thesauro Ecclesiæ, docent *Suarez*, *Vasquez*, alii. Ratio ex dictis patet. Idque verissimum est, si Sacerdos expressâ intentione nolit eum fructum ministerialem (seu specialem ab alijs vocatum) Sacrificij, ulli, neque sibi ipsi applicare, quod rarò continget, & oppidò stultum foret. Quòd si verò ita accidat ex inadvertentia, oblivione, vel incuriâ Sacerdotis, probabilissimum est, fructum ipsi Celebranti obvenire, si capax sit: Coninck cum Layman mox citando: eò, quòd quisque habeat generalem intentionem seipsum per sua opera juvandi, quantùm potest. Nam sicut quodlibet opus satisfactorium, etsi non prosit alteri, nisi speciali intentione ei applicetur, vel donetur: semper tamen prodest ipsi operanti, si nemini alteri applicet; sic etiam satisfactio Sacrificii: quæ etsi sit Christi, sic tamen data Sccerdoti celebranti, ut facta sit velut propria illius: adeóque si non applicet, vel donet, ipsimet remanebit. Res certior esset, si Sacerdos aliquando talem intentionem expresè formet eô casu velle sibipsi, aut aliis, pro quibus maximè obligatur, *si huic non prodesse possit, pro illis, quibus nôsti post ipsum deberi. Si nulli debeatur offerre pro miserrima anima maximè indiga &c. &c.*

tur, suo Sacrificio proficere. Certè Layman *cit. c.* 2. *num.* 11. dicit, Sacerdotem semper putandum esse, habere hanc tacitam voluntatem, si contingat eum ex oblivione nulli applicare Sacrificii fructum, aut si accidat illum, cui provenire vult, ejus incapacem esse, ut tunc applicetur iis, pro quibus specialiter obligatus est Sacrificia offerre vivis aut defunctis: aut denique ut sibi ipsi fructus proveniat. Sic Layman. vide mox iterum *dubio seq.*

DUBIUM II.

Quid si Sacerdos Sacrificium applicet incapaci: utpote pro anima jam beata, vel damnata, aut pro existente in peccato mortali?

284 TUnc communi Doctorum sensu fructus ille satisfactorius manebit in thesauro Ecclesiæ, unà cum aliis satisfactionibus & meritis superabundantibus Christi & Sanctorum, ex quo thesauro conceduntur indulgentiæ. Et certùm videtur, tunc fructus non cedere Sacrificanti, quia per applicationem illam Sacerdos se illo fructu abdicavit: aliis autē, quibus applicavit, prodesse nequit, nec apparet, cui alteri prodesse debeat. Rubeus quidem apud Dianam *p.* 9. *tract.* 2. *resol.* 2. putat eo casu fructum illum satisfactorium à DEO applicari animabus magis indigentibus. Favétque huic opinioni D. Thomas *in* 4. *disp.* 45. *q.* 3. *ad* 2. quod credibile est, utinam verum sit, magnum enim hinc lucrum proveniret animabus miseris ex Missis Sacerdotum de fructu applicando incuriosorum, & ob id minimè laudandorum.

In praxi ergo, quando dubium est, an is, pro quo offerimus, fructûs capax, vel indignus sit, consultum est eum expresè applicare nobis ipsis, vel alteri sub conditione v. g. *Offero Missam pro Petro, vel hâc animâ; si capax non sit, applico mihi, vel huic alteri: si etiam hic incapax, applico rursus alteri tertio, &c.* Quam vocant Missam secundæ vel tertiæ &c. applicationis. Idque verum & tutum est in Missis gratuitis, & sine obligatione oblatis: at non ita securum est in Missis obligatoriis ex pacto, stipendio, fundatione, offerendis. Probabilissimum est enim, quòd si Missa ex obligatione debita alicui non prosit ob incapacitatem, tunc cedere fructum alteri personæ vivæ vel defunctæ, vel ipsi maximè conjunctæ, vel cui in judicio DEI alter maximè est obligatus: talis enim videtur esse omnium fundantium vel conducentium Missas implicita intentio, ut si ipsismet non prosit, prosit aliis modò memoratis: uti notat noster Marchant *Trib. p.* 2. *Tract.* 2. *q.* 2. *dub.* 2. Quare in his Missis obligatoriis non debet fieri intentio secunda conditionata omnino libera. Sed hoc vel simili modo mihi jam dudum usurpato. *Domine Deus offero Sacrificium hoc debitum pro N. N.*

DUBIUM II.

Quid si Sacerdos fructum priùs applicet uni, postea alteri?

285 SAcerdos Missam cras celebrandam hodie applicat pro Petro, accepto jam stipendio: cras verò datâ aliâ occasione, v. g. recentis funeris, pinguioris stipendii &c. applicat pro Paulo: cujusnam erit fructus Petri prioris : an Pauli posterioris. ℟. Cum necessaria distinctione. Aut enim Sacerdos applicans pro Paulo posterius meminit prioris applicationis factæ pro Petro, & tunc applicando pro alio, ipso facto priorem applicationem revocat, & posterior valebit applicatio, fructúsque Sacrificii Paulo cedet, manente tamen obligatione postea satisfabiendi etiam Petro. Aut Sacerdos tunc non meminit prioris applicationis, quando Missam cras applicat alteri, Paulo: & tunc res valdè dubia & controversa est apud DD. Lugo vult valere applicationem posteriorem, ratione ductâ à simili de testamento, quod ultimum semper valet : Tamburinus verò vult valere priorem applicationem, hâc ratione: quia Sacerdos semper præsumitur habere intentionem saltem implicitam tribuendi cuilibet jus suum: at, *qui prior tempore potior jure*: ergo adhuc implicitè saltem vult fructum Petro priori jure gaudenti, cum onere tamen etiam satisfaciendi Paulo. Prior sententia mihi magis placet. Pro securitate tamen in praxi consulendum est, ut qui sic celebravit, offerat alterum Sacrificium, cum intentione conditionata seu disjunctivâ, ut prosit illi ex istis duobus, qui prioris Sacrificii fructum consecutus non est, sive primus sit, sive secundus. Hâc enim ratione certò & infallibiliter satisfaciet suæ obligationi coram DEO, qui bene novit, cui prioris Sacrificii fructus profuit, vel non profuit.

286 ¶. Quid ad hunc casum? Titius offert tibi triginta Sacra legenda pro defuncto amico. Tu nunc recusas negans te tam citò posse persolvere: postea tamen pœnitens recusationis, adhuc legis ipse, ignorante Titio: an hæ suæ Missæ adhuc proderunt amico defuncto? Respondet Pellizarius *Man. Regul. tract.* 5. *c.* 9. *sect.* 3. *n.* 59. Quòd sic. Quia Missa prodest ei, cui applicatur à Sacerdote: jam autem applicâsti pro defuncto amico ad intentionem Titii, ante tibi propositam. Nec officit, quòd Titius id ignorans, eas non applicet positivè pro defuncto illo amico, credens ea à te non legi: quia non illius, sed tuum, Sacerdos, est applicare fructum Missæ. At, quid si ob primam meam recusationem, Missis fortè ab alio legi curatis, mihi Titius stipendium neget: Tu videris. Certum est, eum nihil debere tibi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

bi, ex contractu, quem recusâsti, & inscio Titio solus renovare non potuisti, nisi is postea ratificaret Sacris ab alio nondum lectis, tanquam rem sibi utiliter gestam.

DUBIUM IV.

Quid si Sacerdos applicet contra voluntatem Superioris.

SUperior Sacerdoti subdito seriò præcepit, celebrare & applicare Missam ad hanc intentionem, v. g. pro defuncto. Contrà Sacerdos insuper habito præcepto Superioris, applicat aliâ intentione, v. g. pro infirmo. Quæritur 1. an *licitè*. 2. An etiam *validè*: seu, an Sacerdotis, an verò Superioris intentio prævaleat?

I. Certò illicitè.

287 CErtum est peccare hunc Sacerdotem per se loquendo contra obedientiam, & quidem mortaliter, si ita seriò præcepit Superior cum intentione obligandi graviter, præsertim per obedientiam: ut ex se clarum est. Secùs est, si solùm ordinario regimine ita ordinavit, & ut fieri solet, in tabulâ disposuit, tunc enim veniale non excedet: quòd ipsum adeóque omne peccatum vitabit, si ita ex causâ, bonâ fide faciat, ex rationabiliter præsumpto consensu, vel saltem non repugnantiâ Superioris. Specialiter autem peccaret contra justitiam, si nimirum Missa à Superiore præscripta ex justitia erat debita alteri, ut puta, ex fundatione, ex pacto, ex stipendio, vel eleemosynâ jam acceptâ. Quare is Sacerdos tenebitur ex justitia compensare, aliam Missam applicando, aut, si non possit, Superiorem monendo, ut aliam Missam applicari faciat: ex communi DD. apud citandos.

288 ¶. Etiam invalidè sic applicari Missam à subdito, & applicationem Superioris prævalere, cum multis docet Diana *p. 2. tract. 12. resol. 72.* Ratio sumitur ex solemni voto obedientiæ, quo Religiosus professus ita se Religionis Superioribus addixit, ut nihil legitimum & validè operari possit contra Superioris positivam voluntatem, & S. Obedientiam. Unde Christus summus Sacerdos non videtur talem applicationem contra obedientiam factam acceptare, sed in acceptando respicere ad debitum ex voluntate Superioris, & non ad subditi voluntatem indebitam. Omnino probabiliter.) sed nihilominùs constanter dico:

II. Attamen validè.

289 SUbditus contra voluntatem Superioris, quantumvis illicitè, validè tamen applicat fructum Sacrificii, isque illi prodest, cui applicat, non obstante, nec prævalente applicatione contrariâ Superiorum. *Communis DD. Suarez, Coninck*, alij passim cum Layman. *sæpe cit. c. 2. num. 11.* Ratio est: quia illius est applicare fructum Sacrificii, cujus est offerre Sacrificium: atqui in proposito Minister offerens Sacrificium, non est Prælatus, sed Sacerdos subditus, cui dicitur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis & defunctis, &c.* Ergo istius applicatio valet, non Superioris. *Confirmatur hoc:* Eo modo dependet fructûs Sacrificii applicatio à Sacerdote celebrante, quo modo dependet ipsum Sacrificium, ac Consecratio: atqui hæc dependet à voluntate solâ celebrantis Sacerdotis, prorsus independenter à voluntate Superioris: unde quantumvis prohibeat Superior (etiam summus Pontifex, etiam per suspensionem, degradationem &c.) Sacerdoti, ne celebret nihilominùs is vere & validè consecrat & offert, fructúmque ex opere operato confert illi, vel illis pro quibus offert: *ergo &c.* Itaque Sacerdos ut Minister Christi in iis, quæ sunt simpliciter Sacerdotis (adeóque quoad oblationem & applicationem Sacrificii) nulli prorsus est subjectus in hoc mundo, sed planè alterius fori, à solo Christo supremo Sacerdote & Domino potestatem & facultatem liberam habens, & consequenter à nulla humana potestate impedibilem vel restringibilem: idcóque cuicunque applicat Sacerdos fructum Sacrificii sui, semper censeri debet validè applicatus, etiam renittente quocunque Superiore.

¶. Advertit tamen hìc subtiliter noster P. Marchant *loco suprà citato.* Superiorem posse invalidare applicationem Sacerdotis subditi, non quidem absolutè in ratione sacri Ministerii secundùm se, & directè, ut jam probatum est, sed indirectè in ratione contractûs, quatenus scilicet ea applicatio ex contractu vel obligatione justitiæ, aut promissionis fidelis procedit. Nullus enim subditus potest legitimè & validè pacisci & contrahere, sicut nec promittere, vel ex promissione se obligare, contra voluntatem Superioris. Unde si sciat subditus Superiorem jam priùs hanc Missam applicâsse ad certam intentionem, non poterit Sacerdos subditus ullo modo pacisci vel promittere de ejusdem Missæ aliâ applicatione; & si ex vi talis pacti vel promissionis eam Missam applicet contra voluntatem & applicationem Superioris, applicatio ista non tantùm injusta, sed etiam invalida erit, sicut ipsa pactio, & promissio injusta & invalida fuit. Sed credo rarò sic applicari ab ullo. Quòd si ergo subditus (ut plerumque fit) abstrahens ab omni pacto vel promissione, suam Missam absolutè de plenitudine potestatis suæ applicet, applicatio in nostra communi sententia manebit valida: & Superior id rescins tenebitur applicare aliam Missam, si prior fuit debita. 290

Quapropter meritò universaliter ita concludit Layman *l. c. Tametsi Sacerdos illicitè alicui applicet contra justitiæ aut obedientiæ virtutem: quia v. g. Parochus vel Capellanus ratione beneficii, vel Religiosus ob Prælati præceptum deberet pro alio offerre, nihilominus validam fore applica-* 291

tionem, & fructum ex opere operato proventuru-m ei, cui Sacerdos vult: cùm hæc applicatio sit actus potestatis Ordinis, quæ exaliena potestate non dependet, sicut notavit Suarez, &c. Sic Laymannus.

¶. Aliud dubium restans majoris momenti meretur proponi speciali *paragrapho.* Sit ergo Capitis hujus 4. & Sectionis 4.

§ IV.

Et ultimus.

Qualiter licet dividere Fructus Sacrificii.

292 CErtum est sæpe fieri ex natura rei, ut separentur ij fructus hactenus explicati, saltem negativè, id est, ut unus obveniat sine altero, quia nimirum alter non reperit capacitatem in subjecto. Nam quando offers Sacrum pro existente in peccato mortali, prodest illud huic peccatori quoad vim impetrandi, at non quoad vim satisfaciendi, ut ex dictis *n. 268.* constat. Et juxta regulam juris *5. in 6. Venia non datur, nisi correcto.* Nulli scilicet remittitur pœna peccatis debita, nisi priùs remissâ culpâ, redierit in gratiam cum DEO. Quæstio ergo est, an & qualiter per voluntatem Sacrificantis possint separari illi fructus validè & licitè. Separari non posse, solus (quòd sciam) docet Vasquez *3. p. disp. 121. c. 6.* Hâc solâ ratione: quòd sicut efficacia Sacramentorum nullo modo pendet ab arbitrio Ministri, sed quando applicantur homini, tanquam causæ necessariæ producunt totum effectum, quem possunt juxta dispositionem & capacitatem suscipientis illa, sic etiam suos effectus generet Sacrificium independenter à restrictione vel extensione sacrificantis. Pono breviter resolutionem quoad valorem, & regulas practicas quoad licitum, potissimùm ex P. Gobat. *Alph. Sacrif. n. 140. seqq.* nunquam enim me pudebit fateri, quin potiùs gloriari me bene & gnaviter arâsse in vitula ejus multiplici eruditione practica instructissima.

RESOLUTIO.

293 POssunt per voluntatem Sacrificantis validè, & sæpe licitè separari fructus Sacrificii satisfactorius & impetratorius: Hoc est: potest Sacrificans suâ voluntate, & intentione facere, ut Sacrificium quoad portionem & fructum ministerialem prosit alicui solùm, quatenus est satisfactorium: & non, quatenus est impetratorium, & vice versâ: sic *Henricquez, Coninck* aliisque relatis Lugo *de Eucharistia disp. 19 n. 222.* Diana *part. 9 Tract. 2. Resol. 8. cum Rubeo.* Tamburinus *opusc. de Sacrif. l. 3. c. 1. §. 3. n. 41.* Gobat. *cit. Casu 5. num. 141.* Ratio valida est. Quia ex una parte clarissimum est, fructus Sacrificii diversos reipsa sæpe separari, ut jam prædixi: nunquid enim non ordinariè separantur fructus specialis, specialissimus, & ministerialis? ex altera autem parte ostendi non potest: Christum Dominum eorum Authorem statuisse, ut sint inseparabiles per Sacerdotem, ubi enim extat hoc statutum? ergo asseri non debet juxta *c. legatur. 24. q. 2.* Quin potiùs, cùm beneficium Principis ampliissimè interpretari debeat, juxta *l. beneficium. ff. de Constit. Principum.* Par est credere Principem supremum Christum concessisse hoc beneficium grande, & facultatem applicandi fructus Sacrificii cum potestate eos etiam dividendi, quando ita videbitur.

Ad fundamentum Vasquezii *suprà num. 292.* allatum: negatur quoad hoc paritas inter Sacrificium & Sacramentum. Constat enim ex universali praxi Ecclesiæ, esse liberum Sacerdoti, Sacrificii fructum ministerialem, tanquam verè & propriè suum, aut sibi reservare, aut transferre in hunc, vel illum, vel illos pro libitu. Nihil simile, imò contrarium certissimò constat de fructu Sacramentorum administratorum. Quia ergo *potest quisque rei suæ modum ponere* leg. in Traditionibus. ff. de Pactis, poterit etiam Sacerdos Sacrificans modum, seu limitationem, vel divisionem ponere fructibus Sacrificii tanquam suis: cùm in hoc à nullo prohibeatur, ut dictum. Jam videndum etiam quando liceat, vel non liceat ita dividere fructus, per breves regulas practicas. 294

REGULA I.

295 QUotiescunque tibi non incumbit obligatio offerendi tuum Sacrificium ad aliquam certam intentionem: toties certò potes ita separare fructus omnes ministeriales, satisfactorio, impetratorios &c. reservando vel ullum, vel alterum, vel nullum: reliquos dividendo in alios, unum, plures, &c. Ratio est: quia juxta jura: *Concessum intelligitur, quidquid expressè prohibitum non reperitur.* At in his nihil ex ullo capite prohibitum: ergo &c. Quare Sacerdos, Canonicus, Religiosus, liberam habens intentionem sui Sacrificii, potest ita loqui cum DEO suo. Domine Deus hoc Sacrum, *latreuticè* ad supremum tibi debitum cultum (vide *cap. 2. n. 55.*) offero tibi. *Eucharisticè* in gratiarum actionem, quòd B. V. MARIAM in Matrem tuam, & me indignissimum in Ministrum Altaris tui elegeris: *Impetratoriè*, ut mihi largiaris veram humilitatem, Patri, vel huic amico meo ægroto sanitatem: fratri meo hæredem ad gloriam nominis tui. *Satisfactoriè*; ut mihi, & huic, vel illi, vel istis, vel omnibus fidelibus defunctis remittas partem pœnarum debitarum, &c. &c. Sicque totum fructum Sacrificij mei provenientem ex opere operato tibi offero ad prædictas intentiones distribuendum in me, & à me nominatos, in quantum singuli sunt capaces. At verò totum fructum provenientem ex opere operantis, mihi reservo. Vide etiam supra dicta *n. 266.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

REGULA II.

296 QUando liberaliter promisisti pluribus Sacrum petentibus, præsertim ad diversos fines: (Exempli gratiâ, uni, in honorem SS. Trinitatis, vel S. Josephi: alteri in gratiarum actionem pro beneficio aliquo impetrato, v. g. sanitate recuperatâ &c. tertio ad impetrandum aliquod beneficium, v. g. sanitatem marito vel filio: quarto pro peccatis suis, vel defuncti alicujus &c.) rursus poteris separare fructus Sacrificii *Latreuticum*, *Eucharisticum*, *impetratorium*, *& satisfactorium*, & sic omnibus vel unâ Missâ satisfacere applicando singulis fructum intentum; vel in diversis Missis solum fructum petitum singulis applicare, reliquos tibi vel aliis reservando. Ita post alios Tamburinus *cit. l. 3. c. 1. §. 3. n. 47.* Gobat. *cit. n. 158* Ratio est: quia liberalis promissio est ita interpretanda, ut promittenti sit quàm minimè onerosa. *l. quidquid adstringendæ ff. de verb. obligat.* Idque maximè verum esse debet, quando verba promissionis ex mente petentis significant limitationem: atqui tu promisisti Missam seu Sacrificium formaliter uni ut Latreuticum, alteri ut Eucharisticum tantùm; tertio ut impetratorium; quarto solùm ut satisfactorium est: ergo sufficit illis dare, quod & ipsi petierunt, & tu singulis promisisti.

¶. Dixi tamen si promisisti *pluribus*: nam si unus solus petat Sacra ad diversos fines: omnino intelligit totidem Sacra, & non ejusdem Sacri diversas applicationes: nisi vel ipse petens, vel
297 tu promittens, aliter expresseritis.

Quin insuper, quando vovisti, ac ipsi DEO promisisti Sacrum ad unum certum finem, *Latreuticum* in honorem SS. Trinitatis, B. Virginis, Sancti Josephi &c. aut *Eucharisticum* in gratiarum actionem, quòd te liberârit à cruciabili pedum, aut insano dentium dolore &c. factus voti compos, satisfacis offerendo. Sacrum ad illum finem tantùm: idque eâdam Missâ, quam offers liberaliter pro alio vivo defuncto satisfactoriè vel impetratoriè, quia adhuc formaliter satisfacis intentioni tuæ, & Dei acceptantis. Tamburinus *cit. §. 3. n. 48.* consentiente Gobat *n. 157.* Consentio & ego: & credo tali voto satisfieri à nobis etiam legendo Sacrum hebdomadarium pro defunctis fratribus, etsi debitum ex obedientia, non tamen ex justitia vel pacto aliquo. Pro his sint duæ Regulæ speciales sequentes.

REGULA III.

298 QUando ex sola obedientia, seu præcepto Superioris vel statuto Ordinis, teneris facere Sacrum ad aliquem unum certum finem, potes reliquos fructus, qui non tenduntdirectè ad illum finem præscriptum, applicare alteri, vel tibi ipsi. Gobat *num. 155.* Ratio est: quia obligatio legis vel præcepti non est extendenda ultra finem legis vel præcepti, juxta communem DD. ex *cap. Intelligentia. De verborum signif.* Atqui potest finis legis vel præcepti præscriptus obtineri, licèt unus altérve fructus transferatur in alium, vel alios: ergo nihil obstat, quin sic licitè fiat: ut si jubearis à Superiore offerre Sacrificium in gratiarum actionem pro aliquo beneficio à Deo obtento (v. g. Passavij in honorem S. Floriani, in gratiarum actionem, quòd Deus hanc partem civitatis Superiorem unà cum nostro Conventu conservârit ab horribi illo incendio) potes idem Sacrificium quoad fructum satisfactorium saltem offerre pro aliis vivis vel defunctis, illis v. g. pro quibus Sacrum hebdomadarium offerre debes, & *Confirmatur* hoc rescripto S. Francisci Borgiæ Generalis Societatis JEsu Anno 1564. apud Gobat *cit.* hujus tenoris. *Quando Superiores Missas injungunt pro aliis, quam defunctis, clarum est, applicationem ad liberandam animam liberam Sacerdoti manere.* Idem dicendum, si Superior jubeat te offerre Sacrificium præcisè ad impetrandum aliquod à Deo beneficium, v. g. pacem, serenam auram &c. tunc enim fructum satisfactorium adhuc applicare potes tibi vel aliis, vivis vel defunctis. Contrà similiter, si jubeat te offerre Missam pro defunctis, nihil obstat, quin eandem Missam pro alio quoad finem Eucharisticum in gratiarum actionem offeras: An etiam quoad fructum impetratorium: Non audeo rotundè negare. Censeo tamen id non esse practicandum propter mox dicenda *Reg. seq. n. 301.*

REGULA IV.

I. 299 QUando obligaris facere Sacrum ex justitia pro stipendio accepto, vel accipiendo, ad aliquam intentionem, non potes licitè ita dividere fructus Sacrificii, sed totum fructum hujus Sacrificii, cujus est capax, illi stipendium danti applicare debes. Ita communis DD. Vasquez, Bonacina, alii, ac Tamburinus *cit. n. 40.* Gobat *n. 153.* Ratio sumitur ex sensu & intentione omnium fidelium, qui pro Missa dantes stipendium sine dubio effectum omnem satisfactorium & impetratorium ex opere operato, & saltem ordinarium ex opere operantis provenientem sibi deposcunt: ita enim infallibiliter responderent, si interrogarentur, &, si contrarium fieri intelligerent, ægerrimè ferrent, ac iniquum judicarent: prout magis declarabo *cap. seq.* cùm de stipendio pro Missâ.

II. 300 At: nunquid legens Missam pro stipendio, saltem collectas assumere, & mihi vel aliis applicare potero? Negare id quidem videntur DD. etiam modò nominati, quatenus generaliter dicunt ei, cui debetur Sacrum, deberi omnem fructum ejus, & consequenter etiam collectas quasvis. Sed videntur intelligere collectas ordinarias in tali Missa assignatas, ut commemorationes & suffragia &c. quæ sine dubio ad eum spectant, cujus est Missa. Absolutè ergo ejusmodi collectas pro aliis assumi & applicari

cari posse, affirmant *Coninck*, *Diastillus*, *Hurtadus*, *Rubeus*, ac cum hoc Diana *part. 9. tract. 2. resol. 8.* Et saltem verum esse debet de collectis illis extraordinariis in tali Missa, ex stipendio debitâ uni, assumptis pro alio v. g. infirmo, defuncto, itinerante &c. Ratio est: quia nemo dans stipendium pro Missa sibi, vel suis applicandâ, tam durus esse potest, ut nolit illi Sacro inseri ullam collectam, v. g. pro ægroto jam animam agente, pro amico jamjam defuncto &c. nisi tantùm pro se, suisque: maximè cùm valor Sacrificii Missæ sit infinitus extensivè quoad vim impetrationis: atque ita habet praxis Doctorum, & optimorum Sacerdotum, ut jam suprà *n. 262.* notatum est. Certè dans stipendium non potest impedire, ne in *memento* pro aliis oret Sacerdos: ergo neque aliam collectam extraordinariam, ut fatetur ipse Tamburinus *cit. n. 49.* Ulteriùs.

301 III. Regula data etiam omnino locum habere debet in Missis pro defunctis stipendio conductis, ut nimirum eis totus fructus tam satisfactorius, quàm impetratorius applicari debeat. Ita post alios Gobat. *num. 154.* Ratio est: quia (ut supra *num. 236.* innui) post habitum fructum satisfactorium, quo rarò sola pœna remittitur, remanens pœna, pro parte saltem, eodem Sacrificio remitti adhuc potest, quatenus impetratorium est, seu per modum impetrationis, si ita applicetur ab Offerente: atque ita applicari debere in Missis defunctorum saltem ex stipendio debitis. Sed ponamus etiam (quod ego non credo) quòd animæ defunctorum directè solâ satisfactione juvari possint, & non impetratione remissionis ullius pœnæ, eò, quòd Deus non velit eis ampliùs aliquid gratis seu liberaliter condonare vel remittere, sed tantummodò satisfactione oblatâ: attamen fructu impetratorio Missæ adhuc multùm juvari possunt indirectè, sicut aliis suffragiis: possumus enim illis impetrare gratiam, ut Deus excitet multos, qui pro ipsis precentur, Missas & alia opera satisfactoria offerant: ut Deus ipsis applicet Missas & suffragia oblata pro aliis non indigentibus, incapacibus, indignis, &c. Ecce hæc gratia tota perit, si solo fructu satisfactorio defunctis relicto, mihi vel aliis applicem totam vim impetrandi: atqui dantes stipendium pro Missis defunctorum sine dubio intendunt eos totâ Missâ juvare omni modo optimo, quo possunt: ergo &c.

302 IV. Quare non placet, & in praxi omnimodis dissuadenda est opinio oppositа Rubei, eúmque secuti Dianæ *cit. p. 9. tract. 2. resol. 8.* Nempe Sacerdotem teneri defunctis applicare solum fructum satisfactorium, reliquos fructus posse pro libitu dispensare sibi, aliis: ideóque Missas pro defunctis plùs prodesse Sacerdoti, quàm Missas pro vivis. Non placet etiam placitum cujusdam Viri docti dicentis, se libentiùs celebrare pro defunctis quàm pro vivis Missam stipendio conductam, eò, quòd in primo casu, non item in secundo, possit transferre vim impetrandi, in quemcunque voluerit. Placet autem P. Gobat *cit. loco*, reprobans praxin cujusdam Capellani, qui obligatus ex Fundatione aliquoties in septimana celebrare pro defunctis, applicabat ipsi Sacrificium quoad vim satisfaciendi tantùm, at sibi, quoad vim impetrandi. Ratio solida data est *num. præcedenti.*

CAPUT V.

De Sacramenti Eucharistiæ, & SS. Sacrificii Ministro, Offerente, Oblatione, Stipendio.

SECTIO I.

Quis est Minister Sacramenti Eucharistiæ conficiendi & dispensandi?

SUMMARIUM.

304 *Minister Eucharistiæ & Sacrificii est solus Sacerdos, at*

305 *Omnis Sacerdos, etiam hæreticus, schismaticus, irregularis, excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus &c.*

307 *Plures possunt validè eandem materiam consecrare.*

308 *Minister ordinarius dispensandi Eucharistiam ejus etiam solus Sacerdos.*

309 *Habens jurisdictionem ordinariam, vel delegatam,*

310 *Aut saltem rationabiliter præsumptam licentiam,*

311 *Vel privilegium.*

312 *Vbi Communio sumenda tempore paschali?*

314 *Quando & quibus casibus Regulares dare possint communionem in articulo mortis?*

Assertio.

303 *Minister Sacramenti Eucharistiæ conficiendi seu consecrandi (adeóque & Sacrificii offerendi) est omnis & solus Sacerdos. Minister verò ordinarius, & ex officio Sacramenti ejusdem dispensandi, est solus Sacerdos habens jurisdictionem ordinariam vel delegatam: aut saltem rationabiliter præsumptam, licentiam, vel privilegium. Omnes.* Explico particulatim.

§ I.

Minister Sacramenti conficiendi seu consecrandi, &c. Est

I. 304 *Solus Sacerdos.* Certum de fide, definitum in variis Conciliis: ut Nicæno I. *c.* 14. Lateranensi Magno. *c. Firmiter*, & novissimè contra Lutheranos, aliósque hujus temporis Hæreticos, Tridentino *sess. 22. cap. 1. & Can.* 2. Ratio est: quia Christus in ultima Cæna solos Apostolos, eorúmque in officio Successores, Sacerdotes ac Sacramenti & Sacrificii hujus Ministros instituit, eísque, ut illud offerrent, præcepit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*: & patet ex ipsa forma Ordinationis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, Missasq; celebrandi, &c.* Hinc nullâ potestate humanâ aut dispensatione potest hoc Sacramentum confici, vel Sacrificium offerri à non Sacerdote; nec ab Angelo quidem: nisi ex dispensatione di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vina. Non ergo validè consecrat & offert, sed gravissimo sacrilegio peccat, qui non est ordinatus Sacerdos, prout prô dolor! etiam nostro tempore quidam sceleratissimè attentârunt. Horribile exemplum vide apud Cæsarium. *l. 9. Illustrium miraculorum c. 61.*

305 II. *Omnis Sacerdos.* Adeóque etiam existens in peccato mortali, etiam hæreticus, schismaticus, irregularis, excommunicatus, suspensus, interdictus, depositus, degradatus &c. validè sacrificat, dummodò ponat necessaria hujus Sacramenti, nempe materiam & formam debitam cum intentione consecrandi. *Omnes*, cum S. Thoma. *q. 82 a. 7. & 8.* Ratio est: quia potestas consecrandi & offerendi Evchariſtiam pertinet ad Characterem Ordinis Sacerdotalis: ergo eô Charactere insignitus cum intentione debita applicans necessaria ad consecrandum Corpus & Sanguinem Christi, verè Sacramentum conficit, eóque ipso Sacrificium offert validè, etsi plura requirantur ad offerendum licitè. Adeóque ne validè quidem consecraret & offerret, qui laborat ignorantiâ vel impotentiâ circa necessaria: ut, pui nesciret, vel mutus non posset proferre formam: qui non haberet intentionem consecrandi.

306 III. Etiam licitè conficit hoc Sacramentum & Sacrificium offert omnis Sacerdos in gratia constitutus: nullâ censurâ, irregularitate seu impedimento Canonico irretitus: jejunus jejunio naturali à media nocte: adhibens omnia præscripta etiam accidentalia seu cæremonialia: quæ omnia ad quatuor capita revocari possunt: nimirum *sacra suppellex, ritus, locus, & tempus.* De quibus ex professo *cap. seq.* Reliqua satis patent ex alibi dictis.

307 IV. Plures Sacerdotes possunt validè eandem materiam consecrare, & reipsâ consecrant, si simul tempore, & velut eodem momento vel instanti, verba Consecrationis absolvunt, juxta communem DD. præsertim Scotistarum. Ratio est: quia vel omnes, vel nullus, consecrabunt: atqui nonnullus, cùm omnia ad essentiam Sacramenti concurrant, & nihil fiat contra essentiam vel veritatem Sacramenti: nec tantùm aliquis solus, cùm non fit major ratio de uno, quàm de altero, & de omnibus: ergo omnes conficiunt. Id verò nunquam licitum est, nisi ex consuetudine dudum receptâ in Ordinatione Neomystarum. De quo, quatenus ad praxin spectat, satis dixi *cap. 1. sub finem.* De cætero apage istas speculationes.

§. II.

Minister Ordinarius ex officio dispensandi Sacramentum Evchariſtiæ, est

308 I. *Solus Sacerdos.* Nam Concilium Tridentinum *sess. 13. c. 8.* dicit: *Ex Apostolica traditione emanare, ut Laici à Sacerdotibus Communionem accipiant.* Solus namque Sacerdos potestatem habet in Corpus Christi verum tum conficiendum, tum dispensandum: idque jure divino, ut patet in illo: *Hoc facite &c. Et 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo* (utique Apostolos, Episcopos, Sacerdotes) *ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Sed dixi: *Minister ordinarius ex officio est solus Sacerdos.* Nam extraordinariè pro usu necessitatis, imprimis etiam Diaconi ex commissione Parochi vel Episcopi Evchariſtiam ministrare possunt, ut in *prima parte* dictum est suo loco. Idque non tantùm in extrema necessitate (ut si Parocho absente vel impedito infirmus sine viatico decessurus esset) sed in quacunque necessitate gravi vel congruâ: ut si in magno Festo Parochus vel Sacerdotes confessionibus excipiendis, vel concionibus occupati communicantibus commodè satisfacere non possint, ut ex communi notat etiam Diana *p. 9 Tract. 6. Resol. 39.* Quin etiam in extrema necessitate moribundi, absente Parocho vel Sacerdote alio, non solùm Diaconus (cui ex ordinatione sua id officii aliquatenus competit) sed etiam Subdiaconus vel Minoribus initiatus; Quin insuper, & his deficientibus, secluso scandalo, etiam laicus & alios & seipsum pro viatico communicare posset, ut habet jam communis & tuta sententia DD. in hac materia. *Suarez, Layman. Lugo, Diana, Gobat*, alii passim. Quemadmodùm etiam omnes consentiunt, etiam laicum, & non jejunum (in defectu aliorum) posse sumere Hostias consecratas ad avertendam irreverentiam, ut si incendio perituræ, vel ab hostibus fidei conculcandæ essent.

309 II. *Habens jurisdictionem ordinariam vel delegatam.* Ratio generatim est: quia *Pastorum* proprium est *pascere*, quod præcipuè fit per administrationem Sacramentorum. Debet ergo Sacerdos ministrans his personis Evchariſtiam, aut eorum esse Parochus & Pastor ordinarius, aut à Parocho, aut Parochorum Pastore ordinario, Episcopo, ad id esse delegatus, seu facultatem habens. Constat ex Clementin *c. Dudum. De Sepulturis.* Et in Conciliis *Milevitano & Carthaginensi* I. prohibentur Clerici & Laici Evchariſtiam sumere ab alienis: atqui mutua est obligatio respectu ministrantium. Ratio specialiter fundatur in jure communi, quod prohibet, ne quisquam mittat falcem in alienam messem, aut alterius jura invadat: ne scilicet justitia & pax violetur: divina mysteria inconvenienter tractentur; & fidelibus pro necessitate vel captu cujusque minùs provideatur.

Quare peccat mortaliter, qui sine omni jurisdictione vel facultate proprii Parochi, alicui Evchariſtiam ministrat: quia violat jurisdictionem alterius in re gravi. Insuper Religiosi ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, ex Clementina *Religiosi de privilegiis & excessibus privilegiatorum.* Si sine licentia Parochi & quidem speciali, præsumant Clericis vel Laicis dare Evchariſtiam, aut extremam Unctionem, aut Matrimonia solennizare, nisi habeant privilegium, aut, urgente necessitate, Parochus absit, aut injustè nolit in articulo mortis.

Denique inferiores Sacerdote, sine omni facultate ministrantes Evchariſtiam, etiam incurrunt irregularitatem ex abusu sacri Ordinis: quia exercent actum proprium sacri Ordinis Sacerdotalis, quem non habent. Unde econtrà hanc irregularitatem non incurrit Sacerdos citra omnem jurisdictionem vel facultatem ministrans, quia non exercet actum Ordinis, quem non habet.

310 III. *Aut saltem rationabiliter præsumptam licentiam.* Sine dubio enim licitè ministrat Evchariſtiam Sacerdos, qui rationabiliter præsumit Parochum factum suum omnino approbaturum, aut de facto, si nosset, omnino velle, vel petiturum esse, ut faciat, prout variis casibus contingere potest. Et universaliter in articulo mortis, si infirmus viatico muniendus sit, & proprius Pastor absit, vel præsens ad infirmum non possit deferre Evchariſtiam, quivis alius Sacerdos (saltem non præcisus seu excommunicatus non toleratus, quamvis & hunc non excludant multi) & deficiente Sacerdote, etiam Diaconus Evchariſtiam ei conferre potest: quia hic omnino præsumitur voluntas Parochi, certè Episcopi vel Papæ, aut certè jure communi censetur tunc facultas concessa. Et quamvis Parochus præsens eo casu injustè & ex malitia negaret facultatem providendi moribundum, adhuc alius Sacerdos, vel, hoc deficiente, Diaconus licitè Sacramentum ministrabit. Quia præsentia Parochi suâ potestate abutentis pro nulla habenda est: & foret tunc recurrendum ad impetrativam voluntatem Episcopi, vel summi Pontificis. Ex *communi doctrina* apud Authores passim.

311 IV. *Vel Privilegium.* Nam per privilegium summorum Pontificum, Sacerdotes Regulares Ordinum mendicantium amplam habent potestatem delegatam communicandi in suis Templis, Ecclesijs, vel Oratoriis, per se vel per alios quosvis Sacerdotes illic celebrantes quoscunque Christi fideles sive Sæculares, sive Clericos vel Regulares: præterquam in *Paschate, & mortis articulo* Privilegium nimis notum est, & passim prostat. Solùm gemina exceptio, ad praxin maximè spectans breviter explicanda est.

I. Præterquàm in Paschate.

312 PEr *Paschа* hic non intelligitur materialiter ipse tantùm dies Paschа, seu Dominica Resurrectionis D. N. J. C. ut voluit Navarrus: sed intelligitur formaliter totum illud tempus Paschale, quo fideles satisfacere debent præcepto annuæ Communionis à proprio Parocho percipiendæ, ut habet communissima DD. Ratio est: quia aliàs sequeretur, quòd aliquis posset satisfacere isti præcepto Ecclesiastico, qui nunquam communicaret de manibus sui proprii Parochi; vel alterius de ejus licentia quia tantùm præciperetur, ut aliquis die Paschæ communicaret non apud Regulares, sed apud proprium Parochum: certum est autem Sæculares non teneri communicare in ipso die Festo Paschatis, cùm satis sit communicare quolibet die intra tempus Paschale præscriptum: consequens est omnino absurdum, & contra mentem Ecclesiæ & Pontificum, cùm non ob aliam causam hæc licentia negetur Sæcularibus, quàm ut Parochi per illam communicationem saltem annuam Paschalem possint suas oves cognoscere.

Hinc patet Regulares adhuc posse dare Communionem fidelibus tempore Paschali, atque in ipso die Paschatis: I. Quando à Pontifice vel Episcopo habent privilegium vel facultatem dandi etiam tempore Paschali, prout in his partibus hoc tempore ferè ubique habent ab Episcopis. II. Quando communicans præcepto communionis Paschalis jam satisfecit, aut adhuc satisfacere vult, ac potest, atque etiam satisfacturus putatur. Quod in dubio pro ipsis præsumi potest & debet, cùm nullus sit facilè repellendus, qui cum alijs accedens communionem petit. Sic enim Parochis nihil decedit: cùm ipsi ipso die Paschatis communicare non teneantur. Communis DD. cum Layman *l. 4 tr. 4. c. 7.* quem lege. Contra Navar. Henriquez, alios. I. 1. Si Parochus ipse non possit, aut injustè nolit ministrare alicui: aut subditus non possit tempore Paschali communicare in sua Parochia. *Communis apud eundem Layman, alios passim.* IV. Quando aliqui assueti communicare apud Regulares, non possunt induci, ut communicent in sua Parochia: idque ex tacito vel præsumpto consensu Parochi: quem Layman *cit. n. 4.* putat facilius posse præsumi in militibus præsidiaris, Aulicis, Studiosis & alijs, qui frequenter communicantes extra suspicionem esse solent. Denique etiam dare possunt, si in Paschate adsint advenæ, peregrini, vagi &c. secundùm probabiliem multorum sententiam. Sanchez *de Matrim. lib. 3 disp. 37.* Lugo *de Eucharist disp. 18. sect. 2.* De hoc iterum *parte sequenti, cum de Confessione annua.*

II. Præterquàm in mortis articulo.

314 PEr articulum mortis intelligitur tempus, quo vel mors proximè instat, moraliter certa & inevitabilis est: vel quò est mortis periculum, vel probabile dubium de vitæ conservatione eo casu, quo frequenter solet mors accidere, ut in ingressu conflictûs, navigationis marinæ valde periculosæ, primo puerperio &c. Et tunc, si adsit proprius Parochus, qui possit & velit dare Communionem, Regulares dare licitè non possunt. Unde adhuc eo articulo Regulares Communionem dare licitè possunt: I. Non tantùm in extrema necessitate mo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

moribundi, ſi is periclitaretur de ſalute æterna (ubi ſemper præſumitur conſenſus Papæ, etiam invito Parocho) ſed etiam in neceſſitate gravi, ſi adſit probabile mortis periculum, & Parochus non poſſit, vel injuſtè nolit dare. *Communis* apud *Lugo cit.* II. Si ægrotus necdum pervenit ad eum ſtatum, ut ex præcepto teneatur ad communionem, Viatici: etſi tunc maneat obligatus poſtea denuò percipere Viaticum de manu Parochi: III. Si ægrotus jam ſatisfecit præcepto de Viatico, cùm intentione illud implendi, ſi vita protendatur, potetit iteratò & ſæpiùs ſuſcipere communionem à Regulari, & hic illi dare: quia adminiſtratio Euchariſtiæ per modum Viatici tantùm eſt prohibita Regularibus, quando præceptum illius communionis obligat. IV. Nunquam tamen, ſine licentia Epiſcopi vel Parochi, licet Religioſis Euchariſtiam publicè deferre per plateas ad eum finem, cùm id juri Parochorum conſuetudine obtento deroget: proinde eo caſu in ægroti Oratorio, alióve honeſto domûs loco, de licentia Ordinarii, privatim facto Sacro, Euchariſtia danda eſſet.

SECTIO II.

Quis & quotuplex eſt Offerens SS. Sacrificii Miſſæ?

SUMMARIUM.

315 *Offerens Sacrificii varius.*
316 *Offerens principalis eſt ipſe Chriſtus, qualiter is offerat* Usque ad n. 320.
320 *Offerens miniſterialis eſt omnis & ſolus Sacerdos.*
321 *Quo ſenſu & reſpectu Miſſa Sacerdotis mali æquè, vel minùs valeat, quàm Miſſa Sacerdotis boni?* Usque ad n. 324.
324 *Offerens generalis eſt Eccleſia, &*
325 *Offerentes ſpeciales & ſecundarii ſunt fideles concurrentes.*
326 *Qualiter & quo ordine hi offerant.* Usque ad n. 397.

315 *Offerens Sacrificii* dicitur, non tantùm Miniſter, Qui Sacramentum Euchariſtiæ perſonaliter conficit, & conſecrat, eóque ipſo eſſentiali oblatione offert, juxta dicta *c. 2. ſect. 3. §. 3. num. 85.* ſed omnis, qui idem SS. Sacrificium DEO peculiari ratione offert & repræſentat, eóque DEUM ſupremo cultu colere intendit. Triplex communiter aſſignatur: ſed nobis placet quadruplex offerens Sacrificii. 1. *Principalis*, Chriſtus: 2. *Miniſterialis*, Sacerdos: 3. *generalis*, Eccleſia: 4. *Specialis & ſecundarius*, omnes ad Sacrificium ſpeciali modo concurrentes. Hos *ſpeciales & ſecundarios* offerentes alii communiter comprehendunt ſub Offerente *Generali*, Eccleſiâ: ſed placuit ſeorſim computare quartâ claſſe: quemadmodùm etiam *cap. præced. ſect. 2. §. 3.* eorum fructum ſpecialem à fructu generali Eccleſiæ ſeorſim computavimus. ℣. Et nota inſuper, quòd ſolus Sacerdos, Offerens miniſterialis etiam dicatur ſimpliciter *Miniſter* Sacramenti & Sacrificii Euchariſtiæ: non utique Chriſtus, qui eſt Author Sacramenti, & Offerens principalis Sacrificii: multò minùs fideles reliqui, cùm ipſi non conficiant Sacramentum, nec ad offerendum Sacrificium ordinati ſint: omnes tamen verè offerunt, ut mox declarabitur. Cave ergo in hac materia, ne confundas has duas quæſtiones. Quis Miniſter. &: Quis offerens? Jam explico offerentes ſingulos.

§. I.

Offerens Principalis.

316 SEu Sacrificans principalis in omni Sacrificio eſt Chriſtus Dominus, Summus *Sacerdos in æternum, ſecundùm Ordinem Melchiſedech.* Certum de fide. Hâc enim ratione *cap. firmiter de Summa Trinitate*, dicitur: Chriſtum in hoc myſterio *eſſe ſimul Sacerdotem & Sacrificium.* Et in Concilio Florentino, *in decreto Eugenii*, dicitur: *Sacerdotem in perſona Chriſti conficere hoc myſterium.* Et clariùs in Tridentino *ſeſſ. 22. c. 2.* dicitur: *Una enim, eadémque eſt Hoſtia, idem nunc Offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit: ſolâ offerendi ratione diversâ.*

317 II. Ratio hujus eſt: Non ſolùm, quia Chriſtus hoc Sacrificium inſtituit, eíque ſua merita applicuit, ut eſſet efficax, atque ut ſuo nomine offeretur, præcepit, ſed maximè, 1. quatenus Chriſtus ex vi inſtitutionis à ſe factæ, velut uno perpetuò actu perpetuo vult Sacrificium à ſe inſtitutum ſuo nomine per Sacerdotes offerri: atque ita ipſe ſemper principaliter offert per Sacerdotes velut Miniſtros ſuos, uti ſignificant Concilia modò allata. Quemadmodùm enim Rex per Legatum ſuum præſtans obedientiam Summo Pontifici, ejúsque pedes oſculatur, cenſetur principalis agens, & ipſe actu præſtare obedientiam Papæ: quia quod per alium à ſe delegatum & ex ſua voluntate perſeverante operantem facit, per ſe facere cenſetur: ita Chriſtus Dominus ſemper eſt principalis & actualis offerens, quatenus ex inſtitutione ſua perpetuo actu vult Sacerdotes ſuo nomine offerre Sacrificium divinæ Majeſtati: ſicque per illos perpetuò ſe ſubmittit pro nobis in ordine ad DEUM. Ulteriùs

318 III. Accedit 2. Quòd idem Chriſtus non tantùm ut Deus, tanquam cauſa principalis efficiat, ſed etiam per ſuam humilitatem ut inſtrumentum Divinitati conjunctum concurrat ad transſubſtantiationem panis & vini, in Corpus & Sanguinem ſuum, in qua conſiſtit eſſentia & formalis ratio hujus Sacrificii. 3. Idem Chriſtus ſemper ad ſingula Sacrificia attendit, illa DEO Patri repræſentat & rata habet: éſtque valde probabile, Eum ſingula Sacrificia, dum actu fiunt, actu elicito cum Sacerdote concurrendo, DEO Patri offerre, ut notant Suarez *diſp. 77. ſect. 1.* Coninck, *q. 8. art. 1. alii.* Eſt enim hoc eius in Patrem reverentiæ, & in homines amori valde conſentaneum. 4. Quia Chriſtus in cruce omnia & ſingula Sacrificia futura DEO Patri obtulit, eísque ex meritis ſuis perpetuam efficaciam contulit. Eáque ratione multiplici Chriſtus Dominus verè eſt *Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Quia uſque in finem mundi per Sacerdotes ſuos Vicarios & Miniſtros, ſecundùm iſtum ritum offert Sacrificium.

319 IV. Hâc denique ratione patet, qualiter Sacrificium non polluatur, nec effectum ex opere operato amittat ex malitia Sacerdotum, eô ſcilicet, quia non in propria perſona principaliter Sacrificium offerunt, ſed ſolùm miniſterium præſtant offerendo in perſona Chriſti, qui eſt principalis Offerens ſimul & Hoſtia, quíque DEO nunquam diſplicere poteſt, ſed ſemper infinitè gratus & acceptus eſt. De hoc mox ampliùs §. *ſeq.*

§. II.

Offerens miniſterialis

320 I. AC *Miniſter*, ſimpliciter dicendus hujus Sacramenti conſecrandi & Sacrificii offerendi, eſt omnis & ſolus Sacerdos: juxta *ſect. præced. §. 1.* Eſt autem Sacerdos verus ſacrificans, & quamvis tanquam Vicarius & Miniſter Chriſti, in ejus perſona offerens, non eſt tamen merum inſtrumentum, ſeu merus executor, ſicut eſt famulus, juſſu nomine Domini ſui dans eleemoſynam, ſed etiam ex propria mente & intentione concurrens & offerens in perſona Chriſti, unde debet præcedere ejus propria intentio: & non ſufficit voluntas & intentio Chriſti ſola, niſi etiam ipſe Sacerdos intendat offerre & ſacrificare. ¶. Hic opportunè ſe ingerit quæſtio ſolemnis, etiam propoſita & reſoluta à D. Thoma *3. p. q. 82. a. 6.* Utrùm Miſſa Sacerdotis mali minùs valeat, quàm Sacerdotis boni; & contrà, boni plùs, quàm mali? Communis reſponſio eſt, Miſſam Sacerdotis mali (id eſt, peccatis mortalibus cooperti) non minùs valere, quàm boni, quantùm eſt *ex opere operato*; ſed omnino valere minùs, quantùm eſt *ex opere operantis.* Terminos explicatos habes *ſupra a num. 224.* atque ut quæſtionem rectè intelligas, iſta gnaviter diſtinguas.

321 II. Si Sacrificium ſpectetur, quatenus offertur in perſona Chriſti, quoad effectum principalem, ſcilicet confectionem Corporis & Sanguinis Chriſti, & fructum ſuum præcipuum *ex opere operato*, ſatisfactorium & impetratorium, certum eſt, Miſſam Sacerdotis mali, peſſimi, tantùm valere, quantùm Sacerdotis boni, optimi, ſanctiſſimi, & non minùs; ab utroque enim æquè conficitur idem Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, atque offertur idem Sacrificium, eadémque Hoſtia, de ſe ſemper ejusdem valoris & efficaciæ ex opere operato, à quocunque offeratur: atque quoad hos effectus primarios Sacrificium nihil omnino dependet à diſpoſitione Miniſtri. Uti docent omnes Theologi ac SS. Patres, & clarè exprimunt varii ſacri Canones, & elegantter *c.* intra. 1. q. 1. *Intra Catholicam Eccleſiam, & in myſterio Corporis & Sanguinis Domini, nihil a bono majus, nihil a malo minus perficitur Sacerdote. Quia non in merito Conſecrantis, ſed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritûs ſancti. Si enim in merito eſſet Sacerdotis, nequaquam ad Chriſtum pertineret. Nam ſicut ipſe eſt, qui baptizat, ita ipſe eſt, qui per Spiritum ſanctum hanc ſuam efficit Carnem.* Hæc ibi. Similia habet D. Chryſoſtomus *Homil. 2. in Epiſt. 2. Timothei, & homil. 85. in Joannem.*

322 III. Si Sacrificium ſpectetur quatenus offertur in perſona Eccleſiæ quoad vim & effectum maximè impetrationis: adeóque quoad orationes præſcriptas in Miſſali, quatenus præcisè nomine Eccleſiæ fundiuntur à Sacerdote: ſic rurſus Miſſa, illæque orationes habent æqualem vim & valorem, ſive à bono, ſive à malo, (non tamen præciſo) Miniſtro ſeu Sacerdote fundantur. Operatur enim hic intentio Eccleſiæ Sponſæ Chriſti dilectiſſimæ. Sicut ſi ex vero amore DEI mittas eleemoſynam alicui egenti per ſervum malum, recipies à DEO tantam mercedem, quantam ſi miſiſſes per ſanctiſſimum quemque. Attamen ſi eæ ipſæ orationes communes Eccleſiæ ſpectentur, quatenus nomine Eccleſiæ fiunt à Sacerdote cum debita diſpoſitione & devotione, (cùm devotio boni DEO gratior ſit, quàm mali) jam ex opere operantis magis proderunt Miniſtri boni, quàm mali. Idque etiam de aliis orationibus, quæ in officio Eccleſiaſtico nomine Eccleſiæ fiunt, intelligendum eſſe, monet D. Thomas *l. c.* Dicta etiam intelligenda ſunt de Sacerdote malo, non tamen præciſo, ſeu excommunicato non tolerato, quia per hunc non vult Eccleſia ſuas orationes ad DEUM offerri, conſequenter eæ nullam habent efficaciam, quatenus in nomine Eccleſiæ fiunt, juxta communem DD. cum D. Thoma *eâdem q. 82. a. 7. ad 8.* Secùs dicendum de excommunicato tolerato; cùm enim ab hoc permittat Eccleſia, ut fideles Sacrificia Miſſæ, & alia officia divina poſtulent, conſequenter etiam permittit, ut fructuosè fiant. Ex communi Avila cum Layman *cit. Tract. 5. c. 1. n. 12.*

323 IV. Si Sacrificium ſpectetur, quatenus à Sacerdote, ut privatâ perſonâ offertur, ſeu quatenus Sacerdos ut privata perſona offert & orat ſuo nomine orationes fundens, ut in utroque *memento*, in intentione ſpeciali applicandi Miſſam huic vel illi, nimis certum eſt, apud DEUM plùs valere Miſſas & preces illas

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ministri boni, in gratia constituti, quàm Sacerdotis mali, peccato mortali contaminati. Ratio clara est: quia preces amici utique plus habent energiæ & efficaciæ ad impetrandum, quàm hostis & inimici. Deinde orationes bonam conscientiam habentis solent esse attentiores, ferventiores, & cum majori in Deum fiducia, quàm alterius, quem mala conscientia divexat, & distrahit: quare quò quis melior, meliùs dispositus, sanctior est, quò ferventiùs & devotiùs in Missa pro se, & aliis orat, eò plus gratiæ & gloriæ apud DEUM sibi meretur, eóque plus sibi & aliis impetrat, & pro peccatis satisfacit. Ut meritò Alexander Papa *c. ipsi* 1. *q.* 1. pronuntiet: *Quantò digniores fuerint Sacerdotes, tantò facilius, pro quibus clamant, exaudiuntur.* Contrà verò, si malus, malè dispositus, & indignus Sacerdos offert & orat, infructuosa erit ejus oratio & oblatio, etiam quoad vim impetrandi, ut habetur *cap. in gravibus. 3. q. 7.* Idque maximè, quatenus pro aliis orat. Quamvis enim alioquin etiam peccatores debitè orantes Deus exaudiat, non quidem de condigno ex justitia, cùm revera indigni sint omni DEI favore, sed de congruo ex pura misericordia, ut docet communis DD. cum D. Thoma 2. 2. *q.* 83. *a.* 16. attamen tunc certè verificatur de illis illud Cæci Evangelici: *Scimus, quia peccatores Deus non audit*: quando sunt peccatores formaliter, id est, qui orando peccant, quorum proinde *oratio execrabilis est*: *Proverb.* 28. Atqui hoc speciale est in peccatore sacrificante, seu Sacerdote, qui in statu peccati mortalis scienter sacrificat, quòd tota ejus actio, oblatio & oratio, quatenus ab ipso procedit, mala, Deóque ingrata sit, ideóque non misericordiam, sed vindictam mereatur: *& oratio ejus fiat in peccatum.* Ergo *in summa*, absolutè dicendum, Missam boni Sacerdotis plùs valere, quàm mali, uti post *D. Bonaventuram Sotum, Paludanum*, aliósque citatos, rectè resolvit dicastillus *hic disp. 3. n.* 201. Ratio ex dictis patet: quia præter fructum Sacrificii ex opere operato, ex persona Christi & Ecclesiæ, Sacerdos malus nihil prorsus amplius proficit, nec sibi nec aliis: plurimùm autem Sacerdos bonus, ut modò dictum. Minimè ergo reprehendendi sunt fideles, qui libentiùs audiunt, vel conducunt Sacrum boni Sacerdotis, quàm mali vel diffamati, &c. dummodò caveatur à temerariis judiciis, contemptu, obtrectatione, ac maximè ipsâ diffamatione, etiam ibi in præsenti, &c. &c.

§. III.

Offerens Generalis, Ecclesia.

324 POst Christum, Offerentem *principalem*, & Sacerdotem offerentem *ministerialem*, tertium locum tenet Offerens *generalis*, universa Ecclesia, in qua semper tot eximiè Sancti existunt. Etenim Sacerdos sacrificans Minister Christi, simul est Sponsæ suæ dilectæ, totius Ecclesiæ Legatus ad Deum. Ideo enim ipsa Sacerdotes creat, & alit, ut velut sui Legati agant cum DEO de rebus gravissimis, uti liquet ex Apostolo *Hebr.* 5. Quemadmodùm ergo Respublica dicitur petere à suo Rege id, quod per Legatum suum petit, ita etiam rectè dicitur Ecclesia per Sacerdotes tanquam per Ministros & Legatos suos offerre omnia omnino Sacrificia. Vide nuper dicta *num.* 322. Et de hujus generalis Offerentis generali fructu. *n.* 246. *& seq.* Nec aliud peculiare hic dicendum mihi occurrit.

§. IV.

Offerentes speciales & secundarii, Fideles concurrentes.

325 I. PRæter Christum offerentem Principalem, & Sacerdotem Ministrum ordinarium, atque etiam Ecclesiam offerentem generalem, etiam alios esse *speciales* coofferentes *& quasi secundarios & accessorios offerentes*, non dubium, sed clarum est ex ritu Missæ & ipso sacro Canone. Plerumque enim Sacerdos in plurali pronuntiat illud *OFFERIMUS*, nimirum non suo tantùm, sed etiam Ecclesiæ, & Fidelium nomine. Et speciatim ibi: *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi Offerimus, vel qui tibi OFFERUNT pro se, suisque omnibus.* Rursus post consecrationem: *Unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta, OFFERIMUS præclaræ Majestati tuæ, &c.* Et in oblatione Calicis Diaconus cum Sacerdote dicit: *OFFERIMUS tibi calicem salutaris &c.* Et mox Sacerdos conversus ad Populum dicit: *Orate Fratres, ut meum ac VESTRUM SACRIFICIUM acceptabile fiat, &c.* Ratio est: quia Sacrificium Missæ est actus Religionis, & cultus DEI publicus, qui exhibetur DEO per Sacerdotem non ab ipso solo, sed à tota Ecclesia *generaliter*, & *specialiter* à Fidelibus ad idem Sacrificium peculiari aliquo modo concurrentibus, cooperantibus, assistentibus. Ita post 1. Christum, 2. Sacerdotem, 3. Ecclesiam.

326 II. Inter hos Offerentes speciales & secundarios primum (in ordine offerentium, quartum) locum obtinent, qui aliquo modo peculiari sunt causa Sacrificii, vel ad illud cooperantur. Ut sunt imprimis, qui Sacrificium offerri procurant, Sacerdoti Sacris operanti victum vel stipendium præbent. Tales enim per Sacerdotem, velut per Legatum suum specialiter dilectum sacrificant & offerunt. Quò spectant etiam ii, qui suppeditavêre necessaria Missæ, calicem, casulam, alia paramenta. Vide suprà *n.* 250. Deinde sunt Sacro ministrantes, non tantùm solenniter, quippe Ministri ad hoc ministerium ab Ecclesia speciali-

ter ordinati, sed etiam privatim inservientes, quippe ab Ecclesia ad Missam celebrandam semper requisiti, de quibus *cap. seq. suo loco.* His in hac classe addit Gobat casu IV. *n.* 107. etiam Ædituum & Sacristanum.

327 III. Post illos specialiter cooperantes, secundum (in ordine quintum) locum obtinent, quotquot Sacrificio corporaliter intersunt, & assistunt religiosè cum reverentia, & affectu se cum Sacerdote conjungentes ad colendum Deum eo sacrosancto & tremendo Sacrificio. Certè qui vult debitè audire Sacrum, non vult solùm materialiter audire & videre, quid ibi agatur & fiat; sed vult eâ actione & assistentiâ colere Deum, atque hoc ipso implicitè vult unà cum Sacerdote offerre hoc Sacrificium, ad supremum Dei cultum, omnémque finem & fructum Sacrificii intendit, quantumvis simplex sit, & de his explicitè nihil cogitet. Unde meritò Sacerdos ad populum dicit, *meum ac VESTRUM Sacrificium &c.* Et in Canone, *qui tibi offerunt &c.* Et laudandus esses mi Sacerdos, qui factâ reflexione super ejusmodi verba, ex vera humilitate cogitares esse complures è Laicis præsentes, qui majori pietate ac puritate animi Deo offerunt hoc SS. Sacrificium, quàm tu Minister ordinarius & insignitus Charactere Sacerdotali! Sed hæc in aurem.

328 IV. Post prædictos tertium (in ordine offerentium sextum & ultimum) locum obtinent, qui non quidem corporaliter, attamen mente & spiritualiter interiunt Sacro, qui nimirum, cùm corporaliter Sacrificio interesse nequeant, mente se sistunt, & votis suis vota Sacerdotis prosequuntur. Etiam Hi aliquo modo *Offerentes* sunt, & de fructu Sacrificii ex opere operato aliquo modo participant, præter fructum & meritum insigne ex opere operantis: uti post D. Thomam *q.* 81. *a.* 6. *&* 7. pulchrè docet Suarez *disp.* 77. *sect.* 2. *&* 3. magno solatio captivis, ægrotis, occupatis, omnibus, de hoc meritò eruditendis.

¶. Bone Deus! inquis: ego de hoc ne cogitavi quidem unquam. In hoc te non laudo, sed laudabilem praxin in aurem suggero. Cùm audis ad Sacrum aliquod pulsari & interesse non potes, aut aliàs quovis tempore, dic corde vel ore. *O Glorioſissime Deus, quot hâc horâ Sacrificia Tibi Filius tuus dilectus per totum orbem offert! Te infinitè oblectantia & glorificantia: neque enim ulla hora, die & nocte cessat offerre hoc juge Sacrificium Tibi infinitè gratum. Gaudeo & exulto de hac magna gloria tua. O quàm optarem adesse corpore! certè mente me sisto in omnibus locis, omnibus & singulis Sacrificiis illis, & cum Christo & per Christum quàm submissimè Te adoro, &c. &c.* Deinde fac intentionem, & ora, si vacat, sicut facere soles, quando aliàs Sacrum audis. Lege P. Georgium Tauschium, in ejusmodi materia mirabilem.

SECTIO III.

De Sacrificii Oblatione.

SUMMARIUM.

329. *Sacrificium offerri debet soli Deo ex duplici ratione.*
330. *Idq; ex fine colendi Deum.*
331. *Qui finis semper, saltem implicitè haberi debet.*
332. *Si insuper intendatur alius finis malus vel indifferens, peccatum erit pro ratione materiæ.*
334. *Præter intentionem generalem colendi Deum, in Celebrante*
335. *Requiritur intentio particularis respiciens hanc determinatam materiam consecrandam, &*
336. *Applicationem fructûs ad certas personas.*
337. *Tam intentio generalis colendi Deum,*
338. *Quàm particularis seu consecrandi, debet saltem esse virtualis,*
339. *Quæ utique etiam est sufficientissima pro applicando fructu.*
340. *Non tamen necessaria, sed sufficit habitualis, scil. semel habita, & non revocata.*
343. *Quamdiu ante Missam fieri possit intentio consecrandi, &*
345. *Intentio applicandi?*
347. *Utraque necessariò fieri debet ante consecrationem.*
349. *Intentio tamen applicandi adhuc validè fit post consecrationem Hostiæ, ante consecrationem Calicis.*
350. *Imò probabiliter etiam primùm ante Sumptionem.*
352. *Obligatio applicandi ex fidelitate solum, regulariter est sub veniali tantum.*
353. *Obligatio verò ex justitia sub mortali ex genere suo.*
354. *Unde mortaliter peccat, qui talia Sacra sine justa causa nimis diu differt, &*
355. *Si omittat, vel non applicet, tenetur restituere stipendium.*

§. I.

Cui offerri debet Sacrificium; & ad quem finem?

329 I. SOli Deo offerri debet Sacrificium Missæ: idque duplici ratione: I. Ex ratione essentiali *Sacrificii* in communi: quod est supremus cultus, soli Deo debitus in recognitionem supremi ejus dominii & infinitæ eminentiæ, nostræque omnimodæ subjectionis & dependentiæ, ut *cap.* 2. explicatum est. II. Ex ratione speciali Sacrificii Missæ, nimirum ratione rei oblatæ, quæ est infinitæ dignitatis: nempe Christus Deus personaliter, ideóque non nisi Deo offerendus. Offeruntur quidem etiam Sacrificia Sanctis: at non tanquam cultus Sanctorum in contestationem submissionis erga ipsos, vel eorum excellentiam, absit, apage! sed tanquam cultus proprius Dei, attamen in memoriam & honorem Sanctorum, ac velut eorum vice oblatus. Cedit enim in maximum honorem & gaudium Sanctorum, quòd in eorum memoriam & venerationem, ac eorum nomine colatur Deus tali cultu excellentissimo, ac ratione rei oblatæ planè infinito, quo insuper Deo gratias agimus pro tantis beneficiis gratiæ, & gloriæ in ipsis collatis, aut pro beneficiis eorum intercessione & intuitu nobis concessis, aut eorum intercessione apud Deum nova beneficia impetrare satagimus. Ita perspicuè docet Concil. Trident. *sess.* 22. *c.* 3. dicens: *Et quamvis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

in honorem & memoriam Sanctorum interdum Missas Ecclesia celebrare consuevit: non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule: sed de eorum victoriis Deo gratias agens, eorum patrocinia implorat: ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Hæc ibi Concilium.

330 II. Sacrificium Missæ principaliter & unicè offerendum est ad finem colendi Deum. Patet ex natura & institutione ipsius. Est enim Sacrificium hoc essentialiter actus Religionis, & cultus latriæ excellentissimus soli Deo debitus, à Christo principaliter institutum ad cultum Deo exhibendum in recognitionem supremi ejus Dominii, tanquam viva repræsentatio Sacrificii cruenti ac mortis ipsius: ergo principaliter & universaliter semper offerendum est ad finem colendi Deum: non quidem semper ad solum finem Latreuticum, sistendo solùm in intentione colendi Deum in recognitionem supremi ejus Dominii, in actu signato: absit; sed simul etiam ad finem Eucharisticum, Impetratorium, & Satisfactorium, quemcumque enim ex his finem expresse intendas, eo ipso etiam implicitè, imò in ipso actu exercito etiam intendis & exerces cultum divinum soli Deo debitum. An non enim, si Sacrificio tuo Deo gratias agis pro beneficiis acceptis, supplicas pro novis accipiendis, deprecaris remissionem peccatorum: in actu exercito & ipso facto Deo divinum cultum exhibes, ejus supremum in te dominium, potestatem, eminentiam, tuámque humillimam submissionem, dependentiam, indigentiam contestâris? Quis enim peccata remittit nisi solus Deus? Quis beneficia & bona salutaria ad ultimum finem æternæ beatitudinis conferre potest efficienter nisi solus DEUS?

131 III. Laudandus esses, & laudabilis valde mi Sacerdos, si prædictos fines omnes semper explicitè & expresse intenderes, & bene applicares tanquam fidelis dispensator, (*vid. num.* 296.) Verùmtamen nemo te ad id obligat. Neque opus est, ut ipse ille finis colendi Deum semper explicitè intendatur: sed implicitè semper habetur finis iste, quoties Sacerdos intendit celebrare Missam, ut à Christo instituta est, aut iuxta intentionem ac ritum sanctæ Ecclesiæ. Utilissimè ergo Sacerdos Missæ præmittit formulam illam: *ego volo celebrare, &c.* de qua §. *seq.* Quid si ergo quis offerat Sacrificium ad alium finem, præter cultum Dei, & alios modò enumeratos? Distinguendum est. Hoc fine principali colendi Deum positivè excluso, offerre Sacrificium principaliter & præcisè ad alium finem, non tantùm malum sed etiam indifferentem, ita ut quis nullo modo etiam implicitè saltem velit eo Sacrificio colere Deum, sed præcisè & ultimatè alium finem, v. g. vanam gloriam, lucrum, seu bonum stipendium, favorem &c. esset sanè peccatum mortale gravissimum: hoc enim esset in re gravi negligere præceptum Dei & penitùs invertere institutionem Christi. Sed credo hoc raro contingere posse. Cæterùm eo ipso, quo quis hoc Sacrificio unicè intenderet impetrare aliquod beneficium corporale, v.g. sanitatem, etsi expresse nihil intendat vel cogitet de cultu DEI, jam tamen implicitè & in actu exercito intendit colere DEUM, ac ipso facto Deum colit, ejus dominium, suámque submissionem ac dependentiam recognoscit, ac profitetur, ut modo suprà dictum.

IV. Habito & retento hoc fine principali 332
colendi Deum, offerre Sacrificium secundariò etiam ad alium finem, peccatum erit pro ratione materiæ, seu ipsius finis malè intenti. Nam 1. Offerre ad finem mortaliter malum, v. g. ad victoriam in injusta lite, ad injustam vindictam, ad occasionem fornicandi vel furandi impetrandam, ad usum magicum vel superstitiosum, &c. &c. sine dubio mortale est gravissimum, & duplicis malitiæ mortalis: una est ratione finis malè intenti; altera gravissimæ irreverentiæ & abusûs sacrilegi Sacrificii sacratissimi, contra virtutem Religionis, dum assumitur sanctissimum Sacrificium ut medium ad mortalem offensam Dei. 2. Offerre Sacrificium secundariò ad finem venialiter tantùm malum, v. g. ob vanam gloriam captandam, ex mera avaritia, ob lucrum pecuniæ, ex gulositate, ut eo die lautiùs potare vel comessare possis &c. probabiliùs tantùm est veniale. Ratio hujus, & disparitatis à priori casu est, quia volens celebrare ob finem mortaliter malum, graviter pervertit, & quasi totaliter destruit finem principalem colendi Deum, quippe quem actu vult & intendit suo Sacrificio tam graviter offendere & inhonorare, atque etiam offendit actu: At verò celebrare Missam ob finem venialiter tantùm malum, non ita graviter pervertit finem principalem colendi Deum, quippe quem actu intendit colere supremo cultu, & non graviter sed leviter tantùm vult offendere. 3. Denique offerre Sacrificium ob finem indifferentem tantùm, v. g. ob amplum stipendium oblatum, lautum convivium præparatum, vel similem causam impulsivam, sic ut aliàs hâc vice non celebrares, eóque ipso magis movearis affectu commodi tui sensibilis, quàm affectu colendi DEum (prô rem frequentissiam!) est quidem deordinatio aliqua, sed levis & venialis tantùm. Non enim talis appretiativè, sed intensivè solùm, magis afficitur ad commodum sensibile, quàm ad Deum, ejúsque cultum. 4. Cæterùm Sacrificio oblato petere à Deo rem indifferentem tanquam beneficium & donum Dei, ex se omni culpâ vacat, & sanctum evadit, si refers ulteriùs ad finem sanctum: ut si petas sanitatem corporis, vel prolem &c. ad servitium & gloriam Dei.

¶. Hic consequenter quæri posset; *pro quibus*

bus Sacrificium offerri debeat, ac licitè & fructuosè offerri ppssit? sed de hoc plenè dixi *c.* 4. *sect.* 4. sub aliis terminis, scilicet quibus prosit & applicari possit fructus Sacrificii?

§. II.

Quotuplex, & qualis requiritur intentio ad offerendum Sacrificium?

I. Quotuplex.

333 *Præter modò dictam intentionem generalem, & velut abstractam offerendi hoc Sacrificium ad colendum Deum: duplex requiritur intentio particularis, nimirum consecrandi materiam præsentem, & applicandi fructus hujus Sacrificii.*

334 Prima ergo intentio generalis & velut abstracta à materia & effectu Sacrificii, quâ Sacerdos intendit, & vel explicitè, vel saltem implicitè semper intendere debet offerre Sacrificium ad honorem & cultum Dei, ut §. *præced.* dictum. Formula explicita utilissima præscripta & indulgentiis dotata à Gregorio P. XIII. hæc est: *Ego volo celebrare Missam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU Christi, juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, totiúsque Curiæ triumphantis: ad utilitatem meam, totiúsque Ecclesiæ militantis, pro omnibus, qui se mihi commendaverunt in genere & in specie, & pro felici statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Gaudium cum pace, &c.*

335 Secunda est intentio particularis respiciens hanc materiam determinatam in hoc Sacrificio consecrandam: quâ nimirum Sacerdos intendit hanc certam materiam, hanc hostiam, hoc vinum consecrare. Et hæc intentio omnino est necessaria necessitate Sacramenti & Sacrificii, sine qua nihil fieret, secundùm omnes. Non ergo sufficit intentio illa generalis offerendi Sacrificium ad cultum Dei, & consecrandi Corpus & Sanguinem Christi velut in abstracto, nisi illa intentio actu vel virtute determinetur ad hanc materiam in hoc Sacrificio consecrandam: quia hæc actio Sacrificii per se & ex natura sua determinatur ad consecrationem hujus materiæ in individuo hîc & nunc ad hoc Sacrificium præparatæ, atque ita determinatim intelligenda est illa formula suprà posita. *Ego volo celebrare Missam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU Christi &c.* Ut nimirum Sacerdos non tantùm Missam & Consecrationem velut abstractè in genere intendat, sed hanc consecrationem in individuo futuram, circa hanc materiam propositam, vel tempore consecrationis proponendam: alioquin non magis consecrabit hostiam oblatam, quàm non oblatam. De hac determinatione materiæ consecrandæ, vide latè *cap. 3. à num.* 166.

336 Tertia est intentio particularis respiciens applicationem fructûs hujus Sacrificii ad certas personas: quâ nimirum Sacerdos intendit offerre hoc Sacrificium pro Petro, Paulo, pro benefactoribus, pro vivis, vel defunctis, pro his, illis, omnibus. Et hæc intentio non est necessaria ad essentiam Sacrificii, sed solùm ad hoc, ut Sacrificii fructus præcipuus (*ministerialem* vocamus, alii *specialem*) alicui alteri in particulari prosit & obveniat. De quo *c.* 4. §. 4. *per totum.*

II. Qualis?

337 I. Intentio, tam generalis offerendi ad cultum Dei, quàm particularis utraque, consecrandi & applicandi fructum Sacrificii, utique optima & utilissima est actualis explicita vel implicita, (ut nimirum saltem velis facere, quod Ecclesia facit, vel quod Christus instituit,) habita tempore consecrationis: ea tamen necessaria non est, sed omnium consensu sufficit intentio virtualis, nimirum virtute intentionis actualis jam antea præhabitæ, & nunquam revocatæ, adhuc in operatione morali perseverans, movens & influens in præsentem actum consecrationis, oblationis &c. ut nimirum verè moraliter ideo nunc fiat consecratio vel oblatio, quia quis id antea intendit & voluit (vide latè dicta *in prima parte c. 2. sect. 3. §. 1. 2. & 3.*) Quod adeò verum est, ut ex Cajetano, Suarez & aliis, rectè moneat Tamburinus *opusc. de Sacrif. l. 2. c. 1. §. 2. n. 8.* non esse consultum, ut tempore consecrationis eliciat quis intentionem actualem in actu signato, v. g. dicendo: *Ego volo consecrare &c. volo facere, quod facit Ecclesia &c.* sed longè meliùs esse, ut tunc cogitet de sensu verborum & ipso mysterio à se conficiendo; sicque in persona Christi, & velut ex ore Christi devotè sacra verba pronuntiet: hoc enim ipso jam habet in actu exercito intentionem actualem optimam & sufficientissimam consecrandi, licèt alia intentio actualis non præcessisset. Quod, quæso, notent morosi scrupulantes, prout jam suprà, & alibi etiam inculcavi.

II. Intentio consecrandi necessariò debet 338
esse saltem virtualis, secundùm omnes. Ratio est, quia intentio consecrandi debet esse activa & confectiva Sacramenti, adeóque actu vel saltem virtute existere, quando conficitur Sacramentum. Non ergo sufficit ad hoc intentio habitualis tantùm (nimirum præcisè solùm semel habita, & nunquam revocata.) Hæc enim nullo modo moraliter, nec virtute influit in confectionem Sacramenti, cùm æquè perseveret in ebrio, dormiente, amente &c, qui tamen nihil moraliter operari potest. Vide latiùs in *1. p. c. 2. Sect. 3. §. 2. à n.* 113. Verum tamen non est hic scrupulizandum nimis. Rarissimè enim, imò (nisi Sacrificans esset hominum vel stolidissimus vel Sceleratissimus) unnquam contingit, quòd consecratio hostiæ principalis sit invalida defectu intentionis: cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnium consensu sufficiat intentio virtualis, etiam implicita: atqui virtualem & implicitam saltem intentionem habet omnis ille, qui præditus libero usu rationis, induit se vestibus sacris, procedit ad altare cum proposito seu voluntate dicendi Missam (amplius audies §. *seq.*) Dixi tam: *Hostiæ principalis*, scilicet pro ipso Sacrificio consecrandæ: secus sine dubio est de particulis pro communicantibus consecrandis: nam in proposito generali consecrandi ac Missam celebrandi, dum induis sacras vestes, & ad Altare procedis, nullo modo, ne implicitè quidem involvitur intentio consecrandi illas, vel ullas particulas: unde si, te inscio, positæ sunt super Altare, non evadent consecratæ. Vide latè *c. 3. sect. 2. §. 4. à. num. 166.*

339 III. Intentio applicandi fructum Sacrificii sine dubio sufficientissima est virtualis, prædicto modo virtualiter tantùm, tempore consecrationis & oblationis perseverans: Atque secundùm Vasquez, & alios etiam necessaria est. Ratio datur: quia applicare alicui fructum Sacrificii est pro eo offerre Sacrificium: non dicitur autem quis offerre Sacrificium per voluntatem vel intentionem habitualem tantùm, quæ nullo modo actu vel virtute est causa offerendi Sacrificium, seu à qua Sacrificium non dependet: ergo intentio applicandi fructum Sacrificii debet esse saltem virtualis perseverans tempore Sacrificii. *Confirmatur.* Ipsa actualis applicatio seu collatio fructûs debet intelligi procedere à voluntate Celebrantis & Offerentis: non potest autem intelligi procedere à voluntate Offerentis, nisi voluntas seu intentio illa applicandi fructum, saltem virtualiter existat tunc, quando reipsâ fructus confertur, nimirum in ipsa actuali consecratione, quâ ipsâ perficitur essentialis Oblatio Sacrificii, ut *cap. 2.* suo loco dictum. Sententia probabilis & tutior, sed nihilominùs dico:

340 IV. Verius est ad applicandum fructum Sacrificii sufficere intentionem habitualem, nimirum semel habitam & non revocatam tantùm. Ita communis DD. *Suarez, Bonacina, Diana*, alii cum Lugo *disp. 8. sect. 6. num. 93.* Gobat. *Casu 5. n. 165.* Et videtur esse juxtà communem sensum & praxin omnium, qui putant se satis validè applicâsse fructum Sacrificii, si præcedenti die applicent, eámque voluntatem non revocent, etiamsi postea tempore Sacrificii nihil de hoc recordentur vel cogitent.

Ratio (& simul disparitas ab intentione consecrandi) est: quia intentio consecrandi debet esse effectiva Sacramenti, ideóque necessariò saltem virtualis, ut dictum est. At verò intentio applicandi fructum Sacrificii, minimè debet esse effectiva fructûs illius, sed ipsum Sacrificium ritè oblatum confert fructum ex opere operato: atque etiam Sacerdote nulli applicante, adhuc conferret fructum proportionatum in thesauro Ecclesiæ reponendum &c. vide *num. 263.*) adeóque intentio applicandi fructum non est effectiva, sed merè applicativa fructûs à Sacrificio causandi & conferendi certis personis: atqui ad hanc meram applicationem fructûs omnino sufficit intentio habitualis, seu voluntas semel habita & non revocata. Sicuti enim possum tibi hodie aliquid donare sub conditione, si eras venerit in meam potestatem (ut si sim Canonicus meas Distributiones, seu Præsentias, ut vocant, cras vel totâ septimanâ, mense, anno toto acquirendas) quâ conditione positâ, res donata cras tibi valide acquiritur, etsi ego nihil amplius de hoc vel de te cogitem, dummodò voluntatem hesternam non revocârim: ita possum tibi hodie applicare & donare fructum mei Sacrificii cras celebrandi, eóque posito & celebrato, fructus tibi validè applicatus acquiretur, etsi ego tunc nihil amplius de eo, vel de te cogitem, ut mox declarabo amplius.

Ad rationes oppositas *num.* 339. facilè re- 341
spondetur *distinguendo majorem*: applicare fructum Sacrificii alicui, est offerre Sacrificium pro illo: *offerre effective*: nego M. Hoc enim est consecrare: *est offerre applicativè tantùm*: concedo M. & nego consequentiam. Item actualis applicatio seu collatio fructûs debet intelligi procedere à voluntate Celebrantis *effectivè*, quasi ipse efficiat fructum: nego M. debet intelligi procedere *applicativè* tantùm, quatenus ipse fructum à Sacrificio conferendum applicat & donat huic potiùs, quàm alteri: concedo M. & nego consequentiam. Applicatio enim habet rationem donationis verbalis: Hæc autem semel facta, retinet vim suam, donec revocetur. Quare si dicam tibi: *dono tibi meum crastinum Sacrum*: vel quod idem est: *cras faciam pro te Sacrum*: absque ulla alia causalitate vel influxu voluntatis meæ, dummodò non revocatæ, eratuum erit meum Sacrum quoad fructum. Idem sentit Lugo *loc. cit.* Si antè dixeram me tibi donare hodiernum Sacrum v. g. die Natalis tui. Addit Gobat *cit. n. 165.* Quidni etiam si idem dixissem ante decennium? Dummodò enim nunquam revocaverim, semper censetur perseverare donatio. Et licèt non sim Princeps, Rex, Papa: tamen possum mihi applicare Regulam juris: *Principis beneficium decet esse mansurum.* Tandem quia intentio hæc consecrandi & applicandi seu virtualis, seu habitualis requirit, quod aliquando præcesserit actualis, hinc est consequens magni momenti.

§. III.

Quando debet fieri intentio actualis & consecrandi & applicandi, seu ipsa applicatio Fructûs Sacrificii?

I. INtentio actualis tam consecrandi, quàm of- 342
ferendi fructum Sacrificii in praxi securissimè fit in Missa ante actualem consecrationem immediatè, (juxta tamen dicta *num. 337.*) non tamen necessariò ita fit: sed utilissimè etiam fit immediatè ante Sacrum per formulam suprà descriptam, vel aliam placitam: & facilè simplici actu reflexo repetitur in actuali consecratione. Cæterùm intentionem consecrandi commodissimè etiam fieri in primâ oblatione seu offertorio, sicut & intentionem applicandi Missam in *Memento* vivorum: nulli est dubium. Duo autem dubia non levis momenti occurrunt. I. Quando & quamdiu ante Missam? 2. Quando & quamdiu in ipsa Missa, possit fieri ista utraque intentio?

1. Quando & quamdiu ante Missam?

343 I. INtentio actualis tam consecrandi, quàm offerendi fructum, non debet necessariò fieri sub missa, vel immediatè antè, sed potest etiam fieri aliquantò longiùs anteà. *Omnes.* Ratio patet: quia omnium consensu, ad utrumque sufficit intentio virtualis vi actualis præhabitæ in operatione morali perseverans: atqui potest ita perseverare moraliter & virtualiter in consecratione & oblatione Missæ, etsi intentio actualis non sub ipsa Missa eliciatur, sed aliquando etiam longiori tempore præcesserit, ut omnes fateri debent: ergo &c. Quanto autem tempore possit præcedere intentio actualis, ut virtute illius, & intentione virtuali adhuc valida fiat consecratio & applicatio Missæ, pendet à judicio prudentis, Itaque

344 II Quoad intentionem consecrandi, quæ secundùm omnes necessariò debet esse virtualis, cautiùs loquendum est: Nec potest alia Regula assignari, nisi quòd: *Requiritur & sufficit tali tempore præcessisse intentionem actualem nunquam revocatam, ut interea consideratis circumstantiis, prudentis judicio, non censeatur exspirâsse, sed adhuc moraliter influere in actualem consecrationem*: ut scilicet vi illius actualis intentionis præhabitæ, verè hic & nunc fiat consecratio. Exempli gratiâ: si hodie manè me præparans, habui intentionem consecrandi, seu celebrandi, & interea vocatus ad Confessionale, vel alio negotio occupatus, fortè etiam somno, postea post aliquot horas recordatus vel admonitus officii mei, vi prioris intentionis pergo, induo, celebro &c. etsi nullam novam actualem intentionem eliciam, adhuc validè me consecraturum apud omnes in confesso est, & plerique extendunt etiam in diem præcedentem, imò multò amplius alii, ut infrà *num. IV. seu* 346. audies.

345 III. Quoad intentionem applicandi fructum Sacrificii (quæ in nostra communi sententia non debet necessariò esse virtualis, sed habitualis omnino sufficit) longè largiùs loquuntur DD. Omnium enim consensu, valida est applicatio 1. Si Sacrum cras celebrandum hodie intendas offerre pro anima Petri: 2. Si vesperi videas intentionem tibi designatam in tabula, & tu voluntatem conformes: etsi postea altero die nullum intentionis actum renoves, neque de hoc cogites. 3. Si Sacra facienda per integram septimanam, mensem, annum totum, intendas offerre ad certam intentionem vel à te electam, vel aliunde præscriptam. 4. Aut solùm certis anni diebus: ut si intendas singulis diebus Lunæ celebrare pro omnibus Fidelibus defunctis, aut singulis diebus Dominicis offerre Sacrum hebdomadarium *pro defunctis Fratribus, Propinquis & Benefactoribus*, ut apud nos mos est, &c. Etsi intentionem illam nunquam actu repetas, tamen etiam nunquam revoces: valide fructus singulorum Sacrorum applicatus manebit per totam hebdomadam, mensem, annum: (quidni etiam per totam vitam?) positò semper, quòd sufficiat intentio habitualis. Ratio est: quia hoc Sacrificium institutum est, ut offeratur & applicetur humano modo: quare sicut homines solent disponere de rebus futuris, quæ erunt in sua potestate, sic & Sacerdos potest disponere de suis Sacrificiis futuris, cujus arbitrio & dispensationi DEUS commisit fructum Sacrificii applicandum. Vide omnino & huc refer dicta *n.* 340. 341. & Gobat *n.* 167. rectè tamen monentem: *sed tu renovationem hujus Oblationis, oro, ne omittas. Quia ipsa renovatio auget fervorem supplicantis: eamque necessariam esse tradunt Vasquez, & alii.* Multa scienda: turiora sequenda sunt in praxi tam sancta.

IV. Quin etiam eodem ferè modo lo- 346
quuntur DD. nonnulli de ipsa intentione consecrandi, quæ tamen sine dubio debet esse virtualis. Ut si Sacerdos nuper ordinatus semel pro semper format hanc intentionem: *Ego quoties in vita mea, sacris indutus vestibus ad Altare accedam, & Sacrum faciam, semper volo consecrare materiam appositam, & licitè consecrabilem*: talem, etiamsi totâ vitâ hanc intentionem non renoyet, sed etiam nunquam revocet, tamen totâ vitâ semper validè & licitè consecraturum, post Henriquez & alios resolvit Tamburinus *sæpe citatus opusc. de Sacrificio l. 2. c. 1. §. 2. n. 9.* *Valide* quidem: quia voluntariè & deliberatè assumendo sacras vestes & accedendo ad altare, adest intentio virtualis implicita vi præcedentis nunquam revocatæ etiamnum in operatione morali perseverans, quod sufficit ad valorem Sacramenti. *Licite* etiam. Quia Sacerdos non obligatus est, nisi habere intentionem virtualem & modo humano, juxta suprà dicta. Plus addit ipse Henriquez apud eundem Tamburinum *ibid.* Nimirum etiam ipsam voluntariam & prudentem susceptionem Sacri Ordinis Sacerdotalis (ut si tunc dicas: *volo jam fieri Sacerdos, ut perficiam omnia, qua huic sacro Ordini annexa sunt, seu quæ sunt Ordinis Sacerdotalis*) absque alia explicita intentione consecrandi unquam elicitâ, esse jam intentionem virtualem implicitam sufficientem ad validam consecrationem per totam vitam.

§.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶. Bone DEUS! inquies. Quomodò ejusmodi intentiones remotissimæ possunt manere virtualiter, & dici semper intentio virtualis? aut quâ ratione discernam ab intentione habituali? Respondeo: ideo posse dici semper virtualem, & distingui à merè habituali, quia ratione talis intentionis generalis etsi remotissimæ aliquando habitæ moraliter nunquam contingit, quin is, qui talem intentionem habuit olim, quoties operatur Sacris, habeat aliam intentionem virtualem propriè dictam, eò, quòd (ut suprà dictum *n.* 338.) induere sacras vestes, ire ad Altare, legere & agere præscripta Missæ, jam sit habere virtualem implicitam intentionem consecrandi. Et hâc ratione sententiam illam singularem Henriquezii, cum communi conciliat Bonacina *De Sacramentis disp.* 1. *q.* 3. *p.* 2. §. 3. Sed hæc proponuntur doctrinæ, non praxis gratiâ, quæ sicut in praxi consulenda minimè sunt, ita scrupulosos consolari maximè possunt.

II. *Quando, & quamdiu in Missa?*

347 I. INtentio consecrandi, cùm sit confectiva Sacramenti, utique debet fieri ante vel in ipsa actuali consecratione. Vide rursus & huc refer dicta §. *præced. n.* 1. *vel* 337. Nec de hoc hic aliud dicendum superest.

348 II. Etiam intentio applicandi fructum Sacrificii necessariò debet fieri ante consecrationem utriusque speciei finitam & completam. *Communis.* Ratio est: quia intentio applicativa Sacrificii utique necessariò debet fieri ante illud tempus impletum, quo confertur fructus Sacrificii: atqui fructus Sacrificii præcipuus ex opere operato confertur, & recipitur in ipsa essentiali actione & oblatione Sacrificii, quæ in nostra & communi sententia consistit in sola consecratione utriusque speciei: ergo ante finitam & completam consecrationem utriusque speciei debet fieri applicatio, seu intentio applicativa fructûs Sacrificii, & non post.

349 III. Etiam post consecrationem Hostiæ, ante consecrationem Calicis, adhuc Sacerdos potest applicare fructum Sacrificii, secundùm omnes. Ratio est: quia consecratione Calicis demùm perficitur Sacrificium, & tunc primùm dicitur Sacerdos integrè sacrificare & offerre Sacrificium, & consequenter ejus fructum conferre: ergo ante istam Calicis consecrationem finitam Sacerdos semper poterit applicare fructum: idque non tantùm tunc, quando ante consecrationem Panis nulli applicâsset, verùm etiam tunc, quando jam applicârat alteri, eâ voluntate revocatâ, adhuc poterit applicare alicui alteri, cujus proinde erit fructus, non prioris: quia ut jam dixi consecratione Calicis finitâ primùm confertur fructus. Et hinc etiam in casu, quo unus Sacerdos solo Pane consecrato subitò deficeret, & alius Sacerdos supplens consecrat sanguinem: hujus erit applicare fructum Sacrificii, quia hic solus essentialiter & completè offert Sacrificium, ejúsque fructum confert: nec tenetur se intentioni prioris Sacerdotis conformare, quantùm est ex ratione Sacrificii, nisi aliunde esset obligatio applicandi hoc Sacrificium pro certis personis, v. g. pro Conventu, pro Defuncto, &c. Tunc enim posterior Sacerdos tenebitur se conformare prioris intentioni, non ratione Sacrificii, sed ratione alterius obligationis.

350 IV. Ulteriùs in probabilissima & apud Recentiores satis communi sententia; quòd etiam Sumptio sit de essentia, seu pars essentialis Sacrificii, Sacerdos etiam post consecrationem utriusque speciei, ante sumptionem completam, adhuc semper poterit applicare fructum Sacrificii, ob rationem modò datam: quia nimirum adhuc durat substantialiter Sacrificium, & sumendo primùm dicitur Sacerdos integrè & simpliciter sacrificare. Ita cum aliis Lugo *disp.* 8. & probabile censet Tamburinus *et. l.* 2. *c.* 2. §. 10 Quin etiam stante nostrâ sententiâ, quòd tota essentia Sacrificii consistat in sola consecratione utriusque speciei, & Sumptio non sit pars essentialis; quia tamen est pars integralis substantialis, & substantiale complementum Sacrificii, adhuc ante sumptionem, v. g. in *Memento* defunctorum, posse applicari fructum Sacrificii, resolvit noster P. Marchant. *Tribun. p.* 2. *Tract.* 2. *tit.* 4. *q.* 2. *dub.* 3. eâ ratione. Quia sicut ante consecrationem fit *memento vivorum*, ita post consecrationem fit *memento mortuorum*: quæ quidem memoriæ non sunt meræ orationes: sed sunt applicationes utriusque fructûs Sacrificii, satisfactorii & impetratorii, adeò ut si Sacerdos prius fructum illi vel illis, quibus obligatur, non applicaverit, tunc censeatur applicare, quamvis, ut dixi, etiam postea usque ad Communionem possit applicare. Sic Marchant. Ego in Missis liberis & gratuitis facilè admitterem & practicarem, si antea applicationis oblitus fuissem, ideo parùm laudandus: at in Missis obligatoriis, præsertim ex justitia, pro stipendio, aliorum judicio submitto: mihi certè res non videtur satis certa. Hic rursus consequenter quæri posset: *quomodo faciendæ sit in particulari applicatio fructûs Sacrificii*: sed jam meliori nexu materiæ, hoc resolutum est *cap.* 4. §. 4. per extensum.

§. IV.

Quotuplex & quanta est obligatio applicandi Fructum Sacrificii?

351 TRiplex, seu ex triplici titulo potest esse obligatio applicandi fructum Sacrificii: ex justitia, ex fidelitate, ex obedientia. I. *Ex*

Ex justitia obligantur applicare fructum Sacrificii quicunque redditus beneficii seu stipendium seu fundatum, seu manuale accipiunt cum intentione obligatoria datum. Quia cùm stipendium cum intentione obligatoria datur, & acceptatur, fit contractus innominatus, *do, ut facias*. Do stipendium, ut facias pro me Missam: ideóque pacto & acceptato stipendio, tu ex justitia obligaris. II. *Ex fidelitate* tenetur applicare fructum Sacrificii, quicunque seriò & animo se obligandi promisit pro altero offerre Sacrificium, promissione ab altero similiter cum intentione obligandi acceptatâ, nullo pacto stipendio, III. *Ex obedientia*, tenetur applicare fructum Sacrificii omnis Religiosus Sacerdos subditus, ita seriò & cum intentione obligandi præcipiente Superiore. Vide suprà *n.* 287. IV. Obligationes istas omnes esse sub mortali per se loquendo indistinctè affirmant non pauci, & certum videtur de obligatione ex justitia & obedientia. De obligatione ex fidelitate mitiora. Pono breves

RESOLUTIONES.

352 PRima. Obligatio Fidelitatis regulariter solùm est sub veniali; adeóque qui alteri liberaliter seu gratuitò promisit facere Sacrum unum, vel etiam plura, & omittit (nisi expressè intenderit se obligare graviter,) solùm peccat venialiter: nam promissio liberalis, etiam de gravi non adfert obligationem gravem per se loquendo. Cajetanus, Molina, Suarez, aliósque citantes Sanchez *l.* 1. *de Matrim. disp.* 5. *n.* 25. Diana p. 2. *tract.* 17. *Miscell. resol.* 9. Gobat. *Alph. Sacrif. Casu XVI. n.* 489. dicens: *Puto hanc sententiam esse tutam in praxi, & esse paucos, qui sive unum sive plura Sacra liberaliter polliciti non stent promissis, delinquant mortaliter: quia scilicet noluerunt se obligare graviter: actus enim agentium non extenduntur ultra intentionem eorum.* Etsi contrarium sentiant Lessius, P. Navarrus, alii non pauci, Dices: Nónne sic violo fidem & fidelitatem in re gravi? quid enim grandius, quid sanctius Sacro: Respondet rectè Sanchez *cit.* Sacri unius jactura, licèt à parte rei sit magna, tamen non solere magni fieri à fidelibus: quod maximè verum est, quando ipsis nihili constat.

353 Secunda. Obligatio justitiæ in proposito est sub mortali, ex genere suo: adeóque qui ratione beneficii, ut Capellanus &c. vel ratione stipendii accepti tenetur facere Sacrum, mortaliter delinquat, si culpabiliter omittat. Ita omnes teste Layman *l.* 5. *tract.* 5. *c.* 3. *n.* 6. Ratio est: Quia obligatio justitiæ ex genere suo est sub mortali in re gravi, qualis certè est in proposito. At cur dixi: *ex genere suo*: Annè hic admittenda aliqua parvitas materiæ à mortali excusans? Certè ita: si stipendium nimis tenue accepisti. Audi P. Gobat *cit. n.* 589. *Si parvum, v. g. tres vel quatuor bucios, non delinquis nisi venialiter: quia gravitas tuæ culpæ est desumenda à gravitate seu quantitate stipendii, Fagundez de Præceptis Ecclesiæ. Præcepto* 1. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 11. *Secùs si accepisses à divite mercatore vel Nobili, imperialem. Dicastillus cit. disp.* 4. *dub.* 22. Hæc Gobat. Qualiter autem ex fundatione obligati ad Sacrum quotidianum, subinde ex reverentia omittere possint, v. g. semel in septimana, videbimus *cap. seq.* in quæstione: quo tempore celebrandum?

354 Tertia. Lethalem quóque culpam committit, qui persolutionem Sacrorum ex justitia debitorum absque sufficienti justa causa nimis diu differt, quippe in re gravi lædens justitiam, magno enim fructu injustè privat alios, & maximè defunctos, aut quando Sacrum petitur pro præsenti necessitate: nam tunc circumstantia temporis, ut nimirum hoc tempore, urgente necessitate statim fiat, spectat ad substantiam rei petitæ, ut notat etiam Lugo *cit. n.* 84. Atque per consequens lethaliter quóque delinquit, qui stipendia recipit pro nimis multis Sacris, quibus non poterit, nisi post valde longum tempus satisfacere (& maximè cum periculo nunquam satisfaciendi omnibus) quod gravissimè prohibetur in Decreto Urbani VIII. passim extante apud Recentiores.

§. At quando censebuntur nimis multa Sacra, & tempus dilationis longum, ideóque dilatio mortalis? Villalobos & Ledesma apud Dianam *p.* 2. *tract.* 14. *resol.* 25. si intra 50. vel 60. dies possint omnia persolvi, non esse nimis multa Sacra, nec moram mortaliter longam censent. Idque verum esse dicit ipse Cardinalis de Lugo *disp.* 21. *n.* 22. Et tamen sacra Congregatio Cardinalium approbante Urbano VIII. in prædicto Decreto expressè determinat & vult non plura Sacra suscipi, quàm quæ intra *modicum tempus* possint legi. At certè miseræ animæ in purgatorio igne, pice, sulphure ardentes 60. dies non dicunt esse *modicum tempus*! nunquid? Quare rectè Dicastillus apud Gobat *Casu XVII. n.* 597. censet, hic esse spectandam voluntatem rationabiliter præsumptam offerentium eleemosynam seu stipendium pro Sacris: & consultissimum est, eos de hoc præmonere, nimirum Sacra petita non posse persolvi, nisi intra tot dierum spatium. Quemadmodùm & Parochi, quando ipsis offeruntur stipendia pro Missis eo die, quo jam obligantur celebrare pro aliis, nisi id petentibus jam notum sit, eos de hoc monere debent. & ablegare ad alios, nisi ipsa alium constituere velit, & possit. Quòd si de hoc moniti petant nihilominùs, ut Parochus pro ipsis etiam sacrificet, censentur renuntiare suo juri, & contenti esse secundariâ intentione, oblatione, & applicatione fructûs per Collectas, Memento, & Orationes speciales, & sic nihilominùs stipendium aliquod recipere poterit. Quod ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

maximè locum habet, si Parochus tenues reditus habeat: secùs si pingues & amplos: tunc enim Cooperator advocandus erit. Henriquez, Suarez, Sotus, eósque citans Layman *cit. l. 5. c. 3. n. 4.* Tannerus *disp. 5. quæst. 10. n. 77.* quos vide.

355 Quarta. Qui Sacrum ex justitia debitum omisit, aut certè ejus fructum non applicavit, omnium consensu tenetur restituere stipendium acceptum: & satisfacit quidem si restituat ei, qui dedit scienti Sacrum non esse factum: tunc enim, si velit, poterit eo stipendio aliam Missam offerri facere. At verò non satistacit, si restituat illi ignoranti omissionem Sacri stipendio conducti, aut si eroget pauperibus: quia Dantem gravi damno afficit, scilicet privatione fructûs Sacrificii vel Sacrificiorum petitorum. Obligatur ergo aut restituere scienti, monendo ipsum Missas non esse lectas, aut illo stipendio curare alias Missas eiusdem intentionis pro ipso celebrari. Communis DD. apud citatos. Quin etiam qui Sacrum pro stipendio debitum nimis diu distulit, tenetur ad compensationem pro damno ex ea dilatione interim secuto. Ut si accepisti stipendium pro Missa legenda ad impetrandam sanitatem infirmi, isque decedat è vita, antequam tu segnis Cappellanus satisfacias tuæ obligationi. Quod benè declarat Pellizarius *De dubiis Regular. Tract. 5. c. 9 sect. 3. n. 7.* Nimirum damnum ex dilatione secutum reparandum esse, si reparari possit, ex bonis spiritualibus, & illis ipsis, pro quibus petitæ erant Missæ: adeóque si Missæ petitæ erant pro defunctis, præter debita Sacrificia, offerenda etiam esse suffragia precum, indulgentiarum & similium. Si verò pro vivis, v. g. pro salute infirmi, pro felici partu, aut expeditione alicujus negotii, præter debitas Missas adhuc persolvendas, resarciendam esse jacturam aliis orationibus ordinatis ad illum finem, qui rationabiliter videtur esse intentus ab illis, quibus debebantur Missæ dilatæ. Caveant ergo Sacerdotes, ne se onerent nimis multis Sacris. Videndum nunc consequenter de stipendio Missarum, cujus toties jam facta mentio.

SECTIO IV.

De stipendio Missæ.

SUMMARIUM.

356 *Quâ ratione liceat recipere, & exigere stipendium?*
357 *Quodnam sit stipendium justum seu debitum?* Usque ad n. 360.
360 *Pro una Missa accipi posse plura stipendia docuerunt multi.*
361 *Sed meritò damnata est eorum Sententia, utpote repugnans juri naturali.*
362 *Nec etiam plura minuta stipendia accipi possunt proeadem Missa simpliciter promissa à diversis ignorantibus.*
363 *Neque ratione diversorum fructuum plura à diversis stipendia accipi possunt.*
364 *Multò minus ratione fructûs ex opere operantis.*
365 *An Sacerdos, accepto stipendio pro Missa, possit alteri Missam committere, retentâ sibi parte stipendii?*
368 *Quamvis id per se non videatur injustum,*
369 *Verius tamen non solùm ipso jure naturæ,*
370 *Sed & ex prohibitione Ecclesiæ illicitum, injustum, & restitutioni obnoxium est.*
371 *Nec regulariter excusat remissio & consensus minus stipendium sponte acceptantis.*

§. I.

Quâ ratione licet accipere & exigere stipendium pro Sacrificio Missæ: & quantum?

356 I. SAcerdos pro Sacrificio Missæ celebrato, ejúsque fructu ministeriali applicato, licitè recipit, ac justè exigit salarium competens: non tanquam pretium Sacrificii seu fructûs applicati, sed tanquam stipendium ad sui sustentationem: ita scilicet, ut stipendium Sacerdoti datum non afficiat fructum Sacrificii, sed ipsius Sacerdotis celebrantis, ratione suæ operæ in alterius gratiam navatæ congruam sustentationem. *Ita omnes.* Ratio ex una parte est: quia Sacrificium, & fructus Sacrificii est res planè spiritualis & divina, ideóque nullo pretio æstimabilis: ac proinde, si pacíscentibus de salario, ipsum Sacrificium vel fructus Sacrificii in contractum & commutationem veniret, sic ut stipendium daretur, & acceptaretur, pro ipso Sacrificio, vel ejus fructu, tanquam pretium illius committeretur gravissimum peccatum mortale, nempe Simonia juris divini, cujus malitia gravissima contra Religionem in eo consistit, quòd res spiritualis nullo pretio temporali æstimabilis, tamen pretio temporali æstimata, eo ipso vilis reputetur. Ratio ex altera parte est: quia *dignus est operarius mercede suâ*, 1. Tim. 5. Et, 1. Corinth. 9. sic arguit Apostolus: *Nescitis, quoniâ qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui Altari serviunt, cum Altari participant: Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Sic Apostolus. Et sic in proposito Dominus ordinâsse censendus est. Idémque argumentum concludit, quòd etiam Sacerdotes Missam celebrantes, atque excellentissimo modo Altari servientes etiam de Altari vivant, sive de stipendiis ac eleemosynis fidelium alantur, ita ut stipendium non sit merces Sacrificii ac fructus, quem Fideles percipiunt, sed Sacerdotis, pro exercitio, cui vacat, justa sustentatio, seu alimentum: & hinc neque sit pura eleemosyna data ad sublevandam inopiam, sed justum ac debitum stipendium ratione operæ exhibitæ, unde etiam justè recipitur, & exigitur ab iis, qui aliunde habent, unde vivant, secundùm omnes. Attamen à Fratribus Mino-

Minoribus ejusmodi stipendia pecuniaria recipiuntur per modum puræ eleemosynæ remanentis in Dominio Dantium, quousque consumpta sit, atque in jus alterius transierit, quemadmodùm & aliæ eleemosynæ pecuniariæ.

357 II. Quoad quantitatem stipendii. Certum est posse Sacerdotem recipere tantum pro unaquaque Missa, quantum fidelium liberalitas liberaliter offert: at verò *justè* tanquam debitum non potest exigere, & recipere nisi *justum*. Justum autem Missæ stipendium est, quod Episcopali lege vel consuetudine loci taxatum est, aut communi piorum ac prudentum virorum consuetudine dari & recipi solet. *Ita omnes.* Et quidem *Cajetanus*, *Petrus Navarrus*, aliique apud *Layman* mox citandum, censent non esse justum stipendium, nisi detur tantum, quantum sufficit ad sustentationem ac victum frugalem unius diei honesti hominis (non utique ad victum lautum alicujus Magnatis.) Et quidem verum est loquendo de beneficiis Missarum stratarum ac quotidianarum, siquidem ipsa consuetudo & ratio convincit, deberi Sacerdoti toto anno celebranti pro certa persona. v. g. pendi ab illa totam annuam sustentationem. At verò loquendo de stipendio manuali, seu pro Missis non statis, omnino vera est opposita Sententia negativa, *Suarez*, *Vasquez*, *Dicastilli*, aliorum cum Layman *l. 5. tract. 5. c. 1. n. 13.* Gobat *Alph. Sacrific. casu 17. n. 563.* Ratio est: quia & consuetudo & æquitas repugnat. Non enim est æquum, ut pro labore unius horæ vel semihorulæ exigatur victus integri diei, cùm Sacerdos aliis actionibus tum sacris, tum honestis civilibus possit sibi reliqua necessaria sustentationi acquirere: quin *cap. Presbyter de Celeb. Missar.* permittitur Presbytero post peractum divinum Officium, si voluerit, exire ad opus rurale. Unde & Ecclesia ordinavit, ut Episcopus nullum ordinet, qui non habeat aliquem Titulum sustentationis, nimirum Beneficii, Patrimonii, vel paupertatis Religiosæ, supponens scilicet ex solis Missarum stipendiis non posse sustentationem Sacerdotis æstimari. Quare ubi tale stipendium lege vel consuetudine taxatum non est, debet sufficere illud, quod à prudentibus ac Deum timentibus dari ac peti solet, inquit *Suarez.* Minus dimidiâ parte sustentationis communiter non permittit consuetudo in Germania nostra, inquit Gobat *cit.* Layman verò *cit. n. 13.* jubet te quandóque esse contentum tertiâ parte. In Italia pro Missa privata ordinarium stipendium est unus Julius, in Hispania unus Regalis, faciunt 10. circiter nostrates crucigeros. Apud Germanos autem majori victu egentes ordinariè solet esse duplum. 5 circiter baciorum. Insuper ut rectè advertit Tanneus *hic disp. 5. q. 10. n. 72.* ex communi DD.

358 III. Stipendium hoc justum Missæ non consistit in indivisibili, sed habet latitudinem, ita ut aliud sit summum, aliud infimum, aliud medium, sic ut Sacerdos nec accipere minus, quàm summum, nec Laicus dare plus, quàm infimum teneatur: nisi aliter inter ipsos convenerit: nemo quippe, per se loquendo, obligatur accipere minus justo, vel dare plus justo. Et spectatâ praxi modernâ Germaniæ, meo judicio, summum justum Missæ stipendium certè debet esse sex baciorum, sic ut plus exigi justè non possit, nec dari debeat, quamvis alicubi ordinarium, sed sanè liberale satis sit stipendium medius florenus: Medium 5. baciorum vel paulò minus: infimum 15. cruciferorum, quo minus Sacerdos recipere non teneatur per se loquendo, nisi charitas & misericordia quandoque aliud suadeat. Hinc quamvis hoc justum stipendium (saltem infimum) exigere possint etiam opulenti Beneficiati, Parochi &c. cùm etiam dives operarius sit dignus mercede & cibo suo (Matth. 10.) uti contra Cajetanum, Sylvestrum, alios, ex communi docent Suarez, Tannerus *cit. n. 74.* Attamen charitas in proximum egentem, periculum scandali, fæpe mitigare debent rigorem justitiæ. Nam: *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam*, Jacobi 2. Væ igitur Parochis, qui ne quidem Sacrum funebre facere volunt pro defunctis maritis egentissimarum viduarum, nisi hæ dent ferè plus, quàm habent, inquit Zelosus Gobat *cit. n. 569.* Prætexunt ordinationem seu taxam stolæ: quasi verò ordinatio seu taxa stolæ excluderet discretionem, charitatem, misericordiam? Nulla Regula sine exceptione. Cæterùm si quis tibi non dedit justum stipendium, etiam infimum, nec possis commodè extorquere justum, non opus est, ut pro illo solo offeras Deo integrum Sacrum, sed portione fructûs ei accommodâ applicatâ, reliquum fructum aliis, vel tibi ipsi applicare poteris. Nam plùs te non obligâsti: ut contra Bonacinam & alios docent Suarez *hic disp. 86. sect. 4.* Tannerus *cit. n. 81.* Diana *p. 1. tract. 14 resol. 7.* Excipe tamen, nisi eo casu promisisses facere Sacrum pro illo solo, ut in simili mox iterum dicam §. *seq.* ubi etiam dicam, an pro reliquo fructu applicando possis accipere aliud stipendium diminutum vel dimidiatum ab alio.

359 IV. Impingis ergo in almam justitiam, pecúnasque pro ratione materiæ, si vi aut dolo exigas pro uno Sacro plus, quàm taxa, vel rationabilis consuetudo permittit: ut ex dictis liquet. At inquis: ego indigus sum: & modò omnia necessaria ad victum & vestitum cariùs venduntur: nonnè ergo etiam crescere debet stipendium Missarum? Non debet crescere, etiamsi stipendium consuetum sit exiguum, v. g. 15. imò 8. vel 10. crucigerorum: nam tali casu etiam pecunia apud alios carior, & quasi pretiosior fit. Sic cum aliis Vasquez *hic disp. 234. c. 3. n. 21.* testans in Castella, ubi satis caro pretio omnia veneunt, non tamen dari nisi unum realem: hoc est, 10. crucigeros, sicut alibi, ubi minori

Universidad de Deusto
Biblioteca

pretio res comparantur: quia nihilominùs censetur per communem consuetudinem efficere justum stipendium. Cæterùm apud omnes DD. in confesso est, æquitas pollulat, & praxis obtinet stipendium majus accipi posse pro labore extraordinario in celebrando, ut si Sacrum solenniter cantandum, si certo loco & tempore celebrandum, si iter longum conficiendum &c. Bene est, inquies. Quemadmodùm plures Capellani ac Beneficiarii, ita & ego ex statis stipendiis satis bonis teneor ferè quotidie celebrare in nostra Ecclesia Cathedrali, sed sine determinatione certi Altaris & Temporis, pro libitu meo: Rogamur autem sæpissimè à variis, ut in ipsorum gratiam celebremus ad certam Aram. (B. V. Sebastiani &c.) aut certo tempore, quandoque valde manè, aliquando serò valde. Ecce opera extraordinaria: nunquid ergo pro illa justè possumus aliquid stipendii correspondentis petere bonâ conscientia? ℟. Potestis omnino. Nam ratio naturalis permittit pro rebus pretio æstimabilibus accipi pretium aliquod: est autem illa obligatio celebrandi ad certam Aram, aut certo tempore, præsertim tibi minùs commodo, pretio æstimabilis: aliud enim est debere celebrare Missam, aut debere hoc certo loco & tempore: ergo &c. Sic Bonacina *disp.* 4. *de Eucharistia. q. ult. p.* 8. Caramuel in *Theologia fundamentali à. n.* 254. Estque communis persuasio Doctorum & Indoctorum. At: quantum, inquies (si petentes nihil liberaliter offerant pro hac opera) possum justè exigere? Caramuel *cit. n.* 260. arbitratur, posse per se loquendo peti pro singulis ejusmodi gravaminibus, quintam partem communis stipendii Missæ. Gobat verò *cit. n.* 557. remittit ad consuetudinem loci. Nam ubi extat taxa legitima, consuetudo diuturna à probis, peritisque usurpata quantitatem pretii determinat, ait Navarrus *Man. c.* 23. *n.* 78. Plura ejusmodi dubia do per distinctas quæstiones.

§. II.

Potèstne Sacerdos pro eadem Missa accipere plura stipendia? aut unâ Missâ pro pluribus stipendiis satisfacere?

360 ITa sanè docuerunt graves Doctores: *Sotus*, *Cajetanus*, *Sylvester*, *Petrus Navarra*, *Nugnus*, *Angelus noster*, *Emanuel Sà*, *Hurtadus*, alii apud D. Nicolaum du Boys *n.* 235. ad propositionem decimam damnatam ab Alexandro VII. Pontifice infrà allegatam. Fundamentum est: quòd Sacrificium sit infiniti valoris extensivè, sicut etiam quoad fructum ministerialem (specialem vel medium vocant alii) æquè prosit oblatum pro pluribus, ac pro uno solo; ideóque pro eadem Missa accipiendo stipendium à pluribus, nulli fiat injuria, cùm cuique æquè satisfiat. Quod aliqui confirmant exemplo plurium audientium Missam, plurium Sacerdotum cum Episcopo consecrantium, aut unius baptizantis plures unâ formâ: Ego vos baptizo &c. Denique Hurtadus *resolut. moral. tract.* 2. *c.* 4. sic scribit. *Neque est contra justitiam pro pluribus accipere stipendiũ, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram: quia obligatio ex fidelitate est obligatio ex virtute, quæ necessariò est circa honestum: atqui honestum non est, quòd, supposito, quòd alius indigeat pane, ego promittam Petro, me non porrecturum panem indigenti: cùmque omnes indigeamus fructu Sacrificii incruenti, non possum ex fidelitate ita obligari offerre Sacrificium pro Petro, quòd non offeram pro Joanne, siquidem ex eo, quòd applicetur isti, nullum sequitur detrimentum isti. Et propter eandem rationem existimo, quòd etiamsi apponatur juramentum, de non applicando alteri, non teneat, quia est juramentum de re illicità, & contra charitatem fraternam.* Sic Hurtadus apud du Boys *cit. num.* 240. Contrà pono breves resolutiones.

361 PRIMA. Ipso jure naturali nunquam licet accipere plura stipendia justa ac competentia pro eadem Missa citra grave injustitiæ peccatum. Est jam communis Sententia & omninò certa. Ex decreto Urbani VIII. *num. seq.* allegando. Et Alexandri VII. Anno 1665. quo inter propositiones scandalosas damnatas, decima hæc est. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unicum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmatà danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.* Et ratio sumitur ex opposito fundamento jam suprà asserto. Quia fructus Sacrificij ministerialis reverà finitus est & taxatus, ideóque debetur, & est unius justum stipendium offerentis: ergo si simile stipendium etiam accipiatur ab aliis, omnibus aliis sit injuria contra justitiam, in re tam gravi utique mortalis. Nec sunt ad rem exempla allata de pluribus audientibus Sacrum &c. Verum est unum Sacrum pluribus præsentibus tantundem prodesse, quàm si unicus esset præsens: quia utilitas illa provenit ex propria singulorum præsentia & actione sacrâ: & plures concelebrantes sunt distincti offerentes proximi: & in pluribus baptizatis interveniunt plures personæ & materiæ proximæ singularum propriæ, quæ cum una generali forma efficiunt tamen plura Sacramenta: non autem interveniunt hic plura Sacra. Et tandem esto, probabilis sit opposita Sententia, fructum illum Sacrificii esse infinitum extensivè &c. adhuc tamen minimè probabile evadet posse accipi plura justa stipendia: est enim Sententia admodùm dubia, & minimè tuta: nostra autem longissimè probabilior & tuta maximè: atqui offerentes stipendium justum pro Sacro pro se offerendo, utique tacitè saltem paciscuntur de modo tutiori: adeóque de nostra sententia, & de hoc interrogati, certissimò sic responderent,

proba sis. Tandem adfero judicium Marchini *tract. de Sacrificio Missæ p.* 2. *c.* 3. dicentis: *Sacerdoti prohibetur solum eandem Missam dicere pro multis, quibus ex justitia ratione stipendii accepti tenetur: non verò prohibetur offerre pro uno, cui debet ex justitia, & simul pro altero ex sola liberalitate vel charitate.* Sic ille. Neq; ego improbo, dummodò fiat sub conditione, si juxta illam oppositam sententiam absque detrimento illius, cui ex justitia Missa debetur, etiam aliis prodesse possit.

362 SECUNDA. Neque etiam plura stipendia minuta pro eadem Missa simpliciter promissa à diversis ignorantibus, accipere licitum est, v. g. Si Sacerdos spontè accipiat ab uno stipendium minus justo pro Missa celebranda promissa, non potest ab aliis similiter Missam petentibus acceptare alia minora stipendia, usque ad modum justi ordinarij stipendij, v. g. unum capitellum, & sic omnibus unâ Missâ satisfacere: aut si de facto simpliciter promisit, aut ex fundatione seu beneficio obligatur facere plura Sacra pro minutis stipendiis. (Certè sunt minutissima in antiquis fundationibus Ecclesiarum & Monasteriorum, sæpe octo nummorum nigrorum) non potest simili supputatione usque ad consvetum stipendium unâ Missâ pro pluribus satisfacere. Ita expresè Decretum Urbani VIII. vel potiùs ejusdem authoritate confirmatum à Congregatione Cardinalium de Anno 1652. ibi. *Ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis plura stipendia, quantumcunque incongrua & exigua, sive ab uno, sive à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum, Sacerdotibus, Ecclesijs, &c. S. Congregatio sub obtestatione divini judicij mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ, præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ij, ad quos pertinent, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur, &c.* Et ratio est: quia talis non stat promissis. Promittit enim, ut supponimus, & primo, & secundo, & reliquis Missam simpliciter, velut soli: & non solvit soli. Certè vix ullum, imò nullum reperieris, qui non diceret se iniquè deceptum, si resciret sibi secum fuisse actum. At inquies: Ego sum pauper Clericus: & paupertas excitat artes: *At illicite fraudulentas, qualis est hæc,* ait Gobat *n.* 568. Neque Decretum Urbani modò allatum, neque Alexandri VII. prohibitio suprà, excepit paupere Sacerdotes. At, quidsi Sacerdos paupertate coactus, non sine involuntario admixto iniquè compellitur tale minutum & injustum stipendium accipere, & ideo Missam simpliciter non promisit pro illo avaro dante solo? Talem non teneri pro illo dante solo applicare integram Missam jam innui §. *præced. n.* 357. Ratio est: quia non est defraudandus Sacerdos justâ mercede suâ: at qui pro parva mercede exigit totum Sacrum, rem injustam petit, & Sacerdoti damnosam: ergo tunc licet Sacerdoti servare se indemnem, ab aliis pro eadem Missam similia minuta stipendia usque ad justam quantitatem acceptando: prout certè docent graves Doctores, & novissimè post illa Decreta Tamburinus *l.* 3. *De Sacrificio c.* 1. §. 3. *n.* 53. explicans commodè Decretum illud Congregationis. Quicquid sit de hoc: *Ab aliis ignorantibus,* simpliciter ego. Adhuc enim alii deciperentur putantes, sibi solis promitti Sacrum: ab aliis tuam intentionem scientibus & consentientibus, concedo, ut in simili mox iterum concedam *num. seq.*

363 TERTIA. Neque ratione diversorum fructuum Missæ Sacerdos plura à diversis stipendia accipere potest, sed cuicunque simpliciter petenti Missam, sive justo, sive minus justo stipendio dato & acceptato, tenetur totum Sacrificii fructum ministerialem (alii specialem medium) satisfactorium & impetratorium applicare: cùm ea sit omnium conducentium Missam intentio, ut jam supra *n.* 299. dictum est. v. g. petenti Missam votivam pro sanitate, non potest applicare solum fructum impetratorium, reservato fructu satisfactorio; vel contrà petenti pro peccatis vel pro defunctis, non potes applicare solum fructum satisfactorium reservato impetratorio, eósque fructus alteri applicare, etiam gratuitò, multò minùs pro novo stipendio accepto: (patebit à fortiori ex mox dicendis de fructu specialissimo) nisi fortè quis expresè consentiat, velle solum unum fructum ex his, v. g. satisfactorium, sic enim poteris etiam accipere aliquid stipendii proportionati pro altero fructu imperatorio ab alio aliquo similiter consentiente: volenti enim & consentienti nulla fit injuria. Sed numquid etiam pro tuo fructu specialissimo, scilicet ipsi Sacerdoti correspondente, poteris aliud, aut majus stipendium accipere? Ita sanè docuerunt DD. oppidò multi apud D. Nicolaum du Boys. ad propositionem prohibitam octavam *n.* 216. & *seqq.* Sed jam certissimum est non licere. Ita enim habet propositio octava inter damnatas ab Alexandro VII. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Sacerdoti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.* Quo significatur Decretum istud etiam hunc casum excludere, & mentem Vrbani fuisse suo Decreto omnem prætextum duplicis stipendii excludere, adeóque etiam hunc. Atque ita jam ante Alexandrum VII. docuerunt Doctores communiter: *Suarez*, *Vasquez*, *Turrianus*, *Dicastillus*, alii cum Layman *l.* 7. *tract.* 5. *c.* 2. *n.* 18. Lugo *de Eucharistia disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 33. Tamburinus *l.* 3. *Sacrif. c.* 1. §. 3. *n.* 68. Ratio est: quia, ut *n.* 255. visum, incertissimum est, an fructus ille specialissimus Sacerdotis sit aliis applicabilis: fideles autem, cùm offerunt stipendium, non sunt satisfaciendi fructu incerto. At

Universidad de Deusto
Biblioteca

rursus: alter sic petit, vel consentit spontè dare tibi auctarium pro fructu etiam specialissimo. Rursus volenti non fiet injuria: si tamen putas eum ideo spondere auctarium salarii, quòd credat posse certò sibi applicari illam portionem specialissimam, teneberis eum informare, non certò, sed probabiliter tantùm posse ita fieri, ut ab omni deceptione te immunem præstes, Denique eandem opinionem, posse in praxin redigi respectu eorum, quibus liberaliter promisisti unum vel plura Sacra, & saltem pro uno Sacro liberaliter promisso applicando tres portiones specialissimas satisfacere, ex doctrina Molfesii, Filiucii, aliorum apud Dianam *p. 2. tr. 14. resol. 14.* concedit etiam Gobat *cit. Casu. 16. n. 513. fine.*

364 Quarta. Multò minùs ergo aliud vel majus stipendium accipi poterit à Sacerdote, sive ab uno, sive ab alio Laico ratione fructûs ex opere operantis, uti contra Coninck & alios docet Communis DD. Gobat *de Sacrificio c. 5. n. 153.* & constat ex allatis modò à fortiori, Pontificum Decretis de fructu specialissimo. Ratio est: quia ex omnium sensu, quotquot stipendium vel eleemosynam pro Missa offerunt, effectum omnem ex opere operato, & saltem ordinarium ex opere operantis deposcunt; unde & solliciti solent esse de eligendo Sacerdote meliore. Exigunt ergo Missam ab hoc Sacerdote celebrandam secundùm ejus dispositionem, qui si malus sit, nullum ex opere operantis fructum conferens, suo infortunio imputent: (nam Sacerdos in malo statu celebrans satisfacit obligationi pro stipendio dato) si bonus & fructum talem conferens, is jam ipsis in primo pacto debitus censetur. Unde neque ratione majoris devotionis, vel plurium orationum dictarum in Missa majus stipendium exigere poteris, nisi ita expressè paciscatur Missam postulans: alioquin enim solvere cogetur ille, quod à te non emit, nec petiit; utique injustè. At, inquis, accepi quidem stipendium ordinarium pro Missa funebri celebranda, ubi vellem: celebro autem in Altari privilegiato, applicóque indulgentiam plenariam illi animæ, pro qua accepi eleemosynam ordinariam: an non possum aliquid ultrà exigere ob talem applicationem, ad quam non tenebar? ℣. Certè non potes, ut contra Bordonum rectè resolvit Tamburinus *sæpe cit. l. 3. Sacrif. c. 1. §. 3. n. 48.* Tum quia immeritò exigis mercedem pro præstito opere, de quo præstando tecum conventum non est: tum quia hanc nundinationem sine dubio tibi prohiberet Pontifex, si resciret: tum maximè, quia hoc sapit valde palliatam simoniam: cùm indulgentiæ illæ nullo modo sint pretio æstimabiles (res spiritualissima) nisi fortè alia opera pretio æstimabilis accederet, v. g. longum iter, &c. Denique vide, an placeat, quod habet P. Gobat *casu 16. n. 509.* Ubi est penuria Sacerdotum, potest (spectatâ rei natura) quis pro Sacro Diei festi aut Dominicæ plùs petere, quàm pro non festo: etenim die prophano, pauci; festo multi petunt: sicut sciens esse se solum, jure petit plùs pro mercibus, quàm si plures alii adessent, ita etiam hic sentiendum: & alicubi ita fuisse statutum testatur Tamburinus *cit. num. 53.* post Bonacinam *disp. 4. de Sacramentis q. ult. propos. 8. n. 13.* etiam de duplo stipendio. Sed utique malè sonaret in Germania nostra hæc festiva nundinatio. apage!

§. III.

Sacerdos, accepto stipendio pro Missa: potestne alteri Missam committere, retentâ sibi parte stipendij?

365 Quæstio delicata procedit, quando stipendium datum est majus justô vel solitô: ita ut parte retentâ, alteri Sacerdoti celebranti remaneat adhuc justum stipendium saltem infimum solitum. Nam retinere partem, & alteri Sacerdoti minus justô stipendium obtrudere, sine dubio injustum, & turpissimus quæstus esset; nisi tamen alter Sacerdos plenè, spontè, & liberè consentiret minus justo stipendium accipere. Sicut enim posset in gratiam tui omnino gratis Missas celebrandas in se recipere, toto stipendio accepto tibi relicto, ita etiam posset partem tantùm accipere, relictâ tibi parte, quam consequenter tu licitè retineres. Sed dico *plenè, spontè & libere.* Nam si Sacerdos egenus necessitate compulsus aliunde non possit habere Missas, nisi sic à te diminuto stipendio acceptas, non sine involuntario admixto, non liberaberis tu à peccato injustitiæ, & turpis quæstûs, ac onere restitutionis, sicut nec in simili usurarius, secundùm omnes.

366 Quæstio rursus est de stipendio manuali tantùm pro Missis non statis. Nam in stipendiis fundatis beneficiorum, Capellaniarum, &c. pro Missis statis, certum est posse Beneficiatum vel Capellanum habentem pingue stipendium, v. g. 100. florenos pro Missa hebdomadaria una vel altera, sic ut cuilibet Missæ respondeat ferè totus florenus, vel ampliùs, posse Missas celebrandas alteri conferre, longè minori, justo tamen & competenti stipendio, v. g. vel 6. baciis. Sic enim expressè declaravit S. Congregatio Cardinalium, Decretum Urbani VIII. mox allegandum, in hoc casu non habere locum: *Sed satis esse, ut Rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundùm morem Civitatis vel Provinciæ, nisi in fundatione beneficij cautum fuerit aliud.* Hæc S. Congregatio. Ratio est: quia stipendium manuale totum dant fideles pro ipsa Missa: at stipendium fundatum beneficiorum, Capellaniorum &c. non dant fundatores præcisè pro ipsis Missis, sed etiam pro honesta vel commodiore ejus sustentatione, ut sic commodiùs & allacriùs Deo serviant Beneficiati. Quare si etiam stipendium manuale copiosius v. g. aureus vel Thalerus detur Sacerdoti ex affectu speciali & liberalitate erga ipsam personam, puta quia bonus amicus, vel quia egenus est, relictâ facultate etiam satisfaciendi per alium, (quod semper supponimus, & necessariò supponendum est) similiter poterit, excessu retento, & justo consveto stipendio dato, Missam committere alii. Quòd si verò tale stipendium liberalius detur pro ipsa Missa præcisè & simpliciter, ita ut liberalitas exercita fuerit præcisè in favorem ac honorem Missæ, vel ob specialem affectum, cultúmque erga DEUM. B. V. vel aliquem Sanctum, vel ob vehemens desiderium certum beneficium impetrandi à DEO &c. nullâ habitâ ratione personæ Sacerdotis, tunc casus erit coincidens cum quæstione proposita.

367 Casus ergo quæstionis esto. Petrus Sacerdos pro 30. Missis celebrandis accipit 15. florenos, liberale satis stipendium. Is verò occupatus, vel impeditus, vel alia de causa Missas celebrandas committit alteri, datis solùm 10. florenis retentis sibi quinque: aut aliquod Sacris commissis, dat tantùm 5. bacios, vel 15. crucigeros, reliquo sibi retento. An justè & licitè? Ita sanè affirmant plurimi & graves Doctores, *Sotus, Navarrus, Lopez, Rodriquez, Henriquez, Arragonius, Vasquez, Sa, Gavantus,* & more suo sequax Diana *p. 1. tract. 14. resol. 10. & seq.* quos latè recitat Nicolaus du Boys *n. 428.* Pono rursus breves & claras.

§ IV.

RESOLUTIONES.

368 Prima. Spectato jure naturæ, ac per se loquendo probabiliter id nec injustum est, nec illicitum: dummodò Sacra alteri æquè bono Sacerdoti communicat justo stipendio relicto. *Ratio est:* quia Sacerdos primus stipendii pinguioris accepti Dominium acquisivit, & dando alteri Sacerdoti minus, nulli facit injuriam. Non alteri Sacerdoti, quia adhuc datur ei justum stipendium, ut supponitur, & retinens partem excedentem, retinet quod suum est: non ipsi danti stipendium, quia hic adhuc recipit Missas ejusdem valoris, nimirum factas per Sacerdotem æquè bonum, ut rursus supponitur: secùs si curaret per Sacerdotem malum, tunc enim Dans stipendium privaretur fructu ex opere operantis: ergo per se, spectato jure naturæ, nec injustum nec illicitum est. Et quoad Parochos consentit Layman *cit. tr. 5. c. 1. n. 14.* sic scribens: *Si sit Curatus seu Parochus, cui largior eleemosyna confertur pro Missa, potest obligationi per alium satisfacere, dato ipsi stipendio sufficienti, reliquo sibi retento. Sotus l. 9. q. 3. a. 1. Navarrus cap. 25. n. 91. Nam hæc censetur mens esse fidelium, quòd Parochus pluribus obligationibus suis, vel per se ipsum, vel per cooperatorem satisfacere possit &c.* Sic Layman. At mox infrà quoad Sacerdotes non Parochos contrarium nobiscum tenet. Itaque sit resolutio

369 Secunda. Verius est, id ipso jure naturæ, seclusâ etiam prohibitione Ecclesiæ, injustum esse ac illicitum, atque adeò restitutioni obnoxium. Ita communis DD. apud *Bonacinam, Layman, Lugo, Tamburinum,* sæpe citatos, Et ratio clara est: quia qui accipit stipendium solitô majus, pro uno Sacro v. g. celebrando, nihil accipit titulo donationis, aut ullo alio, nisi titulo solius stipendii pro Missa celebranda, seu titulo celebrationis debitæ (nisi clarè expressum fuisset, ut si vellet, curaret per alium celebrari justo stipendio, & reliquum sibi pro cura retineret, quod certè rarum) ergo Dans alteri minus, quantumvis justum vel solidum stipendium, & reliquam partem retinet sine titulo & causa: ergo ipsius non est, sed Celebrantis est, eique velut injuriam passo restituenda est. Et quamvis si accepit à principio stipendium animo per seipsum celebrandi, illius stipendii pinguioris Dominium sibi acquisivit, eo ipso tamen quo postea mutato animo, decrevit per alium celebrare, jam titulus & causa Dominii, & consequenter ipsum Dominium corruit, atque ut loquuntur jura, totum negotium ex parte ipsius, redit ad non causam: atque sic de stricto naturæ, communi, & gentium jure restituendum est. Sic enim *lege 25. ff. rerum amotarum* dicitur. Jure gentium concidi posse puto res ab his, qui non ex justa causa possident: Et *l. 1. ac ultimâ ff. de condict. sine causa.* Constat id condici posse alicui, quod vel non ex justa causa ad eum pervenit, vel reddit ad non causam: ac alibi sæpiùs apud Nicolaum du Boys *cit. n. 232.* Est ratio, meo judicio, omnino conveniens & destruens fundamentum oppositæ sententiæ. Et quoad Sacerdotes non Parochos, ita subscripsit Layman *cit. Si stipendium alteri Sacerdoti detur, censetur esse Dantis voluntas, ut ipsemet sacrificet, vel si alteri commendare velit, totum ei stipendium largiatur: quare hoc casu injuriam infert, si partem sibi retineat. Navarrus, Henriquez, Major. Ratio est: partim quia major eleemosyna data Sacrificanti censetur major cooperatio ad Sacrificium, ex quo major fructus Danti proveniat: partim quia etiam Sacrificans, beneficij magnitudine motus, majorem devotionem adhibet, ideóque plùs benefactori impetrat &c.* Hæc Laymannus sapienter.

370 Tertia. Certissimum est jam id illicitum, injustum, ac restitutioni obnoxium esse, ex declaratione Ecclesiæ, Sic enim habet propositio nona inter damnatas sub Alexandro VII. Anno 1665. *Post Decretum Urbani, potest Sacerdos, cui Missæ legendæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.* Decretum autem Urbani VIII. supra allegatum, consequenter sub eadem obtestatione divini judicii ita subdit: *Ac similiter omne damnabile lucrum*

ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab Ecclesia removere volens prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ, celebrandam committat. Hæc ibi. Minimè ergo audiendus est Bordonus *de celebratione Missarum resol.* 15. docens: talem non peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionem, sed solùm venialiter delinquere contra simplicem Ecclesiæ prohibitionem, quo termino utitur Pontifex. Nam & ratio *num. præced.* allata oppositum convincit: & Pontifex vocat *damnabile lucrum*, utique non veniale tantùm: Et ita expressè habet declaratio Cardinalium ab eodem Pontifice approbata apud Barbosam *de potestate Episcoporum Allegat. 2. Ulteriùs censuit Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major, debere absolute integram eleemosynam tribuere Celebranti, & nullam illius partem posse retinere.* Aliam quorundam excusationem: Decretum illud Urbani VIII. non esse in Germania receptum, prorsus declaravit Decretum *cit.* Alexandri VII. quod utique promulgatum & receptum est. Quare meritò concludit P. Gobat *Casu 17. n. 570.* Non esse jam probabile, absolvendum esse à Confessario Sacerdotem ita practicantem.

371 Quarta. Insuper regulariter loquendo ejusmodi lucrativos practicantes ab injustitiæ & restitutionis reatu reipsâ & in conscientia non excusat prætextus liberalis remissionis & donationis aliorum Sacerdotum minus stipendium sponte acceptantium. Heus tu avare lucrator: da, vel offer alteri Sacerdoti integrum stipendium à te acceptum: Et siquidem is proprio motu ex gratitudine vel discretione sponte liberaliter partem remittat, minori contentus: jam te in conscientia tutum existima. Quid horres & caput scalpis? Regulariter ergo ideo, parte tibi relictâ minus acceptant stipendium, quia sciunt te nolle dare totum, & partem retinere velle, non sine involuntario admixto, utique & ipsi libentiùs habituri totum: atqui tu non vis dare totum, & vis retinere partem sine omni justo titulo & causa, ideóque verè non tuum, & injustè retinens, ut *n. 269.* dictum: ideóque non valente vel subsistente tuâ voluntate injustâ, neque subsistit vel excusat prætensa alterius remissio vel condonatio. Capis hoc? eodem modo discurrere de prætensa liberali remissione restitutionis: & ut capias magis, applica communissimam omnium doctrinam in re simillima de Usura & Usurario.

¶. Dices. Bone DEUS! & tamen hæc est notissima praxis apud nostrates etiam! Ipsi viderint: Ego non video excusari posse propriâ authoritate ita practicantes: sed solâ authoritate Ministri aut Capituli Provinc. cujus est disponere de eleemosynis Conventuum transferendis vel communicandis ex rationabili causa, ob quas meritò præsumi possit consensus eleemosynas Dantium. Certè autem faciliùs excusantur, quàm Sacerdotes sæculares: cùm sicut amicorum, ita magis Fratrum bona debeant esse facilè communia. Hæc salvo meliori omni judicio.

Tandem sermo semper fuit de Sacerdote ipso accipiente tale pinguius stipendium pro Missis alioquin à se celebrandis. Nam Laicos etiam DD. oppositæ sententiæ ab hac licentia repellunt. Ut si æduus v. g. accepit 10. florenos, pro 20. Sacris procurandis in tali Ecclesia: aut si testator relinquit hæredi 100. florenos Pro 200. Sacris curandis. His duobus, (& similibus) utique fas non erit servare dimidiam vel tertiam partem harum pecuniarum, si reperiant, qui sint contenti dimidiâ parte vel duabus tertiis, scilicet 15. vel 20. crucigeris in singula Sacra: ut ex communi notet etiam Layman *cit. l. 5. tract. 5. c. 1. num. 14. sub finem.* Id enim nimis manifestè adversatur voluntati Dantium, & quoad hæredem obstat illa clarissima decisio juris. *c. ultima 13. q. 2.* Ultima defuncti voluntas omnibus modis servari debet. Vide plura, curiosa, pulchra, speciatim, minutatim apud Gobat Alphab. Sacrif. *Casu 16. 17. & seqq.* & Tamburinum opusc. de Sacrificio lib. 3. aliósque passim allegatos.

CAPUT VI.

De requisitis ad Sacrificium celebrandum.

372 PRæter essentialia requisita ad validè conficiendum Sacramentum, & offerendum Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi, quæ sunt Sacerdos ritè ordinatus, debita materia, forma, & intentio, de quibus latè *cap. 2. & 3.* Item præter dispositiones Sacerdotis requisitas ad licitè consecrandum & communicandum, nimirum ut sit in statu gratiæ: non impeditus censurâ vel irregularitate, (de quibus *cap. 1.*) & jejunus jejunio naturali à media nocte: omnia alia ad licitè & debitè celebrandum requisita ad quatuor capita revocamus strictim percurenda, nimirum Sacra Supellex, Ritus, Locus, Tempus.

SECTIO I.

Altare cum sua Suppellectili.

SUMMARIUM.

374. *Quale requiratur Altare celebrandum?*
375. *Quando & quibus casibus Altaria execrentur seu Consecrationem amittant?*
377. *Quot requirantur mappæ?* Usque ad n. 381.
381. *Qualiter, & quale requiratur lumen?* Usque ad n. 385.
385. *Qualiter Crux, Crucifixus, & Missale? ac*
389. *Qualiter & qualis Minister?* Usque ad n. 393.

374 I. ALtare fixum vel portatile, lapideum ex integro quoad superiorem partem tantæ quantitatis, ut possit capere hostiam & calicem saltem quoad majorem pedis partem, consecratum ab Episcopo, vel alio potestatem habente, requiritur sub gravi peccato, ut habetur passim in jure. Præsertim *c. Missarum solemnia. c. placuit c. Altaria &c. De Consecrat. d. 1.* Adeò, ut mortaliter peccaret, qui scienter celebraret aut sine Altari, aut in Altari non consecrato, aut prophanato seu execrato: quia contraveniret gravissimis sanctionibus Conciliorum, Pontificum, Patrum, communique consensui ac usui Catholicorum: atque adeò nullo unquam casu, (excepto mortis, non tamen in contemptum Fidei ac Religionis intentatæ periculo, de quo generatim inferiùs) liceat sine altari celebrare. Ita DD. omnes passim.

II. Altare debet esse consecratum ab Episcopo jure communi, ut patet passim *cit. d. 1. de consecratione.* Addidi: *vel alio potestatem habente.* Nam ex privilegio à Sede Apostolica concesso primitùs Abbati Cassinensi, & deinceps per communicationem, vel novas concessiones Pontificum extenso, plerique Abbates insulati habent potestatem consecrandi Altaria, ut videre est apud Ascan. Tamburinum *de Jure Abbatum tom. 1. disp. 23. quæst. 4.* post Layman. *m. qq. Can. de Prælatorum lectione q. 22.* possétque hæc facultas à Pontifice concedi simplici Sacerdoti, non tamen ab Episcopo delegari cuiquam non insignito charactere Episcopali *c. aqua. De Consecrat. Eccles. c. Altarium* vide Gobat *Alphab. Sacrif. casu 9. num. 269.* An Altare nondum consecratum vel execratum consecretur per ipsum usum, (sicut & calix, vestes sacræ) si quis scilicet in eo saltem bonâ fide celebrârit, dicam generatim infrà loco competenti.

375 III. Execrantur Altaria fixa quidem per pollutionem Ecclesiæ, de qua infra suo loco: item ex communi sententia, si mensa amoveatur à stipite seu inferiori structura: quod tamen intelligendum est, quando Altaria consecrata sunt unà cum illo stipite, eóque lapideo & stabiliter conjuncto per cæmentum v. g. de quo post alios latè Gobat *Thesan. Indulg. p. 2. num. 537.* Deinde generaliter tam mobile, quàm fixum Altare amittit consecrationem, quando ita frangitur, ut nec maneat ulla pars integra sufficiens ad recipiendum Calicem & Hostiam. (Suarez & Layman *l. 5. tract. 5. cap. 6. n. 4. addunt & patenam*) secundùm majorem sui partem: secùs si supra fragmentum possit adhuc stare calix & hostia, esto quòd ad cavendum periculum evertendi calicem, illi fragmento addatur alia materia. Layman *ibidem num. 5.* Quidni enim per hanc conjunctionem illa alia materia è non sacra fiat sacra? Etsi id neget Tamburinus.

376 IV. Certum etiam videtur Altare tam fixum quàm portatile amittere consecrationem, quoties frangitur vel amovetur sigillū sepulchri, ut proinde ex communi sensu DD. & praxi non liceat in eo ampliùs celebrare: audi tamen Gobat *cit. n. 276.* Non tamen damnarem peccati, qui pergeret facere ibidem Sacrum sine nova consecratione. Quia nullo jure universali satis probatur necessitas imponendi reliquias Altaribus. Eámque necessitatem negant plures DD. ab eo relati, & apud Layman *cit. c. 6. n. 8. & 9.* & saltem de Altaribus mobilibus negant etiam Durandus & Vasquez *hic disp. 233. c. 2.* Tamburinus *lib. 1. de Sacrificio. c. 5. §. 10.* addens: si partes duæ, tres, quatuor &c. fracti portatilis singulæ sint capaces calicis & patenæ, posse singulas legitimè usurpari, eò quòd illæ non amittant consecrationem per fractionem. Sententia servire potest pro casu necessitatis, citra quam non videtur recedendum à communi sensu & praxi bonorum. Jam quoad Altaris suppellectilem seu paramenta, ea quatuor potissimùm sunt, Mappæ, Crux, Lumen, Missale, cum Ministro.

§. *I. Mappæ.*

377 I. ALtare cooperiatur tribus Mappis seu tobaleis mundis, ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltē oblongâ, quæ usq; ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel unâ duplicatâ SicRubricæ Missalis *tit. 20.* Jam recepto more prima Mappa imediatè altare contingens. (chrysmale dicta) brevior: secunda oblonga usque ad terram. Tertia adhuc brevior primâ, dicta subsistratorium.

378 II. Attamen hâc ætate sufficere duas Mappas, vel unam duplicatam, scilicet ad repræsentanda linteamina, quibus Corpus Christi fuit involutum, esto non tegat totum Altare: & graves DD. docent, & usus suffragatur. Sic enim post *Henriquez, Suarez*, alios. Layman *l. 5 tr. 5. cap. 6 n. 11. Bonacina de Sacramentis disp. 4. q. ultimâ propos. 9.* Gobat *Casu 10. n. 289.* Quam sententiam, etsi Gavantus & alii quidam dicant non esse tutam in conscientia, tutam tamen facit usus & authoritas. Excipe, nisi alicubi specialis lex vel statutum aliud decernat, ut factum in nostris ultimis statutis Provincialibus Anno 1674.

379 III. Quin etiam in necessitate sufficere unam Mappam simplicem, eámque non benedictam, quæ peracto Sacrificio, mox ad suos prophanos usus, v. g. mensam sternendam adhiberi possit, communis ferè est Sententia Doctorum. *Sylvester, Azorius, Suarez*, alii cum Layman *cit.* Tanner. *hic disp. 5. q. 10. num. 48.* Tamburinus *suprà.* Ratio sufficiens est, quòd nullum adferri possit præceptum tam rigorosè obligans ad Mappas benedictas.

380 IV. Pallio quóque (antipendium nos vocamus) ornandum est altare juxta rubricas *eodem tit. 20.* Usus autem approbat, ob paupertatem vel necessitatē posse tolerari pallium ex asse-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ribus, maximè pictis, aut ex alia communi materia.

§. II. *Lumen.*

381 I. AD celebrandum omnium ferè consensu requiritur lumen, adeò ut sine omni lumine celebrantem omnes peccati mortalis damnent teste Suarez *hic disp.* 81. *sect.* 6. Addit Tamburinus *l.* 1. *Sacrif. c.* 5. §. 4. Si utrumque lumen extinguatur ante consecrationem sine spe habendi brevi aliud, abrumpendum esse Sacrum; idque etiamsi adsit necessitas conficiendi viatici pro moribundo. Hunc rigorem ego cum *Gobat* libenter negarem, si *Tambur.* alium Authorem Classicum opponere haberem.

382 II. Candela duplex ex cera requiritur ex præscripto Rubricarum & communissimo, eóque decentissimo usu: an etiam sub obligatione gravi? Disputant utrinque Doctores. Sed in necessitate sufficere unam ex cera, aut lucernam ex oleo (ut vidi fieri etiam apud bonos Religiosos) consentiunt Doctores hactenus *citati.*

383 III. Quin etiam in necessitate, si cera haberi nequeat, sufficere lumen seu candelas ex sevo meritò post Azorium & alios censent Layman *cit. c.* 6. *n.* 17. loquens de casu non valde gravis necessitatis, *Tannerus*, *Tamburinus*, *cit.* contrasentientibus *Suarez & Vasquez*, cùm tamen ipse *Vasquez* rectè neget ullo jure præcipi candelam seu lucernam ceream: *non video, cur tam rigidè excludat candelam sebaceam, ut malit omitti Sacrum ex devotione, quam cum illa celebrare*, ait Gobat *n.* 292.

384 IV. Gravis venialis culpæ damnat Suarez *disp.* 62. *sect.* 4. illum, qui absque lumine ministrat Sacram Evchariſtiam: intelligens sine dubio, si extra Sacrificium Missæ ministret. Alioquin cur non sufficiat lumen pro Missa accensum? neque accensionem peculiaris candelæ pro tempore consecrationis sub gravi culpa requiri sentit Dicastillus apud Gobat *cit. num.* 294. sed certè nos nullam culpam agnoscimus passim omittentes, licèt ideo etiam non multùm laudabiles.

§. III.

Crux, Crucifixus, Missale,

385 I. SUper Altare esse collocandam Crucem in medio, præscribunt Rubricæ *eodem tit.* 20. Idque ex antiquissimo usu, uti demonstrat Gretserus *lib.* 2. *de Cruce c.* 13. Et nota est de hoc historia de miraculo Crucis Caravacensis. At, sufficitne sola Crux? an etiam debet adesse Crucifixus? Cæremoniale Episcoporum, & ex eo Gavantus, ac Layman *l. c.* tradunt requiri Crucifixum. Quia tamen Rubricæ, sicut & Doctores multi loquuntur solùm de Cruce, ideo (ait Gobat *cit. n.* 299.) faciliùs permitterem celebrari cum sola Cruce, etiam depicta in tabernaculo, aut chartâ aliquâ, quàm sine omni Cruce. Imò Tamburinus *cit. l.* 1 *c.* 6 est contentus cum Cruce vel Crucifixo depicto in pariete, aut tabula ad latus. Insuper

386 II. Celebrans sine Cruce & Crucifixo, per se loquendo, secluso contemptu vel scandalo, non peccat plùs quam venialiter. Ita Doctores omnes nominati, Imò secundùm Vasquez citatum, ne venialiter quidem: quòd cum Gobat *n.* 296. credo esse verum, quando casu Crux abest, nec facilè haberi possit, tunc enim satiùs erit facere Sacrum, etiam ex sola devotione, quàm illud omittere ob defectum Crucis. Ut rectè Fagundez *de præcept. Ecclesiæ. præcepto* 1. *l.* 3. *cap.* 12.

387 III. Quando prostat venerabile Sacramentum in Altari, adhuc Crucifixum debere adesse in Missa, non sine suffragio aliquorum Doctorum multis rationibus contendit Gavantus in Rubricis *cit.* prout & in multis Ecclesiis solet observari. Negat autem debere adesse Ordanus, aliíq; cum Tamburino *cit. l.* 1. *c.* 6. consentiente Gobat *n.* 31. & addente: *Non tamen nullo modo turbari debet Sacerdos celebrans, si abesse videat, multò minùs monere Sacristam, vel Ædituum, ut apponat*, Sic ille.

388 IV. Missale saltem Canonem continens requiri sub mortali, per se loquendo, communis ferè est DD. persuasio: quia alioquin Sacerdos, quantumvis felicis memoriæ exponeret se periculo graviter errandi; adeò, ut Tannerus *cit. q.* 10. *n.* 15. neget, etiam die festo posse sine Missali celebrare, etiam optimè & confidentissimè tenenti totam Missam, v. g. votivam de sanctissima Trinitate, vel B. Virgine. Sed non placet tantus rigor Patri Gobat *cit. num.* 304. nec mihi; cùm nulla ratio tantæ necessitatis Missalis in proposito casu assignari possit: quare talem licitè celebrare posse, concedit etiam Layman *loc. cit.* in casu necessitatis. Similiter *Vasquez*, *Lugo*, *Diana*, *Tamburinus citati* permittunt celebrationem ex memoria Sacerdotibus debilis visûs, sufficientis quidem ad debitè tractanda SS. Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi, at insufficientis ad legendum, dummodò apponatur alius liber ad cavendum scandalum, si haberi possit, & ita felici memoriâ Missam teneat, ut non sit periculum aliquid omittendi. Vide etiam Gobat *à num.* 102. Ad Altare & Missale commodè revocatur

§. IV. *Minister.*

389 I. ET Hic ad celebrandum requiritur sub gravi obligatione, adeò ut omnium consensu, per se loquendo, graviter peccaret sine ministro celebrans, agit enim contra universalem consuetudinem ita rigidè interpretantem Canones de Ministro sancientes, *Suarez*, *Bonacina*, *Layman*, *Lugo*, *Tannerus*, alii omnes. Dico autem: *per se loquendo.* Nam gravem necessitatem excusare, utpote ut populus

pulus die festo audiat Missam, item ut viaticum pro moribundo conficiatur: (fortè etiam quando esset sacrificandum ex obligatione fundationis) contra *Suarez*, *& Azortum cit.* meritò docent communiter alij. *Navarrus*, *Bonacina*, *Fagundez*, *Layman*, *Jordanus*, alij cum Tamburino *l.* 1. *c.* 7. §. 5. Gobat *Casu* 12. *n.* 394. At ais. Quando sic solus sine ministro celebro, quô sensu dico: *Dominus vobiscum*; *Oratre fraires*: *Et omnium circumstantium*? Ajo, quò sensu dicis, quando celebras cum solo Ministro, nullo alio præsente, quod sæpissimè accidit? an ita aulizas cum tuo mucido puero? nimirum refers ea verba ad totam Ecclesiam, & eos, qui Sacro spiritualiter intersunt: Suarez, alij.

390 II. Ministri Altaris duplex est officium, scilicet Sacerdoti respondere, & necessaria submistrare: & quidem hoc posterius est magis necessarium, quàm illud prius. Quando ergo non potest haberi, qui respondeat, habeatur saltem, qui reliqua Ministri officia præstat, & quisquis obvius instruatur de rebus porrigendis, Sacerdote sibi ipsi respondente, saltem quando aliqua adest necessitas celebrandi, ut omnes consulunt. Quin etiam, si habeatur Minister, qui possit omnia facere, præter respondere, quales sæpe sunt Ædituí rustici. Layman *cit. l.* 5. *tract.* 5. *c.* 4. *n.* 13. meritò permittit tibi, ut ex sola devotione cum illo celebres, quemadmodùm factitant in pagis multi Parochi, quorum morem, quamdiu nequeunt habere peritiorem ministrum, meritò ait esse tolerandum. At verò ut ex sola quantavis devotione (etiam ad animam è purgatorio liberandam) ait Gobat *n.* 395. absque omni Ministro celebres, qui concederet, vidi neminem.

391 III. Peccat Minister non rectè fungens suo officio, & quidem mortali sacrilegio circa essentialia, ut si suâ culpâ, nedum malitiâ materiam ineptam consecrationi, v. g. aquam pro vino ministret: circa alia vix plus quam venialiter ob parvitatem materiæ, sicut & quando ministrant in mortali; cùm non sint ministri ad hoc officium ordinati, aut certè non ut ordinati ministrent: quin (excepto Sacerdote) reliquos ministros etiam ex officio solenniter ministrantes à mortali excusat communior DD. sententia, ut alibi vidimus.

Cæterùm errant Sacerdotes, si existiment suâ nihil interesse officium Ministri, seu bene, seu malè peragant, maximè in respondendo. Caveant illi, quibus etiam gratum accidit, cùm ipsis contingit Minister citissimè respondens, devorando, deglutiendo medium Confiteor &c. aut contra Ministrum tardiusculum sua, (quasi ad se non pertinentia) absolvere non permittunt, præcipiant, etiam indignantur &c. Lege Gobat *Casu* 12. ab eo relatum pijssimum Episcopum Pax-Jordanum accuratè satis de Ministro disserentem.

392 IV. Mas denique seu masculus debet esse minister Altaris. Fœmina enim ab Altaris ministerio arcetur *c. inhibendum: de cohabitatione Clericorum & Mulierum. Inhibendum quóque est, ne ulla fœmina præsumat ad Altare accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare vel sedere.* Ratio sine dubio est periculum alicujus motûs incontinentiæ in sacratissimo Altaris ministerio: adeò, ut nunquam liceat fœminam etiam Monialem immediatè ad Altare ministrare, & in quacunque necessitate celebrandi, deficiente masculo satiùs sit Sacerdotem ministrare sibi ipsi, & celebrare sine omni ministro, quàm cum fœmina: ut contra Nugnum, Sylvium, & alios quosdam, docet meritò communis DD. *Suarez*, *Reginaldus*, *Layman*, *Diana*, *Tamburinus*, *Gobat. n.* 393. Quòd autem in quibusdam Belgii locis consuetudine inductum esse dicat *Jacobus Marchantius* circa quasdam Moniales, meritò censent alij eam consuetudinem non esse probandam. Quamvis eâ consuetudine interea, dum abrogetur, bonâ fide & sine periculo utentes à peccato excusentur. Cæterùm urgente necessitate permitti posse, ut mulier respondeat à longè, absque eo, quòd ministret, & præsertim Monialis à choro, vel collocutorio, seu fenestra ad latus, communis sensus est scribentium de hoc argumento.

SECTIO II.

Calix, Patena, cum sua Supellectile.

SUMMARIUM.

393. *Calicis materia,*
394. *Benedictio,*
395. *Eius exsecratio, &*
396. *Necessitas.*
397. *Quale requiratur, & esse debeat Corporale, Palla circa calicem?*
491. *Qualia esse debeant Ciborium, Pixis, ac Lunula Monstrantiæ?*
403. *An & quale peccatum sit Sacra vasa ab aliis Sacerdote & Diacono inferioribus tangi?*

§. I.

Materia, Benedictio, Necessitas.

393 EX præscripto Rubricarum *tit. de ritu celebrandi* §. 1. Calix debet esse ex auro vel argento, vel saltem cuppa debet esse argentea & intus (sicut & patena superiùs) deaurata: attamen ex communi DD. apud Tannerum *cit. disp.* 5. *q.* 10. *n.* 52. & Gavant. *p.* 2. *tit.* 1. sufficit, si sit stanneus: neque in magna paupertate repudiant plumbeum, sicut & extra casum necessitatis in calice stanneo vel argenteo admittunt pedem plumbeum. At non debere esse ex ære, significatur *c. Vasa. cap. Calix de Consecratione, d.* 1. sed intelligitur sine dubio de ære rudi, quale adhibetur ad campanas. Nam calicem ex ære vel auricalco, modò cuppa sit deaurata, admittit Fagundez apud Gobat *hic casu*

Universidad de Deusto
Biblioteca

10 *n.* 306. Ex cupro verò similiter cuppâ saltem deauratâ in pauperioribus Ecclesiis passim usus obtinuit. Quamvis autem Rubricæ generaliter præscribant, ut cuppa saltem & superior pars patenæ sit deaurata, si tamen calix sit argenteus vel stanneus, id non requiri sub peccato, etiam veniali cum alijs docet Tamburinus *l. 1. Sacrif. c.* 1. & Goba *citat.* Patena porrò debet esse ex eadem materia, ex qua calix: sed intellige genericè: ex quali scilicet debet fieri calix: non individuè, ut si calix sit aureus, aurea quóque sit patena &c. consecratur autem & execratur eodem modo, quo calix.

394 II. Calix, sicut & Patena consecrandus ac chrysmate inungendus est per se jure ordinario ab Episcopo: ac per privilegium etiam consecrant multi Abbates, ut videre est apud Ascanium Tamburinum *de Jure Abbatum tom.* 1. *disp.* 27. *q.* 2. Quinnimò omnes Abbates Infulatos posse omnia vasa Sacra consecrare censent multi, idque ipsis competere jure communi, ait *Glossa in clement. attendentes, de statu Religios.* Armilla autem *v. Calix*, ex præscripta consuetudine: sed utrumque cum Suarez negat Layman. *l. 5. tract. 9.* 13. asserens posse à solo Papa concedi hanc potestatem simplici Sacerdoti: ideóque per privilegij communicationem. De consecratione per usum, dicam mox generatim, ubi de sacris vestibus.

395 III. Calix execratur, seu amittit consecrationem, quando ita notabiliter est fractus, ut non sit amplius aptus usui sacro, ut si pes est revulsus à cuppa, nisi is sit tornatilis. At verò consecrationem non perdit, licèt deteratur aurum, quo est inductus (ut faciunt quidam Sacerdotes toto nisu manuum scrupulosè & ridiculè detergentes purificatorio, ait Gobat *n.* 110.) Illud enim aurum & materia calicis, erant consecrata per modum unius. Et quia Sacrum trahit ad se non Sacrum: *Glossa communiter recepta, in c. Quod in dubiis. de Consecr. Eccles.* ideo satis probabile, si rursus deauretur cuppa, etiam interiùs, non opus esse novâ consecratione: Sa, *v. Calix n.* 2. Lugo *d.* 20. *sect.* 4. alij. Quamvis Suarez, & alij communiter novam consecrationem requirant, quando totus calix de novo deauratur. Cæterùm neque novâ benedictione simplici, nedum novâ consecratione opus est, quando calice & alijs vasis sacris impiè usi sunt hæretici, vel alij. Quamvis Layman *tract. 5. c.* 6. *n.* 10. moneat decere, ut tunc adhibeatur illa simplex benedictio vel ab Episcopo, vel à simplici Sacerdote ex commissione Episcopi.

396 IV. Celebrare sine calice, vel cum calice non inuncto chrysmate (idémque est de patena) omnium consensu mortale crimen est, ob varios & rigidos textus Juris, *titulis de Consecratione.* Communis hic est quæstio, utrùm in istis necessariò & sub mortali requisitis ad celebrandum, non excusset metus mortis intentatus. Ut si Tyrannus, aut ferox aliquis dicat Sacerdoti necessarijs destituto; aut mox te mactabo, aut celebra mihi sine calice, contentus hoc communi vitro: aut sine altari super hanc mensam meam; aut sine sacris vestibus, &c. Communis etiam est responsio DD. in materia de fide, & de peccatis, cum distinctione. Si quidem metus intentetur ad tale quid faciendum in contemptum Fidei & Religionis, tunc minimè excusari, sed adhuc peccari mortaliter. Quia acquiescere petenti aliquid in contemptum Religionis, ita intrinsecè est malum, ut in nullo casu liceat. At verò, si secluso omni contemptu Religionis, ex sola curiositate, vel alia causa ita horridè petatur: tunc excusante metu mortis, omnia licuisset agere. exceptâ saltem consecratione, monitis tamen Catholicis præsentibus, ne hostiam non consecratam adorent. Quòd si Tyrannus etiam metu mortis incusso petat ipsam consecrationem, non apparet, quomodò non in contemptum Religionis: si tamen adhuc reverà non in contemptum Religionis; credo cum Gobat *n.* 340. & alijs, adhuc excusari posse, cùm omnia requisita ad Sacrificium, præter panem & vinum sint juris positivi, quod non obligat cum evidenti periculo mortis, ut observant DD. communiter in materia de legibus.

§. II.

Corporale, Palla, & alia.

397 I. COrporale lineum ab Episcopo, vel habente potestatem, consecratum requiritur sub gravi peccato. *ex cap. consulto. De Consecratione d.* 1. Expuro lino debet esse, ut exprimunt Rubricæ saltem secundùm mediam præcipuam partem, quâ calicem & hostiam tangit, nam extremitates possunt esse de serico, aut serico vel auro elaboratæ, ut usus habet. Idémque usus non reprobatus à Gavanto, approbat etiam corporalia ex cannabe. Benedicuntur ab Episcopo, & à Superioribus Ordinum mendicantium, multò magis ab Abbatibus Infulatis, ut in simili iterum dicetur de vestibus sacris. Manéntque benedicta, quamdiu manent integra, unde post lotionem non rebenedicenda, ut alicubi scrupulosè factum: nec si resarciantur, nisi sic notabiliter lacerata fuerint, ut ampliùs usui esse non potuerint. Peccat ergo mortaliter Sacerdos sine corporali benedicto celebrans, cùm in re gravi reverentiam tanti Sacramenti concernente transgrediatur præceptum Ecclesiæ, secundùm omnes, quos vidi. Imò etiam qui celebrat in corporali notabiliter immundo ac sordido, cùm aliud mundius haberi possit, itidem faciens contra reverentiam tanto Sacramento debitam.

398 II. Palla item debet esse linea, pura circa partem, quâ Calicem tangit, similiter benedicta: habet autem communem cum corporali benedictionem, quippe cujus olim fuit pars, & adhuc est apud Carthusianos: unde si sit satis ampla & capax, pro corporali servire poterit, ut notat Lugo *d.* 20. *de Eucharistia. sect.* 2. Certè sine scrupulo substerni poterit Ciborio, Hierothecæ, vel Calici nondum purificato post Sacrificium. Eum, qui sine palla benedicta celebrat, peccare mortaliter vult Suarez *disp.* 81. *sect.* 6. Contrà, non delingui mortaliter celebrando sine palla, satis indicant *Sotus & Rodriquez* apud Gobat *num* 319. consentientem, & *n.* 322. ita inferentem: si quis in Sacristia non reperiret pallam, nec posset eam acquirere, eum non peccaturum accedendo, etiam ex devotione ad Sacrum faciendum, saltem si loco pallæ posset habere vel corporale, vel bursam, vel purificatorium duplex: & quidni in necessitate posset Calicem tegere purificatorio ipso, quod unicum habet? Nam usus *tegendi & tergendi* non sunt incompatibiles moraliter. Hæc Gobat. Declaro rem magis casu particulari facto, & sæpiùs factibili.

399 III. Pius quidam Sacerdos jam ad Aram consistens advertit abesse pallam, quam cùm non posset sine aliqua difficultate habere, pro palla usurpat bursam, seu thecam corporalis: an satis providè? vel quid eo casu agendum fuisset? Respondet Gobat *ibidem n.* 316. Si præstolando pallam oportuisset stare otiosum ad Aram, per 10. circiter Pater, & Ave, erat exspectandum, cùm defectus pallæ voluntarius annumeraretur peccato, & quidem à Suarez mortali, ut modo vitium. Si longior mora fuisset trahenda, potuisset illa omitti; quia longior mora est satis molesta, tum Sacrificaturo, tum Sacrum audituris. Deinde si potuisset è Sacristia facilè habere corporale, aut suum corporale fuisset satis longum etiam Calici tegendo, ut modò fit apud Carthusianos, & olim factum fuit, testibus *Azorio, Suarez, Rodriquez, Gavanto*, potiùs debuisset illo uti, quàm thecâ. Tandem etiam corporali deficiente, potuit bonus ille Sacerdos uti bursâ vel purificatorio, ut modò dictum fuit. Vide ipsum Gobat, *casu* 10. per totum.

400 IV. Reliqua requisita circa Calicem, sunt imprimis purificatorium, sed non necessariò benedictum, cùm id nullo jure statuatur, & nulla ejus benedictio reperiatur in Ritualibus: idcircò cùm deest purificatorium, poterit adhiberi strophiolum mundum, quo tamen non ampliùs tergendus erit nasus. *Suarez, Lugo, Gavant.* alij. Tandem velum, bursa, manutergium, item pulvillus pro libro, requiruntur ob decentiam, sed similiter non benedicta, si quid tamen desit horum, ex prophanis decenter mundis assumi, & postea suo usui reddi potest, certè nihil loco bursæ, ut praxis ostendit. Neque velum Calicis omittens gravis peccati damnandus erit, teste etiam in his rigido Gavanto apud Gobat *n.* 114. *fine.*

§. III.

Ciborium, Pixis, Lunula Monstrantia.

Licèt decentissimum sit, ut etiam ista, & 140
quodlibet vas immediatè tangens Eucharistiam, benedicantur, prout in Rituali & Pontificali habetur propria Pixidis benedictio, (cùmque talis benedictio fiat sine unctione, fieri poterit ab eodem, qui potest benedicere cætera paramenta, ut Superioribus mendicantium) id tamen necessarium non est, cùm nullum jus aut consuetudo id præcipiat: unde nec necesse est, ut in Pixide vel Ciborio non benedicto ponatur linteum benedictum benedictione corporalis, ut quidem decentissimè fieri solet, (& saltem fieri suadet Suarez *cit. disp.* 81. quando Pixis vel Ciborium non est argenteum) Ex communi *Suarez, Bonacina, Layman, Lugo, Tamburinus, alii*: addente rectè Laymanno *cit. n.* 22. Lunam Monstrantiæ postquam tetigit Corpus Christi, non esse tangendam à Laicis, juxta mox dicenda.

Denique advertit Dicastillus apud Gobat *cit.* 402
n. 336. Esse quidem decens, prout facere solemus, non tamen ullâ lege vel consuetudine generali præceptum, ut Ciborium, Pixis, Monstrantia continens Eucharistiam, vel sacras particulas, collocentur super arulam vel super corporale: sed sine dubio loquitur extra tempus Sacri, quo sacræ illæ particulæ consecrantur. Nam ut alibi jam insinuatum, & hìc incidenter advertendum est, Hostias etiam parvas communicantium etiam in Ciborio vel Pixide consecratas debere in eadem Ara super corporale relinqui, & non aliò deponi vel auferri, quia omnes Hostiæ, & major Sacerdotis, & minores communicantium sunt una victima, & per modum unius offeruntur, omnésque orationes, oblationes, benedictiones sequentes, non minùs spectant ad parvas Hostias, quàm ad magnam: neque ante sumptionem Sacerdotis integrè sacrificata est victima. Unde non rectè faciunt, qui consecratione factâ mox Hostias à se consecratas dant alteri Sacerdoti distribuendas communicantibus: quia sicut Sacerdos non debet de sua Hostia dare alteri, antequam ipse sumpserit, ita neque de alijs simul consecratis, cùm, ut dictum est, omnes sint una victima, nec ante sumptionem Sacerdotis integrè sacrificata: secùs tamen facientem non peccare plùs, quàm venialiter, & si necessitas urgeret ad communicandum ægrotum, vel ob nimium concursum communicantium, omnino culpâ vacare, ex Tamburino *l.* 1. *Sacrif. c.* 5. jam alibi relolutum est.

§. IV.

Tactus Calicis, & Rerum consecratarum.

403 I. SAcra vasa, Calix, Patena, Ciborium, Corporale, dum in ijs actu continentur Corpus vel Sanguis Christi, à nemine præter Sa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cerdotem & Diaconum, sine gravi culpa tangi possunt; adeò, ut omnis, etiam Clericus inferior Diacono ea tangens, peccati mortalis reus agatur à communi Sententia DD. *Paludanus, Suarez, Filliucius*, Laym. *l. 5. tract. 5. c. 6. n.* 18. Tambur. *l. 1. Sacrif. c. 2. §. 1. Exc. non oportet. d.* 23. Verùm negat hunc rigorem Ochogavia apud Dianam *p. 5. tract.* 14. *resol.* 6. Nec audet damnare Gobat *casu* 11. *num.* 325. Certè Suarez ipse *disp.* 72. *sect.* 3. permittit Laico osculum Sacræ Hostiæ. Sed censeo standum in sententia communi, & talibus dici: Noli me tangere.

404 II. Acolythi & Minoribus initiati, extra sacrum Ministerium, ne venialiter quidem peccant, sed licitè tangunt sacra Vasa, Calices &c. dum actu non continent Corpus & Sanguinem Christi, idque ex concessione Martini P. *c. non liceat. d.* 23. Ubi Acolythis sit potestas tangendi Vasa Dominica. Ita cum aliis Suarez *disp.* 81. *sect.* 8. Et *Tamburinus cit.* extendentes etiam ad primâ tonsurâ initiatos. Etsi contrasentiat communis Sententia DD. cum Laymanno *cit. c. 6. n.* 19. solùm opponente consuetudinem: quem quia Religiosi plerumque agnoscunt, ideo & servent, sed de peccato non scrupulizent. Alioquin eam consuetudinem saltem obligantem meritò non agnoscit Gobat *num.* 328. Cæterùm Ordines Mendicantium privilegium Sedis Apostolicæ habent, ut omnes eorum Regulares, tametsi Laici sint, dum superiorum suorum voluntate in propria Ecclesia Sacristæ officio funguntur, omnia paramenta, sacra vasa & corporalia reverenter tangere & lavare possint. Vide *Azorium, Layman cit.* alios.

405 III. Laicus, fœmina, etiam Monialis, absque necessitate vel rationabili causa, nudâ manu tangens res Sacras Chrismate delibutas, ut Altare, Calicem, Patenam aut quæ immediatè jam contigerunt Corpus Christi, ut corporale, ciborium, lunulam Monstrantiæ. &c. peccati venialis damnatur à DD. communissimè. *Suarez, Coninck, Sanchez*, alii cum Laymanno *cit. n.* 19. ex *cit. c. non licet in sancta. d.* 1. *De consecrat.* aliisque juribus *d.* 21. contactum Laicis prohibentibus. Sed latè totis viribus repugnat Tamburinus *c. l. 1. c.* 2. §. 1 *n.* 7. negátque illis tactibus peccatum aliquod etiam veniale induci, idque probabile censet Gobat *num.* 370. Quemadmodùm etiam Sanchez *l. 2. moral. c.* 43. *n.* 26. ac ipse Layman *cit. n.* 21. ac Diana *p. 3. tract.* 6. *resol.* 12. à veniali etiam liberant reverenter tangentes Agnos Dei & sacras Reliquias, præsertim dum illos vel illas thecis includunt, & exornant.

046 IV. Certò nec venialiter peccant Laici tangentes Res sacras, quæ nec immediatè contigerunt Corpus Christi, nec sacro Chrysmate unctæ sunt, ut linteamina benedicta, item corporalia & purificatoria post lotionem, antequam ad Sacrificium denuò adhibita sunt. Ex communi Layman *cit. n.* 20. *& supra n.* 19. Quin etiam tactum Calicis consecrati, antequam ad Sacrificium adhibitus sit; Tamburin. *cit.* Et tactum pedis Calicis, ac Patenæ à tergo seu altera parte, quâ non solet contingere Corpus Christi, Dicastillus apud Gobat *cit.* ab omni peccato liberant.

SECTIO III.

Sacræ Vestes.

SEx sunt sacræ Vestes, seu ut vocamus, sacra paramenta requisita Sacerdoti celebranti. Humerale, seu amictus: Alba, seu tunica: Cingulum: Manipulus: Stola (*orarium & palla tinostina olim dicta*) & Casula, seu planeta. De quorum necessitate & qualitate, dicam breviter, sed more solito distinctè per §§.

SUMMARIUM.

407. *Quale peccatum sit sine Sacris Vestibus celebrare?*
409. *An aliquando licitum celebrare sine aliqua ex Sacris vestibus, v.g. sine humerali, manipulo, stola?*
411. *An & à quo debeant vestes esse benedictæ? &*
413. *Quando amittant benedictionem?*
415. *Vestium color.*
416. *An, quando, & quis possit dare licentiam celebrandi operto capite?*

§. I.

Necessitas & Obligatio.

I. OMnes necessariæ sunt sub peccato, adeò, 407
ut sine aliqua istarum (excepto cingulo) celebrare, omnium DD. consensu, mortale sit, *Ratio* debet esse: quia usus ita rigidè interpretatur SS. Canones de iis SS. Vestibus decernentes: cujus usûs, cùm omnes Doctores testes sint, sine temeritate ea obligatio negari potest. Excipimus tamen cingulum probabilissimè, sine quo saltem benedicto celebrare (etsi contra multos) non esse mortale docent magni DD. *Paludanus, Sylvester, Henriquez, Sa*, aliis relatis Facundez suprà *cit. in 1. præc. Ecclesiæ l. 3. c. 23. n.* 12. Diana *p. 2. tract.* 14. *resol.* 68. Gobat *hic casu* 11. *n.* 348 Ratio est: quia *per se loquendo*, perinde est celebrare sine aliqua Veste benedicta, atque absolutè sine illa. Suarez *disp.* 82. *sect.* 3. Filliucius *tract. 5. c. 5. n.* 15. si ergo juxta relatos DD. sine cingulo benedicto celebrare non sit mortale, sed veniale tantùm, etiam sine omni cingulo celebrare mortale non erit. De hoc cingulo plura specialia mox *N. III.* Insuper dixi: *per se loquendo*, mortale esse. Jam quid per accidens ob necessitatem fieri possit, in re frequentis praxis, breviter explicandum est.

II. Sine omnibus Vestibus sacris celebrare 408
vix nunquam licere potest: quia rarissimè & vix unquam occurrere potest casus necessitatis talis excusantis. Certè non ad implendum præceptum Ecclesiæ de audiendo Sacro: minùs ad satisfaciendum Fundationibus, ut omnes fatentur: neque ob communicandum infirmum, ut contra Majorem fatentur ferè omnes:

sed

sed neque ad mortem evadendam & vitam conservandam cum probro seu in contemptum Religionis, ut certissimum apud omnes. At verò secluso contemptu Religionis & Fidei, si v. g. Sacerdoti non potenti acquirere sacras Vestes, dicit ferox Colonellus: *mactabo te, nisi mox sacrifices pro anima meæ uxoris defunctæ, & me de nocte graviter infestantis*, credo nullum DD. talem Sacerdotem tedentem tam atroci comminationi damnaturum peccati, cùm leges humanæ per se non obligent cum tanto rigore, ut *sectione seq. sub finem* rursum generaliter dicam.

409 III. Sine una vel altera aliqua dictarum Vestium, v. g. Humerali, Manipulo, Stola celebrare in necessitate sæpiùs licere potest. Generatim *in aliqua necessitate*, ait Filliucius *cit. c. 5.* in magna & urgente necessitate, ait Rodriquez & alii: certè Die festo ad cavendum scandalum, vel murmur populi, ait Laymannus *l. 5. tract. 5. tit. 5. c. 6. n.* 17. & consequenter etiam ad infirmum communicandum: at verò non præcisè ut satisfacias præcepto Ecclesiæ (quod tunc obligare cessat) aut tuæ religiosæ Regulæ, aut fundationi Beneficii, de Sacro audiendo aut faciendo: hæ enim obligationes ad hunc casum se extendere non censentur. Attamen Tamburinus *De Sacrificio lib. 1. c. 3. §. 1. n. 3.* probabiliter tenet, fas esse sine una è minoribus Vestibus, v. g. cingulo, aut manipulo celebrare ob necessitatem audiendi Sacrum Die festo, ac etiam ob fervorem devotionis, aut acquirendum stipendium, si non sis dives Sacerdos. Et quoad cingulum solùm, & ego libenter assentior. Cùm enim Cingulum solùm sub veniali requiratur, ut jam vidimus, venialis culpæ periculum facilè tollit causa tam honesta. Imò secundùm Fagundez, sola ipsa Missæ celebratio sufficiens causa est ad excusandum à peccato veniali, ne Ecclesia privetur fructu Sacrificij. §. At inquies: Alba longior est: non possum carere aliquo cinctorio: quid accipiam? imprimis te loco cinguli posse accipere Stolam, eáque te præcingere omnes observant. Si nulla adsit Stola alia, poteris pro Stola uti Manipulo aliquo, teste Tannero *cit. q. 10. n.* 40. cum aliis. Deinde poteris exscindere vel solvere ligamina pendentia è casulis, ut iis te cingas, censentur enim benedictæ cum tota Casula, aut si Casulæ jam benedictæ postea assutta sint, probabiliter evadunt benedicta per usum. Castro-Palaus cum Gobat *cit. n.* 353. Ulteriùs, si adsint partes fractæ cinguli, connectas rursum, & cingas te, quia probabiliter per fractionem cingulum non amittit benedictionem, ut inferiùs dicam. Denique si nihil saltem probabiliter benedictum suppetat, accipe quidvis prophanum, aptum: non peccabis excusante te quâcunque rationabili causâ, etiam solâ devotione celebrâdi, ut modò audisti.

410 IV. Denique, sicut in omni alia, ita sine dubio etiam in hac materia juris positivi, excusat à peccato inculpabilis inadvertentia, vel oblivio alicujus ex prædictis, qualis sæpiùs contingit in omittendo Manipulo, aliquando etiam Stola, aut Humerali, quòd si tamen Sacerdos sacrificans advertat defectum, ante Consecrationem maximè, & facilè haberi possit, debet adhuc curare afferri, si absque suo vel aliorum incommodo, murmure, scandalo fieri possit: aliàs non: Unde non satis prudenter fecit ille Parochus apud Gobat *cit. casu* 11. *n.* 342. qui Sacerdoti extraneo in sua Ecclesia celebranti absque Stola inculpabiliter omissa, vel per Sacristanum jussit adferri, qui jam Evangelium legens, admirans & perplexus, eam sub Casula collo circumduxit, non absque notabili difficultate, & confusione sui, aliorum admiratione &c. Nam generatim loquendo, imprudenter facimus, quando inculpabiliter errantem corrigimus in re nulli noxia, cum ejus non levi, & quandoque etiam aliorum incommodo, uti contigit in proposito casu. At numquid Sacerdos ille obligatus fuerat, tunc sumere Stolam? Respondet bene Gobat *ibidem*, si multos habuisset observatores, non fuisset obligatus propter præsens periculum gravis perturbationis, obmurmurationum, irrisionum, aut etiam scandali aliquorum. Sed quia non habuit nisi pauculos: ideóque nonnisi levis perturbatio vel obmurmuratio timeri poterat, ideo tenebatur. Rectissimè ait D. Thomas *3. p. q. 83. a. 6. ad* 2. Ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est, quod habet minùs de periculo.

§. II.

Benedictio, Prophanatio.

I. Sacræ Vestes illæ omnes debent esse be- 411
nedictæ: ut habet Missale *tit. de ritu celebrandi, num.* 1. Benedicuntur autem jure ordinario ab Episcopo, & per privilegium Pontificum, ab Abbatibus Infulatis, ut latè videre potes apud Ascan. Tamburinum *de jure Abbatum to. 1. disp. 22. quæsito* 2. ac tandem ex eadem Pontificia largitate etiam Superiores Ordinum mendicantium, Priores, Guardiani, Rectores, itémque Præsidentes, ac Vicarii, qui cum plena potestate obeunt hæc officia, donec vel nominetur, vel redeat absens Superior, sicut cum aliis explicant Rodriquez noster *Q Q. Regul. to. 1. q. 19. a.* 2. Suarez *to. 4. de Religione lib. 2. c.* 30. Extendentes hanc potestatem etiam ad corporalia, & alia, ad quorum benedictionem non requiritur unctio: atque adeò ad suas Ecclesias & Oratoria benedicenda, ita enim sonant eorum privilegia & praxis obtinet: extendètes etiam ad benedicenda paramenta aliarũ Ecclesiarum, idque per viam communicationis: cùm Innocentius octavus id expressè concesserit Generali, & quatuor præcipuis Abbatibus S. Ordinis Cisterciensis. Quod Privilegium adhuc valere, ubi est ejus usus, bene ostendit dictus Ascanius, Tamburinus *cit. quæsito.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sito. 2. non obstante declaratione contrariâ Congregationis Cardinalium sacrorum rituum de Anno 1606. die 24. August. de qua tamen declaratione nihil constare testatur Tho. Tamb. *l. 1. sacrif. c. 3. §. 3.* Nostri utuntur saltem bonâ fide, passim permittentibus, & sæpe ad nostros remittentibus Episcopis.

412 II. Probabile est vestes istas Sacerdotales, sicut alia requisita omnia, Sacra fieri per ipsum usum SS. Sacrificii: adeò nimirum, ut si quis Sacerdos, maximè Episcopus bonâ fide ignorans (& imò etiam malâ fide scienter, & non sine gravi peccato) celebravit, aut in Ara, vel Ecclesia nondum benedicta vel prophanata: aut in Calice vel Patena nondum sacratis, aut cum Casula, Alba, alióve Paramento nondum benedicto, ipso usu fiant benedicta, nec aliâ novâ benedictione amplius indigeant. Ita variis locis, pluribus allegatis Authoribus, constanter docet Diana maximè *p. 5. tract. 13. resol. 60. Et p. 9. tract. 7. resol. 19.* Et quoad Vestes non faciens distinctionem de bona vel mala fide, etiam tenet Doctissimus æquè ac pissimus Episcopus Pax-Jordanus apud Gobat *n. 355.* qui ob authoritatem Doctorum probabilem censet sententiam. Verùm mihi nunquam placere potuit. Mordicus adhæreo oppositæ sententiæ negativæ communi DD. cum Cardinali de Lugo *de Eucharist. disp. 20. n. 82.* Dicastillo, *de Eucharistia disp. 4. n. 199.* Tamburino, *de Sacrif. l. 1. c. 1. §. 1. n. 6.* Ipsóque P. Gobat dicto *casu* 12. *n. 265. 280. 309. 366.* Ratio solida est: quia harum rerum moralitas seu Sacratio dependet essentialiter à voluntate potentis & volentis eas haberi pro Sanctis & Sacris sufficienter ad usum illum sanctissimum: solus autem Pontifex potest efficaciter velle, ut his aut illis cæremoniis adhibitis censeantur illæ res satis sanctæ pro hoc ministerio: atqui Pontifex nunquam declaravit se velle, ut facta semel harum rerum usurpatio ad usum Sacrificii sit sufficiens imposterum, sine alia benedictione, vel consecratione Episcopi, aut alterius potestatem habentis, alioquin jure communi requisita: ergo non est fundamentum recedendi à jure communi: idque maximè, quando intercessit mala fides. *Quia non est malitiis hominum indulgendum. c. plerumque. de rescriptis.* Deinde ex illa sententia sequeretur cubicula, in quibus ex Privilegio vel de Licentia Episcopi aliquando celebrata est Missa, fieri loca Sacra, ideóque posse sine ulla ulteriori facultate in iis deinceps celebrari; quod certò falsum est, teste Tamburino *loc. cit.* Denique si Calix sit sacer per contactum S. Sanguinis, ut vult Diana, cur non enim tua barba, aut pannus, in quem defluit S. Sanguis? ait Gobat *n. 309.* Item Albam à netrice acceptam, ipso usu Sacram facis, cur non etiam tuam camisiam vel indusium, eóque satis longo deinceps pro alba uteris? sed de hoc utique satis. Vide tamen *N. IV. fine.*

III. Sacræ Vestes, seu paramenta Sacerdotalia amittunt suam benedictionem, quando ita franguntur & lacerantur, ut non sint amplius apta ad usum, ad quem erant benedicta, juxta communem DD. & *c. 1. &c. quod in dubiis. de consecratione.* hinc, si Albæ detrahatur una vel utraque manica assuta, & reficiatur, debet iterum benedici. Lugo *cit. d. 20. n. 100.* Dicastillus *cit. n. 209.* Jordanus cum Gobat. *n. 367.* Item, si Cingulum ita frangatur, ut neutra pars sit sufficiens ad cingendum Sacerdotem, juxta communem DD. sensum. Quamvis etiam non amittere tunc benedictionem, sed si partes rursus conjectantur, posse denuò adhiberi censeant Emmanuel Sa. *v. Missa n. 12.* & Diana *p. 2. tract. 14. resol. 57.* & practicè probabile judicet ipse Gobat *n. 368.* Quòd si verò una vel utraque pars lacerati Cinguli (prout ferè semper fit) cingendo Sacerdoti seu Marco crasso, seu Publio sufficiat, (sicut & quando Cingulum resarcitur antequam penitùs frangatur) remanere benedictam: communis est sententia apud *citatos omnes*; Et benè observat Gavantus *in Rubr. p. 2. tit. 1. litt. R.* Ligamen, quo te præcisè cingis, esse magis de forma cinguli, quàm partes dependentes. Unde si pars cinguli fracti sufficiat ad se cingendum utcunque dicto modo, poterit ei pars minor rursus connecti velut accessorium principali. Vide etiam Layman. *cit. c. 6.* Cæterùm addunt *citati omnes*, mortaliter peccare eos, qui præsunt Sacristiis, si eorum culpâ fiat, ut vestes & paramenta valde immunda, sic ut immunditia notabiliter dedeceat majestatem tanti Ministerii arbitrio prudentis, non mundentur, priusquam in iis denuò sacrificetur: attamen Sacerdotem, qui utitur talibus immundis paramentis, si facilè non possit habere munda, non peccare, rectè monet etiam Suarez *hic disp. 81. sect. 3.* 413

IV. Sacræ Vestes prædictæ quamvis benedictionem non amittant, si adhibeantur ad usus prophanos; attamen ita prophanè usurpantes peccant contra prohibitiones Canonum, adeò ut iis uti ad prophanas Comœdias, vix vacet culpâ mortali teste Suarez modò cit. *disp. 81. sect. 8.* Deinde conformiter ad *c. ligna. de Consecratione*, eæ etiam detritæ non sunt ad prophanos usus adhibendæ, sed vel exurendæ, vel è majoribus faciendæ minores, v. g. ex Casula, Stola, ex Stola Manipulus, ex Alba, Humeralia, uti docet Tannerus *to. 3. disp. 5. q. 10. n. 9.* attamen eo casu talis nova facta Stola, Manipulus, Humerale, oportebit ea de novo benedicere, quia nec Alba humeralis, nec Casula Stolæ, nec hæc Manipuli benedictionem habet, ait Tamburinus *l. 1. c. 3. §. 3. n. 7.* At, nunquid ex Alba detrita poterunt etiam fieri superpellicia pro Ministrantibus v. g. aut ex illa vel humerali manutergia pro Altari, vel quid simile? Respondeo cum Gobat *cit. n. 370.* quòd sic: quia Sacri Canones *cit. c. ligna &c.* 414

Altaris. de consecratione. d. 1. solùm prohibent res sacras usu detritas, adhiberi ad usus prophanos, vel prophanorum hominum: quod certè non fit in proposito. Adde denique *N. II.* prætermissum: si casulam benedictam suffulcias novâ telâ vel fericò, tota suffultura consequetur benedictionem, utpote tracta à digniori parte. Glossa & DD. *in c. quod in dubiis. de consecr. Ecclesiarum.* Et consequenter poterit illa eadem suffultura, si rursum separetur, seorsim usurpari pro casula sine nova benedictione: sic cum Jordano Gobat *n. 398.* id ipsum dicens de suffultura Stolæ, vel Manipuli.

§. III.

Color, alia Accessoria.

415 I. Vestium sacrarum color debet respondere tempori & festis, juxta præscriptum Rubricarum *tit. 18. num. 1.* sed hoc verbum DEBET sæpe non capiunt pauperes Ecclesiæ. Et teste Gobat *num. 282.* non facilè committetur gravis culpa non parendo huic Rubricæ, nisi scandalum adsit, ut si die Paschatis, neglectis, quæ ad manum sunt, albis vel rubris, tu stupor adhibeas nigras: sed utique quocunque die satiùs est facere Sacrum in quocunque colore, quàm omittere. A fortiori excusabit omnis rationabilis causa: ut si concursui Sacerdotum (ut sæpe fit in locis peregrinationum) non sufficiant paramenta coloris diei respondentis. Minùs ergo damnandus, qui adhibet velum diversi coloris à casula.

416 II. Caput apertum debet habere Celebrans, adeò ut operto capite sine evidenti causa vel dispensatione Celebrantem peccati damnent DD. communiter, meíque citati omnes, & quidem mortalis peccati Jordanus apud Gobat *n. 383.* ob Capit. *Nullus Episcopus de Consecrat. d. 1.* Nec potest Episcopus, aut sibi, aut alteri facere jus utendi pileolo, cùm id inhibuerit Congregatio SS. Rituum apud Gavantum. Quòd si necessitas, infirmitas, debilitas capitis ita postulet, siquidem causa justa & manifesta sit, poterit Sacerdos tecto capite celebrare usque ad consecrationem, & rursus post purificationem, secluso tamen scandalo, adeóque ferè privatim tantùm. Navarrus *de Celebr. Miss. Concil. 7.* Si causa non sit manifestè justa, petenda est dispensatio seu licentia. Sed à quo? à Pontifice, ajunt Gavantus & Tamburinus *cit.* nimis remotè. Ab Episcopo, (vel etiam Prælato regulari, in privatis Missis intra Monasterium) Layman. *cit. l. 5. tract. 5. c. 5. n. 16.* alii communiter. Qui tamen sine licentia faceret, secluso contemptu & scandalo, aliquali tantùm causâ subsistente, eum non peccaturum graviter, meritò docent plerique: & saltem si tempus Canonis excipias, probabile censet & Diana *p. 2. tract. 14. resol. 58.* sicut nec mortale est celebrare sine calceis vel crepidis, imò nec veniale, si necessitas postulet, ait Laymam modò *cit. num. 15.* Cùm nullum de hac re extet præceptum, teste etiam Suarez. *l. c.*

III. Sacras Vestes induens Sacerdos præscriptas in Missali preculas recitare debet, & omittentem peccati mortalis reum agunt: *Navarrus, Sylvester, Azorius, Sylvius*, alii *cum Gavanto.* Verùm cùm nullum omnino appareat tantæ rigiditatis fundamentum, meritò non plùs, quàm veniale agnoscunt alii communiter. *Layman, Diana cit. Fagundez* cum Gobat *n. 387.* imò absolutè nullum peccatum agnoscere vult Tamburinus *l. 1. c. 7. §. 1.* Sicut & Fagundez nullum, qui in casu earum locò recitat alias preces, ut faciunt etiam pii Sacerdotes, eodem testante & approbante. Hic incidenter addo 417

IV. *Dicto saltem Matutino*, Sacerdos sacras Vestes induat, ac celebret, præscribunt Rubricæ in ordine Missæ. Ubi rursus Sacerdotem absque ulla justa causa ex mera negligentia vel libertate, non dicto Matutino Celebrantem peccati mortalis damnant graves DD. Azorius, Reginaldus, alii non pauci. Sed certè, seclusâ Authoritate vix aut ne vix quidem probabilitet: ex quo enim fundamento? Venialem ergo culpam agnoscunt plerique alii, imò, ne venialem quidem: saltem, si non nimis ferò facit ad Aram torpidus ille Sacerdos. Suarez *tom. 2. de Religione. l. 2. c. 24.* Tamburinus *cit. c. 7. §. 2.* Gobat *n. 388.* rectè tamen concludens. Verùm tu, ne sequere hanc sententiam absque rationabili causa. 418

§. IV.

Significatio mystica & moralis remissivè.

De hoc dixi *p. 1. c. 5. ad finem.*

SECTIO IV.

Sacer Ritus.

SUMMARIUM

419. *Ritus in Missa alii sunt essentiales, alii accidentales.*
421 *Item Rubrica alia præceptiva, alia directiva tantùm.*
432 *Ritus Rubrica præceptiva observandi sunt sub mortali.*
424 *Ritus verò Rubrica directiva solùm sub veniali per se loquendo.*
425 *Qualem partem omittere in Missa sit mortale?*
427 *An & qualepeccatum sit aliquid addere?*
429 *Vel mutare Missam, legendo aliam, quàm sit eo die præscripta?*
430 *Causa justa mutandi Missam, seu legendi aliam, quàm sit eo die præscripta. v. g.* Votivam, *de* Requiem *festo duplici.*
431 *Quinam, & qualiter supplendi sint defectus in Missa commissi?* Usque ad n. 435.

419 I. Ritus sacrarum actionum in Missa, duplices sunt, essentiales & accidentales. Ritus essentiales sunt, qui ex institutio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne Christi, spectant ad essentiam, vel integritatem substantialem Sacrificii, uti sunt ordo Sacerdotalis, debita intentio, materia, forma, consecratio, oblatio, sumptio, quæ licèt in nostra sententia pars essentialis non sit; est tamen pars integralis ad integritatem substantialem Sacrificij ex institutione Christi pertinens. Hos autem ritus essentiales utique tenetur Sacerdos observare, non tantùm ut licitè, sed etiam ut validè celebret, & quempiam illorum omittens, gravissimum committit peccatum sacrilegij; quia irritum vel mutilum redderet Sacrificium, quod est sacrilegum.

420 II. Ritus accidentales sunt, qui externam actionem Sacrificij ex institutione & ordinatione Ecclesiæ componunt, & comprehendunt partes Missæ integrales suo loco nominatas, tum vocales voce recitandas; tum reales seu cæremonias actione observandas juxta præscriptum Rubricarum.

§. Rubrica autem nihil aliud est, quàm informatio & designatio eorum, quæ in Missa dicenda vel eligenda sunt, sic dicta, quòd rubris litteris scribi soleat. Aliæ sunt præceptivæ, aliæ directivæ tantùm.

421 III. Rubricæ præceptivæ censendæ sunt, quæ aliquid expresè sub mortali præcipiunt, aut aliquid designant, quod aliàs ex jure vel consuetudine graviter jubetur. Cujusmodi Rubricæ sunt de ipsis essentialibus Sacramenti, de pane triticeo, & azymo in Ecclesia latina: de vino ex vite & modica aqua admiscenda, de integritate Sacrificii, de instrumentis & vestimentis sacris hactenus explicatis: de ordine Missæ, de jejunio Sacerdotis: de confessione præmittenda, de reverentia tanto Sacramento debita, & alia. Hæc enim & his similia vel de jure naturæ, vel de positivo Christi vel Ecclesiæ præcepto obligant.

422 IV. Rubricæ directivæ tantùm sunt, quæ solùm quasi consulendo ad melius esse dirigunt & manuducunt Sacerdotem, quidnam circa divinum Sacrificium fieri, vel non fieri conveniat. Ut de oratione ante & post Missam, de servando numero Collectarum, de servando officio duplici, semiduplici, primæ, secundæ classis &c. De colore Vestium &c. Quæ, quia, nec ipsæ Rubricæ sub mortali præcipiunt, neque alio jure præcepta inveniuntur, ideo meritò Rubricæ tantùm directivæ censentur, absque onere peccati gravis. Vide *Lugo*, *Tamburinum*, *Gobat*, *Gavantum*, *alios*. His suppositis sit

RESOLUTIO

Gemina Generalis.

423 *Prima*: Sacerdos sub mortali tenetur observare ritus etiam accidentales ab Ecclesia præscriptos in Rubricis Missalis præceptivis, quamvis levitas materiæ vel inadvertentia sæpe à mortali excusent. Hæc constat ex modò dictis *N. III.* Et specialis certissima *Regula* est: quando hæc vox habetur in Rubricis *gravissimè*; certum est significari peccatum mortale. habetur autem septies. 1. Si Sacerdos latinus consecret in fermentato: 2. Si in vino corrupto, vel sine aqua naturali admixta: reliqua quæres ipse, invenies certissimè.

424 *Secunda*: Rubricæ directivæ solùm sub veniali obligant per se loquendo, tribus tamen sub mortali exclusis. Ut nihil fiat animo inducendi novum ritum, ut quidam faciunt sub Gloria in Excelsis; tu solus Sanctus MARIAM sanctificans &c. Hoc enim per se grave & gravissimè prohibitum à Pio V. & Concilio Tridentino: 2. Nihil fiat cum scandalo, quod coram populo facilè posset oriri. 3. Non fiat ex contemptu, saltem implicito. Ut si quis ordinariè ut plurimùm nullam curaret observare Cæremoniam vel Rubricam negligentiâ intolerabili (ait Gavantus) utique peccaret mortaliter: talis enim implicitè saltem censetur contemnere Rubricas ab Ecclesia ordinatas, aut certè velle novum ritum inducere. Hâc ergo geminâ regulâ observatâ facilè erit discernere peccata circa ritum Sactificii. Exempli gratiâ breviter

§. *I. Omittere.*

425 QUemcunque ritum vel partem Missæ essentialem vel accidentalem notabilem omittere citra controversiam mortale est. Ut qui consecraret unam tantùm speciem. Qui non sumeret, qui omittit quamlibet orationem vel periodum in Canone tam minori ante; quàm majori à consecratione: qui omittit oblationem hostiæ & calicis, aut admixtionem aquæ modicæ: qui omittit totam epistolam cum Graduali & Alleluja: totam post communionem, idem judicium esto de similibus.

426 Contrà: veniale tantùm erit omittere partem non notabilem, v. g. collectam vel commemorationem aliquam: Gloria, vel Credo, quando deberent dici; Evangelium ultimum speciale, loco S. Joannis subinde dicendum: sequentias quorundam festorum, imò & prophetias in feriis quatuor temporum, cùm sint partes Missæ valde extraordinariæ accidentales. Quintanadvennas apud Gobat *casu* 23. *n.* 761. & in ipso Canone speciale *Communicantes* seu *infra actionem* in festis Paschæ, Pentecostes, & aliis quibusdam: item unum & alterum verbum Canonis, nomen unius Sancti in orationibus ante & post consecrationem, &c. uti contra aliquos nimis rigidè mortalizantes omissionem cujusque verbi in Canone, docet communis DD. *Suarez*, *Filliucius*, alii *citati*. Quamvis enim in Canone propter reverentiam & summam authoritatem, minor omissio sufficiat ad peccatum mortale, quàm in alijs partibus Missæ; tamen omittere solùm unum vel alterum verbum terminos levitatis excedere nullo fundamento ostendi potest: quin etiam in ipsa

ipsa consecratione omittere voculam *enim*, seclusa contemptu, culpam venialem non excedere, ex communi DD. jam alibi indicatum est.

§. II.

Addere.

427 IN Sacrificio Missæ, ultra ea, quæ Rubricis præscribuntur, addere aliquid notabile, utique omnium consensu, mortale est ex genere suo, multò magis, quàm omittere, tum quia ex genere suo gravior est culpa commissionis, quàm omissionis; tum quia hic est majus periculum superstitionis, quæ longè facilius & deformius fit committendo, quàm omittendo: tum quia id expressiùs prohibetur à Pio V. in Bulla Missali præfixa, & Concil. Trid.

428 Nihilominùs etiam hic materiæ parvitas excusans à mortali locum habet. Exempli gratiâ: si dicas plures collectas, quàm præscribant Rubricæ: si intra Sacrum, maximè dum cantum expectas, certas preces privatas vel Psalmum recites, Gobat *cit. n.* 753. non agit te reum peccati ullius; si intra prolixum Credo, unam Horam minorem memoriter recites. At Tamburinus omnia ejusmodi, culpæ venialis damnat. Sicut etiam, Si Religiosi post Episcopum nominent nomen sui Generalis vel Prælati. Et quidem, si loco Episcopi, ejus omisso nomine, nomen sui Generalis nominent, testatur Diana *p.* 2. *tract.* 14. *resol.* 4. fuisse à Papa & Congregatione Cardinalium damnatos peccati mortalis. Sed hoc non credit Tamburinus *cit: c.* 5. §. 3. *n.* 7. Neque Rodriquez noster, negans de hoc authenticè constare. Neque ego credo: aut si verum est, utique intelligendum erit, si fuerit ad mutandum ritum, aut in contemptum Episcopi.

§. III.

Mutare Missam.

429 DEsignatam, utpote de die Dominico, festo duplici, aut alijs diebus, quibus prohibetur fieri de festo duplici vel semiduplici; ut infra Octavas Epiphaniæ, Paschæ & Pentecostes, feriâ quartâ Cinerum, & in vigilia Nativitatis, ac Pentecostes &c. sine gravi causa legere aliam Missam de Sancto aliquo alio, Votivam, vel de Requiem &c. omnium consensu peccatum est, at seclusa contemptu ac scandalo, non plus, quàm veniale, juxta communem DD. *Suarez*, *Layman*, *Lugo*, *Diana*, *Tamburin. citat.* alij passim. Ratio est: quia Rubricæ istæ, etsi præceptum grave non contineant, continent tamen magnam convenientiam, cui absque inordinatione ac ordinis perturbatione, adeóque veniali culpâ contraveniri non potest: atque etiam sub veniali culpa omnino videntur receptæ omnium sensu: nisi tamen justa & gravis causa omnino excuset.

430 Causæ autem justè excusantes, ut dictis diebus, alia Missa, Votiva, de Requiem, vel Sancto aliquo celebrari possit, sunt: 1. Bonum commune vel necessitas publica, v. g. tempore belli, pestis: ad impetrandam serenitatem, pluviam &c. 2. Quando corpus defuncti est expositum in Ecclesia, tunc die Dominico vel Festo (non tamen solemnissimo Paschæ & similis) posse cantari Missam de Requiem, concessit Congregatio Cardinalium Sacrorum Rituum. 3. Ut pia testatorum voluntas impleatur, in festo duplici, quod non est de præcepto, tolerari posse Missas de Requiem declaravit eadem SS. rituum Congregatio: quæ & plura videre potes apud Gavantum. 4. Quando celebras in Ecclesia, in qua agitur dies festus proprius, non tantùm licitè potes, sed etiam debes te conformare loco, ut habet ex communi Gavant. & Tambur. *citat.* servato tamen ritu Missalis Romani, nisi fortè habere commodè non possit. Denique singularis devotio cum necessitate conjuncta in raro casu: ut, si in die Palmarum, & sequentibus, quibus in Missa Passio recitanda est (multò magis in Sabbathis quatuor temporum &c. quando prolixæ Prophetiæ) tu præ debilitate tam diu pedibus consistere non valeas, singulari tamen devotione ad Sacrum afficiaris, Votivam de Passione Domini concedendam esse censet Tamburinus *l.* 1. *cap.* 6. §. 1, His ergo, & similibus æquivalentibus causis cessantibus maneat regula generalis tradita: diebus istis prohibitis non licet celebrare aliam Missam à currente, seu cum officio concordante, sub peccato saltem veniali.

431 Dices 1: At promisi Missam votivam, vel de Requiem pro tali die prohibito, accepto stipendio. Malè promisisti: servare non teneris, sed debes celebrare Missam currentem. Neque censeris infideliter agere, si ordinationes Ecclesiæ tam rationabiles custodias, cùm omnis promissio intelligatur facta & observanda sine præjudicio legum. Deinde non solùm omnis Missa est ejusdem valoris, quæcunque legatur, unde petens non fraudatur suo fructu; sed etiam ille affectus conformitatis & obedientiæ ad ordinationes Ecclesiæ à Sacerdote applicatus ad petentes Missas alias, abundè compensat privatam devotionem petentium, atque fructum, quem per preces proprias Missæ talis Sancti votivæ, vel funebris, lucrari poterat petens. 2. At, celebranda est Missa pro defuncto in Altari privilegiato, & occurrit festum duplex, vel similis dies prohibitus? Resp. Si in privilegio expressum est, ut legatur Missa de Requiem, privilegium eo die vacabit: quia per tale privilegium Pontifex non censetur dispensâsse in aliqua lege Ecclesiastica: & simile privilegium semper intelligitur: salvo jure Rubricarum. Modò autem habemus declarationem in Altaribus istis privilegiatis, diebus prohibitis privilegium etiam valere dicendo Missam currentem. 3. At vovi Deo, v. g. singulis feriis sextis dicere Missam de Passione: Sab-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bathis votivam de B. Virgine, & incidit festum duplex? Resp. Non teneris voto pro illa die: Votum enim est de meliori bono; minus autem bonum est tua privata devotio, quàm obedientia & observantia Ord nationis Ecclesiæ. 4. At Superior præcipit die ejusmodi prohibito talem Missam celebrare? Non teneris præcepto. Nullus enim Prælatus inferior potest te obligare contra legem Superioris. At Confessarius pro Pœnitentia injunxit v. g. die Jovis dicere Missam de venerabili Sacramento? Non censetur comprehendisse dies prohibitos: alioquin non potuit te contra Rubricas obligare: lege currentem; vel differ. Ast denique Episcopus ordinato mihi injunxit post primam Missam solennem celebrare alias tres votivas de Spiritu S., B. Virgine, & de Requiem, solent celebrari statim consequenter, & occurrunt meri dies prohibiti? Non debes celebrare. Non enim fuit intentio Reverendissimi Domini Ordinatoris, ut eæ Missæ celebrentur in festis duplicibus, vel similibus prohibitis, uti singulariter advertunt Gavantus, eique consentientes Tamburinus *l. 2. Sacrif. c. 6. §. 6.* Gobat, *casu 21. n. 713.* Quin Valentia, Castro-Palaus, atque Diana *p. 4. tract. 4. resol. 218.* alij generaliter docent, ea, quæ Episcopus oranda injunxit Ordinatis, non injungi sub præcepto, sed solùm obligare ex decentia & congruitate: cùm verba imperativi modi sint ambiguæ significationis, nec semper, imò secundùm permultos Theologos per se sola nunquam importent præceptum. Expecta ergo dies licitos pro tuis tribus Missis. Quamvis viderim eas passim celebrari sine scrupulo, in communibus duplicibus festis: sed nunquam laudare potui.

§. IV.

Defectus supplere.

432 I. NEcessariò supplendi sunt defectus essentiales Sacrificij spectantes scilicet ad essentiam vel integritatem Sacrificij; quippe versantes circa materiam, formam, intentionem, consecrationem, sumptionem. Ratio clara est: quia alioquin Sacrificium aut irritum redderetur, aut mutilum: Circa materiam & formam exempla habes in Missali *loc. cit.* Circa intentionem non oportet esse scrupulosum, jam enim suo loco audivisti, vix unquam contingere, quin Sacerdos habeat sufficientem intentionem virtualem saltem implicitam circa Hostiam Sacrificij. Quòd si tamen omnino rationabiliter dubitaret, aut crederet, se non habuisse ullam intentionem sufficientem, quod circa Hostias parvas subinde contingere posset, debet omnino repetere formam sub conditione: quia defectus intentionis est substantialis. Casus aliquos dabo infrà.

433 II. Non sunt ordinariè supplendi defectus accidentales tantùm & cæremoniales tam in recitando, quàm in agendo: Ut, si Sacerdos omisit collectam aliquam vel commemorationem, Gloria, Credo, extraordinarium Communicantes, & jam procul processit, si rectum Evangelium, Epistolam, Præfationem non legit. Non tenetur, inquam, ista repetendo supplere, esto sub veniali tenebatur ista cavere, & non omittere. Quia gravior deordinatio & irreverentia fieret in sacra actione ista repetendo, quàm facta sit ea omittendo. Omnes. Quòd si tamen Sacerdos, dum secretò orat, post pauca verba certò advertat, se aliquid notabile omisisse, v. g. Communicantes in Canone, paululùm regrediendum & repetendum erit, cùm id absque omni incommodo fieri possit. Filliucius, Diana, Escobar, cum Tamburino *l. 2. Sacrif. c. 5.* Si commemorationem omissam advertat tempestivè ante Secretas, adhuc illam cum Secreta sumat. si postea primùm, omnino omittat. Et Hinc

434 III. DIXI: *Ordinariè.* Si enim aliquid notabile omissum sit, & facilè sine incommodo suppleri possit, utique supplendum erit. Ut, si Sacerdos latinus ante consecrationem advertat panem non esse azymum, aut se aquam non intudisse vino, debet omnino curare afferri, & suppleri, si haberi possit, & sine scandalo fieri possit: sin minùs, debet eligendo minus malum, potiùs pergere. Quia præceptum affirmativum Ecclesiæ de azymo, & aquâ admiscendâ vino, minùs obligat, quàm præceptum divinum negativum de cavendo scandalo. At, quid si Hostia post consecrationem auferatur à vento, volucre &c. & nulla alia haberi possit? Impossibilium nulla erit obligatio: sumatur ergo calix solus. Quidsi tamen possit haberi Hostia parva consecrata in Sacrario? probabilissimè docet Tamburinus *cit.* satiùs esse illam adhibere, quàm unam tantùm speciem sumere, cùm enim eadem Hostia Christus, ipséque principalis Offerens sit in omnibus Sacrificiis, quælibet Hostia consecrata videtur habere relationem ad quodlibet Sacrificium, ut saltem in tali necessitatis casu substitui possit. Sed de hoc aliorum esto judicium.

435 IV. Quòdsi denique Sacerdos ipse intra Missam deficiat morte, phrænesi, deliquio diuturno: si quidem deficiat ante consecrationem, nihil supplendum est; sed Missa omittatur; quia nihil adhuc essentiale Sacrificii positum est: vel si Missa celebranda sit, nova ab alio inchoetur: si verò deficiat post consecrationem, debet alius Sacerdos perficere, incipiendo ab eo loco, in quo deficiens desierat: Etiam non jejunus, etiamsi esset in statu peccati mortalis, conetur elicere contritionem, cùm confessio mortaliter eò casu præmitti non possit, majórque sit obligatio Sacrificij perficiendi, quàm confessionem præmittendi. Si autem Sacerdos moriatur post sumptam jam Hostiam, posset alius Sacerdos perficere, sumendo solum sanguinem, absque nova consecratione: ait Henriquez apud Bonacinam *hic disp 4. quæst. ult. prop. 10.* Quòd si denique eo die nullus possit haberi Sacerdos, qui suppleat, Sacramentum in sacrario reponatur, ut altero die ab alio sumatur, secundùm omnes. Quid agendum, si Sacramentum miraculosè convertatur in speciem carnis vel pueri, aut sanguinis, jam satis indicatum est suo loco *de Sacramento Eucharistiæ. supra cap. 3. an. 124.* Si enim mutatio non cessat, ponatur in sacrario: nec alia nova Hostia consecranda esset, quia Sacrificium jam rectissimè peractum est, quoad essentiam: quoad integritatem autem sumptionis, Deus ipse miraculosè operans dispensare censetur. Communis DD. cum S. Thom. *3. p. q. 82. a. 4.* Si plura desideras, lege ad saturitatem Gavantum. Tamburinum *cit.* Gobat *toto casu 23.* & apud istos, *citatos.*

SECTIO V.

Locus Sacer.

Summarium.

436 *In locò prophano celebrare mortale est,*
437 *Nisi urgeat necessitas (qua, ubi, & quando?)*
438 *Qualiter permittere possint Episcopi celebrare in domibus jacularium?*
439 *Privilegium quoad hoc Fratribus Minoribus & Prædicatoribus concessum.*
440 *Adhuc valet.*
441 *Quando Ecclesia dicatur polluta,*
442 *Execrata, & interdicta?*
443 *In tali non licet celebrare; antequam reconcilietur,*
444 *Qualiter Ecclesia reconcilianda?*

435 *MIssa celebranda est in loco sacro, id est, in Ecclesia consecrata vel saltem benedicta ab Episcopo; non polluta aut execrata vel interdicta, nisi necessitas urgeat, vel dispositio Episcopi, aut privilegium aliud permittat.* Explico breviter.

§. I.

In Ecclesia consecrata vel saltem benedicta ab Episcopo.

436 SEcùs faciens & in loco prophano celebrans per se loquendo sine dubio mortaliter delinquit: ut contra *Sotum, Ludovicum Lopez, Emanuelem Sa,* & paucos alios docet communissima DD. meíque citati omnes unanimiter. Et ratio est: quia talis transgreditur præceptum Ecclesiæ, ob gravissimas causas latum, ut videre est diversis, rigidísque Canonibus *de Consecratione d. 1.* ut c. *Nullus Presbyter.* Sylvester Papa ita decernit: *Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in consecratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse Sacerdotij.* Quæ ultima verba gravissimam pœnam suspensionis insinuant, & consequenter peccatum mortale. Et *ibidem c. sicut* Felix Papa sic statuit. *In aliis, quàm Domino sacratis locis, Missas cantare, aut Sacrificia offerre, non licet, nisi summa coëgerit necessitas.* Quod tamen præceptum quoad summam necessitatem multùm mitigavit usus, ut in quavis etiam non summa, etiam non magna necessitate secùs facere liceat, ut mox patebit. Denique accedit gravissima prohibitio Concilij Tridentini *sess. 22. in Decreto de observandis & vitandis in celebratione Missarum*: quod leges faciliùs tu, quàm ego describam. Nunc exceptiones explicandæ. Nisi

437 I. Necessitas urgeat: qualis censetur esse 1. Si Ecclesia diruta sit, *c. concedimus. de Consecratione. d. 1. 2.* Si populum in solemni festo vel peregrinatione templum non capiat. 3. In bello ac castris, sed pro diebus festis tantùm, ne milites careant Sacro. Diebus enim professis solùm permittitur Generalibus & Ducibus primariis in suis tentoriis. 4. In longa navigatione, attamen in portu vel littore appulsâ navi, non in ipso mari vel flumine, ob periculum effusionis S. Sanguinis: quo secluso, si nimirum mare vel flumen omnino tranquillum sit, sine ullo tempestatis indicio, & adsit aliquis Sacerdos vel Diaconus, qui post consecrationem Calicem firmiter teneat, non esse illicitum docent multi Doctores apud *citatos.* Idque navigantibus in Indias, utique pro majori securitate Lusitanis concessum est à Clemente VIII. & Paulo V. Idémque sentiendum in itinere longo terresti per loca deserta, aut infidelium. Suarez *disp. 82.* Layman *c. 5.* alij communiter.

438 II. Dispensatio vel permissio Episcopi, ob justam causam. Jure communi quidem *c. Missarum. de Consecr. d. 1.* Episcopi amplam habent facultatem permittendi Sacra fieri in quolibet loco honesto, quamvis non deputato ad solos usus sacros: modò *Concil. Trident. cit.* non quidem auferente totaliter, sed multùm restringente illam facultatem, non possunt permittere in privatis domibus sæcularibus pro personis à se diversis ac extraneis, nisi ex rationabili causa tantùm: quâ subsistente, (uti est longa infirmitas cum impotentia adeundi sacra loca) adhuc possunt permittere, ut in quocunque loco honesto super Altare portatile Missæ celebrentur: ut praxis obtinuit, & docent *Navarrus, Vasquez, Tannerus, Barbosa,* alij cum Layman *tract. 5. c. 3. n. 4.* Tambur. *l. 1. c. 4. §. 2.* Diana *p. 9. tract. 1. resol. 43.* sed hæc ipsi viderint.

439 III. Privilegium. Quale Fratribus Minoribus & Prædicatoribus concessit Honorius III. c. In his de Privilegijs: his verbis: *Fratres Prædicatores & Minores, ubicunque fuerint, sine Parochialis Juris præjudicio, cum Altari valeant viatico celebrare.* Sixtus IV. *ut in quocunque loco congruo & honesto super Altare portatile celebrare liberè & licitè possint,* Et Alexander VI. *ut possint celebrare in cameris sæcularium, vel in plateis.* Verùm hæc Privilegia fuisse revocata, contendunt multi Doctores: Navarrus, Suarez, Henriquez, alij. Et videtur significare Gregorius XIII. qui post Concilium Tridentinum PP. Societatis novum privilegium concedens in bre-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Brevi sic loquitur: *Usum Altaris Viatici à ferec. Paulo P. III. Societati vestræ concessum, & deinde à Concilio Tridentino universe sublatum, vobis eatenùs restituimus, ut inter missiones in quovis loco decenti &c. Missas dicere &c.* (quo quidem privilegio in ijs terminis, & nos per communicationem gaudemus, & utimur) ubi Pontifex expressè dicit illud Privilegium Pauli III. *univerſe*, & consequenter aliorum Pontificum suprà nominatorum esse sublata per Concilium Tridentinum. Tamburinus *cit.* negat consequentiam, quia Privilegium Honorij continetur in corpore juris, non item illud Pauli Tertij. Itaque

440 IV. Privilegium prædictum non esse sublatum per Tridentinum, sed adhuc in suo robore esse probabilissimè docent Rodriquez, Salas, Dicastillus, alij. & probibile censent Diana & Lugo, ac probabilius Tamburinus *cit. l. 1. c. 4. §. 3. n. 10.* Inspiciamus textum Concilij in Decreto supradicto: *Non patiantur* (Episcopi) *in privatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eidem Ordinariis designanda & visitanda, sanctum hoc Sacrificium a sæcularibus vel Regularibus quibuscunque peragi, non obstantibus privilegiis vel exemptionibus quibuscunq;.* Audis? hoc textu directè non revocari nostra privilegia, sed solùm Episcopos juberi, ut prohibeant nos ijs uti. Unde non prohibente nec contradicente Episcopo, adhuc poterimus ijs uti, ut rectè concludit Rodriquez noster *tom. 1. QQ Reg. p. 43. a. 5. fine.* quem lege. Sermo semper fuit de locis prophanis ac sæcularium domibus. Nam Religiosorum Privilegijs respectu suarum domorum nihil derogavit Concilium Tridentinum, adeóque hi possunt Missas legere in suis Cellis quando sunt ægri, aut in suis grangiis seu villis ac suburbanis ædibus: nam talia loca non censentur prophana seu domus privatæ, de quibus loquitur Concilium, sed sunt domus Communitatis Religiosæ. Ita cum Rodriquez *cit.* Lezana *tom. 3. Summæ. v. Altare.* Diana *p. 9. tract. 1. resol. 34.* alii apud ipsos.

§ II.

In Ecclesia non polluta, execrata, interdicta.

441 I. Ecclesia polluta dicitur, quando in ea fit aliquid criminosum, vel injuriosum ob maximam indecentiam Sanctitatis loci. Utpote: 1. Quando in ea fit homicidium voluntarium & injuriosum: saltem ipsi immunitati loci, ut si etiam fieret ex justitia publica: itémque injuriosâ ac notabili effusione sanguinis. 2. Voluntariâ emissione seminis humani, cum, vel sine coitu, aliquo modo notoria. 3. Si in ea excommunicatus non toleratus, scilicet nominatim denuntiatus, vel notorius percussor Clerici, sepeliatur, ante, vel saltem post mortem ad hunc finem non absolutus. 4. Si in ea Paganus, vel Infidelis sepeliatur. Jura, si desideres, citata reperies apud Layman, aliósque citatos passim.

II. Execrata Ecclesia dicitur, quando aliâ 442
causâ amittit consecrationem seu benedictionem, ita ut de novo consecrari seu benedici debeat. Execratur autem Ecclesia tunc solùm, quando totâ vel majori parte destruitur, ut integra, vel quasi integra reædificari debeat. Ut si unus paries cum crusta corruat: secùs si tectum solùm, vel tholus, vel aliàs una pars post aliam successivè destruatur, & reædificetur. Unde pollutâ Ecclesiâ, polluuntur simul omnia Altaria fixa in ea: at non execratâ Ecclesiâ, execrantur etiam Altaria aliàs integra & salva. Qualiter autem Altaria & vasa sacra execrentur seu consecrationem amittant, per occasionem dicetur suis locis. Interdicta tandem Ecclesia dicitur, quando Pontifex in ea ob causam prohibet celebrari divina, de quo in materia de Censuris.

III. In Ecclesia ergo ita polluta vel exe- 443
crata, antequam reconcilietur, non licet celebrare Missam, nisi ex gravi causa: *Omnes.* Ratio patet ex terminis. Quia pollutio Ecclesiæ & execratio, in re nihil aliud est, quàm prohibitio, & velut irregularitas, vel censura jure Ecclesiastico introducta, ut ne sacra, & alia divina officia in ejusmodi Ecclesia, vel loco fiant, ob specialem indecentiam Divinorum: quæ prohibitio in re tam gravi reverentiam tanti ministerij concernente, utique obligat graviter, nimirum sub mortali: Ex communi Layman *l. 5. tract. c. 5. n. 7.*

Dixi tamen: *Nisi ex gravi causa.* Nam in casu justæ necessitatis, ut si populus diu deberet manere absque auditione Sacri & divinorum, aut viaticum moribundo ministrandum, omnino licebit in tali Ecclesia polluta vel execrata celebrare, de licentia tamen Episcopi, si adiri Is commodè possit: alioquin etiam sine licentia. DD. citt.

IV. Qualiter Ecclesia polluta reconcilianda 444
sit, vide Rituale ac Pontificale Romanum. Dico compendio. Si Ecclesia consecrata fuit, reconsecratio fieri debet à solo Episcopo, vel Privilegium habente, uti habent Prælati Regulares in suis Ecclesiis: obtentâ tamen aquâ Gregorianâ ab Episcopo solo benedicendâ cum vino & cinere. Si non consecrata, sed tantùm benedicta fuit, reconciliatio de licentia Episcopi, si adiri possit, aliàs sine licentia, potest à quocunque simplici Sacerdote fieri cum communi aqua benedicta, & forma præscripta in Rituali. Addit cum multis Diana *p. 1. tract. 14 resol. 69.* si simplex Sacerdos etiam, bonâ; (imò secundùm Sa & Tamburinum) etiam malâ fide in tali Ecclesia polluta celebraverit, sufficienter censebitur consecrata, cùm Missæ celebratio sit sacratior omni aliâ sacratione vel consecratione. Verùm cum aliis longè probabiliùs repugnat Layman. *cit. c. 5. n. 13.* Et nos suprà &c.

SE-

SECTIO VI.

Tempus Missæ.

Summarium.

445 *Quâvis hora post auroram, & ante meridiem celebrare licet.*
446 *Quanto tempore ante auroram vel ortum solis universim liceat?*
447 *An & quale peccatum sine justa causa celebrare notabiliter ante auroram, vel post meridiem?*
448 *Causa sic notabiliter anticipandi, &*
449 *Differendi Missam post meridiem.*
450 *Quotidie licitum est celebrare per se loquendo,*
451 *Excepto die Parasceve.*
452 *Quid faciendum Parocho, qui feriâ quintâ Cœna omisit consecrare Hostiam majorem pro officio dici sequentis, nec etiam minores Hostias habet?*
453 *Tam die Iovis in Cœna Domini,*
454 *Quàm Sabbatho sancto fas est cuilibet Sacerdoti celebrare privatim.*
455 *Regulariter non nisi semel celebrare licet in die.*
456 *Quibus casibus liceat sæpiùs? Usque ad n. 460.*
460 *Vi Ordinis nullus Sacerdos tenetur quotidie celebrare,*
461 *Tamen aliquoties in anno.*
462 *Et quidem Parochus seu curam habens, toties, quoties Parochiani tenentur Missam audire.*
463 *Beneficiati toties, quoties in Fundatione exprimitur.*
464 *An Parochus pro Missa die Dominico vel Festo celebranda possit sumere stipendium?*

§. I.

Quâ horâ celebrandum licitè?

445 Quâcunque horâ post auroram, & ante meridiem posse Missas privatas dici, clarè dicunt Missalis Rubricæ §. 15. ita nimirum, ut Missa saltem in initio auroræ finiatur, & ante meridiem seu duodecimam auditam saltem inchoata sit; ut habet communis sensus Doctorum, & constat ex praxi & consuetudine recepta Ecclesiæ. Per auroram autem omnium sensu intelligitur primum diei crepusculum, seu articulus ille temporis, quò primum apparet in Cælo vestigium adventantis diei: inchoat autem aurora ante solis ortum, secundùm Reginaldum quadrante horæ: secundùm Henriquez mediâ horâ, secundùm Azorium, horâ quadrante: secundùm Suarez mox citandum, & alios communiùs & probabiliùs, sesqui hora. Quâ sententiâ suppositâ, pono breves resolutiones.

446 I. Universim licet Missam inchoare duabus horis ante ortum Solis: sic enim adhuc ad initium auroræ finietur. Ita Rodriquez noster, alii cum Suarez *disp. 80. sect. 6.* Tamburinus *cit. l. 1. c. 6.* Ulteriùs, cùm Religiosi habeant privilegium celebrandi unâ horâ ante diem sive auroram, his licitum erit tribus horis ante ortum Solis Missam inchoare, ut cum aliis rectè infert Suarez *loc. cit.* etsi Laymannus tantùm concedat duas horas cum dimidia. Contrà Diana *p. 2. tract. 14. resol. 34. seq.* more suo concedit posse inchoare duabus horis post mediam noctem. Tandem universaliter rectè observat Dicastillus apud Gobat Casu 7. n. 198. auroram hic esse accipiendam non mathematicè, quotusquisque enim hanc semper attinget? sed moraliter cum majori latitudine ex usu communi: ideóque Germanis, aliisque Septentrionalibus nullum esse movendum scrupulum peccati, licèt in hyeme multò ante auroram sacrificent. Nec omnino ineptè quidam Recentiores, (ut audivi, nondum legi) existimant auroram & ortum Solis non debere attendi secundùm differentias temporum anni, sanè inæqualissimas; sed secundùm quandam mediocritatem, qualis est circa æquinoctium: & sic etiam in suprema hyeme licitè celebrari manè post horam quartam, quia post illam horam in æquinoctio brevi incipit crepusculum: etsi tunc temporis hyberni vix post sextam incipiat. Non omnino displicet mihi. Vide, an etiam tibi.

II. Peccat itaque, qui absque justa causa ce- 447
lebrat, aut longiùs ante auroram (de quo satis dictum, rarúmque peccatum) aut tardiùs post meridiem, notabili tamen spatio interlapso: Azorius tertiam horæ partem, Layman mediam horam, Bonacina tres quadrantes, Sylvester horam requirit, ut quis peccet. At quàm graviter? Mortaliter: affirmant Azorius *tom. 1. l. 10. c. 25.* Fagundez, Gavantus, alii. Certè tamen nec S. Thomas *q. 82. a. 2.* nec Suarez, Tannerus, Layman, Coninck, meminerunt mortalis delicti. Et conscientiæ rigidæ Canonista & Casista Navarrus *Man. c. 25. n. 85.* testatur, se frequenter, præsertim diebus festis ad satisfaciendum præcepto, sacrificâsse usque ad horam nonam, quæ est nostra tertia: idque esse per se licitum, cùm nusquam prohibeatur. Suarez quidem *cit. sect. 4.* negat hanc sententiam esse tutam; quippe contrariam consuetudini: approbat autem & bene ostendit istam consuetudinem contrariam non esse obligatoriam, cum multis Dicastillus, eúmque citans Gobat *ibidem n. 202.* intellige autem per se, secluso scandalo. Et quidquid sit de hoc: insuper dictum est: *absque justa causa.* Nam communiter

III. Anticipare Missam ante tempus præ- 448
finitum licet in sequentibus casibus. 1. In casu necessitatis, ut morituro detur viaticum. Quo casu licere Sacrificium inchoare etiam statim post mediam noctem, contra Henriquez meritò docent Layman *l. 5. tract. 5. c. 4* Diana *cit. tract. 14. resol. 33.* Dicastillus cum Gobat *n. 200. 2.* Ubi est consuetudo rationabilis, ut opifices & famuli summo manè possint audire Sacrum. Navarrus suprà, Layman *cit. n. 3.* alii. 3. Ex privilegio, quo Episcopi & Regulares possunt celebrare unâ horâ ante auroram, adeóque tribus circiter horis ante ortum Solis, ut jam *n. præced. 2. dictum. 4.* Ex

spe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

speciali dispositione Ecclesiæ, in nocte Nativitatis, in qua non tantùm primam Missam pro media nocte designatam, sed omnes tres Missas dici posse ante auroram, contra *Sylvestrum*, *Fernandez* & alios, rectiùs docent communiter alii *Suarez*, *Coninck*, *Layman*, *Diana cit.* & videmus id fieri etiam à doctis, piis, & timoratis Sacerdotibus. Convenientissimum tamen fore, dicere alias Missas singulas tempore præfinito in Missali, nulli dubium est.

449 IV. Differre Missam post meridiem primùm inchoando Sacrum, etiam certò licet in his casibus. 1. In eodem casu necessitatis, suprà: ne scilicet infirmus sine viatico moriatur, saltem licebit uno vel altero quadrante post meridiem inchoare Sacrum. Communis apud citatos. 2. Ob supplicationem vel processionem publicam post meridiem protractam, præsertim si adsint die festo, qui non audierunt Sacrum. 3. Similiter ob funus Principis tamdiu protractum. 4. Si Sacerdos propter iter tamdiu impeditus fuit, etiam integrâ horâ post meridiem celebrare poterit, saltem die festo vel dominico: cum aliis Layman *cit. c.* 4. *n.* 4. Denique post Navarrum & alios, Diana *cit. p.* 2. *tract.* 24. *resol.* 34. resolvit Religiosos ex suis privilegiis posse celebrare usque ad tres horas post meridiem: post tertiam verò minimè: quod fortè intelligendum est ex rationabili causa aliqua: alioquin tutissimum servare Rubricas, & consuetudinem locorum.

§. II.

Quibus diebus licet celebrare?

450 QUotidie licitum, imò consultum & sanctum est celebrare, per se loquendo, & seclusâ prohibitione Ecclesiæ. Sic Theologi ac Patres unanimiter. Et confirmat exemplum primitivæ Ecclesiæ. Hinc S. Andreas Idolis immolare jussus Tyranno respondit: *Ego quotidie immolo DEO Agnum immaculatum in Altari.* Ratio clara est: quia sacrificare per se bonum est. Et meritò dixi: *per se loquendo.* Per accidens enim sæpe prohiberis celebrare: Ut si non sis dispositus, utpote existens in mortali sine copia Confessarij, nec urgeat alia necessitas celebrandi; si censurâ vel irregularitate impeditus; si aliquid requisitum desit: juxta prædicta superiùs. Dixi item: *seclusâ prohibitione Ecclesiæ*, ut in interdicto, & specialiter tribus postremis diebus hebdomadæ sanctæ: de quibus breviter aliqua specialia.

451 I. Feriâ sextâ in Parasceve penitùs interdicitur Sacrificium incruentum, eò quòd eodem die peractum sit, & ab Ecclesia recolatur Sacrificium cruentum in Cruce. *c. Sabbatho. de consecrat. d.* 3. ac proinde licèt eo die celebretur aliquod festum fori, v. g. Annuntiationis B. V. M. non tamen tenentur fideles interesse officio illius diei, quippe quod non est propriè Missa: ut ex communi DD. & declaratione Cardinalium rectè docet Diana *p.* 2. *tract.* 14. *resol.* 62. Non tamen prohibemur eo die Eucharistiam sumere, & alios ministrare, cùm de hoc nulla extet prohibitio. Quòd autem Congregatio Cardinalium declarârit, non licere ministrare, nisi infirmis, ut idem Diana & Gavantus referunt, nostras partes obligatoriè nondum attigit. Quin aliqui Recentiores censent eo die posse sacrificare ad providendum moribundum, si alia Hostia desit: Et si festum Annuntiationis incidit in eum diem, posse Episcopum dare licentiam sacrificandi, ut satisfiat præcepto audiendi Sacrum, censent *Azorius*, *Suarez*, *Reginaldus*, *Molfesius*, alii apud Barbosam *de potest. Episcopor. c.* 2. *n.* 49. Quod licèt probabile sit, non tamen scitur unquam practicatum, ne Romæ quidem, ut videre est apud Gobat *cit. casu* 7. *n.* 213. At hic aliud dubium valde delicatum.

II. Parochus quidam in celebri oppido fe- 452
riâ quintâ Cænæ omisit consecrare secundam Hostiam majorem pro Officio sequentis diei Parasceves: neque sine gravi scandalo & obmurmuratione potest Officium illud intermittere: quid agendum? R. Loco majoris sumat parvam Hostiam consecratam pro communicaturis: (prout etiam fieri deberet in defectu majoris Hostiæ pro Sepulchro, ubi talis poni solet) ex duobus malis eligendo minus malum admirationis vel obmurmurationis alicujus. At ne quidem parva particula consecrata superest. Infandam incuriam meritò gravissimè plectendam! Aut ergo Parochus ille Sacellanum habet, vel alium Sacerdotem habere potest, hunc faciat manè privatim celebrare Missam de Passione, vel Cruce, & simul consecrare Hostiam pro Officio, die publicè celebrando. Si solus sit in pago, ipse similiter priùs privatim celebret, non sumptâ ablutione, & post publicè peragat Officium diei: acturus quidem contra duplex præceptum Ecclesiæ, unum de non communicando bis; alterum de non celebrando illo die: sed utrumque positivum Ecclesiæ tantùm cedere debebit legi naturali de non dando scandalum proximo, præsertim integræ communitati. Ita de hoc singulari casu, certè tamen non Ficto, sed meo etiam tempore, non ita pridem facto, solus, quem sciam solers P. Gobat *cit. casu* 7. *n.* 217. 218.

III. Die Jovis sacro, seu in Cœna Domi- 453
ni, etsi pulcherrima sit consuetudo, ut unus tantùm Superior celebret, reliqui omnes more Laicorum communicent ad imitationem Christi & Apostolorum, simpliciter tamen fas est, cuilibet Sacerdoti celebrare saltem privatim: imò & publicè ex rationabili causa, ut ob devotionem populi Sacrum petentis, & summo interesse non potentis. Ita communis DD. maximè Germanorum. Tannerus *disp.* 5. *q.* 10. *n.* 8. Layman *l.* 5. *tract.* 5. *c.* 4. *n.* 9. Dicastillus *hic tract.* 5. *disp.* 4. *n.* 28. testans de sua 15. in Germania annorum praxi: Busenbaum *l.* 6. *tract.* 3. *dub.* 3. addens tamen eo die licere privatim celebrare, at non post Missam solemnem amplius: rationabiliter. Ratio sufficiens est: quia id nulla universalis lex vel consuetudo prohibet. De particulari rectè sic loquitur Layman: Si quo tamen loco in aliquo Sacerdotum Conventu quasi sub præcepti obligatione vigeat consuetudo communicandi more laico, non oportet sine Prælati licentia celebrare.

454 IV. Eadémque est ratio Sabbathi sancti. Ita citati Germani omnes: ac multos referens Barbosa *de officio & potestate Parochi p.* 1. *c.* 11. *n.* 50. Lugo *disp.* 20. *de Eucharistia n.* 19. Tamb. *l.* 1. *Sacrif. c.* 6. censent practicè tutum eo die facere privatum Sarum (imò & publicè, si eo die incidat festum fori, ut vidimus fieri anno 1666. eo die incidente festo S. Georgii) ratio eadem, quæ suprà. Nam consuetudo, quòd eo die in una Ecclesia non fiat, nisi unicum Sacrum Solenne, ex nullo canone obligat. Mimis enim diu exolevit ille Canon. *c. Sabbato. de consecrat. d.* 3. quòd illo biduo proximo ante Pascha penitùs non celebrentur Sacramenta: cùm ubique terrarum eo Sabbatho celebretur saltem unum Sacrum. ¶ At quale Sacrum fiet istis duobus diebus? In cœna Domini fiet utique de feria. In Sabbatho sancto fiet itidem Sacrum diei præmissâ confessione, incipiendo à Kyrie eleison cum Magnificat juxta præscriptum Missalis. *Dicastillus*, *Gavantus*, *Tamburinus*, Lugo *citati.* Diana *p.* 11. *tract.* 8. *resol* 66. alii alias Missas vel de festo occurrente, vel votivas permittunt: Gobat vellet etiam utrovis die facere privatim Missam de Requiem pro alio pridie defuncto, & se sic fecisse testatur pro defuncta Abbatissa aliqua, quem vide *cit. casu* 7. *a n.* 144.

§. III.

Quoties in die celebrandum.

455 REgulariter non licet nisi semel sub gravi peccato. Ita enim ad hanc ipsam quæstionem respondit Innocentius III. *c. consuluisti de celebratione Missarum.* Hanc prohibitionem [nam certum est antea licuisse sæpius pro libitu] primò factam fuisse ab Alexandro P. II. [qui obiit anno 173. existimat Baronius *tom.* 10. *ad annum Christi* 940. probátque *ex c. sufficit. de consecr. d.* 1. Ejusdémque prohibitionis causam duplicem indicat ibidem Alexander. 1. Quia Christus tantùm semel est passus, *ut igitur ostendamus ejus passionem unicam, esse sufficientem pro redimendo mundo, tantùm semel in die sacrificamus.* Altera, ut tanto majori cum reverentia & præparatione Missam dicamus; *cùm valde sit felix, qui unam digne celebrare potest:* ait ibidem Pontifex. Tamque rigidè recepta est ista prohibitio, ut omnes Theologi & Canonistæ uno ore damnent peccati mortalis istum, qui absque legitima causa bis in die sacrificat. Dixi autem regulariter. Excipiuntur enim casus nonnulli, in quibus vel certò vel probabiliter permissum est bis litare.

Primus casus est in die Natali Domini, quò 456
in honorem triplicis Nativitatis Domini, æternæ, temporalis, & spiritualis concessum est ter Missarum solemnia celebrare *cit. cap. sufficit.* Quanquam nullus ad id teneatur, sed unum sufficiat (sicut & nemo tenetur eo die, nisi uni Sacro interesse juxta communem DD.) idque etiamsi Sacellanus, vel Parochus sis, ut docet Barbosa *De Officio Parochi c.* 11. *n.* 8. Verùm Gobat *casu* 6. *n.* 186. rectè monet Parochum observare debere morem suo loco receptum. At, quid si Parochus habeat duas Parochias ob necessitatem à se solo providendas, poterítne in utraque facere tria, & sic eodem die 6. Sacra? Respondet post alios Gobat *ibidem* 188. Si Parochus alias singulis Dominicis & Festis consuevit in utraque Parochia celebrare semel, posse in Natali Domini bis, imò & ter: cùm enim duorum Parochorum onera sustineat, videtur etiam sentire debere commodum & favorem duorum, tum pro se, tum pro suis Parochianis, juxta notas utriusque juris regulas. Verum ego censeo standum judicio & dispositioni Ordinariorum: illud autem clarum est. Si festum Natalis Domini in utraque Parochia non eodem die, sed juxta diversa Calendaria decimo diverso die celebretur, posse in utraque ter celebrari: sicut si ego Augustâ post cultum jam tribus Sacris Natalem Domini, mitterer Sefflingam prope Ulmam, ibi 4. Januarij liquidò possum rursus facere id ipsum. vide Dianam *cit. p.* 11. *tract.* 5. *resol.* 33. Gobat *casu* 6.

Secundus ergo casus est: quando Parochus 457
debet prospicere pluribus Parochiis, nec potest commodè habere Cooperatorem, tunc enim licitè, bis, térve Missam dicet, vel cantabit. certum apud omnes. Suarez *disp.* 80. *sect.* 3. Lugo *Resp. moral. lib.* 1. *dub.* 12. Diana *p.* 11. *tr.* 5. *resol.* 33. Nam casus necessitatis excipitur ipso *cit. cap. consuluisti.* Quid si autem die prophano devotio populi exigat duo vel tria Sacra in diversa, vel etiam eadem Parochia tua? (ut si superveniat post Sacrum tuum inexpectata processio cupientium habere Sacrum) Suarez & Lugo modo citati, pluribus allegatis concedunt, nisi consuetudo obstet, posse bis, térve fieri. Et utique si tempore pestis existat unicus in urbe Sacerdos, poterit pro solatio multorum petentium litare de die bis

Universidad de Deusto
Biblioteca

in diversis Ecclesiis : *interrogandus tamen Episcopus, si possit.* ait Gobat *num.* 189. *fine.*

458 *Tertius* casus est : quando moribundo præbendum est viaticum, nec habetur Hostia consecrata. Communissima. Et quidem tunc licere secundò celebrare etiam non amplius jejunio Sacerdoti (sumptâ scilicet in priori Sacro ablutione) sufficienti authoritate, etiam Tamburini *l. 4. Sacrif. c. 6. §. 8.* probat Gobat *Alphab. communicantium casu* 19. In praxi, si Sacerdos in primo Sacro moneatur ante sumptionem suæ Hostiæ, frangit particulam ex illa reservanda pro ægroto : sin primùm post sumptam Hostiam, sumat & sanguinem, omissâ purificatione, peragat reliqua sicut in die Nativitatis, móxque inchoabit novum Sacrum. Sed fortè, dum facio alterum Sacrum, morietur ægrotus : ergo omitte, & accurre cum sacro oleo, acabsolve, si capax est. Neutiquam autem licet uti compendio simplicium Sacerdotum, ut vocat Layman *cit.* qui eo casu, ante vel post sumptionem Sanguinis consecrant unam solam particulam. Ecclesia enim secuta institutionem Christi nunquam permittit unam tantùm speciem consecrare, nisi quandóque in ordine ad perficiendum Sacrificium jam substantialiter inchoatum, atque etiam eo casu licere consecrare unam tantùm speciem, docent Theologi ferè omnes contra Alensem, Majorem, Adrianum, teste Chappeaville. *De Sacram. minist. tempore pestis c. 4. q. 20.*

459 Quartus casus : quando jam dictâ Missâ supervenit persona notabilis v. g. Episcopus, quem decet quotidiè audire Sacrum, ait Navarrus *c. 25. n.* 87. post Sylvestrum *v. Missa q.* 7. Aut quando repentè post dictam Missam corpus defuncti occurrit sepeliendum, & consuetudo habet, ut non sepeliatur sine Sacro : Iidem *ibidem* plures adferunt casus, quos non exscribo. Quia in omnibus ejusmodi casibus attendenda est consuetudo locorum, & ordinatio Episcoporum. Vide Layman, & alios citatos.

§. IV.

Quando vel quoties tenetur Sacerdos celebrare?

460 CErtum est vi Ordinis, seclusâ aliâ obligatione nullum Sacerdotem teneri celebrare quotidiè : cùm nullum alibi extet ejusmodi præceptum. Contrà verò etiam certùm videtur, omnem Sacerdotem debere saltem aliquando celebrare, nisi justo impedimento excusetur. Deducitur ex verbis Christi : *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis *Apostolis, eorúmque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit,* ut declarat Concilium Tridentinum *sess. 22. c. 1.* Quando autem & quibus temporibus teneatur Sacerdos celebrare, idem Concilium *sess. 23. c. 14. de reformatione* sic statuit. *Curet Episcopus, ut (Sacerdotes) saltem diebus Dominicis & festis solennibus, si autem curam animarum habeant, tam frequenter, ut muneri suo satisfaciant, Missas celebrent.* Hæc Concil. & hinc breviter resolvendum.

I. Sacerdos quilibet tenetur saltem aliquo- 461
ties in anno, ter vel quater minimùm, Festis solemnioribus Paschæ, Pentecostes &c. Missam celebrare, adeò, ut si seclusо legitimo impedimento, toto anno celebrare omittat, mortaliter peccet. Ita communior, & sine dubio probabilior sententia Doctorum : *Sotus, Sylvester, Reginaldus, Suarez, Coninck, Layman, Marchant,* alii passim, (contra *Anglez, Bonacinam, Dianam, Lugo,* & alios cum Tamburino *de Sacrif. l. 1. c. 6.* à mortali excusantes (seclusо contemptu & scandalo) dummodò in Paschate communicet. Nostra Sententia conformis est judicio plerorumque Doctorum, proborum omnium, imò & plebejorum, qui malè sentire solent de Sacerdotibus tam pretioso talento rarissimè utentibus ; ipsique juri : nam *c. Dolentes de celebr. Missarum.* Innocentius III. P. conqueritur dolens, & graviter repræhendit Sacerdotes, qui vix quater in anno celebrant, ideóque suspensione à decimis, & aliis bonis plectendos decernit. Et manifestè colligitur ex ipso Concilio Tridentino proximè allegato. Ubi Episcopis imponens curam, ut Curent Dominicis & Festis solennibus Sacerdotes celebrare Missam, omninò patenter præsupponit de se debere saltem aliquoties in anno celebrare : & quando convenientiùs, nisi in Festis illis principalibus ? Quamvis specificatio illa quoad Dominicas, & Festa quæque solennia, videri possit solùm esse admonitionis, & ad meliùs esse. Quare, si Episcopi de hoc nihil præcipiant, nihil peccabit Sacerdos, si die Dominico, vel Festo aliquo Sacrum celebrare, etiam sine causa omittat, dummodò debitè audiat. At, quid si Sacrum non audire possit ob defectum alterius Sacerdotis ? quidquid aliqui adhuc excusare conentur, mihi certum est, te tunc per accidens debere legere Sacrum, siquidem præceptum de audiendo Sacro, non utique intelligitur de Sacro alieno duntaxat, sed aut de alieno, aut proprio in defectu alieni, juxta communem Doctorum sententiam in tertio præcepto Decalogi. Et pluribus ostendit Gobat. *Alphab. audientium Sacrum casu* 5.

II. Parochi, seu curam animarum habentes 462
tenentur toties celebrare, quoties Parochiani tenentur Missam audire ex communi præcepto Ecclesiæ, si non sit alius eorum muneri satisfaciens. *Omnes.* Ratio clara est. Hæc enim sunt correlativa : Si populus tenetur audire Sacrum, aliquis tenebitur celebrare : & quis alius, nisi Parochus, vel alius ejus loco substitutus ? Econtrà ergo correlativè ? quibus diebus populus non tenetur audire Sacrum, Parochus non tenebitur facere, seclusо pacto, fundatione, statuto, consuetudine speciali. At, tenebiturne Parochus etiam fructum Sacrificii sui, suis ovibus applicare, quoties tenebitur eis celebrare Missam ? Responsio communis est negativa cum Layman *l. 5. tract. 5. c. 5. n. 6.* Suarez *citatâ sect.* 1. esset enim hoc nimis grave onus. Certum tamen videtur, teneri eos pro populo suo offerre saltem aliquoties. Nam concilium Tridentinum *sess 23. c. 1. de reformatione*, inter cætera, quæ præcepto divino mandata esse omnibus curam animarum gerentibus asserit, secundo loco nominat oblationem Sacrificii pro ovibus : in quod caput *n.* 4. Barbosa cum aliis constanter tradit, teneri Parochum Missæ Sacrificium applicare suis ovibus arbitrio boni viri, attentâ nimirùm copiâ vel inopiâ redituum, magnâ vel modicâ necessitate Parochianorum. Consultissimum sine dubio est fieri in festis majoribus saltem semel in mense.

463 III. Beneficiati, Sacelliani, & alii Missarum onera habentes, utique tenentur celebrare toties, quoties in fundatione vel conventione exprimitur. Qui tamen tenetur celebrare quotidiè ad intentionem, v. g. pro fundatore posse eum quater vel sexies in anno celebrare pro seipso, aut in die animarum pro particulari defuncto : & similiter, qui tenetur quotidiè celebrare, posse quâvis septimanâ unâ Missâ abstinere, devotionis, reverentiæ, seu honestatis causâ, idque ex rationabiliter præsumpta intentione fundatoris, concedit communis DD. quos refert, & sequitur Diana *p. 5. tract. 6. resol.* 15. Tamburinus *l. 3. Sacrif. c. 3.* quos vide. Quod tamen intelligendum, quando onus celebrandi immediatè incumbit ipsi personæ Beneficiati vel Capellani. Secùs esset, si onus incumbat ipsi communitati, Ecclesiæ, Collegio, Monasterio, curandi quotidiè celebrari Missam pro fundatore v. g. Sic enim nullo die omitti poterit.

464 IV. Parochus, beneficiatus, vel alius obligatus quidem hâc die celebrare ex redditu vel talario annuo, at non obligatus offerre fructum Sacrificii ad certam intentionem, (v. g Parochus die Dominico) poteritne pro illa applicatione accipere stipendium manuale à petentibus Missam offerri pro se ? (hoc enim suprà de applicatione fructûs Sacrificii, intactum mansit) Ita affirmant Suarez, Vasquez, aliis citatis Lugo *disp. 21. n. 20.* & Marchinus apud Dianam *p. 8. tract. 6. resol.* 13. Id enim meritò computandum esse inter ejus accidentia ad ejus commodiorem sustentationem. Contrà tamen sentiunt non malè Diana ipse. *l. c.* & Gavantus, allegantes contrariam declarationem Cardinalium ab Urbano VIII. approbatam, etiam sæpius allegatam, hoc tenore : *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij seu Capellaniæ, legati seu salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eâdem missâ utrique obligationi satisfacere.* Respondent rectè Lugo & Marchinus *cit.* esse illic sermonem de illo solo, qui tenetur illis diebus, etiam pro aliquo, ad certam intentionem sacrificare : nam talis nequit ab aliis accipere stipendium seu eleemosynam novam : sed quidquid dicant hi DD. eadem Congregatio etiam contrarium dedit responsum Episcopo Tragurienſi apud Gobat cit. 10. 551. quod tamen testatur non esse ubique receptum : ideóque, quamvis in negativam propendeam, adhuc tamen nolo damnare ita practicantes.

§. Venerabilis Beda apud Gabrielem Bel *in Canone Missæ lect.* 87. Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantùm in se est, privat sanctissimam Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ : peccatores veniâ : justos subsidio & gratiâ : in purgatorio existentes requie : Ecclesiam spirituali Christi beneficio : & seipsum medicinâ & remedio. Hâc gemmâ obsigno Sectionem istam.

SECTIO VII.

Jejunium naturale, &c.

SUMMARIUM.

465. *Celebrans debet esse jejunus jejunio naturali.*
466. *Jejunium naturale quid, seu in quo consistat?*
467. *Hoc jejunium non violat. I. Qui deglutit aliquid, quod nec cibus, nec potus sit.*
468. *II. Aut quid per modum salivæ.*
469. *III. Vel reliquias minutas pridianæ cænæ dentibus implicitas.*
470. *IV. Aut etiam sanguinem vel humorem ex capite defluentem &c.*
471. *Hoc jejunium naturale incipit à media nocte seu à primo ictu ad duodecimam. Unde*
472. *Audito primo ictu probabilius teneris statim deponere cibum.*
473. *Et potum seu craterem ori admotum.*
474. *In dubio, an aliquid post duodecimam sumpseris, peteris præsumere, quod non*
476. *Ab hoc jejunio naturali excusat. I. Necessitas integri sacrificii Cujus varii.*
477. *II. Necessitas reverentiæ ipsius Sacramenti. (Ubi quid agendum cum reliquiis post ablutionem vel Missam in patena vel corporali inventis?)*
478. *III. Necessitas sumendi viatici. &*
479. *IV. Necessitas vitandi scandalum publicum. Ubi*
480. *Quid faciendum illis pluribus Parochis ad Dedicationem convenientibus, nullo amplius jejunio pro summo Sacro? &*
481. *Quid faciendum non amplius jejuno Neomystæ sunt Primitias celebraturo?*

Universidad de Deusto
Biblioteca

465 SAcerdos celebrans, sicut & quilibet communicans *debet esse jejunus jejunio naturali, id est sine omni cibo & potu sumpto à media nocte præcedente etiam in minima quantitate ex præcepto Ecclesiæ sub mortali obligante.* Constat ex varijs Conciliis passim apud DD. allegatis. Et ratio tanti rigoris est: quia hoc jejunium non est institutum ob temperantiæ virtutem, sicut jejunium Ecclesiasticum, sed ob reverentiam tanti Sacramenti meritissimò exigentis, ut cibus iste & potus spiritualis & divinissimus, ante omnem prorsus cibum & potum corporalem in Stomachum trajiciatur. Hinc Concil. Tolet. 7. *can.* 1. dicit: *Nullus post cibum vel potum quemlibet minimum sumptum Missas faciat.* Explico breviter terminos præcepti, & adfero causas excusantes.

§. I.

Jejunus jejunio naturali.

466 IEjunium naturale 1. *Est carentia cibi & potûs susceptí in Stomachum: vel in via ad Stomachum*, ut loquitur Scotus in 4. *d.* 8. *q.* 3. 2. Jejunus ergo jejunio naturali est, qui à media nocte nihil sumpsit per modum cibi ac potûs. Vides differentiam à jejunio Ecclesiastico, quod est una refectio cum abstinentia à carnibus. 3. Sumere aliquid per modum cibi & potûs est *aliquid ore ab extrinseco sumptum, per se, actione vitali, in stomachum demittere edendo vel bibendo.* Ex communi Tannerus *disp.* 5. *q.* 8. *n.* 78. ubi jam vides patenter excludi salivam, & quidquid per modum salivæ sumitur vel in stomachum demittitur. 4. Illud dicitur per modum salivæ sumi vel trajici, *quod cùm sit minimum quid, & a saliva inseparabile*, (esto in illam non sit conversum) *inadvertenter & præter directam intentionem trajicitur.* Suarez, Vasquez, alij apud Dianam *p.* 5. *tract.* 5. *resol.* 12. Et indicant Rubricæ Missalis de defectibus Missæ ibi. *Si abluendo os deglutiatur stilla præter intentionem, non impedit communionem.* Secùs, quidquid etiam minimum sumptum ab extrinseco, atque à saliva distinguibile per modum cibi aut potûs deglutias deditâ operâ, desinis esse jejunus, & excluderis à S. Communione, juxta communissimam DD. cum S. Thoma 3. *p.* *q.* 80. *a.* 8. Scot. *suprà cit.* Idque etiamsi sumas per modum medicinæ, v. g. unicam guttam, vel unicum granum, ut vocant Medici: idque etiam quâcumque optimâ intentione sumatur illud minimum. Lepidum casum refert Cajetanus *in Sum. v. Eucharistia.* de Sacerdote simplici, qui ante Sacrum sumebat nucem muscatam ex devotione pro reverentia Sacramenti, ut bonum odorem conciliaret Hospiti tanto: meritò ipsum damnans peccati mortalis per se loquendo; quia ejus pia intentio non poterat prævalere præcepto & traditioni Apostolicæ. His bene perceptis facilè resolves casus, quibus violatur vel non violatur jejunium naturale requisitum ad sacram Communionem & Sacrificium. Specifico breviter.

§. II.

Non ergò violant jejunium naturale, nec à Communione excludun-tur.

I. QUi deglutiunt aliquid, quod nec cibus 467
nec potus sit: nam talia naturali æstimatione non censentur edi vel bibi. Ut si deglutias ungues abrasos, capillos, lignum, aurum, argentum, plumbum, vitrum, officula fructuum aliquorum &c. Nam nomine cibi & potûs designatur illud solum & omne, quod à stomacho alterari, & in substantiam hominis converti potest. Ita Cardinalis de Lugo *d.* 15. *Evchar. sect.* 1. *Dicastillus, Joannes Sanchez*, alii cum Diana. *p.* 5. *tr.* 13. *resol.* 1. contra *Nugnum & Palaum.* Multò minùs, secundùm omnes, qui respirando attrahit vapores ex cibo vel potu præsente. Qui fumum tabaci per os attrahit, quia non descendit in stomachum, vel solùm descendit per respirationem: nec ullo modo cibus est. Imò nec qui ore tenet, & dentibus terit folium tabaci, quia nullus illius succus descendit in stomachum, sed agit per vim attractivam & consensum linguæ cum palato: uti ex professo resolvit Card. Lugo *l.* 1. *Resp. Moral. dub.* 9. Item qui tempore pestis aliquod aromaticum ore circumfert, nihil deglutiendo ex intentione, nisi fortè minimum quid per modum succi inseparabiliter salivæ sit admixtum. Ex communi Tannerus *cit. n.* 79.

II. Quando os eluisti, jusculum, vinum, vel 468
aliquid aliud prægustâsti, & totum rejecisti, præterquàm purum aquæ, juris, vini, vel alterius liquoris, quod salivæ admixtum degultiisti casu: *omnes cum S. Thoma cit.* Secùs, si vel in magna quantitate, vel in parva quidem, non casu, sed ex proposito: si videlicet istud parum potuisses à saliva distinguere & separare. Castro-Palaus cum Gobat *Alphab. Comm. casu* 17. At, quid si gargarizem, & aquam detineam in ore diutiùs? Certè vix possibile esse censet Jordanus *ibidem* partem aliquam aquæ à faucibus non attrahi: ideóque ut periculosum saltem dissuadendum est.

III. Qui reliquias pridianæ cœnæ, saltem 469
minutas implicitas dentibus casu deglutit. Omnes cum S. Thoma: imò etiam advertens, & deditâ operâ. Suarez *disp.* 68. alij, non dissentiente Tannero *l. cit.* Nam utrovis modo censentur deglutiri per modum salivæ, & non veniunt ab extrinseco, & censetur pertinere ad comestionem præcedentis diei. Secùs dicendum videtur, si [illegible]quiæ illæ essent valde notabiles, & saltem deditâ operâ deglutiantur: licèt duæ posteriores rationes adhuc videantur probare non frangi jejunium. P. Gobat. *n.* 268. Secùs autem liquidò dicendum est de illo, qui vesperi decumbens ante mediam noctem sumeret fructum saccari: glycerizam, vel simile quid aromaticum paulatim in ore liquandum & deglutiendum: talis enim non esset censendus jejunus, si deinceps post mediam noctem aliquam ejus partem (nisi fortè minimam salivæ inseparabiliter mixtam) deglutiret, sicut de sumente reliquias cibi pridiani dictum: quia ille ita sumpsit vesperi saccarum, ut manducatio illa non esset vesperi, vel certè ante mediam noctem absolvenda, sed quasi quædam continua & successiva manducatio etiam in sequentem diem fortè duratura, ideóque sequenti die aliquam partem deglutiens verè adhuc manducaret: ut contra Tabienam & alios nonnullos meritò docent Vasquez, Suarez, Conink, alii apud *cit.* Cùm enim casus iste frequens sit, cederet in magnam fraudem jejunii naturalis.

470 IV. Neque frangit, qui deglutit sanguinem vel humorem ex capite desluentem, aut humorem desluentem ex pustula in ore rupta: cùm hic nihil accipiatur ab extrinseco, & ista censeantur sumi per modum salivæ, uti in facto resolvit P. Gobat *n.* 268. Idem judico de pulvere tabaci naribus attracto, subinde in os per guttur descendente. Quid igitur, si in stomachum meum involet musca? ne quidem franget, si musca factus elephas: quia non descendit per actionem tuam vitalem. At mihi oscitanti, nec advertenti nequam aliquis injecit in os uvam? Ergo si deglutis, haud manes jejunus. Hinc Lugo *cit.* alii ac Diana *p.* 10. *tract.* 16. *resol.* 49. rejiciunt Bossium negantem jejunium naturale frangi, si quis prolapsus in flumen, violenter glutiat, & trajiciat aquam in stomachum, (idémque esset de potu Suedico) aut deglutiat casu vel violenter globulum saccari, aliúdve cibi vel potûs sibi dormienti vel non advertenti in os apertum, aut guttur ab alio immissum &c. cùm in his adhuc interveniat actio vitalis trajiciendi aliquid ab extrinseco sumptum. Secùs videri posset, si seclusâ omni prorsus actione propriâ vitali, aliquid tibi merè violenter, aqua per fistulam v. g. per os & guttur in stomachum trajiceretur, ut advertit Gobat *ibid. n.* 264. Tandem quoad sumptionem per modum salivæ adjungo hic casum recentem.

Casus Singularis & Natalitius.

IN celeberrimo Monasterio, Sacerdos quidam mihi notæ Pietatis & Doctrinæ, in Sacratissima nocte Natalitia Domini Missam celebrans, per inadvertentiam, ad Missam primam ablutionem ori admovit, & modicam quidem, attamen satis supérque sensibilem quantitatem (quinque vel sex circiter guttularum, putabat) ore excepit: quam si mox deglutisset, jejunium naturale absque dubio jugilâsset. At ille statim sui memor, & perturbatus, hæsit quid ageret? Certè expuere non debuit ob reverentiam Sacramenti, cùm os, lingua, palatum, adhuc tremendo nimis Sanguine rubescerent, seu humore specierum consecratarum vini nimis sensibiliter maderent. Consilio is in arena capto guttas illas vini tam diu in ore retinuit, donec ore copiosâ salivâ repleto nihil prorsus amplius de qualitate vini sentire, vel percipere potuerit, & ita tandem salivam deglutit. Confestim manè, consilii causâ, accessit confessarium Theologiæ non imperitum: statim, si non prohiberetur, etiam alterum Sacrum facturus, & postea etiam summam Missam ex officio solemniter decantaturus: allegans pro se ex una parte, quòd licèt guttas illas per modum potûs ore exceperit, reverà tamen per modum salivæ, ei inseparabiliter admixtas sumpserit: ore autem tantùm excipere aliquid sine dubio non sit comedere vel bibere: ex altera autem parte, se revera sine aliquo incommodo, perturbatione Communitatis, ac diminutione suæ existimationis, & authoritatis non posse summum Sacrum omittere, & alteri committere. Confessarius (mihi nimis notus) statim ex stapede respondere coactus in re tam inopinata breviter deliberata, nolens hominem in adeò sanctissimo & gaudiosissimo Festo magis perplexum reddere, eum in sua tam bona & probabili fide relinquendum ratus, ei assensum præbuit, & in reliquis Sacris pergere permisit, licèt ipse valde anceps hæreret, & in oppositum totus propenderet: quemadmodùm necessariò & ego hæreo, & propendeo, eò quòd authores omnes (quos vidi) scribentes de sumptione per modum salivæ, disertè & expressè loquantur tantùm de sumente aliquid salivæ inseparabiliter admixtum casu & præter intentionem: atqui bonus ille Sacerdos non casu & præter intentionem, sed sciens, volens & deliberatâ industriâ sumpsit. Ego defectu authoritatis (cùm hunc casum apud neminem meorum Authorum reperire potuerim) nihil authenticè resolvere possum, nec audeo, doctiorum me judicio submittens.

§. III.

A media nocte: *quomodo Intelligendum?*

PEr mediam noctem, quâ inchoatur jeju- 471
nium, intelligunt Theologi primum ictum horologii designantis duodecimam noctis: nam ab ultimo vel medio ictu usque ad horam primam, non est integra hora, sed à primo ictu. *Lugo, Diana, Gobat*, alii apud ipsos. Debet autem sine dubio illa hora duodecima æstimari ex horologiis utcunque bene directis, non ab enormiter ac præsertim ex industria errantibus. Si enim sequaris nimis festinans, teipsum frau-

Universidad de Deusto
Biblioteca

das: si nimis tardum, in comedendo v. g. à media nocte jejunus non eris. Quando ergo in Civitate sunt plura horologia sæpe inter se non convenientia, sequere, quod malueris, modò non illud, quod scis communiter nimis tarde gradi. Duo autem horologia inter se dissonantia, communiter tamen rectè ambulantia, sunt quasi duo Ductores ferrei, seu instar duarum opinionum probabilium. Communis DD. cum Sanchez *l. 2. Matr. disp. 41.* Aliqua hic dubia explicanda sunt.

472 I. Duodecimâ sonante, auditóque primo ictu, teneor ne ex ore ejicere, quod ingesseram nondùm audito primo ictu? Ita quidem censent *Coninck*, *Joannes Sanchez*, alii. Sed certè videtur Ecclesia neminem velle complere ad hanc inurbanitatem in tali, eóque raro casu: cùm præsertim, licèt illum bolum vel vini haustum trajicias, non ideo dici possis sumpsisse aliquid ab extrinseco post mediam noctem. Certè Suarez & alii supra deditâ operâ deglutientem reliquias præcedentis cænæ ideo excusant, quòd videatur illarum trajectio non esse moraliter distincta à cæna pridiana: cur non idem dicatur & hic?

473 II. Ergóne etiam permittes me, audito eo primo ictu, exhaurire totum craterem, quem jam priùs ori admovi, partémque hausi? Non permittam. Quia sic propriè diceris potum sumpsisse ab extrinseco post mediam noctem. Lugo *cit.* alii communiter. Quamvis Bresserus & Leander apud Dianam *p. 10. tract. 13 resol. 45.* probabile censeant horam duodecimam durare moraliter usque ad ultimum sonum, adeóque interim bibentem, vel etiam comedentem aliquid, non violare jejunium seu naturale seu Ecclesiasticum sequentis diei: tamdiu enim videtur durare, quamdiu auditur. Et sanè probabilissimè teste Gobat *n.* 277. nolente tamen recedere à communi sensu DD. Neque ego volo in propria praxi vel consilio de faciendo: at post factum scrupulum peccati, nec mihi, nec pœnitenti injicerem.

474 III. Quòd si autem dubitem, an post duodecimam aliquid comederim vel biberim, v. g. in hesterna cæna vel recreatione in multam noctem protracta? aut de noctu evigilans haustum feci, jam ex rationibus in utramque partem occurrentibus, dubito, an post duodecimam? aut manè aliquid in os sumpsi, jam dubito, an aliquid in stomachum trajecerim &c. Poteróne sine scrupulo Sacris operari, vel laicus communicare? Respondeo ex communiori sententia multorum contra multos: potes sine scrupulo, quia possessio stat pro tua libertate: Certum enim est tuum jus celebrandi vel communicandi; incertum impedimentum factum: factum autem in dubio non præsumitur, sed probari debet. Nec tu teneris probare, sed is, qui te à Sacro vel Communione repellere vult, probare tenetur, te non esse jejunum, aut post mediam noctem reipsâ aliquid edisse vel bibisse.

IV. Quamdiu autem à media nocte durare 475
debet jejunium illud naturale? an aliquamdiu etiam ultra Sacrum vel Communionem? Licèt decentissimum sit aliquanto tempore post abstinere ab alio cibo ac potu, nullum tamen de hoc exstat præceptum. Quare nihil indecens admittitur à Religiosis, qui post ultimum Sacrum statim eunt ad communem mensam. Communis cum Layman *l. 5. tract. 4 c. 6. fine.* alii passim. At quid de illo, qui nihil somni interponit inter cibum prophanum & Sacrum. v. g. in nocte Natalis Domini? Ipso D. Thomâ *sup. cit.* teste, poterit sine scrupulo accedere ad divinum Epulum, cùm nulla lex jubeat dormitionem interponi.

§. IV.

Causæ excusantes à jejunio naturali.

476 PRIMA certissima est *necessitas integri Sacrificii*, cùm major sit obligatio præcepti divini de integritate Sacrificii, quàm præcepti Ecclesiastici de communicando jejunè. Hinc. 1. Si Sacerdos in Altari inchoato jam Sacro post consecrationem unius vel utriusque speciei, recordatur se non esse jejunum, debet omninò pergere ad complendum Sacrificium, secundùm omnes. §. At, quid si recordetur ante consecrationem? Equidem D. Thomas *q. 83. a. 6. ad 2.* consulit, & tutius esse censet ab Altari recedere, Missámque omittere, si sine gravi scandalo fieri possit. Idque omninò faciendum est, si Missa privatim celebretur, uno tantùm Ministro, vel altero bene noto præsente, in Sacello v. g. si verò publicè celebret, communiter poterit pergere in suo Sacro: *Suarez*, *Coninck*, *Layman*, *Gobat*, alij passim: tum quia communiter non potest sine magno pudore, & aliqua notoria infamia, aut certè sinistra suspicione recedere, tum quia indecens valde est abrumpere Sacrum, præsertim si jam Oblatio facta, vel Canon inceptus est. Idipsum concedunt DD. communiter de Laico jam ad Aram flectente, communicaturo, & primùm recordante se non esse jejunum, & sine ignominia vel scandalo, non valente recedere. II. Quando Sacerdos sacrificans post consecrationem unius tantùm, vel utriusque speciei repentino morbo correptus vel deficiens, non potest Sacrificium complere, debet compleri ab alio Sacerdote, etiam à non jejuno, in defecta alterius jejuni. Communissima cum Layman *l. 5. tract. 4. c. 6. n. 22.* alij passim. III. Quando Sacerdos loco vini aquam calici infudit, idque non advertit, nisi post sumptionem totius aquæ, eóque ipso non ampliùs jejunus jejunio naturali, debet tamen de novo consecrare, ac sumere consecratum, ut integretur Sacrificium secundùm omnes, prout jam

jam alibi insinuatum fuit. IV. At ego adverto in ipso actuali sumptione parte tantùm aquæ ore acceptâ, quid faciam? Non decet utique ut in Calicem vel aliud vas evomas seu effundas, quod sumpsisti, sed potes tutò deglutire. *Suarez*, *Tanner.* alii citati. Sed neque reliquum totum exhaurias, sed effunde in vas mundum, modicâ aquâ cum particula Hostiæ (si supersit) in calice retentâ, eique superfunde vinum pro altera consecratione, & consecra de novo, prout Rubricæ clarè præscribunt. Layman *cit. n. 3.*

477 SECUNDA est *necessitas reverentiæ ipsius Sacramenti.* Quod enim (ut in simili de charitate loquitur Bernardus) pro reverentia Sacramenti institutum est, non debet militare contra reverentiam Sacramenti. Hinc generaliter, quando imminet periculum ab incendio, vel incursu hostium infidelium vel hæreticorum, à quibus injuriosè tractabitur hoc Sacramentum, non solùm à Sacerdote non jejuno, sed hoc absente etiam à Laico propriis manibus absumi possunt Hostiæ consecratæ: imò & debent. Layman *cit. tract. 4. c. 6. n. 22.* Hinc specialiter in Missa, quando Sacerdos post sumptam jam ablutionem, invenit aliquas particulas seu reliquias ex Hostia (fortè etiam calice) sive parvæ sint, sive grandiusculæ, debet eas sumere, quia & spectant ad idem Sacrificium, & aliter satis reverenter asservari non possunt. Idque 1. etiamsi integrâ horâ interim, etiam post Sacrum finitum occupatus fueris communicandis aliis: tota enim illa actio censetur pertinere ad tuum Sacrum. 2. Etiamsi post Sacrum primò in Sacristia advertas, nondum tamen depositis vestibus sacris: imò etiamsi vestes jam deposueris, & non modicum tempus effluxerit, si nequeant asservari sine majori irreverentia: si nimirum nullus alius sit sacrificaturus, qui secum accipiat illas particulas ante suam ablutionem sumendas. Diana *p. 5. tract. 14. resol. 45.* At 3. quid si reliquiæ illæ sint ex alio Sacro? Id ordinariè advertes ante tuam ablutionem: ergo tunc sume, si poltea primùm reperias, essent reponendæ in Sacrario, donec tu vel alius intra Sacrificium sumas. *Suarez*, *Tanner. alii*, cùm illæ non sint pars tui Sacrificii præsentis. At *Bonacina*, *Castro-Palaus*, alii permittunt etiam, ut sumas: idque verissimum est, per accidens, quando in Sacrario commodè poni non possunt: tunc enim urget reverentia Sacramenti. Ad 4. Quid si remaneat (ut sæpissimè fit) integra Hostia ex meo Sacrificio, & non adest Sacrarium, vel non habeo, quò commodè reponam? ergo sume: nam & illa spectat ad tuum Sacrificium, neque unam tantùm, sed quotquot ita supererunt. Vide Gobat *Casu 13. n. 10.* At denique dubito, an reliquiæ, quas video, sint consecratæ, nec ne? ergo post utriusque speciei, & ante ablutionis tuæ sumptionem illas sume. Bonacina, alii communiter.

TERTIA *est necessitas sumendi viatici* in ar- 478
ticulo mortis non tantùm naturalis in morbo, sed etiam violentæ per justitiam; tunc enim licere non jejuno hoc Sacramentum sumere per modum viatici nimis notum est, & ratio clara. Quia magis tunc obligat præceptum divinum de sumenda Eucharistia, quàm Ecclesiasticum de Communicando jejunè, & homo maximè tunc hoc subsidio indiget: intellige nimirum; quando infirmus sine periculo non potest exspectare alterum diem, & damnatus ad mortem communionem non potest anticipare: At quoties licebit infirmo diutiùs ad mortem ægrotanti communicare non jejuno? Semel tantùm permittit Vasquez, *disp. 211. c. 4.* eò quòd Ecclesia ideirco concedat infirmo non jejuno communicare, ne decedat sine viatico; at semel communicans, non decedet sine viatico: ergo &c. Alii communiter permittunt sæpiùs, quando infirmus ita deliderans non potest commodè tamdiu usque ad tempus communionis expectare jejunus; idque toties, quoties aliàs bene valens licitè sumere posset, vel saltem solitus est sumere vel sacrificare, & modò propter devotionem & desiderium difficulter abstinet. Quò casu, etiam altero statim die infirmum non jejunum posse Eucharistiam sumere, concedit etiam Layman *cit. c. 6. n. 10.* dummodò periculum mortis instare videatur. Dicastillus verò & Gobat *Casu 19. n. 317.* absolutè admittunt altero die, ac saltem Sacerdotem quotidiè durante morbo periculoso. Ratio est: quia Ecclesia eximit ejusmodi ægrotos à lege jejunij naturalis: & adæquata causa hujus exemptionis non est tantùm, ne æger moriatur sine viatico, sed etiam necessitas animæ, quæ in illo articulo maxima est.

§ At, si non adsit Hostia consecrata pro viatico, licebítne Sacerdoti non jejuno celebrare? Communis sententia est negativa, apud Laymancit. n. 21. eò quòd Ecclesiæ consuetudo id non permittat ob maximam reverentiam hujus Sacramenti. At verò concedunt absolutè Major, aliique plures apud Dianam *p. 3. tract. 4. resol. 33.* Et probabile censent Suarez, Filliucius, Lugo, Dicastillus, Tamburinus de Communione, *c. 2. §. 8.* ac Gobat *cit. anum. 334.* ac fusè barbosa *de officio & potestate Parochi. c. 20. n. 4.* Et tandem sub conditione, si æger non possit aliud Sacramentum, scilicet pœnitentiæ vel extremæ unctionis suscipere, admittit etiam Layman *cit. n. 21. fine.* Quos vide, si vacat. Mihi non vacat in raro adeò casu immorari.

QUARTA causa excusans est *necessitas vi-* 479
tandi scandalum publicum, aliúdve grande malum. Ut si obligatus ex Officio celebrare, v. g. Parochus die Dominico vel Festo, casu, vel culpâ non jejunus ampliùs, non possit Sacrum omittere sine gravi scandalo & obmurmuratione populi, aut etiam sine proprio gravi incommodo: utroque aliter non evitabili. Commu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis DD. Suarez *disp.* 86. *sect.* 5. Tannerus *disp.* 5. *q.* 8. *n.* 41. Layman *cit. n.* 22 *fine*. Ratio sæpe dicta est: quia majori præcepto & legi charitatis naturali de vitando scandalo, cedere necessariò debet minus præceptum positivum Ecclesiæ de celebrando & communicando jejuno. Quod rarius quidem: attamen aliquando in Laicis, præsertim Religiosis, qui statis diebus communicare debent, locum habere potest: at sæpiùs in Sacerdotibus. Declaro uno & altero casu certò facto, non ficto, sæpiùs factibili.

480 In celebri pago, ad festum Dedicationis à Parocho invitati convenerant decem Sacerdotes vicini magno concursu populi: ad omnes, etiam is, qui à Parocho pro summo Sacro faciendo invitatus erat, invitationis oblitus domi celebrârunt, aut etiam jentârunt. Nullus ergo in tanta solennitate, populo jam diu Sacrum exspectante erat jejunus, & ad Sacrum faciendum dispositus: quid factum? aut quid faciendum erat? Populus è suggestu admonitus de casu excusante ab auditione Sacri, sine Sacro dimissus est, ita judicantibus illis, satiùs esse, quàm ut fieret Sacrum ab aliquo, quem pluribus constaret non esse jejunium. Verùm Gobat *Casu* 19. *n.* 330. bene probat potuisse optimè fieri Sacrum ab aliquo, qui jejunium non violâsset, nisi per ablutionem in Sacro suo. Nam in tali casu non potuit reverà planè caveri grave scandalum, id est, gravis & injusta indignatio, gravis oblocutio adversùs Sacerdotes, ridiculi sarcasmi, & dicteria lædentia eorum famam & honorem. Certè graves Doctores (ut videbitur) docent, fas esse Sacerdoti non confesso celebrare, ne ipse vel alii careant Sacro die festo, cur non etiam non jejuno? præsertim cùm confessio sit jure divino præmittenda Sacro juxta veriorem sententiam, jejunium certè solo jure Ecclesiastico. Tandem Tannerus *cit.* post Anglez & alios rectè judicat, si in die Natalis Domini non esset in oppido, nisi unicus Sacerdos non ampliùs jejunus, neque alius haberi posset, neque aliter scandalum evitari posset, eum rectè facturum, si celebraret.

481 In celeberrimo Monasterio Neomysta ipso die, quo Primitias solenniter celebraturus erat, manè rursus Missâ siccâ se se exercens more superiorum dierum, sumpsit suum panem & vinum, immemor, sed mox pulsatis omnibus campanis, commonefactus instantis solennitatis: concluſum tunc est, Primitias esse in sequentem diem differendas. Et quidem per se loquendo, rectissimè. Per accidens potuissent concurrere tales circumstantiæ, quibus certè non peccâsset Neomysta ille sic non jejunus Primitias celebrans, ut bene ostendit Gobat *Casu* 13. *à n.* 410. Utpote. 1. Si Sacerdos ille fuit nobilis seu perhonestæ familiæ. 2. Si illuc convênere Cognati complures. 3. Si paratum lautum convivium. 4. Si more solito è suggestu erat invitatus populus ad Primitias, ideóque & plebs & complures personæ nobiles ad Ecclesiam se accinxerunt, aut de facto adsunt. 5. Si error ille fuit occultus. His circumstantijs simul concurrentibus (attendendo insignem mortificationem illius Neomystæ optimi, ejus Cognatorum tristitiam, aliorum obmurmurationes, suspiciones, temeraria judicia, adeóque vera scandala, expensas frustrà factas, contemptum illius Neomystæ tanquam hominis incautissimi in re omnium gravissima &c. &c.) potuisse licitè celebrari Sacrum ab illo Neomysta, probatur tum à simili ex casu præcedenti, tum ex rationabilissima Epikia, quòd si Legislator ipse Pontifex adesset, hoc modo diceret: scilicet se sub illa lege universali noluisse hunc casum comprehendere. Vide latiùs ipsum Gobat *cit.*

SECTIO VIII.

Confessio præmittenda Sacro vel Communioni.

SUMMARIUM.

483 *Celebraturus, vel Communicaturus conscius sibi peccati mortalis tenetur jure divino prius confiteri*

484 *Quando censeatur deesse copia confessarii?*

486 *Non suppetente copia confessarii, quando & quibus casibus possit Sacerdos contritus celebrare?* Usq; ad n. 490.

490 *Quos comprehendat præceptum illud?* Quamprimum confiteatur?

491 *Quomodo intelligendum illud*: Quamprimùm? Usque ad n. 494.

494 *Quando & qualiter pollutio impediat Celebrationem, vel Communionem?* Usque ad n. 498.

498 *Quid respondendum mulieribus quærentibus à Confessario, an teneantur reddere debitum die Communionis, vel nocte pridianâ?*

482 COncilium Tridentinum *sess.* 13. *c.* 7. sic habet: *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum: Probet autem seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod à Christianis omnibus, etiam iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris. Quòd si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Hæc Concilium.

§. I.

§. I.

Præceptum ejus: Probet autem se ipsum homo &c.

483 SIgnificatur inprimis eum, qui Sacram Eucharistiam sumpturus aut celebraturus est, examinare se debere, utrùm peccati alicujus mortalis sibi conscius sit: de quo ritè confessus non fuerit. Layman *n.* 5. Deinde innuitur hoc præceptum de præmittenda confessione esse juris divini positivi, (non tantùm Ecclesiastici) ex verbis Pauli 1. *Cor.* 11. *Probet autem seipsum homo*: Unde Concilium utitur vocâlà *declarat*, non *statuit*, vel *præcipit*, allegátque *Ecclesiasticam consuetudinem*, cujus initii cùm nulla memoria extet, satis declarat esse apostolicam traditionem semper ab Evangelio promulgato in Ecclesia observatam, (sive quod ipsi Apostoli ea de re præceptum tradiderunt, sive quod à Christo acceptum promulgârunt) & non præceptum novum ab Ecclesia introductum. Ita communior & probabilior sententia DD. Navarrus *c.* 21. *n.* 5. Suarez *disp.* 66. *sect.* 3. Coninch, Layman *l. c.* alii.

§. II.

Modò non desit Copia Confessoris.

484 COpia Confessarii tunc non habetur, quando vel nullus adest Sacerdos approbatus & expositus; ad absentem autem sine magna difficultate, spectatis circumstantiis personæ & itineris, accessus esse nequeat: Vel si adsit quidem Confessarius jurisdictione præditus, cui tamen pœnitens sine interprete, aut sine periculo gravis jacturæ, aut scandali proprii, Confessarii, aut aliorum, confiteri non possit, juxta latiùs dicenda tùo loco de Confessione Sacramentali, & specialiter de Religiosis extra Monasterium degentibus, de habente casum reservatum, à quo Confessarius simplex alioquin expositus absolvendi potestate careat.

Alios casus nonnulli adferunt, ut si desit proprius Confessarius, cui devotiùs aut confidentiùs confitereris. Victoria apud Dianam. *p.* 9. *tract.* 3. *resol.* 15. sed meritò reprobantem cum communi DD. Quod verò nonnulli prætendunt, non adesse sibi copiam Confessarii, si nullus adsit, nisi vel familiaris, cui confiteri & deinceps conversari erubescat, sanè falsum est, si nullum aliud periculum scandali aut alterius gravis incommodi subsit ex illis, ob quæ Confessionem dimidiare licere suo loco dicetur. Ratio est: quia ut quis sine prævia confessione communicet, vel celebret, omnium consensu non sufficit sola erubescentia, sed neque sufficit probabilis metus cujuscunque ignominiæ, scandali, vel alterius incommodi, sed requiritur grave quid, grave scandalum, gravis infamia, ut loquuntur passim DD. & observat Diana *cit. p.* 9. *tr.* 3. *resol.* 15.

§. III.

Quòd si necessitate urgente &c.

NEcessitate ergo & justâ causâ urgente, & non suppetente copiâ Confessarii, fas erit Sacerdoti contrito (contritione saltem æstimatâ, si nimirùm bonâ fide credat, aut probabiliter existimet se esse verè contritum) absque prævia Confessione celebrare, aut Laico communicare, in sequentibus potissimùm casibus. 485

Primus ab ipso Concilio Tridentino in allegato textu insinuatus est: Quando Sacerdos ex officio tenetur celebrare, aut fideles jure suo Sacrificium exigunt, nec per alium perfici possit: utpote Parochus die Dominico & Festo: Item pro defuncto præsente: item ad benedicendas nuptias: Idem vel quivis alius, ut pro moribundo viaticum conficiatur, si alia Hostia consecrata desit. *Layman, Diana citt.* 486

§. Hic addunt aliqui plures casus. 1. Quando aliquis etiam simplex Sacerdos rogatur ab aliis die festo aliàs Sacrum audire non valentibus, ut Sacrum legat. Diana *cit. resol.* 9. post alios. 2. Quando ipse Sacerdos deberet carere Sacro, festo die, *Sotus, Vivaldus*, alii. 3. Quando idem deberet omittere communionem Paschalem. Diana *resol.* 13. 4. Quando Capellanus ratione Capellaniæ tenetur legere Sacrum. Palaus contra Dianam *loc. cit.* 5. Quando idem jam accepit stipendium pro dicendis Missis, aut oblato stipendio rogatur, ut celebret. Henriquez contra Dianam *cit.* 6. Quando Religioso habenti casum reservatum, & per Confessarium petenti, Superior facultatem denegat. *Præposit. Tumburin.* Diana *cit. resol.* 15. At supposito, præceptum hoc confessionis præmittendæ esse juris divini, ut dictum est, casus isti meritò reprobantur ab aliis, ac ipso Gobat *tr.* 4. Casu 61. *n.* 241.

Secundus casus, ab omnibus admissus est. Si Sacrificium vel Communio sine gravi infamia vel populi scandalo omitti non possit. Ratio sæpiùs indicata est. Casus frequens esse potest de Sacerdote aliàs solito, vel modò rogato instanter, ut faciat Sacrum: ut sine gravi nota vel suspicione criminis omittere nunc, vel denegare non possit. Certè graves DD. apud Dianam *cit. resol.* 20. absolutè dicunt sufficere metum admirationis in populo, eò quòd hæc non soleat esse sine suspicione peccati: Quod licèt, in rigore loquendo, rectè neget Suarez, aliique communiter, verum tamen esse debet, quando ex illa admiratione timetur, quòd homines defacto accipiant occasionem temerè judicandi, detrahendi. Gobat *n.* 156. Scotus *in* 4. *d.* 9. *q. un.* etiâ excusat Sacerdotem jam indutum sacris vestibus, & non habentem ad manum Confessarium idoneum. Idque etiam in Laico sine nota gravi vel sine ignominia non valente omittere Communio- 488

Universidad de Deusto
Biblioteca

nionem, concedunt DD. ferè omnes. Scotus *in 4. d. 9.* exemplificat de Religioso vi Regulæ obligato tali die ad Communionem. Recentiores communiter declarant exemplo Laici jam flectentis ad Aram Communionis, & tunc primùm recordantis alicujus peccati mortalis, nec valentis sine ignominia & scandalo recedere: sed rarus iste est casus, nec facilè admittendus, plerúmque enim facilè possunt vitari hæc incommoda, saltem longè sæpiùs, quàm sibi fingant multi, ait post Dianam Gobat. *n.* 246. Ratio dictorum sæpiùs indicata est. Quia lex positiva etiam divina non censetur obligare cum tanta severitate. Et scandalum est magnum spirituale damnum, ex majori obligatione naturali charitatis evitandum.

489 *Tertius casus est.* Quando Sacerdos inchoato jam Sacro recordatur peccati mortalis anteà commissi (aut fortè, prò nefas! tunc primùm patrati) & siquidem primùm post consecrationem, omnium consensu debet, elicitâ contritione, Sacrificium prosequi: Si autem ante consecrationem, eam obligari ad confitendum vel recedendum, si commodè & sine ulla nota infamiæ posset, docent Navarrus *Man. c. 25. n. 76. Sylvester, Coninck*, alii cum Suarez *disp. 66. sect. 4.* & in ea suppositione verum esset. Contrarium ergo practicè longè verius est, si Sacerdos etiam statim post introitum recordetur peccati mortalis, posse elicitâ contritione & postea confitendi proposito, pergere, & neque recedere, neque confessarium advocare obligari. Ita *Sotus, Victoria, Henriquez, Tannerus, Layman*, Gobat, citati. Ratio clara est: Quia vix unquam decenter & sine omni Sacerdotis nota, confusione, aut etiam scandalo, interruptâ Missâ confessio Sacramentalis interponi posse videtur, sive credendo, sive confessarium advocando, excepto, si in publico officio Missæ Concio interponatur, aut quis Sacerdotem sibi ministrantem haberet, idque ipsum vix sine incommodo, nisi in loco privato celebretur. Itaque in aliquo prædictorum casu

Quòd si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit: sequitur

§. IV.

Quamprimùm confiteatur.

490 I. HOc præceptum purè Ecclesiasticum est, ut patet ex verbis Tridentini hoc jus de novo condentis, & non antiquum declarantis. Et quia in materia odiosa, non est extra proprios terminorum limites extendendum. Non ergo comprehendit Laicos, vel ipsos etiam Sacerdotes Laicorum more communicantes sine prævia confessione, ob necessitatem & confessarii inopiam, ut contra Navarrum *cit.* docent Suarez, Coninck, Layman *n. 7.* Qui probabiliter neque Sacerdotes, qui habentes copiam Confessarii, eâ tamen non utentes, *sine necessitate* celebrant in peccato mortali, sive ex malitia sacrilega, sive ex inadvertentia sui mali statûs. Verba enim Concilii expresè loquuntur de Sacerdote *urgente necessitate, sine prævia confessione celebrante.* Ita cum Nugno, aliisque Suarez *disp. 66. sect. 7.* Insuper fuerunt DD. opinantes: Verba hæc Concilij continere consilium tantùm, non præceptum: sed jam amplius audiri non possunt, ut mox patebit.

II. Præceptum illud confitendi *quamprimùm* imponit necessitatem confitendi, vel quamprimùm quis post Sacrum factum habet copiam Confessarii, ex communi Tanner. *to. 4. d. 5. q. 8. n. 27.* vel certè intra triduum. Diana *cit. p. 9 tract. 3. resol. 23.* Nam in jure vox *quamprimùm* seu *illico*, significat idem, quod post triduum. *l. final. C. de Jud. & alibi.* At verò minimè subsistit explicatio. P. Escobar & quorundam aliorum: *Quamprimùm* hic idem importare, ac quando suo tempore Sacerdos iterùm primùm confitebitur. Nam inter propositiones 45. damnatas ab Alexandro VII. 38. 39. hæ sunt: *Mandatum Tridentini factùm Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cùm peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum*: Item hæc: *Illa particula (quamprimùm) intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.* Et certè ea explicatio patenter est contra mentem & intentum Concilii. Ne scilicet Sacerdotes habentes conscientiam peccati mortalis, passim prætextu necessitatis & inopiæ Confessarii, absque confessione, elicitâ tantùm contritione sacrificent: Voluit Concilium, si omninò non possint ante, saltem statim post Sacrum confiteantur, & non quando alioquin iterum confitebuntur, fortè post mensem. &c. 491

III. Sed numquid illa vocula *quamprimùm* adhuc intelligi poterit, *quamprimùm* talis iterùm velit celebrare, ut intellexit Binsfeldius noster apud Dianam *cit. resol. 23.* Certè videtur ista explicatio non esse prohibita in ille decreto ab Alexandro VII approbato: utpote pœnali, ideóque non extendenda ultra proprietatem verborum: Nulla autem proprietate verborum vox *quamprimùm* intelligi potest de celebratione? Quidquid sit de hoc, R. non posse sic intelligi Concilium. Quis enim est ita rudis, ut sine Magisterio Concilij universalis ignoret incumbere sibi hodie volenti dicere Missam, obligationem confitendi sua mortalia, si fortè ante decem dies fecit Sacrum inconfessus ob defectum Confessarii? Si itaque rarò celebrare soleas, noli fidere illi explicationi, quippe nimis apertè repugnanti 492

menti Concilij Tridentini, sed omninò teneris saltem tertio die sub mortali confiteri post illud Sacrum sine confessione factum, esto eo die nec habeas in animo celebrare, nec præceptum confessionis te aliundè obliget: juxta communissimam DD. apud citatos *Tannerum, Dicastillum, Layman*, & Gobat *Alphab. Sacrif. casu 14. n. 439.* Si autem quotidie, aut in septimana aliquoties celebres, jam te *num. præced.* salvum intellexisti. Vix enim erit tam rigidus Theologus, qui te hodie sic celebrantem, & cras vel perinde denuò celebraturum præmissâ confessione, adhuc hodie ad confitendum obligare velit.

493 IV. Nihilominus tamen illa expositio Binsfeldiana videtur usu firmata & implicitè saltem approbata usu sacerdotum Germanorum. Audivi ego tot Sacerdotum confessiones, audierunt alij innummeri: at quis unquam reperit Sacerdotem, qui censeret se deliquisse, quòd Confessionem post Sacrum sine confessione ex necessitate & inopiâ confessarii factum distulerit usque ad tempus, quo erat iterum sacrificaturus, per octiduum v. g. vel amplius, quanquàm facillimè citiùs confiteri potuisset. Quare nisi expresè de hac obligatione dubitent, vel consultent Confessarium (tunc utique veritas aperienda esset) censeo Confessarium tutò posse dissimulare, eósque in sua utcunque bonâ fide relinquere potiùs, quàm in novas difficultates inducere, juxta communem doctrinam in materia de conscientia erronea. Tandem ex alibi dictis jam nôsti, Sacerdotem in mortali nec confessum, nec contritum celebrantem non committere 5. peccata mortalia. 1. ratione omissæ Confessionis. 2. ratione omissæ contritionis. 3. ratione oblationis indignæ. 4. ratione consecrationis. 5. ratione communionis indignissimæ; Sed unum tantùm. Quia confessio, contritio, oblatio, consecratio ordinantur ad sumptionem tanquam finem, eorúmque omissio vel indigna tractatio sub communione indigna tanquam sub uno fine uniuntur; ut ex communi doctrina de peccatis, notat etiam Diana *cit. p. 9. tract. 3. resol. 36. & alibi.* Restat tandem

Dubium notabile.

Qualiter pollutio &c. impediat Celebrationem vel Communionem?

494 REsp. generaliter. *Non impedit ratione sui ipsius, sed solùm in quantum est peccatum, vel in quantum effectus malignos post se relinquit.* Ex qua generali Regula communiter recepta, atque communi doctrina apud Layman, aliósque citt. ita breviter in specie resolves.

495 I. Quamvis pollutio voluntaria & peccaminosa fuerit, si tamen post pœnitentiam homo nullum malignum effectum sentit, celebrare vel communicare nullâ ratione prohibetur; quia scilicet jam rectè dispositus est: & pollutionis peccatum, sicut & quodvis aliud, post legitimam pœnitentiam perinde se habet, ac si non fuisset. Ita communis. *D. Bonaventura, Gerson, Sotus, Suarez, Vasquez, Coninck*, aliisque citatis, Layman *l. 5. tract. 4. cap. 6. n. 14. & 15.* Consultum tamen est tali homini, qui voluntariâ pollutione, aut fornicatione se inquinavit, ob humilitatem & reverentiam tanti Sacramenti, abstinere à Communione, vel Sacro, cùm facilè potest: Quod etiam confessarius, consideratis circumstantiis, pœnitenti injungere potest, & quandoque debet, ut gravitatem peccati magis agnoscat, & in posterùm efficaciùs caveat. A fortiori ergo nihil prohibebit à Sacro vel Communione pollutio involuntaria v. g. in somnis facta: attamen differre in alium diem ob humilitatem, etiam tunc consultum, cùm commodè potest: nisi ratio peculiaris celebrandi vel communicandi adsit; ut in Religiosis quotidie celebrare solitis, aut statis diebus communicare: Si indulgentia requirens Communionem lucranda &c. Nec cedendum dæmoni, cùm putatur immisisse turpe somnium, ex quo secuta macula fœda, ut homo à communione avertatur, ut monet etiam D. Thomas *3. p. q. 8. a. 7.*

II. Si post pollutionem, etiam involuntariam, omníque culpâ carentem, quis malignum effectum remanentem sentiat, utpote carnis commotionem, animi perturbationem, evagationem, torporem, &c. interim multò magis consultum erit à Sacro vel Communione abstinere, ut ex D. Thoma cit. docent iidem DD. etiam Sanchez. *l. 9. de Matrim. disp. 13.* Quinimò peccatum veniale erit, si quis accederet cum tali mala dispositione, quam repellere & superare negligeret. Layman *eodem n. 15. medio.* Ratio ex se patet. At rursus si sacrificandi vel communicandi aliqua necessitas vel rationabilis causa urgeat, & maximè si fraude dæmonis putetur excitatum malum ad impediendam devotionem communicandi, nihilominus adhibitâ curâ & studio se præparandi, devotionem excitandi, accedendum erit, ut omnes observant cum D. Thoma l. c. 496

III. Multò minùs ergo quoad sæculares Communionem impediet debitum conjugale nocte præcedenti præstitum debito fine & moderatione, ad petitionem alterius conjugis, aut etiam petitum ex speciali causa, ut si videat alium conjugem periclitari: vel singulari spe prolis hoc potiùs, quàm alio tempore, ob singularem corporis dispositionem, concipiendæ, ait Layman *cit. n. 15. in fine*: allegans D. Gregorium, aliósque Doctores. At verò solius voluptatis ac libidinis exfatiandæ causâ copulam carnalem exercentes cum proposito eodem die vel sequenti manè communicandi, absque venia- 497

Universidad de Deusto
Biblioteca

si culpa & irreverentia accedere non posse, recte censet Layman *ibidem*: id enim signum est animi nimis parùm dispositi ad divina. Et D. Thomas *cit. a.* 7. pronuntiat debere prohiberi, ne talis accedat ad Sacramentum. Et hoc sensu intelligendi sunt SS. Patres aliquando de hac re satis rigidè loquentes, nominatim D. Augustinus *serm.* 244. *de tempore* D. Hieronymus l. contra Vigilantium. *Illorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant.* Excipit tamen rursus Castro-Palaus *hic disp.* 13. *n.* 3. nisi occurrat specialis causa communicandi eo die, vel de præterito doleat, ut dolore concepto plenè culpæ satisfeciisse videatur. Et hinc

498 IV. Ex dictis collige Confessarie prudens, quid mulieribus v. g, respondendum sit, quando quærunt, an maritis debitum reddere teneantur eo die, vel nocte pridianâ, quando communicaturæ sunt. Sic enim prudenter distingues.

499 I. Si mulier frequenter communicare soleat, v. g. singulis diebus Dominicis, aut Festis, atque adeò sæpiùs in mense, die, ut simplici petitione etiam annuat, ne conjugi molesta sit, néve illius in se amorem minuat, & occasionem tribuat interdicendi ei imposterùm frequentem Communionem: Quin si maritus seriò & constanter petat, reddere etiam tenebitur, alioquin periculum esset, ut peccet tum contra justitiam negando debitum justè &. seriò petenti; tum contra charitatem ratione scandali, quia exinde iræ & odium nasci solent, & maritus versari potest in periculo incontinentiæ, &c. Sicque post factum, mulierem communicare permitte, quia implevit opus bonum ex justitia debitum, nisi per accidens effectus aliquis malignus obsisteret, juxta dicta *N. II.*

2. Si verò mulier non frequenter communicet, sed in præcipuis Festivitatibus tantùm, aut ad summum, semel in mense: dic ipsi, ut moneat, rogétque maritum, ut illâ vice abstineat in honorem Festivitatis, aut sacræ communionis suæ: nisi ex tali communione sua iram ac indignationem ejus incurrere debeat ac timeat: tunc autem, si admonere vel rogare facilè non possit, aut admonendo, rogandóve nihil proficiat, debitum reddendum est petenti, ac nihilominùs SS. Eucharistiam accedere poterit, si exinde animi distractionem vel indispositionem insolitam non patiatur; vel etiamsi patiatur, tamen sine nota aliqua communionem intermittere non possit. Hinc vides, si post factum fœminæ confitentes de hoc interrogent, regulariter & ferè semper eis communionem permittendam. Ita post Sanchez, Suarez, alios, Layman *cit. c.* 6 *n.* 16. *per totum.* 500

FINIS.

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS SACRAMENTALIS

PARS III.

Instructio Curandi, seu Confessarii

DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

DE hoc septem erunt capita. I. De Sacramenti Pœnitentiæ Essentia, Partibus, Materiâ. II. De Contritione. III. De Confessione. IV. De Satisfactione. V. De Absolutione sacramentali. VI. De Confessario, ejúsque requisitis. VII. De sigillo, & notitiæ ex confessione habitæ Usu licito, & illicito.

In nomine Domini incipiat

CAPUT I.

De Sacramenti Pœnitentiæ Essentia, Partibus, Materia.

SECTIO I.

Quid est Pœnitentia?

SUMMARIUM.

1. *Pœnitentia quid nominis contra hæreticos?*
2. *Pœnitentia, ut* virtus, *& ut* Sacramentum.
3. *Quid ut* virtus.
4. *Offensa & injuria differunt in hoc, quòd offensa sit* læsio seu irritatio voluntatis alterius.
5. *Injuria verò* læsio injusta juris alterius rationabiliter inviti.
6. *Differentia satisfactionis, & restitutionis.*
7. *Et* 8 *qualiter & quot modis quodlibet peccatum repugnet Deo? &*
9. *Contineat offensam, & iniuriam Dei?*
10. *Quid Pœnitentia ut* Sacramentum?
11. *Est verum N. L. Sacramentum.*
12. *Immediatè à Christo institutum.*
13. *Estque necessarium omni post Baptismum mortaliter lapso necessitate medii in re, vel in voto.*
14. *Eius subiectum, & differentia à Baptismo.*

§. I.

Pœnitentia *quid nominis?*

1 POENITENTIA dicta est à nomine, *pœna*, & verbo *teneo*, ut idem sit *pœnitere*, ac *pœnam tenere*: pœnitens, *pœnam tenens*; ac pœnitentia, *pœnæ tenentia*; seu ut loquitur D. Isidorus l. 6. Ethymolog. c. ult. *Pœnitentia; eò quòd ipse homo se puniat pœnitendo, quod male admisit.* Ita omnes Catholici, contra Hæreticos nostri temporis, qui delicatum hominum genus, ab omni pœna abhorrentes, fingunt Ethymologiam pœnitentiæ, non à nomine *pœna*; sed à propositione, *pone*, id est; *post*, quasi dicatur, *pono retrò*; id est: *postea sapere:* adeóque volunt pœnitentiam nihil aliud esse, quàm resipiscentiam à peccatis commissis, consistentem in agnitione peccatorum commissorum, & proposito non amplius committendi. Sed imperfectè & perversè. Nam ut homo per actum virtutis pœnitentiæ animi mutatione ad meliorem vitam se convertat, necesse est, ut non solùm agnoscens malè facta sua, novæ vitæ propositum arripiat, seu resipiscat, sed etiam vitam veterem, seu peccata commissa & agnita tanquam malum abolendum detestetur, ac de eo doleat: ut passim significant Scripturæ & SS. Patres, significationem hujus vocis, *Pœnitentia*, ubique exprimentes per dolorem & pœnam seu afflictionem aliquam. Job. ultimo. *Idcircò ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere &c.* Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu & planctu, & scindite corda vestra &c.* Et Christus ipse Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, in cilicio & cinere, pœnitentiam egissent.* Quæ omnia important pœnam aliquam & animi dolorem. Et clarissimè D. Augustinus lib. 50. Homiliarum homiliâ ultimâ: *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gimitum, per contriti cordis Sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Et notissimum est illud D. Ambr. relatum cap. 1. d. 3. de Pœnitent. *Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterùm non committere.* Similiter loquuntur alii Patres passim ad longum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§ II.

Pœnitentia, *quot modis accepta?*

2 DUpliciter accipitur Pœnitentia, 1. Ut virtus: 2. Ut Sacramentum est. *Pœnitentia ut virtus* dicitur, quatenus consistit in actu pœnitentis detestantis ac punientis peccata sua. Et est in re ipsa Contritio, pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ. *Pœnitentia ut Sacramentum* dicitur, quatenus consistit in actu Sacerdotis peccatorem verè pœnitentem, seu de peccatis suis dolentem ac confessum absolventis: adeò ut Pœnitentia *ut Sacramentum* non tantùm præsupponat, sed etiam ut partem materialem correquirat, ac velut includat pœnitentiam *ut virtutem*. De pœnitentia virtute absolutè sumpta, & sine ordine ad Sacramentum, quatenus scil. olim ante Sacramentum pœnitentiæ institutũ, requirebatur ad remissionem peccatorum, & peccatoris justificationem, latè speculantur Scholastici. Nos breviter aliquid.

§. III.

Quid est Pœnitentia virtus?

3 EST habitus inclinans hominem ad detestandum & vindicandum peccatum à se commissum, quatenus offensa & injuria DEI est. Communis DD. ex Scoto *in* 4. *d.* 14. Hujus virtutis actus, seu pœnitentia actualis est: *Detestatio ac dolor animi de peccato, quatenus est offensa & injuria Dei, intentione eam delendi ac vindicandi, seu compensandi.* Ex D. Thom. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *c.* 1. *num.* 2. Estque in re ipsa contritio generatim sumpta, de qua copiosè dicemus *cap.* 2. De Pœnitentia virtute seu habituali, qualis virtus sit, quæ ejus ratio formalis, objectum formale, finis &c. (de quo, ut modò dixi, latè disceptant Scholastici) res tota speculativa est, ad praxin parùm utilis, minùs necessaria: tantùm enim abest, ut Tyronem dirigat, & promoveat ad practicam cognitionem contritionis, quin potiùs distrahat, & confundat. Id solùm nota. Hujus virtutis & actûs pœnitentiæ objectum materiale detestandum & vindicandum esse peccatum. Objectum verò formale & rationem formalem, ob quam detestandum & vindicandum peccatum, esse injuriam & offensam DEI. Hos terminos juvat explicare pro fundamento & pleniori intellectu dicendorum.

Quatenus offensa, & injuria Dei est.

4 DIfferunt hæc duo offensa & injuria, sicut magis & minùs latè patens. Omnis enim injuria offensam continet. Non ècontra omnis offensa injuriam. Nam

I. OFFENSA generatim est *læsio seu irritatio voluntatis alterius*: quâ nimirùm aliquis alteri contra voluntatem suam molestiam infert, sicque eum movet, eique motivum seu jus tribuit ad displicentiam, indignitatem, aversionem ac iram adversus offendentem, activè loquendo. Nam passivè & formaliter *offensa* est ipsa displicentia, aversio, indignatio, ac quidam animi amator & cordolium offensi adversus offendentem. Atque hæc offensa potest esse & sæpe fit absque omni injuria propriè dicta, seu læsione juris alterius offensi. Ex. gr. Amico petenti à te librum commodatò, quo is valdè indigeret, & tu facilè carere posses, negas tamen & non vis dare: procul dubio offendis Amicum, & das ei sufficiens motivum ad displicentiam, aversionem, & indignationem adversus te: non tamen facis ei injuriam, quia nullum ejus jus lædis, neque ullo jure tenebaris ei librum commodare, sed tantùm voluntati ejus infers molestiam: ideóque est offensa pura contra pacem & amicitiam humanam, & ad summum contra virtutem charitatis, minimè contra justitiam. Atque pro hac offensa pura debetur satisfactio amica, non ex justitia aliqua, cùm nullum jus alterius læsum sit, sed ex charitate, sitque ea satisfactio per amicam petitionem veniæ, per obsequia alia specialia & similia homini offenso exhibita pro quantitate offensæ, ac ejus animum, affectúmque reconciliandum: prout latiùs tractatur in materia de charitate.

II. INJURIA *est læsio injusta legis alterius rationabiliter inviti,* (ideóque eo ipso etiam *offensa,*) quâ nimirum fit aliquid contra verum jus alterius, v. g. contumeliam inferendo: & potest injuria etiam esse absque omni damno illato, (ut si soli, nemine præsente contumeliam inferas; si adulterium committas omninò occultum manens, nullâ inde prole suscepta &c.) Et pro tali injuria mera & non damnosa, debetur aliqua vindicta, seu satisfactio ex justitia vindicativa. *Satisfactio* enim propriè est *compensatio injuriæ alteri illatæ*: in hoc consistens, quòd sicut alterum injuriando & lædendo contra jus & voluntatem ejus molestavimus, ita nos vicissim in ejus gratiam aliquid molestum nobis contra voluntatem nostram agendo vel patiendo (v. g. ad minimum humiliter & confusibiliter deprecando &c.) injuriam illatam compensemus, abolcamus, & velut vindicemus: qui est actus proprius justitiæ vindicativæ, & respectu DEI virtutis pœnitentiæ inclinantis hominem *ad detestandum & vindicandum peccatum, quatenus offensa & injuria DEI est*: quâ ratione, dicam statim *num. seq.* Quòd si porrò injuria etiam damnosa sit, injustum damnum inferens proximo in suis bonis fortunæ, famæ, vitæ, animæ, v. g. furando, detrahendo, occidendo &c. jam pro illo damno compensando debetur restitutio propriè dicta ex justitia commutativa. *Restitutio enim est compensatio damni injustè illati alteri in bonis suis*: & fit aliquid de nostro ipsi damnificato conferendo ad æqualitatem damni illati, seu dati & accepti.

§. Hic incidenter bene nota differentiam satisfactionis & restitutionis ex descriptionibus datis

datis: & simul ad propositum observa rationem, cur Deo offenso aliquo modo satisfacere, non autem restituere possimus. Nimirum, quia, sicut prò dolor! possumus DEUM offendere & injuriare, aliquid contra voluntatem ejus sanctissimam, jus, ac leges agendo, vel omittendo, at verò damnum ei in bonis suis inferre non possumus: ita in ejus gratiam ac compensationem ac vindictam offensæ & injuriæ ipsi illatæ, aliquid nobis molestum agere & pati possumus & debemus: nihil autem ipsi de nostro, ante non suum conferre possumus. Bene, inquam, hæc nota, & simul disce, quâ intentione onera tua satisfactoria, seu pœnitentias peragas, & DEO offeras. Jam consequenter videamus, quâ ratione omne peccatum sit

7 III. INJURIA & OFFENSA DEI. Omne peccatum ex eo ipso, quòd sit transgressio legis divinæ, seu uti definit S. Augustinus *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*: consequenter necessariò & contra ipsum Deum, adeóque offensa & injuria Dei: idque variâ & multiplici ratione. I. Generalissimè peccatum repugnat DEO ob infinitam suam Sanctitatem summè abhorrenti, abominanti, ac detestanti peccatum, prout pœnis æternis ac temporalibus nimiùm manifestat: & sic peccatum generaliter continet offensam DEI, provocans nimirùm Deum ad justissimam, gravissimam, infinitam displicentiam, aversionem, indignationem &c. adversus peccatorem; nisi pœniteat. Estque hæc offensa contra virtutem pacis cum Deo, ut pulchrè declarat Cardinalis Lugo *disp.* 2. *de Pœnit. sect.* 1. & significare videtur Apostolus. Rom. 5. *Justificati ergo ex fide*
8 *pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum.* II. Generaliter peccatum repugnat Deo, ut supremo Principi ac Domino, cui summum jus competit disponendi de omnibus prout vult; absque ullius creaturæ contradictione vel repugnantia. Et hâc ratione generaliter omne peccatum continet injuriam DEI propriè dictam contra justitiam ac jus divinum strictissimum, quod DEUS habet in nos, & omnes actiones nostras, multò magis, quàm Dominus in servum, Dux in militem &c. pro qua injuria meritò detestanda, omnis & stricta DEO satisfactio debetur. Atque hanc injuriam & offensam adversus Deum detestandam, compensandam, abolendam, ac velut vindicandam debitâ satisfactione, dicimus objectum formale, ac proprium munus pœnitentiæ virtutis. III. Jam particularius. Peccatum supremè repugnat DEO, ut summo bono, & fini nostro ultimo, quippè super omnia amando & prosequendo, tum amore concupiscentiæ, ut summum bonum nostrum, & ultimus finis *CUIUS* est: tum maximè amore amicitiæ, ut summum bonum in se, & ultimus finis *CUI* est: à quo summo Bono & ultimo fine totaliter avertit peccatum mortale, & saltem retardat peccatum veniale, offensa, injuria, & malitia peccati summa, atque directè opposita charitati divinæ. IV. Repugnat DEO, ut supremo Legislatori simpliciter prohibentis peccata: sicq; omne peccatum generaliter inobedientiam involvit, contra obedientiam DEO debitam, alia specialis offensa, & injuria DEI. V. Repugnat DEO, ut primo principio ac supremo Domino vitæ ac mortis, cui proindè supremus cultus Latriæ debetur ex virtute Religionis: sicque omne peccatum generatim inhonorationem DEI, adeóque offensam & injuriam gravissimam involvit, contra eandem virtutem Religionis: ut proinde pœnitentiam, quatenus eo respectu & ratione peccatum detestatur, rectè Cajetanus apud Layman *cit. n.* 3. dixerit esse quandam speciem virtutis Religionis. VI. Repugnat DEO, ut supremo nostro benefactori, omniúmque bonorum authori & largitori: sicque tandem omne peccatum generaliter ac atrocem erga DEUM ingratitudinem continet adversus gratitudinem ipsi summo jure debitam: alia rursus specialis offensa & injuria. Quæ omnia late & terribiliter exaggerata reperies in scripturis, Patribus, & Doctoribus.

IV. Vides ergò (& nonnè contremiscis, & 9
jam nunc elicito vehementi pœnitentiæ virtutis actu, super omnia detestaris, & compensare, abolere, ac vindicare effervescis omni debitâ satisfactione sane multiplicem offensam & injuriam Dei?) Vides, inquam, omne peccatum, præter propriam malitiam specificam ex objecto, v. g. blasphemiæ, adulterii, furti &c. insuper continere generaliter offensam DEI, contra ejus infinitè sanctam voluntatem: deinde injuriam contra summum ac strictum ejus jus in te, & omnes actiones tuas? ulteriùs speciales offensas, injurias ac malitias infandas contra charitatem, Religionem, obedientiam, gratitudinem, omni jure Deo debitas. Sed tamen: ne apprehendas us omnibus constitui pluralitatem specificam peccatorum, seu diversas malitias specificas in confessione explicandas & enumerandas per modum circumstantiarum speciem mutantium: minimè: quia sunt malitiæ transcendentes generaliter imbibitæ in omni peccato; & ipso peccato in sua specie explicato, sufficienter intellectæ, & ideò non multiplicant peccata mortaliter, nisi formaliter & directè intenderentur à peccatore, ut si expressâ intentione ideò velles peccare, v. g. blasphemare, fornicari, te inebriare, &c. ut Deum offendas, injuriâ afficias, inhonores, ei ingratus sis &c. quod quidem extremæ esset malitiæ, diabolis & diabolicis hominibus magis, sagisque propriæ. Placuit tamen commemorare, ut subministrem varios modos apprehendendi deformitatem peccati, ut ad illud fugiendum, detestandum, & abolendum moveamur jam hâc, jam illâ consideratione, prout erimus dispositi, & occasio se offeret. His ergò sic positis quoad objectum pœnitentiæ virtutis

Universidad de Deusto
Biblioteca

tutis, quoad ipsum actum, & actualem detestationem, vindictam, & satisfactionem peccatorum, noli hic abstractè agere, quia necessariò pluribus agendum erit deinceps, tum de Contritione, tum de Satisfactione, tanquam partibus Sacramenti Pœnitentiæ.

§. IV.

Quid Sacramentum Pœnitentiæ?

10 **E***St absolutio hominis pœnitentis, contriti, & confessi, facta certis verbis cum debita intentione prolatis à Sacerdote jurisdictionem habente ex institutione divina absolutionem animæ à peccato significans.* Ex Scoto *in* 4. *d.* 14. *q.* 4.

Est definitio accurata singula ad hoc Sacramentum concurrentia & requisita distinctè exprimens: sed tu, Tyro, non facilè retines. Dic faciliùs: *Est Sacramentum novæ legis, quo homo verè pœnitens & confessus, à Sacerdote legitimo, certâ verborũ formâ, à peccatis absolvitur.* Explicatio necessariò tractanda est per totum decursum: ut supervacaneum sit, hic multa generaliter & in abstracto inculcare. Aliqua tamen hic breviter adnoto.

11 I. Pœnitentia est verum Sacramentum novæ legis. Certum de fide. Ex verbis expressis Christi. Matth. 18. *Amen dico vobis: quæcunq; alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis. Et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Ratio ergo est, quia ubicunque in Scriptura instituitur externum symbolum, cum promissione gratiæ, ibi instituitur verum Sacramentum: sed in prædictis verbis institutum est externum symbolum, seu signum sensibile, nempe absolutio, utique faciendа signo aliquo externo sensibili, cum promissione gratiæ, scilicet remissionis peccatorum, quæ necessariò fit per infusionem gratiæ sanctificantis: ergò ibi institutum est verum Sacramentum.

12 II. Sacramentum Pœnitentiæ est immediatè institutum à Christo Domino. Certum de fide, prout docet & definit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. *Can.* 1. Est quidem Potestas absolvendi prædicta & promissa Apostolis, adeóque Sacramentum Pœnitentiæ inchoativè institutum à Christo adhuc vivente vitâ mortali citato cap. 18. Matthæi: simpliciter tamen & absolutè in effectu institutum est post Resurrectionem Joan. 20. quando Christus Apostolis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Sic Trident. *sess.* 14. *c.* 1. dicens: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentia tunc præcipue instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos dicens: Accipite Spiritum Sanctum &c.*

13 III. Sacramentum Pœnitentiæ post sui institutionem in lege nova est necessarium ad salutem omni homini post Baptismum in peccatum mortale prolapso, necessitate medii in re, vel in voto: reipsâ autem susceptum, necessitate præcepti tantùm. De fide definitum in Concilio Tridentino *eâdem sess.* 4. *c.* 5. Ratio est: quia quando effectus alicujus medii instituti est simpliciter necessarius ad salutem, ipsum quóque medium institutum sic necessarium est: sed effectus Sacramenti Pœnitentiæ, scilicet remissio peccati mortalis post baptismum commissi, ac justificatio peccatoris, simpliciter est necessarius ad salutem, cùm nullus possit salvari, nisi remissis peccatis mortalibus: ergo & ipsum Sacramentum Pœnitentiæ est sic necessarium necessitate medii, aut reipsâ susceptum, si possibilitas adsit, aut saltem habitum in voto, implicitè saltem semper incluso in contritione perfecta vel amore Dei super omnia, ut *cap. seq.* de Contritione suo loco patebit. Nam reipsâ tantùm susceptum necessarium est solùm necessitate præcepti divini pro articulo mortis: & præcepti Ecclesiastici semel per singulos annos, ut latiùs patebit *infra*, cum de Confessione.

IV. Subjectum capax Sacramenti Pœnitentiæ proindè est omnis & solus homo viator post Baptismum peccato alicui obnoxius, atque ad ejus remissionem dispositus, juxta latè dicenda in sequentibus. Alia quæstio est: Cuinam necessarium sit Sacramentum Pœnitentiæ? Sed jam audivisti esse necessarium omni homini post Baptismum in peccatum mortale prolapso, vide infrà de materia hujus Sacramenti. 14

§. Est ergo Sacramentum Pœnitentiæ patenter distinctum à Sacramento Baptismi, cùm utriusque Sacramenti diversæ sint materiæ & formæ: Baptismus iterabilis, Pœnitentia iterabilis, toties quoties: uti contra quosdam hæreticos sub anathemate etiam definit Concil. Trid. cit. sess. 14. Can. 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Sacramentum pœnitentiæ dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideò pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.* Dicitur autem Pœnitentia secunda post naufragium tabula, ut explicant Scholastici: quia cum totum humanum genus primi Parentis lapsu, naufragium passum sit, duo nobis misericors DEUS in nova lege Sacramentorum remedia, velut tabulas ad emergendum ordinavit, unam Baptismi, alteram Pœnitentiæ. Neque tertiâ opus est, eò quòd licèt homo sæpiùs in peccatum relabatur, eandem semper Pœnitentiæ tabulam apprehendere possit, ac securo littori gratiæ divinæ ac æternæ beatitudinis portui restitui. Paulò aliter ex Patribus explicat Layman.

SECTIO II.

Quæ, quot, & quales sunt partes Pœnitentiæ, seu Sacramenti Pœnitentiæ?

SUMMARIUM.

15. *Partes ex parte Sacramenti sunt materia, & forma.*

16. *Ex parte pœnitentis*, Contritio, Confessio & satisfactio.
17. *Satisfactio autem est solùm pars integralis.*
18. *Quo jenju contritio & confessio sint partes essentiales.*
19. *Thomistæ & RR. volunt eas esse partes propriè essentiales.*
20. *Scotus cum suis id optimè negat.*

15 IN hac quæstione attendendum est ad terminos. Quando expresè & distinctè quæritur: *Quæ, vel quot sunt partes Pœnitentiæ Sacramenti?* in promptu est responsio. *Duæ sunt*, sicut in omnibus aliis Sacramentis: *materia & forma.* Forma sunt verba absolutionis: Ego te absolvo &c. materia sunt peccata cum dolore confessa: ubi exprimis simul & materiam remotam, *peccata*, & materiam proximam seu actus pœnitentis, qui sunt dolor & confessio, cum satisfactione saltem implicita in ipso dolore inclusa, ut patebit suo loco.

16 Quando verò simpliciter quæritur: *quæ, vel quot sunt partes Pœnitentiæ?* Regulariter intelligitur de pœnitentia se habente ex parte Pœnitentis duntaxat: & responsio notissima est: *Tres sunt: Contritio, Confessio, & Satisfactio.* Majoris claritatis gratiâ, & ut tu quóque aliquid sapere videaris, & bene distinguendo, bene doceas, posses ad hanc quæstionem ita distinguere. Pœnitentiæ, ut totum Sacramentum est, duæ sunt partes, materia & forma, *ut suprà*: Pœnitentiæ verò, ut se tenet ex parte pœnitentis tantùm, tres sunt partes, Contritio, Confessio, & Satisfactio. Hæc de modo loquendi, & ad quæstionem, *quæ vel quot*: Jam quoad rem, & quæstionem, *quales sint partes Pœnitentiæ*, sit

§. I.

Quænam ex his sunt Partes essentiales?

17 PArs essentialis & principalis Sacramenti Pœnitentiæ, citra controversiam est forma absolutionis: de qua pluribus suo loco *cap.* 5. Ex parte pœnitentis verò duæ tantùm dicuntur partes essentiales, Contritio, & Confessio: Satisfactio autem est solùm pars integralis, & requisita in hoc Saramento, non ut reipsâ existens; sed solùm in proposito, saltem implicito virtualiter semper incluso in ipsa contritione & proposito melioris vitæ. Ita omnes. *Ratio* clara est: quia hoc Sacramentum per modum judicii, suppositâ accusatione dolorosâ, essentialiter perficitur per absolutionem regulariter datam ante satisfactionem, seu implectionem pœnitentiæ & executionem operum à Confessario injunctorum: quin infirmis sensibus destitutis validè & essentialiter completo Sacramento, absolutio confertur absque omni injuncta satisfactione, etsi non absque proposito virtuali modo dicto, ut latiùs patebit suo loco *cap.* 4. ergo contritio & confessio tantùm, non item satisfactio, potest dici pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Jam rursus quæritur

§. II.

Quomodo Contritio & Confessio sunt partes essentiales?

Sunt sine dubio partes essentiales in hoc 18
sensu, & hâc ratione, quòd sine ipsis reipsâ habitis simpliciter non possit consistere essentia Sacramenti Pœnitentiæ, seu absolutio legitima & valida. In his terminis omnes consentiunt: & nimis certum est ex Concilio Tridentino mox infrà allegando. *Ratio* quóque clara est: Quia Sacramentum Pœnitentiæ, tanquam verum judicium essentialiter consistit in accusatione & absolutione Rei: ergo confessio aliqua ita est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, ut sine ea actu habita, non possit consistere essentia Sacramenti. Atqui certissimum quóque est, non sufficere confessionem peccatorum quamcunque & quomodocunque factam, sed requiri confessionem dolorosam de peccatis, factam in ordine ad delendum peccatum, & DEUM reconciliandum, ut latiùs patebit suis locis *cap.* 2. *&* 3 ergo etiam aliquis dolor est ita essentialis pars Pœnitentiæ Sacramenti, ut sine ipso actu habito Sacramentum subsistere nequeat. Sed jam rursus & difficilius quæritur

§. III.

Sùntque partes propriè essentiales per modum veræ materiæ?

Sic affirmant & docent Thomistæ omnes, & 19
Recentiores communiter. Nimirùm: contritionem & confessionem esse partes propriè essentiales per modum veræ materiæ, unà cum forma absolutionis componentes unum Sacramentum essentialiter: adeò, ut sicut in Baptismo, v. g. ablutio & forma, *Ego te baptizo &c.* immediatè constituunt, & componunt unum Sacramentum Baptismi, ac fundamentum proximum significationis practicæ, simúlque efficaciter significant gratiam sanctificantem, ac regenerationem spiritualem; ita contritio & confessio, seu confessio dolorosa peccatorum, unà cum absolutionis forma tanquam veræ compartes immediatè constituunt, & componunt unum Sacramentum Pœnitentiæ, unúmque immediatum fundamentum significationis practicæ, simúlque efficaciter significant gratiam justificantem, seu absolutionem animæ à peccatis. Ratio jam suprà indicata est: quia scilicet Sacramentum Pœnitentiæ, tanquam verum judicium essentialiter consistit in accusatione dolorosa & absolutione Rei. Estque Sententia recepta in sacris Consistoriis, quantùm ego cum meis Tyronibus expertus sum.

Contrà verò Scotus *in* 4. *d.* 12. *cum suis omni-* 20

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus, & nos paucis Recentioribus, tenet totam essentiam Sacramenti pœnitentiæ consistere in forma absolutionis, quæ sola per modum principalis actûs judicialis immediatè significat, fundatque significationem practicam & efficaciam absolutionis animæ à peccatis per infusam gratiam sanctificantem. Contritionem verò & Confessionem esse solùm partes materiales actu requisitas per modum conditionis, *sine qua non*: quatenùs Judex Sacramentalis non potest ferre sententiam absque cognitione causæ & dispositione pœnitentis: quemadmodùm etiam in alijs judicijs, accusatio Rei & cognitio Causæ, non propriè ad essentiam, sed potiùs ad integritatem judicij spectant. Favent huic Sententiæ oppidò Concilia Florentinum & Tridentinum: dum assignando materias Sacramentorum, Baptismi, Confirmationis &c. vocant simpliciter *materias*: quòd nimirùm habeant rationem propriam materiæ unà cum forma componentis essentiam Sacramenti, simúlque partialiter significantis effectum Sacramentalem: At verò in Sacramento Pœnitentiæ actus pœnitentis vocant, non absolutè & simpliciter, sed additâ particulâ diminuente, *quasi materiam*: innuentia utique, aliter se habere actus pœnitentis ad hoc Sacramentum, quàm aquam v. g. ad Baptismum, nec consequenter ita esse de essentia Sacramenti, sicut illam. Audi textum Tridentini *sess.* 14. *cap.* 3. sic habet. *Sunt QUASI materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempè contritio, confessio, & satisfactio, quæ quatenus in pœnitente ad INTEGRITATEM Sacramenti, ad plenámque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hâc ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Hæc sancta Synodus. Annon satis favorabiliter pro Sententia Scotistica? Pluribus non immoror, cùm sit res merè speculativa, & perinde est in praxi, quid credas. Si non placet sapere cum paucioribus, loquere cum multis: simúlque jam cape, quid respondeas ad principale punctum hujus quæstionis.

§. IV.

In quo consistit essentia Sacramenti Pœnitentiæ?

21 IAm satis audivisti. In sententia communi Thomistarum ac Recentiorum, essentia Sacramenti Pœnitentiæ consistit in dolorosa confessione peccatorum, & absolutione sacramentali simul. In Sententia vero Scoti consistit in sola absolutione sacramentali, suppositâ contritione & confessione, tanquàm conditione, *sine qua non*, necessariò actu requisitâ. Quo ipso patenter ab essentia Sacramenti pœnitentiæ secluditur satisfactio. Quid vis amplius?

SECTIO III.

Quæ, & quotuplex est materia Sacramenti Pœnitentiæ?

SUMMARIUM.

22. *Materia duplex: proxima, & remota.*
23. *Quomodo actus pœnitentis sint materia proxima: & 24. Qua ratione peccata sint materia remota:*
25. *Quare sola peccata post Baptismum commissa sint materialia hujus Sacramenti:*
26. *Qua materia necessaria, qua sufficiens.*

DUplex est materia Sacramenti Pœnitentiæ, *proxima & remota*. Materia *proxima & ex qua*, sunt actus pœnitentis, contritio, & confessio. Materia *remota, & circa quam* sunt peccata actualia, post Baptismum commissa; & hæc materia remota alia necessaria, alia sufficiens. Ita omnes. Sumitur palàm ex Concilio Tridentino paulò anteà allegato. Alii in concreto utramque materiam comprehendentes sic loquuntur: *Materia Sacramenti Pœnitentiæ sunt peccata post Baptismum commissa, debita contritione & confessione, sacris clavibus subjecta.* Explicatio rursus per speciales quæstiunculas. 22

§. I.

Quâ ratione actus pœnitentis sunt materia proxima & ex qua?

MAteria *proxima* dicuntur, quia proximè applicant peccata sacris clavibus, ut per absolutionem remitti possint. In omni enim Sacramento materia proxima dicitur id, quo materia remota proximè applicatur, ut accedente formâ Sacramentum perficiatur, ut ablutio aquæ in Baptismo; Unctio Chrysmatis in Confirmatione; traditio Calicis, &c. in Ordine. Atqui per contritionem & confessionem, seu per confessionem dolorosam peccata sunt proximè applicata, ut accedente formâ absolutionis, Sacramento perfecto, remittantur: ergo actus pœnitentis contritio & confessio, rectè dicuntur materia *proxima* Sacramenti Pœnitentiæ. Materia *ex qua* verò dicuntur in communi Sententia suprà allata, *sect. prac.* §. 1. quòd contritio & confessio sit vera materia & pars essentialis una cum forma absolutionis componens & intrinsecè constituens Sacramentum Pœnitentiæ, sicut Baptismus ex aqua & forma homo ex corpore & anima. Quare eo termino *ex qua*, non utuntur Scotistæ: 23

§. II.

Quâ ratione peccata sunt materia remota & circa quam?

REmota materia dicuntur, quia peccata secundùm se non sunt immediatè remissibilia 24

bilia per absolutionem, nisi per actus pœnitentis proximè applicentur, ut modò explicatum est.

Materia autem *circa quam* dicitur, quia sunt objectum, circa quod detestandum, destruendum, ac dolendum versantur tum actus pœnitentis, tum ipsa absolutio *uti enim ignis materiam ligna esse dicimus, quia vi ignis consumuntur; ita peccata, quæ pœnitentiâ delentur, rectè hujus Sacramenti materia dici possunt.* Catechismus Romanus Pij V. *p.* 2. *n.* 24.

§. III.

Quare sola peccata actualia post Baptismum commissa.

25 QUia sola peccata actualia post Baptismum commissa hominem in foro Ecclesiæ reum constituunt. Nam ut aliquis sit reus in foro Ecclesiæ, ejúsque judicio subjiciatur, debet priùs esse subditus Ecclesiæ: atqui soli baptizati sunt, & per Baptismum fiunt subditi Ecclesiæ, consequenter ij soli suis peccatis Rei sunt in foro Ecclesiæ. Nam secundùm Apostolum: *Ecclesia non judicat de ijs, qui foris sunt.* Et Concilium Tridentinum *sess.* 14. *c.* 2. dicit: *Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non priùs per Baptismi januam fuerit ingressus. Et ibidem can.* 1. *definit*: *Pœnitentiæ Sacramentum esse institutum a Christo pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata prolabuntur.* Et hinc *sola peccata actualia post Baptismum commissa*, sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, minimè verò peccatum originale, quippè quod per ipsum Baptismum necessariò priùs remittendum est: & tandem sola *peccata* vera propriè dicta & reipsâ commissa sunt materia hujus Sacramenti: quia sola peccata vera coram DEO facta indigent reconciliatione cum DEO, mediante hoc Sacramento. Quare si nihil confitearis nisi meram imperfectionem, v. g. quòd hodie manè non amaveris Deum super omnia &c. aut confitearis solùm peccatum, quod falsò putas à te commissum, reverâ non subsisteret Sacramentum, ut bene observat Lugo *De Pœnit. d.* 12. *sect.* 1. *n.* 12.

§. IV.

Quotuplex est materia remota? qua necessaria? qua sufficiens?

26 MAteria remota Sacramenti Pœnitentiæ duplex est: *Necessaria & sufficiens.* Materia *necessaria*, est solum peccatum mortale post Baptismum commissum, & nunquàm legitimè confessum: seu nunquam Ecclesiæ clavibus legitimè subjectum. Materia sufficiens est omne peccatum post Baptismum commissum, etiam veniale, etiam mortale jam semel legitimè confessum. *Omnes.* Ratio est: quia ideò aliquod peccatum dicitur materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ vel Confessionis, quia homo illud tenetur confiteri seu subjicere clavibus habitâ opportunitate, sub dispendio salutis: atqui sola peccata mortalia nunquam ritè confessa sub dispendio salutis clavibus subjicienda sunt per confessionem: ut patet ex Concilio Tridentino *sess.* 14. ferè totâ; & ampliùs patebit *cap.* 3. *sect.* 1. Venialia autem aliis multis modis deleri possunt: jam legitimè confessa aliâ deletione haud egent: ergo illa tantùm, non hæc sunt materia necessaria hujus Sacramenti. Attamen hæc ipsa adhuc sunt materia sufficiens, idque quâ ratione, difficultates sunt non modicæ meritò per justas quæstiones explicandæ.

SECTIO IV.

De Materia sufficiente, & Dubia Sacramenti Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

27. *Venialia sunt materia sufficiens.*
29. *Quâ ratione*
31. *Probabilius per solam attritionem venialia non remittuntur extra Sacramentum.*
34. *Nullum etiam veniale remittitur sine aliqua saltem virtuali pœnitentia*
35. *Pœnitentia formalis, aut virtualis quando habeatur.*
36. *Per quos actus venialia ex opere operantis remittantur;* Usque ad n. 40.
40. *Venialia universaliter etiam remittuntur ex opere operato immediatè per omnia Sacramenta N. L.*
42. *in statu gratiæ ritè suscepta*
44. *Qualiter venialia remittantur per Sacramentalia.*
46. *Nullum veniale remittitur sine remissione mortalis, si aliter.*
48. *Qua ratione peccata jam legitimè confessa sint materia sufficiens;* Usque ad n. 54. &
54. *Qua ratione peccata dubia:*
56. *Qualiter Confessarius procedere debeat? si pœnitens mera dubia afferat?*

§. I.

Quâ ratione peccata venialia sunt materia hujus Sacramenti?

I. SUnt materia omninò sufficiens. Sic enim expressè docet Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. anathema dicit. *si quis dixerit non licere peccata venialia confiteri.* Et ratio est, quia peccata etiam venialia sunt verè & absolutè peccata coram Deo, hominémque reum culpæ & pœnæ constituunt: ergò & illa debitè applicata per dolorosam confessionem sunt materia apta ad absolutionem, & cum forma absolutionis sacramentalis Sacramentum constituere poterunt. Sed en tibi difficultatem non modicam, meritò diligenter explicandam! 27

II. Confitens sola venialia (reipsâ carens mortali, & in gratia constitutus) aut habet contritionem vel saltem attritionem de venialibus, aut non habet. Si non habet, Sacramentum nullum erit, cùm dolor attritionis saltem sit pars essentialis, seu conditio necessariò requisita ad hoc Sacramentum. Si habet veram attritionem, tunc jam per ipsam attritionem ex opere operantis, ante absolutionem, remittuntur ea venialia, de quibus attritus est, seu doluit. Nam secundùm communem Sententiam DD. per omnem veram supernaturalem attritionem, etiam 28

Universidad de Deusto
Biblioteca

jam extra omne Sacramentum remittuntur venialia: cùm omnis attritio sit vera retractatio prioris delicti, & consequenter in homine justo actus meritorius & satisfactorius: ergo sola venialia non sunt materia sufficiens & apta Sacramenti absolutionis. Quomodo enim sunt materia absolutionis, si nunquam absolvantur, seu per Sacramentum absolutionis remittantur? Sed negatur rotundè consequentia. Nam

29 III. Stante etiam, sed nihil obstante illâ commmuni Sententiâ, venialia hominis justi regulariter (certè non omnino nunquam, ut patebit) non remitti directè per Sacramentum ex opere operato; adhuc tamen rectissimè dicuntur materia sufficiens hujus Sacramenti, variâ ratione. I. Etiam mortalia sæpissimè remittuntur ante absolutionem per perfectam contritionem, ad quam omnes boni confitentes conari, & boni Confessarii disponere & adhortari solent, & tamen dicuntur & sunt materia sufficiens, imò & necessaria hujus Sacramenti. II. Peccata venialia hominis habentis etiam mortalia, & de utrisque attriti directè & ex opere operato remittuntur per Sacramentum Pœnitentiæ. Remitti tunc certum est: at non remittuntur ex vi suæ attritionis vel dispositionis ex opere operantis: quia venialia hominis existentis in mortali non possunt remitti, nisi remissis priùs mortalibus, cùm actus remissivus venialium debeat esse meritorius, qualis nullus potest esse hominis existentis in peccato mortali. Atqui peccata mortalia non remittuntur per solam attritionem ante Sacramentum: ergo nec venialia tunc remittuntur, sed unà cum mortalibus remittuntur vi Sacramenti ex opere operato.

30 IV. Quando unà cum venialibus obnoxius es peccato mortali, & de utrisque communem elicis attritionem, v. g. quòd iis Deum severum Judicem offenderis, infernum merueris, & sic confiteris solùm venialia, omisso mortali: vel quia inculpabiliter non recordaris; vel quia recordaris quidem, at justam causam illud non aperiendi habes (juxta dicenda *cap. 3. suo loco.*) Hoc casu directè absolveris à solis venialibus, & indirectè tantùm à mortali omisso, secundùm communem DD. Vides jam, quàm sint materia sufficiens hujus Sacramenti peccata venialia. Sed audi amplius

31 V. Longè probabilius & verius est per solam attritionem extra Sacramentum non remitti venialia, ideóque sola venialia cum attritione confessa semper remitti per Sacramentum ex opere operato. Ita Vasquez in *3. p. quæst. 87. a. 1. dub. 1.* eúmque secutus Layman *lib. 5. tract. 6. num. 14. & 15.* quem vide. Saltem probabilissimum & mihi propè certum est, quod docet Lugo *De pœnit. disp. 9. sect. 2. num. 29.* Non per quemlibet actum attritionis hominis justi remitti posse quodlibet veniale, vel omnia venialia, sed requiri actum valde ferventem & perfectum: ideóque adhuc venialia sola nimis sæpè remitti per ipsum Sacramentum. *Ratio est*: quia sine dubio plùs requiritur ex parte pœnitentis ad remittenda venialia ex opere operantis sine Sacramento, quàm cum Sacramento suscepto ex opere operato: ergo non omnis actus attritionis sufficiens cum Sacramento ad remittenda venialia confessa, sufficit etiam extra, vel ante Sacramentum ad remittenda eadem venialia, de quibus quis atteritur, sed requiritur attritio in certo gradu perfectionis, fervoris, motivi melioris vel sublimioris &c. eóque majori & majori juxta proportionem majoris & majoris gravitatis, vel multitudinis peccatorum venialium. Quis enim dicat, vel credat te eodem actu & gradu attritionis, quo cum Sacramento deles peccata venialia v. g. vanæ cogitationis, vel verbi otiosi, etiam extra Sacramentum delere aliquot satis graves excessus vel crapulas, contentiones, rixas &c. etsi non mortales? Certè non pauci, inter quos magnus Theologus Vasquez suprà allegatus ad remissionem venialium extra Sacramentum contritionem perfectam vel amorem DEI super omnia, bonis rationibus requirunt. vide Layman *l. c.*

32 §. Denique opposita illa Sententia, nimirùm venialia hominis justi sola nunquàm remitti per Sacramentum Pœnitentiæ, videtur esse contra omnem sensum & praxin fidelium & proborum omnium: Nam optimi quique pro remissione venialium tanquam meliori & securiori medio utuntur hoc Sacramento, adeóque supponunt hoc Sacramentum habere efficaciam ad ea remittenda, Deúmque reconciliandum, pro his venialibus & quotidianis culpis offensum, unde & ejusmodi confessiones venialium *reconciliationes* dicere solemus. Hic piè curiosus meritò scíscitabitur, per quos ergo actus universim remittantur peccata venialia? Charitas urget, ut oporteat cum tam piè ambiante procedere mille passus. Sit ergo incidenter

§. II.
Quæstio Incidentalis.
Quibus modis universim delentur peccata venialia?

33 *Venialia remittuntur universim duobus modis. 1. Ex opere operantis. 2. Ex opere operato per Sacramenta, & aliquatenus per Sacramentalia.* Ita Communis DD. Explicatio.

I. Ex opere operantis per actus meritorios &c.

34 Peccata venialia, seu veniales culpæ non remittuntur per quoscunque actus meritorios, seu per quæcunque opera bona hominis justi; sed per actus meritorios venialibus aliquo modo oppositos, seu per illos actus, in quibus involvitur formalis vel virtualis aliqua pœnitentia seu displicentia peccati. Et breviter: nullum etiam veniale peccatum in hac vita a Deo homini remittitur sine aliqua saltem virtuali pœnitentia. Ita (contra D. *Bonaventuram, Gabriel*, alios apud citandos) Communis DD. cum D. Thoma *3 p. q. 87. a. 1.* & ibidem *Suarez, Vasquez, Coninck.* & alii Layman *lib. 5. c. 6. num. 6.* Lugo *de Pœnitentia. disp. 9. num. 21.* Ratio est: quia cùm homo per quodlibet peccatum veniale verè offendat Deum, & aliquo modo recedat à voluntate DEI, non est conveniens, ut ei remittatur seu condonetur hæc offensa & recessus à Deo, nisi per reditum ejusdem ad DEUM aliquo actu contrario: neque enim offendens potest fieri non offendens, saltem lege ordinariâ, nisi aliquo actu contrario offensam retractet: atqui iste ad Deum reditus, & hæc offensæ retractatio non potest esse vel intelligi sine aliqua formali vel saltem virtuali pœnitudine, aversione ac displicentia peccati, ut ex se patet: ergo &c.

35 §. *Formalem* autem pœnitentiam & displicentiam venialium habes, quando expresè doles de tuis venialibus, v. g. dicendo: *doleo me commisisse hoc vel illa venialia, vellem nunquam patrasse, O si non fecissem, &c.* Virtualem autem pœnitentiam & displicentiam habes, quando exerces actum directè contrarium tuis venialibus. Utpote 1. Quando petis à Deo veniam illorum, v.g. dicendo. *Dimitte nobis &c. Miserere, &c.* 2. Quando proponis non amplius committere alia venialia, modò non perduret complicentia de commissis. 3. Quando exerces actum virtutis contrarium tuis venialibus: adeóque remittuntur tibi omnia venialia tua mendacia, quando ex amore veritatis loqueris, quod verum est. Ita mox citandi 4. Quando cujuscunque virtutis aliquem actum, vel opus bonum exerces eâ intentione, ut obtineas remissionem omnium tuorum peccatorum. Vide latè Lugo *l. cit.* Et fusiùs Dicastillum de Pœnitentia *disp. 20. dubio 16. & 17.* Ergo jam in particulari

36 Peccata venialia ex opere operantis remittuntur 1. Certissimè per actum contritionis perfectæ, quo doles de summo bono super omnia amando & dilecto à te quomodocunque offenso, adeóque complectendo veniales offensas: præsertim etiamsi expresè extendas ad omnia venialia. Nam (NB.) si doleas de summo bono offenso simpliciter, & tam graviter, quàm solet offendi per mortalia peccata, utpote jactura gratiæ divinæ, ac æternæ beatitudinis, jam hic dolor tuus non se extenderet ad tua venialia, ac proinde per hunc actum, etsi perfectæ contritionis, & omnium mortalium remissivi, non remitterentur venialia. Potest námque fieri, ut cum vera contritione & justificatione, vel gratiæ augmentatione consistant venialia aliqua peccata, sive secundùm actualem affectum, sive secundùm habitualem nondum retractatam voluntatem.

37 II. In satis communi & probabili Sententia,

etiam per actum veræ attritionis supernaturalis, similiter sub motivo excludente etiam venialia, utpote quòd Deum offendendo pœnas saltem purgatorii, altásve temporales promeritus sis, item privationem majoris gratiæ, gloriæ &c. Nam si doletes de peccatis, quòd ij infernum meritus, æternâ beatitudine excideris &c. jam rursus patenter dolor tuus se non extenderet ad tua venialia; quin cum hoc dolore posses simul habere actualem affectum aliquorum venialium, nedùm habitualem nondùm retractatam voluntatem. Sed vide de attritione dicta, *q. preced.*

III. Certissimò per actum formalem amoris 38
DEI super omnia, quo Deus præfertur omnibus omninò rebus et displicitis tam levibus, quàm gravibus. Cùm enim homo perfecto amoris actu se Deo absolutè & penitùs subjicit, volens ipsi in omnibus actionibus placere & obtemperare, eo ipso implicitè saltem & virtualiter detestatur omnia peccata, non solùm gravia, sed etiam levia, quatenùs omnia Deo displicent; adeóque talis actus perfectæ charitatis semper ad omnia etiam venialia peccata se extendit, atque omnia delet secundùm culpæ reatum: Ex communi DD. Suarez, Coninck, Layman *cit. c. 6. n. 13.*

IV. Per omne opus bonum meritorium, sci- 39
licet in statu gratiæ, ex charitate & propter Deum factum: utpote omnes orationes, jejunia, eleemosynas, mortificationes, alia omnia quæcunque, in quibus virtualis peccati pœnitentia vel displicentia involvitur, aut quæ ex intentione facis, ut obtineas remissionem peccatorum tuorum omnium, juxta suprà *n. precedenti* dicta. Quâ ratione D. Augustinus, aliique PP. & DD. dicunt, quòd peccatorum venialium remissionem à Deo consequimur, per orationem Dominicam & alias preces ad Deum fusas continentes in se petitionem veniæ peccatorum: atque per quodvis opus bonum Deo ad eum finem factum & oblatum: nimirùm facta propter Deum ex charitate, sine qua opera quæcunque nihil prosunt homini ad salutem. Vide & mirare abundantiam mediorum delendi venialia. Sed necdùm finis.

II. Ex opere operato per Sacramenta.

Universaliter per omnia Sacramenta novæ 40
legis peccata venialia remittuntur ex opere operato immediatè. Ita universaliter. D. Thomas *cit. q. 87. a. 3.* Et cum ipso communior DD. Suarez *disp. 12. sect. 1.* Tannerus *disp. 6. q. 4. num. 50.* Lugo *disp. 9. sect. 3.* alii apud istos. De Baptismo non potest esse dubium. De Sacramento Pœnitentiæ pater ex dictis. De extrema Unctione est certum de fide, Jacob. 5. *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Sed de Eucharistia quidem negant sanè multi, & multò plures de Confirmatione, Ordine, & Matrimonio. Sed contrà

II. Ratio universalis est. Quia omnia Sa- 41

Universidad de Deusto
Biblioteca

cramenta novæ legis instituta sunt ad justificandum & sanctificandum hominem : atque per hoc ipsum , eóque ipso in remedium ac remissionem peccatorum : ergo debitè susceptа reipsâ operantur in homine remissionem peccatorum residuorum : non utique mortalium (cùm jam supponatur esse in statu gratiæ , & peccata mortalia per Sacramenta mortuorum Baptismum & Pœnitentiam jam remissa supponantur) ergo peccatorum venialium. Insuper

42 III. Ut per Sacramenta remittantur peccata venialia, ultra statum gratiæ sanctificantis , ex parte suscipientis non requiritur alia dispositio, quàm intentio suscipiendi hoc Sacramentum in remedium suorum peccatorum sive ad salutem suam, sive generaliter ad eum finem , ad quem Sacramentum institutum est , & reipsâ suscipitur, absque affectu actuali ad ulla venialia : eo ipso enim virtualiter jam est aversus ab ipsis . virtuali & implicitâ aliquâ aversione, displicentiâ. pœnitentiâ; ut post Suarez & alios bene docent Tannerus *cit. n. 56.* Gobat. *Alphab. Confitent. Casu 11. n. 342.* Quod post Sacramentum Pœnitentiæ , maximè verum videtur de Sacramento Eucharistiæ, quod est symbolum summæ charitatis , atque *antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, &c.* uti loquitur Concil. Trident. *sess. 13. cap. 1.* De Confirmatione , Ordine, & Matrimonio, quoad hoc alios dubitare permittamus , quia non ut certam , sed solùm pro probabili habemus opinionem istam generalem.

43 IV. Sacrificium Missæ denique , etsi de se ex opere operato non sit immediatè propitiatorium & expiatorium , seu remissivum peccatorum mortalium & venialium, in communi Sententia , ut vidimus suo loco *parte 1. n. 241. 242.* attamen si curâsti fieri Sacrum pro tuis peccatis, seu in remedium ac remissionem peccatorum tuorum , adeóque hoc ipso virtualiter aversus ab ipsis, tibi remitti omnia venialia, ad quæ non habes affectum vigentem actualem , rectissimè affirmant Suarez, aliique cum Tanner o *cit. disp. 5. q. 9. n. 90.* prout ibidem annotatum habes. Ratio ex dictis patere debet.

III. Et aliquatenùs per Sacramentalia.

44 *Sacramentalia*, sic dicta, quòd vel soleant adhiberi ad Sacramenta conficienda, ut efformatio Crucis, Benedictiones, orationes Ecclesiæ: vel quòd aliquo modo æmulentur genium Sacramentorum : ut aquæ lustralis aspersio, usus rerum benedictarum ab Ecclesia , confessio generalis, tunsio pectoris, &c. Hæc & hujusmodi etiam ex opere operato immediatè, ex vi institutionis & orationis Ecclesiæ, dilectæ sponsæ Christi remittere venialia , affirmant multi probabiliter : negant multi æquè probabiliter docentes fieri solùm ex opere operantis per pios in Deum motus hominis ea piè usurpantis. Sed probabilissimè & verius dicitur fieri partim ex opere operato , mediatè tamen , quatenus per preces Ecclesiæ junctas prædict.s rebus, dum iis piè utimur , movetur Deus (etsi non infallibiliter) ut in nobis excitet pios illos motus , quibus annexa est remissio venialium ; partim ex opere operantis, quatenus homo ijs rebus piè utitur in remedium ac remissionem peccatorum iorum cum pijs motibus displicentiæ peccatorum , conversionis in Deum, amoris, adorationis &c.

Videtur hæc esse mens D. Thomæ *3 p. q. 87. a. 3.* Verba ejus libens exscribo : *Triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. Uno modo, in quantum eis infunditur gratia : quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata, ut suprà dictum est. Et hoc modo per Eucharistiam & Extremam Unctionem, & universaliter per omnia Sacramenta novæ legis , in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo , in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum. Et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris, oratio Dominica, operantur ad remissionem peccatorum venialium. Nam in oratione Dominica petimus :* Dimitte nobis debita nostra. *Tertio modo , in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum & ad res divinas. Et hoc modo benedictio Episcopi* (quidni etiam Sacerdotis in Missa , & præsertim cum Venerabili Sacramento ?) *aspersio aquæ benedictæ , quælibet Sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata , & si quæ alia sunt hujusmodi , operantur ad remissionem venialium peccatorum.* Hactenus Doctor Angelicus. 45

IV. Adversio duplex notabilis.

46 IN hactenus dictis supponitur semper peccatum veniale nunquam remitti sine remissione peccati mortalis, quo homo est inquinatus; juxta communissimam Sententiam DD. cum D. Thoma *eâdem q. 87. a. 4.* pluribus congestis Laymannus *cit. c. 6. num. 16.* Ratio S. Thomæ est : quia nullum etiam veniale peccatum remittitur sine infusione gratiæ sanctificantis : atqui gratia sanctificans non potest consistere cum peccato mortali. ergo &c. Deinde nimis inconveniens est, & ridiculum videtur, quòd Deus reconcilietur in re levi illi, à quo minet graviter offensus, quique cum illo adhuc graves gerit inimicitias : sed peccator perseverans in mortali graves cum Deo gerit inimicitias, abjectissimus terræ vermiculus, quamdiu in peccato perdurans negligit remedia necessaria ad recuperandam gratiam & amicitiam divinam. At vero è diverso potest dimitti mortale sine veniali dimisso, quia potest haberi dolor de mortali, cùm tamen absit dolor, imò adsit complacentia de veniali , quod infusionem gratiæ sanctificantis non impedit , ut jam *suprà §. præced.* insinuavi, & magis patebit in sequentibus.

47 II. Sermo hactenus semper fuit de remissione venialium , quoad culpam tantùm. Nullus enim Theologus audebit dicere vel sentire , omnem etiam pœnam venialibus debitam , & in hac , vel altera vita in purgatorio luendam , remitti semper , quoties per actus bonos, Sacramenta vel Sacramentalia dimittuntur culpæ venmales: quia scilicet nulla ratio id vel probabiliter suadet : oppositúmque probant innumeræ revelationes & apparitiones illorum , qui accerbissimis purgatorii pœnis debuerunt expiare noxas modicas , quantumvis quoad culpam per pœnitentiam in vita remissas.

§. III.

Quâ ratione peccata jam legitimè confessa sunt materia hujus Sacramenti ?

48 I. Ut materia sufficiens. Ita expressè Benedictus Papa XI. *Extrav. inter Communes. de Privilegiis dicens :* reiterationem eorundem peccatorum in confessione esse salutarem. Et comprobatur universali Ecclesiæ , omniúmque proborum praxi , non tantum in confessionibus generalibus , sed etiam sæpe aliàs, utpote ob alterius materiæ certæ detectum , ad conscientiam quietandam , aut ob aliud motivum rationabile. Nam si absque omni causa vel motivo rationabili ex mera lubentia ejusmodi repetitio fieret , utique nugatorius & injurius esset abusus Sacramenti , ut omnes fatentur.

49 II. Ratio fundamentalis est : quia de ratione Sacramenti per se remissivi peccatorum , & collativi gratiæ , non est , quòd actu semper remittat peccata ; sed quod per se conferat gratiam sanctificantem , quæ ex natura sua est remissiva peccati, si adesset, ut gratia *prima;* etsi per accidens subjecto jam sanctificato non remittat peccatum , nec tunc habeat rationem *primæ* gratiæ , sed *secundæ* , seu augmenti prioris gratiæ jam receptæ. Unde in *prima parte* dictum est , Sacramenta mortuorum , Baptismum , & Pœnitentiam , per se collativa gratiæ primæ , per accidens sæpe conferre gratiam secundam , si nimirum inveniat subjectum jam sanctificatum : Atque ita etiam ad hoc , ut aliquod peccatum dicatur materia sufficiens Sacramenti remissivi peccatorum , necessarium non est , ut actu per illud Sacramentum remittatur , sed sufficit , quòd Sacramentum super illud cadens conferat gratiam sanctificantem de se remissivam illius , vel cujuslibet peccati , si adesset. Quemadmodùm ergo peccatum mortale jam ante confessionem deletum per veram contritionem , adhuc est materia non tantùm sufficiens, sed etiam necessaria Sacramenti Pœnitentiæ secundùm omnes : quia etsi Sacramentum tunc nihil remittat , confert tamen gratiam naturâ suâ remissivam peccati , si adesset. Ita etiam peccatum mortale jam legitimè confessum & remissum , etsi ulterius remitti nequeat , attamen contitione & confessione applicarum & subjectum clavibus Ecclesiæ , est sufficiens materia Sacramenti absolutionis collativi gratiæ sanctificantis , & remissivi peccati , si adesset.

III. Ut tamen peccata jam semel legitimè confessa, validè & fructuosè iterum subjiciantur clavibus , omninò requiritur nova dispositio pœnitentis , novus dolor & confessio , & re ipsa nova materia proxima Sacramenti : cùm novum & iteratum Sacramentum debeat constare novâ & iteratâ materiâ & formâ. Sine dubio enim non potest forma absolutionis repeti super eadem peccata sub eadem priori materia proximâ , eâdem contritione & confessione proposita , cùm in nullo Sacramento forma sæpius possit cadere super eandem materiam saltem proximam. Quapropter talis pœnitens nullum haberet fructum ex confessione iterata novum : non ex opere operantis seu propria dispositione , quæ non nova , sed eadam supponitur cum priori : neque ex opere operato , seu ratione Sacramenti , quod nullum esset. Neque sufficit sola iterata confessio absque novo dolore : quia non sola confessio nuda , sed confessio dolorosa , seu cum dolore & contritione facta , est materia proxima ad Sacramentum valide conferendum. 50

§. Scio docere Recentiores , & nominatim Tamburinum *opusc. de exped. confess. l. 1. c. 2. §. 1.* sufficere novam confessionem doloroiam , at non per novum dolorem elicitum , sed per priorem dolorem in priori confessione habitum , & adhuc virtualiter durantem in hac iterata confessione. Quod fateor speculativè verum esse. Sed displicet speculatio in re tæm morali , & tanta facilitate novum dolorem eliciendi. Certè hinc sequeretur , posse me eâdem dispositione , ac eodem dolore permanente , toties , quoties, iteratâ confessione & absolutione de eodem peccato acquirere quantamvis gratiam & remissionem pœnarum , quantumvis gravibus peccatis debitarum , quod certè nugatorium videtur & absurdum.

IV. Jam vide:, quàm iterata confessio , cum nova dispositione & dolore debitè facta non sit frustranea , sed omninò utilis & fructuosa , tam quoad infusionem novæ & uberioris gratiæ sanctificantis , & ex se deletivæ peccati , si adesset , quàm quoad remissionem pœnæ debitæ peccatis jam ante remissis , si tales pœnæ adhuc supersint , de quo rarum periculum : idque non tantùm ex opere operantis , seu novæ dispositionis , doloris , confusionis , erubescentiæ, aliorúmque actuum pœnitentis , qui actus de se sunt fructuosi & virtuosi , per quos justus meretur gratiæ augmentum , & remissionem pœnæ temporalis : sed etiam ex opere operato & virtute Sacramenti , uti docent DD. communiter cum D. Thoma in *4. dist. 17. q. 3. a. 3.* Ratio est : quia Sacramentum concurrentibus omnibus requisitis ad essentiam , ac validam & fructuosam sui susceptionem , semper confert suum effectum ex opere operato : sed in pro- 52

Universidad de Deusto
Biblioteca

posito concurrunt omnia requisita hujusmodi ad novum Sacramentum, utpote vera materia remota, scilicet peccata, etsi jam semel remissa; vera nova materia proxima, scilicet dispositio nova, contritio & confessio peccati; vera nova forma absolutionis sacramentalis: ergo confert Sacramentum suum effectum ex opere operato, scilicet gratiam sanctificantem, & remissionem pœnæ temporalis, si supersit.

53 §. Denique, quia peccata tam venialia, quàm mortalia jam semel legitimè confessa sunt materia Sacramenti, non necessaria, sed sufficiens tantùm & libera, ideo in confessione mortalium licitè possunt omitti venialia, vel omnia, vel aliqua: & in confessione venialium aliqua, etiam pleraque venialia: & in confessione generali, aliqua, etiam plura peccata mortalia, de quorum jam facta legitima confessione nullum dubium remanet: (ut contra Victoriam, Ledesma, alios) docet communis Sententia DD: apud Lugo *disp. 6. de Pœnitentia, Dianam p. 3. tract. 4. resolut. 50.*

§. IV.

Quâ ratione peccata dubia sunt materia hujus Sacramenti?

54 I. PEccatum dubium, quod reipsa factum est, est materia sufficiens ad validam absolutionem & Sacramentum Pœnitentiæ: secùs, quando reipsa factum non est: tunc enim Sacramentum nullum est. *Communis.* Ratio est: quia illud est materia sufficiens *circa quam* hujus Sacramenti, à quo quis potest validè absolvi: at tale est omne peccatum reipsâ commissum: Et illud non est materia sufficiens, à quo quis non potest validè absolvi: at à peccato dubio, quod in re commissum non est, non potest quis validè absolvi, cùm implicet tolli per absolutionem, quod nunquam fuit: à peccato autem quantumvis dubio, si reverà commissum est, validè quis absolvitur, illúdque verè tollitur per absolutionem, nihil obstante, quòd Pœnitens, vel etiam Confessarius absolvens dubitet de tali peccato, sitne reverà commissum, nec ne: quare tale dubium non facit, quòd peccatum, quod reverà peccatum & commissum, adeóque materia sufficiens hujus Sacramenti est, reipsâ peccatum, & commissum, & materia sufficiens Sacramenti non sit. Sicut nec econtrà quòd reverà sit, quod non est: ergo &c.

55 II. Peccatum dubium solùm per se non est materia licita absolutionis Sacramentalis absolutæ, & regulariter nec conditionatæ. *Omnes.* Ratio est: quia illud non est materia licita Sacramenti, à quo Sacerdos absolvens exponit Sacramentum certo periculo nullitatis ac irreverentiæ gravissimæ: sed absolvens absolutè à peccato dubio, de quo verè dubitatur, an factum sit, & consequenter an adsit materia sufficiens & requisita ad valorem Sacramenti, exponit Sacramentum certissimo periculo nullitatis & irreverentiæ gravissimæ; idcóque certò peccat mortaliter absolvens absolutè à solis peccatis dubiis. Et licèt hoc periculum nullitatis declinet absolvens à peccato suo dubio conditionatè: *Si revera ita commisisti:* non tamen declinat peccatum irreverentiæ erga Sacramentum regulariter, cùm etiam sub conditione proferre formas Sacramentorum absque urgente causa ex parte suscipientis vel Ministri, reverentiæ Sacramentorum repugnet, ut generatim dixi *in prima parte num.* 98. & mox infrà iterùm dicam.

56 III. Quòd si ergo pœnitens mera peccata dubia confiteatur & nullum certum, in praxi sic procedet Confessarius. I. Si Confessarius ex circumstantiis personæ advertat pro certo aliquod eorum peccatorum, quæ pœnitens sub dubio confitetur, reverâ esse commissum, licitè eum absolvit absolutè (quemadmodùm etiam, quoties pœnitens præter peccata dubia etiam adfert aliquod, vel aliqua peccata certa, licitè absolvit eum ab omnibus absolutè, tam certis, quàm dubiis, si fortè commissa sint) quia hoc peccatum Confessario satis cognitum est, & abest periculum nullitatis Sacramenti. II. Si nihil certi colligere possit Sacerdos, & peccata sub dubio proposita mortalia sint, inducendus est pœnitens, ut aliquod peccatum certum fateatur, saltem veniale, aut mortale antea confessum; quod ordinariè facilè fieri poterit. III. Quòd si nec hoc fieri possit, & periculum in mora sit, v. g. morte imminente &c. absolvendus est sub conditione, nimirùm: *Si hujusmodi peccatorum coram Deo revera reus es.* Ego te absolvo &c. Idem fiet, si pœnitens ex simplicitate vel ruditate nullum possit peccatum certum exponere, quantumvis instructus & adjutus à Confessario. Secùs, si ex malitia non vellet peccata certa, velut certa confiteri, sed nequiter sub dubio proponere vellet: prout ipse non semel audivi tales confitentes. *accuso me, si fortè ebrius fui, si detraxi proximo &c.* tunc enim tanquam non rectè dispositus sine absolutione repellendus esset, idque ei significandum. IV. Denique si pœnitens sola venialia dubia adferat, nullúmque certum exponat, extra saltem periculum mortis, non erit absolvendus, nec sub conditione quidem: cùm nec venialia certa sint materia necessaria absolutionis, multò minùs dubia. Ratio dictorum est: quia forma absolutionis sub conditione nunquam proferenda est, nisi adsit periculum damni spiritualis in Pœnitente vel Ministro, quod aliter non potest commodè evitari: sed quando peccata dubia sunt mortalia, omninò subest periculum salutis præsertim morte instante: quando verò illa tantùm sunt venialia, certum est, nullum imminere periculum damni spiritualis: ergo &c.

57 IV. Ad validam ergo absolutionem absolutè proferendam & conferendam, semper ponenda est materia certa: cùm alioquin Sacramentum exponeretur periculo nullitatis, mortali Sacramenti irreverentiâ: talis autem materia certa, utique non est peccatum dubium: sicut neque etiam, quòd quis non obtemperavit bonis inspirationibus, quòd non fecerit bonum opus, quod facilè facere potuisset, & similes imperfectiones, ut jam suprà & jam innui: in quibus exponendis non tenetur pœnitentem impedire Confessarius, etsi plerumque impedire possit, ut ex communi docet Lugo *suprà citatus.* Hactenus de materia remota Pœnitentiæ in communi; & de materia sufficienti in specie satis. De materia necessaria in particulari, quænam scilicet peccata, & quomodo in confessione explicanda sint, necessariò pluribus agendum erit infrà, cùm de confessione: quò etiam spectabit alia quæstio huic affinis: an hæc ipsa peccata dubia sint materia necessaria Sacramenti: seu an peccata dubia ut dubia necessariò in confessione explicanda sint. Jam ergo ad partes Sacramenti Pœnitentiæ exponendas procedamus.

CAPUT II.

De Contritione.

SECTIO I.

De Contritione generatim sumpta.

SEctiones hujus Capitis ob nimiâ materiæ copiâ necessariò subdividi debent in suas distinctas Quæstiones & hæ rursus in suos §§. more solito. Sit ergo

QUÆSTIO I.

Quid sit Contritio generatim sumpta?

SUMMARIUM.

58 *Contritio generatim est animi dolor & detestatio peccati.*
60 *Qualiter & ex quibus actibus concipi & consurgere soleat?* Usque ad n. 64.
64 *Contritio* essentialiter *includit utrumque actum,*
65 *Tam detestationem,* 66 *quàm dolorem.*
67 *Primariò tamen & principaliùs detestationem.*
69 *Cum proposito saltem virtuali.*
71 *Enumerantur reliqui actus ad essentiam contritionis non spectantes,* Usque ad n. 74.
74 *Quid contritio perfecta, & imperfecta seu attritio & unde sic dicta.*

Assertio.

58 COntritio *est animi dolor & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Ita in terminis definit Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 4.* Et ideò superiùs *cap. 1.* dixerat: Contritio *est Pœnitentia, quâ offensam Dei cum peccati odio, & pio animi dolore detestamur.* Ubi Concilium clariùs expressit differentiam contritionis ab aliis peccati detestationibus vel pœnitentiis insufficientibus, nimirùm quòd contritione detestemur peccatum, non quomodolibet, sed tanquam offensam DEI, ut *infra* §. 3. *in fine* iterum notabo. Sed prior definitio, tanquam maximè authentica explicanda nobis est, & omnimodis retinenda, præ aliis variis afferri solitis.

§. I.

Est animi dolor, & detestatio peccati.

DOlorem primo loco ponit Concilium tanquam quid notius, cùm tamen naturæ ordine *detestatio* prior sit *dolore*, tanquam causa suo effectu. Ideò namque dolemus & tristamur de peccato commisso, quia illud detestamur, abominamur, adesse nolumus, non factum vellemus &c. Etenim, dum peccator ad Dominum DEUM convertitur, seriò resipiscit, & ad veram pœnitentiam ac contritionem procedit, hi actus sequentes intervenire solent. 59

60 I. *Primus actus.* Immittit Deus peccatori cogitationem & agnitionem suorum peccatorum, ut dicat apud se. *Male me gessi, planè graviter deliqui, Deum offendi, inimicus Dei factus sum, infernum merui &c.* Et mox oritur *secundus actus*, cogitatio bona de placando DEO, ut dicat peccator intra se: *Omninò debeo me reconciliare cum Deo, debeo illum placare, ejus gratiam, amicitiam reparare &c.* Et quia præcipua, optima, imò unica ratio placandi Deum, est pœnitentia & detestatio peccati, hinc secundum istum actum sequitur è vestigio *Tertius actus*, detestatio, quâ peccator detestatur & execratur peccatum dicendo v. g. *Utinam tale scelus non commisissem: vellem, si fieri posset, nunquam offendisse Deum, &c.*

61 II. *Detestatio* ergo est actus voluntatis, quo voluntas cum horrore avertit se à peccato, illud execratur, & damnat, ac à se amoliri tentat tanquam malum præsens gravissimum, ideóque quantùm est in se, illud abolere, destruere, & non esse molitur. Hic quidem actus respectu peccati actualis commissi præteriti inefficax & conditionatus est: non enim potest voluntas absolutè & efficaciter velle peccatum commissum, & factum infectum fieri, cùm hoc sit impossibile, & id efficaciter velle & conari, stultum, ut loquitur D. Thomas: sed solùm actu conditionato & inefficaci, *si possibile esset*, vellet non peccâsse, peccatum commissum non esse commissum, illúdque simpliciter destruere & infectum reddere, adeò, ut nisi impossibilitas rei obsisteret, voluntas omni modo & medio efficere vellet peccatum non esse factum. Lugo *disp. 4. de Pœnitentia num. 16.* hunc autem sic exprimendum ait: *Si ego nunc haberem potentiam perficiendi, ut peccatum non fuisset, sum actu ita dispositus, ut esse em casurus hoc momento.* Sic ille speculativè bene. Sed practicè meliùs, magisque energicè sic suspirabis. *O utinam non fecissem! vellem utique, si possibile esset, Deum non offendisse. O mi Deus! si sanguine meo, si morte quantumvis atroci fieri posset, ut non sis offensus, Ecce me! paratum cor meum. Si tormentis inferorum deleri*

Universidad de Deusto
Biblioteca

possit. Ecce me! nullum est, quod non merui, nullum, quod amore tui non præeligo peccato, quod tantoperè odisti &c. &c. Vide Ascéticos scribentes de affectibus. Idè tamen actus detestationis efficax est & absolutus respectu ejusdem peccati habitualis, ut adhuc habitualiter præsentis in offensa Dei, & voluntate nondum retractata. Efficaciter enim absolutè eo actu se voluntas à peccato avertit, & quantùm fieri potest, reipsâ illud destruit & abolet, offensam & injuriam Dei reparat & delet, atque efficit, ut modo coram DEO Optimo & misericordissimo æquivalenter idem sit, ac si nunquam peccatum esset commissum. Hunc actum, quæso Tyro, bene comprehendere, & menti imprimere satage.

61 III. Hunc prædictum tertium actum detestationis, immediatè, infallibiliter ac necessariò sequitur *QUARTUS ACTUS*, dolor seu tristitia mentis. Quemadmodùm enim ex apprehensione & fruitione boni præsentis amati, necessariò sequitur gaudium seu lætitia animum suaviter afficiens: sic ex apprehensione, abominatione, ac detestatione mali præsentis noliti, ut in proposito, peccati omnium malorum mali pessimi, naturaliter sequitur animi dolor & tristitia animum affligens, crucians, torquens, à quo doloris ac tristitiæ actu & affectu multùm pænoso, denominatur *pœnitentia*, ac per illum describitur à SS. Patribus ut *cap.* 1. §. 1. visum: ac etiam Poëta 1. Pont. 1. *Pœnitet! O siquidem miserorum creditur ulli! Pœnitet! & facto torqueor ipse meo!* Dolor igitur seu *tristitia* illa nihil aliud est, quàm luctæ, & inquietudo mentis conantis repellere malum præsens apprehensum, ut in proposito peccatum, & efficere, ut nunquam fuisset in rerum natura, sicque acriùs hominem exagitans atque ad fugam mali extimulans, solétque indicari hâc phrasi. *Heu me miserum! quid feci? &c.* Cúmque hæc tristitia vehementiùs invalescit, non sistit in sola parte rationali ac voluntate, sed partem quóque sensitivam sensibiliter occupat, & quandóque redundat in ipsum corpus, illúdque immutat: hinc suspiria, lamenta, singultus, lachrimæ, deliquia, &c. Quanquàm hæc sensibilis tristitia in corpus redundans, non tantùm non sit necessaria, tamen neque ejus defectus necessarium vel probabile signum est deesse vel defuisse verum dolorem, & coram Deo sufficientem ad peccati abolitionem. Quare pœnitentes non debent esse scrupulosè solliciti de habenda tristitia vel dolore ob peccata perpetrata. Modò enim illud verè & ex animo suo detestentur, per se necessariò sequetur hæc tristitia vel dolor animi, etsi fortè reflexè non advertatur. Etenim dolor ita necessariò sequitur detestationem in homine viatore, sicut sequitur gaudium ex vehementi amore boni possessi: ut ex Laymanno jam suprà dixi. Ideóque homines à Confessariis ac Concionatoribus efficaciter excitandi sunt ad horrorem & detestationem peccati, proponenda & inculcanda capita & motiva, quibus eorum malitia ac turpitudo magis elucescat: qualia partim jam proposita sunt *a n.* 7. *& sect.* 2 & 3. de Contritione & Attritione in particulari.

IV. Post hos, tertium & quartum actum 63
detestationis & doloris, in verè sic pœnitente, detestante, ac dolente peccata, tres alii actus sequi solent. *Quintus*, petitio veniæ, dicendo v. g. *Miserere mei DEUS &c.* *Sextus*, propositum emendationis, seu non peccandi de cætero, quem actum Concilium disertè apposuit in definitione contritionis. *Septimus*, Voluntas satisfaciendi pro peccatis, seu vindicandi injuriam & offensam DEO per peccata irrogatam. His ita explicatis, jam principaliter quæritur, quot, & quinam ex dictis actibus, sint de essentia Contritionis? Mira hic opinionum diversitas. Aliqui in sola detestatione; alii in solo dolore essentiam contritionis constituunt; ut patim videre est apud Authores. Dico breviter, & simpliciter,

§. II.

Est dolor & detestatio Essentialiter

COntritio nimirùm essentialiter, nec in so- 64
lo dolore vel tristitia, nec in sola destatione peccati consistit, sed in utroque simul. Ita *Henriquez*, *Coninck*, aliíque citatis Lugo *cit. disp.* 4. *sect.* 1. Et apertè significat Tridentinum in definitione tradita. *Est animi dolor & detestatio &c.* Ratio sumitur ex natura ipsius contritionis. Contritio enim dicit actum, qui & affligat ac velut *conterat* cor pœnitentis, & hunc à peccato avertit: sed hunc actum necessariò oportet esse compositum ex duobus illis actibus: *dolor* enim affligit: *detestatio* à peccato avertit: ergo contritio essentialiter includit utrumque. Ostendo breviter in particulari.

I. *Detestatio peccati est de essentia contritionis, & non solus dolor.* Quia contritio de- 65
bet formaliter opponi peccato, &, ut loquitur Tridentinum, *voluntatem peccandi excludere*: atqui detestatio peccati formaliter opponitur peccato, & peccandi voluntatem directè excludit: non sic dolor ex se, nisi quatenus à tali detestatione procedit, ut manifestum est: Unde idem Concil. Trident. in altera definitione *eâd. sess.* 14. *cap.* 1. detestationem in recto ponit dicens: *Est pœnitentia, quâ offensam DEI cum peccati odio, & pio animi dolore detestamur.*

II. *Dolor etiam est de essentia contritionis,* 66
& non sola detestatio. Nam secundùm communissimam Sententiam cum D. Thoma 3. *p. q.* 87. *a.* 1. *suppl.* Pœnitentia actualis, adeóque Contritio non habet locum in Beatis; utique ob defectum alicujus essentialis requisiti ad pœnitentiam seu contritionem, quia scilicet non sunt capaces doloris vel tristitiæ, quippe absorpti gaudio beatifico. Atqui Beati sine dubio habent detestationem perfectissimam peccatorum præteritorum: ergo non sola detestatio, sed etiam dolor seu tristitia debet esse de essentia contritionis seu pœnitentiæ actualis: quidquid sit, an in Beatis permaneat pœnitentia habitualis, quod communius asseritur.

67 III. *Contritio primariò consistit in detestatione, ex qua necessariò sequitur dolor.* Ita omninò communis DD. & ita sine dubio intelligendi *Navarrus*, *Suarez*, *Reginaldus*, alii, qui contritionem formaliter & essentialiter absolutè in detestatione consistere docent, licèt eam necessariò sequatur dolor. Respexerunt enim ad id, quod in contritione præcipuum est. Ratio jam data est *N. I.* quia detestatio formaliter opponitur peccato, & est necessaria causa doloris, à qua etiam dolor (alioquin de se indifferens) honestus & utilis suam specificationem trahit. Ideò enim dolor honestus & utilis est, quia procedit ex tali detestatione peccati sub tali motivo honesto & supernaturali, utpotè quia est offensa Dei, &c. alioquin futurus inutilis & inhonestus, si ex alio non honesto motivo detestationis procederet, ut si fur sua furta deploret, quia deprehensus debet fieri longa Littera, seu Lingua campanæ campestris.

68 IV. At, nónne ipsa nomina, *Pœnitentia & Contritio* præcipuè *pœnam, dolorem*, compunctionem, ac velut contritionem cordis important? Et tam sacra Scriptura, quàm SS. Patres Passim pœnitentiam vel contritionem per dolorem, planctum, pœnásque definiunt, ut patet locis aliquot allegatis *cap.* 1. *n.* 1. Ergo pœnitentia & contritio præcipuè consistit in dolore, tristitia, pœna. R. *Nego consequentiam.* Non enim sic definiunt, quasi aut in solo dolore, aut in eo præcipuè consistat ratio essentialis pœnitentiæ ac contritionis, sed quia dolor est notior, quippè sæpe in corpus influens, ut suprà notatum: cùm tamen necessariò supponat detestationem tanquam sui causam, sed minùs manifestam vel apparentem. Alioquin sæpe etiam detestatio & aversio à peccatis exprimitur, ut Ezechielis 33. *v.* 12. *impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus* (id est aversus per detestationem) *fuerit ab impietate sua.*

§. III.

Cum proposito non peccandi de cætero, remissivè. Et quid de reliquis actibus?

69 I. AD veram pœnitentiam & contritionem sine dubio requiritur propositum emendandi, seu non peccandi de cætero. Utrùm autem requiratur ad essentiam contritionis propositum formale explicitum, an verò sufficiat propositum virtuale implicitum necessariò contentum & imbibitum in ipso actu seriæ detestationis & doloris de peccatis, quatenùs sunt offensa Dei, causa æternæ damnationis &c.? de hoc pluribus necessariò agendùm erit inferiùs suo loco *sect.* 4, *hujus capitis.*

§. Ex dictis jam liquet, quotnam actus sint 70
de essentia contritionis ex septem enumeratis Nimirùm, *tertius*, *quartus*, *& sextus*, Detestatio, dolor, & propositum saltem virtuale emendandi & non peccandi de cætero. Reliqui quatuor actus non sunt de essentia intrinseca contritionis, sed vel prævij, vel subsequentes, nec omnes semper necessarii. Percurro breviter.

II. *Primus actus*, scilicet recordatio & a- 71
gnitio peccatorum commissorum sine dubio necessariò præcedere debet actualem contritionem & detestationem peccatorum, proponendo scilicet voluntati objectum detestandum & dolendum: cùm voluntas non possit ferri in incognitum. Qualis autem debeat esse illa recordatio peccatorum in ordine ad confessionem, videbitur suo loco *cap.* 3. cùm de examine prævio requisito ad confessionem. *Secundus actus*, pia illa cogitatio de reconciliando se cum Deo, etiam regulariter, at non necessariò & semper præcedit, ut experientiâ patere potest. *Quintus actus*, petitio veniæ explicita, similiter communiter, at non necessariò semper contritionem comitatur. Jam enim implicitè petis veniam, dum seriò detestaris & doles peccando Deum offendisse: quanquàm valdè expediat etiam expressè, formaliter & humiliter petere veniam offensæ, ac remissionem culpæ commissæ, atque animitùs dicere: *miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam, &c.*

III. *Septimus actus* tandem, voluntas ac 72
propositum satisfaciendi Deo offenso, ac peccatum in se vindicandi, utique spectat ad Sacramentum Pœnitentiæ: at non ad primam partem, *contritionem*; sed ad tertiam partem, *satisfactionem*, pertinet. Quin extra Sacramentum, ad veram contritionem, etiam perfectam, neque ex natura rei, neque ex præcepto aliquo necessaria est illa voluntas satisfaciendi Deo particulariter in hac vita, uti (contra Sotum, aliósque) ex communi docent Suarez *hic disp.* 5. *n.* 8. Coninck *disp.* 2. *n.* 60. Gobat. *Alphab. Confit. Casu* 111. *n.* 43. Neque enim sacra Scriptura videtur nos ad satisfaciendum Deo in hac vita obligare aliter, quàm nos humiliando coram Deo, & abominando dolendóque nostram improbitatem. Et si quid ampliùs exigere videatur, abundè satisfit, tum per omni contritioni annexum votum confitendi, acceptandíque pœnitentiam à Judice Sacramentali injungendam; tum maximè per *sextum actum*: scilicet propositum emendandi vitam, adeóque servandi omnia præcepta DEI & Ecclesiæ: & consequenter etiam humiliter perferendi flagella DEI, quibus illi in nos fortè advertere placuerit. &c.

IV. Et hisce explicata manet definitio con- 73
tritionis generatim sumptæ potissimùm quoad genus, scilicet *detestationem & dolorem*. Differen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rentia ab aliis detestationibus & doloribus exprimitur per unicam vocalem, *peccati*, intelligendo scilicet *peccatum* formaliter & Theologicè, quatenùs contra Deum *seu offensa & injuria Dei est*. Quam differentiam Concilium Tridentinum clarius expressit in secunda definitione tradita sess. 14. cap. 1. *Est pœnitentia, quâ offensam Dei cum peccati odio, & pio animi dolore detestamur*: eamque differentiam & objectum formale contritionis, quatenus scilicet peccatum *offensa & injuria Dei est*, generatim latè explicatam habes *cap. 1. sect. 1. §. 3. per tot.* In specie autem differentia Contritionis, perfectæ, imperfectæ, desumenda est à motivo speciali, sub quo contritio quævis utilis peccatum detestatur, de quibus in sequentibus.

§. IV.

Quotuplex est contritio hâc quæstione explicata?

74 DUplex. Una perfecta & simpliciter dicta *contritio*, quæ concipitur ex motivo charitatis, dolétque de peccato quatenus est offensa DEI summi boni, super omnia dilecti: éstque justificativa peccatoris extra Sacramentum, etsi non sine voto Sacramenti. Altera est contritio imperfecta, & proprio nomine dicta *Attritio*, quæ concipitur, & peccatum detestatur ex alio motivo inferiori, v. g. ex metu gehennæ & pœnarum &c. & non est justificativa peccatoris, nisi cum Sacramento mortuorum, Baptismo & Pœnitentiâ. Unde sic dictæ: *Contritio*, quòd peccatorem perfectè & proximè disponat ad gratiam sanctificantem, ipsúmque peccatum omninò deleat, ac veluti *conterat*. Attritio verò dicitur, eò quòd peccatorem non penitùs disponat ad ipsam gratiam sanctificantem, sed solùm ita disponat, ut cum Sacramento capax sit gratiæ sanctificantis, ipsúmque peccatum per se immediatè non deleat vel conterat, sed solùm quasi *atterat*, & ita applicet, ut per Sacramentum remissibile fiat, quæ latiùs patebunt ex dicendis de singulis in particulari.

75 Antequam autem particularia utriusque hujus speciei explicemus, melioris ordinis gratiâ, priùs explicandæ sunt qualitates doloris ac detestationis in communi, qualis nimirùm debeat esse dolor in omni contritione generatim, seu perfecta, seu imperfecta sufficiente ad justificationem ac remissionem peccatorum, tam cum, quàm extra Sacramentum. Facilitatis causâ, nominabimus solùm *dolorem*: semper subintelligentes etiam detestationem, quippè essentialiter prærequisitam, juxta dicta superiùs, præsertim §. 2.

QUÆSTIO II.

Qualis debeat esse dolor in omni Contritione generatim?

SUMMARIUM.

77. *Contritio ad Sacramentum sufficiens necessariò debet esse* 1. *Dolor* formalis *ita ut*
78. *Non sufficiat tantùm virtualis, v. g. amor Dei*
79. *Motus implicitus in sola voluntate de extero non peccandi*
80. *Aut implicitus in desiderio doloris.*
81. *Vel in desiderio absolutionis.*
82. *Nec etiam sufficit qualiscunque formalis & explicitus.*
83. II. *Debet esse* supernaturalis,
85. *Tam ex parte principii efficientis.*
86. *Quàm ex parte motivi.*
87. *Unde non sufficit dolor meræ naturalis.*
88. III. *Debet esse* Universalis *respectu omnium peccatorum mortalium.*
89. *Non tamen requiritur extensio ejus explicita ad singula per distinctos actus.*
90. *Aut ad singula ut distincte recogitata, esto optimum sit.*
91. *Sed sufficit extensio ejusdem actus doloris implicita ad singula mortalia in confuso apprehensa*
94. *De dolore venialium.* Usque ad n. 98.
98 IV. *Debet esse* efficax. Usque ad n. 103.

Assertio.

OMnis contritio sufficiens ad remissionem peccatorum, debet necessariò esse dolor formalis in Sacramento: supernaturalis semper: universalis respectu mortalium: & efficax, cum implicito saltem proposito emendandi, confitendi, satisfaciendi, & spe venia. Est tota communissima. 76

§. I.

Debet esse dolor formalis in Sacramento.

COntritio, prima pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ, necessariò debet esse dolor formalis, quo nimirum voluntas verè & explicitè doleat ac detestetur peccatum ut Offensam Dei. Communissima, & certissima post Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 3.* tam clarè requirens & exigens *contritionem* ad Sacramentum Pœnitentiæ. Verba autem Conciliorum, sicut & quarumvis legum proprie & simpliciter, adeóq; in proposito, de vera formali contritione, & dolore ac detestatione peccati, intelligenda sunt. Non ergo sufficit ullus dolor tantùm virtualis & implicitus, contentus in alio actu, qui non est contritio, dolor & detestatio peccati formaliter. Exempli causâ: 77

I. Ipsemet actus amoris Dei super omnia (qui simul est virtualiter & eminenter contritio, ut suo loco patebit,) etsi se solo sufficiat ad remissionem peccatorum, non tamen sufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ, cujus pars essentialis est dolor formalis de peccatis commissis, & non amor DEI super omnia, secundùm communissimam Theologorum Sententiam. Attamen in praxi non est scrupulandum: moraliter enim vix fieri potest, quin confessurus, adeóque de peccatis suis actu cogitans, si eliciat actum amoris Dei super omnia, non etiam formaliter doleat de peccatis suis, etsi fortè fervore amoris absorptus, dolorem suum non advertat. 78

II. Multò minùs sufficit dolor implicitus in sola voluntate imposterùm non peccandi: cùm propositum non peccandi de cætero stare possit 79

possit cum complacentia de peccato præterito: quam tamen complacentiam necessariò excludere debet dolor requisitus ad Sacramentum & remissionem peccatorum, secundùm omnes.

80 III. Non sufficit dolor implicitus in desiderio doloris, si nimirum optes dolere, aut doleas te non dolere, si revera absit dolor de peccatis: nam dolor de peccatis commissis est pars essentialis Sacramenti, non desiderium doloris, vel dolor de carentia doloris. Monent tamen iterùm Doctores pro praxi: quòd timoratæ conscientiæ, cùm optant dolere, vel dolent se non dolere, plerunique habeant verum formalem dolorem, etsi ipsimet non percipiant: unde eorum dolor non est de carentia vel absentia doloris quoad substantiam, sed solùm quoad qualitatem doloris, quòd videlicet non habeant dolorem intensum & sensibilem &c. quæ tamen qualitates non sunt necessariæ, quare talibus absolutio neganda non est. Lessius, Hurtadus, alii cum Gobat *n.* 111.

81 IV. Neque sufficit dolor implicitus in desiderio absolutionis, seu in voluntate desiderante percipere fructum Sacramenti Pœnitentiæ (prout docuerunt olim Sylvester, Rosella, Angelus &c. apud Tannerum *disp. 5. q. 6. num. 72.* modò post Tridentinum sine dubio non docturi) Idque etiam si soła venialia confitearis, juxta communissimam DD. Nam secundùm Tridentinum dolor formalis est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ absolutè, quæcunque peccata confitearis, sive mortalia, sive venialia. Ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: atqui Sacramentum Pœnitentiæ semper debet consistere suis partibus, etiamsi venialia sola confitearis: ergo &c. Quare graviter peccat, qui etiam sola venialia, vel ob causam mortalia jam legitimè priùs confessa, confitetur sine omni formali dolore: quia non ponit materiam Sacramenti, adeóque Sacramentum nullum reddit aut ad minimum & certissimè periculo nullitatis Sacramentum & se Sacrilegii exponit.

82 §. Denique non sufficit etiam dolor formalis & explicitus: ut 1. vel non de ipso peccato commisso, sed tantùm de pœna, vel alio effectu malo consecuto, infamia, morbo, &c. 2. Vel non de peccato ut commisso à se tanquàm reo vel peccatore, sed solùm de peccato absolutè in abstracto considerato. 3. Vel de peccato ut à se commisso, at non ut est offensa Dei, quatenùs scilicet commissum contra legem & voluntatem Dei, ipsum Deum offendit ac inimicum reddit, sed sub alia ratione considerato v. g. quatenùs est contra honestatem naturalem, malorum naturalium causativum &c. de quibus infrà. 4. Vel etiam de peccato, ut est offensa Dei, at non propter ipsum Deum, eúmque sibi reconciliandum, sed propter alium finem, temporalem præsertim. Atque hæc ipsa omnia involvens sequitur altera particula, & qualitas contritionis utilis. §. II.

§. II.

Supernaturalis semper.

COntritio sufficiens & necessaria ad remissionem peccatorum, sive cum, sive sine Sacramento Pœnitentiæ, debet esse dolor supernaturalis ex parte principii & motivi, scilicet *à Deo* & propter Deum ultimatè. Ita (sanè contra præcipuos Thomistas *Cajetanum, Sotum, Victoriam, Canum, Ledesmam*, alios docentes, attritionem solis naturæ viribus elicitam, & ob horrorem nocumenti temporalis sufficere ad justificationem in Sacramento Baptismi & Pœnitentiæ.) Jam post Concilium Tridentinum communis & certa Sententia DD. teste Tannero *cit. q. 6. num. 86.* Layman. *hic cap. 1. n. 9.* Probatur breviter 83

I. Debet esse dolor *supernaturalis*. Ratio generatim est: quia omne medium debet esse proportionatum ad suum finem: & dispositio debet esse ejusdem ordinis cum forma inducenda; atqui pœnitentia & contritio in homine peccatore est medium & dispositio necessaria ad obtinendam gratiam sanctificantem: quæ est finis & forma maximè supernaturalis: ergo & ipsa contritio seu pœnitentia sufficiens ad remissionem peccatorum & justificationem, sive cum, sive sine Sacramento debet esse *supernaturalis*, & quidem 84

II. *Ex parte principij effectivi.* Debet nimirùm elici contritio cum supernaturali & speciali Dei auxilio, seu gratiâ actuali excitante, movente, adjuvante, & concurrente ad talem eliciendum utilem dolorem ac detestationem peccati. Quamobrem Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 4.* disertè dicit, attritionem, quæ juncta Sacramento Pœnitentiæ impetrat Dei gratiam, *esse donum Dei & impulsum Spiritûs Sancti moventis, &c.* Et sess. 6. can. 3. de justificatione ita fulminat: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione & adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Sic Tridentinum, & ante illud olim idipsum definitum est in variis Conciliis, & nominatim Arausicano I. Can. 6. *Si quis dixerit per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ, cogitare, aut eligere, seu singulari & salutari prædicationi consentire posse, confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritûs Sancti, hæretico fallitur spiritu.* Hæc ibi, apud Laymann *n. 9 fine.* 85

III. *Ex parte motivi.* Debet nimirum dolor ille contritionis vel attritionis elici propter motivum aliquod supernaturale, supernaturaliter scilicet per lumen fidei cognitum ex revelatione divina. Ratio patet ex dictis *n. præcedenti.* Nam hoc ipso, quòd Concilia requiri desiderint principium supernaturale ad eliciendum actum contritionis seu pœnitentiæ, etiam significant ipsum actum contritionis vel attritionis debere esse supernaturalem ex parte mo- 86

Universidad de Deusto
Biblioteca

motivi seu objecti formalis. Cur enim requireretur principium supernaturale, si sufficeret actus naturalis ex naturali motivo elicitus? Hujusmodi ergo motivum supernaturale contritionis ac pœnitentiæ debet necessariò esse aut ipse DEUS sub aliqua sui ratione, aut aliquid relatum ad DEUM: ut, si doleas de peccato commisso, quatenùs avertit à DEO, seu quatenùs est offensa DEI, ut summi boni super omnia amandi, contra amorem & amicitiam illi debitam: (*hoc solùm est motivum contritionis perfectæ, alia attritionis tantùm*) vel ut supremi Domini super omnia colendi, contra cultum ipsi debitum: vel ut supremi Legislatoris, contra obedientiam ei debitam: vel ut supremi Benefactoris, Creatoris, Conservatoris, Salvatoris, contra gratitudinem ei debitam: vel ut supremi & justissimi Judicis super omnia detestantis & punientis peccata: vel denique doles, quia peccatum animam coram Deo deturpat, excludit à beatitudine, inducit pœnas æternas & temporales à Deo infligendas vel saltem permittendas in vindictam peccatorum, &c. prout *sect. 3.* de motivis attritionis magis specificabitur.

87 IV. Non ergo sufficit, sed vanus & inutilis est ad Sacramentum pœnitentiæ ac remissionem peccatorum obtinendam, omnis dolor & detestatio peccati naturalis tantùm, factus scilicet & conceptus naturalibus viribus propter motivum merè naturale ac naturali lumine cognitum. Ut si doleas de peccato propter naturalem ejus ac velut philosophicam turpitudinem ac deformitatem, utpote quatenùs est contra rectam rationem vel honestatem naturalem; vel quatenùs naturaliter est inductivum pœnarum ac malorum naturali modo ad tale peccatum consequentium; ut propter morbum, infamiam, supplicium. v. g. doles de hesterna ebrietate, quia hodie caput acriter dolet, vel quia à Domino vel Superiore acriter puniendus es &c. de quibus *loco cit. infrà.* Interim tamen jam nosse debes, quàm meritò inter propositiones ab INNOCENTIO XI. damnatas etiam posita sit hæc 57. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.*

§. III.

Universalis respectu mortalium.

88 I. DOlor contritionis omnis debet esse universalis respectu omnium peccatorum mortalium, ita scilicet ut se vel explicitè vel implicitè extendat ad omnia peccata mortalia ab homine commissa, & saltem nondum remissa. Certum apud omnes. Ratio clara est: quia nullum peccatum potest remitti absque pœnitentia, dolore & detestatione cum proposito emendandi: atqui unum peccatum mortale non potest remitti sine alio: peccatum enim mortale non remittitur, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ simpliciter non potest stare cum ullo peccato mortali; alioquin talis homo esset justus, & non esset justus: ergo dolor & detestatio pœnitentiæ seu contritionis debet esse sic universalis, & se extendere ad omnia peccata mortalia, saltèm nondùm remissa: idque vel *explicitè* vel saltem *implicitè*. Utrumque potest fieri dupliciter. *Primo modo* explicitè extenderetur dolor ad omnia mortalia, quando quis de singulis mortalibus à se commissis distinctè recognitis eliceret singulos dolores distinctos. *Secundo modo*, quando quis unico actu doloris elicito doleret de omnibus & singulis suis peccatis mortalibus distinctè recogitatis. Similiter dupliciter potest se dolor *implicite* extendere ad omnia mortalia, ut infrà num. IV. patebit. Jam clarè & distinctè procedendo. Dico

II. Non requiritur extensio explicita singu- 89
lorum dolorum ad singula mortalia, ut nimirùm quis de omnibus & singulis peccatis mortalibus totidem distinctos dolores eliciat. Ita (contra *Adrianum, Sylvestrum, Angelum*, alios nonnullos) communis & certa Sententia DD. *Suarez, Coninck, Laymann, Lugo*, Alii passim. Ratio clara est: quia quando adest vera contritio, vel attritio cum Sacramento, statim eodem momento sequitur justificatio seu gratia sanctificans: sed potest adesse vera contritio vel attritio cum Sacramento, etiamsi quis explicitè ne cogitet quidem, nedùm distinctis doloribus doleat de singulis mortalibus à se commissis: Patet 1. Ex Scriptura & Historiis de quàmplurimis subitò justificatis, Davide, Magdalenâ, bono Latrone, Saulo, antequam de singulis peccatis cogitare, nedùm distinctis doloribus dolere potuissent. 2. Defacto rectissimè absolvuntur à Confessariis gravissimi peccatores, qui obruti subito mortis periculo nullum prorsus tempus habent de singulis peccatis cogitandi, nedùm de singulis seorsim dolendi. 3. Certè neque in ordinaria Confessione opus est, ut post singula peccata itidem dicas: *doleo, misereme mei Deus*: sed sufficit abundè, si dicas post omnia enarrata: *De his omnibus peccatis, aliisque fortè oblitis doleo mi Deus, ex animo, & detestor meam malitiam, quòd toties tam graviter Te Deum summo amore dignum offenderim, &c.* 4. Denique hoc esset absque ullo fundamento miseris peccatoribus imponere onus nimis grave, & sæpe impossibile, tum ob brevitatem temporis: tum ob multitudinem peccatorum ac malitiarum: imò sæpe etiam periculosum, ut dum pœnitens inhæret uni peccato detestando, dolor se ad alia non extendat, sed alia prætereat, aliis fortè de novo titilletur. Quare & Confessarius, quando advertit pœnitentem alicui crimini valde addictum esse, v. g. mollitiei, vindictæ &c, non debet inculcare specialem doloris actum circa illud peccatum, cùm periculum subsit, ne illud seorsim non ex animo detestetur, sed de novo magis implicetur, sed potiùs generalem serium dolorem de omnibus peccatis urgeat.

III.

90 III. Neque requiritur extensio ejusdem actûs doloris ad omnia & singula peccata mortalia distinctè recogitata; seu ut dolens, instituto examine singula sua mortalia sibi in memoriam revocet, omniumque actu recordatus, de omnibus doleat, quantum est ex vi contritionis, & per se loquendo. Ita (contra Nugnum, & plures allegantem Tannerum *disp. 5. q. 6. num. 28.*) Communis DD. plurimique congestis Suarez *disp. 4. sect. 6.* Lugo *cit.* Diana *p. 3. tract. 4. resolut. 118.* Gobat *num. 97.* Atque idipsum etiam abundè probat ratio data *num. præced.* Exempla & textus Scripturæ apud Tannerum solùm docent, quid alii fecerint peccatores pœnitentes, minimè autem probant, esse necessariò imitandos, & idipsum ab omnibus faciendum. Dixi tamen: *Quantùm est ex vi contritionis, & per se loquendo.* Nemo enim dubitat propter obligationem confessionis faciendæ, omnia peccata mortalia in memoriam debere revocari, ut omnia secundùm speciem & numerum explicari possint. At seclusâ obligatione confessionis, aut quando deest copia Confessarii, certè nullum apparet præceptum, ita sigillatim recogitandi peccata in specie & numero, ad hoc ut dolorem ac contritionem de iis ad justificationem sufficientem elicere quis possit. Sapienter tamen & salubriter monet Layman *hic tract. 6. cap. 4. n. 3. fine.* Utilissimum esse & semper fuisse, ut homo, qui de peccatis justificari vult, omnia & singula mortalia recogitet, & ea sigillatim detestetur: 1. Ut tantò certior sit de vera sua contritione. 2. Ut pro pœna temporali eò pleniùs satisfaciat, quò magis dolendo peccata commissa in se punit. 3. Ut animum ad vitæ emendationem tantò magis confirmet: quia firmius solet esse propositum particulare & expressum, quàm generale & implicitum. Sic Layman. 4. Rectissimè addit Gobat *cit. num. 81.* Per accidens tamen est quandóque necessaria aliqua specialis reminiscentia: ut quando inveteratus malorum nequit se excitare ad necessarium dolorem & pudorem, nisi statuendo ante oculos suos multitudinem & gravitatem vel omnium vel plurium peccatorum suorum. Item, quando rationabiliter quis dubitat, an non patrârit quædam, quæ reum faciant restitutionis: tunc enim saltem debet habere propositum post contritionem excutiendi suæ conscientiæ latebras ad veritatem pervestigandam. Vide Suarez *disp. 4. sect. 4. Assert. 1. & 2.* Hæc Gobat.

91 IV. Sufficit ergo extensio ejusdem actûs doloris implicita ad omnia peccata mortalia generaliter & in confuso apprehensa: quod rursus duobus modis fieri potest. *Primo modo* sic: ut conscius sibi aliquorum mortalium, & recogitans se esse in statu peccati mortalis, uno simplici actu sub motivo supernaturali ac universali doleat de omnibus collective generaliter & in confuso apprehensis, sic ut nullum omninò excipiat, quod non detestare velit, si memoriæ occurreret: dicendo v. g. Deus meus! doleo de omnibus meis peccatis quomodocunq; commissis, quibus tuam bonitatem offendi, perdidi, infernum merui &c. Hic enim generalis dolor sine dubio implicitè se extendit ad omnia peccata mortalia tam occurrentia, quàm non occurrentia memoriæ, etiam occulta, oblita, ignorata, contra quodcunque præceptum.

92 *Secundo modo* sic, ut expressè & specificè quidem de uno tantùm peccato mortali commisso doleas, attamen sub motivo supernaturali generali, communi omnibus peccatis mortalibus à te commissis. Ut quando reus plurium diversorum peccatorum mortalium contra plura præcepta, detestaris solum adulterium tunc conscientiam vellicans; ideircò quòd per illud sis meritus infernum, beatitudine æternâ excideris, Deum summum bonum tam turpiter, & nequiter offenderis &c. cùm ille reatus inferni, privatio beatitudinis, offensa DEI summi boni reperiatur in omni peccato mortali, utpote etiam blasphemia, furto, homicidio, hoc ipso, quòd sub illo motivo sincerè doleas de adulterio commisso, necessariò etiam doles de aliis mortalibus omnibus à te commissis, adeò ut si etiam iliæ occurrent memoriæ, infallibiliter & necessariò detestareris etiam illa: adeò ut sit impossibile, quòd quis seriò & sincerè detestetur aliquod peccatum ob malitiam sibi insitam, quin simul etiam detestetur quodvis aliud peccatum eâdem malitiâ infectum: sicut est impossibile, quòd ob authoritatem solam Evangelii verè credam Christum esse filium DEI, DEUM & hominem, & non simul etiam implicitè credam, Christum esse crucifixum, quandoquidem Evangelium æquè asserat utrumque. Ita communis DD. Suarez *hic disp. 7. sect. 8.* Lugo *disp. 5. n. 73.*

93 §. Secùs foret, si de uno aliquo peccato mortali doleres sub motivo aliquo speciali ipsi illi peccato proprio, & non omnibus communi, seu ad alia peccata non pertinente, v. g. de blasphemia: *Domine Deus! doleo, quòd meis execrandis blasphemiis egerim contra humillimam reverentiam Majestati tuæ debitam.* Hoc motivum jam se non extenderet ad alia peccata Reverentiæ DEO debitæ directè non repugnantia: aut si dolens de fornicatione dicas: *Deus meus doleo, quòd his nimis lascivis fecerim me similem equo & mulo coram te, & Angelis tuis! &c.* Hoc motivum jam se non extenderet, ad blasphemiam & alia peccata talem brutalem turpitudinem non habentia: sicque dolens expressè de uno, non ideo implicitè dolores etiam de alio ac aliis. Utrùm verò in tali casu Confessio foret valida, sed informis, videbitur suo loco *sect. 3.* Et hactenus de dolore universali quoad mortalia. Jam addendum aliquid quoad dolorem venialium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. *Quid de dolore venialium?*

94 CErtum est, quòd sicut potes confiteri aliqua venialia, omissis aliis, ita etiam dolere de venialibus confessis, eáque deinceps vitare proponere, etsi non doleas de aliis venialibus non confessis: neque ea vitare propones. *Ratio* est: quia venialia nec sunt materia necessaria confessionis, neque tollunt gratiam & amicitiam cum DEO, & ideo non ponunt obicem gratiæ sacramentali, sed unum sine altero remitti potest. Quòd si tamen tunc, vel aliàs doleas de omnibus tuis venialibus, aut de venialibus modò confessis, sub motivo communi omnibus venialibus culpis (v. g. quòd DEUM quomodocunque offenderis, eíque displicueris, pœnas purgatorii mereris &c.) nullo ad ulla retento affectu, tunc omnia tibi remitti, jam ex alibi dictis colligere debes.

95 II. Certum est, quando confiteris sola venialia, sub mortali debere te dolere de iis, saltem aliquibus, atque vitare proponere: quia alioquin defectu materiæ proximæ, sacrilegè Sacramentum efficies nullum. At hìc quæstio delicata est: utrùm sub mortali teneatur quis dolere de omnibus his venialibus, quæ hìc & nunc confitetur? Affirmant aliqui apud Suarez *l. cit.* hâc potissimùm ratione: Quia confiteri aliquod peccatum, etiam veniale, absque dolore est apponere pro materia Sacramenti id, quod non potest esse materia Sacramenti: ergo sicut peccaret mortali sacrilegio, qui Sacerdoti consecraturo inter plures Hostias triticeas apponeret aliquas non triticeas, hordeaceas, avenaceas, papyraceas, ideóque non consecrabiles, ita graviter sacrilegéque peccat, qui Sacerdoti inter multa venialia confessa, apponeret aliqua sine dolore, quæ proindè defectu doloris non sunt materia absolutionis validæ. Sententia primo intuitu probabilis. Sed facilè negabitur consequentia & paritas inter istum & nostrum casum. Nam forma consecrationis per se primò & absolutè respicit materiam consecrandam, eámque designat, & circa ipsam effectum significat: ideóque si apponatur materia aliqua falsa, jam ex illa parte falsa erit forma. At verò forma absolutionis per se primò respicit personam absolvendam, & circa illam effectum significat, dum dicitur: *Ego te absolvo, &c.* quæ verba adhuc vera sunt, si aliqua saltem peccata remittantur, etsi non remittantur alia aliqua, nempè venialia, quæ obicem effectui Sacramenti, scilicet gratiæ sanctificanti non ponunt. Secùs esse jam audivisti, si confitereris plura mortalia, & de aliquo non doleres: cùm unum mortale sine alio remitti nequeat. Dico igitur

96 III. Non est peccatum grave, si quis confitendo multa venialia, solùm efficaciter doleat de uno vel altero, etsi non doleat de cæteris aliquibus, nec ea evitare proponat. Ita *Henriquez, Suarez, Fagundez*, aliíque relatis Lugo *disp. 14. de Pœnitentia sect. 8. §. 3.* Tamburinus *opusc. Expedit. Confess. l. 1. c. 1. §. 3.* Ratio sumitur ab exemplis aliorum Sacramentorum, in quibus admixtio alicujus partis, quæ non est materia valida ejus Sacramenti, non est culpa gravis vel sacrilega, imò aliquando licita, atque adeò etiam debita. Sic in Baptismo aquæ baptismali admisceatur pars olei benedicti, quæ utique non est materia valida Baptismi. Sic in Sacramento Eucharistiæ vino consecrando miscetur modica pars aquæ, quæ tempore consecrationis sæpè inconversa manet, nec est materia valida consecrationis. Sic in ipso Sacramento Pœnitentiæ pii homines sæpissimè se accusant de imperfectionibus & defectibus quibusdam, qui nullo modo sunt peccata nec venialia quidem, nec tamen aliquis dixit vel dicit, eos in hoc peccare mortaliter, suppositâ aliâ materiâ sufficienti. Quin in communi Sententia, à nobis etiam suo loco asserenda, non est mortale, si pœnitens se falsò accuset, de aliquo veniali, quod non fecit, dummodò apponat aliam materiam veram: atqui tunc etiam apponitur pro materia, quod tamen non est materia Sacramenti. Ergo etiam in nostro casu, accusare se de aliquibus venialibus absque dolore efficaci, & proposito emendandi, dummodò verè doleas de aliis, non est peccatum grave, seu mortale vel sacrilegium, etsi in habituali statu peccati venialis perneveres non dolendo de omnibus.

97 IV. Idémque dicendum, si confitearis multa venialia frequentata: v. g. crapulas seu excessus in potu veniales multis diebus iteratos. Tunc enim satis erit dolere de ipsa frequentatione excessuum, eámque emendare ac minuere proponere, etsi non doleas, nec vitare proponas ipsos excessus secundùm se seorsim, quippe quibus subindè adhuc indulgebis. Nam ipsa frequentia distinctam malitiam ac deformitatem habet, saltem extensivè ab ipsis excessibus in particulari: ideóque materiam sufficientem præbet Pœnitentiæ Sacramento. Hinc denique, si unà cum peccato mortali confitearis plura venialia, & de solo mortali doleas, nihil de venialibus, valida & licita erit susceptio Sacramenti, quia absolutio cadit in remissionem peccati mortalis, quæ divisibilis à remissione venialium. Oppositum clarum est, si eo casu doleres de solis venialibus, non de mortali: tunc enim mortaliter illicita & invalida erit susceptio Sacramenti, cùm non possint venialia remitti absque remisso peccato mortali. Plura circa hæc dicenda erunt *sect. 4.* cùm de proposito emendationis, specialiter quoad venialia.

§. IV.
Efficax, *Remissivè.*

98 DOlor Contritionis omnis tandem debet esse *efficax*: id est, non simplex noleitas de

de præterito, ac velleitas in futurum: sed absoluta nolitio præteriti, ac efficax volitio futuri, quâ nimirum contritio se extendat, & efficaciter actu moveat hominem ad capessenda omnia requisita ad remissionem offensæ divinæ, & reconciliationem cum DEO obtinendam: atque adeò secum ferat virtuale saltem propositum *non peccandi de cætero; confitendi, ac satisfaciendi cum spe veniæ.* Ita omnes. Ratio patet: quia verus dolor & detestatio peccati sufficiens ad remissionem peccatorum extra vel intra Sacramentum, debet esse de peccato quatenùs est offensa DEI, atque ad sibi reconciliandum DEUM à se offensum: atqui qui verè & seriò dolet, ac detestatur peccatum, quatenùs est offensa DEI, serióque ex animo cupit sibi reconciliare DEUM à se offensum, is necessariò, saltem virtualiter & implicitè

99 I. Eo ipso vult & proponit *de cætero Deum non offendere* ullo peccato saltem mortali: alioquin nugaretur, & illuderet DEO dolens esse offensum, nec tamen volens desistere ab offendendo. In hoc enim proposito maximè viget, & apparet efficacia contritionis, ideóque meritò expresse positum in definitione contritionis à Concilio Tridentino: *Et dolor animi & detestatio peccati, cum proposito non peccandi de cætero.* De hoc proposito maximi momenti necessariò pluribus agendum erit *infrà sect. 4.*

100 II. Eo ipso vult & proponit implicitè saltem commissa peccata mortalia *confiteri*: cùm sciat hoc in nova lege esse à DEO institutum medium necessarium ad DEI offensam delendam, & reconciliandam amicitiam DEI. Unde etiam perfectissima contritio non remittit peccata mortalia, nisi ut cum voto confitendi & Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendi, ut ex Concilio Tridentino videbitur *sect. seq.*

101 III. Eo ipso etiam vult pro peccatis commissis *satisfacere*, cùm satisfactio sit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, & magna satisfactio in ipso dolore & proposito emendandi involvatur, *ut quæst. præced. §. 3.* indicatum est.

102 IV. Eo ipso etiam saltem implicitè *sperat veniam*, plenámque concipit fiduciam peccata sibi à DEO remittenda, séque in amicitiam DEI recipiendum esse. Impossibile enim vel stultum esset efficaciter adhibere media ad abolendam offensam DEI, ejúsque amicitiam recuperandam, nisi veniam & indulgentiam pœnitens speret. Neque de hac *spe veniæ* aliquid speciale dicendum supereset, aut hoc loco traditur à Doctoribus, præter communem doctrinam in materia de spe Theologi-

QUÆSTIO III.
Quantus esse debeat dolor Contritionis?

SUMMARIUM.

104 *Dolor debet esse summus appretiativè, seu æstimativè.*
106 *(saltem Contritionis perfectæ.)*
107 *Non tamen intensivè,*
109 *Nec requiritur certa eius intensio,*
110 *Minùs, ut sit sensibilis.*

Assertio.

103 DOlor contritionis (perfectæ saltem) *debet esse summus, seu super omnia appretiativè: non item intensivè: nec requiritur aliqua certa intensio doloris, sed sufficit substantia doloris in quocunque gradu; minùs requiritur dolor sensibilis, sed sufficit rationalis.* Est tota communissima, ut patebit.

§. I.

Dolor debet esse summus; seu super omnia appretiative, seu æstimativè:

104 SIc nimirum, ut pœnitens peccatum mortale æstimet majus malum, magísque detestetur, quàm ullum aliud malum, malítque potiùs subire ac perpeti quodvis aliud malum, quàm denuò peccare mortaliter. Adeóque tenetur pœnitens sedato animo judicare, melìùs esse, magísque homini expedire quodvis aliud malum, quamcunque pœnam, mortem quamlibet, adeóque & ipsum infernum subire, quàm DEUM per peccatum mortale offendere. In hoc enim consistit veritas appretiationis seu æstimationis summæ, quâ tenemur peccatum mortale æstimare summum malum, quippe summo & infinito bono contrarium. Attamen necessarium minimè est, imò infirmis animabus minimè consultum, instituere comparationes particulares ejusmodi inter peccatum, & hoc vel illud grave malum subeundum: sed potiùs occurrentes tales comparationes tanquam impertinentes & periculosas debet respuere, nihil eligendo. Exempli gratia:

105 Proponitur pœnitenti: *Si occurreret necessitas, ut necesse sit fornicari aut mori, mallésne mori? mallésne omnia perdere bona, in exilium ire, mori, vivus comburi &c. quàm fidem negare; mallésne etiam æternùm damnari, quàm mortaliter peccare?* & cætera hujusmodi infinita, quæ pœnitenti scrupuloso proponi possent. Non tenetur, inquam, aliquid horum eligere, sed omnia respuere tanquam periculosa & impertinentia, sibi ipsi, aut Sathanæ tentatori dicendo. Non est, nec erit talis necessitas, cùm infinita habeat DEUS alia remedia, quibus me à peccato eripiat. Et si aliquando occurreret talis necessitas, confido, quòd bonus DEUS mihi sufficienti gratiâ adesset, quæ nullum facientem, quod in se est, permittit tentari ultra vires: Caveant ergo confessarii à talibus interrogationibus: caveant & pœniten-

ces à talibus comparationibus, tanquam Sathanæ laqueis periculosissimis. Cùm enim mala pœnæ utpotè sensibilia, naturaliter magis moveant imaginationem, quàm mala culpæ, aut periclitari faciant voluntatem aut hominè in infinitos scrupulos, aut etiam desperationem præcipitabunt. Excipiũtur hic animæ spirituales exercitatæ, heroicæ, amore divino flagrantes.

116 Dixi: Contritionis *saltem perfectæ* dolor debet esse super omnia: nam hæc detestatur peccatum sub supremo motivo charitatis, nimirum summi boni offensi; attritio verò seu contritio imperfecta detestans peccatum ex motivo inferiori, utpotè metu gehennæ vel pœnarum, actu & formaliter non est dolor super omnia appretiativè. Nam qui dolet, & detestatur peccatum propter metum inferni, actu & formaliter non magis dolet de peccato, quàm de inferno; sed contra magis dolet de inferno incurrendo, quàm de peccato: quia *propter quod unumquodque tale, ipsum est magis tale.* Debet tamen etiam attritionis dolor esse *super omnia* dispositivè sive permissivè, sicut homo perfectè attritus propter metum inferni v.g. ita dispositus maneat, ut si occurreret, vel satis proponeretur aliud sublimius motivum dolendi & detestandi peccatum summè & super omnia alia mala, omninò etiam sic super omnia detestaretur; & non velit sistere in solo priori motivo, & præcisè ac totaliter dolere propter infernum, & aliàs non: uti latiùs explicabo *sect.* 3. cùm de motivis attritionis.

§. II.

Non item intensivè.

107 COntritionis, seu perfectæ, seu imperfectæ non debet esse dolor summus seu super omnia intensivè: ita videlicet, ut quis intensiori, majori, ac vehementiori actu & motu voluntatis doleat de peccato commisso, quàm doleat, vel doleret de quocunque alio malo, quantumvis gravissimo, tolerato vel tolerando, ut omnes consentiunt. Hoc enim esset onus homini gravissimum, & penè intolerabile, planè alienum à divina bonitate & clementia: cùm homo non possit absque ingenti difficultate exhibere omnem possibilem conatum in elicienda & intendenda contritione; & ut modò dictum, suapte naturâ majori vehementiâ moveatur in res sensibiles, & bona vel mala sensibilia, quàm circa spiritualia, uti est peccatum, offensa DEI, privatio gratiæ ac beatitudinis &c.

108 *Dices*: Ego nuper incomparabiliter magis dolui & ingemui mortem mei amantissimi Parentis, quàm modò doleam peccatum fornicationis à me commissum, etsi etiam de hoc seriò doleam, & factum ex animo detester: certè meâ vitâ non ampliùs facturus: an rectè se habet dolor meus? Resp. Ponamus per impossibile: aut Patrem non esse mortuum, aut peccatum non esse commissum: quod magis velles? Hoc secundum: ergo rectè se habet dolor tuus: doles enim super omnia appretiativè: quia majus malum æstimas offensam DEI, quàm mortem parentis, etsi intensivè & sensibiliter hæc magis urat. At, si malles primum, non rectè se haberet dolor tuus, ob rationem oppositam.

§. III.

Nec requiritur aliqua certa intensio doloris &c.

109 AD veram contritionem justificativam, seu perfectam sine - seu imperfectam cum Sacramento, non requiritur ulla doloris intensio, seu certus intensionis gradus: sed sufficit substantia doloris, in quocunque gradu remisso: neque adeò absolutè necessarium est de uno peccato mortali magis conteri, quàm de alio. Ita (contra Adrianum) communissima DD. D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus, pluribúsque congestis Suarez *hic disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 7. Coninck, *disp.* 2. *dub.* 7. Layman, *lib.* 5. *Tract.* 6. *c.* 4. *num.* 1. Lugo *disp.* 5. *sect.* 8. *n.* 19. testans ita sentire omnes Theologos. Ratio est: quia ubi est vera substantia contritionis vel attritionis cum Sacramento, ibi est sufficiens dispositio ad remissionem cujuscunque peccati mortalis: sed in quocunque gradu intensionis subsistere potest vera substantia contritionis perfectæ vel attritionis, suppositis nimirum requisitis hactenus explicatis, & deinceps explicandis: ergo non requiritur certus intensionis gradus ad remissionem cujusvis peccati. Monitionem tamen practicam mox dabo §. *seq.* Unde ulteriùs neque ad veram contritionem aliqua mora temporis requiritur, juxta communem DD. apud citatos. Nam, ut dicitur cap. mensuram dist. 1. de Pœnitentia. *Apud Deum valet non tam mensura temporis: quam doloris.* Ratio est: quia ex DEI ordinatione, omnis vera contritio, (& attritio cum Sacramento) est ultima dispositio ad justificationem: sed vera contritio, factâ debitâ apprehensione objecti ac motivi, elici potest in momento: positâ autem ultimâ dispositione, statim inducitur forma: ergo non requiritur certa mora temporis: Atque, ut ait D. Leo Epist. 9. ad Theodorum. *Apud Deum nullam patitur venia moram vera conversio.* Idipsum significatur Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacunque die* (id est quandocunque, quamprimùm) *conversus fuerit ab impietate sua.*

§. IV.

Minùs requiritur dolor sensibilis.

110 DEnique ad contritionem justificativam non requiritur dolor sensibilis, qui in actus sensibiles erumpat, utpote sensibiles motus, alterationes ac teneritudines cordis, in lachrymas, gemitus, suspiria, singultus, &c. sed sufficit dolor rationalis, quo voluntas ex motivo supernaturali verè averietur, & detestetur, & consequenter necessariò doleat peccatum commissum. Cùm ejusmodi sensibilitas frequenter non sit in nostra potestate, neque ad perfectionem contritionis ac doloris spectet. Contingit enim pœnitentem verè dolere, ac premere altum corde dolorem, & absque ejusmodi signis & sensibilitate, vehementiùs dolere animo, quàm alii ex complexione felices in gemitus, lachrymas, singultus, uti sunt mulieres & melancholici. Et plerumque majoris meriti est velle flere, & non posse, quàm ejusmodi facilibus fletibus abundare. Interim supposito vero dolore interno animæ, etiam sensibilem dolorem, gemitus, & lachrymas excitare, omninò ut utile, meritorium, & satisfactorium magis, consultum est iis, qui possunt.

111 Universaliter consultum semper & valde utile est adhibere conatum ad dolorem eliciendum & vehementiorem & diuturniorem, etiam sensibilem, quando facilè quis potest: útque homo de peccatis suis & vehementer & sæpiùs doleat: eóque magis, quò plura & graviora sunt a hcujus peccata: uti sacra Scriptura & SS. PP. passim hortantur. Et singulare exemplum præbet David. Lege ejus Psalmos Pœnitentiales, primum & quartum præsertim. Ratio est: quia licèt in quocunque gradu veri doloris, ac in momento fiat remissio peccatorum quoad culpam; attamen pro magis & magis intenso gradu, majoris morâ doloris, copiosior gratia infunditur, eóque plus remittitur de pœna temporali: posítque esse tanta intensio, ac vehementia doloris, ut tota pœna temporalis peccatis remissis quantumvis gravibus debita simul plenariè remitteretur, ut notant DD. communiter, & pluribus patuit exemplis.

117. *Unde contritio perfecta extra Sacramentum justificativa non est omnis alius dolor ex alio motivo inferiori conceptus.*
128. *V. g. ex motivo Religionis, obedientiæ, gratitudinis.*
129. *Objectio notabilis,*
130 *Solvitur, & ostenditur, quando habeatur, vel non habeatur contritio perfecta?*
131. *Examinantur quædam communes, formula dolendi.*

SECTIO II.

De Contritione perfecta.

QUÆSTIO I.

Quid sit Contritio perfecta.

SUMMARIUM.

113. *Contritio perfecta est summus animi dolor, appretiativè, & objectivè.*
114. *Quatenus scil. peccatum est contra bonitatem DEI infinitam.*
115. *Naturalem & essentialem;*
116. *Quæ est supremum motivum detestandi peccata.*
117. *Atq; adeò unicum motivum contritionis perfectæ est summa Dei bonitas offensa. Probatur usque ad n.* 122.
121. *Estq; contritio perfecta verus actus charitatis divinæ,*
123. *Ac etiam actus Pœnitentiæ virtutis, saltem imperatus;*
124. *In omni lege sufficiens, congrua, vel ultima dispositio ad justificationem.*
126. *Dixacto tamen non justificat sine Sacramento, saltem in voto.*

Assertio.

CContritio perfecta est summus animi dolor 112
ac detestatio peccati super omnia ex motivo charitatis: (seu: *quatenùs est offensa Dei summi boni super omnia dilecti*) *cum firmo proposito non peccandi de cætero.* Ita in re, omnes. *Propositum de cætero non peccandi, rursus in suum locum rejecto.* Explico reliqua, quoad potero clarè & distinctè.

§. I.

Est summus animi dolor.

CContritio perfecta debet esse *summus dolor,* 113
non tantùm *appretiativè* ac super omnia alia mala, uti *q. præcedente* explicatum est; sed etiam *objectivè*, nimirùm sub objecto formali & motivo perfectissimo detestandi peccatum, quo peccatum est detestabile: quatenùs scilicet est offensa DEI summi boni, seu quatenùs est contra infinitam bonitatem DEI super omnia amandam, quod est objectum formale charitatis. Ratio dabitur §. *sequenti* Tu interim prænota diligenter.

§. Cùm audis, audiésque toties *Bonitatem* 114
Dei infinitam esse motivum & objectum formale charitatis, amoris DEI super omnia, adeóque etiam contritionis perfectæ: ne intelligas solùm & apprehendas bonitatem Dei specialem attributalem, quæ est speciale Dei attributum à cæteris attributis & perfectionibus divinis formaliter, vel ratione distinctum, importans summam Dei perfectionem in operando, seu se se communicando optimo modo, quo convenit, & proprie *benignitas* dicenda: & definitur à Lessio lib. de perfectionibus divinis. *Bonitas seu benignitas Dei est naturalis Dei propensio ad communicandum se creaturis pro captu cujusque.* Ex hac bonitate provenit amor; quo Deus præstare vult, & reipsâ præstat creaturis bonorum suorum communionem in esse naturæ, gratiæ, & gloriæ. Sicut enim si amares Deum propter hanc specialem bonitatem, non amares Deum amore summo super omnia perfectissimo; ita etiam si doleres de peccato propter offensam hanc specialem bonitatem, non doleres dolore summo perfectissimo. Utrùm autem talis dolor vel amor sufficeret ad justificationem, patebit ex mox dicendis.

Intelligitur ergo in proposito *infinita DEI* 115
bonitas naturalis, & essentialis; éstque complexio omnium innumerarum ac infinitarum perfectionum DEI. Cogita infinitam potentiam, infinitam sapientiam, infinitam bonitatem illam seu benignitatem, infinitam lucem, dulcedinem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dinem, deliciositatem, opulentiam, gratiam, majestatem, misericordiam, justitiam, &c. &c. Hæc omnia continet bonitas DEI naturalis & essentialis, seu ipsa divina Essentia infinitum bonorum omnium pelagus. Habet hæc omnia DEUS à seipso, in seipso, unâ indivisibili entitate, infinito, illimitato modo, inamissibiliter. Et hæc bonitas Dei naturalis ac universalis est adæquata & simplicissima ratio, ac motivum formale amandi DEUM super omnia. Est enim Deus summè amabilis ex infinita sua potentia, sapientia, bonitate, &c. & singulariter ac principaliter in omnium infinitarum suarum perfectionum infinito cumulo, immensóque pelago.

116 Atque eadem hæc infinita DEI bonitas naturalis est supremum motivum detestandi peccatum, cui omnia alia motiva velut imperfectiora & inferiora subordinantur: ita ut quis detestans peccatum sub hoc motivo perfectissimo, hoc ipso etiam virtualiter ac eminenter illud detestetur sub quocunque alio motivo possibili vel excogitabili: non è contra. Nam eo ipso, quò aliquis detestatur peccatum sub alio motivo particulariori seu inferiori, v. g. quatenùs est contra justitiam Dei, beatitudinem privat, &c. non esset detestatio peccati summa & super omnia, quia non detestaretur peccatum motivo perfectiori, quo posset, nec sub motivo perfectissimo, quo est detestabile. Jam ad rem.

§ II.

Ex motivo charitatis.

117 COntritionis perfectæ motivum unicum, ex quo procedere debet, est motivum charitatis, nempè summa DEI bonitas offensa, ac ipse Deus summè bonus, super omnia dilectus, peccato offensus: ipsúmque objectum formale contritionis detestantis peccatum est offensa DEI summi boni super omnia dilecti; adeóque contritio essentialiter includit aliquem saltem virtualem amorem DEI super omnia. Ita communissima Theologorum ferè omnium cum D. Thoma *q.* 85. *a.* 5. Scoto *in* 4. *dist.* 14. *ad ultimum.* contra paucos infrà referendos.

118 I. Probatur authoritate SS. Scripturæ & SS. Patrum. 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Corinth. 13. *Si charitatem autem non habuero, &c* Deut 4. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen ex toto corde quæsieris eum,* (ex amore DEI super omnia) *& tota tribulatione animæ tuæ.* En contritio! Denique Luc. 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* D. Augustinus l. de vera & falsa pœnitentia c. 17. & 19. *sine amore nemo unquam gratiam invenit, aut veniam consecutus est.* Item Serm. 7. de Temp. *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati & amor Dei.* Idem lib. 21. Civit. c. 27. *Nisi desistant à peccatis habendo charitatem, quæ non agit perperam, nihil eis prodesse potest.* ac alibi: eodémque modo loquuntur alii SS. Patres passim. Qui tamen semper intelligendi sunt de justificatione extra Sacramentum. Nam exceptio Sacramenti Pœnitentiæ colligitur ex aliis locis Scripturæ & SS. Patrum, ut optimè notat Valent. *hic disp. 7. q. 8. pu. 3.*

II. Principaliter probatur ex Concilio Tri- 119
dentino *sess.* 14. *c.* 4. ubi statuens differentiam contritionis perfectæ, & imperfectæ, ad justificationem extra Sacramentum expressissimè requirit contritionem *charitate perfectam.* Sic enim habet. *Docet præterea* (Sacra Synodus) *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominémque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in ipsa includitur, non esse adscribendam. Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur: quæq; vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat donum Dei esse.* Hæc Concilium; expressissimè significans, contritionem perfectam, quæ extra Sacramentum justificat, illam esse, quæ charitate perfecta est: utique charitate actuali, seu dolore elicito ex motivo charitatis, scilicet ad Deum summè dilectum, eóque ipso aliquo saltem virtuali amore Dei super omnia (ut §. sequenti declarabo.) Charitas autem habitualis infusa primò per contritionem acquiritur, éstque ipsa formalis justificatio, & reconciliatio cum Deo.

III. Ratio à priori necessaria non est alia, 120
quàm voluntas Dei per SS. Scripturam expressa, hanc potiùs, quàm aliam dispositionem requirentis ad justificationem. Congruentiæ sunt. 1. Quia convenientissimum est, ut homo non priùs admittatur ad Dei amicitiam, quàm aliquo amoris actu eundem diligat. 2. Amor Dei est perfectissimus, ideóque maximè idoneus, ut pro tali dispositione requiratur: & defacto requiri constat ex Scripturis allegatis. 3. Per quodlibet peccatum mortale expellitur charitas, & per justificationem restituitur: atqui charitas expulsa non debet restitui, nisi præcedente novo actu charitatis: sicut enim fides per hæresim amissa, non restituitur, nisi inchoante novo actu fidei: & spes per desperationem amissa non restituitur, nisi mediante novo actu spei; sic & charitas divina, quæ per quodlibet peccatum mortale amittitur, non debet restitui, nisi præcedenti novo actu charitatis aut formalis amoris Dei super omnia, aut saltem virtualis inclusi in contritione elicita ex motivo charitatis propter Deum summè dilectum. 4. Oppositâ ratione & viâ ad Deum reverendum est, quàm ab eo aversi sumus: sed per peccatum voluntariè avertimur à Deo ejúsque amicitiâ, ipsi summo bono super omnia amando præferendo, eóque plùs amando bonum creatum, voluptatem v. g. ergo ad Deum, ejúsque gratiam & amicitiam

citiam reverti debemus denuò amando Deum summum Bonum, super omnia alia bona, saltem implicitè per actum Contritionis perfectæ detestando peccatum commissum, quatenùs est offensa Dei summi Boni super omnia dilecti. Et hinc initio dixi, perfectam contritionem essentialiter includere amorem Dei super omnia saltem virtualem. Nam

121 IV. Ad Contritionem perfectam extra Sacramentum justificativam omninò sufficere videtur virtualis amor Dei super omnia in ipso actu Contritionis detestantis peccatum super omnia, quatenùs est offensivum summi Boni super omnia amandi, essentialiter incluso (ut suprà insinuavi, & mox clarius explicabo §. *sequenti.*) neque necessè est semper adesse, præcedere, vel subsequi formalem amorem Dei super omnia, etsi is, ut plurimùm adesse solcat. Ita communior DD. Suarez *hic disp.* 1. Vasquez, Valentia, Coninck, Tannerus, aliisque *citatis*, Cardinalis de Lugo *hic disp. 5. n. 97.* Ratio est: quia ex una parte loca Scripturæ, SS. PP. & Concilij Tridentini suprà allegata commodissimè intelliguntur de amore Dei vel formali, vel virtuali: ex altera autem parte eadem Scriptura æquè sæpe remissionem peccatorum tribuit pœnitentiæ ac Contritioni, ut 2. Reg. 12. Davidi post adulterium & homicidium sibi improperatum solùm ingemiscenti: *Peccavi Domino*: statim dicitur: *Dominus quóque transtulit peccatum tuum*; utpotè jam justificato communi sensu SS. Patrum ac Interpretum. Denique nimis operosum & difficile videtur peccatori justificando semper necessariò debere habere duos actus distinctos perfectissimos, scilicet contritionis tendentis in peccatum, ut est offensa summi Boni; & amoris DEI super omnia tendentis in Deum summum Bonum. Denique solus amor Dei super omnia sufficit ad justificationem peccatoris, ut infrà videbimus: ergo semper superflueret ipse actus contritionis, aut saltem ad justificationem, extra tempus pœnitentiæ obligationis necessarius non esset. Contrarium tamen satis probabiliter docent, & formalem amorem DEI ad Contritionem perfectam ac justificativam requiruntur alii (ob clarè allegata loca intelligenda) apud Lugo *citatum*, quem videre potes. Jam ergo satis patere potest, ac debet definitio contritionis, qualiter debeat esse *summus animi dolor, & detestatio peccati ex motivo charitatis.* Addidi claritatis gratiâ

§. III.

Quatenus est offensa *Dei super omnia dilecti.*

122 I. COntritio ergo perfecta est verus actus Charitatis divinæ, secundùm omnes. Ratio est: quia omnis virtus (temperantia v. g. castitas) inclinat tam ad prosequendum bonum suum, quàm ad fugiendum malum oppositum: &c etiam virtus charitatis, ejúsque motivum formale summa & infinita Dei bonitas directè quidem inclinat & movet ad prosequendum ac amandum DEUM, Summum ac infinitum Bonum ob ejus infinitam ac intrinsecam bonitatem (§. 1. explicatam,) atque eo ipso etiam necessariò movet, & inclinat ad fugiendum ac super omnia detestandum peccatum, quatenùs solum malorum omnium extremum est, & offensivum ejusdem infinitæ bonitatis, atque aversivum ab illo summo & infinito bono. Et hinc contritio, quamvis formaliter non sit amor Dei, cùm non sit actus prosecutionis, sed fugæ: est tamen verissimus actus charitatis, & virtualis ac implicitus amor Dei sufficiens ad justificationem, ut dictum est. Nam sicut ipse formaliter amor Dei super omnia virtualiter semper includit contritionem: eo ipso enim, quo amas Deum super omnia propter ejus summam bonitatem, virtualiter & implicitè saltem detestaris omne offensivum ejusdem summæ bonitatis, quod est solum peccatum: & si tibi sic amanti peccatum à te commissum occurreret, horrendè execrareris; ideóque & ipse solus amor Dei super omnia sufficit ad justificationem juxta mox dicenda: ita contritio perfecta semper virtualiter includit amorem Dei super omnia, eo ipso enim, quo detestaris peccatum super omnia propter summam DEI bonitatem offensam, eandem summam DEI bonitatem super omnia diligis saltem virtualiter & implicitè, & ut plurimum, datâ morâ, etiam explicitè, ideóque & ipsa sola debet sufficere ad justificationem.

II. Contritio perfecta est etiam actus pœni- 123
tentiæ virtutis, saltem imperatus, atque diverso respectu procedit & à charitate in Deum, & à Pœnitentiæ virtute. A charitate quidem, quatenus dolemus de peccato, in quantum est malum contrarium Deo summo Bono: à pœnitentia virtute autem, quatenùs idem peccatum vindicare & abolere cupimus, ad satisfaciendum Deo supremo Domino offenso, ac injuriâ affecto, juxta latè dicta *q.* 1. Dissentiunt autem DD. à qua virtute contritio simpliciter eliciatur, aut imperetur. Suarez, aliique volunt eliciì à Charitate, & imperari à Pœnitentia. Contrà, plures, præsertim antiqui cum D. Bonaventura *in* 4. *d.* 14. *p.* 1. *a.* 2. *q.* 2. *&* 3. volunt eliciì à Pœnitentia, & imperari à Charitate. Sed practicè utrumque verum est, prout contritio diverso actu, vel diversis vicibus incipit à motivo modò unius, modò alterius virtutis sese invicem imperantis. Nam Charitas suo motivo incipiens & detestans peccatum ut malum contrarium Deo summo Bono, imperat ejus vindictam & abolitionem, & sic contritio primo respectu est actus elicitus Charitatis: secundo autè respectu, est actus elicitus pœnitentiæ virtutis, & imperatus Charitatis: ideò enim vis abolere peccatum, quia DEO super omnia dilecto est contrarium. Contrà, alio actu vel aliâ vice, Pœnitentia virtus suo motivo incipiens ac volens vin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vindicare peccatum, ac abolere, & satisfacere DEO injuriato ac offenso, imperat velut excellentissimum medium abolendi peccatum ac satisfaciendi DEO, detestationem peccati super omnia, quatenùs est malum contrarium Deo summo Bono super omnia dilecto (imò & ipsum formalem amorem Dei super omnia) & sic Contritio primo actu, est actus elicitus Pœnitentiæ; Secundo verò actu vel respectu, est actus elicitus charitatis, & imperatus pœnitentiæ virtutis. Interim semper vides Contritionem, quatenùs præcisè detestatur peccatum malum contrarium summo Bono, seu Deo super
124 omnia dilecto, esse actûelicitum solius charitatis.

III. Sicut ergo ipse actus formalis amoris Dei super omnia (de quo *q. seq.*) ita & contritio perfecta propter inclusum virtualem saltem amorem DEI super omnia, secundùm DEI ordinationem in omni lege, est medium sufficiens, ac congrua & ultima dispositio ad justificationem peccatoris, scilicet obtinendam remissionem peccatorum, Dei gratiam, & jus gloriæ cœlestis per Christi merita. Certum de fide, ex *Concilio Arausicano. II. Can. 1.* & Trident. *supra cit. sess. 14. c. 4. & sess. 6. c. 6.* Sumitur ex S. Scriptura passim, ut Zach. c. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, dicit Dominus, aliisque locis partim supra allegatis. §. 1. *n.* 1. Ratio ergo est: quia Contritio est actus ejusdem virtutis charitatis, hominémque convertit perfectè ad Deum sub ratione perfectissima, secundùm quam peccator avertitur à Deo. Sicut enim homo peccato mortali, ac ejusdem peccati mortalis supremâ ac extremâ malitiâ avertit se à Deo summo Bono ac ultimo fine suo: ita contritione perfectâ homo se rursus perfectè convertit ad Deum summum Bonum, ac ultimum finem, dolens nimirùm offendisse eandem summam Dei bonitatem, lyncerè ex corde dicens: Ah, mi Deus! execror extremam malitiam ac nequitiam meam, & ideò unicè vel præcipuè execror, quòd te Deum summum Bonum, summè amabilem, super omnia diligendum ac
125 dilectum offenderim. &c.

§. Et hinc contritio simpliciter est actus gratiâ ac charitate formatus, non quidem *effectivè*, quasi actus contritionis deberet effectivè elici & produci ab habitu gratiæ & charitatis, cùm ipsa Contritio sit dispositio requisita ad infusionem gratiæ sanctificantis & charitatis habitualis (quando justus quidem conteritur, contritio elicitur effectivè ab habitu charitatis: in peccatore autem elicitur à concurrente Dei auxilio, & gratia actuali excitante, cooperante &c. secundùm communem DD. quâ ratione suprà diximus omnem contritionem debere esse supernaturalem ex parte principij) sed *concomitanter*, quatenùs in eodem instanti cum auxilio DEI supernaturali elicitur actus contritionis perfectæ, velut ultima dispositio simul infunditur habitus gratiæ sanctificantis ac charitatis remissivæ peccati mortalis, adeò, ut contritio naturâ tantùm, & non tempore præcedat gratiam sanctificantem, ac remissionem peccatorum, juxta communissimam DD. utriusque Scholæ cum suis Principibus DD. Angelico & Subtili.

IV. Contritio tamen (sicut & actus amoris 126
Dei super omnia) de facto post institutum Sacramentum Pœnitentiæ, non justificat seu delet, & remittit peccata sine Sacramento in voto. Sic Concilium Tridentinum §. 2. allegatum docet, Contritionem aliquando charitate perfectam esse, hominémque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actù suscipiatur, quamvis ipsa reconciliatio ipsi contritioni sine Sacramenti voto non sit adscribenda. Ratio est: quia actus contritionis perfectæ, vel amoris Dei super omnia, est quidem de se deletivus peccati, & olim se solo delere poterat: at post institutum hoc Sacramentum, vi præcepti & ordinationis divinæ, non delet peccata, nisi in ordine ad claves, seu cum onere & obligatione eadem peccata subjiciendi clavibus per Confessionem Sacramentalem. Attamen extra tempus, quo urget necessitas, & obligat præceptum Confessionis, non requiritur explicitum formale & actuale votum, sive desiderium ac propositum suscipiendi hoc Sacramentum; sed sufficit votum seu propositum virtuale & implicitum, inclusum in ipso actu contritionis, vel amoris Dei super omnia: quo nimirùm actu quilibet semper ita dispositus est, ut suo tempore sit peccata sua confessurus, & Sacramentum absolutionis suscepturus. Eo ipso enim, quo quis super omnia detestatur peccatum propter Deum summè amatum, etiam implicitè vult facere omnia, quæ requirit Deus ad delendum peccatum, ipsumque sibi reconciliandum; inter quæ requisita, in nova lege unum est Confessio & Sacramentum Pœnitentiæ.

§. IV.

Corollaria exclusio Dolorum insufficientium.

I. A Contritione ergo perfecta & extra Sa- 127
cramentum justificativâ, excluditur & ad Contritionem imperfectam seu attritionem rejicitur omnis alius dolor & detestatio peccati procedens non ex motivo charitatis, seu propter offensum Deum summum Bonum super omnia dilectum, sed ex alio motivo inferiori, quantumvis supernaturali, & ad DEUM relato. Ita jam communissima DD. quos congerunt, & sequuntur Suarez *disp. 4. sect. 2.* Vasquez *in 3. p. q 85. a. 2.* Tanner. *q. 6. dub. 4.* Lugo *disp. 5 n. 10.* Ratio generatim est: quia ex quocunque alio motivo detesteris peccatum, non detestaberis super omnia, saltem in quantum est summè detestabile, ut discurrenti palàm erit. Nam si doles & detestaris peccatum propter metum gehennæ vel pœnarum à Deo infligendarum vel de facto inflictarum, aut etiam ob privationem æternæ beatitudinis, jam palàm & simpliciter non odisti peccatum super omnia

omnia, sed magis odisti pœnam sensûs vel damni, quàm peccatum. Item detestaris peccatum ob ejus turpitudinem: nisi concipias turpitudinem & malitiam istam extremam, quâ summo Bono DEO adversatur, odio & abominationi est, non detestaris peccatum super omnia, in quantum summè detestabile est. Nunquid agnoscis? sed de his *sect. seq.*

128 II. At, inquis. Ego doleo & detestor peccatum propter ipsum Deum maximè, seu quatenùs est offensa Dei: sed vel 1. ex motivo *Religionis*, quatenùs continet inhonorationem Dei, contra cultum debitum DEO supremo Domino vitæ ac mortis: vel 2. ex motivo *Obedientiæ*, quatenùs continet inobedientiam erga Deum supremum Legislatorem nostrum: vel 3. ex motivo *Gratitudinis*, quatenùs continet horrendam ingratitudinem contra Deum supremum Benefactorem nostrum: vel 4. denique ex motivo proprio virtutis pœnitentiæ, ac justitiæ erga Deum, quatenùs continet offensam ac injuriam contra Deum supremum Dominum actionum nostrarum (juxta dicta *cap. 1. sect. 1. §. 3.*, atque sic apprehendo peccatum ut summum malum, & majus omni alio malo, cum aliquali saltem virtuali & implicito amore Dei: Non enim detestarer, & cuperem abesse illud malum Deo, nisi aliquo modo ex ejus bono complacerem, eóque ipso Deum amarem. Quidni ergo adsit vera contritio, etsi non adsit formale & expressum motivum charitatis? An non ita docuerunt olim gravissimi DD. apud Suarez suprà citatum, qui seipsum hanc Sententiam, ut probabilem aliquando fuisse secutum testatur? Resp. Fateor, moves me. Non ausim tibi negare probabilitatem tuam. Interim cum Card. de Lugo censeo, nullo modo esse recedendum à communissima Sententia DD. post Concilium Tridentinum ad justificationem tam clarè requirens contritionem *charitate perfectam*. Atqui contritio ista tua, ex quocunque dictorum vel simili motivo, non est charitate perfecta, cùm non procedat ex motivo proprio charitatis. Doles quidem, ut inquis, & detestaris peccatum, super omnia alia mala, quæ non sunt peccata: at non detestaris illud, in quantum summè est detestabile. Longè enim detestabilius est peccatum, in quantum est contra Deum summum bonum simpliciter (ut §. 1. explicatum) ac supremam charitatis virtutem, quàm in quantum est contra Deum particulariter ut supremum Dominum, Legislatorem, Benefactorem &c. ac solùm contrariatur inferioribus virtutibus, Religionis, Obedientiæ, Gratitudinis ac Justitiæ. Ratio horum ex §. 2. resumenda est.

129 III. Contrà adhuc instas. Dicit quidem Concilium, Contritionem justificativam extra Sacramentum debere esse *charitate perfectam*, sed certè non dicit debere esse charitate perfectissimam, sub supremo motivo charitatis, & summo conceptu Dei summi boni offensi, seu infinitæ Dei bonitatis naturalis descriptæ §. 1. cùm certum sit ad veram contritionem sufficere, dolere de peccato, quatenùs est offensa Dei super omnia dilecti, sub quacunque ratione boni & perfectionis propriæ apprehensi: quales certè etiam sunt, esse *supremum Dominum, Legislatorem, Benefactorem &c.* Deinde fateris & agnoscis, tali modo me detestari peccatum super omnia mala alia, non absque implicito saltem motivo, & actuali & virtuali imperio charitatis. Sicut enim, suppositâ fide, sola charitas æstimat & amplectitur Deum ut summum bonum super omnia alia bona, ita etiam sola malum oppositum Deo, peccatum æstimat, abhorret, & detestatur ut summum malum super omnia mala. Aliæ verò virtutes, Religio, Obedientia, Gratitudo &c. æstimant quidem & detestantur peccatum inhonorationis, ingratitudinis &c. erga Deum, ut malum maximum & gravissimum, ut non expresè & relativè ut summum malum super omnia alia mala: ergo si detester peccatum super omnia alia mala, sub quacunque ratione in particulari hic & nunc Deum offensum apprehendam, habeo contritionem satis perfectam pro captu meo: adeò, ut meritò Tamburinus *Opusc. exped. Confess. l. 1. c. 1. §. 6. n. 13.* asserat, hunc esse actum veræ contritionis in actu signato. *De peccato, quia est offensa DEI & injuria, super omne id, quod me pœnitere potest, pœniter, & propono me amplius mortaliter non peccaturum.* Certè denique omnes Christiani, saltem doctissimi, credunt se perfectè dolere & conteri, quando dolent de peccato super omnia alia mala: adeóque non propter suum malum, quatenùs per illud incurrant pœnas inferni, privationem beatitudinis, &c. sed propterea, quòd per illud Deum suum offendant, molestiâ & injuria afficiant, sub quâcunq; ratione seu motivo perfectionis Deum offensum apprehendant. Resp. Jam verò me convincis. Sed tantùm evincis, quod mox clarioribus terminis affero.

IV. Respondeo ergo, & dico constanter. 130
Non sufficiunt isti dolores ad veram perfectámque Contritionem, quatenùs præcisè sunt actus eliciti earum virtutum, sistentes in earum propriis motivis, Religionis, Obedientiæ, Gratitudinis, Pœnitentiæ, &c. quod ratio nostra & authoritas Concilij Tridentini omninò convincere videtur. Omninò autem sufficiunt illi dolores, quatenùs aliquo modo procedunt ex motivo & imperio charitatis: quod benè evincit instantia data. Atque adeò dico universaliter: adest vera Contritio perfecta, quoties ex actuali & virtuali, implicito saltem imperio & motivo charitatis doles, & detestaris peccatum ut offensam Dei: sub quocunque particulari motivo vel malitiâ ipsum peccatum & offensam DEI: & sub quacunque particulari perfectione, ratione vel respectu ipsum Deum offensum hic & nunc apprehendas, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

tibi proponas: atque ex ejusmodi virtuali & implicito saltem imperio & motivo charitatis doles, & detestaris peccatum, quoties detestaris ut simpliciter summum malum super omnia alia mala: sic enim necessariò detestaris peccatum ut malum Dei oppositum summo bono, quod utique est proprium Charitatis, ut modò dictum. Habes ergo perfectam contritionem, quando ex actuali vel virtuali affectu amoris Dei super omnia detestaris tuas per peccata DEO summo bono irrogatas inhonorationes, inobedientias, ingratitudines, injurias, &c. suprà *N. II.* specificatas. Nam licèt ejusmodi detestationes elicitivè sint actus Religionis, obedientiæ, gratitudinis, pœnitentiæ, &c. imperativè tamen sunt actus amoris Dei super omnia. Quin hâc ratione etiam motiva & actus contritionis imperfectæ seu attritionis utilissimè elevabis in contritionem perfectam. Ut si ex ejusmodi actuali vel virtuali amore Dei doles, te tuis peccatis meruisse infernum, ubi æternùm DEI amore & fruitione carens, DEI odio & execratione plùs quàm ipsis inferni ignibus, arsurus esses. Si enim amoris affectu doleas, te adeò offendisse summam bonitatem seu benignitatem divinam, ut irritatus Judex justus etiam pœnis temporalibus te castigare possit, aut de facto castiget. Vide dicenda *sect. seq.* cùm de motivis attritionis dicam. Interim lege Authores Asceticos de affectu & praxi Contritionis scribentes: & inter hos P. Joannem Weyer S. J. Theologum, simul & Ascetam insignem, qui in *suo Theophilo, primâ die medit. de Confessione & dolore*, optimè & practicè proponit tres modos eliciendi Contritionem. 1. Ex motivo perfectionum divinarum, aut omnium simul, aut unius in particulari, quarum quælibet est summè amabilis, ejúsque amore & intuitu, peccatum super omnia detestabile, &c. 2. Ex motivo beneficiorum divinorum ex infinito amore tibi præstitorum: quorum intuitu meritò DEUS super omnia amandus, non offendendus, & de offenso super omnia dolendum 3. Ex motivo vitæ & passionis Christi, seu omnium, quæ Christus pro nobis egit & passus est ex purissimo & ardentissimo amore tui, ideóque meritò reciprocè super omnia amandus, non offendendus &c. &c. Mihi multis annis circa festa natalitia (quo tempore initio anni 1680. hæc scribo) mirificè placuit, & sapuit, & etiamnum placet, & sapit suspirium illud. *Quomodo amabo Te amoris Rex, pro me nascens in stabulo, ut pro me moriaris in patibulo?* Gusta & vide, quoniam suave est, & efficax ad effectus amoris ac amorosæ contritionis concitandos.

131 §. Ex dictis expendendum, quid sentiendum de communissima dolendi formula, quâ communiter, præsertim Germani vernaculè dicere solemus: *Ex toto corde, vel summè doleo, quòd Dominum Deum meum offenderim*: an sufficienter sic exprimatur contritio perfecta? Resp. speculativè & in abstracto, spectando sensum grammaticalem verborum, fatendum est, hâc formulâ non exprimi dolorem ex motivo charitatis erga DEUM summum bonum, aut ullum clarum affectum amoris divini in corde proferentis, sed tantùm dolorem ob offensam vel injuriam DEI supremi Domini nostri ex motivo Religionis ac Pœnitentiæ ad summum; ideóque secundùm communissimam Sententiam, nec perfectam contritionem. At verò practicè & in concreto spectando illa verba secundùm affectum seriò & servidè illa proferentis, omninò formula ista regulariter, & ut plurimùm continet veram contritionem ex motivo charitatis & motu veri amoris divini, adeò, ut inter 100. imò fortè inter mille vix unus reperiatur, qui sine vero motu amoris DEI, veráque contritione, piè, seriò & ardenter proferat hæc verba ex corde. *Summè doleo, quòd te Dominum Deum meum toties tam graviter offenderim* & maximè si addat epitheton *dilecti*, vulgò Meinen lieben GOtt und Herrn beleidiget) adeò ut doctissimus Lessius *auctar. V. Confessio. casu* 1. veram contritionem æstimet hunc actum. *Maledicta peccata mea, quibus Dominum DEUM meum offendi!* Ratio autem est: quia sic seriò loquentes boni Christiani (quisque suam mentem exploret, & fatebitur) non solent in peccatis apprehendere vel considerare offensam DEI, ut formalem injuriam seu læsionem juris divini supremi Domini, sed considerant in peccatis offensam Dei, tanquam molestiam, exacerbationem, ac velut amaritudinem, gravémque displicentiam, quam peccando quodammodò attulerant animo divino, optimo DEO & Domino nostro meritò semper amando, omníque obsequio ad placitum, & gustum prosequendo, ac velut oblectando: an non hic operatur motus synceri Amoris divini ac motivum Charitatis? Etenim apprehendimus DEUM tanquam Patrem charissimum, & offensam DEI, tanquam offensam Patris charissimi carnalis, sub conceptu perturbationis, molestiæ, amaritudinis, &c. quâ exacerbavimus charum Parentem carnalem, vellemúsque nihil tale factum à nobis, factúmque amare dolemus, utique non sine affectu & impulsu amoris filialis in Parentem. Quære enim ex tali filialiter dolente filio, cur doleat, se illam molestiam attulisse Parentis animo? Statim responderet: cur non doleam, cùm meus Pater sit: amo ipsum, ac proinde ei semper bonum, placitum, gaudium opto potiùs, quàm molestiam, displicentiam, disgustum amaritudinis &c. Hoc, inquam, sensu & affectu solemus efferre illa verba, cùm piè, seriò, & ardenter proferimus, ideóque verè contriti & ex motivo charitatis ac amoris DEI dolentes censendi. Quare, si eo tempore, quo urgeret præceptum Contritionis

juxta infrà dicenda *q. seq.* v. g. in periculo mortis, aut subitò coactus ministrare Sacramentum in statu non bono, ea verba seriò, piéque effatus es; noli te accusare Confessario de omissione contritionis. Et tu Confessarie, si moribundum audies, piè ac fervidè ejusmodi verbis ad Deum suspirantem, maximè jam valde debilem, noli angi, vel illum magis angustiare de contritione perfecta. Unde cum Gobat hîc *casu* 4. *n.* 109. a. huc unum. (Nam utilia, prolixa videri non debent.)

132 ¶. Cùm tot sint conditiones támque delicatæ veræ contritiones perfectæ hactenus explicatæ, maximè illa: *Summus dolor super omnia*: meritò hic quæres, an sit facilè hunc elicere, nec ne? Delicata est hæc quæstio & implicatæ responsionis. Si enim respondeatur difficulter eum elici, absterrebuntur à conatu eum eliciendi multi, eheù! qui gravibus peccatis obnoxij subitò vocantur ad Sacramenta ministranda. Si asseratur, id esse facilè, fortè multi sument occasionem existimandi, se esse verè contritos, cùm tamen non sint. Navarrus *de Jubileo & Indulgentijs notabili* 17. affirmat esse difficile. Diana contrà & alij putant, contritionem etiam perfectam facilè elici posse. Utrumque videtur verum respectu diverso. Difficillimum sine dubio est elicere perfectam contritionẽ respectu valde habituatorum in uno vel pluribus peccatis mortalibus, & maximè libidinis & vindictæ: & singulariter antequam, prout deberent, evitârunt occasiones proximas peccandi: O quando tales elicient, synceram detestationem peccatorum super omne aliud malum, ex syncero motivo charitatis ac amoris Dei super omnia, quem tam effrenatè offendere assueti sunt. Digito DEI & virtute Altissimi hîc opus est. Facilè autem meritò censeri debet, elici contritionem ab ijs, qui rarò & ex humana fragilitate potiùs, quàm ex malitia vel consuetudine peccant. Hi enim faciliùs syncerè ad mentem & ad Deum revertuntur.

133 ¶ Jam dicturus de necessitate contritionis, suppono te nosse: necessarium necessitate medij ad salutem id esse, sine quo salus æterna consequi simpliciter non potest, non obstante quâcunque impotentiâ, ignorantiâ, inadvertentiâ: v. g. sic necessarius est Baptismus parvulis. Necessarium necessitate præcepti est illud, quod ad obtinendam salutem etiam necessariò præstandum est, sed cùm præstari potest, excusante impotentiâ, ignorantiâ, oblivione inculpabili &c. sic necessarium est die Dominico audire Sacrum, &c.

QUÆSTIO II.

Qualiter Contritio sit necessaria necessitate medij?

SUMMARIUM.

135. *Homini in mortali constituto in omni lege necessaria est aliqua pœnitentia, vel dolor.*

137. *Posset tamen Deus absolutè sine omni pœnitentia, vel actu alio*

138. *Peccatori actu non peccanti seu ad peccatum affecto, sua peccata gratis remittere.*

139. *In lege veteri omninò necessaria erat ad justificationem, perfecta, formalis vel virtualis.*

140. *In lege autem nova sufficit etiam attritio cum Sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ.*

141. *Non tamen attritio cum alijs Sacramentis per se loquendo.*

143. *Contritio perfecta etiam extra omne Sacramentum justificativa non necessariò debet esse formalis.*

144. *Sed sufficit virtualis, amor DEI super omnia.*

145. *Sive peccator sit immemor, sive memor suorum peccatorum;*

147. *Memor tamen in extremis constitutus obligatur insuper elicere contritionem formalem.*

149. *Amor Dei generatim duplex, concupiscentia & amicitia.*

150. *Quid amor concupiscentiæ?*

151. *Quid amor amicitiæ quoad affectum complacentiæ? &*

154. *Quid quoad affectum desiderij? dictus amor obedientialis.* Usque ad n. 159.

159. *An, qualiter, & quando justificet Martyrium?* Usque ad n. 164.

ASSERTIO.

134 *Homini in peccato mortali constituto, in omni statu de lege ordinaria, ad justificationem & salutem consequendam, medium necessarium, seu necessitate medij necessaria est Pœnitentia, seu contritio aliqua: in veteri quidem lege determinate sola contritio perfecta; in nova autem lege post instituta Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ, disjunctim aut contritio perfecta, aut Sacramentum cum attritione susceptum: neque necessaria est formalis, sed sufficit contritio perfecta virtualis inclusa in actu amoris Dei super omnia, ac etiam Martyrij, quantumcumque est de necessitate medij.* Est tota communissima, ut patebit explicatione.

§. I.

In omni lege necessaria Pœnitentia vel contritio aliqua.

135 I. CErtum de Fide. Concil. Trident. sess. 14. c. 1. *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali peccato inquinâssent, quovis tempore necessaria ad gratiam & justificationem assequendam.* Et ibidem c. 4. *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic motus contritionis necessarius.* Constat ex SS. Script. passim. Eccl. 20. v. 22. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei & non in manus hominum.* Luc. 13. *si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis*: quâ loquendi formulâ significatur necessitas medij; ut & Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* SS. Patrum de hoc pleni sunt libri. Ratio est: quia illud, cujus effectus est simpliciter necessarius ad salutem, est ipsum necessarium necessitate medij: sed effectus pœnitentiæ seu necessitate medij: sed effectus pœnitentiæ seu contritionis, scilicet remissio peccatorum seu justificatio est simpliciter necessarius ad salutem omnibus in mortali constitutis; ergo & ipsa pœnitentia est ita necessaria ad salutem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

136 II. Quòd pœnitentia seu contritio aliqua sit necessarium medium ad remissionem peccatorum seu salutem. *Ratio* à priori est sola & justissima ordinatio divina. Rationes congruentiæ variæ assignari possunt. Hæ maximè duæ. Quia per omne peccatum mortale avertitur homo à DEO, & convertitur ad creaturam. ergò convenientissimum est, ut non tollatur, nisi per conversionem ad Deum, & aversionem à creatura: atqui ubicunque sunt hi actus, ibi est pœnitentia vel contritio aliqua; ergò &c. Item per omne peccatum mortale homo offendit DEUM, ut passim loquitur Scriptura: sed Deum offendi (quomodocúnque nos apprehendamus juxta suprà dicta) reipsâ & in effectu nihil aliud est, quàm Deum velle vindicari peccatum, neque enim aliâ ratione potest offensio convenire DEO propriè loquendo: ergo de lege ordinaria non tollitur peccatum, nisi per punitionem peccati, quod est proprium pœnitentiæ, & hinc notanter initio addidi: in omni lege *de lege ordinaria*. Nam

137 III. Deus de potentia absoluta potest: emittere peccata, & justificare hominem absque pœnitentia vel contritione formali vel virtuali; aut ullo alio peccatoris actu. Communis cum Scoto *in* 4. *d.* 14. *q.* 1. Suarez *hic d.* 9. Ratio est: quia Deus de potentia absoluta peccatori actu non peccanti, absque ulla ejus pœnitentia vel actu prævio potest infundere gratiam sanctificantem: (potest enim Deus effectum producere absque dispositionibus, maximè ex sola sua libera ordinatione requisitis: pœnitentia autem seu actus peccatoris antecedens justificationem ac gratiam habet tantùm rationem dispositionis: idque non ex natura rei, alias non posset gratia infundi infantibus, eorúmque peccatum originale deleri absque omni eorum actu, sed ex libera ordinatione & beneplacito divino: quod autem ex sola ordinatione divina requiritur, utique potest tolli per potentiam DEI absolutam) atqui per gratiam sanctificantem necessariò deletur peccatum, & fit homo formaliter justus ac Deo gratus: implicat enim hominem esse simul justum ac gratum, & peccatorem. Quia *odio sunt Deo, impius & impietas ejus*: ergò &c.

138 IV. Dixi notantissimè. *Peccatori actu non peccanti*: quia homini actu peccanti, in actuali voluntate vel complacentia peccati existenti, sícque actualiter aversò à Deo, non potest remitti peccatum: quia sic homo esset peccator & non esset peccator, esset aversus & non aversus, ac conversus ad DEUM, quod rursus implicat. Sermo ergo est de peccatore habituali tantùm, seu habitualibus tantùm peccatis aversò à Deo, qui scilicet peccata commissa, nondum retractavit per pœnitentiam vel contritionem aliquam: atque hanc ipsam habitualem aversionem à Deo, seu quod idem est, injuriam seu offensam sibi illatam, de potentia absoluta potest DEUS tollere per liberam condonationem absque ullo actu Pœnitentis, sicut in humanis moraliter loquendo censetur penitùs abolita injuria vel offensa, si offensus injuriam remittit, etiamsi offendens nihil penitùs agat, dummodò is in actuali voluntate lædendi non persistat. Quare DEUS tali peccatori habituali infundendo gratiam deleret illam habitualem aversionem, & faceret habitualiter ad se conversum sine proprio actu: etsi sic nondùm esset actu conversus ad Deum: sicut modò parvuli justificantur, fiúntque habitualiter conversi ad Deum absque ulla actuali propria conversione ad DEUM. Sed hæc insuper.

§. II.

In lege veteri determinatè sola contritio perfecta &c.

139 I. IN statu legis veteris ante legem gratiæ nemo adultus à peccatis liberari ac justificari poterat absque vera contritione perfecta formali vel virtuali. *Ratio* fuit: quia Sacramenta veteris legis inania signa erant, quæ gratiam DEI per se, & ex opere operato non conferebant, sed solùm præfigurabant & significabant per Christum conferendam: sícque excitabant fidem in Christum Mediatorem: quæ, si formata fuit per charitatem, seu contritionem perfectam, vim habebat justificandi ex opere operantis tantùm: juxta communissimam DD. & fidem Catholicam.

140 II. In nova autem lege non est ampliùs necessaria ad justificationem sola perfecta contritio, sed sufficit attritio cum Sacramento Baptismi: vel Pœnitentiæ suscepto. Communissima Theologorum, ut *sect. seq.* patebit latiùs. *Ratio est*: quia Christus in nova lege volens facilitare media salutis, instituit hæc Sacramenta non vivorum, sed mortuorum remedia: scilicet sunt per se, & directè instituta, ut homini spiritualem vitam, scilicet remissionem peccatorum & gratiam primam conferant: consequenter eam ante eorum susceptionem non requirunt, nec consequenter perfectam contritionem: alioquin media salutis homini peccatori, non alleviata, sed aggravata fuissent.

141 III. Extra ergò hæc Sacramenta mortuorum, Baptismum & Pœnitentiam, etiam in nova lege peccator sine vera contritione perfecta formali vel virtuali justificari non potest, etiam in Sacramentis vivorum susceptis per se loquendo, secundùm omnes: quia ideo dicta Sacramenta vivorum, quòd jam præsupponant spiritualem vitam animæ per gratiam sanctificantem: ac per se solùm conferant gratiam secundam, seu augmentum gratiæ sanctificantis. Attamen per accidens etiam per ista peccator aliquando justificari poterit cum sola attritione: scilicet propter ignorantiam, quando scilicet peccator attritus, vel inculpatè ignorat se esse in peccato mortali, vel bonâ fide existimat se esse de eo contritum, cùm tamen revera attritus tantùm sit, juxta communem doctrinam de Sacramentis in genere, cum D. Thoma 3. *p. q.* 81. *a.* 7.

142 IV. Locuti sumus hactenùs de contritione perfecta, velut genericè seu formali seu virtuali. Quid sit contritio formalis jam nosse debes ex *q. præced.* explicata definitione. Contritio seu Pœnitentia virtualis dicitur, & est actus, qui licèt non sit formalis & expressa detestatio peccati, eam tamen virtualiter & implicitè includit: hominémque sic disponit, ut si recordaretur peccati vel offensæ Dei in se, eam utique detestaretur, &c. Talis maximè est ipse amor Dei super omnia, ut suprà jam innui. Eo ipso enim, quo amas Deum, ut summum Bonum super omnia, virtualiter & implicitè aversaris & detestaris, quidquid Deo summo Bono adversum, ac velut malum displicens seu offensivum est: (quale est maximè & solum peccatum) síque dispositus es, ut si recorderis peccati à te commissi, & aliundè non impeditus, illud quasi necessariò detesteris, doleas, abolere satagas &c. His notatis. Dicimus ulterius:

§. III.

Neque est necessaria formalis, sed sufficit virtualis &c.

143 NImirùm etiam extra omne Sacramentum, ad remissionem peccatorum, & justificationem peccatoris non est necessarium medium, seu necessitate medij non est necessaria sola contritio perfecta formalis, sed sufficit pœnitentia & contritio perfecta virtualis inclusa in actu amoris Dei super omnia, ac etiam suo modo in Martyrio, saltem extra tempus, quo obligat præceptum Pœnitentiæ. Communissima DD. cum Scoto *in* 4. *d.* 14. *q.* 1. Bellarminus *l.* 2. *Pœnit. c.* 9. Suarez *d.* 9. Navarrus *cap.* 4. *Anan. n.* 5. alij passim omnes. *Ratio* generatim est: quia illud solum non est necessarium medium ad justificationem & salutem, sine quo justificatio, ipsáque salus æterna obtineri potest: sed absque contritione formali, solo perfecto amore DEI super omnia, aut Martyrio potest homo acquirere justificationem, adeóque & salutem: ergo &c. De Martyrio dicam infrà seorsim. Nunc de amore Dei super omnia probatur

144 I. Homo existens in peccato mortali cum auxilio gratiæ actualis potest elicere verum actum amoris Dei super omnia, æquè ac posset elicere actum contritionis perfectæ: quis de hoc dubitet? atqui verus amor Dei super omnia de se semper est deletivus peccati & justificativus, cùm illi in sacra Scriptura sæpissimè absolutè promittatur remissio peccatorum & justificatio. Ut Proverb. 10. *Universa delicta operit charitas.* 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Joan. 5. *Qui diligit, ex Deo natus est.* Proverb. 8. *Diligentem me, diligo.* Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo,* Et clarissimè ac suavissimè Christus *Luc.* 7. *ad* Magdalenam: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*: apertissimè remissionem peccatorum dilectioni ut causæ tribuens: ergò &c. Et *ratio est*: quia perfecta conversio hominis ad Deum necessariò delet omnia peccata: alioquin esset homo simul conversus ad Deum & aversus à Deo, quod implicat: atqui per verum actum amoris Dei super omnia, perfectè convertitur homo ad Deum: nam verus actus amoris Dei super omnia includit voluntatem servandi omnia mandata Dei, juxta illud: *qui diligit, legem implevit*: & *S. seq.* amplius patebit: qui autem totam legem implet, utique est perfectè conversus ad Deum eóque ipso virtualiter maximè aversus ab omni peccato, etsi nondum aversus actu & formaliter: ergò peccator per solum actum amoris Dei super omnia, justificatur ac remissionem peccatorum consequitur. Idque non solùm verum est, quando peccator non recordatur peccatorum suorum, sed etiam cùm memor est. Nam

145 II. Peccator non solùm immemor, sed etiam memor suorum peccatorum potest elicere perfectum actum amoris Dei super omnia, absque eo, quòd eliciat actum contritionis formalis, cùm sint actus omninò diversi, nec ullam habeant inter se necessariam connexionem: non enim ex natura rei: etsi enim actus isti naturali quâdam connexione inter se consequantur, ut mox dicetur, potest tamen ex libertate voluntatis unus sine altero haberi, cùm sint realiter distincti & separabiles: non etiam ex præcepto aliquo: quo enim præcepto tenetur aliquis conteri semper, quoties elicit amorem Dei super omnia, præsertim cùm præcepta affirmativa non obligent pro semper seu quovis tempore: ipsúmque præceptum pœnitentiæ pro nunc non obligare semper supponamus: ergò si semper amor Dei super omnia sit sufficiens dispositio ad remissionem peccatorum in eo, cui non occurrit memoria peccati sui? etiam in memore erit sufficiens: neque potest assignari ratio Deum aliter in hoc, quàm in alio ordinâsse: & consequenter peccator etiam memor peccatorum suorum potest absolutè remissionem consequi absque formali pœnitentia vel contritione, maximè cùm actus perfectus charitatis eminenter contineat omnem virtutem perfectæ pœnitentiæ & virtualem aversionem à quovis peccato, quod est DEO contrarium, virtualéque propositum abstinendi, faciendique omnia, quæ Deus præcepit, ut jam suprà innui.

146 III. Attamen peccator memor peccatorum suorum, amánsque Deum super omnia, moraliter quasi necessariò & ferè semper detestabitur peccatum formali pœnitentiâ & contritione, ut omnes ferè observant: quia talis est natura dilectionis Dei super omnia, ut fortiter inclinet ad detestationem peccati: quod tunc occur-

Universidad de Deusto
Biblioteca

currit, sicut assensus præmissarum inclinat ad assensum conclusionis, similitudine tamen claudicante, cùm hic causa naturalis operetur, in nostro autem casu, causa libera. Atque juxta dicta intelligenda sunt testimonia Scripturæ & SS. Patrum, ad remissionem peccatorum pœnitentiam requirentia. Loquuntur enim de pœnitentia vel formali vel virtuali, aut certè de eo, quod communiter accidit. Insuper locuti fuimus semper: *extra tempus, quo obligat præceptum pœnitentiæ, & contritionis formalis*: nam præceptum pœnitentiæ tempore suæ obligationis etiam constringere eum, qui elicuisset amorem Dei super omnia, ex communi dicemus *quæst. sequenti.* Tempus autem obligationis hujus præcipuum ac certissimum est articulus vel periculum mortis in defectu Sacramenti Pœnitentiæ. Et hinc:

147 IV. Practicè ergo loquendo amor DEI super omnia, ejúsque imbibita contritio virtualis sufficit & justificat peccatorem, quoties sanus vel de morte nihil periclitans eum actum elicit: aut etiam in ipso articulo mortis, casu quo per inadvertentiam vel ignorantiam excusaretur à præcepti contritionis obligatione: ut si subitò in extremis positus, sed aut immemor sui peccati, aut memor quidem peccati, non tamen advertens obligationem suam de contritione elicienda, attamen eliciens verum actum amoris DEI super omnia: tunc omninò justificabitur, & sic decedens salvabitur: quia actus ille est dispositio sufficiens, ut dictum, & cessat obligatio alterius præcepti. At verò in extremis positus memor peccati & obligationis istius suæ, in communi & nostra Sententia per actum solum amoris DEI non justificabitur, nisi etiam eliciat, cùm possit, contritionem formalem: tum quia alioquin eo ipso peccaret voluntariâ omissione actûs præcepti: tum quia eo ipso tunc non haberet ampliùs verum amorem DEI super omnia. Nam qui verè amat Deum super omnia, necessariò implicitè saltem vult servare omnia, quæ Deus præcepit, & occurrente talis præcepti servandi occasione, non potest non servare, alioquin eo ipso cessaret amor DEI super omnia: sed datur præceptum divinum de pœnitentia & contritione elicienda in articulo mortis, saltem cùm Sacramenti copia non est, ut videbimus: ergo, &c. Insuper quia contritio perfecta tam formalis, quàm virtualis in amore Dei imbibita, non justificat sine voto pœnitentiæ Sacramenti, ut suprà dictum, neuter ille actus, neque ambo simul sufficerent, sed habitâ copiâ Confessarij, peccator tunc necessariò deberet suscipere Sacramentum, secundùm omnes: quia nimirùm tunc maximè obligat præceptum confessionis, cùm facultas adest.

§. IV.

Inclusus in actu amoris DEI super omnia, ac etiam Martyrij, &c.

INquies. Hæc omnia quidem satis intelligo. 148
Sed quod caput est, nondum satis intelligo & penetro, quid & qualis sit ille actus amoris Dei super omnia, qui simul est virtualis contritio, & sufficiens ad justificationem ac remissionem peccatorum extra Sacramentum. Credo, quòd juxta Evangelicum consilium cum tam piè *augariante*, in re sanctissima & utilissima rursus libenter *procedas mille passus*. Conabor satisfacere sancto tuo desiderio pro captu meo & tuo. Sed ante omnia nosse convenit, quid & quotuplex sit amor generatim.

¶ Amor generaliter est prosecutio boni ap- 149
prehensi, seu motus appetitûs in alterum vel aliud ut bonum apprehensum (sicut econtrà odium est fuga mali, ac motus voluntatis in malum apprehensum, illud aversando) Duplex est; amor *Concupiscentiæ* & *Amicitiæ*. Amor *concupiscentiæ* est, quo alterum amamus & benigno affectu prosequimur, quatenùs nobis est bonus, utilis, delectabilis, eoque amore proindè amamus magis nos ipsos, ac nostrum commodum, quàm illum. Amor *amicitiæ* est, quo alterum amamus ac bono affectu prosequimur, quatenus ipse in se est bonus, ac propter ipsiusmet bonitatem, cum affectu unionis tanquam aliquid ad nos pertinens: idque duplici affectu: 1. *complacentiæ* de ejus bono habito gaudendo, favendo, gratulando quasi de nostro, (sicut econtrà de malo ejus tristando velut de nostro malo) 2. Affectu *desiderij*, bona, quibus caret & eget, ei desiderando, optando, ac pro posse etiam procurando, mala avertendo, &c. hæc enim omnia exigit verus amor amicitiæ. Experire priùs in te respectu alicujus chari amici, & ad amorem Dei summi boni transfer, & per teipsum invenies, quod in hac quæstione nosse cupis. Itaque

1. Amor concupiscentiæ erga Deum

EST, quo diligimus Deum ut *bonum nobis*: 150
quatenùs nimirum nobis benefacit, & benefacturus speratur innummeris, immensisque bonis naturæ, gratiæ, gloriæ. Amor hic de se bonus est & sanctus (quippe actus spei Theologicæ, quâ Deum ut summum bonum nostrum æternâ beatitudine perfruendum principaliter, & secundariò omnia ad eum finem necessaria ac utilia bona ac media spiritualia ac temporalia consequi concupiscimus, atque ex infinita Dei bonitate ac promissionibus consequi confidimus, & certa cum fiducia expectamus) ac in homine justo meritorius maximè: atque etiam in peccatore initium aliquod ad conversionem & justificationem: attamen de se minimè sufficit ad contritionem perfectam, etiam virtualem, nec consequenter ad justificationem peccatoris extra Sacramentum.

Quamvis enim etiam hic amor implicitè involvat virtualem detestationem peccati, quatenùs adversatur DEO summo bono nostro, ejúsque favore, gratiâ, & beatitudine privat. Hæc tamen detestatio est solummodò ex motivo spei, & timoris, attritionis proprio, ut suo loco videbimus, & non ex motivo charitatis: nec est amor DEI super omnia, cùm illo ametur Deus non propter se, & quatenùs in se summè bonus est, sed propter nos, & quatenùs DEUS nobis bonus est. Est autem DEUS in se infinitè bonus & amabilis magis, quàm respectu nostri, ut nobis bonus: quin etiam hoc amore aliquatenùs nos ipsos magis amamus, quàm DEUM, juxta notum principium: *Propter quod unumquodq; tale, ipsum est magis tale*: at hoc amore concupiscentiæ *propter* nos & nostrum bonum amamus DEUM: ergo magis amamus nos. Excipe rursus, nisi hic ipse amor concupiscentiæ imperaretur à charitate & amore DEI super omnia: juxta dicta *q. præced.* §. 4. n. IV.

2. Amor amicitiæ erga DEUM, quoad affectum *complacentiæ*.

151 AMor *amicitiæ* erga DEUM est, quo amamus DEUM propter seipsum, quatenus in se summum bonum ac infinitè bonus est, ac propter suam intrinsecam, infin tam, omni modam bonitatem, perfectionem, excellentiam. Idque similiter duplici affectu, *complacentiæ* & *desiderij*, (de hoc posteriori dicam num. *sequenti*) nunc de primo.

152 Affectus amoris, seu amor complacentiæ erga Deum est, quo Deo volumus, gaudemus, complacemus ac velut gratulamur omne & infinitum bonum suum, cum affectu unionis. Nam ut ait D. Thomas 2. 2. *q.* 27. *a.* 3. *Amor importat unionem quandam secundùm affectum amantis ad amatum quodammodò, ut unum sibi vel ad se pertinens, & sic movetur in ipsum, ut ei se uniat*: Sic D. Thomas. Utpote dum ex consideratione divinæ Essentiæ, summæ, infinitæ, ac omnimodæ bonitatis, infinitarúmque perfectionum ejus, mirabilibus ejus operibus, beneficiis, anima inflammata amore ac intimæ amicitiæ affectu DEO opt. Maximo vult, gratulatur, congaudet omne ac infinitum bonum suum: vult & exultat esse tantùm, quantus est; exultat & jubilat habere Deum tam infinite bonum, potentem, sapientem, excellentem, se suáque omnia offert, & devovet Deo, optat per impossibile habere aliquid Deo tribuendum, quo ipse careret, exemplo notissimo Seraphici Doctoris D. Augustini: idque totum cum affectu unionis suprà dicto, quem optimè suggerit amorosus Abbas Lud. Blosius Tabell. Spirituali prope finem. *Beatus sanè esses, si toto affectu dicere posses. O, quantum bonum possideo, cùm Deus meus, qui magis est mihi ego, quam ipse sim, adeo immensam gloriam, immensaque bona possideat: nam illum revera pro meo magis habeo, ac teneo, quàm unquàm quidquam habui ac tenui.* Sic ille. Atque hic etiam amor complacentiæ sic fervidè elicitus cum affectu unionis, atque extendens se ad omne bonum Dei intrinsecum & extrinsecum, utiq; involvit aliquam virtualem detestationem & aversionem ab omni, quod Deo malum & adversum est. Ut, si fervidè dicas: *O amabilissime, suavissime, infinitis perfectionibus cumulatissime Deus meus: medullitùs lætor, atq; exulto, quòd sis ita infinitè potens, infinitè sapiens, infinite tremendus tuis hostibus, &c. &c. gaudeo summoperè ita tibi serviri ab Angelis & hominibus sanctis, sicut servitur: atque utinam ab omni creatura dignum tibi præstetur servitium, &c.* Nonnè sic implicitè detestaris omne malum Dei, adeóque & tua peccata?) ideóque continet contritionem virtualem sufficientem ad justificationem in peccatore: dignus proindè iis privilegiis. *Ego diligentes me diligo. Omnis qui diligit, ex Deo natus est. Charitas operit multitudinem peccatorum, &c.* Uti post alios docent Lugo *hic disp. 5. n. 25.* Tannerus *d. 6. q. 6. dub. 2.* Hurtadus, alii cum Gobat *num. 94.*

At verò generaliter & practicè loquendo, fal- 153
libilis est, ac deceptioni obnoxius hic amor complacentiæ: & sine dubio non quilibet vulgaris continet virtualem detestationem ac contritionem sufficientem ad justificationem. Certè myriades sunt hominum, qui seriò quidem cum gustu dicant DEO: Gaudeo, DEUM esse tam bonum, tam magnum, tam potentem sicut est! utinam eum omnes agnoscant! utinam totus mundus convertatur ad Christum! &c. &c. ipsi interim hærent in luto peccatorum absque ullo proposito efficaci illinc emergendi. Nullus hic amor DEI super omnia, falsus & spurius est hic amor amicitiæ. Quomodò enim amas, quem offendere, irritare, exacerbare non desinis, si non præstas ea, quæ ille à te summo jure exigit? Audi Evangelistam amoris 1. Joan. 2. *Qui dicit se nosse DEUM* (fide scilicet charitate formatâ) *& mandata ejus non custodit, mendax est.* Ad securiorem ergò veniamus.

3. Amor amicitiæ erga Deum quoad affectum *desiderii*, dictus amor *obedientialis*.

I. AFfectus amoris, seu amor desiderii di- 154
citur, quo DEO volumus, appetimus, desideramus efficaciter omne suum bonum extrinsecum, tanquam nondum habitum: videlicet (in summa summarum) omne ejus PLACITUM & GLORIAM. (Nihil quippe intrinsecum, tanquam bonum nondum habitum DEO velle vel desiderare possumus, ut nimis clarum est.) Bonum autem extrinsecum & gloria DEI extrinseca in hoc ipso consistit, ut DEUS ab omnibus saltem quamplurimis hic in via cognoscatur, ametur, laudetur, eíque per-

Universidad de Deusto
Biblioteca

perfectè ſerviatur, & obediatur, ejus *placitum* in omnibus & ab omnibus perfectè impleatur. & principaliter in patria æternâ gloriâ, viſione, ac amore beatifico perfruatur: ſicut in terrenis gloria Principis conſiſtit in copioſo, magnifico, ſplendido famulitio, multitudine populorum ſibi ſervientium ac obedientium, &c. Hæc incidenter, non tamen extra propoſitum.

155 II. Amor ergo DEI deſiderii (etiam obedientialis dictus) eſt, quo DEO ſummo bono, vero amicitiæ affectu, *omne ejus bonum extrinſecum*, obſequium, honorem, gloriam, & verbo: omne ſuum placitum & velle, ſeu quidquid ipſe à nobis fieri vult, præcipit, deſiderat, &c. ei volumus, & ſuper omnia optabilia optamus, deſideramus, & efficaciter intendimur, ac in nobis & aliis procurare parati ſumus, ad bonum promovendum, à malo oppoſito avertendo: atque eo ipſo jam ſaltem implicitè & virtualiter averſamur, deteſtamur, execramur, atque pro poſſibili amovere, abolere & deſtruere parati ſumus omne *malum DEI extrinſecum*, ſeu quidquid DEUS non vult, prohibet, deteſtatur, (omne nimirùm peccatum) quo DEUS offenditur, irritatur, ac velut moleſtiâ afficitur, atque ad juſtiſſimam indignationem, vindictámque provocatur. Jam advertis in hoc amore virtualem incluſam pœnitentiam, contritionem, deteſtationem peccati, &c.

156 III. Dicitur autem hic amor *Obedientialis* à præcipuo ejus officio & effectu, videlicet obedientia & obſervantia amoroſa omnium præceptorum divinorum, quia eo amore parati ſumus & fervidi ad obediendum DEO in omnibus, ubique & ſemper, quandocunque & ubicunque obligabimur: idque non metu pœnæ, non ſpe præmii, vel mercedis, ſed puriſſimo amore amicitiæ, quia eum amamus & bonum volumus, optamus, & gaudemus: atque adeò etiam (nota per omnem modum) non ſolùm vel principaliter, ut nos DEO placeamus, hoc enim adhuc aliquid, neſcio, quid humani & proprii reſpectûs vel affectûs redolet, ſed ſolùm, vel principaliter, quia DEO ſic bene eſt, ipſe ſibi complacet, ac velut delectatur, ac voluptate afficitur, ſi ejus beneplacitum impleatur, & fiat, quod vult & præcipit, indéque ejus gloria extrinſeca augetur: & verbo: ut ſerviamus DEO, ut per hoc principaliter non nobis, ſed ipſi DEO bene ſit. Et hinc eſt, quòd in Sacra Scriptura paſſim amori divino tribuatur obſervantia mandatorum. Ut Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Item: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Iterum: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et *rurſus* c. 15. v. 10. *Si præcepta mea ſervaveritis manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione.* Similia reperies paſſim apud Joan. Epiſt. 1. c. 2. & 5. Et concludit Apoſtolus ſuprà: *Qui diligit, legem implevit.* Hic eſt ſyncerus amor DEI amicitiæ, & ſuper omnia appretiativè, quo Deum ita ſuper omnia æſtimamus, ac velut appretiamur, eíque per amorem fortiùs firmiúsque conjungimur, quàm omnibus aliis, tantóque affectu nos Deo, ejúsque voluntati unimus, ut mallemus omnia, etiam nos ipſos perdere, quàm Deum ejúsque amicitiam, dicamúsque cum Apoſtolo: *Quis nos ſeparabit à charitate Dei?* &c.

IV. Et hic tandem eſt amor Dei perfectiſſi- 157
mus (apex & ſumma ſummarum omnis perfectionis) ſecuriſſimus, nulli deceptioni obnoxius: efficaciter movens ad ſummum odium ac deteſtationem ſuper omnia, omnis peccati, omníſque illius, quod Dei voluntati contrarium, ſuminíque boni vel leviſſimè offenſivum eſt: ideóque ſemper eminenter continet deteſtationem peccati, ac contritionem virtualem perfectam, & ſi peccati memoria ita amanti occurrat, infallibiliter etiam actualem ac formalem contritionem excitabit. Jam ergò tandem cape. Hinc Dei amorem ſuper omnia tanquam ſimul contritionem virtualem à peccatore elicitum (etſi non ſine voto Sacramenti) actu juſtificare aſſerimus. Atque hunc ipſum Dei amorem ſuper omnia obedientialem virtualiter includi in ipſa, ac omni contritione perfecta, diximus *quæſtione præcedenti*: eo ipſo enim, quo deteſtamur peccatum ſuper omnia, propter DEUM ſummum bonum eo à nobis offenſum: implicitè volumus eum à nobis ſuper omnia dilectum, ſicut ſi ſummè doleo te eſſe cæcum vel ægrum, implicitè ac neceſſariò volo te eſſe videntem vel ſanum.

¶. Omnes tres actus amoris complacentiæ, 158
deſiderii ſeu obedientialis & contritionis perfectæ, hâc vel ſimili formulâ exprimere poteris. *O amabiliſſime DEUS, ô bonitas & perfectio infinita, ex intimo corde gaudeo & exulto, te eſſe tantum, quantus es, &c. & quia tu dignaris delectari neceſſario tui amore & obſequio, ego tibi ſemper & ubique tam arctè unitus eſſe volo ac decerno, ut neq; vita, neq; mors, &c. me unquam ſint ſeparatura à te. tuiq; obſequiis: atque utinam ego deteſtabiliſſimus homuncio nunquam te infinitum bonum ullâ ratione offendiſſem, &c. &c.*

4. Martyrium.

I. MArtyrium per ſe loquendo neceſſariò 159
præſupponit ſtatum gratiæ & charitatis acquiſitæ jam aliter, quàm per ipſum Martyrium. Ita omnes. Et apertiſſimè pronuntiat Apoſtolus 1. Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt:* Ratio eſt: quia Martyrium per ſe ex opere operato non confert primam gratiam juſtificantem, ſicut baptiſmus vel Pœnitentiæ Sacramentum, ſed ex prærogativa ſpeciali, & acceptatione divina confert gratiam ſecundam, imò ultimam conſummatam & in termino conſtituentem, ac velut neceſſitantem ad gloriam ſtatim à morte obtinendam: & per accidens tantùm quandoque, ſi in homine, citra novam ejus culpam (NB.) inveniat peccatum, quod eſt incompoſſibile cum gratia conferenda, illud remittit ac delet modis mox adferendis; ſimúlque omnem prorſus pœnam, quæ impedit gloriam vel ab illa retardat: quâ ratione comparatur Baptiſmo vero, & dicitur *Baptiſmus Sanguinis.* Sic omnes cum S. Thoma 3. *p. q.* 87. *a.* 1. *ad* 2. dicente: *Paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim Baptiſmi, & purgat ab omni culpa veniali & mortali, niſi actualiter voluntatem peccato inveniat inhærentem.* Hinc illud notiſſimum D. Auguſtini, ipſi Juri Canonico c. *cum Martha. de celebrat. Miſſarum*: inſertum: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*

160 II. Per ſe ergo loquendo obnoxius peccato mortali martyrium ſubiturus, omninò urgetur præceptis Sacramenti, aut Baptiſmi veri, ſi necdùm baptizatus ſit; aut pœnitentiæ, ſi copia adſit, aut in defectu Sacramenti, contritionis perfectæ formalis: alioquin hæc culpabiliter omittens, quippe novo peccato mortali omiſſionis ponens obicem gratiæ Martyrii, nec per Martyrium juſtificaretur: ut in ſimili *ſupra* § 3. de amore Dei ſuper omnia dictum. Per accidens ergo quando peccator Martyrium ſubiturus, aut eſt immemor peccati ſui, aut memor quidem peccati, attamen copiâ Sacramenti deſtitutus; at immemor obligationis ſuæ de contritione habenda, v. g. ob vim tormentorum ſubitò uſu rationis privatus, aut aliis cogitationibus ſe in Martyrio confirmando intentus: Jam ipſum Martyrium juſtificabit, peccatáque cum pœnis delebit: ídque certiſſimè, quando peccator Martyrium ſubit ex elicito formali actu amoris DEI ſuper omnia, cùm enim hic actus in iis circumſtantiis ſe ſolo juſtificet, multò magis cum Martyrio à ſe imperato: aut ſaltem quando Martyrium ſubit ex motivo charitatis propter DEUM ſuper omnia dilectum, vel diligendum: Sic enim virtualiter ſaltem includit amorem Dei ſuper omnia, adeóque etiam virtualem contritionem, utique in his circumſtantiis ſufficientem ad deletionem peccati, & juſtificationem, adeóque omnem effectum Martyrii. Inſuper

161 III. Quando ſubiens Martyrium pro Deo, ignarus vel immemor contritionis eliciendæ, ſaltem eſt ſupernaturaliter attritus, adhuc Martyrium per modum Baptiſmi veri faceret ex attrito contritum, quoad effectum juſtificationis, omnémque culpam & pœnam remitteret. Ita (ſanè contra multos) communis Sententia DD. ac latè Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 22. *ſect.* 3. Etenim tam Emphatica dicta SS. Patrum paſſim comparantium & coæquantium hunc Baptiſmum ſanguinis cum vero Baptiſmo flaminis, totam & maximam ſanè probabilitatem huic Sententiæ conferunt. Quam non auſim ego improbare: libentiùs tamen crederem id fieri per modum Sacramenti vivorum, Evcharitliæ v. g. quòd, quando peccator bonâ fide æſtimat ſe contritum, cùm tamen ſit attritus tantùm, per accidens confert gratiam primam juſtificantem ex communi DD. de Sacramentis in genere: ita quando talis Martyr peccato obnoxius bonâ fide æſtimat ſe contritum, aut moveri ſe ad Martyrium ex motivo charitatis; cùm tamen reverâ tantùm eſſet attritus, aut alio inferiori motivo, v. g. ſpe beatitudinis, aut metu damnationis moveretur ad Martyrium ſubeundum, eum ſimiliter per accidens primâ gratiâ ac juſtificatione donari. Sic enim bono ſenſu adhuc ſalvabo tam ſeria verba Apoſtoli ſuprà allegata.

IV. Addit Suarez *loc. cit.* & poſt ipſum, etſi 162
aliquantùm trepidè Tannerus *tom.* 4. *d.* 4. *q.* 3. *n.* 186. Quando talis Martyr & contritionis & attritionis immemor, reus tamen criminis mortalis, elicit propoſitum ſeu voluntatem efficacem ſubeundi Martyrium pro Deo, & durante hâc voluntate & propoſito, pro fide Chriſti v. g. obtruncaretur, adhuc juſtificandum, ob virtualem aliquam attritionem incluſam in illo propoſito ſubeundi Martyrium pro DEO ex motivo ſpei, conſequendi ſcilicet beatitudinem, quâ ſpe utique deteſtatur implicitè peccatum hujus beatitudinis impeditivum. Rurſus non repugno: ſed neque credo, niſi illud propoſitum eſſet elicitum ex motivo charitatis, propter nimis ſeria Apoſtoli verba: *Si charitatem non habuero: nihil mihi prodeſt.* Tandem ſuper hæc omnia, hanc vim faciendi ex attrito contritum, adeóque juſtificandi peccatorem, etiam Martyrio propter peſtem, ſeu mortem in ſervitio ſpirituali vel corporali peſte infectorum ſuſceptam, multis rationibus tribuit Theophilus Raynaudus apud Gobat *Alphab. Confit. Caſu* 5. ſed meritò non conſentientem: quem ſi ſubet, lege, mihi, vides, non ampliùs vacat.

Adnotatio Corollaria.

EX dictis hâc quæſtione, & partim dicen- 163
dis *quæſt. ſeq.* ordo neceſſitatis & obligationis contritionis talis eſt. 1. In articulo mortis, ſeu tempore quo obligat præceptum pœnitentiæ, ſi facultas adſit, neceſſariò ſuſcipiendum eſt Sacramentum Pœnitentiæ (aut Baptiſmi à nondum Baptizato) ſaltem cum attritione. Non ſufficeret ſola contritio, nec amor DEI ſuper omnia, neque Martyrium, *Omnes.* Ratio eſt: quia habitâ facultate ſuſcipiendi Sacramentum, illud negligens de novo peccaret mortaliter contra præceptum divinum novæ legis, ideóque poneret obicem juſtificationi, & everteret effectum contritionis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad vitam DEI, & Martyrii 2. Si tunc desit facultas Sacramenti suscipiendi, necessaria omninò est contritio formalis perfecta; & non sufficeret contritio virtualis, seu amor DEI super omnia, neque Martyrium: ob eandem rationem ut *quæst. seq.* probabitur. 3. Quòd si tunc quis excusaretur ab obligatione præcepti contritionis, ut in casu *supra* §. 3. *N.* IV. *posito*: omninò sufficeret, & justificaret contritio virtualis, scilicet amor Dei super omnia, aut Martyrium, saltem ex motivo charitatis susceptum, juxta modò dicta §. 4. *N.* IV. 4. Tandem: extra articulum mortis, vel tempus obligationis, ad justificationem peccatoris sufficiunt omnia prædicta & singula: Sacramentum cum attritione: contritio perfecta formalis, virtualis, amor DEI super omnia, ac Martyrium ex motivo saltem charitatis susceptum, & secundùm plures etiam cum sola attritione, juxta paulò ante dicta. Quæ valde notare debes, & ex dicendis magis intelliges.

QUÆSTIO III.

Qualiter contritio sit necessaria necessitate præcepti?

SUMMARIUM.

165 *Datur præceptum Divinum.*
166 *Partim naturale,*
168 *Partim positivum,*
169 *Spectans ad virtutem pœnitentiæ,*
171 *Obligans in defectu Sacramenti omnem hominem peccatorem,*
172 *Etiam in articulo mortis eos, qui habent amorem DEI super omnia,*
173 *Non tamen, qui usu Sacramenti cum attritione justificati sunt, vel justificari volunt,*
174 *Unde etiam in articulo mortis attritio cum Sacramento Baptismi vel Pœnitentiæ est sufficiens,*
175 *Longè tutior tamen, & omninò consulenda contritio.*
176 *Imò in Articulo mortis certò obligat in defectu Sacramenti constitutum in mortali.*
177 *Non tamen ante per se loquendo; Unde*
179 *Nec statim post peccatum mortale commissum.*
180 *Solvuntur fundamenta in oppositum.* Usque ad n. 182.
182 *Practicè tamen longè probabilius etiam ante periculum mortis quandoque per se obligare,*
183 *Optimè ostenditur,* Usque ad n. 186.
187 *Quando & in quibus casibus obliget per accidens?* Usque ad n. 194.

ASSERTIO.

164 *DAtur præceptum divinum, partim naturale, partim positivum, obligans hominem peccatorem, & in defectu Sacramenti, ad eliciendam contritionem perfectam: per se quidem satis probabiliter in articulo vel periculo mortis tantum: at practicè longè probabiliùs etiam antea: non quidem statim post peccatum mortale commissum: sed sic, ut non nimis diu differatur prudentis judicio. Per accidens certò obligat sæpius in diversis casibus.* Hæc tota vel communis, vel communiter & tutior est Sententia DD. ut patebit explicatione singulorum. Tria autem principalia hic expressa explicanda sunt. 1. Quale sit hoc præceptum. 2. Quos obliget. 3. Molestissimè, quando obliget. Jam quoad primum QUALE SIT PRÆCEPTUM.

§. I.

Datur Præceptum divinum, partim naturale, partim positivum, obligans ad contritionem perfectam.

COmmunissima DD. Sumitur ex innumeris sententiis sacræ Scripturæ toties præcipientis pœnitentiam, mortémque impœnitentibus minantis. Et sequitur manifestè *ex q. præced.* Quidquid enim est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti, quando est in nostra potestate: sine dubio enim quis lege naturali obligatur usurpare medium necessarium ad salutem, cùm in sua potestate est: nam qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad media: sed contritio perfecta, saltem in defectu Sacramenti est necessaria ad salutem necessitate medii: & est in nostra potestate supposito auxilio gratiæ, quo mediante à nobis liberè elicitur: ergo est etiam necessaria necessitate præcepti divini, *partim naturalis, partim positivi*: quod breviter sic declaro. 165

I. Ratio hujus præcepti sumitur ex natura justitiæ & charitatis. Nam lex naturalis justitiæ exigit, satisfaciendum esse injuriato, eo modo quo debet ac potest is, qui injuriam intulit, sed quolibet peccato mortali fit injuria DEO à peccatore, & Deus ex infinita sua bonitate petit in satisfactionem Contritionem, ut patet innumeris Scripturæ locis, quam etiam præstare potest peccator: ergo &c. Deinde lex propria charitatis exigit, quòd quisque teneatur se eripere à magnis miseriis & periculis tum corporis, tum maximè animæ: atqui anima mortali peccato infecta est in gravissima miseria & certissimo periculo æternæ damnationis: ergo &c. 166

II. Præceptum ergo contritionis, quatenùs absolutè inducit obligationem satisfaciendi DEO injuriato, & providendi nostræ saluti, est divinum naturale: cùm idipsum recta ratio naturalis evidenter dictet; nimirùm satisfaciendum cuilibet injuriato, & maximè DEO, & cuilibet providendum de sua salute juxta illud D. Hieronymi l. 2. in Ecclesiasten: *Quemadmodum instigante naturæ lege, animantia medicinas sibi divinitùs attributas quærunt; ita sine dubio instigare divinam legem homines, ut pœnitentiam agant.* 167

III. Idem verò præceptum, quatenùs inducit obligationem satisfaciendi DEO injuriato, ac providendi nostræ saluti determinata per contritionem perfectam, est divinum positivum 168

tivum tantùm & non naturale; cùm id proveniat ex mera libera determinatione & acceptatione divina hoc potiùs, quam aliud medium præscribentis peccatori ad recuperandam amicitiam divinam, & salutem obtinendam: ut latiùs ostendunt DD. *in* 4. *d.* 14. Simile habes in tertio præcepto Decalogi, *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.* In quo, Deum esse aliquando & aliquomodo colendum, præceptum divinum maximè naturale est: at esse tali determinato tempore & ritu colendum, utpotè olim die Sabbatho, abstinendo ab omni opere servili &c. præceptum divinum positivum fuit. Modò in nova lege præceptum Ecclesiasticum utique nôsti.

169 IV. Hoc præceptum simpliciter spectat ad pœnitentiæ virtutem, quæ sola jus divinum læsum spectat, & perfectam satisfactionem: atq; per eam etiam satisfit præcepto charitatis erga Deum, propter quam detestamur peccatum & ad Deum convertimur, & charitatis erga nos, dum malum à nobis avertimus, & in viam salutis revertimur: quia tamen charitas Dei & sui ipsius in omni præcepto involvitur nō est necesse hoc præceptum contritionis specialiter referre vel adstringere ad charitatem. Et hinc tandem speciale impœnitentiæ peccatum committitur, quoties homo voluntariè omittit contritionem, quando eam deberet, & posset exercere, v. g. in periculo mortis, non suppetente copiâ Sacramenti.

170 *Dices.* Si impœnitentia seu omissio contritionis contra hoc præceptum sit speciale peccatum, & hujus rursus impœnitentia, ac non contritio erit novum speciale peccatum, & hujus rursus impœnitentia aliud novum, & sic in infinitum. Item sequeretur neminem ob unum solum peccatum damnari posse: nam reus fornicationis v. g. in periculo mortis, vel dolet, vel non dolet verâ contritione. Si dolet, salvus erit: si non dolet, accedet novum peccatum impœnitentiæ, sicque non ob unum, sed ob duo peccata damnabitur. Utrumq; consequens est absurdum: ergo &c. Resp. ad 1. negando seq. Nam sola impœnitentia seu omissio contritionis voluntaria culpabilis vel positiva nolitio pœnitendi, cùm quis scilicet tempore obligationis, v. g. in periculo mortis sciens, ac voluntariè omittit contritionem, aut etiam positivè non vult conteri, est speciale impœnitentiæ peccatum, quod non sæpè fit, nedum in infinitum: non autem impœnitentia merè negativa seu omissio vel carentia contritionis involuntaria, quæ omnibus actu non contritis inest, & nullo modo peccatum est. Ad 2. concedo seq. per se loquendo: si nimirùm conscius peccati mortalis tempore obligationis, voluntariè contritionem omittas, sicque decedas, omninò ob duo peccata damnaberis, & absurditatem tecum portabis: at quia à præcepto contritionis sæpè naturalis inadvertentia, vel alia causa, præsertim in repentina morte excusat, ideò si tunc cum uno peccato non contritus decedas, ob unum tantùm peccatum damnaberis per accidens, quia tunc finalis impœnitentia non erit speciale peccatum, uti etiam docuit D. Thom. 2. 2. *q.* 14. *a.* 2. Jam ad secundum: QUOS OBLIGAT?

§. II.

Obligans omnem hominem peccatorem in defectu Sacramenti.

OMnem scilicet omninò peccatorem actuali peccato mortali obnoxium, etiam nondum baptizatum, nisi cum attritione baptismum suscipere possit & velit. In quo præceptum contritionis & pœnitentiæ virtutis differt à præcepto Confessionis, seu Sacramenti pœnitentiæ suscipiendi, quod solos baptizatos, ac post Baptismum in peccatum mortale relapsos obligat, ob rationem alibi datam. Et insuper 171

I. Præceptum Contritionis tempore obligationis suæ, v. g. in periculo mortis, adhuc obligat etiam illos, qui solo amore Dei super omnia justificati sunt, atque peccatum mortale extinxerunt: Ita communior & sine dubio probabilior ac tutior Sententia DD. quos citat, & sequitur, latéque probat Card. de Lugo *hic disp.* 7. *n.* 235. Quia, (ut supra dictum) Præceptum contritionis obligat ex virtute speciali pœnitentiæ, & non solius charitatis: atqui virtus pœnitentiæ exigit absolutè & formaliter satisfaciendum Deo pro injuria: quare tametsi amor Dei super omnia contineat in se virtualiter ac eminenter Contritionem, hominémque Deo reconciliet, includit tamen simul votum pœnitendi, cùm fieri potest, sic rerum naturâ exigente, ut doleat, & se Deo subjiciat: Quemadmodùm & ipsa contritio perfecta formalis quantumvis peccatorem justificet, Deóque reconciliet, includit tamen votum Sacramenti Baptismi vel Pœnitentiæ suscipiendi, cùm facultas aderit, eóque præcepto contritus obligatus manet. Nolo ab hac communi & tutiori Sententia recedere, quam etiam *quæst. præced.* semper supposui: etsi fatear admodùm probabilem esse Sententiam oppositam, nimirùm amorem Dei super omnia semper sufficere ad salutem, quam latissimè propugnat Vasquez *ad* 3 *p. q.* 86 *a.* 2. *dub.* 2. & Dicastillus *hic disp.* 3. *dub.* 1. eò, quòd finis præcepti pœnitentiæ jam habeatur per amorem Dei super omnia. Sed certè in praxi non multùm interest: cùm moraliter fere impossibile sit, quin homo verè amans Deum super omnia, conscius peccati sui, non illud etiam formaliter super omnia detestetur, adeóque & conteratur. Quare meritò solùm addidi, *in defectu Sacramenti.* Itaque 172

II. Præceptum Contritionis non obligat eos, qui usu Sacramenti cum attritione justificati sunt, aut justificari volunt. Communissima apud citandos infrà. *Ratio* est: quia Christus in nova lege singulari privilegio aliud quóque medium justificationis instituit, scilicet Sa- 173

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacramenta mortuorum, Baptismi & Pœnitentiæ, ut proinde modò solius contritionis perfectæ necessitas desinat, alioquin certè Christus instituens ac præcipiens confessionem Sacramentalem, medium per se satis durum & difficile, si insuper etiamnum requireretur contritio perfecta, & ipsa peccatori satis difficilis, non alleviâsset, sed multùm aggravâsset onus legis, essemúsque pejoris conditionis modò Christiani, quàm veteres olim, qui ad solam contritionem obligati per eam justificabantur. *Confirmatur.* Si justificatus per Sacramentum cum attritione adhuc obligaretur ad contritionem perfectam, ipsum Sacramentum contineret votum contritionis, sicut ipsa contritio perfecta continet votum Sacramenti, eò quòd justificatus per solam contritionem adhuc obligetur ad Sacramentum, cùm facultas aderit: consequens est inauditum in Theologia: ergo &c. Ulteriùs:

174 III. Præceptum contritionis etiam in articulo mortis non obligat hominem peccatorem usu Sacramenti cum attritione justificatum, sed ipsa attritio cum Sacramento Baptismi vel Pœnitentiæ universaliter semper est sufficiens dispositio ad justificationem, adeóque etiam in articulo mortis. Ita Henriquez, *Vasquez*, *Canus*, pluribúsque allegatis Card. de Lugo *hic disp. 7. sect. 13.* Dicastillus *hic disp. 6. n. 19.* Layman *cit. l. 5. Tract. 6. c. 2. n. 7.* Ratio est: Tum quia quisque etiam in articulo mortis satisfacit Deo & suæ conscientiæ, qui sequitur Sententiam moraliter certam; neq; enim Deus nos obligat in operando ad certitudinem Metaphysicam, sed est contentus certitudine morali, cùm hæc ipsa tollat omne morale prudénsque periculum peccati: atqui sufficere attritionem solam etiam cognitam cum Sacramento Pœnitentiæ moraliter certum est, ut ex Tridentino videbitur *sect. seq.* ideóque etiam in articulo mortis eliciens solam attritionem cum Sacramento, habet moralem certitudinem, quòd non peccet. Tum quia oppositum multùm arctat viam salutis, cùm constet, quàm difficile sit peccatori elicere contritionem, maximè in extremis, quando morbi, timor mortis, alia sexcenta distrahunt animæ vires. Sententia omninò probabilis, intrinsecè maximè.

175 IV. Contrà tamen in articulo mortis non sufficere attritionem cum Sacramento, sed obligari tunc peccatorem, ut verum contritionis actum, tanquam certius salutis medium, & certiorem ad justificationem dispositionem in seipso excitare conetur, docent gravissimi DD. *Sotus*, *Suarez*, *Sanchez*, aliique apud Lugo *citatum.* Atque hanc Sententiam (quidquid sit de ejus speculativa probabilitate) tanquam practicè tutiorem in praxi omninò sequendam, consulendam, & à Confessarijs apud moribundos practicandam censeo. Cùm enim tanti Doctóres post Concilium Tridentinum doceant legem charitatis propriæ exigere, ut in tali articulo mortis moraliter certæ, sequatur quis tutiora, *agerem reum damnandæ temeritatis* (ait Gobat *cit. casu 3. n 53.*) *qui tunc cognoscens se esse duntaxat attritum, non conteretur serio ad perfectam contritionem, habens conscientiam gravatam crimine lethali:* sic ille. Layman *citatus n. 7.* ita loquitur: Attamen talem pœnitentiam in morituro non conante se excitare ad perfectum dolorem de peccatis ob amorem Dei, valdè incertam & suspectam esse, ne fortè vera supernaturalis attritio non sit, atque non tam ipse homo peccata deserat, quàm à peccatis deseratur, iis tamen secundùm actualem affectum inhæreat: quia ut S. Augustinus ait serm. 57. de temp. *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est, quæ autem à moriente petitur, timeo, ne & ipsa moriatur:* Et hæc Sententia maximè locum habet, si ipsemet moriturus agnoscat pœnitentiam infirmam ac tepidam esse: neque majorem in se excitare conetur. Sic Layman sapienter. Jam ad tertium molestissimum quæsitum. QUANDO OBLIGAT?

§. III.

Per se quidem satis probabiliter in articulo, vel periculo mortis tantùm,

I. PRæceptum contritionis perfectæ certissimè obligat hominem peccatorem in 176
mortali constitutum in articulo mortis, ejúsve morali vel probabili periculo, saltem in defectu Sacramenti. Communissima. Ratio generalis est: quia sicut omne aliud præceptum divinum, ita & hoc præceptum pœnitentiæ ac contritionis perfectæ ad satis faciendum Deo injuriato, est impositum viatoribus, ut illud adimplendo consequantur vitam æternam, secùs æternùm damnendi: adeóque necessariò obligat nos, antequam exeamus ex hac vita: ergo si anteà non fuit impletum, certissimè obligabit in articulo mortis; alioquin consummabitur omissio simpliciter contra præceptum: ac in nostro proposito tunc voluntariè omittens contritionem novo peccato mortali omissionis & impœnitentiæ finalis infectus ex hac vita decedet æternùm damnandus. Ratio autem specialis est: quia homo in articulo mortis ac termino vitæ constitutus, maximè obligatur adhibere medium certum salutis suæ, ut nimis manifestum est: sed homo peccator tunc saltem in defectu Sacramenti, non habet aliud certum mediú salutis suæ & reconciliationis cum Deo, nisi contritionem perfectam formalem: cùm in communi & tutiori sententia, nec formalis amor Dei super omnia sufficiat: imò nec Sacramentum cum attritione satis tutum ac securum sit medium, juxta dicta §. *præcedenti*: ergo &c.

II. Præceptum contritionis per se *tantùm* 177
obligare in articulo mortis, & nunquam ante, docent gravissimi Doctores. D. Thomas *in 4. q. 12. q. 1. a. 4.* Cajetanus *Sum. V. Contritio.* Sotus in 4.

d. 17. q. 2. a. 2. Navarrus *Man. c. 1. n. 27.* Medina, Adrianus, aliis congestis probabilem censet ipse Suarez *d. 15. sect. 6.* ac mordicùs defendit Dicastillus *hic disp. 3. dub. 1. & ultimo.* Ratio sumitur ex natura præceptorum affirmativorum, quæ non obligant pro semper, sed solùm pro certo tempore, aut lege determinato, aut necessitate urgente: atqui extra articulum vel periculum mortis per se loquendo nulla est necessitas urgens, ut de se patet: neque ante illum articulum vel periculum mortis potest assignari ullum certum tempus lege vel ratione determinatum, quo præceptum hoc per se obligaret potiùs, quàm alio: non enim statim post peccatum commissum, uti docuerunt D. Bonaventura, Alensis, Sylvester, aliique veteres apud Suarez *disp. 15. sect. 6.* Non quamprimùm: multò minùs quoties practicè recordaris peccati commissi, uti docuerunt idem D. Bonaventura, D. Antoninus, aliique apud Gobat *hic Casu 6. n. 128.* Utrumque refutabimus mox *n. sequ.* Multò minùs singulis diebus Dominicis & Festis, ut piè opinatus est Angelus noster *in Summa V. feriæ. n. 40.* & cum communissima rejiciemus infrà in fine: & quonam, quæso, alio certo tempore? tu divina: ergo cum hoc præceptum pœnale sit & onerosum, non est extendendum, sed restringendum potiùs ad illa tantùm tempora, pro quibus ejus obligatio certò nobis constat: at non constat nobis certò hujus præcepti obligatio pro ullo tempore, præterquàm in articulo mortis: ergo &c. Vides probabilitatem hujus Sententiæ: sed absterrent te gravissimè SS. Patrum ac sacræ Scripturæ sententiæ, tam seriò & minaciter urgentes maturam pœnitentiam, & damnantes seram dilationem pœnitentiæ usque ad mortem.

178 At, quidni commodè intelligi possint aut de consilio sanè optimo ac saluberrimo; aut ad summum de præcepto, non debere nos nimis diu permanere in statu peccati mortalis & inimicitiæ cum Deo: atqui hic status peccati mortalis & inimicitiæ cum Deo non solâ pœnitentiâ formali ac contritione perfecta tollitur, sed etiam amore Dei super omnia: usu Sacramenti cum attritione: hoc tamen non ad rem: quia loquimur de obligatione contritionis per se in defectu Sacramenti. Jam in specie progrediendo

179 III. Præceptum contritionis non obligat statim post peccatum mortale commissum, aut quamprimùm quis se mortaliter deliquisse practicè advertit: multò minùs postea, quoties quis practicè recordatur peccati mortalis commissi, nimirùm tanquam malè facti detestabilis &c. Ita (contra veteres suprà indicatos) & multi anti qui cum ipso D. Thoma *in 4. d. 17. q. 3. a. 1.* quos congerit, & sequitur Suarez. *disp. 15. sect. 5.* Tannerus *tom. 4. d 5. q. 6. dub. 3.* Layman. *cit. c. 2. n. 5.* Card. de Lugo *hic disp. 7. sect. 10.* paucissimis exceptis, omnes omnium Ordinum Recentiores cum Gobat *ibidem n. 132.* Ratio est: quia & nulla ratio urgens adferri potest tantæ obligationis; ut patebit *num. seq.* & inde gravissima sequerentur inconvenientia. 1. Sequeretur hominem sub novo peccato mortali obligari, ut ad Sacramentum Pœnitentiæ jam justificatus accedat: sicque Sacramentum Pœnitentiæ non esse Sacramentum mortuorum, sed vivorum, quo nihil absurdius. *seq. patet:* quia tum accessurus confessionale, practicè utique recogitat sua peccata, aut jam de illis conteritur, prout obligatur, & sic jam justificatus accedet: aut non conteritur, & sic committit peccatum mortale novum. 2. Sequeretur hominem post peccatum mortale commissum & practicè animadversum, si non statim eliciat contritionem, continuò peccare novo & novo peccato mortali omissionis seu impœnitentiæ, saltem quoties de eo cogitat practicè, & conteri posset: hem quot myriades peccatorum mortalium omissionum contritionis & impœnitentiæ in hoc integro (quod, prò dolor! sæpius fit) anno perseverante in statu peccati mortalis, non sine continuo vel frequentissimo remorsu conscientiæ, & minùs practica recogitatione peccatorum! an sine certissimo fundamento, credibile? At longè intolerabiliùs. 3. Sequeretur tam pœnitentes, quàm Confessarios universos damnandos plurimorum peccatorum mortalium ac sacrilegiorum saltem materialium: cùm de ejusmodi mortalibus omissionibus nec illi se accusant, nec isti examinant: quis enim Confessariorum ex PP. Augustinianis, Dominicanis, Franciscanis, Societatis &c. frequentissimis in Confessionali pœnitentem ab integro vel medio anno in uno vel pluribus peccatis mortalibus hærentem interrogat, quando primùm, ut quoties unius vel alterius peccati mortalis commissi recordatus fuerit, & quoties post eam recordationem omiserit penitùs contritionem? O abyssum scrupulorum, & anxietatum! an absque certo fundamento adstruendum? 4. Addit Gobat *n. 133.* Quod Prælati Ecclesiæ culpabilissimè deessent suo officio in re maximi & summi momenti, si illa rigida Sententia foret vera, quandoquidem non darent operam, ut ea prædicetur suis Diœcesanis. Piura hùc facientia rejicio in fine quæstionis. Jam videamus, quid urgeant fundamenta oppositæ rigidæ opinionis.

IV. Fundamenta oppositæ sententiæ pa- 180
rùm urgentia sunt. *Primum*, & principale est: Voluntariè permanere in statu peccati mortalis ac inimicitiæ cum DEO; semper illicitum ac intrinsecè malum est: omni enim momento tenemur cessare à peccato mortali: sed practicè cogitans de peccato mortali à se commisso, & non statim pœnitens ac contritionem eliciens, sed voluntariè differens, voluntariè permanet, & vult permanere in statu peccati mortalis, an inimicitia cum DEO: ergo post mortale peccatum commissum & practicè recogitatum (scilicet ut malum factum & detestan-

dum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum est) statim obligat, & quousque impleatur, semper obligabit præceptum Contritionis, instantia difficilior dabitur in responsione. *Secundum.* Præceptum contritionis inducit obligationem satisfaciendi DEO injuriato per peccatum mortale: sed injuriato post illatam injuriam statim, cùm fieri potest, satisfaciendum est; nam, qui proximum læsit in bonis fortunæ vel famæ, tenetur statim satisfacere, ac compensare injuriam, alioquin peccat, quamdiu differt: ergò præceptum contritionis obligat statim post peccatum commissum. *Tertium*: Ex præcepto charitatis erga seipsum, tenetur quis statim adhibere medicinam in morbis periculosis corporis ad evitandum vitæ corporeæ discrimen: ergò multò magis à fortiori, tenetur quis statim adhibere medicinam in lethali morbo spirituali peccati mortalis, ad evadendum discrimen æternæ damnationis. *Quartum. Peccatum, quod per pœnitentiam non citò deletur, Deo permittente suo pondere ad aliud trahit;* ait D. Gregorius Homil. 11. in Ezechielem: ergo post peccatum commissum pœnitentia statim agenda & non differenda est: alioquin talis voluntariè exponeret se periculo denuò peccandi, quod semper illicitum est. Alia leviora lubens prætereo.

181 Resp. ad 1. distinguendo Majorem. Voluntariè permanere in statu peccati mortalis positivè, scilicet per actum positivum volendo peccatum & inimicitiam cum DEO, semper illicitum ac intrinsecè malum est: concedo majorem. Sic enim adhuc actu peccatur: sicque verissimum est, nos omni momento teneri cessare à peccato, actuali nimirùm, atque actuali voluntate vel complacentia peccati (idque ipsum non ex speciali virtutis pœnitentiæ ac contritionis præcepto, ut si non statim desistas à peccato, committas novum impœnitentiæ peccatum contra præceptum contritionis; nullo modo: sed ex præcepto alterius virtutis, v. g. justitiæ, temperantiæ, castitatis, &c. contra quam peccatur: ita ut si non desistas, solùm in eodem peccato perseveres actualiter: quòd valde notandum est.) Voluntariè permanere in statu peccati, &c. negativè tantùm, ac suspendendo omnem actum, scilicet nec volendo, nec nolendo aut detestando peccatum commissum; imò etiam positivè nolendo ipsam pœnitentiam vel contritionem hìc & nunc, semper illicitum & intrinsecè malum est: nego majorem: & similiter distinctâ minori, nego consequentiam. Nam hìc & nunc non pœnitere, ac nolle pœnitentiam vel contritionem, actus de se indifferens est, ac bono fine etiam honestari posset: nam nolle bonum aliquod non est peccatum, nisi pro eo tempore, quo teneor velle vel agere illud bonum, v. g. audire Sacrum, eleemosynam dare, &c. at quòd tenear omni tempore velle pœnitere, vel contritionem elicere, quamprimùm vel quoties cogito de peccato mortali commisso, hoc ipsum est in controversia: nos negamus: illi affirmantes, hoc argumento tandem petunt principium. At contrà jam difficiliùs instabis. Nunquid, quando deliberatè & voluntariè nolo pœnitere vel contritionem elicere de peccato mortali commisso, hoc ipso positivè, saltem indirectè & implicitè volo ipsum peccatum ac inimicitiam cum DEO? Quia omnis voluntariè non tollens causam alicujus effectûs, indirectè saltem vult effectum; & voluntariè nolens ponere causam destructivam alicujus mali, (ut in proposito est contritio seu pœnitentia respectu peccati) indirectè saltem vult ipsum malum: Resp. negando assumptum, & distinguo probationem: quando teneor illam causam tollere, concedo: quando non teneor, nego. Quando enim effectus aliquis non per se, sed per accidens sequitur ex aliqua causa, non censetur is nobis voluntarius indirectè in illa causa posita vel non ablata, nisi quando tenemur illam causam amovere, juxta communem doctrinam *de actibus humanis*: exemplo vulgari de legente vel audiente turpia cum prævisо periculo pollutionis, &c. Sic in proposito: quia permanentia in statu peccati mortalis & inimicitia cum DEO, non per se, sed per accidens tantùm sequitur ex omissione, seu nolitione pœnitentiæ ac contritionis (per se enim sequitur permanentia in peccato, quia factum est, & per accidens tantùm, quia non pœnitens) ideò non potest nobis ea permanentia imputari etiam indirectè voluntaria & culpabilis, nisi solùm quando tenemur ponere causam destructivam peccati, scilicet ipsam pœnitentiam vel contritionem: cùm ergo nullum extet præceptum statim applicandi causam destructivam peccati, postquam commissum, vel quando de eo practicè cogitamus (quod Adversarij hoc argumento probantes rursus principium petunt, supponendo, quod probandum erat) ideò permanentia in peccato & inimicitia DEI, ipsúmque peccatum & inimicitia DEI non est nobis neque indirectè voluntaria, sed permittitur, vel permissa tantùm: permissio autem mali, quando hìc & nunc impedire non teneor, non est peccatum, secundùm omnes.

Ad 2. Resp. Distinguendo minorem. Injuriato statim satisfaciendum, quando injuria est damnosa, ideóque dilatio satisfactionis damnum infert, & continuat (prout ferè, certè non semper fit in injusta læsione proximi: concedo minorem. Quando injuria non est damnosa, nec consequenter ex dilectione satisfactionis aliquod damnum infertur, vel augetur injuriato, uti est respectu DEI: nego minorem & consequentiam. Ad 3. Resp. negando consequentiam & paritatem. Ratio disparitatis est nimis manifesta. Quia vita corporalis semel amissa recuperari nequit: & ideò urgente morbo periculoso, quilibet tenetur adhibere remedia statim, ne patiatur irreparabile damnum, cùm homo non sit Dominus vitæ suæ, sed custos: at verò vita spiritualis, semper dum vivimus, recuperari potest. Quare, sicut ex præcepto charitatis, aliquis tunc tantùm sub novo gravi peccato tenetur adhibere medicinam corpori, quando dilatio medicinæ ei esset allatura mortem vel aliud gravius malum v. g. morbum intensiorem: sic in proposito tunc solùm tenemur adhibere medicinam animæ contra peccatum, quando ex dilatione hujus medicinæ, scilicet contritionis ac pœnitentiæ, sequeretur vel mors æterna, ut in periculo mortis corporalis, aut aliud gravius peccatum novum, infamia, scandalum, &c.

At negatur consequentia. Quia illa tractio ad novum peccatum aliud, non est tam violenta, neque periculum novi peccati tam proximum & urgens regulariter, ut non possit à peccatore evitari, & sub novo peccato mortali teneatur illud evitare statim, ac quovis tempore per se loquendo: nisi bene per accidens, pro illo tempore tandem, quo revera adesset periculum proximum gravius labendi, nisi per pœnitentiam gratia recuperetur. Sermo semper fuit de præcepto. Nam quoad consilium, omnes uno ore consulunt & agnoscunt expedientissimum esse post peccatum commissum statim ad pœnitentiam confugere & saltem conteri: tum quia homo in gratia constitutus facilius abstinet à peccatis novis, quàm extra gratiam, sine qua nemo diu à novo lapsu præservatur: tum maximè, quia homo sic contritus cum proposito confitendi opportuno tempore, etsi non ita statim confiteatur, jam in gratia existens nobis suis operibus mereri, & pro peccatis suis satisfacere potest. His ergo *N. III. & IV.* dictis pro certis habitis: contra tamen Sententiam *N II.* propositam, ad securiora tendentes dicimus:

§. IV.

Practicè longè probabiliùs etiam antea &c.

182 PRæceptum contritionis etiam ante articulum mortis per se quandoque obligat, sic, ut non nimis diu, certè non usque ad mortem deliberatè differatur: adeò ut voluntariè, ex proposito differe pœnitentiam valde longo tempore, aut usque ad finem vitæ, aut tamdiu differendi propositum concipere, novum sit peccatum mortale impœnitentiæ contra hoc præceptum contritionis. Ita communior, probabilior, & tutior Sententia Doctorum, quos latè recitant & sequuntur Suarez *disp. 15. sect. 5.* Tannerus *cit. q. 6. n. 65.* Layman *cit. c. 2. n. 6.* Lugo *disp. 7. sect. 10 a num. 274.* Gobat *casu VI. num. 139.* Ipsum postea sensisse videtur D. Thomas *3. p. q. 84. a. 5. ad 2.* allegans illud Ecclesiastici 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo.*

183 I. Hanc Sententiam omninò convincere videntur gravissimæ sententiæ sacræ Scripturæ ac SS. Patrum, tam ferìò urgentes maturam conversionem, atque damnantes dilationem nimiam, præsertim usque ad mortem. Audi unam & alteram. Eccl. 5. *Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Rom. 2. *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & justi judicij Dei.* Psal. 37 *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ: quia* (ait D. Hieronymus ibidem) *nolebam agere pœnitentiam.* Authoritates Patrum describi non possunt. Lege latè S. Augustinum *serm. 67. de tempore hom 42. ex 50. & libro de peccat. falsa pœnitentia c. 17.* S. Cyprian. *l. 4. Epist. 2.* alios passim. Ratio petitur tum ex parte Dei: tum ex parte hominis.

II. Ratio ex parte Dei est: quia tamdiu deliberatè & voluntariè persistere in inimicitia Dei, tamque diu differre compensationem injuriæ Deo per peccatum illatæ, ac recuperationem justitiæ divinæ, mortaliter censetur importare novam injuriam ac interpretativum contemptum DEI Opt. Maximi; ergo videtur tunc ipsum præceptum pœnitentiæ, adeóque in defectu Sacramenti, contritionis perfectæ per se obligare ad reparationem amicitiæ divinæ tandem procurandam etiam extra omne periculum mortis, & secùs, novum impœnitentiæ peccatum committi: idque maximè ipso Deo, (prout semper solet) toties monente & movente per auxilia gratiæ, tum intrinseca, ut bonas inspirationes, remorsus conscientiæ &c. tum extrinseca, exhortationes, exempla, occasiones oblatas &c. sicut ipsemet exaggerat Proverb. 1. *Quia vocavi, & renuistis: Extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quóque in interitu vestro ridebo.* Et hinc 184

III. Ratio ex parte hominis est: quia is tam diu in statu peccati mortalis persistendo gravissimam spiritualium bonorum vix numerabilium jacturam, periculum gravius labendi, & tandem in malo indurationem incurrit, ut suprà Apostolus monuit, & explicat D. Gregorius Hom. 11. in Ezechielem dicens: *Peccatorem diu expectat Deus, ut redeat, non redeunti atque contemnenti ponit (offendiculum) ubi gravius ruat: & sicut suprà dixerat: peccatum, quod per pœnitentiam, saltem diu non deletur, tandem suo pondere certissimò ad aliud trahet.* Et Concilium Milevitanum *Can. 3.* docet: hominem sine gratia justificante diu servari non posse sine lapsu peccati mortalis; adeóque si peccator per pœnitentiam se in Dei gratiam restituere longo tempore differat, ac negligat, manifestum adit periculum alterius peccati ex altero incurrendi, ut prò dolor experientiâ 185

Universidad de Deusto
Biblioteca

nimis notum est! Tandem quanto periculo exponant se illi, qui pœnitentiam de peccatis in finem vitæ differunt. ostendit S. Augustinus cit. serm. 67. de tempore dicens: *Datur quidem in extremis pœnitentia* (id est, pœnitentiæ Sacramentum) *quia negari non potest: sed angores tamen esse non possumus. quod qui sic petierit, mereatur absolvi.* Lege ipsum locis suprà allegatis, & stupebis. Jam quoad praxin meritò quæres:

186 IV. At quamdiu sine novo peccato existens in mortali post admissum crimen potest differre pœnitentiam, ac in defectu Sacramenti contritionem? Respondent varie varii: Tannet suprà, non ultra unam hebdomadam vel mensem. Layman non ultra annum: *Coninck & Lessius*, apud Gobat non ultra tres aut quatuor annos. Suarez & Lugo citati rectius censent id commitendum esse judicio prudentis Confessarii, spectatis circumstantiis personæ, tentationum, occasionum: & maximè an adverterint aliquando ad hanc tandem de peccatis suis pœnitendi, Deoque se se reconciliandi obligationem. Post hanc enim animadversam obligationem (salvo meliori judicio,) ego cum Tannero condemnarem peccati novi impœnitentiæ, qui ultra hebdomadam voluntariè & negligenter differret contritionem. Attamen rectè advertit Gobat modò citatus raros esse, qui advertant obligationem hujus præcepti, nisi quando vel cogitant confiteri, vel timent periculum mortis, vel occurrit casus per accidens contritionem exigens ex mox enumerandis §. *seq.* Tandem optimè advertit Layman cit. n. 6. his verbis: *Cæterùm postquam Ecclesia annuam confessionem præcepit, ad quam actus pœnitentiæ saltem imperfectus (attritio) requiritur, si fideles tunc tale præceptum impleant, eò ipsò quoque divino pœnitentiæ præcepto satisfacere illos credendum est: quod enim præstat actus contritionis extra Sacramentum, hoc idem etiam præstat attritio cum Sacramento*: Hæc Layman verissimè. Nam suprà jam concessimus præceptum contritionis perfectæ non obligare eos, qui per attritionem cum Sacramento susceptò justificati sunt, saltem extra articulum mortis.

§. V.

Per accidens autem certò obligat in certis casibus.

Casus certi sunt:

187 PRIMUS. Præceptum contritionis per accidens obligat Ministrum consecratum, quando existens in statu peccati mortalis debet administrare conficiendo Sacramentum, nec habet copiam Confessarii. Communissima. Ratio est; quia Minister consecratus ex officio ministrans ac conficiens Sacramentum, debet esse in statu gratiæ, alioquin de novo peccaturus contra reverentiam Sacramenti, juxta communissimam, receptissimámque sententiam in materia de Sacramentis in genere: sed in casu nostro non habet aliud medium constituendi se in statum gratiæ, nisi contritionem: ergo præceptum contritionis ipsum tunc obligat per accidens, quod mox infrà post casus enumeratos explicabo.

188 SECUNDUS casus est, cùm existens in mortali debet suscipere Sacramentum vivorum, ut Confirmationis, Eucharistiæ, sacri Ordinis, Extremæ Unctionis, imò & Matrimonii, ut suscipiens (non ut minister, cùm ad hoc non sit consecratus.) Omnes. Ratio clara est: quia ideò hæc dicuntur Sacramenta vivorum, quia per se instituta sunt ad conferendam gratiam secundam, ideóque suscipiens illa jam debet esse in gratia Dei seu vitâ spirituali animæ. alioquin peccaturus sacrilegio, ponendo obicem effectui sacramentali, secundùm omnes. At similiter in casu posito non habet aliud medium constituendi se in statu gratiæ, nisi contritionem perfectam, aut amorem Dei super omnia: ergo &c.

189 TERTIUS casus communiter allatus est; quando quis positus in peccati occasione gravibus tentationibus urgetur, quas credit se moraliter evadere non posse, nisi per contritionem ad DEUM conversus, ejus gratiam & efficaciora ad vincendum auxilia obtineat. Omnis enim obligatur adhibere media ad evitandum peccatum: sed ut supponitur in casu, non occurrit aliud medium, nisi contritio perfecta, aut certè amor DEI super omnia: ergo &c.

190 QUARTUS casus affertur: quando ob peccatum alicujus, v. g. Principis, Communitas incidisset in periculum, ut à Deo graviter puniatur, sicut accidit in peccato Achan. *Jos.* 7. & Davidis 2. *Reg.* 14. tali casu peccatorem, qui causa vel occasio mali imminentis fuit, obligabit præceptum pœnitentiæ ad placandum Deum & avertendum commune periculum. Ex communi Layman *cit. c.* 2. *n.* 4. Generaliùs loquuntur Navarrus *cap.* 1. *Man. n.* 27. Adrianus, Sotus, Valentia, alii: hoc præceptum per accidens obligare peccatorem, quando commune aliquod malum imminet Reipublicæ, ut pestis, bellum: ut ex charitate erga bonum commune, cujus est membrum, amovere causam vindictæ divinæ, nimirùm peccata per pœnitentiam vel contritionem perfectam fatagat. Idque verum est ex suppositione, quod nullo alio modo possit averti hæc vindicta & ira Dei. Verùm communiter aliter averti potest, tum per preces justorum, quos quilibet debet præsumere in Communitate, cùm DEUS soleat etiam per paucos justos toti Communitati parcere; tum per orationes ipsorum peccatorum, cùm Deus ex sua misericordia etiam peccatorum preces exaudiat, acceptétque tanquàm medium de congruo ad avertenda mala temporalia, aliáque bona impetranda, non obstante illo cœci nondum uncti: *Deus peccatores non exaudit.*

191 In dictis potissimùm casibus præceptum pœnitentiæ ac contritionis obligat *per accidens*: quia nimirùm obligatio pœnitendi ac contritionem eliciendi non provenit ex speciali præcepto virtutis pœnitentiæ per se, sed per accidens, & ratione alterius virtutis, Religionis, Charitatis, tunc amotionem peccati & statim gratiæ exigentis per pœnitentiam vel contritionem necessariò procurandam, ideóque tunc ob omissionem contritionis non incurritur speciale peccatum impœnitentiæ, sed aliud peccatum contra aliam virtutem, Religionis, Charitatis &c. Exempli gr. Sacerdos in mortali sine contritione celebrans, baptizans, absolvens &c. alio communicans &c. non committit speciale peccatum contra hoc præceptum, sicut si omitteret tempore obligationis per se, v. g. in periculo mortis, sed peccatum sacrilegii contra virtutem Religionis, & reverentiam Sacramento debitam: & ita in cæteris casibus.

Casus duo rejecti.

192 PRimus, Præceptum contritionis nec per se, nec per accidens obligat, quoties peccatum etiam jam remissum per pœnitentiam, occurrit memoriæ practicè scilicet in ratione detestabilis vel delectabilis, uti post D. Bonaventuram, Alensem, Gabriel, Richardum, Paludanum, aliósque veteres docuit Sylvester v. Contritio. q. 2. his verbis: *Tenetur peccator dolorem de peccato conceptum in tota vita continuare actu, non simpliciter, sed sic, quòd nunquam actu placeat peccatum, & semper actu displiceat, quando practicè memoria occurrit, scilicet sub ratione detestabilis, vel delectabilis.* Sic ille. Rejicitur communissimè à Recentioribus omnibus, & antiquis communiùs cum S. Thoma *quæst.* 88. *art.* 8. & 9. Suarez *disp.* 15. *sect.* 4. Layman, Lugo *cit.* Ratio est: quia tam grave onus non debet imponi homini sine certo fundamento rationis vel legis: at nulla ratio dictat, nulla lex divina nos obligat ad agendam pœnitentiam bis, ter, decies, centies, de peccato jam remisso, cùm per primum actum pœnitentiæ vel contritionis jam Deo & conscientiæ satisfactum supponatur. Deinde licèt peccatum præteritum occurrat memoriæ practicè sub ratione detestabilis vel delectabilis; certè potest quis suspendere omnem actum sic, ut nec delectetur actu de carnali v. g. actu commisso, neque etiam illud detestetur positivè. Quamvis, ut rectè monet Layman cit. *c.* 2. *n.* 8. valde consultum sit circa peccatum memoriæ vel apprehensioni actuali infixum, exercere actum displicentiæ, imò interdum per accidens necessarium, si periculum morosæ delectationis propinquum videatur. Sic ille; sed tunc redibitur ad casum tertium suprà positum. Quòd verò S. Augustinus *l. de vera & falsa pœnitentia, c.* 13. aliique PP. dicant pœnitentiam hominis in hac vita debere esse perpetuam, sine dubio non potest intelligi de pœnitentia perpetua positiva, quoad actum continuum physicè, sed optimè intelliguntur de pœnitentia perpetua negativa, & quoad habitum, sic, ut nunquam retractetur pœnitentia præterita, nunquam placeat peccatum præteritum &c.

193 *Secundus.* Præceptum contritionis nec per se, nec per accidens obligat singulis diebus & festis, uti (non adeò difformiter Scoto) docuit noster Angelus *v. Feriæ n.* 40. 41. sic probans. Quia de præcepto tenemur Deo vacare in aliqua hora diei festi, secundùm omnes: sed hoc facere non potest, qui est in mortali, nisi de eo conteratur, vel atteratur. Et quòd hoc sit de præcepto in eo, qui se esse in peccato mortali recognoscit, habeo pro indubitato. Rejicitur ab omnibus Antiquis, & Recentioribus, repugnante indubitatâ praxi omnium modernorum Confessariorum ac Pœnitentium. Ratio eadem, quæ suprà: quia obligatio sub mortali asserenda non est, nisi ratio vel lex cogat; neutra sic cogit: ergo &c. *Tertium* præceptum Decalog: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices*, prout in nova lege determinatum est ab Ecclesia, non requirit aliam sanctificationem vel vacationem ad Deum, quàm audiendo Sacrum, & feriando ab operibus servilibus: utrumque præstari potest in mortali, sine contritione, sic ut præcepto satisfiat quoad substantiam. Et licèt fortè finis præcepti sit, ut sic homo placeat Deo, vel ad Deum revertatur, tamen finis præcepti non cadit sub præceptum, sed tantùm media præcepto præscripta; ut notum in materia de legibus.

QUÆSTIO IV.

Qui sunt effectus contritionis perfectæ &c.

SUMMARIUM.

194 *Effectus contritionis perfectæ*
195 Primus *est infusio gratiæ sanctificantis,*
196 *Quam contritio non causat ex natura rei, sed ex liberâ Dei ordinatione,*
197 *Nec effectivè, sed dispositivè solùm.*
200 Secundus *ejus effectus est remissio peccatorum omnium mortalium.*
201 *Quæ reipsa verè delentur,*
203 *Nec unquam amplius reviviscunt ob subsequentia peccata quæcunque.*
204 *Qualiter peccata venialia remittantur post mortem?*
205 Tertius *Pœnæ æternæ condonatio,*
206 *Quæ plerumque non remittitur tota, sed æterna mutatur in temporalem.*
207 *Quanta autem temporalis luenda in hac vel in altera vita remaneat, nobis incertum est.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

209 Quartus. *Reviviscentia meritorum: quæ dicantur opera* mortua; *quæ* mortificata?
210 *Per contritionem & justificationem reviviscunt omnia opera mortificata,*
211 *Ad integrum præmium essentiale,*
212 *Ac quoad jus ad totam pristinam gratiam ante undecunque habitam.*
213 *Quæ probabiliter etiam statim redditur ablato obice.*
214 *Corollaria* Usque ad n. 219.

Assertio.

194 COntritionis perfectæ (formalis ac virtualis seu amoris Dei super omnia, imò & attritionis cum Sacramento: quæ omnia semper subintelliguntur sub nomine *Contritionis &c.*) quatuor sunt effectus nobilissimi. *Infusio gratiæ sanctificantis: Remissio peccatorum: Condonatio pœnæ: Reviviscentia meritorum, seu bonorum mortificatorum per peccatum mortale: non item mortuorum.* Esset res latæ tractationis & Theologicæ, & Controversisticæ, sed tota speculativa ad materiam de gratia & justificatione propriè spectans. Ut tamen pii Tyronis piæ curiositati, & pœnitentium consolationi aliquantulùm gratificer, quæ sufficientia videbuntur, summo compendio delibabo.

§. I.

Infusio gratiæ sanctificantis. Remissivè plerumque.

195 IAm suprà *q.* 1, in definitione contritionis §. 2. satis dictum: contritionem perfectam, sicut amorem Dei super omnia, esse necessariam & sufficientem dispositionem in peccatore ad justificationem: id est remissionem peccatorum per infusionem gratiæ habitualis justificantis ac sanctificantis, quâ homo ex peccatore fit formaliter justus, sanctus, gratus Deo, amicus Dei, filius adoptivus DEI, hæres æternæ beatitudinis, &c. Jam quoad modum causandi, quo contritio hunc nobilissimum effectum causat, sic pauculis accipe

196 I. Contritio quantumvis perfecta, aut amor DEI super omnia, non causat justificationem, seu infusionem gratiæ sanctificantis ac remissionem peccatorum per se necessariò ex natura rei, sed ex libera ordinatione in acceptatione DEI, propter eam dispositionem per infusionem gratiæ peccata condonantis. *Ita Communissima DD. contra paucos.* Sumitur ex Sacra Scriptura, quæ quidem ex parte hominis requirit pœnitentiam: attamen ex parte DEI remissionem peccati fieri significat. Psal. 31. *Dixi: Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Item 2. Reg. 12. David contritus dixit: *Peccavi Domino!* Et respondetur: *Dominus quóque transtulit peccatum tuum.* Idémque significatur Zach. 1. & alibi illâ phrasi: *convertimini ad me: & ego convertar ad vos.* Et exaggeratè Joel. 2. *Nunc ergo dicit Dominus, Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra & non vestimenta vestra: & convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est: patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Quis scit, si convertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionem, &c.* Ecce! exigitur hic contritio utique perfecta: & tamen remissio peccatorum liberæ Dei miserentis voluntati tribuitur. Ratio est: quia licèt contritio perfecta, & amor Dei super omnia, sit perfectissima ad Deum conversio, per quam desinimus esse voluntariè aversi à Deo, ipsúmque super omnia amamus, quia tamen propter infinitam inæqualitatem Dei offensi & hominis offendentis, talis actus non adæquat infinitatem injuriæ illatæ Deo, manet adhuc injuria, donec eam Deus liberaliter remittat. (Sicut Rusticus v. g. per amorem erga Regem suum non compensat, vel tollit injuriam Regi à se illatam, nisi Rex eum amorem acceptando, injuriam remittere velit) Sed neque tenetur Deus absolutè tunc illam injuriam remittere: Attamen infinitæ ejus bonitati valde conveniens est, ut ob eam dispositionem, quam nos perfectissimam exhibere possumus, ad quam nos ipsemet totus exhortatur, & excitat in Scripturis Sacris, eam acceptando injuriam remittere: atque defacto sic acceptare & remittere, constat nobis ex Scriptura, & Concilio Tridentino eâdem *q.* 11. §. 2. *num. II.* allegatis.

197 II. Contritio causat infusionem gratiæ sanctificantis, non utique *effectivè* sed *dispositivè*, tanquam ultima dispositio ad gratiam: quâ dispositione in subjecto positâ, secundùm ordinariam Dei legem, statim gratia infunditur: ut docet Concilium Tridentinum *Sess. 6. c. 6. & 7.* ubi postquam *c.* 6. hanc dispositionem explicavit, *cap. 7.* subjungit: *Hanc dispositionem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola remissio peccatorum, sed & sanctificatio &c.* scilicet per infusionem gratiæ sanctificantis, per quam secundùm legem ordinariam fit remissio peccatorum, prout Concilium ibidem docet. Eâdem ergo ratione contritio est dispositio tantùm ad gratiam sanctificantem, & ad remissionem peccatorum, non causa efficiens, vel formalis. Nam Concilium ibidem justificationis causam efficientem dicit esse solum DEUM: & causam formalem dicit esse unicam justitiam habitualem, seu, quod idem est, gratiam sanctificantem, quâ homo formaliter justus, & DEO gratus constituitur, ut initio dictum.

198 III. Contritio non disponit ad gratiam ut ipsa jam formata ipsâ gratia & charitate, quippè tanquam dispositio prævia naturâ prior ipsâ gratiâ: licèt concomitanter statim eodem instanti temporis, gratiâ & charitate infusâ formata evadat: ut ex communi dictum *eâdem q. 1. §. 2. num. IV.*

IV.

199 IV. Contritio tamen perfecta, sicut & amor Dei super omnia, non justificat sine voto, saltem implicito Sacramenti Baptismi aut Pœnitentiæ: *ibidem num. IV.* Infusionem gratiæ necessariò consequitur, vel potiùs concomitatur secundus effectus

§. III.

Remissio peccatorum.

200 I. PEr contritionem perfectam, &c. (subintellige semper amorem Dei super omnia tanquam contritionem perfectam virtualem: & attritionem cum Sacramento suscepto) remittuntur omnia peccata mortalia, quantacunque sint, gravissima, frequentissima, innumera. Certum de fide. 1. Ex Sacra Scriptura: Ezech. 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Isa. 1. v. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, &c.* Et exemplis Scripturæ constat, gravissimos peccatores per pœnitentiam obtinuisse veniam. Adam *Sap.* 10. David. 2. *Reg.* 12. Achab. 3. *Reg.* 21. Manasses 2. *Paralip.* 33. Occisores Christi. *Act.* 2. 2. Ex Conciliis ita definientibus, Lateran. *c.* 1. *Trident. Sess. 6. c.* 14. Authoritate & consensu SS. PP. apud Bellarminum *l. 2. de pœnitentia c.* 15. recitatorum. Ratio ingens est tam infinita Dei bonitas & misericordia, *præstabilis super malitiam*, Joël 2. quàm infinita Christi merita, *qui factus est propitiatio pro peccatis totius mundi* 1. Joan. 2. Irremissibile peccatum aliquod aliquando dicunt Scripturæ, vel ut difficultatem obtinendi veniam exponant; vel loquuntur de pœna temporali pro peccatis infligenda, quam DEUS ob populi malitiam se negat remissurum, etiamsi Hieremias, Moyses, Samuel, Job, &c. pro eis deprecarentur.

201 Dixi autem: *omnia peccata mortalia.* Nam quælibet vera contritio necessariò se extendit, & continet virtualem saltem detestationem omnium mortalium (cùm omnia privent gratiâ & amicitiâ Dei, quam homo contritus rebus omnibus anteponit) Non item omnium venialium, sed cum vera contritione ac justificatione hominis venialia aliqua consistere possunt, tum secundùm actualem affectum, tum secundùm habitualem voluntatem nondùm retractatam: quo casu ea venialia per contritionem utique non remitterentur. Quòd si tamen contritio seu formalis, seu virtualis, seu amor Dei super omnia explicitè vel implicitè se ad omnia venialia quóque extenderet, omnia quóque per ipsam remitti non est dubium. Ut si homo perfectè contritus detestetur omnia, quæ quocunque modo Deo displicent, aut amoris actu se absolutè & pentus Deo subjiciat, voleus ei in omnibus placere & obtemperare, omnia ad ejus amorem referre, &c. eo ipso implicitè saltem detestatur omnia peccata, & gravia & levia, quatenùs omnia Deo displicent: talis perfectæ contritionis actus vel amoris ad omnia etiam venialia se extenderet, & omnia deleret secundùm reatum culpæ, ut *supra sect.* 1. *q.* 4. etiam indicatum est. Vide Suarez *disp.* 11. *sect.* 3.

202 II. Per contritionem, &c. ipsámque justificationem peccata verè reipsâ remittuntur, delentur, extinguuntur, ut reipsâ in homine justificato non remaneant. Certum de fide Catholica apud omnes Catholicos. Ex Trident. *Sess. 5. in decreto de peccato Orig. & sess. 6. c. 7. & can.* 11. (contra Hæreticos nostri temporis: qui fingunt peccata per Christum non deleri, sed tantùm tegi, ac non imputari propter justitiam Christi nobis imputatam.) Sumitur ex Scriptura innumeris locis, quæ dicunt peccata dimitti, deleri, ablui, tolli, hominem ab iis mundari, purgari, super nivem dealbari, &c. Quæ omnia verè & propriè significant, non peccata tantùm tegi, sic ut lateant & remaneant, sed verè deleri, eo modo quo deleri possunt: posse autem peccata verè deleri non est dubitandum ex parte potestatis divinæ: & mirum maximum esset, si Adam per peccatum potuit verè delere justitiam, per Christum autem non posse verè deleri peccatum. Urgent Hæretici principaliter locum Psalmi 31. Ubi David beatos prædicat, *quorum tecta sunt peccata:* Et beatum virum, *cui non imputavit Dominus peccatum.* Sed Resp. Psalmum sic incipere: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates.* Deinde (more Scripturæ usitatissimo) novis loquendi modis idem repeti & inculcari, ut idem omninò sic peccata tegi, ac remitti vel condonari: ac ideò non amplius imputari, quia non amplius sunt. Non enim possent peccata oculis DEI omnia cernentis tegi, si adhuc verè essent. Tegit ergo Deus peccata sic, ut curet, sicut emplastrum curat vultus, quod tegit, ut explicat D. Augustinus ad eum locum Psalmi. Idemque docent alij SS. PP. passim. & eleganter D. Chrysostomus hom. 80. ad popul. Antioch. *Si namque infinita quis habens vulnera, pœnitentiam egerit, sic ea Deus delet, ut neque cicatricem, neque vestigium, neque peccatorum ostendat indicium.*

203 III. Per contritionem &c. ac justificationem ita penitùs delentur, & abolentur peccata, ut defacto, secundùm ordinariam Dei legem (quidquid sit de potentia absoluta) nunquam amplius revivificant propter subsequentia peccata quæcunque. Ita (contra Gratianum *d. 4. de panit.* aliósque nonnullos) Communissima Theologorum cum D. Bonaventura, Scoto. D. Thoma *in* 4. d. 22. Ratio est: quia Deus absolutè & simpliciter remittit peccata; semper enim Scriptura significat absolutè sicut remissionem, & absolutè promittit pœnitentibus remissionem peccatorum: absolutè enim dicit Deus Ezechielis 18. *Omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*: Christus ipse instituens Sacramentum Pœnitentiæ absolutè sine

Universidad de Deusto
Biblioteca

conditione dixit Apostolis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: defactóque verba absolutionis nullam conditionem continent: sed si peccata semel remissa redirent, non fuissent absolutè & simpliciter remissa, sed secundùm quid limitatè, & sub conditione, *donec homo relabatur*: quod nullibi scriptum est: ergo &c. Quòd verò Deus in Scriptura dicatur aliquando recordari peccatorum præteritorum, intelligendum est de pœna temporali, quam Deus post peccata etiam remissa pro suo arbitrio infligit, citiùs aut seriùs, aliquando tam serò, ut humano modo, interim eorum oblitus, velut de novo recordari videatur, idque maximè ob nova peccata commissa, quibus seclusis fortè Deus illam pœnam prioribus peccatis debitam, ob fidelem in bono perseverantiam, omninò remisisset. Denique in parabola Matth. 18. de servo nequam nolente conservo remittere 100. denarios, cùm tamen illi Dominus remiserit 1000. talenta, nullo verbo significat Christus reatum primum delictorum semel remissorum redire, sed totus parabolæ scopus est: quòd sicut Rex ille dirè punivit servum suum in conservum immisericordem, sic & Pater cœlestis magno rigore judicaturus & vindicaturus hominem crudelem contra fratrem suum: cùm Deus offensas incomparabiliter majores homini remiserit. De reliquo non est opus parabolam in omnibus adaptari, ut in aliis quóque parabolis advertunt PP. & Interpretes. Eodémque sensu explicari possunt SS. PP. in Concionibus contra peccata, maximè inclementiæ & odii fraterni tam acriter invehentes, nunquid enim attenderunt ad has formalitates Scholasticas?

104 IV. Quæstio subtilis & intricata hìc incidit, qualiter peccata venialia remittantur post mortem, si fortè (& fortè sæpissimè) homo moriatur in veniali, aut habituali anteà non satis retractato, aut actuali novo, aut actuali affectu & complacentiâ peccati venialis? De hoc olim variæ fuerunt, & adhuc sunt Sententiæ. Mihi placet simpliciter dicere remitti ex vi charitatis finalis per extrinsecam condonationem Dei sine nova aliqua dispositione requisita. Ita D. Bonaventura *in 4. d. 21. p. 1. a. 2. q. 1. ad 1.* dicens: *Qui decedit in charitate, per illam meruit etiam post hunc statum ab his emundari, quæ retardant præmium charitatis.* Sic ille: quia nimirùm decedens in charitate & gloria Dei, ex merito de condigno jus habet ad præmium charitatis, sc. Beatitudinem; ipse autem cùm proprio actu ampliùs se juvare non possit, juxta illud Joan. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari*, scilicet meritoriè & proficuè ad salutem, ne jure suo perpetuo frustretur ob culpam venialem, quod esset inconvenientissimum, convenientissimum quóque est divinæ bonitati eam culpam condonare, & pœnâ temporali in purgatorio persolutâ, præmium conferre.

Quia tamen etiam hoc inconveniens videtur, culpam etiam venialem remitti sine propria aliqua retractatione, ideò non improbabiliter Recentiores præsertim è Societate communiter cum Suarez *cit. d. 1. sect. 4.* Vasquez, Azorius, Coninck, Valentia &c. docent id fieri vi novæ retractationis ab anima justi statim sponte perfectè elicitæ. Nam animæ justorum in primo instanti post mortem ex nova notitia divinæ bonitatis, & culparum suarum ferventissimos actus amoris, & displicentiæ peccatorum suorum exercent, ratione quorum actuum Deus venialia eorum dimittit, non per modum meriti, ut dictum, sed per modum dispositionis vel conditionis sine qua non, seu per modum meræ oblationis seu remotionis obicis retardantis condonationem Dei. Non displicet. Displicet autem maximè crudelis quorundam opinio apud Suarez *cit.* peccatum veniale nunquam dimitti in altera vita, hâc ratione. Aut enim vivens dolet de illo, & sic ei remittitur: aut non dolet, & peccat mortaliter, ut qui sibi viam ad Cœlum impeditam reddit. Crudelis sententiæ nullum vel apparens fundamentum! Quis enim ob leve impedimentum dicat mortale contrahi? Quid si quis invincibiliter peccati venialis dolorem vel detestationem non eliciat? non recordetur? &c.

§. III.
Pœnæ Condonatio.

I. PEr contritionem ac justificationem de- 205
facto, quando remittitur culpa mortalis, infallibiliter simul etiam remittitur pœna æterna. Certum apud omnes Catholicos, & docet Tridentinum sess. 6. c. 14. docens satisfactionem requiri, addit: *Non quidem pro pœna æterna, quæ Sacramento, vel Sacramenti voto, una cum culpa remittitur; sed pro pœna temporali, quæ, ut sacræ Literæ docent, non tota semper, ut in baptismo fit, remittitur.* Ratio est: quia remisso peccato mortali per infusionem gratiæ acceptatur justus in filium Dei & hæredem vitæ æternæ: Rom. 6. *Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habentes fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam*: & rursus ad Tit. 3. v. 7. *sanctificati gratiâ ipsius hæredes sumus*: sed jus vitæ æternæ non patitur secum reatum pœnæ æternæ. Nam Rom. 8. *Nihil est damnationis iis, qui sunt in Christo JESU*: ergo jure illo hæreditatis concesso per gratiam, remitti simul debet reatus gehennæ. Hinc sacra Scriptura semper jungit, sicut statum peccati mortalis cum reatu damnationis, ita justificationem seu liberationem culpæ mortalis cum liberatione à damnatione, & redintegratione ad gloriam. Dixi *de facto*: Nam de potentia Dei absoluta non est nostrùm disputare: nec dubium, posse fieri oppositum. Vide Suar *cit. d. 10. sect. 2.*

206 II. Per contritionem &c. ac justificationem (extra Baptismum & Martyrium) plerumque non remittitur tota pœna, sed pœna æterna mutatur in temporalem. Certum apud omnes Catholicos ex clara definitione Concilij Tridentini modò *cit. sess. 6. c. 14.* & *sess. 14. c. 2. 8. ac Can. 12.* Constat ex veritate Catholica de satisfactione Sacramentali, de Indulgentiis, de Purgatorio: & ipsa sacra Scriptura varus exemplis de pœnis à Deo inflictis post peccatum jam remissum, ut primis Parentibus Genes. 3. (nos etiamnum luimus post orginale in Baptismo remissum) Moysi & Aaron, *Num. 20. Deut. 32.* Davidi 2. *Reg. 22.* & 24. idémque docent SS. PP passim, quos latè recitant Suarez *hic disp. 10. sect. 3.* Bellarminus, Valentia, &c. Ratio petenda est ex divina justitia, quâ reservatio ista pœnæ temporalis congruebat, tum ad coërcendum hominum delicta, tum ad exercendum rigorem justitiæ misericordiâ temperatum, ut pulchrè notavit Tridentinum *cit sess. 14. c. 8.* Agit enim Deus nobiscum instar justi & clementis Regis reo pœnam capitis merito condonantis, ac aliâ mitiori temporali pœnâ plectentis. Alia ratio est de Baptismo (cui privilegio æquiparatur Martyrium) qui est spiritualis regeneratio, qua homo fit nova creatura, ideóque omnes veteris hominis culpas cum pœnis omnibus ex ordinatione divina abluit & tollit, remanentibus solùm mortalis vitæ pœnalitatibus ob originale contractis. Hanc autem novitatem vitæ posteà culpabiliter amissam, non congruè ac tam facilè restitui tam ingratis hominibus, qui (ut loquitur Trident. cit.) scienter *templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverunt.*

207 III. Post peccatum contritione, &c. remissum, quanta pœna temporalis luenda in hac vel altera vita remaneat, nobis constare non potest. Certum est, non semper esse æqualem, sed majorem vel minorem, juxta inæqualitatem tam majoris vel minoris gravitatis & multitudinis peccatorum, tum minus vel magis perfectæ ac ferventis contritionis, quæ plurimum conducit ad remissionem pœnæ temporalis; & posset esse tanta, ut per eam tota pœna in purgatorio luenda remitteretur, ut omnes passim DD. docent, constátque multis exemplis, & expressè supponit Trident. *sess. 6. c. 14.* supra allegatum dicens: *pœnam non totam semper.* ut in Baptismo remitti. Audis, *non totam semper*: ergo saltem aliquando totam. Sed credo id contingere rarissimè hoc tempore. Quo modo autem contritio &c. aliquam pœnam temporalem, & aliquando totam deleat, latè disputant Scholastici, in varia abeuntes. Placet mihi facilis modus dicendi sequens

208 IV. Deus ob contritionem magis vel minùs ferventem unicâ remissione mutat pœnam æternam in temporalem, in æqualem, majorem, minorem juxta inæqualitatem contritionis minùs vel magis ferventis; adeò, ut sicut contritio hominis peccatoris quoad substantiam ipsam generaliter disponit ad remittendam culpam & pœnam æternam, ita diversitas dispositionis seu contritionis simul specialiter disponat ad inæqualem remissionem pœnæ temporalis, & aliquando totius. Similiter dum justificatur homo per Sacramentum, sicut dispositivè per pœnitentiam seu contritionem, & moraliter effectivè per Sacramentum tollitur culpa & reatus pœnæ æternæ; sic juxta inæqualem Sacramenti virtutem & dispositionis disparitatem pœna æterna mutatur à Deo in disparem pœnam temporalem: ita post alios noster Reverendissimus Herincx. *tom. 2. disp. 4. q. 9. n. 44.*

§. IV.
Revivisentia meritorum, seu operum bonorum mortificatorum &c.

NOta: Opera *mortua* dicuntur, quæ fiunt 209
ab homine existente in statu peccati mortalis, adeóque nunquam meritoria ac velut viva fuerunt; quæ nunquàm revivíscere ad præmium. hic, ut meritoria fiant gratiæ & gloriæ, certissimum & indubitatum est apud omnes. Unde quantumvis oret, jejunet, eleemosynas faciat, &c. nihil ipli prodest, nec unquam proderit in ordine ad meritum gratiæ, juxta exaggeratum illud Apostoli. 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquer & Angelorum &c.* Attamen de congruo peccator per ejusmodi opera pietatis potest impetrare à Deo gratiam dignè pœnitendi, ut sic justificatione adeptâ, deinceps condignè mereri augmentum gratiæ & gloriæ possit. Et D. Thomas *q. 89. a. 6.* pie tenet ea opera nunquam abire sine præmio aliquo temporali. Opera verò *mortificata* dicuntur, quæ fuerunt exercita ab homine justo in statu gratiæ, adeóque tunc verè viva ac meritoria fuerunt, sed per subsequens peccatum mortale vi meritoriâ privata ac velut mortificata fuerunt, sic, ut homine in mortali decedente nihil conferant ad gloriam. Et de his tantùm sermo est, & dicimus:

I. PEr contritionem, &c. ac justificationem 210
reviviscunt omnia merita seu opera mortificata. Ita omnes Theologi cum D. Thoma *3. p. q. 98.* & Scoto *in 4. d. 14.* sic, ut aliqui non immeritò censeant esse de fide. Nam certè. 1. non obscurè indicat Concilium Tridentinum Sess 6 c. 16. docens: *nihil amplius justificatis deesse, quò minùs operibus, quæ in DEO facta sunt, vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, verè promeruisse censeantur.* Idémque dicit Can. 32. Atqui etiam opera mortificata verè in DEO sunt facta: nec dixit Concilium: *Si gratiam non interruperint, sed si in gratia decesserint*: ergo etiam illis censet vitam æternam promereri, adeóque per pœnitentiam & justificationem reviviscere. 2. Sumitur ex Sacra Scriptura variis locis. Sat sit unus. *Galat. 3.* loquens Apostolus Galatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

post Baptismum lapsis, tamen ante lapsum multa passis ait: *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.* Quasi diceret: non planè sine causa: in vobis est, ut non fueritis passi sine causa vel fructu: si nimirùm per pœnitentiam ad gratiam redeatis, eò quòd tunc priora opera reviviscant. Ita D. Hieronymus, Chrysostomus, Anselmus, S. Thomas ibidem. Hieronymum audi. *Spes est, quòd quicunque ob Christi fidem laboraverit, & postea lapsus fuerit in peccatum, sicut propria sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat: sic rursus non perdit ea, si ad pristinam fidem & pristinum studium revertatur.* 3. Idem constat authoritate SS. PP. apud Vasquez 3. p. q. 89. Sufficiant verba S. Felicis P. III. Ep. ad Acatium Epis. Constant. lapsum sic ad pœnitentiam adhortantis: *Ubi est frater Acati, labor tuus, quo tyrannidis hæreticæ tempore desudâsti? patieris hoc damno conscientia tuæ ejusmodi perire mercedem?* ubi pro certo supponit mercedem priorum operum reservari & recuperari, si pœniteret. 4. Ratio est: Quia merita hominis justi de se sunt digna vitâ æternâ: atque per subsequens peccatum mortale non extinguuntur, vel annihilantur apud Deum, sed solùm impediuntur, quatenùs durante statu peccati mortalis, homo est incapax præmii illis meritis debiti: quo statu verum est illud Ezech. 18. *Si averterit se justus à justitia, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus non recordabuntur*: atqui postquam homo lapsus ad justitiam & gratiam rediit, aufertur istud totum impedimentum, & indispositio hominis ad præmium vitæ æternæ: ergo merita mortificata tunc ad præmium reviviscunt, vel potiùs manent semper digna vitâ æternâ in acceptatione divina. Quare longè alia ratio fuit suprà de peccatis: quia peccata simpliciter delentur, eisque quoad culpam & pœnam æternam per pœnitentiam ex meritis Christi satisfactum est: quare nunquam ampliùs redire vel reviviscere debent. Etsi redirent eadem peccata rursus æternâ pœnâ punienda, eadem peccata punirentur pœnâ duplici, quod divinæ bonitati repugnat: at verò merita priora per peccatum non extinguuntur, sed sopiuntur & impediuntur tantùm, & nulla illis adhuc est merces reddita: quare reviviscere debent, ne omni mercede careant. Et locum habet hic illud Apostoli Rom. 5. *Non sicut delictum, ita & donum*: peccatum enim non est tam efficax ad destructionem meriti, quàm gratia justificans ad destructionem peccati ac demeriti. Et Deus multò pronior est ad præmiandum, quàm ad puniendum. Unde ulteriùs quamvis ipsa resuscitatio meritorum per gratiam pœnitendi sit opus misericordiæ divinæ, ipsa tamen merita resuscitata de condigno & ex justitia merentur vitam æternam ut mercedem: ipsáque retributio mercedis est actus justitiæ divinæ, juxta illud Apostoli. Hebr. 6 *Non est injustus DEUS, ut obliviscatur operis vestri*: quasi dicat, justitiam Dei exigere, ut non obliviscatur, sed mercedem reddat operibus mortificatis quidem, sed per gratiam denuò vivificatis. Jam breviter etiam videndum, quomodo, & ad quid opera mortificata reviviscant.

II. Merita mortificata per contritionem ac justificationem, &c. reviviscunt ad integrum præmium essentiale, quod ipsis ante lapsum debebatur, & non solùm ad partem juxta mensuram præsentis dispositionis, secundùm quam peccator resurgit. Ita contra Thomistas Scotistæ omnes, & Recentiores communissimè apud infrà citandos. Et certè rationes omnes probantes reviviscere merita, & reviviscere simpliciter, eædem consequenter probant reviviscere ad totum præmium anteà debitum, absque aliqua commensuratione ad præsentem dispositionem, seu novam justificationis gratiam: hæc enim dispositio nova, & gratia non tribuit meritis prioribus vim ullam merendi, seu tantùm removet obicem peccati illa merita impedientis à mercede sua, quo proinde obice sublato, nihil ampliùs impedit, sed eo ipso iterum vivunt, & valent sicut prùs. Deinde, alioquin sequeretur facilè contingere, quòd homo longè inferioris meriti præventus ampliori gratiâ post lapsum resurgeret ad majorem gloriam, quàm alius longè majoris meriti parciori gratiâ præventus magis tepidè resurgeret ad justitiam: adeóque uterque statim moreretur, posterior foret minor in gloria, quod absurdum videtur. Et hinc consequenter 211

III. Merita morificata per contritionem, &c. reviviscunt, saltem quoad jus ad totam pristinam gratiam ante lapsum undecunque habitam vel comparatam. Sic rursus contra Thomistas Scotistæ & Recentiores communiter apud Tannerum *hic d. 6. q. 5. dub. 2.* Lugo d. 11. n. 42. Ratio est: quia ut modò dictum, per justificationem reparatur jus ad totam gloriam: ergo etiam jus ad totam pristinam gratiam, nam gloria in Patria commensuratur gratiæ & charitati in via velut semini fructus, neque ullus in Cælo habet majorem gloriam, & minorem gratiam: cúmque per novam dispositionem & gratiam sanctificationis ablatus sit obex & impedimentum totum meritorum illorum, cur non modò fundent jus ad totam gratiam, sicut anteà fundabant? ergo reviviscunt ad totam pristinam gratiam. *Totam* inquam: *undecunque ante habitam vel comparatam*; non tantùm de condigno per ipsa illa opera meritoria in statu gratiæ facta, sed etiam acquisitam de congruo per ipsam contritionem cum auxilio Dei à peccatore elicitam: etiam ex opere operato collatam per Sacramenta: uti contra eosdem Thomistas & Vasquez hic docent Scotistæ & Recentiores communiter cum Henrincx *tr. disp. 4. q. 12 n. 68.* Ratio generalis est: Quia Scripturæ & SS. Patres simpliciter significant hominem per justificatio- 212

nem restitui in gratiam & statum pristinum: juxta illud Joëlis 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta.* Alioquin contra Apostolum suprà, sequeretur aliquid damnationis esse iis, qui sunt in Christo JESU, quandoquidem peccator justificatus in pœnam peccati privaretur perpetuò illâ gratiâ per actus contritionis & Sacramentorum susceptionem acquisitâ, & consequenter correspondente ei gloriâ, cujus privatio totalis constituit pœnam damnationis essentialem damni: & consequenter propter tantam diminutionem gloriæ aliquid damnationis remaneret in justificatis. Certè per se durissimum videtur, hominem, qui tali viâ frequentissimè magnam gratiæ, & consequenter gloriæ correspondentis copiam comparaverat, in æternum illâ privari ob unicum fortè peccatum mortale: contrarium autem valde excitat ad fervorem contritionis, & frequentem maximè Sacramentorum usum. Rationes speciales sunt. 1. Quia etsi peccatori contrito, & suscipienti Sacramenta gratia non detur ex proprijs meritis de condigno, datur tamen ex merito condigno Christi, quod homini tanquam proprium applicatur: ergo credendum est id fieri non cum minori virtute ad reviviscendum, quàm habeant merita propria hominis. 2. Contritio etsi non mereatur de condigno gratiam sanctificantem, meretur tamen primum gradum gloriæ, ut docetur in materia de merito: ergo reparat jus ad illam gloriam, & consequenter etiam gratiam correspondentem. 3. Quoad Sacramenta specialiter: alioquin sequeretur, quòd semel lapsus in aliquod peccatum perpetuò privaretur jure ad gratias actuales vi Sacramentorum susceptorum dandas tempore opportuno, nam jus ad illas gratias actuales dependet à jure ad gratiam habitualem sanctificantem, consequenter hâc non revivíscente, neque reviviscent illæ, consequens apparet nimis durum, præsertim quoad Sacramenta interabilia, Baptismum, Confirmationem, sacrum Ordinem: ergo &c. Locuti sumus hactenus de jure ad gratiam reparandam. Jam quæretur, quandonam restituatur illa gratia per peccatum amissa, an statim, dum peccator justificatur, an primùm in morte hominis, quando ipsa gloria confertur?

213 IV. Per contritionem &c. justificato statim restituitur, vel potiùs ablato obice statim reviviscit jus ad gratiam & gloriam operibus mortificatis correspondentem: & probabiliter etiam statim redditur tota gratia iisdem operibus correspondens. Ita Recentiores communiter cum *Suarez, Tannero, Lugo* citatis. Quia, cùm illa gratia aliquando certè restituenda sit, non apparet urgens ratio, cur non restituatur statim, cùm homo viator statim sit capax prioris gratiæ. Neque obstat defectus dispositionis novæ ad illam gratiam. Quandocunque enim restitui dicatur, semper fiet absque novâ dispositione: & opera præcedentia fuerunt tantùm moralis dispositio ad illam gratiam primò infundendam, sic etiam, etsi præterita, tamen in acceptatione divina permanentia etiam nunc possunt esse dispositio moralis ad eandem gratiam denuò refundendam. Contrà verò alii sentiunt, & Scotus *in 2. d. 1. q. 10.* apertè satis supponere videtur gratiam illam primùm restitui in fine vitæ, & interim tantùm manere jus ad illam, sicut & ad gloriam. Idque æquè, & fortè magis probabiliter. Nam certè & ad veram reviviscentiam salvandam sufficit illam gratiam restitui in fine vitæ, & insuper id videtur magis congruum: tum, ut dilatione istâ peccatum quodammodò temporaliter puniatur: tum ne sit necesse hominibus frequenter in peccata relabentibus toties eandem gratiam reproducere. Secùs est de ipsis meritis quoad jus gratiæ & gloriæ, quæ non fuerunt extincta simpliciter, sicut gratia, sed tantùm sopita & impedita, ut dictum est. Quare magis congruum videtur, ut Deus peccatori contrito illam tantùm gratiam de novo infundat, quæ respondet novæ dispositioni contritionis &c. reservato jure ad reliquam gratiam in fine vitæ restituendam, simul cum jure ad gloriam. Tu crede, quod lubet: quid reipsâ fiat, non ego, sed DEUS scit. Sufficit abundè certè fieri unum ex duobus.

COROLLARIA.

I. EX dictis sequitur (magno Pœnitentium solatio ac stimulo) peccatorem contritione vel Sacramento justificatum semper resurgere ad majorem gratiam in re vel in jure statim conferendam, & correspondentem majorem gloriam tandem obtinendam, si in gratia decesserit: nimirum ad totam gratiam & gloriam correspondentem prioribus omnibus meritis interea per peccatum mortificatis, & modò resuscitatis, & insuper novam gratiam & gloriam correspondentem novæ dispositioni Pœnitentis, scilicet contritionis, vel attritionis cum Sacramento. Exempli gr. David, si ante lapsum in adulterium & homicidium habuit meritum gratiæ & gloriæ ut quatuor, ac postea Pœnitens suâ contritione perfectissimâ obtinuit gratiam ac jus ad correspondentem gloriam ut duo, justificatus surrexit ad gratiam & gloriam ut sex. 214

II. Hinc tamen ne inferas peccatorem ex lapsu reportare lucrum: tum quia hoc sequitur tantùm per accidens, & occasionaliter ex peccato, per se autem ex pœnitentia & divina bonitate: tum quia hoc ipsum lucrum faciliùs & copiosiùs potuisset homo obtinere sine lapsu, manendo in statu gratiæ & continuò merendi, cùm interim durante statu peccati, nihil omninò mereri potuerit, ut optimè observat Scotus *cit. n. 10.* Multò minùs ex hoc de- 215

Universidad de Deusto
Biblioteca

bet homo arripere ac usurpare licentiam, peccandi, cùm peccatum ipsum sit malum incomparabile, nihil boni, plurimum autem mali adferens, ac multa bona impediens, ac insuper gratia efficax fructuosè pœnitendi incerta sit: sed potiùs hinc excitari quisque debet ad studium continuum bonorum operum, sciens se recuperaturum sua merita per justificationem: esto fortasse ex fragilitate aliquando excidat gratiâ per peccatum, ut rectè Scotus *ibidem*.

216 III. Quòd si tamen homo peccet cum concomitante tantùm proposito, & spe posteà pœnitendi per contritionem vel confessionem sacramentalem, peccatum inde non aggravaretur, sed minueretur potiùs. Ita cum D. Thoma 2. 2. *q.* 21. *a.* 2. *ad* 3. Cajetano *ibid.* aliis Layman. *l. 5. tr. 5. c. 2. n.* 10. Ratio est: quia peccatum tantò minus aut majus est, quantò minùs aut magis voluntas ei adhæret, seu in eo firmatur: sed constat voluntatem minùs adhærere peccato committendo, si postea recedere parata sit, quàm si non sit parata. Sic juvenes v. g. minùs peccant, si cogitent & proponant post aliquot annos pœnitentiam seriò acturos, & vitam integrè emendaturos esse, ait Layman *cit.* idem est in proposito: ergo &c.

217 IV. At verò, si aliquis antecedenter ex consideratione veniæ obtinendæ per unum actum contritionis, aut Sacramentum Confessionis moveatur, inducatur, alliciatur ad liberiùs audaciùsque peccandum, utique peccatum aggravabitur; imò novam peccati speciem induet, scilicet ingratitudinis erga Deum & Spiritum sanctum: ut indicat D. Thomas *eâdem* 2. 2. *q.* 14. *a.* 2. & ex communi notat Layman *ibidem*. Ratio est: quia est manifesta ingratitudo erga Deum, ejus bonitate, ac promissa peccatorum veniâ per contritionem, vel sacramentalem absolutionem obtinendâ ad liberiùs peccandum abuti: ille autem sic abutitur, qui ex consideratione ac spe contritionis eliciendæ, vel absolutionis obtinendæ allicitur & inducitur ad liberiùs peccandum: quare rectè agunt fideles, dum de hoc ipso in sacra Confessione se accusant. Addit tamen *ibid. in fin.* Layman. *Non tamen arbitror esse unum ex sex peccatis in Spiritum sanctum, quamvis eò revocari possit: neque existimo semper esse peccatum mortale, sed si frequenter fiat, ita ut homo velut consuetudinem ac facilitatem quandam peccandi ex fiducia posteà confitendi ingenerari sibi animadvertat* Hæc ille prudenter & piè.

218 Petes hic incidenter: unde fiat, quòd resurgentes à peccatis ad pristinum statum gratiæ sæpe patiantur tantas difficultates in exercitio virtutum & emendatione vitæ, anteà levi, si recuperentur omnia amissa? Resp. Id fieri partim ex habitibus vitiosis & bene operandi desuetudine, partim ex minori affluentia gratiarum actualium, quarum ubertas facit hominem currere viam mandatorum, & semitam perfectionis: quæque aufertur, vel differtur à Deo frequenter justis ex causis, non obstante conversione: partim ex tentationibus, quæ tales interdum acriùs permittente Deo infestant: facienti autem, quod in se, Deus nunquam deerit usque in finem.

ASSECTIO III.

De Attritione, Contritione imperfectâ: maximè ut requisita ad Sacramentum Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

Quid Attritio, seu Contritio imperfecta?

SUMMARIUM.

220. *Attritio quid?*
221. *Differt à contritione ratione motivi, &*
222. *Ratione effectûs.*
224. *Nam licèt necessariò etiam concipi debeat ex motivo honesto.*
225. *Et supernaturali;*
226. *Non tamen ex motivo charitatis;*
227. *Sed alio inferiori*
228. *Attritionis motiva revocantur ad tria: ad turpitudinem peccati: ad metum gehennæ: ad metum pœnarum.*
230. *Et ultimatè resolvitur in motivum spei Theologica.*
231. *Ex metu pœnarum possumus detestari peccatum tripliciter,*
234. *Quid timor, & inde natus dolor, servilis, initialis, & filialis?*
235. *Qualiter omnis vera attritio ultimatè resolvatur in contritionem, & amorem DEI super omnia?*
237. *Qua & qualiter turpitudo peccati sit motivum attritionis;*
239. *Qualiter metus gehennæ & pœnarum supernaturalium?*
240. *(Solvitur objectio.)*
242. *Et qualiter metus pœnarum temporalium?*
244. *Applicatio practica illorum motivorum.* Usque ad n. 249.
249. *Formula contritionis, & attritionis.*

ASSERTIO.

219 *Attritio est animi dolor & detestatio peccati cum proposito non peccandi de cætero ex motivo honesto supernaturali: non tamen charitatis, sed aliò inferiori, ultimatè quidem & principaliter spei Theologicæ, ac timoris oppositi: immediatè verò communiùs ex consideratione turpitudinis peccati, ac metu gehennæ, & pœnarum.* Est tota communissima, ut patebit explicatione solitâ.

§. I.

Est animi dolor & detestatio peccati, cum proposito non peccandi de cætero.

220 HÆc est ipsa definitio contritionis generatim sumptæ ex Tridentino explicata supra *q.* 1. *per totam*: adeóque ponitur hic locò generis, in quo attritio convenit cum contritione perfecta hactenus latè explicata: reliqua differentiam explicant. Differunt contritio perfecta, & imperfecta, seu attritio potissimùm in duobus, nimirum ratione *motivi*, & ratione *effectûs*.

221 I. *Ratione motivi.* Quia motivum formale proximum contritionis perfectæ est ipsum motivum charitatis, nimirùm summa Dei bonitas peccato offensa. Contritio enim detestatur peccatum, quatenùs est offensa Dei summi Boni super omnia dilecti, motivo omnium perfectissimo: motivum verò formale proximum attritionis est aliud charitate inferius, ut spei, timoris, &c. de quibus mox.

222 II. In *ratione effectûs*. Contritio enim se solâ peccatorem justificat atque proximè disponit ad gratiam sanctificantem (etsi non sine voto Sacramenti) unde & semper gratiâ formata, & dicta *contritio*, quòd sola perfectè deleat, & conterat peccatum. Attritio verò se solâ non justificat, nec proximè disponit ad gratiam sanctificantem, sed tantùm cum Sacramento reipsâ suscepto: unde hæc in peccatore extra Sacramentum semper informis manet sine gratia: & ideo etiam dicta *attritio*, quòd se solâ non deleat peccatum, sed solùm ita disponat, & velut *atterat*, ut per Sacramentum supervenions remitti possit.

§. II.

Ex motivo honesto, supernaturali, non tamen charitatis, sed alio inferiori.

223 HIc exprimitur differentia essentialis attritionis à contritione perfecta, quam, terminis ex hactenus dictis jam patentibus, breviter explico, & applico

I. Ex motivo honesto.

224 QUamvis attritio sit imperfecta contritio, debet tamen necessariò esse actus perfectus, honestus & bonus moraliter, idcóque bono, honesto Deo placito motivo conceptus, alioquin non obtinebit remissionem. Ex communi Suarez *disp. 5. sect.* 1. Tannerus *disp. 5. q.* 6. *n.* 74. alii passim. Ratio est: quia dispositio per se ordinata ad remissionem peccatorum impetrandam, non debet esse infecta ullâ culpâ etiam veniali. Ut si doleas ob motivum venialiter malum, v. g. de fornicatione commissa, quia ampliùs non potes te jactare castum, &c. (Alia est ratio voluntatis suscipiendi Sacramentum: voluntas enim hæc non est propriè dispositio, sed tantùm conditio ad suscipiendum Sacramentum, unde non obstat, etiamsi sit venialiter mala, v. g. ob vanam gloriam, ob respectus humanos &c.) Quod si etiam doleres ex motivo mortaliter malo, v. g. ex timore merè servili pœnæ, inferni, ita ut aliàs simpliciter nolles delere, sed potiùs in peccatis pergere, erit actus non remissione, sed novo inferno dignus, ut §. *seq.* declarabitur.

II. Ex motivo supernaturali.

225 QUaliter omnis contritio debeat esse supernaturalis, non tantùm ex parte principij, sed etiam ex parte motivi supernaturalis, per fidem cogniti, nimirùm aut ipsius Dei, aut alicujus ad Deum relati, jam generatim declaratum habet *sect.* 1. *q.* 2. § 2. Et speciatim magis declarabitur *hâc quæst.* §. 4.

III. Non tamen ipsius charitatis.

226 COmmunissima & recepta est sententia, attritionem à contritione differre principaliter ex parte motivi: quòd contritio perfecta sit ex motivo charitatis, non sic attritio, ut §. *præcedenti* dictum, & apertissimè significat Concilium Tridentinum *sæpe citatâ sess.* 4 *c.* 4. ubi post explicatam contritionem charitate perfectam, ab hac distinctè loquens de attritione: hujus motiva, non charitatis, sed alia longè inferiora assignata dicens: *illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccati excludat cum spe veniæ &c.* Scio non paucos, maximè Scotistas, docere etiam attritionem debere aliquo modo ex charitate & amore Dei procedere, idque non sine fundamento in eodem Tridentino: sed hoc commodiùs expedietur *quæst.* 3. *seq.* & aliquid concedemus mox §. *seq.*

IV. Sed aliò inferiori.

227 POst motivum ergo charitatis scilicet Deum summè bonũ super omnia dilectum & peccato offensum, contritioni perfectæ proprium: omne aliud motivum honestum supernaturale, fide cognitum, est motivum attritionis. Utpotè aut directè *ipse Deus* peccato offensus; sed non sub ratione summi boni, sed sub alia ratione particulari apprehensus (utpote supremi Domini, primi Principij: supremi Legislatoris: summi Benefactoris, ac maximè summè Justi aut Vindicis peccatorum &c.) *Aut aliquid relatum ad DEUM*, utpotè peccatum ipsum quatenus est injuria DEI quatenus est offensa DEI sub aliqua dictarum particulari ratione: quatenùs est contra cultum, reverentiam, obedientiam, gratitudinem Deo debitam, quatenus est quid turpe coram Deo, privans animam gratiâ, Deóque exosam reddit: quatenùs à consecutione beatitudinis æternæ impedit, excludit, vel saltem retardat: quatenùs est inductivum æterni damni, ac pœnarum inferni; tandem etiam quatenùs est inductivum pœnarum temporalium à Deo offenso propter peccata infligendarum, &c. Ita Suarez *cit. disp. 5. sect.* 2. Tannerus *cit. q.* 6. *dub.* 10. alii communiter. Sub his enim enumeratis omnia alia excogitabilia facilè comprehenduntur, vel reducuntur. Insuper facilioris memoriæ causâ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

228 Omnia prædicta, & ad illa revocabilia attritionis motiva aptissimè revocantur ad duo, vel tria potiùs motiva assignata à Concilio Tridentino. Nam 1. *ad turpitudinem peccati* reducitur etiam, quòd peccatum sit injuria vel offensa Dei sub quacunque ratione suprà posita, irreverentia, inhonoratio, inobedientia, ingratitudo, &c. erga Deum. 2. Ad *metum gehennæ* spectat etiam, quòd excludat hominem à vita æterna ac beatitudine (quæ est essentialis damnationis pænâ damni) aut saltem impediat, & pœnis purgatorij excruciandum detineat. 3. Ad *metum pœnarum* spectat etiam consideratio justitiæ, iræ, judiciorum divinorum, terrorum, flagellorum, vindictarum, quas Deus ob peccata solet immittere peccatoribus: & singulariter illarum, quas defacto peccator experitur & patitur, ut sunt morbi, infamia, inopia, aliáq; mala à Deo ob peccata immissa vel permissa, adeóque supernaturaliter per fidem apprehensa, ut in gratiam rudiorum magis & practicè declarabo §. 3.

229 ¶. Sed ais: intelligo satis hæc omnia esse immediata & proxima motiva attritionis: sed nimis multa sunt: nónne ad unum aliquod principale & ultimatum reduci possunt, sicut est unicum contritionis motivum scilicet charitatis &c. Et nónne jam audivisti initio in psa thesi signanter dictum?

§. III.

Ultimatè & principaliter spei Theologicæ ac timoris oppositi.

230 Sicut contritionis perfectæ motivum formale est motivum charitatis, scilicet DEUS ut summum bonum in se, quem super omnia amamus amore amicitiæ propter ipsius intrinsecam, infinitam, omnimodam bonitatem, & ideò detestamur super omnia peccatum velut malum ipsi Deo, ejúsque infinitæ bonitatis offensivum: atque ideo omnis contritio est actus charitatis & virtualis saltem amor Dei, ut suo loco declaratum: ita motivum formale, principale, & ultimatum salutaris attritionis est motivum spei Theologicæ, scilicet idem ipse Deus ut summum Bonum nostrum super omnia amandus amore concupiscentiæ ob bona futuræ & præsentis vitæ ab eo sperata, & timoris oppositi, quo nimirum timemus eum offendendo ejus erga nos bonitatem, benevolentiam, beneficentiam à nobis avertere: & ideo ex tali spe & timore detestamur peccatum quatenùs est malum nobis apud DEUM, ipsúmque Deum quodammodò nobis reddit malum, non in se, sed in effectu erga nos, peccata nostra malis pœnæ æternis ac temporalibus puniendo: & ideò omnis salutaris attritio, ex quocunque dictorum immediato objecto, seu motivo concipiatur, ultimatè est, & debet esse actus spei Theologicæ, ac timoris Dei. Ita in re omnes, quos legi, etsi in terminis non ita proponant. Ratio clara est: quia attritio omnis salutaris debet esse actus supernaturalis, adeóque alicujus virtutis supernaturalis ac Theologicæ, atque non alterius, quàm spei Theologicæ, (non utique fidei, nec charitatis, ut supponimus) cùm debeat necessariò tendere in Deum, esse conversio ad Deum, animo sibi reconciliandi Deum, *cum spe veniæ*, ut expresè addidit Concilium Tridentinum loco allegato: ergo &c. Declaratur fundamentaliter. Omnis fuga mali continet implicitam saltem prosecutionem boni oppositi: sicut econtrà omnis prosecutio boni involvit fugam oppositi mali: atqui omnis salutaris attritio necessariò detestatur peccatum ut est malum contra Deum, ejúsque offensivum, idque in ordine ad reconciliandum nobis Deum, ejúsque amicitiam, & erga nos bonitatem reparandam cum certa spe veniæ: quippe quem nobis offensum & malum erga nos habere meritò timemus, & formidamus: ergo eô ipsô saltem implicitè & ultimatè prosequimur & amamus ipsum Deum ut bonum: nondum quidem ut summum Bonum in se amore amicitiæ, sic enim dolor noster esset perfecta contritio, sed ut summum Bonum nostrum amore concupiscentiæ, quo nimirùm bona æterna & temporalia speramus, & opposita mala timemus; & sic erit actus attritionis, aliàs nunquam: sic enim attritio non convertet ad Deum, & non aliàs: ut bene consideranti liquebit: ergo tandem motivum principale ultimatum attritionis omnis salutaris est motivum spei Theologicæ & timoris Dei, quocunque tamen motivo immediato in particulari ad attritionem movearis, ut applicanti patebit. Attritus detestaris & doles peccatum ob suam *turpitudinem*, quatenus injuria, offensa, inobedientia, ingratitudo erga Deum: quare hoc? quia times & fugis ob hæc habere Deum infensum & velut malum tibi: & nónne eô ipsô concupiscis & optas habere Deum pacatum & bonum tibi? qui est amor concupiscentiæ & spei Theologicæ. Idque clarissimum est, quando doles & detestaris peccatum ex timore amittendi æternam beatitudinem, & metu damnationis, *gehennæ & pœnarum*: nihil agis, nisi dolor & timor tuus sit actus spei Theologicæ, quâ sicut Deum tanquam nobis bonum concupiscimus, maximè & principaliter in beatitudine & vita futura; & secundariò etiam in bonis vitæ præsentis salutaribus, sic ejus formidamus indignationem & pœnas inferendas præsertim ad alteram vitam spectantes, damnationis, purgatorii; & secundariò etiam spectantes ad vitam præsentem. Et hâc ratione rectissimè dicitur attritionem omnem debere procedere ab amore DEI: nimirum non perfecto & amicitiæ, ut infrà videbimus: sed saltem imperfecto & concupiscentiæ, ut modò declaratum. Quotiescunque ergo tuus dolor & timor

mor ita principaliter resolvitur in actum spei & amoris saltem imperfecti & concupiscentiæ erga Deum, adeóque in motivum spei Theologicæ, securus esto, te veram supernaturalem attritionem habere, & rectè dispositum ad Sacramentum Pœnitentiæ: aliàs non. Pro cujus pleniore intellectu nota, nos tripliciter posse dolere & detestari peccatum ex metu seu timore pœnarum.

231 I. Potest quis dolere, & detestari peccatum ex timore pœnarum remotè & excitativè tantùm, seu tanquam sub motivo remoto excitante ad evertendam malitiam peccati, illúdque sub hac vel ista ratione seu motivo occurrente cognito detestandum. Atque ita ex timore pœnarum quarumvis etiam temporalium excitari ad pœnitentiam bonum est & salutare: Ut apertè docet Tridentinum Sess. 6. c. 6. *Et dum peccatores se esse intelligentes, a justitiæ divinæ timore, quò utiliter concutiuntur, &c.* Ipsa verò detestatio peccati bona erit, vel melior, aut optima juxta perfectionem alterius motivi formalis, tali timore excitante, animadversi, sub quo fertur in peccatum. Atque hic est ordinarius modus, quo Deus pertrahit peccatores ad meliorem frugem, & ex tali timore excitante, ad considerandam & ponderandam malitiam peccati non rarò ad ipsam contritionem perfectam, & pœnitentiam perfectissimam pertingitur.

232 II. Potest quis dolere & detestari peccatum ex timore pœnarum tanquam sub motivo formali proximo & finali ultimo præcisivo sic, ut timor pœnarum sit tota causa motiva finalis dolendi, ita ut sic dolens ita sit affectus, ipséque dolor includat virtualiter hanc conditionalem: *Si non essent pœnæ æternæ vel temporales, nollem dolere & detestari peccatum.* Aut sic: *sum ita dispositus, ut nunc sériò vellem non dolere de meis peccatis, sed potiùs in eis complacere & pergere, si non esset infernus.* Item: *nollem agere pœnitentiam, &c. nisi sperarem æternam beatitudinem, &c.* Et talis dolor & attritio nulla est, & peccaminosa, ac novo inferno digna. *Nulla* attritio est: quia non avertit voluntatem absolutè à peccato, seu tantùm conditionatè, si non essent pœnæ, si non esset infernus, si non Cœlum sperarem, &c, imò includit actualem affectum ad peccatum, quod propter solâ pœnâ detestatur, alioquin actu nollet detestari, sed complacere perseverare in illo: nullus ergo hic (vides) actus spei & amoris etiam imperfecti erga Deum: quippe, quem, si pœnæ non essent, vel beatitudo non speraretur, non curaret. 2. *Peccaminosa, & novo inferno digna est hæc attritio*: quia talis actu & positivè pluris ac magis æstimat malum pœnæ sibi formidatum, infernum v. g. aut bonum beatitudinis speratum, adeóque suum commodum séque ipsum perversissimo sui amore) quàm injuriam Deo illatam, offensam DEI, reconciliationem cum ipso, amicitiam Dei, ipsúmque DEUM: ideóque suum commodum, séque ipsum verissimè & positivè constituit ultimum finem. Quod enim positivè magis æstimatur, quàm Deus, finis ultimus constituitur: quæ utique gravissima est deordinatio & injuria DEI summi boni.

III. Potest quis dolere & detestari peccatum 235
ex timore pœnarum, &c. tanquam sub motivo formali proximo, at non finali, ultimo ac præcisivo, sed actuali impulsivo tantùm: sic, ut quis de facto moveatur, & impellatur ad dolendum, de factóque doleat & detestetur peccatum propter pœnas æternas ac temporales, quas timet, non tamen *ultimatè & præcisivè*, seu propter finem ultimatum & præcisum: non enim positivè ullo affectu actuali dicit. *nollem dolere vel detestari peccatum, vellem adhuc peccare, &c. nisi infernus v. g. esset, nisi beatitudinem sperarem, &c.* Sed solùm negativè dicit: *de facto moveor & impellor, & non moverer & impellerer modò ad dolendum & detestandum peccatum, nisi pœnas illas timerem*: & quamvis ex vi hujus actûs præcisè plùs timeat pœnam, quàm peccatum, &c. injuriam DEI, &c. plùs amet seipsum, quàm DEUM, non tamen sic, ut positivè etiam minùs timeat peccatum, quàm pœnam, minùs amet Deum, quàm cœlum: sic ut ita affectus in aliquo casu potiùs eligeret peccatum, quàm pœnam, potiùs perderet DEUM, quàm Cælum, &c. (Sicut in priori casu) absit: sed solùm negativè hic & nunc non timet magis peccatum, quàm pœnam, non magis amat DEUM, quàm Cælum: quia nimirum hic & nunc aliud motivum perfectius dolendi & detestandi peccatum non occurrit, quàm timor pœnæ, amor cæli, &c. Quæ tamen non sunt motivum ultimum præcisivum, quia non præscindit, & excludit alia motiva perfectiora dolendi. quin potiùs ita dispositus est ut si occurrerent menti alia perfectiora motiva, vel rationes detestandi peccatum, quatenus est offensa sumi boni, &c. omninò etiã sub illis motivis detestaretur peccatum, & jam plùs horreret peccatum, quàm pœnam quamcunq; plùs amaret Deum, quàm cælum ac beatitudinem, vel quodcunq; bonum creatum, &c. Quin etiam subinde dolet, se non moveri ab alio perfectiori motivo, quàm timore pœnarum: ut benè exprimit Gobat *Alphab. Confit. casu.* 4. *n.* 67. 68. Et talis timor pœnarum bonus, honestus, sanctus est, indéque conceptus dolor & detestatio peccati vera & salutaris attritio sufficiens cum Sacramento ad remissionem peccatorum secundùm Concil. Trident. *cit.* Estque verus actus spei Theologicæ, quâ sicut honestè & rectè amore concupiscentiæ desideramus beatitudinem aliáque bona consequi à Deo, eóque motivo impellimur ad bene agendum: ita rectè & honestè timemus beatitudine privari, aliísque pœnis æternis vel temporalibus à DEO puniri, eóque timore salubriter move-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mur & impellimur ad fugam, detestationem, dolorem peccatorum, adeóque attritionem salutarem. Tandem hic timor & attritio inde concepta facilè resolvitur in amorem & contritionẽ perfectam: pro quo ulteriùs observandum est

234 IV. Triplex communiter à Theologis distinguitur timor, & inde natus dolor de peccato: *Servilis*, *Initialis*, *& Filialis*. Timor & dolor *servilis* dicitur, quo quis timet peccare, aut peccâsse dolet ultimatè & præcise propter pœnam, infernum v. g. ita ut, si infernus non esset, nollet timere, nec dolere, &c. Sed promptè peccaret, ut in peccato perseveraret: & hic timor & dolor nequam est, juxta dicta *num. II.* sic dictus, quòd sit *servorum* seu mancipiorum proprius, qui plerumque sua munia obeunt ex timore potiùs, quam ullo in Dominos amore. *Timor* & dolor *Initialis* dicitur, quo quis etiam pœnis impulsus & motus timet peccando offendere DEUM, aut dolet peccato se offendisse DEUM, eique reconciliari cupit, adeóque jam tendit in ipsum Deum aliquo amore saltem imperfecto concupiscentiæ, & spei Theologicæ ut bonum sibi, eóque jam sic dispositus est, ut etiamsi pœnæ non essent: adhuc timeret offendere, vel doleret offendisse Deum, dummodò aliud motivum adhuc timendi vel dolendi occurreret: adeóque *initialiter* (unde dictus Initialis) & inchoativè jam tendit, & facillimè assurgit in perfectum Dei amorem, verámque ac perfectam contritionem: juxta illud Eccl. 25. *Timor Domini Initium dilectionis*. Proverb. 1. *Timor Domini Principium sapientiæ*. Atque in hoc initiali timore fundatur, & inde nato dolore de peccatis reipsâ consistit vera ac salutaris attritio. Timor & Dolor *filialis* denique dicitur, quo quis nullâ habitâ ratione pœnarum, timet offendere Deum summum bonum super omnia diligendum, horret & execratur, quidquid DEO adversum ac velut malum est, quod est omne & solum peccatum. Et in hoc filiali dolore consistit vera & perfecta contritio, ut pluribus suò locò explicatum. Applica exemplo filij respectu Parentis offensi.

Corollarium & Animadversio notabilis.

235 OMnis vera salutaris attritio dispositivè, imò virtualiter & implicitè semper ultimatè resolvitur in contritionem perfectam & amorem DEI super omnia. 1. *dispositivè*: quia attritus licèt immediatè & proximè doleat & detestetur peccatum propter ejus turpitudinem coram Deo, propter metum gehennæ & pœnarum, &c. Quia tamen, ut dictum est, hoc actu jam tendit in Deum, cui reconciliari cupit, aliquo amore concupiscentiæ, eò ipsò jam sic dispositus, certè necessariò sic debet esse dispositus, ut si ei occurrat peccatum non tantùm esse malum nobis coram Deo, ob ejus turpitudinem & pœnas meritas, sed etiam esse malum ipsi Deo, ejús que infinitæ bonitatis offensivum, amicitiæ læsivum, &c. etiam sub hoc motivo vel maximè doleret & detestaretur peccatum, adeóque jam implicito saltem amore Dei super omnia, evaderet perfectè contritus. 2. *Virtualiter & implicite*. Quia omnis vera attritio ex natura actûs, cum spe veniæ, vult & intendit remissionem peccatorum suorum: sed spes veniæ & remissio peccatorum per se ordinatur ad reconciliationem divinæ amicitiæ; amicitia autem necessariò requirit amorem mutuum inter amicos: ergo attritus virtualiter & implicitè vult Dei amicitiam, Deúmque amare amore amicitiæ, ergo ulteriùs, si ei proponatur DEUS ut summum bonum super omnia amandum, idque peccatis offensum & abalienatum, infallibiliter (moraliter loquendo) amabit Deum super omnia, atque eo saltem implicito amore detestabitur peccatum: jam iterum evadens perfectè contritus. Et hinc pro praxi mox dicam §. *seq.* Quòd quamvis Confessarij pœnitentes vulgares ac rudes, dum per se non præbent sufficientia indicia veri doloris, ordinariè excitare debeant per motiva attritionis, his enim faciliùs & efficaciùs moventur, & concutiuntur, quàm motivo contritionis perfectæ, semper tamen ultimatè etiam dirigendi sunt aliquo modo, & elevandi ad motivum contritionis perfectæ, scilicet charitatis & amoris DEI.

§. IV.

Immediatè verò communiùs ex consideratione turpitudinis peccati ac metu gehennæ, & pœnarum.

HÆc tria motiva (ac velut species) attritionis exprimit Concilium Tridentinum tanquam communiora ac magis nota: ad quæ tamen omnia alia assignabilia commodè reducuntur, ut §. 2. *N.* IV. ostensum est. Jam hæc in particulari explicanda, & ad praxin applicanda sunt. 236

I. Turpitudo peccati.

NOn utique turpitudo peccati naturalis, naturaliter cognita, ac velut philosophica, utpote prout adversatur naturæ rationali, rectæ rationi, lumini ac honestati naturali, seu virtuti morali, quæ quatenus inter limites naturæ comprehenditur, ad supernaturalem attritionem ac pœnitentiam improportionata est: sed turpitudo supernaturalis ac Theologica, lumine fidei cognita, atque ad Deum relata: (scilicet & quatenùs animam coram Deo deturpat, maculat, violat, ornatu gratiæ ac meritis privat, Deo exosam, à Deo aversam, servam peccati constituit, characterem bestiæ imprimit: &c. Similia in Scripturis SS, passim posita) est sufficiens motivum ad supernaturalem attritionem ac pœnitentiam, juxta communissimam DD. Ratio ex dictis manifesta. 237

In

238 In particulari verò principalissima & extrema peccati turpitudo supernaturalis est, quatenùs est contra charitatem Deo debitam, offensa summi Boni, & aversio à Deo ultimo fine *cui*: sed motivum hoc charitatis est contritioni proprium. Attritionis autem motivo propria principalis turpitudo est, quatenus est contra virtutem spei & timoris Dei, & aversio à Deo ultimo fine *cujus*; & consequenter omnis alia turpitudo desumpta ex alia quacunq; oppositione contra Deum, ac contra virtutes morales respicientes Deum, ut quatenus continet injuriã, irreverentiam, inobedientiam, ingratitudinẽ, &c. contra reverentiã &c. Deo debitam. Adsunt plurimi etiam turpitudinem, quam peccatum habet ex oppositione contra alias virtutes morales infusas, etsi ex se Deum non respicientes, ut contra justitiam, temperantiam, castitatem, &c. Nam & hæc est turpitudo animam coram Deo deturpans, exosámque reddens, eóque respectu ad Deum relata, per fidem supernaturaliter cognita. Quod tamen negant alii, Scotistæ maximè, ejusmodi virtutes morales infusas non admittentes: at saltem negare non possunt, oppositum esse probabilissimum.

II. Metus gehennæ & pœnarum supernaturalium.

239 EX Concilio Tridentino citato, sine dubio sufficiens motivum attritionis supernaturalis est timor inferni seu damnationis æternæ ob peccatum incurrendæ: ad quem velut salutarem Christus ipse nos hortatur, Matth. 10. *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Idémque est de aliis pœnis supernaturalibus, ut si detestemur peccatum, quatenùs meretur pœnam damni, privationem beatitudinis, ac separationem æternam à desiderabili facie DEI, amissionem gratiæ & meritorum, & respectivè pœnas purgatorii. Quia hæc omnia de se supernaturalia per fidem supernaturaliter cognoscuntur, atque ad Deum offensum necessariò referuntur: ideóque eorum timore detestans peccatum, in Deum tendit spe Theologicâ, ut suprà explicatum. Solùm hic solvenda est celebris

OBJECTIO.

240 QUi detestatur peccatum propter pœnam, infernum v. g. simpliciter magis detestatur, fugit, & odit pœnam, quàm peccatum & offensam DEI, adeóque etiam minùs æstimat ipsum Deum. *Quia propter quod unumquodque tale &c.* sed hoc est inordinatum: ergo &c. Resp. distinguendo majorem. Si pœna sit ratio detestandi præcisa & ultimata, sic ut etiam positivè peccatum, offensam, injuriam Dei, minus malum, quam pœnam æstimet, ideóque præeligendum potiùs, quàm pœnam, infernum &c. concedo majorem, & totum juxta dicta *num. II.* Si pœna sit ratio detestandi peccatum proxima & impulsiva tantùm: neg. maj. min., & conseq. Sic enim non positivè æstimat peccatum vel offensam Dei minus malum, quàm pœnam: sed solùm negativè hic & nunc non æstimat peccatum majus malum, quàm pœnam defectu majoris & altioris motivi ad detestandum nunc occurrentis; ut *num. III* explicatum: quod positivè non est inordinatum, & vitiosum, sed ad summum negativè non est satis ordinatum ac perfectum, facilè tamen ordinabile ac perfectibile, occurrente perfectiori detestandi motivo. Atque hinc jam corruit in speciem difficillima

Instantia. Qui detestatur peccatum propter infernum v. g. saltem non plùs odit peccatum, quàm infernum: ergo ex vi hujus actus, datâ optione, potiùs eligeret peccatum, quàm infernum (eâdémque ratione quamvis aliam pœnam.) hoc sine dubio est inordinatum & inferno dignissimum: ergo &c. Resp. Negando *consequentiam*. In hoc enim casu planè metaphysico attritus vi hujus attritionis non eligeret infernum: tamen etiam non eligeret, & deberet non eligere peccatum, quare vel cessaret ab eligendo utrovis, vel necessitate (metaphysicâ & imaginariâ tantùm) urgente deberet recurrere ad altius motivum, scilicet charitatis Dei, & propter illud eligere & pati potiùs infernum (à fortiori quamcunque aliam pœnam temporalem) quàm peccatum, exemplo magnorum Sanctorum, qui in effectu ita elegerunt: quapropter in omni casu dabili sufficit, ut ex vi metûs inferni, vel pœnarum homo detestetur omne prorsus peccatum mortale, nec possit cum efficaci ejusmodi timore affectus ullius peccati mortalis consistere, cùm repugnet ex metu pœnæ peccatum absolutè fugere, & simul per peccatum ejusdem pœnæ meritorium perpetratum, velle incurrere periculum illius. 241

III. Metus pœnarum temporalium,

NUllæ pœnæ temporales naturaliter tantùm cognitæ vel apprehensæ, sine ulla relatione ad DEUM, prout nimirùm naturaliter eveniunt, ac vel naturali connexione, vel humanâ ordinatione ad peccatum consequuntur, ut sunt morbi, infamia, damna, supplicia: sed bene pœnæ temporales seu mala temporalia supernaturaliter cognita & apprehensa per fidem, atque ad DEUM relata, nimirùm tanquàm à Deo peccatis offenso, justóque scelerum vindice immissa vel permissa, immittenda vel permittenda, sunt motivum sufficiens attritionis supernaturalis ad Sacramentum sufficientis: atque adeò dolor de peccato, quatenùs ob id offensus DEUS, immittit, vel immittet pœnas temporales (morbos, bella, pestes, &c.) est vera attritio supernaturalis sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ. Ita jam satis communis Sententia DD. Suarez toties *citatus*, Coninck *hic disp. 4. n. 39.* Arriaga *d. 11 n. 3*, Lugo *disp. 5. n. 150.* Tamburinus *opusc.* 242

Con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Confess. l. 1. c. 1. & licitè ac optimè Caspar Hurtadus *hic disp. 6. difficult. 5.* & indubitatum censet Gobat *Alphab. Confit. casu 3. n. 47.* Favet, imò potiùs urget Concil. Trident. sess. 14. c. 4. inter motiva salutaris attritionis indistinctè ponens *metum pœnarum*, utique in Deum relatarum, & adjungit exemplum Ninivitarum dicens: *Hoc enim timore* (scilicet subversionis urbis à Jona prædictæ, pœnæ temporalis) *utiliter concussi Ninivitæ plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrârunt.* Ratio est; quia talis timor pœnarum sine dubio absterret, avertítque à peccato, & convenit ad justum peccatorum vindicem Deum reconciliandum, ideóque suppositâ fide, quâ ad DEUM referuntur, est actus spei Theologicæ, quo homo generaliter (etsi primario in beatitudine) in omnibus etiam temporalibus, bonum sibi concupiscit & sperat à DEO. Secùs omnia sunt de pœnis temporalibus naturaliter cognitis & evenientibus. Exemplis rem declaro.

243 Jacet ægrotus, dolet, ingemiscit, detestatur præteritos excessus & intemperantias: adulter deprehensus & infamatus, utique dolet & detestatur commissum adulterium: fur, vel latro comprehensus, torturas, & supplicium expectans, non fictè deplorat, dolet & execratur patrata furta & latrocinia &c. Hi tales, si pœnas suas apprehendant merè naturaliter, quatenus scilicet naturaliter ad excessus temperantiæ, sequuntur morbi, chyragra, calculus, &c.; ad commissum adulterium infamia: ad furta vel latrocinia debitum supplicium &c. & nullo modo ad Deum referunt, nihil agunt, vanus dolor, sicut vana motiva. Attritio enim vera debet esse cum aliquo respectu ad DEUM, & conversio ad DEUM &c. At hic nullus ad Deum respectus vel relatio, conversio ad DEUM nulla, sed neque aversio à peccato simpliciter, sed secundùm quid tantùm, quatenus nunc nocêt. Cesset malum & periculum præsens, redibitur in antiquam sylvam. At verò hi tales, si pœnas suas apprehendant supernaturaliter, atque ad Deum referant, tanquam à DEO justissimo vindice peccatorum suorum immissas, vel permissas, pœnæ istæ erunt sufficiens motivum omnino ad veram supernaturalem attritionem: sic enim verè dolent & detestantur peccata sua ut offensam DEI, ac propter Deum justè per tales pœnas peccata sua castigantem sibi reconciliandum. Quod quidem Confessarius facilè intelliget, si pœnitens pœnas suas manifestè ad Deum referat v. g. dicens: *doleo de peccatis meis, quia agnosco propter illa Deum offensum me sic visitare, punire &c.* aut quando dolet propter pœnas, quæ nullam naturalem vel humanam habent connexionem cum peccatis commissis: v. g. *Doleo de peccatis propter ista mala tempora, bella, pestem, sterilitatem &c.* Tunc enim signum est, eum pœnas istas per fidem referre ad Deum peccatorum vindicem, tanquam flagella divinæ justitiæ. Semper tamen Confessarius, si commoditas adsit, conetur talem pœnitentem disponere & inducere ad altius & supernaturalius motivum saltem attritionis. v. g. dicendo: Ah! graviùs longè peccatis nostris offenditur bonus Deus, quàm ut propter istas pœnas & mala temporalia tantùm dolere debeamus. Æternam damnationem meretur peccator, æternâ beatitudine privari, æternùm à Deo seperari summo & infinito bono! &c. &c. propter hæc, quæso, doleamus, has autem temporales plagas potiùs tanquam peccatorum medicinas à misericordi DEO cum gratiarum actione acceptemus, ut iis emendati temporaliter potiùs castigemur, quàm supplicijs deputemur æternis, &c. &c.

IV. Applicatio practica dictorum motivorum Attritionis.

COnfessarius pœnitentem gravia peccata confessum, tandè more solito interrogans, 244
an doleat ex toto corde, quòd ejusmodi peccatis tam gravibus offenderit optimum & dilectum Dominum Deum nostrum, summum Bonum nostrum, maximum Benefactorem, &c. Si nihil audiat, nisi frigidum, semivolens, seminolénsque *ita*, absque ullo signo interni doloris ac detestationis peccati, statim proponat ei & ei bene inculcet aliquod motivum attritionis, ex dictis opportunum juxta conditionem personæ ac qualitatem delictorum, ultimatè semper suaviter ad aliquem, saltem imperfectum DEI amorem, & agnitionem divinæ bonitatis erga se, hoc sequenti vel simili modo: ego rem nudè & simpliciter propono in gratiam Tyronum simpliciorum. Docti hic transeant.

I. TURPITUDO PECCATI, *pro honestis verecundis*; quæso te, mi bone &c. rem tam fædam, talem nequitiam ausúsne fuisse patrare coram hominibus, coram tuo Parente, tuo Domino, tuo Marito, tuo Principe &c. Nunquid non? Et nónne scis seu firmissimè credis Deum ubique & omnibus intimè præsentem: omnia etiam occultissima & intima clarè intueri, & nihil magis horrere, abominari, ac punire, quàm peccatum. Quomodo ergo tam fædam rem ausus es patrare coram oculis Dei, divinæ supremæ Majestatis, supremi Domini tui, Judicis tui, summi ac optimi Parentis tui, Benefactoris, Creatoris, Redemptoris tui, tui Amantissimi, imò sumi Boni tui, quòd semper super omnia amare, ei servire, & in omni actione placere omni studiô debuisses? Nónne pudendum? nónne summè dolendum offendisse tam turpiter super omnia amabilem DEUM? &c. &c.

II. METUS GEHENNÆ, *pro quibuslibet, maximè Timoratioribus.* Quæso te mi 245
bone, dilecte &c. Si pro certo sciviſſes, debere te pro tali peccato patrato vivum comburi, aut lento igne assari, an fuisses ausus commi-

mittere coram hominibus, præsertim coram Magistratu, Judice, Principe? Et nónne certissimò credis Deum quodlibet peccatum mortale, præsertim tam grave, tam fædum, tam atrox justissimè punire æterno igne infernali? Et quid si justissimè jam fecisset? quid si in hoc statu cum tantis sceleribus mori permisisset, ubi nunc esses? Jam aliquot diebus, mensibus, annis tot & tot arderes in inferno, in stagno bulliente sulphure & pice, arsurus ita per omnem æternitatem. Ardent jam centenis & pluribus annis, qui longè minùs peccaverunt, quàm tu. Sed optimus & misericordissimus Pater & Deus tuus amantissimè pepercit dilectæ sibi animæ tuæ, spatium & opportunitatem optimam ad pœnitendum, suámque gratiam & amicitiam recuperandam, tandémque æternam beatitudinem obtinendam indulsit. Eia ergo age seriò, ex intimo corde dole offendisse tam bonum, amantissimum, amabilissimum Deum: ne tentes amplius &c. &c.

246 III. METUS PÆNARUM *pro honestioribus, præsertim tempore morbi, infortunij, adversitatis privatæ vel publicæ.* Ecce ipse morbus iste, calamitas hæc, hoc infortunium, hæc bella, pestis, fames, sterilitas, quæso, nónne sunt manifestæ pœnæ ab offenso DEO, justo Judice inflictæ propter peccata nostra? Quid vult optimus, misericordissimus Deus: Vúltne nos perdere, à facie sua abjicere? Nullo modo. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat.* Vult benignissimus Deus & Pater nos à peccatis absterrere: & quos beneficiis & prosperitate apud se tenere non potest, saltem adversitatibus & flagellis ad se trahere & quasi vi ad cælum compellere: ad summum vult nos hic paternè punire, ut æternùm possit parcere &c. Nónne ergo ex toto corde dolendum tam graviter offendisse tam bonum ac amabilem DEUM? nónne adversitates istæ in aliquam satisfactionem pro peccatis gratanter acceptandæ, patienter sustinendæ? &c. &c.

247 IV. METUS PÆNARUM *item pro sceleratis valde insipidis & insensatis.* Quæso te, pro hisce tam horrendis sceleribus, scis, quid pœnæ spectaret apud humanum Magistrum & Judicium? Gladius, furca, rogus, rota &c. Et putásne Deum non posse punire peccata tua (si omnino æterna non apprehendas vel curas) etiam pœnis & suppliciis temporalibus? Non putas posse manifesta facere mundo scelera tua & publicare, confundere, carnifici tradere, aliis mille modis animâ & corpore perdere, perire sinere &c. &c.? Non fecit, tempus & occasionem indulsit: uno serio ex corde de peccatis contra ipsum commissis dolore, tibi peccata dimittere, & ambobus expansis brachijs in gratiam suam recipere paratus est, quod tui similibus plurimis non facit. Agnosce infinitam ejus in te bonitatem & misericordiam. Sit tibi intimus cordis dolor tam amabilem misericordem Deum ac Patrem tam horrendè offendisse, contempsisse, iritâsse, & tamen adhuc tam amanter parcere paratum. Pœnite ergo, dum tempus habes: *ne subitò veniat ira illius, & in tempore vindictæ disperdat te. &c. &c.*

¶ Inquies. Jam satis fusè explicata est con- 248
tritio & attritio: sed quis omnia memoriâ retineat? Ergo pro coronide & compendio

Da brevissimas & faciles formulas contritionis & attritionis.

COntritio *cum proposito explicito.* Pœnitet 249
me intimè de peccatis meis propter Deum summè bonum à me offensum, quem super omnia diligo, & propono firmiter cum divina gratia non ampliùs peccare mortaliter.

Brevius cum proposito implicito. Dolet 250
& pœnitet me peccâsse, quia feci contra te DEUS meus summè bone, quem toto corde meo amo.

Attritio cum proposito explicito, Dolet & pœ- 251
nitet me de peccatis meis: quia per illa anima mea coram Deo deturpatur: & propter illa Deus me beatitudine excludere, æternùm damnare, aliísque malis etiam temporalibus affligere potest. O magnum tempus vitam emendandi! Quod mi DEUS seriò propono. Brevius *cum proposito implicito.* Dolet & displicet me peccâsse, propter bona, quibus me Deus privare, & mala, quibus me punire potest.

Contritio Attritioni mixta. O bone DEUS, 252
ob fædissima peccata mea coram divina tua Majestate patrata, justissimè me omni momento damnare posses, dudúmque potuisses, aliísque pœnis gravissimis punire! non fecisti, nec facis adhuc, nempe quia chara & pretiosa est tibi anima mea, & tu infinitè bonus es: & ego, heu! reddidi tibi mala pro bonis. An sic deinceps? Ah! non ampliùs in æternum. Amo te, mi DEUS, cupióque amare in æternum. Amen! Vide Tamburin. & Gobat toties *citatos.*

QUÆSTIO II.

Qualis dolor requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ?

SUMMARIUM.

255. *Ad Sacramentum pœnitentiæ non tantùm fructuosè,*
258. *Sed etiam ad* validè *suscipiendum, requiritur attritio* formalis, supernaturalis, efficax, & universalis *respectu mortalium.*
263. *Unde Sacramentum Pœnitentiæ nunquàm potest esse validum, & informe.*

ASSERTIO.

AD Sacramentum Pœnitentiæ requiritur dolor & detestatio peccati formalis, supernaturalis, efficax & universalis respectu mortalium; idque non tantùm ad fructuosè; sed etiam 253

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad validè suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ: ut proinde hoc Sacramentum defectu doloris nunquam possit esse validum & informe: scilicet sine effectu gratiæ, & justificatione peccatoris.

§. I.

Requiritur dolor formalis, supernaturalis, efficax, & universalis respectu mortalium.

remissivè.

254 HÆ qualitates singulæ probatæ & explicatæ suprà de contritione generatim sumpta *sect. 2. quæst. 2. per totam*. Hic tamen attritioni & Sacramento Pœnitentiæ specialiùs sunt applicandæ.

§. II.

Idque non tantùm ad fructuosè suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ.

255 I. CErtissimum est, ad Sacramentum Pœnitentiæ fructuosè suscipiendum, scilicet cum effectu gratiæ sacramentalis, remissione peccatorum ac justificatione, requiri attritionem sic qualificatam, *formalem, supernaturalem, efficacem, & universalem respectu mortalium*, adeò ut mortaliter peccet, qui in Sacramento scienter non adhiberet dolorem sic qualificatum per omnia, sed vel virtualem tantùm, vel naturalem, vel inefficacem, vel particularem tantùm, non ad omnia mortalia se extendentem. Ratio *ibid. q. 2.* sparsim dicta, breviter in uno collata, est. Quia si adhiberet 1. dolorem solùm virtualem vel implicitum v. g. in amore Dei, in voluntate & desiderio suscipiendi Sacramentum &c. ut minimùm peccabit contra Tridentinum tam clarè exigens attritionem à se definitam, & dolorem formalem. 2. Si naturalem tantùm, adferet medium inutile & improportionatum ad justificationem, juxta dicta *ibidem* §. 2. 3. Si dolorem inefficacem seu nolleitatem tantùm non peccandi, simpliciter non se averteret à peccato, nec excluderet voluntatem peccandi, ut latiùs patebit *seq. sect.* de proposito requisito. 4. Si dolorem particularem tantùm de uno aut altero mortali, non de omnibus, rursus non excluderet voluntatem non peccandi quoad cætera peccata, de quibus non dolet: sícque semper obicem opponet gratiæ sanctificanti: ergo, &c. Jam verò cùm nimis notum sit in aliis, plùs requiri ad fructuosè & licitè suscipiendum Sacramentum, quàm ut solùm validè suscipiatur.

256 II. Quæstio principalis est, an attritio sic qualificata per omnia, requiratur etiam ad validè suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ? 1. Negativam tenent varii Doctores, & ad valorē Sacramenti hujus docent sufficere attritionem vel dolorem solùm virtualem implicitum, scilicet voluntatem & desiderium suscipiendi hoc Sacramentum, Sylvester, Rosella, Angelus, alii apud Tannerum *hic disp. 5. q. 6. n. 72.* & quoad venialia probabile censent Præpositus & Tannerus *De Confess. l. 1. c. 4. §. 1 2.* Sufficere attritionem & dolorem naturalem tantùm, scilicet ob pœnas naturales peccatorum conceptum, docent præcipui Thomistæ, Cajetanus, Victoria, Canus, Ledesma, & antiqui plerique, ipse Navarrus *Man. c. 9. n. 13.* Henriquez, alii cum Filliucio *hic tract. 7. n. 154.* (Sed sine dubio plerique intelligunt pœnas naturales supernaturaliter cognitas ut à Deo immittendas in sensu à nobis q. præced. concesso.) 3. Sufficere dolorem inefficacem, scilicet displicentiam quamcunque peccati, cum nolleitate peccandi, seu velleitate non peccandi de cætero, docuerunt iidem Cajetanus, Victoria, Ledesma, alii apud Suarez *hic disp. 20. Sect. 4.* Contra quos specialiùs agemus *sect. seq. 4.* Sufficere dolorem particularem tantùm de aliquibus peccatis, etsi, inculpabiliter tamen, non extenderet se ad omnia alia mortalia, docuerunt, & etiamnum docent multò plures mox infrà allegandi, nec omninò absurdè & improbabiliter, ut patebit.

III. Hi ergo Doctores consequenter docent: quòd sicut alia Sacramenta possunt esse, & de facto, heu! nimis sæpe sunt informia ac infructuosa, scilicet sine forma, gratia, & fructu Sacramentali ob defectum dispositionis requisitæ, v. g. status gratiæ, & tamen valida: ita etiam Sacramentum pœnitentiæ possit esse validum, & tamen informe & infructuosum ex defectu doloris, quando scilicet inculpabiliter non esset formalis, sed tantùm virtualis, naturalis, aut inefficax tantùm (quæ tamen tria capita jam post Tridentinum communiter rejiciuntur ab omnibus) aut quando inculpabiliter non est universalis se extendens ad omnia mortalia. Exempli gratiâ: Titius verâ, formali, supernaturali, & efficaci attritione de uno vel altero mortali à se commisso dolet sub motivo supernaturali quidem, sed non universali & communi omnibus peccatis mortalibus, sed speciali & proprio isti tantùm peccato mortali, v. g. de homicidio commisso, quòd violaverit ipsum supremum jus DEI in vitam & mortem hominum: de peccato luxuriæ, quòd ita fædè & brutaliter deturpârit se coram oculis divinæ majestatis: de peccato muto, quòd infandum illud nefas mereatur igne & sulphure è Cælo plecti exemplo Sodomitarum. At non dolet simul de aliis, vel aliquo alio mortali peccato commisso, v. g. blasphemia, perjuria, furto, odio proximi, &c. idque semper inculpabiliter, sive quia eorum aliorum peccatorum non meminit, sive quia non credit esse mortalia, sive quia illa tacens ex justa causa invincibiliter credit se non teneri hìc & nunc dolere, nisi de peccatis, quæ actu confitetur, & absolvitur. In hoc & simili casu Sacramentum sine dubio erit informe, & infructuosum, cùm unum peccatum mortale non

non possit remitti sine alio, & nullum peccatum remittatur sine pœnitentia saltem virtualiter se ad illud extendente: quod hìc non fit. Attamen Sacramentum fore validum, ipsámque Confessionem Sacramentalem esse validam, cùm adsit verus dolor supernaturalis & efficax cum proposito emendandi, & confessio formaliter integra (vide quàm probabiliter) docent gravissimi DD. D. Thomas *in 4. d 17. q. 3.* Thomistæ communiter & plures Recentiores, inter quos mei, Suarez *hic d. 20. s. 5.* Card. de Lugo *disp. 14. Sect. 6. & 7.* Gobat *Alphab. Confit. Casu 7. n. 177.* alii moderni passim.

IV. Hinc consequenter iidem DD. concedunt necessarium non esse, ut pœnitens ita confessus, sine alio defectu, nisi doloris ita dimidiati & restricti ad quædam, & non extensi ad reliqua omnia mortalia: agnito postea errore, illa peccata confessa cum sic restricto dolore iterùm confiteatur (cùm jam validè confessa, & clavibus Ecclesiæ in Sacramento valido subjecta sint) sed tantùm reliqua, ad quæ se dolor ille non extendebat. Quin insuper validè probabiliter juxta hos DD. Sacramentum sic validum, licèt tunc informe susceptum, ablato obice vel per contritionem perfectam de omnibus peccatis elicitam, vel per Sacramentum cum attritione universali, reviviscet & conferet suum effectum. Est Sententia semper mihi visa probabilissima, éstque favorabilis & Confessariis & Pœnitentibus, eximens ipsos à variis scrupulis ex insufficientia doloris in præteritis Confessionibus. Nihilominùs ego cum Pilato, *quod scripsi, scripsi.*

§. III.

Etiam ad validè suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ.

258 REquiritur attritio seu dolor *formalis, supernaturalis, efficax, & universalis respectu mortalium*, adeò, ut sive quis scienter & culpabiliter adferat dolorem non sic per omnia qualificatum, & speciatim non universalem ad omnia mortalia se extendentem, sed particularem tantùm, juxta dicta, ipsum Sacramentum, sicut infructuosum, ita etiam invalidum sit & nullum: ut proinde Sacramentum Pœnitentiæ nunquam possit esse validum, quin simul sit fructuosum. Ita communior DD. tum Scotistarum cum Herincx *hic disp. 2. q. 3. n. 2.* tum Recentiorum cum Vasquez, Conninck, Fagundez, aliis plurimis.

259 I. Probatur Ratione. Dolor est pars hujus Sacramenti per se instituti ad remissionem peccatorum: ergo minimè conveniens est ad ejus valorem sufficere & assumere aliquem dolorem, nisi illum, qui simul ad remissionem peccatorum disponens, sufficiens sit ad Sacramentum etiam fructuosè conferendum & suscipiendum: qualis est solus dolor *formalis, supernaturalis, efficax*, (de quibus tribus post Concilium Tridentinum vix ambigendi locus est.) atque etiam *universalis* respectu mortalium. ut agnoscunt Adversarii. Deinde mirum maximum esset (quis credat?) Christum instituisse & assumpsisse partem hujus Sacramenti validè conferendi, quæ scienter nunquam posset adhiberi sine sacrilegio, imò & nullitate Sacramenti: at certum est apud omnes, nunquam scienter posse adhiberi dolorem non formalem, non supernaturalem, non efficacem, atque etiam non universalem respectu omnium mortalium, sine sacrilegio, imò & nullitate Sacramenti: ut agnoscunt & profitentur DD. oppositæ Sententiæ: ergo &c. Et certè in aliis Sacramentis ad valorem non plùs requiritur in memore vel ignorante: ergo si dolor virtualis, &c. & speciatim ille particularis sufficit ad valorem Sacramenti in ignorante vel immemore, deberet etiam sufficere in memore vel sciente qualitatem sui doloris; aut contrà si non in hoc, neque in isto contra ipsos Adversarios.

II. Probatur efficaciter ex Concilio Tridentino *sess. 14. c. 3. & 4.* ubi plenissimè naturam hujus Sacramenti explicans, omnino nullum agnoscit dolorem pro hoc Sacramento, nisi illum, qui disponit ad remissionem peccatorum ac justificationem, eóque ipso sufficientem ac necessarium ad hoc Sacramentum etiam validè suscipiendum. Nam *c. 3.* cùm docuisset actus Pœnitentis, contritionem & confessionem esse partes, & quasi materiam hujus Sacramenti, utique validè suscipiendi, mox disertè explicat eatenùs esse partes & materiam hujus Sacramenti, *quatenus requiritur ad plenam & perfectam remissionem peccatorum.* textum descriptum habes *supra c. 1. num. 20. fine.* Et clariùs *c. 4.* Contritionem generatim definiens esse dolorem ac detestationem peccati, &c. ac dividens in perfectam & imperfectam, quæ attritio dicitur, utramque dicit disponere ad justificationem, illam quidem etiam sine, hanc verò cum Sacramento. textum partim habes *quæst. præcedenti, §. 2.* & plenius habebis *quæst. seq. §. 2.* ergo secundùm Tridentinum solùm attritio vel dolor disponens ac sufficiens ad justificationem est pars & quasi materia hujus Sacramenti, & nullus alius: atqui talis est solus dolor *formalis, supernaturalis, efficax, & universalis respectu mortalium omnium commissorum*: ergo talis, & non alius requiritur etiam ad valorem & essentiam hujus Sacramenti. 260

III. Dicunt I. Non debere videri mirum, quòd Concilium non meminerit alicujus alterius doloris, quàm sufficientis ad justificationem, eò quòd ad institutum ejus non pertineret de alio dolore tractare, quàm de illo, qui ex obligatione est adhibendus, ut Sacramentum suscipiatur cum fructu: cùm talis dolor sine dubio sufficiat ad essentiam & valorem Sacramenti. 261

2. Quamvis ergo dolor, qui cum hoc Sacramento sufficiens est ad gratiam dispositio, possit

Universidad de Deusto
Biblioteca

& debeat esse pars materialis hujus Sacramenti, non apparet tamen, cur nequeat aliquis dolor, qui non sufficit ad gratiam, sufficere, ut sit pars Sacramenti validi, utpote satis constituens confessionem in esse accusationis dolorosæ & sacramentalis: ut specialiter fit in casu, quo dolor verus supernaturalis & efficax inculpatè se non extenderet ad omnia mortalia, juxta dicta §. *præced.* 3. Imò de facto potest esse dolor necessarius ad Justificationem, qui tamen non possit esse pars Sacramenti Pœnitentiæ, ut si quis doleat de peccato commisso ante Baptismum sine fructu, bonâ fide, cum obicc susceptum: cur non econtrà aliquis dolor non sufficiens ad justificationem possit esse pars Sacramenti?

262 IV. Contrà. ad 1. R. Concilium non tantùm fructum, sed essentiam & valorem Sacramenti Pœnitentiæ plenè explicare, & tamen non agnoscere alium dolorem, quàm sufficientem ad justificationem pro parte Sacramenti: quare nec nos agnoscere debemus. Ad 2. Resp. Satis apparere cur non possit: tum ab authoritate negativa Concilii: tum ob rationes *N. I.* positas, cùm Adversarij nullas rationes efficaces in contrarium adferant. Ad 3. negatur consequentia & paritas. Agitur enim hic de dolore circa materiam remotam tantùm Sacramenti Pœnitentiæ, quale non est peccatum ante baptisma commissum. Est quidem verum, talem in confessione debere elicere dolorem universalem etiam de illo peccato ante Baptismum commisso ad impetrandam justificationem: cùm tamen idem sit indivisibilis actus, adhuc verum manet, quòd nullus dolor sit pars Sacramenti, quin idem sit sufficiens ad effectum dispositio: esto non sit pars Sacramenti eatenùs, quatenùs ad culpam ante Baptismum commissam se extendit. Et hinc tandem elucescit, quòd

§. IV.

Sacramentum Pœnitentiæ nunquam posset esse validum & informe,

263 I. NOn *ex defectu doloris.* Quia non potest esse dolor sufficiens ad valorem hujus Sacramenti, qui non simul sit sufficiens ad effectum & fructum Sacramenti, nempe solus dolor *formalis, supernaturalis, efficax, & universalis respectu omnium mortalium*: ut §. *præced.* clarè probatum. *Et specialiter*: Dolor ille particularis de uno vel altero peccato sub motivo particulari proprio tali peccato, ut §. 2. *num. III.* specificatum: aut est verus supernaturalis actus spei Theologicæ, vel timoris oppositi, vera conversio ad Deum, cum seria intentione se reconciliandi Deo, ac spe veniæ: aut non est talis: si non est talis, iterum liquidò Sacramentum erit nullum. Si est talis, eô ipsô implicitè erit dolor universalis & extendens se ad omne peccatum mortale; non quidem ex vi illius motivi particularis tali peccato proprii, ut bene supponitur; sed ex vi motivi ultimati & principalis spei, timoris, quod motivum necessariò se extendit ad omne peccatum mortale, tanquam quid repugnans spei remissionis, ac reconciliationis cum Deo, ac proinde ita hominem disponit, ut si recordaretur alterius peccati mortalis à se commissi, necessariò etiam de eo doleret, idque detestaretur tanquam repugnans suæ spei vel timori: ac per hoc consequenter talis dolor, quatenus sic ultimatè universalis est, erit quóque sufficiens ad fructuosè suscipiendum Sacramentum.

II. *Non ex defectu Confessionis.* Aut enim 264
Confessio, cum debito dolore hactenùs descripto, est integra formaliter scilicet cum voluntate confitendi omnia, quæ hìc & nunc debet: aut non est? si sic: Confessio erit valida & fructuosa; si secùs, neutrum erit. Casum tamen in contrarium admittunt Henriquez, Nugnus, alii cum Gobat *Alphab. Confit. Casu 7. n. 180.* Si quis cogitans quidem omnia confiteri, attamen per mortalem negligentiam se non sufficienter examinans omittat unum & alterum peccatum mortale, & confitens hanc suam negligentiam non advertat: tunc confessionem fore validam: sed informem. Sed casus redit ad priorem. Aut enim confitens dolet de omnibus peccatis suis generali dolore, etiam se ad illam negligentiam commissam extendente; aut non. Si sic, iterum valida, & fructuosa seu formata erit Confessio: (cum onere tamen postea, si occurrat, confitendi illam mortalem negligentiam & peccata omissa.) si non, neutrum erit.

III. *Neque ex defectu absolutionis*, ut om- 265
nes fatentur; Aut enim profertur cum debita potestate & intentione super subjectum capax; aut non: si sic, valida & formata seu cum effectu erit; si non, neutrum erit. At quid si quis jam perfectè attritus & confessus ante absolutionem de novo peccet mortaliter (quod sanè utinam esset impossibile) nónne absolutio cadens super priorem dolorem & confessionem legitimam valida erit, at ratione novi obicis peccati mortalis, informis & infructuosa? ergo &c. R. non erit valida simpliciter, sed tantùm fuisset valida, si novum peccatum non intervenisset. De facto simpliciter est invalida, quia de hoc novo peccato non habetur dolor, nec fit confessio, adeóque deest & debita contritio, & confessionis integritas ad valorem requisita.

IV. At numquid omnia alia Sacramenta 266
possunt esse valida & informia ex defectu dispositionis, ut proh! nimis notum, & cur non etiam Sacramentum Pœnitentiæ: R. Ideo non: quia in aliis Sacramentis nulla dispositio substantialiter est pars essentialis ipsius Sacramenti, ideo in ejus defectu Sacramenta manent valida: at in Sacramento pœnitentiæ, dispositio certa subjecti, scilicet dolor debitus & confessio, sunt pars essentialis, aut certè quasi materialis (aut in Scotistarum sententia, saltem conditio prævia necessario actu requisita,) ideo in ejus dispositionis defectu non potest consistere validum Sacramentum pœnitentiæ.

QUÆSTIO III.

Qualis dolor sufficiat ad Sacramentum Pœnitentiæ?

SUMMARIUM.

268 *Ad Sacramentum pœnitentiæ non requiritur contritio perfecta.*
269 (*Objecta solvuntur*)
271 *Sed sufficit attritio vera.*
273 *Etiam cognita:*
275 *Non tamen æstimata tantùm;*
276 *Etiam invincibiliter.*
277 *Qualiter Sacramentum pœnitentiæ faciat ex attrito contritum?*

ASSERTIO.

267 *AD Sacramentum Pœnitentiæ validè & fructuosè suscipiendum nõ requiritur contritio perfecta, sed sufficit attritio vera, etiam cognita & non æstimata contritio: non autem sufficit attritio æstimata tantùm etiam invincibiliter, licèt hæc à novo peccato excuset.* Est tota communissima, contra paucos, in aliquibus dissentientes, ut patebit.

§. I.

Non requiritur Contritio perfecta.

268 COmmunissima, & omnium §. *seq.* citatorum. Ratio abundans est. Quia Sacramentum Pœnitentiæ (sicut & Baptismi) per se institutum est ad conferendam gratiam primam, quâ homo reducitur à morte peccati, ad vitam gratiæ: idque facit ex opere operato per ipsam absolutionem Sacramentalem, hoc enim per se significat forma absolutionis: *Ego te absolvo a peccatis tuis*: unde & dicitur Sacramentum mortuorum: ergo contra naturam & finem institutionis hujus Sacramenti est requirere contritionem perfectam, quâ per se priùs deleantur peccata. Alioquin plura sequerentur maxima inconvenientia. Utpote 1. Sacramentum Pœnitentiæ non haberet aliam vim ad conferendam gratiam primam, quàm Sacramenta vivorum: deberet enim confitens semper necessariò esse in statu gratiæ, antequàm recipiat absolutionem, sicut quando suscipit Sacramentum vivorum, v. g. Eucharistiam, Sacrum Ordinem, &c. Sicque 2. deberet pœnitens semper credere se habere finem, antequam adhiberet medium: id est: se habere remissionem peccatorum, antequàm recipiat Sacramentum Pœnitentiæ, quod ipsum tamen est medium per se institutum ad remissionem peccatorum: ipséque Judex Sacramentalis deberet existimare reum semper esse liberatum priùs à peccato, à quo tamen ipse deberet eum liberare per sententiam absolutionis: sicque ulteriùs. 3. Nulla remaneret Sacerdotibus Potestas clavium ad remittenda peccata quoad culpam, quippe quæ per contritionem perfectam antecedenter semper remissa, nunquam remitterentur per potestatem clavium. Nec obstat, quòd absolutio cadat super peccata jam antè remissa: debet tamen saltem vim habere ea remittendi, si adhuc adessent: quænam enim alioquin esset remittendi vis? 4. Denique (ut alibi iteratò insinuatum) sic Christus non instituisset novum & facilius peccati remedium, sed solùm priori medio contritionis (quâ solâ justificabantur Veteres) addidisset novum sanè grave onus confitendi peccata, remanente eâdem necessitate contritionis, pejorémque fecisset conditionem Christianorum, quàm Veterum, quod planè alienum est à suavitate & utilitate legis Evangelicæ. Accedit tandem principalis probatio ex Tridentino, sufficere attritionem. §. *seq.*

Objicies 1. Post institutum Sacramentum 269
Pœnitentiæ, adhuc sacra Scriptura requirit pœnitentiam internam ad remissionem peccatorum: sed ubicunque Scriptura loquitur de pœnitentia ad remissionem peccatorum requisita, intelligitur de contritione perfecta: ergò &c. 2. Contritio perfecta est juris naturalis: sed lex Evangelica non mutavit, sed potiùs perficit jus & legem naturalem: ergo &c. 3. Ad fructuosè saltem suscipiendum Sacramentum requiritur, ut dignè suscipiatur: sed existens in mortali non dignè suscipit: ergo prærequiritur semper contritio perfecta priùs deletiva peccati. 4. Principaliter: Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6. agens de dispositione requisita ad susceptionem Baptismi, satis clarè videtur requirere pœnitentiam procedentem ex amore Dei, qualis est tantùm contritio perfecta: sic enim loquitur: *Et dum peccatores se esse intelligentes, à justitiæ divinæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertentes, in spem eriguntur, fidentes Deum propter Christum sibi propitium fore, illúmque tanquam omnis justitiæ fontem* diligere incipiunt: *ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Sic Concilium. Atqui Sacramentum Pœnitentiæ, etiam mortuorum, non minorem pœnitentiam admittit, quàm Baptismus: ergo requirit pœnitentiam ex amore procedentem, adeóque contritionem perfectam. Fateor argumentum minimè contemnendum, necessariò tamen cum eodem Concilio mox allegando concordandum.

Resp. ad 1. distinguendo minorem. Intelli- 270
gitur de contritione perfecta extra Sacramentum, concedo. cum Sacramento, nego minorem & consequentiam, ob mox dicenda §. 2. Ad 2. distinguo majorem. Contritio est juris na-

Universidad de Deusto
Biblioteca

naturalis, quando non est aliud medium destruendi peccatum: concedo majorem. Quando est aliud medium ordinatum: nego majorem & consequentiam ob dicta *suprà Sect. præc. q. 2. & 3. §. 1.* Ad 3. negatur minor, quoad Sacramenta mortuorum Baptismi & Pœnitentiæ, quæ per se instituta sunt ad vivificandum hominem spiritualiter mortuum, adeóque per se admittere debet spiritualiter mortuum, seu cum peccato accedentem ad recipiendam vitam spiritualem gratiæ, dummodò ad hoc aliunde satis dispositum. Ad 4. R. facilè. Concilium requirere pœnitentiam procedentem ex dilectione, non posse intelligere dilectionem perfectam seu amorem Dei super omnia determinatè ob dicta & dicenda: sed indeterminatè, aut ut dilectionem illam perfectum charitatis actũ, aut dilectionem saltem imperfectam, seu amorem concupiscentiæ, actum spei, qualem in omni salutari pœnitentia, etiam attritione includi latè ostendi suprà *q. 1. §. 3.* Et dato, Concilium intelligere perfectam dilectionem Dei: dic ly *præterea*: non afficere determinatè ultimum, quod præcessit, scilicet *diligere incipiunt*, sed referri ad omnia præcedentia disjunctim: ut sensus Concilij sit, oportere agi pœnitentiam, vel ex amore, vel ex spe, vel ex timore salutari, quem præmiserat: 1. *Divinæ justitiæ timorem, quo utiliter concutiuntur.* 2. *In spem eriguntur.* 3. *Diligere incipiunt: ac PROPTEREA moventur &c.* Intellige, non propter omnia simul (quod puto nec Adversarios asserere) sed propter quodlibet eorum, vel timorem, vel spem, vel amorem.

§. II.

Sufficit Attritio vera.

271 ITa communissima DD. cum D. Thoma, Scoto, & post Trident. ferè omnium. Sic enim perspicuè satis docet Concilium Tridentinum sess. 14. c. 4. dicens: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ declarat non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & spiritûs sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam DISPONIT.*

272 Sic Concilium expresè loquens de dispositione ad gratiam proximâ, non remotâ tantùm. Nam attritio etiam extra Sacramentum est dispositio ad gratiam remota: & tamen negat eam disponere extra Sacramentum, sed tantùm cum Sacramento, utique proximè. Deinde statuit discrimen inter Attritionem & Contritionem perfectam, quòd hæc possit disponere ad gratiam sine Sacramento realiter suscepto, utique proximè per se: attritio autem disponat solùm cum Sacramento, utique etiam proximè per se, & sine Contritione perfecta. Atque hinc infert Concilium, quòd hæretici falsò calumnientur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia DEI docuit, aut sensit. Sic Concilium ibidem. Nimirùm quia gratia non confertur sine motu saltem attritionis, quem suprà docuerat esse bonum & salutarem. Quare dubitandum minimè est, validam esse confessionem factam cum hoc actu doloris ac detestationis. O! maledicta peccata, quibus animam meam gratiâ divinâ privavi, & pœnis æternis addixi, ait Lessius *in Anctario V. Confessio Casu 1.* Hanc sententiam meritò Recentiores communiter, Lessius, Dicastillus, alii cum Lugo *disp. 5. n. 137.* vocant certam, & oppositam improbabilem, (quamvis eam pro vera habuerint plures insignes DD. maximè ante Tridentinum scribentes, eámque etiam in articulo mortis posse practicari, diximus suprà *Sect. præc. q. 1.*

§. III.

Sufficit attritio vera etiam cognita, &c.

273 NOn requiritur, ut verè attritus æstimet se esse contritum, aut credat suum dolorem esse contritionem perfectam. Ita (contra Sotum, Victoriam, Gabriel, alios quosdam) communissima cum D. Thoma *q. 80. a. 4.* Ratio est: quia Concilium suprà dogmaticè loquens, absolutè & simpliciter dicit: attritionem cum Sacramento disponere ad gratiam: ergo sufficit attritio etiam cognita ut talis, quando scilicet vel pœnitens scit se esse attritum tantùm, nec requiritur, ut falsò æstimetur vel credatur esse contritio: nam & vera cognitio actûs de se sufficiens ad Sacramenti valorem & effectum non potest impedire valorem & effectum Sacramenti; & falsa existimatio aliquem actum esse, quod reipsâ non est, non potest ipsum facere medium justificationis, aut partem Sacramenti, si à parte rei ex se non sit. Et per se absurdum videtur dispositionem ad gratiam, valorem & effectum Sacramenti referre ad humanam æstimationem erroneam, ac falsum judicium. Deinde adhuc sequeretur, quòd confitens ante absolutionem semper deberet (falsò saltem) existimare & credere se esse in statu gratiæ, sicque se habere finem & effectum ante medium adhibitum &c. prout *suprà N. I.* de vera contritione non necessaria ostensum est. 274

Hinc peccator confitens sciens se tantùm esse attritum, justè potest absolutionem petere,

re, & Confessarius tenetur eam dare: quia hæc Sententia modò practicè certa est, ut proinde Sacramentum non exponatur morali periculo nullitatis, aut carendi suo effectu. Quanquam Doctores rectè moneant tam peccatorem, quàm Confessarium debere conari ad excitandam contritionem perfectam, præsertim in extremis, ut quàm fieri potest, securissimè & fructuosissimè provideatur & Sacramento & saluti. Cæterùm attritio vera, sed æstimata contritio, etsi non requiratur necessariò, sine dubio tamen sufficit ad valorem & effectum hujus Sacramenti, non obstante illâ falsâ existimatione esse contritionem veram: quia qui reipsâ habet dispositionem requisitam ad gratiam, adeóque ad hoc Sacramentum validè & fructuosè suscipiendum, re ipsâ validè & fructuosè illud suscipit: sed attritio vera de se est sufficiens dispositio ad gratiam &c. nec quicquam potest impedire judicium illud erroneum esse contritionem, quò minùs vera attritio maneat dispositio sufficiens ad gratiam & Sacramentum hoc ritè suscipiendum: ergo &c. Idémque dicendum esset, de eo qui haberet veram attritionem requisitam, erroneè tamen crederet non esse attritionem nec contritionem, ignorans scilicet talem actum ad hoc Sacramentum requiri, quales sine dubio sunt rudes multi, si aliunde defectus non sit, validè & fructuosè suscipit Sacramentum: secùs est de eo, qui sciret talem actum requiri, & crederet se non habere, talis utique ex Conscientia erronea, nulliter & sacrilegè Sacramentum susciperet.

§. IV.

Non sufficit Attritio æstimata tantùm, etiam invincibiliter.

275 TAm ad validam scilicet, quàm ad fructuosam susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur attritio vera re ipsâ existens, & non sufficit attritio æstimata seu putata tantùm etiam invincibiliter. Quoad fructuosam susceptionem est omnium: quoad validam, est communis DD. *q. præced. §. 4.* nominatorum. Eadem enim est ratio hic & ibi. Ratio est: quia Concilium Tridentinum citatum, sicut & Florentinum in Decreto unionis &c. quando ad hoc Sacramentum requirit contritionem vel attritionem, tanquam partem materialem & dispositionem necessariam, sine dubio loquuntur de vera attritione, & non æstimata vel putata tantùm, nam attritio putata tantùm simpliciter non est attritio, sicut homo pictus non est homo simpliciter. Nec talis attritio putata, (v. g. inefficax, naturalis tantùm &c.) est donum Dei vel Spiritûs Sancti impulsus, nec concipitur ex veris motivis suprà explicatis, nec habet alias conditiones & perfectiones, quas Concilium Trident. attribuit attritioni: ergo ad hoc Sacramentum tam validè, quàm fructuosè suscipiendum non sufficit attritio æstimata vel putata tantùm, sed vera reipsâ subsistens requiritur. Concilium enim eodem modo loquitur de attritione requisita ad valorem Sacramenti, & de ea requisita ad Sacramenti effectum, nec agnoscit ullum dolorem sufficientem ad valorem hujus Sacramenti, nisi illum, qui sufficiat ad ejus effectum, qui scilicet sit sufficiens dispositio ad gratiam sanctificantem, ut *q. præcedenti* ostensum est.

Dixi, æstimata etiam *invincibiliter*. Nam 276
attritio æstimata vincibiliter, quæ scilicet ex ignorantia vel errore vincibili & culpabili putatur esse attritio, cùm non sit, sine dubio nec ad validam nec fructuosam, sed neque licitam susceptionem Sacramenti sufficit, cùm culpabiliter non ponat materiam proximam debitam Sacramenti, adeóque novo peccato mortali & fructum & valorem Sacramenti evertit. Attritio verò invincibiliter, ex errore vel ignorantia invincibili & inculpabili putata attritio, cùm non sit, etsi ipsa & valorem & fructum tollat Sacramenti, sufficit tamen ad licitam susceptionem Sacramenti, excusátque à novo peccato, cùm actus ex ignorantia invincibili procedens simpliciter sit involuntarius: & consequenter ex eo, quòd invincibiliter ignoret hanc priorem confessionem suam fuisse invalidam, deinceps durante hâc ignorantiâ, cessat obligatio eadem peccata sic confessa denuò confitendi, cùm bonâ fide invincibiliter credatur præceptum ea confitendi jam esse impletum: & per sequentem confessionem cum debito dolore validè factam delentur illa peccata per accidens: alioquin certè nullus esset securus in conscientia: at verò, si quando cessaret illa ignorantia, & innotesceret defectus veræ attritionis & doloris in priori confessione, jam obligatio eadem peccata denuò confitendi & legitimè clavibus subjiciendi revivisceret in communi Sententia, sed de hoc fortè mitiùs *capite sequenti* in quæstione, quando confessio invalida repetenda sit. Ex dictis hactenus sequitur

Corollarium, *Qualiter Sacramentum Pœnitentiæ faciat ex attrito contritum?*

I. VErum est solùm æquivalenter & in effectu, quatenus nimirùm attritio cum 277
Sacramento habet & exerit eandem vim delendi peccata, ac contritio perfecta per se sola, sicque homo attritus, accedente Sacramento dicitur ex attrito fieri contritus in effectu æquivalenti remissionis peccatorum, ac gratiæ sanctificantis: imò etiam quoad ethymologiam nominis: quatenus hic per attritionem perfectè *conteruntur*, ac delentur peccata, sicut per contritionem: insuper etiam quoad habitum, quia recipit habitum charitatis; qui idem est habitus contritionis ac detestationis peccatorum propter Deum summum bonum offensum: ut docè-

Universidad de Deusto
Biblioteca

clè observat noster reverendissimus Herincx *d. 2. q. 3. n. 46.*

278 II. Non ergo dictum illud vulgare debet intelligi entitative quoad actum ipsum, quasi actus attritionis fiat per Sacramentum actus contritionis propriè dictæ, quod est impossibile, cùm hi sint actus planè diversi specie: qui licèt simul jungi possint & sibi succedere in eodem subjecto, & sic attritus fieri contritus, unus tamen non mutatur in alterum, nec attritio fit contritio, sicut quando calidum fit frigidum, calor non fit, nec potest fieri frigus. Hinc Scotus *in 4. d. 14. q. 2. n. 15.* dicens, eundem actum attritionis invariatum fieri contritionem, non accipit attritionem & contritionem prout modò accipimus, sed actum doloris, quatenùs præcedit infusionem gratiæ, vocat attritionem, quatenùs verò formatur habitu gratiæ & charitatis, vocat contritionem, ut ex contextu patet.

279 III. Neque etiam dictum illud intelligi potest quasi peccator attritus, accedente Sacramento, vi absolutionis infallibiliter eliciat contritionem: hoc enim absque ullo fundamento dicitur, & militat contra experientiam apertam; & repugnat intento Concilii Tridentini adscribentis vim disponendi ad gratiam attritioni cum & in Sacramento, seclusâ contritione perfectâ: nec ullatenùs locum habere posset in moribundo attrito, sensibus destituto.

280 IV. At quid si attritioni sub certo motivo excitatæ superveniat & jungatur amor DEI super omnia: rectène dicetur ea attritio juncta amori fieri contritio? affirmat Suarez *d. 5. sect. 3.* sed rectiùs negatur, eodem enim motivo manente, manet idem actus, & non fit alius. Hoc tamen concedendum est, tunc attritionem junctam amori, magis fieri idoneam ad justificationem.

QUÆSTIO IV.

Quando eliciendus est Dolor in Sacramento Pœnitentiæ?

SUMMARIUM.

282. *Dolor necessariò debet aliquo modo jungi Confessioni,*
283. *Non quidem physicè,*
284. *Sed moraliter.*
286. *Consultò & utilissimè præmittitur Confessioni.*
287. *Non tamen ita immediatè, ut adhuc actu duret tempore confessionis*
288. *Debet tamen necessariò aliquo modo virtualiter ad confessionem esse relatus.*
289. *(Licèt id negent alii.)*
290. *Et non revocatus*
291. *An, si heri doluit, & hodie occurrat novum peccatum, eliciendus sit novus dolor?*
292. *Dolor non necessariò præmittitur confessioni, sed etiam postponi potest;*
296. *Modò ad eam referatur, eámque informet.*
297. *Necessariò tamen habendus est ante terminum absolutionis seu formæ essentialis.*
298. *An post datam absolutionem, super oblita & repetenda, rapitendus sit Dolor. Casus varii. Usque ad n. 302.*

ASSERTIO.

DOlor contritionis seu attritionis necessariò 281
debet jungi Confessioni Sacramentali, non physicè, sed moraliter, eâ conjunctione, simultate ac ordine, qualis necessaria est, & sufficit ad unum actum judicialem: consultò & utilissimè præmittitur confessioni, at non necessariò, sed etiam rectè postponitur, dummodò ad eam referatur, eámque informet: Necessariò tamen habendus ante terminum formæ seu absolutionis essentialis. quanquam etiam post illam ad aliqua oblita vel repetita se extendere possit, ideóque non necessariò repetendus sit. Tota ferè communis, ut patebit.

§. I.

Necessariò debet aliquo modo jungi Confessioni, &c.

I. CErtum apud omnes. Quia partes essen- 282
tiales cujusque Sacramenti, debent aliquo modo saltem moraliter inter se uniri & coexistere: compositum enim seu naturale, seu artificiale vel morale non subsistit, nisi ex partibus aliquo modo vel physicè, vel moraliter unitis vel coexistentibus: atqui contritio & confessio sunt partes essentiales, vel certè quasi materiales Sacramenti Pœnitentiæ per absolutionem perficiendi: ergo debent aliquo modo physicè vel moraliter inter se, & cum absolutione conjungi. Et quamvis in aliquo sensu verum sit, contritionem seu dolorem debere physicè conjungi cum confessione, eáque naturâ priorem esse; quatenùs Confessio Sacramentalis, & materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ est, ut §. 3. explicabo. Absolutè tamen dicimus:

II. Dolor non debet necessariò physicè con- 283
jungi cum ipsa confessione, seu narratione peccatorum. *Omnes.* Ratio clara est. quia nulla lex præcipit illam physicam & realem conjunctionem doloris cum narratione peccatorum: & esset onus moraliter illis impossibile, qui habent permulta peccata narranda ex memoria: & interim laborant debilitate aliquâ cerebri, sunt obnoxii perturbationi, timori, &c. tales enim omittent magnam, & facilè dimidiam partem suorum scelerum, si debeant esse solliciti, ut simul realiter, actualiter, & formaliter doleant semper, cùm singula enuntiant. Vide dicta *sect. præced. q. 2. §. 3. de universalitate doloris.*

III. Sufficit ergo conjunctio moralis: atque 284
ut hæ duæ partes censeantur moraliter unitæ simúlque existere, sufficit ea conjunctio, simultas, ac ordo, qui requiritur & sufficit ad unum actum judicialem, ut optimè explicat Dicastillus *de Sacramentis disp. 1. dub. 6.* Ratio est: Quia absolutio sit essent aliter per modum judicij, quod nequit subsistere sine confessione delictorum, & dolore manifesto Judici: & utroque moraliter adhuc existente, si autem tam confessio, quàm doloris manifestatio adhuc moraliter existant, poterit fieri sententia judicialis, alias non: ergo talis conjunctio requiritur, & sufficit. Quanto autem tempore, & quomodo possit Dolor vel præcedere, vel subsequi Confessionem, dicetur §. 3. & 4.

285 IV. Sed neque requiritur, licèt utile sit, ut Dolor virtualiter referatur ad Confessionem, tanquam causam motivam, ut scilicet ex proposito & affectu Confessionis faciendæ moveatur, & impellatur ad hunc Dolorem eliciendum. Ut contra Bonacinam & plures alios, ex communi docet Lugo *de Pœnit. d. 14. n. 39.* Gobat. *Casu 6. n. 155.* Ratio est: Quia neque Concilium Tridentinum toties *cit. sess. 14. c. 4.* nec ulla alia Lex id exigit. Non ergo necesse est, ut pœnitens dicat: *Quia volo jam confiteri, ideò debeo dolere, & doleo de peccatis meis.* Sed sufficit, si dicas: *doleo summoperè, quòd optimum Deum meum tam graviter offenderim, ergò pro aliqua satisfactione & tantò certiori reconciliatione paulò post confitebor, &c.* Imò hic secundus modus procedendi, quo quis stimulatus dolore de peccatis accingit sed ad Confessionem, perfectior & nobilior est, quàm primus, quo elicitur Dolor stimulante proposito confitendi, ut sapienter observat Lugo *cit. n. 40.* Et hinc porrò dicimus:

§. II.

Dolor consultò & utilissimè præmittitur Confessioni.

286 I. *OMnes unanimiter.* Sic enim tota actio erit Sacramentalis, ipsa Confessio actu dolorosa, ipséque Dolor per Confessionem seu manifestationem peccatorum fit sensibilis Sacerdoti ac perceptibilis, nam hæc manifestatio peccatorum in Confessionali habetur inter Christianos æquè pro signo manifestativo Doloris, atque est tunsio pectoris ac prolatio horum verborum: *Doleo ex animo, quòd Deum offenderim.* Absque autem prævio ejusmodi Dolore, Confessio sæpè erit nuda materialis, & quasi historica narratio. Denique deinceps multa occurrere, impedire, turbare, distrahere possunt, ut Dolor omnino omittatur. Et rectè addit Layman *l. 2. tr. 6. c. 4. n. 4.* dicens. Quamobrem pro majori securitate consuetum & consultum est præmittere Confessionem generalem, ut sic ante Dolor ex generali motivo conceptus non erat, saltem nunc concipiatur. Sic ille. At incidenter non vanè quæres, an illa recitatio prævia *Confiteor, mea culpa, tunsio pectoris*, possit esse Confessario sufficiens signum manifestativum Doloris interni sufficientis ad absolutionem, sic ut post narrata peccata, nullo alio Doloris signo edito vel petito absolvere possit? R. Certè regulariter non esse sufficiens signum in iis, maximè pueris, qui ex mera

consuetudine sine attentione vel reflexione ad sensum verborum, eo modo, quo ministrantes ad Missam solent, deblaterant, vel deproperant, à quibus communissimè aliud signum Doloris petere debebit Confessarius. Contrà autem esse omnino sufficiens signum Doloris in Religiosis, aliisque personis gravibus & honestis, qui eâ vocis moderatione ac pectoris tunsione utuntur, ut appareat, id fieri ex serio interno Doloris ac Pœnitudinis affectu, singulariter advertit Gobat *cit. n. 143.* & *n. seqq.* addens se semel resolvisse non esse habendum scrupulum de sufficientia Doloris cuidam Religioso, qui dubitans, an in Confessione elicuerit Dolorem: certò tamen cum reflexione dixit, *mea culpa &c.* pectúsque tutudit: qui enim ex animo dicit, in tali occasione præsertim, *Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa, &c.* non solùm fatetur, sed etiam habet displicentiam illius, eámque non ex naturali, sed supernaturali motivo.

II. Necesse tamen non est, ut Dolor Contri- 287
tionis vel Attritionis eliciatur immediatè ante Confessionem, aut actu duret tempore Confessionis, sed omnium consensu sufficit, ut anteà elicitus, aliquo modo ad Confessionem relatus, nunquam revocatus virtualiter vel moraliter permaneat in Confessione & absolutione, etiam aliquanto tempore posteà factâ, tantò nimirùm, quantò moraliter censeri potest unum actum imperari ab alio, aut facere quid unum moraliter cum ipso. Ratio hujus communis est in omnibus Sacramentis. Exempli gratiâ: Petrus manè dolens de peccatis proponit proximè confiteri, & actu illo non revocato, post tres vel quatuor horas primùm confitetur, sine novo Doloris actu: certum est sufficere. Item Petrus vesperi examinans Conscientiam elicit Actum Doloris, proponens sequenti manè confiteri, & si Actu non revocato, sed neque renovato, manè confitetur, iterum satis est. Item Petrus dolens hodie, mox confiteri proponit, sed non potens habere locum, vel aliter impeditus, altero die primùm confitetur, non revocato Dolore, satis est. Semper enim moraliter censetur durare Dolor, & vi illius fieri confessio, eò ipsò dolorosa & Sacramentalis. Idque in casu particulari ad plures dies extendunt Marchant noster, aliíque citandi *num. seq.* Ut si quis, serio Dolore præmisso Confessionem generalem inchoet, & per plures dies continuare debeat: aut in Jubilæo interim peregrinationes obeat, aliáque opera præscripta præstet: & posteà die Sabbathi primùm confiteatur: sufficit Dolor anteà exercitus, quia per illos dies ob continuationem Confessionis generalis, aut connexionem illorum operum censetur moraliter continuari & virtualiter pertinere usque ad Sacramenti Susceptionem vel Confessionem. Dixi autem notanter sufficere Dolorem etiam aliquanto tempore ante Confessionem elicitum: 1. *aliquo modo ad Confessionem relatum:*

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. nunquam revocatum. Explico distinctis numeris.

288 III. Necessarium omnino videtur, ut Dolor ante Confessionem elicitus aliquo modo virtualiter ad Confessionem referatur: aut *1. Antecedenter*, ut quando elicitur Dolor de peccatis in ordine ad Confessionem recogitatis, seu ex vi & intentione Confessionis faciendæ: ut in exemplis *num. præced.* allatis. Ut si hodie pro crastina Confessione Conscientiam examinans dicas: *Quia cras volo confiteri, ideo hodie examino Conscientiam, ac volo debite dolere de peccatis meis, quia cras fortè tempus non suppetet, &c.* 2. *Concomitanter* tempore Doloris eliciti, ut quando non quidem ex proposito prævio Confessionis, sed aliâ occasione, doleas de peccatis tuis, eóque dolore motus simul cogitas de Confessione cras, vel proximâ occasione faciendâ, aut etiam proponas; sicque Dolore non revocato, proximâ occasione vel cras confitearis, juxta dicta §. *præced. in fine.* 3. Saltem *consequenter* tempore Confessionis. Ut si in examine Conscientiæ ordinario, intra meditandum, vel aliâ occasione, excitatus doles perfectè de peccatis tuis, tunc prorsus nihil cogitans de Confessione, vel Sacramento suscipiendo, probabilissimè tamen adhuc postea, cras v. g. manè volens confiteri, poteris illum Dolorem priùs habitum ad hanc Confessionem referre v. g. sic: *quia heri vel hodie mane debitè dolui de peccatis meis, ideò volo modo confiteri*, & actu confiteor absque novo Dolore elicito, id adhuc sufficere ob moralem conjunctionem Doloris ac Confessionis, probabilissimè docent Card. de Lugo & Tamburinus mox citandi. At verò si Dolor præcedens nullo modo referatur ad Confessionem sequentem, crastinam v. g. sic, ut nec hodie dolens quidquam cogites de Confessione cras facienda; nec cras confessurus ullo modo recorderis Doloris pristini, non poteris cras confiteri nec validè nec licitè, nisi novum Dolorem competentem elicias: nam pars debet referri ad compartem; Et Confessio Sacramentalis ac valida debet essentialiter esse dolorosa: non potest autem esse dolorosa, nisi per dolorem aliquo modo ad se relatum, saltem uno ex dictis modis. Ita communis, & in praxi omnimodis tenenda, & mihi practicè certa Sententia DD. Coninck, Layman infrà citandi, præter paucos mox nominandos.

289 ¶ Contrà tamen non requiri, ut Dolor præcedens ita ad Confessionem referatur formaliter vel virtualiter, docent. 1. Cardinalis de Lugo *cit. disp.* 14. *de pœnit. n.* 40. Rationem dans: quia licèt Confessarius teneatur sua verba absolutionis referre ad Sacramentum conficiendum, pœnitentem tamen non teneri referre dolorem ad Sacramentum, quia non obit vices Christi, ut Confessarius. 2. Expressiùs Tamburinus opusc. Conf. l. 1. c. 2. ita scribens. *Illud ad solatium timoratorum tacere* non debeo. Si in hoc Sacramento unum quid moraliter faciunt Confessio nunc v. g. exhibita cum satisfactione, quæ fortè ad plures dies, & aliquando menses exhibetur: imò si esset certus Confessor, quòd pœnitens, quem abhinc quatuor diebus v. g. audivit, bene esset dispositus, illum nunc licitè absolveret, & sic illa Confessio cum præsenti absolutione unum quid moraliter facere posset, & meritò, quia similis propinquitas satis supérque est ad judicia profana constituenda, ad quorum normam hoc judicium Ecclesiæ est institutum: si hæc, inquam, ita se habent, cur non etiam poterit Dolor abhinc quatuor, aut quinque diebus animo conceptus, nec revocatus unum quid moraliter cum præsenti Confessione constituere. Hactenùs Tamburinus. 3. Reverendissimus Abbas Rasslerus in doctissimo suo *Tract. de Pœnit. c.* 4. §. 11. admittit, si quis concione aliquâ permotus intensissimum Dolorem eliciat, nihil adhuc de Confessione cogitans; deinde verò ex desiderio consequendæ veniæ confiteatur; talem fore optime dispositum ad Confessionem, nec indigere novo Dolore. 4. Eandem sententiam probabilem censet Gobat *Casu 6. n.* 159. addens tamen in fine. Nollem tamen ego sequi hanc doctrinam respectu mei, quia spectantia ex institutione Christi ad valorem Sacramenti, sunt potiùs scrupulosè, quàm aliquantùm laxè observanda: sic ille, sic ego, sic & tu.

IV. Universaliter & certissimè dolor elicitur 290
diutiùs ante Confessionem, ut in ipsa Confessione virtualiter perseveret, eámque dolorosam ac sacramentalem constituat, intereà temporis debet esse *non revocatus*, aut per actum contrarium, nimirùm per novam complacentiam vel consensum in peccatum, de quo quis doluit, aut per quodcunque peccatum mortale. Unde qui anteà doluit de peccatis mortalibus: & iterùm peccat mortaliter, per illum priorem dolorem sine dubio non erit nunc dispositus ad Sacramentum. At, quid si quis sub uno generali motivo doleat simul de mortalibus & venialibus suis confitendis, & retento dolore mortalium, revocet solùm Dolorem venialium, aut de novo venialiter peccet, ante confessionem vel absolutionem, manebítne sufficienter dispositus, ut Sacramentum validè suscipiat? Res sanè speculativè valde disputabilis: cùm Dolor sub uno universali motivo conceptus de omnibus peccatis, si revocetur de venialibus, videatur etiam de mortalibus revocari. Respondetur tamen, quòd sic. Nam Dolor sub uno universali motivo conceptus de omnibus peccatis, fertur quidem in omnia peccata, sed certè inæqualiter pro eorum gravitate vel levitate: non ergo ideo statim, quo quis revocat Dolorem quoad venialia, vel de novo venialiter peccat, debet censeri revocare etiam quoad mortalia. Lugo, Tamburin. Gobat *citt.* contra alios non paucos.

¶ Quid

291 ¶ Quid si ergo heri v. g. mihi cum proposito confitendi Conscientiam examinanti, seriòque de peccatis meis dolenti non occurrit, at hodie ante Confessionem occurrit aliquod peccatum mortale: an non erit necessarius novus Dolor? (consultissimum enim esse, anteà novi.) Resp. Si heri in tuo examine doloroso, non deprehendisti nisi venialia, & proinde non doluisti de illis nisi communi modo, quo dolere solemus de venialibus, erit sanè (probabiliter dicit Gobat *n.* 161.) hodie necessarius novus dolor. Nam Dolor de venialibus solis communiter non extendit se ad mortalia: at verò si in isto examine occurrebat tibi unum vel plura mortalia præter istud unum oblitum, sicque doluisti, de illis occurrentibus sub motivo communi omnibus mortalibus detestandis, v. g. quòd iis gratiâ DEI excideris, infernum merueris: aut etiam extensè doluisti de omnibus peccatis tuis, quibus Deum quomodocunq; offendisti; juxta dicta sect. præc. q. 2. §. 3. jam hodie ante Confessionem non erit tibi necessarius novus Dolor, quia Dolor pridianus jam extenderat se ad illud aliud peccatum heri oblitum. Eâdémque ratione *mox* §. 4. dicemus, non requiri novum Dolorem de peccato ante absolutionem oblito, & post absolutionem recurrente. Ita contra Graphis & Reginaldum, Gobat *n.* 164.

§. III.

Dolor non necessariò præmittitur Confessioni, sed etiam postponi potest; &c.

292 TAta communis DD. Suarez, Vasquez, Bonacina, Filliucius, aliisque citatis Lugo *disp.* 14. *sect.* 4. Dicastillus *d.* 6. *dub.* 9. Tamburinus *de Confess. l.* 1. *c.* 2. §. 4. Gobat *n.* 149 Contra Coninck *disp.* 4. *sect.* 6. & Layman *l.* 5. *tract.* 6. *c.* 4. *n.* 4. docentes dolorem debere necessariò præcedere Confessionem ex duplici capite. 1. Quia aliàs non erit Confessio & Accusatio Sacramentalis, sed nuda narratio. 2. Quia aliàs Dolor subsequens non erit sensibilis, seu perceptibilis Sacramenti, cùm per solam Confessionem, peccatorum sensibilis fiat. Sed neutrum urget. Nam contrà, licèt nullus planè Dolor præcedat Confessionem, nihilominus ea habebit rationem veræ accusationis Sacramentalis, & manifestabitur sufficienter Dolor sequens: imò Dolor sequens manifestatus efficit Confessionem & Accusationem Sacramentalem, etsi anteà non fuisset: uti breviter ostendo, eóque ipso sententiam nostram probo.

293 1. Absque Dolore prævio potest esse Confessio seu Accusatio Sacramentalis: nam possumus, & certè solemus in confessionali enarrare peccata nostra in ordine ad absolutionem obtinendam, ideóque cum virtuali saltem intentione Doloris eliciendi, cùm sciamus sine Dolore invalidam fore absolutionem: etiamsi nullus adhuc actualis Dolor vel Pudor habeatur: quis hoc neget? atqui talis narratio peccatorum, etsi nondum sit Confessio formaliter dolorosa & materia proxima absolutionis, est tamen jam Confessio ac Accusatio Sacramentalis, ita ut peccata sic narrata verè cadant sub sigillum Confessionis Sacramentalis, etsi deinceps ob defectum Doloris, propositi &c. absolutio non sequatur: secundùm omnes Theologos: ergo absque prævio Dolore potest haberi Confessio & Accusatio Sacramentalis. Jam ulteriùs.

II. Positâ tali Accusatione Sacramentali 294
sufficienter manifestabitur, & sensibilis fiet Dolor postea elicitus. Nam post narrationem talem peccatorum, quamdiu Pœnitens flectit humiliter expectans sententiam sui Judicis, tamdiu perseverat in facta priùs Confessione, eámque ipso facto continuat, atque implicitè dicit: *ita mi Pater omnino est: feci omnia, quæ dixi, peto supplex eorum absolutionem, pœnitentiamque* (idque maximè si ita etiam expresè loquatur) eáque sic continuata & quasi confirmata Confessio durat tamdiu, donec feratur sententia: ergo si post narrationem peccatorum ante latam sententiam eliciatur verus Dolor, is per hanc sic sensibiliter continuatam Confessionem, verè fiet sensibilis & sufficientissimè manifestabitur Confessario Judici, & insuper vicissim Dolor tunc elicitus Confessionem factam & sic moraliter continuatam reddit sensibilem actu, & formaliter dolorosam, adeóque constituet plenam materiam proximam absolutionis & Sacramenti pœnitentiæ. Quid hic ampliùs requirere jure vel ratione potes? Insuper

III. Etiamsi narratio peccatorum præce- 295
dens, omnino non fuisset vera Confessio & accusatio Sacramentalis (prout reverà sæpè fieri potest) tamen Dolor postea elicitus, manifestatus & ad præcedentem peccatorum narrationem relatus, adhuc eam constituet, & efficiet veram Confessionem & Accusationem Sacramentalem, dolorosam, & materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ, & absolutionis Sacramentalis. Ita DD. omnes initiò allegati. Juvet unum & alterum audire in terminis loquentem Suarez *disp.* 20. *n.* 31. sic loquitur: Licèt peccatorum narratio, quatenùs tempore antecessit Contritionem, non habuerit conjunctam rationem accusationis, tamen quatenùs postea informatur per sequentem Contritionem, & ut sic informata subjicitur clavibus ab ipsomet Pœnitente postulante vel exorante absolutionem, sufficienter consummatur in ratione accusationis Sacramentalis. Sic iste Ditione accusationis Sacramentalis. Sic iste Dicastillus *cit. dub.* 9. *n.* 135. sic scribit: si priùs historicè, aut etiam vanè & ridiculè explicuit quis Sacerdoti seriem & species peccatorum suorum, si tamen postea aliquâ ratione sufficienter explicet, velle illa subjicere absolutioni, ista ultima explicatio, quâ id significat, cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dolore conjuncta sufficit, ut illa prior Confessio possit servire ad absolutionem. Hæc *Dicastillus* minimè dubitans, quin Pater *Coninck* & omnes ejus asseclæ sint in hoc consensuri: certè apertissimè consentit Layman *cit.* ad suam mentem recitans verba Suarez paulò antè descripta. Et ratio est: quia Dolor verus subsequens moraliter retrotrahitur ad confessionem seu narrationem materialem anteà factam: eámq; velut repetit & reproducit, & moraliter præsentem facit, eámque elevat, ut jam verè Sacramentalis, accusativa & dolorosa fiat, & peccata anteà narrata absolutioni Sacramentali subjiciat: sicque Pœnitentem ad Absolutionis effectum disponat. Et hinc:

296 IV. Dixi initiò: *Dummodò ad eam referatur, eámque informet.* Necessariùm semper est, ut Pœnitens Dolorem suum post Confessionem elicitum, non tantùm interiùs ad peccata jam confessa referat, reflectat, & applicet, sed etiam exteriùs signo aliquo sensibiliter manifestet: & consultissimum foret, ipsam Confessionem verbo repetere, v.g. dicendo: *Doleo de peccatis jam expositis, & omnibus aliis, prout passim facere solemus.* Omnes citati, & clarè nobis consentiens Layman *cit. n.* 4. ita concludens. Ad hoc verò omnino necessarium est, ut Dolor animi post peccatorum narrationem habitus externo aliquo signo declaretur, saltem humiliando se coram Sacerdote, & Absolutionem petendo seu expectando. Tale enim signum relatum ad peccata antè explicata, à quibus pœnitens absolutionem petit, veram rationem Sacramentalis Confessionis habet. Ut autem certior sit absolutio à peccatis, solent prudentes Confessarii, si de pœnitentis interna dispositione dubitent, excitare eum ad Dolorem de peccatis paulò antè narratis tum concipiendum, tum ore profitendum, postea verò desideratam ipsi absolutionem conferunt: Sic Layman, idipsum quod nos. Quare adverte obiter, utramque istam sententiam optimè conciliari, & simul veram esse. Nam quamvis Dolor Contritionis vel Attritionis non debeat necessariò præcedere Confessionem, seu narrationem peccatorum materialem, ut clarè demonstratum, debet tamen Dolor iste necessariò naturâ saltem prior esse Confessione formali, quatenùs nimirùm accusatio Sacramentalis completa & materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ est. Nam Confessio Sacramentalis completa & materia proxima Sacramenti debet esse essentialiter dolorosa, secundùm omnes: non fit dolorosa formaliter, nisi per Dolorem aliquo modo saltem naturâ præcedentem, cùm causa formalis naturâ prior sit effectu formali. Unde quamvis Dolor physicè sequatur Confessionem materialem, tamen naturâ prior est Confessione formali, quatenùs completè Sacramentalis & dolorosa est, quippe moraliter retrotractus ad confessionem seu narrationem materialem peccatorum: ut *N. III, in fine* dictum.

§. IV.

Necessariò habendus ante terminum absolutionis ac forma essentialis.

DOlor Contritionis vel Attritionis in Sacra- 297
mento Pœnitentiæ: 1. Convenientissimè & tutissimè, imò secundùm communem DD. sensum cum Card. de Lugo *cit. n.* 48. necessariò eliciendus est ante absolutionem Sacramentalem inchoatam, cùm in omni judicio cognitio causæ debeat præcedere sententiam, adeóque etiam in hoc Sacramentali judicio Judex cognoscere debeat de dispositione pœnitentis per dolorosam Confessionem, antequam sententiam ferat. 2. Probabile tamen est, sufficere, si eliciatur adhuc sub ipsa prolatione sententiæ usque ad ultimum instans prolationis verborum: *Absolvo te*, vel *Ego te absolvo*: (secundùm multos etiam *à peccatis tuis*, de quo suo loco) eò, quòd in illo ultimo instanti prolationis verborum primùm conferatur effectus Sacramentalis, adeóque etiam necessariò conferendus, si tunc saltem adsit materia proxima & dispositio Pœnitentis. Ita post alios *Tamburinus, Rasslerus, Gobat. ll. citt.* qui tamen prudenter addit: *Sed oro te, cave omni modo, ne te redigas ad hasce extremitates.* 3. Post ipsam autem absolutionem finitam, nullum ampliùs Dolorem sequentem sufficere ad Sacramentum, apud omnes in confesso est. Finitâ enim absolutione velut sententiâ judiciali, jam absoluta manet tota actio Sacramentalis hujus Sacramenti: aut ergo valida erat, & nullus ampliùs Dolor requiritur: aut invalida, & nullus ampliùs Dolor prodest, nisi in ratione ad novam actionem Sacramentalem, Confessionem vel Absolutionem. 4. Addidi: *Quanquam & post illam ad aliqua oblita & repetita se extendere possit, ideóque non necessariò postea repetendus sit.* Declaro aliquot casibus & bonis Authoribus, sed secundùm indulgentiam, non consilium, nedum præceptum.

1. Quando in Confessione oblitus es alicu- 298
jus peccati mortalis, illúdque paulò post datam absolutionem recordatus confiteris. (Idémque est, si post Absolutionem confitearis aliquod peccatum dubium, unde te Confessarius jubeat repetere aliquod peccatum certum jamjam confessum) etsi consultum & tutissimum sit etiam renovare Dolorem, non tamen necessarium est, ut de illo habeas novum Dolorem. Post Henriquez, alios, Lugo *disp.* 14. *sect.* 3. Dicastillus *d.* 6. *dub.* 12. alii communiter contra Joannem Sanchez. Ratio est: quia Dolor præcedens, extendebat se: certè debebat se extendere ad omnia tua mortalia confessa & oblita (juxta dicta *sect. præc. q.* 2. §. 3. ac ideò etiam extendit se ad novam Confessionem, ejusmodi peccati obliti vel repetiti post priorem Confessionem faciendam, etiam aliquanto tempore posteà; & certè tanto, quanto ipse dolor poterat

rat præcedere primam Confessionem, v. g. aliquot horis, vel etiam uno die, juxta dicta §. 2. ut si hodie confitearis nihil aliud, quàm peccatum, quod heri, vel etiam nudiustertius confiteri oblitus es. Lugo & Dicastillus *citt.* apud Gobat *n.* 168.

299 II. Si hodie confitearis tua peccata mortalia cum debito Dolore, & cras iterùm eadem, nullo alio adjuncto, confitearis, etiam non fore cras necessarium novum Dolorem, sed sufficere pridianum Dolorem, adhuc virtualiter in hac Confessione hodierna durantem, omnino probabiliter, saltem speculativè, docent multi Recent. Tamburinus *opusc. Confess. l.* 1. *c.* 2. §. 1. & satis apertè Lugo & Dicastillus citati, quatenùs absolutè docent unum actum Doloris posse esse formam duarum Confessionum: in quarum posteriori nihil aliud aperitur, quàm in priori. Negat id idem Joannes Sanchez, & Diana apud Dicastillum *n.* 166. Et practicè etiam nobis displicuit *supra c.* 1. *à n.* 48. qualiter peccata jam semel legitimè confessa, sint materia sufficiens hujus Sacramenti.

300 III. Hoc certius. Si propter instans mortis periculum dedisti alicui Absolutionem, antequam omnia peccata confiteatur: potes ab aliis, quæ postea narrabit, absolvere, tametsi novum Dolorem de reliquis non eliciat: quia tunc Dolor præcedens patenter se virtualiter extendit ad reliqua peccata, quæ jam tunc confiteri vellet, si posset, & moraliter censetur eadem esse Confessio. Idem censet Lugo *cit. n.* 27. in casu, quo Superiori cum debito Dolore es confessus sola reservata, & adeptus eorum Absolutionem, postea inferiori Confessario confitearis reliqua peccata tua non reservata, cum ijsdem reservatis, opus tibi non fore novo Dolore propter eandem rationem. Sed de hoc casu alibi suo loco.

301 IV. Si hodie cœpisti facere Confessionem cum vero universali Dolore, sed absolvere nequivisti, non tantùm non erit crastinâ die, quando jam absolves, opus ullo novo Dolore, sed si fortè de nocte tactus apoplexiâ nequeas dare ullum signum Doloris, post unum, tres, sex dies, absolvere debebit, qui exceperat partem Confessionis, imò poterit, ínque defectu illius prioris debebit alius, qui scit te heri auspicatum esse tam sanctum Opus. Quia generatim Catholicus moribundus, etiam privatus omnibus sensibus debet absolvi, modò constet dedisse aliquod signum pœnitentiæ directæ ad Confessionem, ut videbitur suo loco. Non obstat, quòd tu cœperis confiteri alteri, ideóque non habueris Intentionem accipiendi absolutionem ab aliquo altero: Nam illud tuum particulare factum nihil derogavit generali omnium Christianorum intentioni accipiendi à quocunque tandem Sacerdote Absolutionem in tali articulo. Communis & certa.

SECTIO IV.

De proposito requisito ad Contritionem, & Sacramentum Pœnitentiæ.

QUÆSTIO II.

Quale propositum requiritur ad hoc Sacramentum validè & licitè suscipiendum?

SUMMARIUM.

303 *Propositum debet esse* I. Absolutum,
305 *Nec sufficit velleitas conditionata,*
306 *Quidquid contendant alii,*
308 II. Firmum.
309 *Quâ firmitate.*?
310 *Non requiritur credulitas vel persuasio certa ex parte intellectûs, ut quis certò credat, se non ampliùs peccaturum.*
311 *Nec etiam requiritur promissio nova obligatoria.*
312 III. Universale, &
313 IV. Efficax. 314 *Corollaria*, & 315 *Applicatio practica.*
316 *Per se regulariter formale & expressum.* Usque adn. 320.

ASSERTIO.

NOn tantùm ad effectum, sed etiam ad valo- 302
rem Sacramenti, seu tam ad validam, quam ad fructuosam susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur propositum absolutum, firmum, universale & efficax, & per se regulariter formale & expressum non peccandi de cætero mortaliter. Tota communissima, ut patebit explicando particulatim.

§. I.

Requiritur Propositum absolutum

I. SEu Volitio absoluta, quâ Pœnitens abso- 303
lutè, & simpliciter vult ac statuit de cætero non peccare mortaliter, sic ut omnem affectum actualem ad ullum peccatum mortale in futurum excludat, requiritur saltem *ad effectum & fructuosam susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ*: & minimè sufficit volitio conditionata inefficax, seu simplex velleitas non peccandi, aut nolleitas peccandi de cætero: v. g. dicendo: *Vellem quidem non peccare, seu nollem peccare de cætero, quia Deo displicet &c. sed quia ita delectat, quia ita utile est, quia ita assuevi, non possum hoc vel illud peccatū deinceps ejurare, & omnino evitare &c.* Certissimum apud omnes, maximè post Concilium Tridentinum mox infrà allegandum.

Ratio clarissima est. Quia ad remissionem 304
peccatorum, seu justificationem sive extra, sive cum Sacramento Pœnitentiæ acquirendam, sine dubio requiritur, ut homo se perfectè avertat à peccato, & ad Deum convertat: atqui

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec perfectè se avertit à peccato, nec ad Deum se convertit, nisi & peccata præterita simpliciter & absolutè detestetur, & simpliciter absolutè voluntatem peccandi de cætero excludat per absolutum de cætero non peccandi propositum: velleitas autem illa minimè excludit, sed stat cum actuali affectu ac voluntate peccandi in futurum; ideóque justificationi ac reconciliationi cum Deo simpliciter repugnat: ergo ad effectum & fructuosè saltem suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ requiritur tale propositum absolutum, firmum, efficax, & non sufficit illa pigra, semivolens, seminolénsque velleitas, seu volitio conditionata.

305 II. Etiam *ad valorem, seu validè suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ*, requiritur tale Propositum absolutum, & non sufficit talis velleitas, seu volitio conditionata: sic, ut aliter non solùm non licitè & fructuosè, sed nec validè absolvi possit Pœnitens. Communissima Recentiorum, meique omnes. Ratio est: quia Concilium Trident. *sess.* 14. *c.* 5. agens de Contritione, ut est pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ utique non tantùm fructuosè, sed etiam validè conferendi, Contritionem in genere definit esse Dolorem animi & detestationem peccati, *cum proposito non peccandi de cætero*: & insuper in specie dicit Attritionem cum Sacramento sufficere ad justificationem, *si voluntatem peccandi excludat*: atqui voluntas peccandi non excluditur nisi per propositum absolutum non peccandi de cætero, minimè verò per ejusmodi velleitatem, quippè quæ stare possit cum actuali affectu & voluntate peccandi mortaliter. Et hinc ratio est: quia cùm ejusmodi velleitas sit nimis imperfecta aversio à peccato & conversio ad Deum, quippè potens stare cum absoluta voluntate peccandi, non est credibile, nec rationabile ex institutione Christi sufficere ad valorem Sacramenti tanquam partem essentialem vel materialem.

306 III. Certissimum ergo est, Pœnitentem cum tali inefficaci velleitate tantùm non posse fructuosè absolvi. Ad validam tamen absolutionem, validèque suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ sufficere quamcunque dispicentiam peccati cum velleitate non peccandi, docuerunt gravissimi DD. atqui, maximè Thomistæ, *Victoria*, *Ledesma*, *Canus*, *Cajetanus*, *Sylvester*, *Covarruvias*, alii apud Suarez *d.* 20. *sect.* 4. Tannerum *q.* 6. *dub.* 4. Hæc autem velleitas ita perfectè explicari debet: *Ego quidem jam non habeo voluntatem peccandi mortaliter & Deũ offendendi, imò omnino vellem, ut nunquam offenderem Deum, sed quia non possum desistere, vel tam ægrè desisto à voluptate, cui adeò assuetus & immersus sum, à tali injusto lucro, à vindicanda injuria mihi illata: ideóque nequeo in me excitare absolutam voluntatem, tale quid nunquam amplius committendi: non possum absolutè & sine mendacio dicere: Propono, statuo, decerno firmiter non admittere ullum crimen mortale, non offendere Deum mortaliter: nominatim hoc vel illo peccato &c.* itaque tota hæc velleitas resolvitur in hanc voluntatem conditionatam: vellem non peccare amplius, si mihi meo judicio possibile; vel, nisi mihi adeò difficile & molestum esset.

307 IV. Insuper certissimum est, & apud hos etiam DD. in confesso, talem velleium pœnitentem per se loquendo, nec posse licitè absolvi, cùm non sit administrandum Sacramentum ullum indisposito & incapaci fructûs Sacramentalis ac principalis, scilicet gratiæ; quia tamen per accidens in certis circumstantijs fas est Sacramentum conferre indigno, ut suo loco videbitur; ideo etiam in proposito possent occurrere tales circumstantiæ, quibus fas esset talem velleium absolvere, absolutione futurâ informi quidem & infructuosâ, attamen non invalidâ, nec formâ falsâ: sensus enim erit: absolvo te à peccatis tuis, quantùm est ex parte Sacramenti, de quo alibi suo loco. Et quia hanc Sententiam referentes neque doctissimi *Suarez*, *Vasquez*, *Lugo*, ullâ censurâ notant, quin noviter eam secutus est Thomas Hurtadus apud Gobat. *n.* 187. ideò ob tantorum illorum DD. authoritatem videri posset non adigendus saltem ad repetendam Confessionem is, qui cum tali velleitate est confessus, modò putaverit talem velleitatem sufficere, vel si non putavit sufficere, illam sit confessus, neque tunc habuerit formale propositum peccandi mortaliter: quin etiam videri posset in aliquo, licèt rarissimo casu, talis velleista absolvi posse: sed hæc videri possint, secluso Concilio Tridentino, hoc autem in proprietate verborum attento suprà *N.* II. mihi videri non possunt.

§. II.

Propositum firmum.

308 I. PRopositum non peccandi de cætero debet esse firmum, utique non semper firmitate eventûs futuri, sed firmitate voluntatis præsentis tantùm, ut nimirùm, quamdiu propositum manet in animo, tamdiu nequeat homo scienter admittere ullum peccatum mortale. Unde ex eo, quòd post propositum habitum postea relapsus sis frequenter in idem peccatum mortale, non necessariò inferes te non habuisse Propositum firmum: sed ex eo, quòd stante tuo Proposito ac voluntate præsenti non peccandi de cætero, fueris ita dispositus, ut si tunc oblata fuisset Occasio patrandi aliquod peccatum mortale, fueris, vel non fueris eam amplexurus. Si enim durante illo proposito fuisses illam facilè vel certò amplexurus, liquidum erit tuum propositum non fuisse firmum; si autem durante illo statu voluntatis, fuisses illam occasionem execraturus, certus sis, tuum Propositum fuisse firmum, quidquid jam &

& deinceps facturus sis, & consequenter tunc ratione propositi fuisses sufficienter dispositus ad Absolutionem: quod valde nota propter varios scrupulos emergentes.

309 II. Propositum quoad voluntatem præsentem non peccandi de cætero adeò firmum esse necesse est, ut quis nullius mali metu, nullius boni amore velit imposterùm peccare mortaliter: alioquin illud bonum, v. g. mors, plùs timeretur; & illud bonum. v. g. vita, voluptas, lucrum, pluris fieret, & æstimaretur, quàm ipse Deus, quod utique est infandum. Quare neganda est Absolutio cuicunque, qui non est actualiter vel virtualiter ita dispositus, ut malit quodvis malum perpeti, quovis bono vel lucro carere generatim, quàm crimine lethali offendere Deum. Navarrus c. 1. n. 7. Communis DD. *Generatim* dico, *& in confuso*. Cavendum enim est Confessario, ne pœnitenti proponat in particulari mala valde acerba, ut jam *suprà n.* 105 de Dolore summo requisito monui. Nam fieri potest, ut quis generaliter velit omnia perferre mala, quàm admittere noxam inferno dignam; nolit tamen hoc, aut illud speciale malum potiùs portare, quàm hoc peccatum vitare, v. g. non sumere vindictam de improbo læsore honoris: idque ideo, quòd sicut jucunda potentiùs nos movent, quando speciatim proponuntur, sic etiam terribilia speciatim proposita majorem nobis horrorem incutiunt, & consequenter à bono eis contrario avertunt, quàm quando de illis generatim fit mentio. Quare prudentes Confessarij in particulari non solent quoad propositum plùs interrogare, quàm sitne Pœnitens paratus mori potiùs, quàm deliberatè relabi mortaliter. Quòd si pœnitens nutet, aut etiam dicat se dubitare, quid facturus esset, si vel peccandum, aut hoc, vel illud genus mali subeundum esset: si quidem illa dubitatio sit in solo intellectu, & nondum ullatenùs in voluntatem reducet (juxta mox dicenda *n. seq.* absolvendus erit: si verò dubitatio illa in voluntatem redundet, ut scilicet quis deliberatè dubitet, an malit in ejusmodi eventu parere Deo, vel diabolo, homo ille pessimè erit dispositus, nec absolutione dignus. Quare talis vel debet se absolutè resolvere, quòd mallet potiùs subire id mali, quàm irritare Numen, vel saltèm dicat intra se: Si hoc evenerit, habeo jam animum faciendi id, quod bonum Christianum decebit, quod Deus exiget, &c.

310 III. Propositum firmum voluntatis tantùm non peccandi de cætero requiritur, non item necessariò credulitas vel persuasio certa ex parte intellectûs, ut nimirùm Pœnitens certò credat, vel animo sibi persuadeat, se non ampliùs peccaturum, aut hoc vel illud peccatum non ampliùs patraturum, ut notant DD. communiter, nominatim Valentia *hic disp.* 7. *q.* 11. *pu.* 2. Layman *c.* 4. *n.* 8. Ratio est: Quia propositum, vel proponere, est actus voluntatis; credulitas verò, seu existimare ac credere, se facturum, quod voluntas proposuit, est actus intellectûs, qui, ob cognitam humanæ voluntatis mutabilitatem, ex illo proposito non necessariò consequitur. Potest enim quis verè dolere & detestari peccatum, ac verè & absolutè proponere se de cætero non peccaturum, seu firmum propositum ac sufficiens concipere abstinendi imposterùm: tametsi valde timeat, aut etiam existimet, imò certò credat se ob expertam voluntatis suæ inconstantiam & fragilitatem suam, denuò relapsurum, non omnia peccata mortalia, vel hoc certum peccati genus non evitaturum. Unde si Pœnitens dicat: *Omnino quidem doleo, ac firmiter propono imposterum abstinere, interim tamen scio, iterum faciam, iterum labar, jam toties expertus, &c.* is tanquam bene dispositus, præmissâ confirmatione ac consolatione debitâ, absolvendus est. Quia sensus verbi, *iterum faciam*, est tantùm indicativus seu enuntiativus ex parte intellectûs. Secùs, si sensus esset optativus, seu volitivus ex parte voluntatis, significans scilicet actualem aliquem affectum voluntatis ad peccatum in futuro, quod valde notandum. Cæterùm, si Pœnitens spectatâ suâ fragilitate, inveteratâ pravâ consuetudine, omnino impossibile judicet, ut de cætero ab aliquo, vel aliquibus peccatis mortalibus abstineat, inducendus efficaciter erit à Confessario, & attentâ divinæ gratiæ efficaciâ, omnino sibi persuadere debet, non esse impossibile, atque in divina gratia sola, non in se confisus, firmum Propositum concipere de cætero abstinendi, dicens cum Apostolo: *Omnia possum in eo, qui me confortat: Christus, non ego, sed gratia Dei mecum. Ego nihil, sed cum Deo omnipotente omnia Ego & Deus omnipotentes sumus.* Quòd si hoc facere nequeat, vel potiùs nolit, cùm reverà possit, jam tanquam verâ Contritione destitutus, de gratia Dei desperabundus, adeóque ad justificationem & Sacramentum indispositus absolvi non poterit ex propria sua culpa.

311 IV. Propositum firmum voluntatis tantùm, non peccandi de cætero requiritur, non etiam promissio nova obligatoria secundùm omnes. Sufficit enim ad justificationem & reconciliationem cum Deo voluntas seria servandi mandata ejus, nullâ lege requiritur nova obligatio. Quin optimè notat Sanchez *l.* 4. *Moral. de voto c.* 1. *n.* 31. Quando Pœnitentes, ut sæpe solent, promittunt Confessario se hoc vel illud genus peccati non ampliùs commissuros, hanc promissionem non solùm non esse votum, cùm non dirigatur ad Deum, sed neque obligare sub distincto reatu ad non relabendum: quia nimirum solùm proponunt deinceps legem Dei servare, non novam sibi obligationem imponere. Audivi, & audies subinde unum & alterum expressè dicere: Promitto Deo imposterùm abstinere ab hoc peccato, non statim crede, eos emisisse votum obligans sub mortali:

sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

led quære priùs, an sciant oriri ex ejusmodi verbis deliberatè prolatis talem obligationem, & ex responso judica. Quare meritò monet Layman *suprà n.* 8. Non rectè agere Confessarium, si pœnitentem suum adigat ad specialem promissionem, vel etiam juramentum de hoc vel illo peccato imposterùm non patrando, præterquàm in raro casu, ut ob nimiùm frequentes relapsus contra toties iterata proposita; de quo *q. seq.* aut si peccatum Communitati valde perniciosum sit, v. g. proditionis, posset tunc imperari Pœnitenti, ut ante absolutionem juratus promittat, se tale peccatum non patraturum; si id medium opportunum judicet Confessarius ad absterrendum hominem à crimine admodùm pernicioso, quâ etiam ratione ante absolutionem ab excommunicatione exigi solet juramentum de parendo imposterùm Ecclesiæ. Sic Layman.

§. III.
Universale & efficax.

312 I. PRopositum non peccandi de cætero mortaliter, sine dubio debet esse universale, & se extendere ad omnia mortalia imposterùm evitanda, juxta omnia dicta *suprà sect. 1. q. 2. §. 3. De dolore universali respectu mortalium necessariò requisito ad justificationem extra & intra Sacramentum.* Non enim potest esse Dolor supernaturalis efficax & universalis respectu mortalium commissorum, nisi etiam sit efficax & universalis respectu omnium mortalium committendorum imposterùm, idque vel explicitè, vel saltem implicitè, juxta ibidem explicata. Quare propositum etiam universale habere censeris, quando tuum propositum expressè quidem formas de uno solo, at formas sub motivo communi cæteris peccatis tuis: aut si Reus quinque peccatorum mortalium, dicas sincerè: Moriar potiùs, quàm admittam imposterùm ullum ex his quinque peccatis, dummodò non habeas vigentem affectum erga unum aliud. Gobat *n.* 193.

313 II. Propositum non peccandi de cætero debet esse *efficax*, ita ut dum tale Propositum voluntatis actu durat, homo re ipsâ moveatur ad omnem adhibendam operam & media necessaria ad evitandum imposterùm peccata, & specialiter ad amovendas, & fugiendas occasiones proximas peccatorum mortalium, ad satisfaciendum vel restituendum pro injuriis vel damnis illatis, ad remittendam ex animo offensam, &c. *Omnes.* Ratio clara est: Quia intentio finis, si absoluta & firma sit, statim movere debet ad quærenda & amplectenda media necessaria: atqui ad evitandum imposterùm peccata necessarium medium est, fugere & amovere occasiones peccandi, saltem proximas (juxta illud Proverb. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*: & Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & projice abs te, &c.* Itémque satisfacere, restituere, offensam remittere: alioquin enim vel peccatum priùs continuabitur, vel de novo inchoabitur: sicque semper homo erit indispositus ad justificationem: ergo, &c. Et hinc

III. Qui non vult occasiones proximas pec- 314
catorum relinquere, non satisfacere, vel restituere, quibus debet, non remittere ex animo offensam, non potest absolvi, ne quidem in articulo mortis. *Omnes.* Ratio clara est: Quia talis nullo modo est verè Pœnitens, nec attritus quidem, neque enim est Dolor absolutus & efficax, quippe cum quo stat adhuc affectus actualis ad peccatum, cujus occasiones relinquere non vult; imò ipsum peccatum injustitiæ, inimicitiæ, & consequenter nec perfectè avertit se à peccato, neque ad Deum convertit: ergo simpliciter incapax absolutionis, quæ proinde ei, etiâ in articulo mortis neganda erit, omnibus tamen priùs tentatis. Quoad occasiones peccatorum, & recidivas evitandas (res frequentissimæ praxis, & maximè operosa Confessariis, necessariò pluribus agendum est seorsim *q. seq.* Quoad satisfactiones autem & remissiones offensarum praxis solet esse difficilis, maximè in articulo mortis, loco paradigmatis pono unicum casum, cum resolutione practica Confessarii, ad cujus Exemplar discat practicare & in cæteris.

IV. Titius gravi injuriâ affectus à Sempro- 315
nio, quærit omnes ulciscendi modos, & corripitur morbo lethali: confitetur inter cætera iram gravissimam, & inflexibile propositum se vindicandi, tandem urgente Confessario, ait se ignoscere Hosti, si moriturus sit: si autem rursus convaluerit, se omnino par pari redditurum. Nec potuit ullâ ratione adduci à Sacerdote, ut simpliciter ignosceret. Quid cum tali Pœnitente tu ages Confessarie? Omnia utique tibi tentanda erunt. 1. Rotundè dices non posse te ipsi impertire Absolutionem, & proinde illum tam certò, quàm certò Christus pro ipso & toto mundo mortuus est, æternùm damnandum, æternisque suppliciis cum furibus & latronibus, ipsisque Christi Crucifixoribus excarnificandum, &c. 2. Efficaces Scripturæ sententias inculcabis, præsertim fulminatricem illam Christi sententiam: Matth. 18. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus vestris, &c.* Item illam Eccl. 28. *Homo homini reservat iram, & a Deo quærit medelam: In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis deprecatur. Ipse, cùm caro sit, reservat iram, & propitiationem petit à Deo. Quis exorabit pro delictis ipsius?* Si hæc & similia non proficiant. 3. Debes denique in genua provolutus accedere ad pedes indurati, exhibere ipsi imaginem Crucifixi, atque obtestari per innocentes Christi plagas, per Coronam spineam, per Sanguinem, &c. ut si non hosti, saltem ipsi Christo remittat & condonet

donet injuriam, &c. prout fecerunt fervidi Confessarii diversarum Religionum, idque plerumque cum optato effectu. 4. Debes denique & tu hos imitari, etiam sub peccato, si speres animum obdurati expugnari posse. Quia quilibet tenetur etiam cum suo incommodo aliquo succurrere proximo versanti in præsenti periculo æternæ damnationis, saltem ex fragilitate humana potius, quàm ex malitia deliberata: est autem etiam vehemens passio iracundiæ ac vindictæ, maxima fragilitas humana: ergo, &c.

§. IV.
Per se regulariter formale, expressum, &c.

316 I. AD Contritionem etiam perfectam, extra vel intra Sacramentum justificativam per se universaliter necessariò non requiritur formale, expressum propositum de cætero non peccandi mortaliter, sed sufficere potest etiam propositum virtuale in ipsa vera contritione formali semper inclusum (eo ipso enim, quo seriò detestans peccata præterita ad abolendam offensam DEI, ejúsque amicitiam reconciliandam, hoc ipso virtualiter & implicitè fugit & excludit peccata futura, quæ æquè sunt offensa DEI, ejúsque amicitiæ destructiva.) Ita communis DD. cum Navarro *M. c. 1. n. 6.* Layman *hic Tract. 6. c. 4. n. 6.* & latè Dicastillo *d. 2. dub. 6.* Ratio est: quia potest à peccatore elici vera Contritio formalis absque actuali, formali expresso Proposito non peccandi de cætero: idque non tantùm physicè, cùm sint actus distincti realiter, separabiliter, & à potentia libera eliciendi, sed etiam practicè defacto; quando scilicet non occurrit cogitatio de tali Proposito formando, de vita imposterùm instituenda, aut peccatis emendandis, prout sæpiùs contingere potest, tum in articulo mortis, de quo infrà iterùm; tum aliàs, ut dum quis angustiâ temporis premitur, vel vehementiâ Doloris absorbetur, aut etiam amore in DEUM abripitur, ut tunc, etiam tempore absolutionis, de futura vita emendanda, peccatis vitandis nihil cogitet, nec consequenter aliquid actu proponat. Atqui omnis vera supernaturalis Contritio est sufficiens dispositio ad justificationem; perfecta quidem se solâ, imperfecta autem seu attritio cum Sacramento susceptо, juxtà hactenùs latè dicta: ergo ad Contritionem extra vel intra Sacramentum justificativam per se universaliter necessariò non requiritur formale expressum Propositum non peccandi, sed sufficere potest simplex actus detestationis peccati cum virtuali incluso Proposito. Certè 2. Reg. 12. Davidi contrito dicenti: *Peccavi Domino*: statim dicitur: *Dominus quóque transtulit peccatum tuum*: nullâ factâ mentione Propositi de cætero non peccandi: Ipsúmque Concilium Trident. *sess. 14. c. 4.* assignans conditiones attritionis unà cum Sacramento sufficientis ad justificationem per modum dispositionis, nihil dicit de proposito formali, insinuans nimirùm sufficere Propositum virtuale in vera attritione necessariò involutum: cùm nemo velit committere, quod ei seriò displicet: adeóque omnis, qui seriò & ex corde dicit: displicet mihi peccatum, etiam dicit implicitè, se nolle ampliùs committere, quod adeò displicet.

II. Ad Contritionem formalem etiam per- 317
fectam extra Sacramentum justificativam per se regulariter requiritur Propositum formale expressum de cætero non peccandi mortaliter. Communissima DD. apud citatos omnes. Layman. *n. 6.* Lugo. *disp. 5. num. 97.* Sumitur ex Scriptura & Sanctis Patribus passim ad Pœnitentiam requirentibus novam vitam, nimirùm in Voto & Proposito, adeò ut DD. Gregorius & Ambrosius definiant Pœnitentiam esse *peccata præterita plangere, & plangenda non committere.* Ipsúmque Concilium Trident. cit. sess. 14. c. 4. Contritionem generatim definit esse dolorem & detestationem peccati *cum Proposito non peccandi de cætero.* Et ratio clara est. Quia quicunque verè dolet & conteritur de peccatis præteritis, semper ita est dispositus, ut si subeat mentem cogitatio de vita futura, infallibiliter eliciat actuale & formale Propositum de cætero non peccandi & offendendi DEUM mortaliter, cùm motivum ac finis, cujusque veræ Contritionis, scilicet abolitio offensæ DEI & ejus amicitiæ reconciliatio æquè moveat ad detestationem præteritorum, & fugam futurorum peccatorum, & hoc utrumque ad eum finem æquè sit necessarium: alioquin certè non censetur verè & seriò dolere de offensa DEI, qui cogitans de futuro, non actu proponeret etiam in futurum vitare offensam Dei. An tu verè contritum ob Deum summum bonum offensum: vel verè attritum ob metum inferni, veréque dolentem censeres, qui durante eo Dolore interrogatus, quid in futurum facere statuat, non promptissimè responderet! *Ah! quomodo possum ob hoc motivum seriò anteacta peccata detestari & plangere, & tam detestanda plangendáque rursus committere velle?* Quid de tergiversante judicares? Atqui verè dolens, contritus vel attritus de peccatis, recordatur futuræ vitæ: ergo regulariter debet habere actuale Propositum de cætero non peccandi mortaliter: neque video, quomodo reus gravium peccatorum, déque illis seriò dolens possit suspendere actum expressi propositi de cætero illa vitandi, si dolenti occurrat cogitatio de vita longiùs producenda, maximè occurrentibus tentationibus circa occasiones proximas peccatorum deferendas, alias difficultates superandas, &c. ubi sanè robusto proposito opus est, ne Dolor claudicet vel evanescat, etsi fortè habitus.

III. Ad contritionem vel attritionem in Sa- 318
cramento Pœnitentiæ justificativam, quàm maxi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

maximè regulariter requiritur formale & expressum Propositum de cœtero non peccandi mortaliter. Ita DD. citati docent, omnes verò uno ore consulunt. Et ratio clara est. Quia in Sacramento Pœnitentiæ tam Pœnitens, quàm Confessarius debet esse formaliter certus de sufficienti dispositione Pœnitentis ad licitam & fructuosam susceptionem Sacramenti & absolutionis Sacramentalis: atqui nisi Pœnitens, mortalium reus actuale & formale Propositum de cœtero abstinendi à mortalibus concipiat, ac Confessario manifestet, regulariter vix unquam, neque ipse Pœnitens, minùs Confessarius erit satis securus de sufficienti dispositione, præsertim verò de supernaturali & efficaci Dolore; ut jam indicatum: unde rectissimè concludit Layman *cit. n. 6.* Quare rectè agunt Confessarii, quòd tale Propositum à Confitentibus exigant, eósque aliâ ratione absolvere nolint; quia nisi Pœnitens absolutum Propositum concipiat ab omnibus peccatis mortalibus abstinendi, signum est, ejus Dolorem generalem non esse, neque ad omnia peccata se extendentem; ideóque non sufficientem dispositionem, ad gratiam Sacramenti accipiendam. Quâ ratione conciliari possunt Doctores, quorum aliqui ad justificationem peccatoris formale Propositum vitandi peccata requirunt; alii verò implicitum, in ipsa peccatorum detestatione inclusum sufficere ajunt. Sic Layman sapienter. Nihilominus adhuc dixi: *Regulariter.* Nam

319 IV. Etiam in Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem peccatoris quandoque per accidens, omnium consensu sufficit Propositum implicitum in ipsa attritione inclusum, absque formali expresso Proposito de cætero non peccandi: idque in duplici præcipuè casu. Primus est (utut aliàs sæpiùs contingere possit, certè in Sacramento rarissimus) quando Pœnitens Dolori peccatorum præcedentium ita immersus & absorptus est, ut non occurrat ei cogitatio de futura vita instituenda vel emendanda: adeóque neque de Proposito eliciendo, toto tempore confessionis & absolutionis. Secundus casus frequentior est, quando jam-jam instat mortis inevitabile periculum, & non adest possibilitas reiterandi ullum ex peccatis. Ad quid enim tunc Confessarius hortetur talem hominem ad eliciendum Propositum seu absolutum, seu etiam hypotheticum vel conditionatum, sub conditione impossibili mortis evadendæ, de non iterandis illis peccatis. Quamquàm cum Gobat *Casu VIII. n.* 207. non reprehenderem, qui expressè tali diceret: Nónne ita detestaris peccata tua, furta, spurcitias, &c. quas jam mihi manifestâsti, ut si Deus vitam tibi produceret ad multos vel paucos annos, nunquam esses relapsurus, vel relabi velles in tam fœda, Deóque displicita peccata?

QUÆSTIO II.

Quid agendum Confessario cum Pœnitente continuò recidivo: seu continuò redeunte cum iisdem peccatis gravibus?

SUMMARIUM.

321. *Quid occasio remota.*
322. *Propinqua, &*
323. *Proxima?*
325 *Quid & qualiter agendum cum recidivis ex occasione proxima?*
328. *Specialiter cum concubinariis?*
330. *Quid cum recidivis ex intrinseca tantùm fragilitate?*
333. *Specialiter quoad mollitiem?*
334. *Specialia quoad Propositum vitandi peccata venialia.*
Usque ad n 340.

ANte omnia advertat Confessarius & inquirat, an frequentati lapsus & recidivæ fiant ex occasione aliqua extrinseca, & proxima; an verò ex intrinseca fragilitate tantùm & deinde procedat, ut sequitur. Et monet optimè solertissimus Layman. *cit. c. 4. n. 10. §. His quædam.* Considerandum in hac materia, quo præcipuè Pœnitens motivo ad frequentes Confessiones accedat. An quia à Domino, Pædagogo, Præfecto adigitur, aliàs non accessurus. In tali homine magnum periculum est, ne sit malè dispositus: an solùm, quia consuetudinem habet octavo quóque die confitendi? in tali etiam magnum periculum est, si eandem peccati mortalis speciem sine emendatione sæpiùs afferat: an denique quia dolore & indignatione propter relapsus suos concepta iterum Pœnitentiæ ac Confessionis suæ remedium quærit? & talis censeri debet bene dispositus. Sic Layman Casista Germanus.

§. I.

Quasnam occasiones peccatorum necessariò devitare debet Pœnitens?

320 TEnetur Pœnitens proponere ac deinceps devitare peccatorum mortalium occasiones proximas: ac etiam propinquas, si commodè possit: non item remotas tantum. Certum apud omnes. Explico, sed ordine inverso.

321 I. *Occasio remota* peccandi dicitur, ad quam interdum ex mera peccantis fragilitate, aut libera malitia peccatum sequitur. Et hujusmodi occasio peccandi, ubique est in toto universo. Nihil enim tam bonum & sanctum est, quod non sit, vel possit esse aliquibus occasio peccandi ex sua fragilitate vel malitia. Et tales occasiones remotas vitare, vel vitandi Propositum minimè necessarium est Pœnitenti, quippe ferè impossibile: alioquin, ut alicubi Apostolus, deberemus ex hoc mundo exire: certè viatores nec in cælo futuri securi, ut patuit in Angelis apostatis.

322 II. *Occasio propinqua* dicitur, quâ sine mag-

ditionatè: *Si Confessarius judicaverit*: estò ob indispositiones tuas nec absolvaris, nec absolvi possis. Idémque est, si seriò (secùs, si planè ficte) confitearis unum, vel aliqua peccata Sacerdoti, nequiter tacendo alia mortalia, aut nolens emendare, &c. Si quidem te accuses animo, ut impetres ab ipso pronuntiationem seriam formæ absolutionis, atque schedam confessionis: atque peccata ita confessa cadunt sub obligatione sigilli Sacramentalis secundùm omnes. Contrà verò confessio nullo modo Sacramentalis erit, si scienter confitearis aut non Sacerdoti, aut Sacerdoti quidem, sed nullo modo intendens absolutionem, sed præcisè consilij vel solatij causâ: aut denique omninò fictè, de quibus latiùs suo loco, cùm de sigillo Sacramentali. Nunc deinceps nobis explicanda est sola

Confessio Sacramentalis completa, legitima.

342 ESt accusatio sui dolorosa & legitima de peccatis propriis facta Sacerdoti vero in ordine ad absolutionem virtute clavium obtinendam: estque duplex formalis & virtualis: per se semper requiritur confessio formalis, eáque integra vera, secreta, vocalis: quamquam per accidens sufficiat etiam confessio virtualis. Ita in re omnes. Ratio generatim est: quia per confessionem Sacramentalem legitimam & completam intelligitur illa confessio, quæ est pars materialis proxima Sacramenti Pœnitentiæ, quâ positâ potest validè ac fructuosè, adeóque etiam ex justitia debet conferri absolutio Sacramentalis, ac perfici completum Pœnitentiæ Sacramentum: sed talis est omnis & sola hîc definita, & ita qualificata, ut partim patet ex dictis: partim patebit ex latè dicendis toto capite: ergò, &c. breviter tamen sic explico, & applico.

§. I.

Est Accusatio sui dolorosa & legitima, &c. remissivè.

343 I. DOlorosa essentialiter debet esse confessio Sacramentalis legitima, nimirùm facta cum dolore vero supernaturali saltem attritionis &c. modo capite præcedenti latè explicata: præsertim Sect. 3. q. 1. 2. & 4.

344 II. *Et legitima* nimirùm cum conditionibus & qualitatibus ex institutione Christi requisitis, jam in Assertione indicatis & deinceps explicandis.

345 III. *Facta Sacerdoti vero*, nimirùm potestate Ordinis ac jurisdictionis, cœterisque qualitatibus prædito, juxta omnia dicenda *cap. 6.*

346 IV. *In ordine ad absolutionem.* &c. de qua infrà *cap. 4.* absque enim hac implicita saltem absolutionis obtinendæ intentione, confessio nullo modo erit Sacramentalis, nec pars Sacramenti, cùm una pars debeat referri ac ordinari ad alteram. Hæc interim quoad primum tituli quæsitum: Confessio *quid sit*? Jam ad secundum, *quotuplex*?

§. II.

Est duplex, formalis & virtualis.

347 I. *Confessio formalis* est actualis expressa expositio peccatorum, verbis vel signis æquivalentibus facta: quæ per se semper necessaria est, ut mox dicetur.

348 II. *Confessio virtualis* est dolorosa & prompta voluntas confitendi sua peccata signo aliquo sensibili manifestata, sed omninò impedita; cùm quis scilicet actu & verè dolens de peccatis, omninò libens vellet ea confiteri; eúmque dolorem ac voluntatem signo aliquo sensibili manifestat, sed simpliciter non potest impotentiâ physicâ: cùm vix impotentia solùm moralis contingere vel excogitari possit, quin aliquod, saltem leve peccatum quis explicare possit.

349 III. Dico autem: *signo sensibili manifestata.* Quia Confessio etiam virtualis debet esse pars materialis, ac materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ: & ideo necessariò aliquo modo sensibilis: cùm Sacramentum quoad materiam & formam essentialiter sit signum sensibile. Unde solus dolor internus, & interna voluntas confitendi, absque ullo signo sensibili manifestante nullo modo sufficeret ad Sacramentum: cùm Judex non possit ferre sententiam, nisi causâ cognitâ, nec cognoscere causam, nisi sensibiliter sibi manifestatam.

350 IV. At quænam possunt esse illa *signa sensibilia* sufficientia ad confessionem virtualem? Primum & certissimum, si cum signis doloris petiit Confessarium, eóque adveniente, ampliùs confiteri nequit. Alterum etiam sufficiens est, si pœnitens edidit vera signa doloris, aut coram ipso Confessario, aut coram aliis, ita postea coram Confessario attestantibus. Tertium in nova jam satis communi Sententia est, sola ante acta Christiana bona vita Confessario ex se, vel aliunde cognita. Sed de hoc infrà *c. 5.* cùm de absolutione sacramentali.

§. III.

Per se semper requiritur Confessio formalis, &c.

351 SEu explicita explicatio peccatorum commissorum. *Omnes.* Ratio clara est; quia confessio sacramentalis debet esse accusatio in ordine ab obtinendam absolutionem sacramentalem per modum Judicii, seu sententiæ judicialis: atqui in judicio non potest ferri sententia, nisi cognitâ causâ, adeóque à parte accusante explicitè propositâ. Accusans autem in proposito est ipse pœnitens: ergò per se semper requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ confessio formalis & explicita peccatorum. Per accidens tamen aliquando sufficit confessio virtualis suprà explicata, cùm scilicet impossibilis

Universidad de Deusto
Biblioteca

est confessio formalis explicita, idque potissimùm in articulo mortis, de quo commodiùs & pluribus agendum *infra cap. 5.* cùm de absolutione sacramentali.

§. IV.

Eáque integra, vera, secreta, vocalis.

352 AD has quatuor conditiones & qualitates, mox per distinctas Sectiones & Quæstiones explicandas, aut clarè reducuntur, aut necessariæ non sunt, etsi utilissimæ, reliquæ conditiones septemdecim, vetustis & vulgatis huscè versibus comprehensæ.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda.
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans; & sit parere parata.

SECTIO I.

De Integritate Confessionis sacramentalis.

QUÆSTO I.

Qualis Integritas requiritur ad Confessionem sacramentalem?

SUMMARIUM.

351. *Integritas confessionis alia materialis, alia formalis*
354. *Formalis est essentialiter necessaria,*
355. *Et ad absolutionem sufficiens.*
356. *Ad eam requiritur aut oblivio inculpata, aut justa causa, saltem putata.*
357. *Integras materialis seu expressio omnium non est quidem essentialiter necessaria, tamen de præcepto,*
358. *Respectu ejusdem confessionis, & confessarii.*
360. *Confitenda sunt omnia mortalia in specie & numero,*
363. *Post diligens examen memoriæ occurrentia:*
364. *In quo examine non requiritur diligentia summa, sed sufficit mediocris.*
365. *Quando hæc censeatur adesse, vel adfuisse?*
366. *Quæ adhibita sufficit, estò quis putet fore plura occurrentia per longius examen.*
367. *Ex defectu autem vel negligentia examinis mortaliter culpabilis evadit confessio invalida & nulla.*

ASSERTIO.

353 *Confessioni sacramentali essentialis est Integritas formalis tantùm: non de essentia, sed de præcepto divino necessaria est integritas materialis; explicatio scilicet omnium peccatorum mortalium in specie & numero, post diligens examen memoriæ occurrentium.* Est tota certissima apud omnes Catholicos. Explico breviter, & prænoto:

§. Integritas confessionis duplex est, *materialis*, quâ omnia simpliciter peccata secundum speciem & numerum exprimuntur, quæ secundùm præceptum divinum, per se loquendo, exprimenda sunt; Et *formalis*, quâ exprimuntur omnia peccata secundùm speciem & numerum, quæ & quatenus quis, conscientiâ dictante, hîc & nunc exprimere potest & debet; seu quæ conscientiæ hîc & nunc confitenda practicè proponuntur: sive deinde reipsâ omnia omninò enumerentur: (& erit integritas *materialis* simul & *formalis*, ac confessio *materialiter* ac *formaliter* integra) sive aliqua omittantur, aut ignoranter, aut ob inculpabilem oblivionem; vel scienter & deditâ operâ, sed ex causa justa; vel à parte rei, vel bonâ fide probabiliter & inculpabiliter habita pro justa (de quo mox iterùm) & sic erit integritas *formalis* tantùm, & confessio adhuc formaliter integra: quia adest voluntas omnia confitendi, si nihil obest, & defacto quis confitetur omnia, in quibus nihil obstat, quæque hîc & nunc confitenda conscientia practicè dictat: omittitur autem aliquid, in quo aliquid obstat, quódque conscientia hîc & nunc confitenda non dictat, aut potiùs non esse confitendum dictat. His notatis dicimus:

§. I.

Essentialis est Integritas formalis.

354 UT nimirum quis exprimat omnia mortalia, quatenùs hîc & nunc conscientiâ dictante potest & debet: adeò, ut & confessio & absolutio invalida sit & nulla, ipsúmque Sacramentum propriè non suscipiat, qui sciens omittit manifestare vel unicum peccatum, quod conscientia dictat hîc & nunc sub mortali esse confitendum. *Omnes.* Ratio clara est: quia ad substantiam Sacramenti Pœnitentiæ requiritur confessio dolorosa, adeóque saltem attritio vera supernaturalis: sed hæc consistere non potest cum actuali peccato sacrilegij mortalis, quod confitens committit, unum, vel plura peccata absque justa causa, sive per malitiam, sive per negligentiam crassam, ac mortaliter culpabilem reticendo: ergo &c.

355 II. Hæc integritas formalis, seu confessio sic formaliter integra, quâ aliquod vel aliqua peccata, seu per oblivionem inculpabilem, seu propter justam causam impotentiæ physicæ vel moralis (casibus particularibus necessariò forsìm infrà *q. 6.* latè explicandis) omittuntur, sufficit ad legitimam absolutionem, ipsíusque Sacramenti Pœnitentiæ validam, fructuosam ac licitam susceptionem: quâ nimirum quis directè absolvitur à peccatis confessis, & indirectè ab omissis, cum onere tamen & obligatione, eadem omissa, cùm facultas aderit, subjiciendi clavibus. *Omnes.* Ratio clara. Quia infinitæ bonitati ac sapientiæ divinæ repugnat ad essentiam Sacramenti tam necessarii ad salutem requirere aliquid, quod sæpissimè moraliter, & sæpè etiam physicè est impossibile, uti est integritas materialis, seu expressio omnium omninò peccatorum: ergò ad Sacramentum hoc tam validè, quàm fructuosè suscipiendum debet sufficere integritas prædicta formalis.

356 III. Ad hanc integritatem formalem confessionis, ut prænotatum, requiritur aut *oblivio inculpata mortaliter*, de qua sæpiùs deinceps sermo, aut *justa causa vel à parte rei, vel bonâ fide probabiliter & inculpabiliter habita pro justa.* Nam (teste Suarez *cit. disp. 23. sect. 3.*) integritas formalis consistit cum quacunque ignorantia probabili juris, ratione cujus homo existimat se posse omittere tale peccatum in confessione. Quando ergo falsò judicans suppetere tibi causam sufficientem ad tacendum hoc vel illud peccatum mortale, illud taceas, siquidem ignorantia sit invincibilis ac probabilis, aut etiam vincibilis levis non mortaliter mala, confessio tua nihilominùs erit valida & fructuosa, cum obligatione tamen prædicta, illud peccatum postea confitendi: si verò ignorantia tua sit vincibilis mortaliter mala, præsertim crassa, vel affectata, Sacramentum erit nullum ob novum peccatum mortale: non enim facis ullo modo integram confessionem; quare errore cognito, tota illa confessio repetenda erit.

§. II.

Integritas materialis non est de essentia, sed de præcepto.

357 I. EXpressio scilicet omnium peccatorum in specie & numero per se directè non spectat ad essentiam seu necessitatem Sacramenti, quasi Sacramentum Pœnitentiæ nunquam consistere posset, nisi integra omnium peccatorum confessio fiat, ut modo suprà dictum & probatum est, sed per se spectat ad necessitatem præcepti divini, atque per se necessaria est de præcepto divino mox assignando *quæst. seq.* Attamen hujus ipsius præcepti voluntaria transgressio, cùm scilicet posses ac deberes, non tamen exprimis omnia tua mortalia, sed unum, vel plura culpabiliter omittis: cùm eò ipso tollas etiam integritatem formalem, indirectè redundat in defectum essentialem Sacramenti, ut nimirùm validè non suscipiatur ob novum peccatum mortale sacrilegij; ut *suprà N. I.* dictum.

358 II. Eadémque integritas confessionis per se necessariò intelligitur respectu unius confessionis & unius Confessarii, sic, ut confessio omnium peccatorum in specie & individuo, per se loquendo necessariò facienda sit apud unum eundémque Confessarium: quamquàm per accidens quandóque dimidiari possit confessio, in casibus nimirum, in quibus sufficit integritas formalis tantùm. *Omnes* cum D. Thoma *suppl. q. 9. a. 2.* Ratio est: quia cùm humilis confessio peccatorum sit proxima materia, quæ absolutioni sacramentali subjicitur, congruum est, ut sicut non unum peccatum sine altero, sed omnia peccata simul remittuntur per absolutionem, ita non unum sine altero, sed omnia mortalia peccata simul per confessionem uni eidémque Sacerdoti absoluturo manifestentur, per se loquendo, si nihil obstet, ut dictum.

359 III. Ex hoc ipso consequens est, ut si quis ob moralem impossibilitatem unum vel plura mortalia particulatim non explicârit: ea postea cessante impedimento explicare debeat: eò quòd absolutio de ijs directè & secundùm speciem data non sit, sicut natura & institutio hujus Sacramenti postulat: ut ex communi bene notat Layman *l. 5. tract. 6. c. 8. num. 1. fine.*

§. III.

Omnium peccatorum mortalium in specie, & numero.

360 QUoad dictam integritatem confessionis, quænam omnia sint necessariò deferenda ad sacrum Tribunal proponit S Synodus Tridentina sess. 14. c. 5. his omninò verbis:

I. *Constat Sacerdotes æquitatem in pœnis injungendis servare non potuisse, si in genere duntaxat: & non potius in specie ac sigillatim fideles sua peccata declarâssent. Ex his colligitur oportere a fidelibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri: etiam si occultissima illa sint, & tantùm contra duo ultima Decalogi præcepta commissa, &c.* Et paulò post:

361 II. *Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: quod sine illis neque peccata ipsa integrè a Pœnitentibus exponantur, nec Judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis, Pœnitentibus imponere, &c.* Et tandem post pauca subdit

362 III. *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, universim eâdem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus. Ab occultis meis munda me Domine.* Hactenus Concilium quantùm ad nostrum propositum: paucis quidem lineis, sed non paucis seorsim explicanda distinctis quæstionibus seqq. 2. 3. 4. & tria potissimùm. 1. Quæ peccata in specie confitenda? 2. Quæ circumstantiæ necessariò explicandæ in confessione? 3. Quis numerus peccatorum exprimendus? ante omnia autem illa maximi momenti clausula ad integritatem confessionis servandam necessariò prærequisita explicanda est: *quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent*, seu ut nos locuti sumus:

§ IV.

Post diligens examen memoriæ occurrentia.

363 CErtum est, confessioni actuali per se loquendo præmittendum esse examen diligens,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ferium, accuratum, seu, ut loquitur *Trident. cit. diligens sui discussio*, secundùm omnes. Ratio clara est: qui enim tenetur ad finem, tenetur adhibere media necessaria ad illum finem. Cùm ergò obligemur præcepto divino aperire omnia, per quæ divinam Majestatem mortaliter offendimus, nequeamus autem hoc præstare communiter loquendo, nisi probè excutiamus latebras conscientiæ nostræ, id omninò præstare tenebimur per se loquendo. Per accidens autem id necessarium non est. Ut quando quotidiè annotas, quæ quovis die deliquisti: aut post confessionem eodem die relapsus graviter, statim recurris ad confessionem: aut quando moraliter certus es, te à proxima confessione non deliquisse mortaliter. Certè in timoratis & sæpius confiteri solitis sufficit diligentia modicissima: ii enim, si peccâssent mortaliter, ob oculos certè peccatum semper haberent, inquit peraptè Thomas Tamburinus *l. 2. Decalogi c. 3. §. 8. n. 9.* De iis ergò, qui sciunt, vel saltem prudenter dubitant, se peccâsse mortaliter sæpiùs aut rariùs: videndum est, quanta diligentia requiratur ad hoc conscientiæ examen de peccatis. Dico ergò

364 I. Non requiritur diligentia summa & strictissima, qualem cautissimus quisque in re maximi momenti adhibere posset, hoc enim nimis difficile foret, & meritò redderet Sacramentum hoc tam necessarium valdè odiosum: cavendum autem est, ne pœnitens obligetur ad diligentiam tam accuratam, ut ob hoc ei Sacramentum reddatur grave vel odiosum, deturque occasio hæreticis calumniandi illud carnificinam animarum, ut innuit Trident. *loc. cit.* Requiritur ergò, & sufficit diligentia mediocris, qualem communiter homines prudentes in re seria ad memoriam revocanda adhibere solent. Scotus *in 4. d. 17. q. unicâ n. 2.* sic determinat debere esse. *Inquisitionem diligentem secundùm possibilitatem fragilitatis humanæ, qualem inquisitionem homo faceret circa negotium arduum, quod ipsi multùm cordi esset.* Sic Scotus. Et docet communis DD. cum Suarez *disp. 22. sect. 11.* Tanner. *hic q. 7. n. 37.* Layman. *cit. c. 8. n. 5.* Ratio jam data est. Addit Suarez ibidem: quamvis pœnitens sciat se à Confessario diligenter examinandum esse, adhuc tamen aliquam (etsi minorem, quàm si putaret se non examinandum esse) debere adhibere diligentiam in se examinando, alioquin exponeret se magno periculo vel perperàm respondendi maximè quoad circumstantias & numerum; aut aliqua omittendi pœnitùs, cùm Confessarius etiam diligenter examinando vix possit divinare omnia tua.

365 II. Mediocritas illa sufficiens examinis desumenda & mensuranda est, spectatis circumstantijs personæ, moræ, temporis à proxima confessione; negotiorum, quæ tractavit; occasionum, in quibus versatus est, & peccatorum generatim conscientiam pulsantium. Nam (ait Layman *cit.*) minore examine indigent, qui frequenter, quàm qui raro confitentur. Item qui multis negotijs aut commercijs cum occasione peccandi junctis, impliciti sunt, quàm qui vitam quietam agunt. Denique rudes & imperiti adhibere non possunt tam exactam sui discussionem, sicut docti & intelligentes: quamobrem illi Confessarii examine juvari debent. Sic Layman plures legendos allegans. Concordat Gobat. *cit. n. 490.* addens: examen durans uno horæ quadrante censebitur mediocre, adeóque judicio prudentis sufficiens respectu adolescentis timorati ab octiduo non confessi: estò nequeat nominari mediocre, adeóque nec sufficiens respectu variis, gravibúsque criminibus, præsertim cogitationum, impliciti. Quamquàm si hic ipse valdè collecto animo impendit illum totum horæ quadrantem, fieri potest, ut pronuntietur usus mediocri diligentiâ, &c. Secùs, si sit mentis admodùm vagæ. Sic ille: *ibidem n. 498.* addens praxin compendiosam examinandi conscientiam à longiori tempore, v. g. medii vel quadrantis anni: ut nimirùm consideret trina tempora, id est, unum diem profestum, quid in illo fecerit: eadem erit ratio de aliis. 2. Unum similiter diem festum. 3. Tempora extraordinaria itinerum, negotiorum, nuptiarum, conviviorum, occasionum, &c.

366 III. Mediocris ista diligentia adhibita sufficit, etiamsi quis existimet fore, ut plura occurrant sibi fortè peccata mortalia, si longiori tempore majorem extraordinariam diligentiam adhiberet in examinando: ut infirma sit consequentia: fortè plura occurrent, si ampliùs inquisiero: ergo teneor plus inquirere. Tambur. *cit.* Lugo *de Pœn. d. 16. sect. 15. n. 59.* Gobat. *n. 496.* alii apud ipsos. Quia alioquin homo nunquàm foret quietus, & adigeretur ad diligentiam summam, contra dictas suprà initio. Unde neque tenetur quis confessionem suam scribere, etiamsi timeat, ne fortè aliqua mortalia in confitendo excidant memoriæ, ut ex communi dicam *sect. seq.* ubi de confessione secreta. Quare ulteriùs, si tua conscientia tibi testetur, esse à te adhibitam diligentiam talem moralem mediocrem, judica validam & fructuosam tuam fuisse confessionem, & si aliqua exciderunt vel omissa sunt, censebuntur esse omissa inculpabiliter. Unde neq; teneris ulteriùs cogitare de anteacta vita, sed securus maneas te satisfeciſſe. Et si quid occurrat, quod non videatur expressum in confessione, cùm adhibueris sufficientem diligentiâ moralem, præsumere & persuadere tibi poteris, etiam cũ cœteris esse confessum: uti cũ aliis docet Diana *p. 3. tract. 4. resol. 107.* Secùs esset, si omnibus consideratis, maneas simpliciter dubius, an peccatum à te certò factum, revera confessus sis, nec ne: tunc enim, cùm in eo dubio

dubio possessio stet pro confessione, certò teneberis illud confiteri: sicut & quando certò deprehendis, peccatum aliquod anteà commissum non fuisse à te confessum, res certa apud omnes.

367 IV. Contrà: non tantùm illicita & inefficacia, sed etiam invalida est confessio non integra ex defectu examinis mortaliter culpabili: omisso scilicet uno vel pluribus peccatis mortalibus ex defectu & negligentia in examinando mortaliter culpabili, præsertim crassâ vel affectatâ, cùm quis scilicet pluribus peccatis mortalibus obnoxius, nullâ prorsus vel quasi nullâ adhibitâ diligentiâ reminiscendi, aut etiam ex proposito nolens inquirere, confitetur, & sic peccata omittit: cùm Concilium requirat diligens examen, diligentem sui discussionem: quare talis Confessio quoad mortalia tota repetenda erat, unâ cum mortali illa negligentia sacrilegii causâ, juxta communissimam Theologorum Sententiam *sect. seq.* ex professo tradendam in quæstione, quando confessio invalida & reiteranda sit. Secùs omnia, si negligentia fuit levis & venialis tantùm. At ais: unde hoc ipsum discernam? dum post confessionem occurrunt mihi peccata omissa, an negligentia mea in examinando fuerit gravis & mortalis, adeóque examen insufficiens: & sic tota confessio repetenda? an verò fuerit negligentia levis & venialis tantùm, & examen adhuc sufficiens, ut proinde non tota confessio iteranda, sed illa duntaxat peccata omissa occurrentia denuò confitenda? Certè rem difficilem postulas. Placet judicium & velut regula tradita à Nugno & aliis apud Dianam *p. 2. tract. 3. miscel. resol. 31.* Si post confessionem peractam plura peccata mortalia memoriæ occurrant, quàm in confessione fuerint explicata, non fuit diligentia sufficiens, negligentiâ mortaliter malâ, tota confessio repetenda. Si autem occurrant aliqua sed multò pauciora, quàm confessa, credendum est, diligentiam fuisse sufficientem ad valorem Sacramenti, unde homo obligatus non est ad confessionem iterandam. Satis est, si de omissis se accuset, & de negligentia, ad cautelam. Sic illi. Quid si autem peccata confessa & omissa sint æquè multa vel plùs minùs; Nimis curiosus es. Dico tamen valorem confessionis fore dubium, ideò necessariò repetendam totam: salvo meliori judicio: nam aliam resolutionem apud meos non inveni.

QUÆSTIO II.

Quænam Peccata necessariò confitenda?

SUMMARIUM.

369 *Jure divino confitenda sunt omnia mortalia in specie.*

370 *An & quando in confessione generali quis dicere debeat, hoc vel illud mortale jam esse, vel non esse confessum, vel de novo commissum?*

371 *Ad confitenda venalia nullum est, vel obligat præceptum,*

372 *Per se loquendo,*

373 *Ne quidem Ecclesiasticum confessionis annuæ.*

374 *Etsi tunc consultissimum sit fidelibus.*

375 *An Ecclesia possit præcipere confessionem venialium?*

376 *Explicanda sunt omnia mortalia in specie morali, seu secundùm malitias specie diversas;*

377 *Idque in specie infima,*

378 *Quantùm fieri potest,*

379 *Qualiter hic agendum cum rudibus?*

380 *Explicanda sunt peccata tam interna,*

381 *Quàm externa,*

383 *Non tamen eorum effectus ordinariè & per se loquendo,*

384 *Plerumque tamen expedit, & sæpè necessarium est, eos explicare.*

ASSERTIO.

368 *OMnia & sola peccata mortalia post Baptismum commissa, tam interna, quam externa ipsarum actionum liberarum, non item harum effectus naturales (per se loquendo) in specie morali & infima, quantùm fieri potest, necessariò exprimenda sunt in confessione, ipso jure divino.* Certum apud omnes Catholicos.

§. I.

Omnia peccata mortalia in specie &c.

369 IPso jure divino omnibus post Baptismum lapsis necessaria est confessio omnium peccatorum mortalium in specie facienda Sacerdoti, quatenùs adhibitâ morali diligentiâ, fieri potest. Certum de fide Catholica, definitum in varijs Concilijs, & novissimè Tridentino *sess. 14. c. 4. & Can. 7.* Fundatur in verbis Christi Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo loco juxta unanimem Ecclesiæ antiquæ, ac SS. Patrum Sententiam, duo concluduntur. *Unum*, quòd Apostoli, eorúmque Successores, Episcopi & Presbyteri à Christo potestatem acceperint, ut velut Judices ac Ministri Christi peccata remittant, & gratiam sanctificantem conferant nomine & authoritate Christi, *Alterum*, ad hanc remissionem peccatorum à Christi Ministro ac Vicario Sacerdote obtinendam necesse esse, ut pœnitens peccata omnia mortalia, etiam occulta coram Sacerdote in specie particulatim explicet. Textus SS. PP. pro utráque parte, post Bellarminum & alios ad longum optimè recitat Layman *edit. Lugdun. l. 5. tract. 6. cap. 5.* Facilius tamen in ipso vel aliis leges, quàm ego describam. Sufficiant verba gravissima Tridentini Concilij cit. *c. 5. Universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum Confessionem: & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam: Quia Dominus noster JESUS Christus e terris ascensurus ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tanquam Præsides & judi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint: quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ exercere non potuisse, neque aquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie & sigillatim sua ipsi peccata declarâssent. Hactenus S. Synodus, simul optimè dans rationem hujus veritatis. Et exprimens de fidelibus *post Baptismum lapsis*, seu de peccatis post Baptismum commissis: & adde etiam *de peccatis mortalibus nunquam* ritè confessis, juxta dicta *c. 1. n. 26.* de materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

370 §. At hîc incidenter dubitari potest: an hoc ipsum etiam in confessione explicandum sit, peccatum aliquod mortale esse nunquam confessum, seu de novo commissum: utpotè in confessione generali? Resp. Non esse necessarium, per se loquendo. Quia peccatum est idem sive confessum sit, sive non confessum: & tempus commissi peccati, antiquum vel recens non se habet ex parte peccati sed merè ex parte Pœnitentis. Unde qui generaliter confitetur, potest sine alia explicatione antiquis jam confessis admiscere nova recens commissa, etiam studio, ad tegendum tempus, ne Confessario innotescat: quia utitur jure suo. Ita post *Suarez, Coninck, Sanchez*, alios, Tamburin. *opusc. Exped. Confessionis l. 2. c. 1.* Dixi autem: *per se loquendo.* Nam aliquando ex particulari ratione erit necesse id explicare: utpote, quando Pœnitens est in proxima occasione peccandi: tunc enim is debet explicare tempus præsens, ut scilicet Confessarius eum obligare possit ad eam evitandam, aut si nolit, à beneficio absolutionis excludere. Item, quando peccatum esset reservatum tempore præsenti, quando commissum est, anteà verò non erat reservatum: utique debebit explicare Pœnitens tempus commissi peccati, ut videatur, an Confessarius habeat jurisdictionem: secùs si constet jam ipsum habere jurisdictionem seu facultatem absolvendi à reservatis. Denique; quamvis Pœnitens non teneatur explicare tempus peccati commissi, non potest tamen positivè dicere, esse peccatum antiquum, cùm tamen sit recens: quia tunc non explicaret suum delictum recens, quod commisit, sed aliud antiquum, quod non fecit: & sic non confiteretur omnia peccata sua mortalia, quod est sacrilegium & mendacium in re gravi: quare non sunt audiendi oppositum sentientes, idque mendacium in re levi censentes: ut bene Tamburinus *loc. cit.*

§. II.

Sola Peccata mortalia.

371 NUllum enim est præceptum, nec Ecclesiasticum quidem, obligans omnes fideles ad confessionem peccatorum venialium. Communissima jam Theologorum cum D. Thoma & Scoto *in 4. d. 17. q.* (contra D. *Bonaventuram, Abulensem, Richardum*, alios arbitratos de facto præceptum confessionis annuæ obligare ad confessionem venialium eos, qui nulli mortali sunt obnoxii. Sed antiqua pietas antiquata est.) Docet perspicuè Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 5.* absolutè dicens. *Venialia, quibus a Dei gratia non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citráque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Jam particulatim.

I. Nullum extare tale præceptum divinum 372
obligans per se ad confessionem venialium, apud omnes in confesso est: ubi enim illud? Dico tamen *per se.* Per accidens enim videris obligari ad confessionem venialis, si existens in mortali crimine debeas administrare Sacramentum aliquod conficiendo, & rationabiliter dubitans, an sis verè contritus, non habeas copiam Confessarii approbati, sed tantùm Sacerdotis simplicis; teneberis (ait Gobat. Alphab. Confit. n. 250.) confiteri ipsi aliquod veniale, ut ex attrito fias contritus. Sic ille. Sed ego dico: *videris obligari*: ob dicenda in simili de casibus reservatis.

II. Neque præceptum Ecclesiasticum an- 373
nuæ confessionis obligat ad confessionem venialium, etsi nullius mortalis sis conscius. Nam Concil. Lateran. *c. utrinsque*, manifestè solùm loquitur de mortalibus: præcipit enim, ut *omnia* sua peccata semel in anno confiteantur: at nimis gravem obligationem imposuisset confitendi omnia & singula venialia singulis annis, quòd nullâ lege humanâ præcipi potest ob moralem impossibilitatem. Et *ratio* est: quia intentio Concilij Lateranensis & Tridentini non fuit, novam in substantia confessionis peccatorum obligationem fidelibus imponere; sed eam tantum, quæ ex divino jure & institutione Christi descendit, ad certum tempus determinare: atqui nullum Christi, seu divinum præceptum extat confitendi venialia, ut concors est DD. Sententia: quia, ut Tridentinum ait: *Multis aliis remediis deleri possunt ergò &c.* Et hinc

III. Tametsi consultissimum sit fidelibus, 374
si tempore Paschali nullius peccati mortalis conscij sint, venialia confiteri, (ut merito habet communissima praxis) tum, ut Sacramenti gratiam percipiant: tum etiam, ut si commissi peccati mortalis obliti, vel inscij sint (quod sanè frequens) neque satis contriti existant, per Sacramentalem absolutionem Justificentur: tamen ad hoc ipsum simpliciter non obligantur. Interim Ecclesiæ consuetudine receptum est, ut fideles omnes ante Communionem Paschalem

lem Sacerdoti proprio, vel alteri delegato se sistant: etsi mortaliter nunquam peccâsse se asseverent, super ea re Sacerdotis examini se subjiciant: At, si re verâ non peccârint mortaliter, ad confessionem venialium cogi non possint, juxta communem DD. apud Layman *hic c. 5. n. 12.* Et observavit etiam Scotus *loco citato.*

375 IV. Quæstio speculativa est, utrum Ecclesia possit præcipere, aut de facto jam aliquibus Religiosis præceperit confessionem sacramentalem solorum venialium? Negativam tenent *Sylvester, Sotus, Henriquez, Rodriquez* noster, alij: eò, quòd Ecclesia non possit mutare institutionem Christi: qui in hoc Sacramento pro materia necessaria venialia non instituit. Sed vera est sententia affirmativa apud Layman *cit.* meósque omnes. Et de facto Ecclesia præcepit Monachis Benedictinis *Clementina. Ne in agro dominico: de statu Monachorum:* ut singulis mensibus tam in Monasteriis, quàm extra, saltem semel accedant omnes & singuli. Et in quibusdam aliis Religionibus statutum viget sub mortali obligans, ut omnes singulis mensibus vel quindennis confiteantur &c. Quæ sæpè intelligi non possunt de confessione mortalium tantùm, in quæ Religiosos omnes toties relabi non est credibile, sed absolutè de confessione Sacramentali, seu mortalium seu venialium. Et ratio est: quia si ad ejusmodi opera pœnitentiæ quisque proprio voto & consensu se obligare potest, ut omnes fatemur: cur non etiam ab Ecclesia, vel Ordinis Prælatis, aut Capitulo Generali de ea re constitutio fieri? Tandem rectè observavit Vasquez *in 3. p. q. 90. a. 2. n. 15. dub. 2.* Verba Christi Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, tamquàm favorem seu gratiam continentia, ad omnia etiam venalia peccata extendenda esse, quandoquidem & hæc idonea materia absolutionis sint. Verba autem sequentia: *Et quorum retinueritis, retenta sunt*, tamquàm quid onerosum importantia, ad sola mortalia referri posse: quandoquidem hæc solâ potestate clavium retineri, seu reservari possint, ut sine ea vel ordine ad illam remitti nequeant. Secùs est de venialibus.

§. III.

Omnia mortalia in specie morali & infima, quantùm fieri potest.

376 I. IN specie *morali.* Non enim peccata explicanda sunt secundùm species physicas actuum & objectorum, sed secundùm species morales, id est, secundùm malitias formales, ac deformitates, seu oppositiones contra certas virtutes vel leges: seu, quod idem est, explicanda sunt peccata non *materialiter* secundùm physicas diversas entitates actuum, sed *formaliter* secundùm diversas specie malitias. Exempli gratia: Furatus es Titio 100. aureos in pecunia, equum valentem 50. fl. vaccam valentem 12. fl. Non opus est, istas physicas species explicare: satis & abundè est dicere: commisi tot furta mortalia, singula tanti valoris. Omnia enim sunt ejusdem speciei moralis, injustæ læsionis proximi in bonis fortunæ, contra justitiæ virtutem, etsi materialiter & physicè diversissima. Similiter inebriâsti te vigesies: decies in cervisia, sexies in vino, ter in mulso, semel in vino adusto &c. insulsè satis hæc specificares. Admodum sufficit, toties voluntariè me plenè inebriavi &c. At contra, sexies furatus vinum pretiosum, eo te inebriâsti? actus physicè propè idem est: at moraliter jam duas specie malitias, furti contra justitiam, & ebrietatis contra temperantiæ virtutem continet, & in confessione explicare debes. Et ita in innumeris aliis. Fundamentum communis & certæ doctrinæ petere debes ex materia de peccatis; eorúmque differentia seu distinctione specifica.

II. In specie morali *infima.* Non enim suf- 377
ficit confessio mortalium, aut in genere tantùm, dicendo: Toties peccavi mortaliter: aut solùm in genere proximo seu specie subalterna contra generalem aliquam virtutem: v. g. peccavi toties contra Religionem, contra justitiam, contra temperantiam, castitatem &c. sed in sua propria specie infima quodlibet peccatum explicandum est. v. g. semel blasphemâsti, votum violâsti, falsum jurâsti, die festo Sacrum neglexisti. Non satisfacies dicendo: Peccavi quater contra virtutem religionis, sed singula explicare debes. Singula enim sub una generali virtute Religionis penes diversos modos inhonorandi DEUM, diversas species infimas constituunt: *Simillimè.* Titio furatus es equum: eum injustè infamâsti de crimine occulto; & insuper obvium graviter percussisti, vel vulnerâsti: non satisfacis dicendo: Peccavi ter contra justitiam: hæc enim tantùm est species subalterna: sed specificare debes in infima specie: proximo furatus sum tantum: ei detraxi in re gravi: graviter percussi, vel vulneravi, Etsi enim omnia sint contra eandem generalem virtutem justitiæ, attamen penes diversos modos lædendi proximum in bonis diversi ordinis, fortunæ, famæ, corporis, tres diversas species infimas constituunt. Idem exemplificare potes in materia temperantiæ, castitatis &c! Et specialiter: non satis confiteris dicendo. Exposui me proximo periculo peccandi mortaliter: vel peccandi contra justitiam, castitatem &c. Debes enim explicare species peccati mortalis, cujus committendi periculo te exposuisti, cùm hæc expositio sit ejusdem cum illo peccato speciei. Ita ex claris satis verbis Concilij Tridentini suprà initio allegatis allati a *in specie ac sigillatim.* Communissima DD. ac Recentiorum omnium. Etsi contrà sentiant Cajetanus, Canus, & Navarrus, rati non esse explicandas species ignotas mediocriter doctis, eò, quòd tales non varient judicium Confessarii,

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque exigant specialem medicinam. Quam sententiam Vasquez cit. q. 91. a. 1. dub. 1 meritò nominat falsissimam & repugnantem verbis Concilij Tridentini : nisi tamen restringatur ad illos, qui illas species quoad malitiam non distinguunt, ex opinione vel ignorantia. Et hinc addidi

378 III. *Quantum fieri potest.* Nam qui certus est, se peccâsse mortaliter, sed vel non intelligit, vel non potest reminisci, in qua specie infima; sed solùm in genere vel specie aliqua subalterna : v. g. scio me præter hæc enumerata, adhuc patrâsse aliquod mortale, cogitationi alicui malæ consensisse, aliquid noxium dixisse : sed prorsus jam ignoro, quid fuerit, in qua materia, contra quam legem, contra quam virtutem, &c. Aut : commisi certò aliquod peccatum contra justitiam, sed recordari non possum, quid fuerit, an detractio, contumelia, fraus, &c. & satisfacit, & debet hoc ipsum explicare in confessione, cùm hæc sit sufficiens, imò necessaria materia confessionis Sacramentalis & absolutionis : juxta communem DD. cum D. Thoma suprà. Navartus *c.* 10. *n.* 7. Layman. *c.* 8. *n.* 7. Suarez *disp.* 23. *sect.* 1. Addens eum, qui non habet aliquod peccatum mortale in specie, quàm quod in genere sciat, se peccâsse mortaliter, non obligari addere illi peccato mortali generico ullum speciale peccatum etiam veniale : cùm illud, ut modò dictum, jam sit materia sufficiens : ibidémque *n.* 10. rectissimè subdens. Licèt homo absolutè non teneatur species peccatorum venialium confiteri, tamen suppositò, quòd velit confiteri, tenetur ad exhibendam materiam certam, si potest : & ideò debet aliquod peccatum veniale in particulari suo arbitrio confiteri. Sic ille. Et quamvis non sit reprehendendus, qui confitetur venialia in specie subalterna : v. g. peccavi venialiter contra cultum divinum : ejusmodi confessio sit sufficiens ad valorem Sacramenti, & probabiliter etiam licita : id tamen in praxi non sequendum, sed semper aliquod peccatum veniale in specie infima addendum esse juxta doctrinam Suarez, rectè monet Gobat. *sæpè cit casu* 14. *n.* 341.

379 IV. Ergóne rudes illi homines, qui confitentur se peccâsse, aut esse peccatores, sed examinati à Confessario ne unum quidem veniale secundùm speciem explicare possunt, rectè absolventur ? R. Posito talem hominem verè esse attritum de peccatis suis in genere ; sed ob ruditatem vel simplicitatem nullum in specie recordari vel explicare posse : validè quidem absolvetur (æquè ac in articulo mortis, etiam licitè.) Et speculativè loquendo, fortè etiam licitè, uti probabile asserit Dicastillus *hic d.* 9. *n.* 160. Sed in praxi certè non est locus huic speculationi extra articulum mortis. Quare, si etiam tempore Paschali obtingat tibi Rusticus, à quo nihil possis extorquere vel emungere, quàm quòd dicat, se miserum peccatorem, aut peccâsse cogitatione, verbo, & opere : dicas ipsi : ergò si nihil aliud velis fateri, non possum te absolvere, vade vias tuas. Ita ex communi sensu & praxi DD. Layman *cit. c.* 8. *n.* 7. *Ratio est* : quia Pœnitens volens Sacramentaliter confiteri, omnium consensu, si possit, semper debet aliquod peccatum veniale saltem in specie confiteri, ut Sacramentum congruentiùs & certiùs administretur : atqui, quòd hoc Pœnitens quantumvis rudis, præsertim à Confessario instructus, possit, semper præsumendum est : cùm nemo sit tam rudis, qui apprehendere & judicare nequeat, se in oratione negligentem fuisse, verbum otiosum, vel noxium locutum, &c. ergo, si id nolit, cùm possit, tanquam indispositus ad Sacramentum, repellendus est. Etsi verò ponamus (ait Layman *cit.*) Confessarium ex circumstantiis judicare hominem tam rudem esse ; ut nihil speciatim confiteri possit, tamen extra mortis periculum absolvere eum non debet, atque apertè illi dicere Sacramentalem absolutionem non conferri, sed suæ conscientiæ relinqui, cum materiam Sacramenti, quantum vis examinatus, edicere nolit. Primò : quia hæc est praxis bonorum Confessariorum. 2. Quia periculum est, ne talis homo propter ruditatem suam etiam vero de peccatis dolore careat, sed solùm dicat, se peccâsse, quia audivit, omnes homines peccatores esse. 3. Quia si supernaturalem dolorem habeat, justificari poterit ab occultis peccatis suis per susceptionem Sacramenti Eucharistiæ. 4. Quia, si semel fateamur absolutionem extra extremam necessitatem conferri posse fidelibus nullum peccatum in specie explicantibus, eâ facultate abutentur Sacerdotes, contra Sacramentalis confessionis legitimam institutionem & usum. Sic Layman, cui cum aliis subscribit Gobat. *n.* 361. Et ego.

§. IV.

Tam interna, quàm externa actionum moralium liberarum per se loquendo.

380 I. *Interna.* Peccata alia sunt interna tantùm, quæ scilicet fiunt & consummantur in potentijs hominis internis, quæ vulgò dicuntur peccata cordis, utpotè voluntate : intellectu, phanthasiâ, appetitu sensitivo : Ut odium Dei & proximi, hæresis, superbia, avaritia, imaginatio turpis, delectatio morosa venerea. Et hæc in sua quæque specie esse necessariò confitenda certum apud omnes, ex clarissimis verbis Tridentini : *Etiamsi occultissima illa sint, & tantùm contra duo ultima præcepta Decalogi commissa, &c.* Alia sunt peccata externa simul & interna (nam peccatum externum tantùm sine interno voluntario implicare, aliundè nosse debes) quæ scilicet supposito interno voluntario, seu voluntate peccaminosâ, consummantur per exercitium potentiarum ac membrorum externorum, & vulgò dicuntur *peccata oris & operis.* Ut blasphemia, perjurium, mendacium, maledictum : homicidium, furtum, fornicatio, &c. Et de his quæstio est, an debeam confiteri ipsas actiones externas, an sufficiat explicare solam internam voluntatem efficacem. v. g. *volui vel tentavi* efficaciter occidere ; an debeam dicere occidi, si reverâ à me homo occisus est ? Et de his dicimus.

381 II. Necessariò explicanda sunt *peccata externa ipsarum operationum moralium liberarum*, quæ scilicet pendent ab actuali libero influxu malæ voluntatis, eóque influxu cessante seu revocante vel renitente voluntate, statim cessant, ideóque propriè peccata sunt, ut verbum contumeliosum, lectio turpis, vel noxia, furtum, fornicatio, explosio sclopeti & cætera innumera, quæ pendent essentialiter à continuo actuali influxu voluntatis ; ut quamprimùm cessat velle, vel nolit, & quasi dicat ori, oculo, manui : cessa, noli loqui, legere, tangere, percutere, &c. statim in continenti cessabit actio, locutio, lectio, tactus, &c. Et hæc peccata externa ipsa, omnium DD. consensu, necessariò exprimenda sunt in confessione, ut minimè sufficiat solam confiteri internam voluntatem, *volui loqui, legere turpia, tangere, percutere : sed locutus sum, legi, tetigi, percussi, &c.* Ratio clara est. Quia omnia peccata mortalia jure divino necessariò explicanda sunt in confessione ; illæ autem actiones externæ sunt propriissimè peccata, specie diversa ab internis tantùm : & explicatâ solâ internâ voluntate, minimè explicatur tota substantia peccati, ejúlque malitia. Ut si dicas : *volui furari, detrahere, &c.* non explicas malitiam completam contra justitiam.

382 III. *Nonitem earum effectus, &c.* Jam sunt peccata externa plurima, in quibus per ejusdem actionem externam liberam sequitur aliquis alius effectus, directè vel indirectè intentus, qui in suo fieri & esse non amplius dependet ab actuali influxu malæ voluntatis ; sic ut eum amplius impedire nequeat, quantumvis velit. Exemplo communi in homicidio. Sclopo emissâ glande trajicis hominem, unde is brevi moritur. Hic actio, quâ explodis, vel admoves ignem pulveri fistulæ impositò : moralis ac libera est dependens ab actuali influxu tuæ malæ voluntatis, adeóque propriissimè peccatum : at verò glandis transvolatio ad hominem, vulneratio, trajectio ad cor vel cerebrum, indéque secuta alteratio humorum, suffocatio caloris naturalis, separatio animæ à corpore ; & verbo, mors, sunt tantùm effectus tuæ actionis peccaminosæ & malæ pessimæ voluntatis, & in se nullo modo sunt peccata, quia nullo modo liberæ, nec amplius à tua voluntate dependent, sed positâ tuâ primâ actione, scilicet explosione liberâ peccaminosâ, necessariò sequuntur, & moritur homo, seu velis, seu nolis, ideóque nequaquam tunc amplius propriè peccas, cùm ista fiunt, licèt peccando causa veris, alioquin posses peccare in somno, imò in cælo, vel inferno, si post explosionem indormias, aut cum, vel sine pœnitentia morereris, & postea primùm sequatur mors hominis. Clarius exemplificare poteris in veneno præbito homini exinde postea mortuo, & similibus innumeris effectibus sive directè in se, sive indirectè tantùm in sua causa volitis : ut videre potes in materia de actibus humanis, de voluntario directo & indirecto. Nunc subtiliùs quæritur, an per se necessarium sit in confessione explicare ejusmodi effectus, v. g. dicendo : Sclopo, vel veneno, &c. occidi hominem, & non sufficiat exprimere internam voluntatem & attentationem efficacem ? Affirmant permulti DD. cum Sanchez *l.* 9. *Matrim. disp.* 45. Nos dicimus

IV. *Per se loquendo non est necessarium explicare illos effectus externos actionum ac voluntatis malæ, sed sufficit exprimere voluntatem & operationem ipsam efficacem.* Ita gravissimi DD. quos recitant & sequuntur Lugo *hic disp.* 16. *sect.* 9 *per totam.* Diana *p.* 1. *tract.* 7. *resol.* 6. Gobat *casu* 14. *n.* 351. Layman ipse *lib.* 1. *tract.* 2. *c.* 3. *n.* 5. Ratio ex dictis patet. Quia divino & omni jure sola peccata sunt exponenda in confessione ; atqui solùm ipsa mala voluntas, & actiones illæ liberæ & immediatæ hominis ; & nullo modo effectus istu secuti sunt peccata, quia nullo modo amplius sunt liberi, ut ostensum est : ergo non ipsi illi effectus, sed solùm voluntas & actio seu attentatio illa libera & efficax explicanda est in confessione per se loquendo : v. g. dicendo : volens occidere scopo trajeci hominem, gladio confodi, causam, medium, vel consilium efficax dedi ad abortum : bibi ex voluptate animo me inebriandi &c. Et multò magis in effectibus indirectè & in sua causa tantùm voluntariis sufficiet explicare solùm causam culpabiliter positam vel non ablatam, tacito effectu, ut in dicto exemplo. Delectationis gratiâ bibi, prævisо periculo ebrietatis. Vigilans talem malam causam dedi prævisо periculo pollutionis secuturæ in somno : tegulam è tecto ejeci perspecto manifesto vel probabili periculo hominem occidendi, & his similia sexcenta. Sic, ut per se ad confessionem plenam peccatorum opus non sit exprimere, reipsâ, secutum esse homicidium, abortum, ebrietatem, pollutionem, &c. Quia, ut dictum est, quando illas actiones liberas exercuisti tantùm, nullo modo verò tunc, quando isti effectus secuti sunt, peccâsti, & coram Deo neque majus, neque minus peccatum est, sive effectus talis sequatur, sive non : & potest fieri, ut eo tempore, quo effectus, v. g. mors hominis venenati sequitur, per pœnitentiam jam justificatus & in Dei gratia (imò in Cœlo beatus) constitutus sis, quò statu est impossibile, te actu peccare. Atque hinc insuper, si ante effectum secutum v. g. mortem talis hominis, jam Sacerdoti confessus sis, te causam præbuisse

Universidad de Deusto
Biblioteca

morti hominis, v. g. venenum propinâsse. postea comperto effectu, non teneberis rursus confiteri Sacerdoti, homicidium reverâ evenisse: quia tunc nihil amplius peccâsti, & sine causa imponeretur tibi onus gravissimum. Ut contra Suarez *cit.* rectè docent Azorius *tom.* 1. *l.* 1. *c.* 7. *infin.* Layman *cit. n.* 7. *ante finem.* Gobat *n.* 353.

384 Dixi semper: *Per se loquendo*: Omnes enim allegati DD. fatentur plerumque, expedire sine dubio, & subinde necessarium esse, explicare totum peccatum externum, ipsúmque effectum secutum: utpotè homicidium commissum, abortum secutum, pollutionem factam &c. tum, ut magis intelligatur perversitas voluntatis, efficacia actionis seu attentationis, vel periculi ad talem effectum, tum maximè, ut intelligatur, an subsit obligatio restitutionis, an irregularitas, censura, reservatio contracta sit: hæc enim non ex sola mala voluntate, conatu, & attentatione, sed ex tali peccato ineffectu consummato incurruntur. Si enim solùm confitearis, te præbuisse venenum Clerico necandi gratiâ: causam voluntariam dedisse abortui vel pollutioni &c. Secuto effectu non tolletur à te irregularitas, nec excommunicatio reservata, vel reservatio, si confitearis Sacerdoti non habenti potestatem in Reservata. Quod ipsum tamen nihil officit nostræ Sententiæ, quòd nimirùm tales effectus, homicidum, abortus, pollutio &c. vocentur peccata, & tam graviter irregularitate, excommunicatione, reservatione puniantur. Nam vocantur peccata figuratè, quia peccato fiunt, tribuendo nomen causæ effectui: & puniuntur non tam propter se, quàm propter perversam voluntatem, à qua proveniunt: quamvis illa sola perversa voluntas vel attentatio, applicatio mediorum, sine effectu secuto non ita puniatur, ut leges ipsæ exprimunt: quia non ipsa sola perversa voluntas, attentatio in se, sed solùm cum effectu secuto maximè Reipublicæ & Bono communi nocet: & aliàs oporteret nimis sæpe tam graves pœnas irrogareta, si sola voluntas vel attentio mala semper plectenda esset.

QUÆSTIO III.

An etiam Peccata dubia, ut dubia confitenda sint?

SUMMARIUM.

386. *Certus de peccato & dubius de confessione, confiteri illud obligatur. Item*
387. *Qui cum dubio practico de mortali aliquid egit, vel omisit, id confiteri obligatur.*
388. *Secùs est, si dubium ante operationem prudenter deposuit.*
389. *Dubium juris, facti, negativum, positivum &c.*
390. *Peccata merè & verè dubia non esse necessariò confitenda, docent multi.*
391. *Sententia tamen opposita affirmativa, dubia ut dubia esse necessariò confitenda, practicè omnino vera ostenditur.* Usque ad n. 396.
396. *Solvuntur fundamenta contraria.*

397. *Peccatum confessum ut dubium, postea non denuò repetendum est ut certum.*

QUaliter peccata dubia sint materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ quoad validam & licitam absolutionem, jam dixi *c.* 1. *à n.* 54. Hic quæritur, an etiam sint materia necessaria: ut si dubites, an aliquod peccatum mortale commiseris; v. g. an heri vesperas omiseris: an cogitationi morosæ venereæ consenseris &c. id ipsum tenearis sub dubio necessariò confiteri. 385

§. I

Explicatur dubium, & certa supponuntur.

QUicunque recordatur & certus est, se aliquod peccatum mortale commisisse, dubitat autem, an illud, vel gravem ejus circumstantiam, præsertim speciem mutantem, aut numerum, ritè confessus sit; ita ut nec probabiliter judicare possit, se præcepto & debito confessionis satisfeciisse, certè tenetur illud peccatum adhuc confiteri, secundùm omnes. Quia possidet certa lex confessionis contra dubitantem de impletione. Idémque dicendum videtur ex communi Sententia, quando quis scit se peccâsse generatim, seu actum à se commissum, vel omissionem aliquam fuisse peccatum, dubitet autem, an fuerit mortale vel veniale. Quia per ipsum actum peccaminosum spoliavit se possessione suæ innocentiæ & libertatis, & subjecit se legi confessionis, saltem in ordine ad judicandam causam suam. Quamquàm id negent à fortiori Authores §. 2. *citandi.* 386

II. Certum item est apud omnes, eum, qui commisit actum, vel omisit aliquid cum dubio concomitante practico, actu scilicet dubitans, sítne illud agere vel omittere peccatum mortale, nec ne? eum tanquam captum, peccatum mortale sine dubio confiteri debere: quia cum tali dubio operans, cùm eò ipsò se exponat proximo periculo peccandi mortaliter, eò ipsò certè peccavit mortaliter, ex communi & certa doctrina in materia de conscientia. Eadémque est ratio, si quis actu confitens, practicè dubitaret, an teneatur aliquod peccatum sub mortali confiteri, vel gravem ejus circumstantiam exprimere, manente dubio, tenebitur exprimere; alioquin reticendo, rursùs peccabit mortaliter, quippe voluntariè se exponens periculo sacrilegii, & nullitatis Sacramenti: implicitâ velut conditione: *Etiamsi teneor, nolo.* 387

III. Certùm etiam est, dubia merè antecedentia, vel subsequentia actum, sed ante actum, vel ante confessionem prudenter deposita, non esse confitenda: quia tunc nullum ibi est peccatum dubium. Exempli gr. dubitas, an tali die indictum sit jejunium, ideóque teneris abstinere: si, antequàm comedas, te resolvas, sive speculative, non esse jejunium: sive 388

si ve saltem practicè, licere scilicet ob causam non jejunare, etiamsi indictum esset jejunium: Quamquàm etiam illud dubium post comestionem vel violatum jejunium resurgeret, & denuò dubitares, an reverâ fuerit sufficiens causa excusans te à jejunio, & ideò an peccaveris nec ne? sed rursus te resolvas ut prius, dubiúmque deponas ante confessionem, nihil teneberis confiteri: quia sic rationabiliter deposito dubio, nullum agnoscis peccatum.

389 IV. Quæstio ergo & difficultas tota est de dubio subsequente & perseverante, quo quis simpliciter dubitat, an peccaverit mortaliter: sive illud sit 1. *dubium juris*: ut an heri fuerit indictum jejunium: an justam causam illud solvendi habuerit, &c. sive 2. *dubium facti*: ut, an heri excedens in potu plenè ebrius fuerit, an Vesperas omiserit; an tentationi habitæ consenserit &c. modò tamen 3. fuerit *dubium simpliciter*, &, ut vocant, *negativum*, quando nimirùm intellectu suspenso inter utramque partem nulla occurrit ratio probabilis judicandi pro hac vel pro altera parte, seu quòd reverâ deliqueris, vel non deliqueris mortaliter: nam, 4. quando est *dubium positivum*, ex eo, quòd sint rationes verè probabiles pro utraque parte, & esse, & non esse, commissum peccatum mortale; jam rursùs ab obligatione confitendi, te absolvit communis DD. Sententia in materia de *conscientia* vel *opinione probabili*: quia scilicet inter opiniones utrinque verè probabiles, licet tibi sequi quamlibet, etiam tibi magis faventem. His ita prænotatis

§. II.

Sententia negativa proponitur.

390 PEccata merè & verè dubia non esse necessariò confitenda, docuit Ægidius Coninck *tom. de Sacramentis, disp.* 7. *dub.* 8. *concluſ.* 1. dicens: *Ad hoc, ut peccatum tenear confiteri, requiritur, ut saltem probabiliter possim judicare, me peccâsse, &c.* Et latè defendit Joan. Caramuel à Lochovviz in sua Theologia morali *l.* 3. *disp.* 4. *n.* 14. 81. Consentit noster Marchant *Tribun. p.* 1. *tract.* 5. *tit.* 4. *q.* 5. *concluſ.* 1. *&* 2. Et probabile judicant Præpositus & Amicus apud Bardi *cit. num. seq.* Fundamenta sunt. I. Concilium Tridentinum *sess.* 14. *c.* 5. solùm exigit à Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, recenseri: ergò peccata dubia, non esse recensenda docet. II. Ex recepto axiomate: *In dubio factum non præsumitur, sed demonstrari debet. L. in Bello. ff. de captivis postliminiò reversis.* Et specialiter: *nemo in dubio præsumitur deliquisse. L. meritò ff. Pro socio.* ergò &c. III. In nullo foro externo admittuntur delicta dubia: neque ullus accusari debet (multò minùs condemnari potest) de delicto, quod eum commisisse ostendi non potest: ergo multò minùs in foro conscientiæ sacramentali peccata dubia admittenda erunt, saltem sub obligatione.

IV. Peccata dubia non sunt materia absolutionis: ergo non necessariò confitenda Layman sæpe *cit. c.* 5. §. 4. *n.* 37. Hoc etiam probabile censet, extra articulum mortis. *Quando enim homo de sua contritione incertus, è vita excessurus est, committeret se periculo damnationis, nisi confessionem sacramentalem instituat etiam peccatorum dubiorum, ideóque ad hoc obligatur naturali lege charitatis. Si verò aliàs omnia peccata sua, quorum conscientiam habet, confiteatur, tacitis illis, de quibus post diligentem sui discussionem, dubius manet, an commiserit, vel an mortalia fuerint, nec ne? tunc probabile apparet, non esse illa confitendi obligationem. Non enim ex aliqua lege positiva Christi vel Ecclesiæ, quia esset nimis severa obligatio accusandi de iis se, quæ commisisse se ignorat: neque ex lege naturali charitatis propter periculum animæ; quia confitendo bonâ fide peccata reliqua certa, indirectè per accidens remittuntur etiam, quæ ignorantur.* Hæc Layman, concludens tamen. *Verùm in hac re nihil definio, sed aliorum judicio committo.* 391

§. III.

Sententia affirmativa asseritur.

VEra omninò practicè, atque ad praxin omnimodis consulenda est Sententia affirmativa; *peccata mortalia etiam dubia, sub dubio esse confitenda.* Ratio sumitur: 392

I. Ex ipsa authoritate Doctorum tanti nominis, & multitudinis: Antiquorum omnium, Recentiorum ferè omnium, exceptis paucis supià recitatis. Ita enim docent D. Thomas *in* 4. *d.* 1. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 3. D. Bonaventura *ibid. p.* 2. *a.* 1. *q.* 2. Alensis *p.* 4. *q.* 77. *memb.* 2. *a.* 5. Navarrus *cap.* 9. *n.* 14. Sotus, Azorius, Suarez cum Sanchez *c.* 1. *mor. c.* 10. *n.* 66. Card. de Lugo *de Pœnitentia Disp.* 16. *sect.* 2. §. 3. *toto.* Bardi *discept.* 6. *c.* 11. *p.* 4. §. 1. Alii apud ipsos. 393

II. Ex universali omnium fidelium consensu & praxi in lege nova, cujus initium ignoratur. Semper enim probis omnibus persuasum fuit, & ab antiquis tanquàm certum suppositum, peccata ista dubia, eo modo, quo in conscientia habentur, esse necessariò in confessione sacramentali manifestanda: nuper ab uno & altero Authore res hæc in controversiam vocata est: qui contra communem Sententiam prudenti non possunt fundare practicè judicium, nisi ratione evidenti oppositum demonstretur, quod sanè non fit. Nam 394

III. Concilium Tridentinum ab adversariis allegatum, potiùs favet huic Sententiæ. Ita enim textus habet l. c. *Oportet à Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint.* Et post subdit: *nam venialia, quibus* 395

Universidad de Deusto
Biblioteca

à gratiâ DEI non excludimur, quamvis utiliter in confessione dicantur, taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt. Quibus verbis Concilium à necessario confitendis solùm excludit venialia, quæ à gratia DEI non excludunt, & ea mortalia, quæ post diligentem sui discussionem memoriæ non occurrunt; ergo peccata mortalia dubia, quæ post diligentè discussionem memoriæ occurrunt secundùm Concilium necessariò sunt confitenda. Nã *exclusio unius est alterius inclusio*, ajunt Juristæ. *Confirmatur*: Concilium à necessariò confitendis excludens venialia, eò quòd iis à gratia DEI nõ excludamur, apertè supponit, omnia necessariò cõfitenda esse, quibus à gratia DEI excludimur: atqui peccatis mortalibus dubiis supposito, quòd revera facta essent, reverâ excluderemur à gratia DEI, nihil enim facit ad amicitiam DEI præsens dubitatio de peccato præterito, an fuerit, nec ne? nam sicut ex eo, quòd dubitem, vel certò credam, me peccâsse, si reverâ non peccavi, illud dubium me non excludit ex gratia DEI: ita ex eo, quòd dubitem, vel credam, me non deliquisse, si reverâ deliqui mortaliter, reverâ sum exclusus à gratia DEI, non obstante illo dubio, vel judicio subsequenti, quòd nullum potest habere influxum in actionem præteritam: ergo etiam peccata mortalia dubia manent necessariò confitenda.

396 IV. Neque reliqua fundamenta adversæ Sententiæ urgent. Facilè enim respondemus: Ad I. Negatur consequentia ex modò dictis. Et dato, Concilium nihil definiisse de peccatis mortalibus dubiis; dic, Concilio tantùm propositum fuisse definire certa; incerta verò & dubia Doctoribus disputanda relinquere. Ad 2. R. dicta illa verba vera esse, sed non facere ad propositum. Non enim volumus peccata dubia confitenda esse ex eò, quòd facta præsumantur: absit, sic enim non sub dubio, sed ut certa confiteri deberent. Sed sub conditione, vel ex suppositione, *si facta sint*; prout reverà fortè facta sunt, ut etiam clavibus subjecta sint, sub dubio subjici debere. Ad 3. Negatur paritas à foro externo. Cùm enim ibi principaliter agatur de vindicta & pœna delictorum, & delicta dubia non præsumantur, meritò non admittuntur. At verò in foro sacramentali principaliter agitur de absolutione delictorum, in favorem & commodum delinquentis. Est enim Sacramentum Pœnitentiæ *vindicta salutaris*, inquit Concil. Trident. *cit. sess.* 14. *c.* 8. ubi proindè peccata etiam dubia mortalia admittenda sunt, & tutior pars tenenda, ad salutem animarum procurandam & certificandam. Ad 4. Negatur consequentia. Quia licèt peccata dubia sola non sint materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ in ordine ad absolutionem absolutam: cadunt tamen sub Sacramento unà cum aliis peccatis, aut mortalibus, aut venialibus certis, etiam jam semel confessis, nec absurdè ad eum finem per accidens, iteratò confitendis. Aut si pro absurdo habes, absolve sub conditione, quemadmodùm etiam absolveres, si nullum omninò peccatum certum recens vel vetus Pœnitens dubius agnosceret. Sed hunc casum tu ne timueris in praxi, quia speculativus est.

§. IV.

Quid si autem peccatum dubium sic confessum postea comperiatur certò esse factum?

EUm, qui peccatum mortale aliquod ut dubium confessus est, significans se verè dubitare, an commiserit reipsâ, nec ne: si postea certò comperiat, illud peccatum esse re verâ à se patratum, teneri illud denuò ut certum confiteri, adeò communis est sensus & Sententia DD. ut Dicastillus *hic disp. 9. dub. 2. n.* 141. disertè scribat, contrarium esse inauditum in Ecclesia DEI. Sed hic optimus Doctor non legit omnes, certè non mox infrà nominandos. Et ratio videtur urgens. Quia peccata tenemur confiteri prout sunt in nostra conscientia: ergò cùm illud peccatum priùs dubium, jam in conscientia certò factum agnoscamus, jã tamquàm certum confiteri obligabimur. Sed contrà

Dico simpliciter: Non tenemur peccatum 397
priùs ut dubium confessum, postea compertum certò factum, denuò ut certum confiteri. Ita post alios resolutè Arriaga *de Pœnit. disp.* 31. *sect.* 6. Et probabilissimum censet Tamburinus *opusc. Exped. Confess. l.* 1. *c.* 1. §. 4. *n.* 24. Pellizarius *Manuali Regularium tract.* 3. *c.* 3. *num.* 46. Noster Herincx *disp.* 3. *q.* 4. *num.* 51. Caramuel *Theolog. Fundament. n.* 1324. *Coronius, Leander, Verricelli, Vidalis, Martinus a S. Joseph.* apud Dianam *p.* 10. *tract.* 16. *resol.* 79. Et tandem probabilè censuerunt Romæ Reverendissimus Richardus S. Palatii Apostolici Magister, alii viri doctissimi consultià Lugo, prout ipse testatur *cit. disp.* 16. *n.* 92. Ratio sufficiens est: quia reverâ jam confessus est totum suum peccatum, prout tunc erat in conscientia, quoad speciem, numerum, & circumstantias se tenentes ex parte ipsius peccati, ut supponimus: & ab eo directè absolutus est, non obstante dubio: nam dubitatio prior, & certitudo postea superveniens non est circumstantia tenens se ex parte cognitionis tantùm: nec cognitio prior dubia impedit, quò minùs peccatum prius sit integrè in confessione manifestatum, & directè absolutum: nec cognitio certa superveniens detegit aliquam novam circumstantiam diversificantem peccatum: ergo non est ulla ratio, cur tale peccatum anteà confessum ut dubium, postea certò cognitum, ut certum denuò confiteri obligemur. *Confirmatur à simili.* Communissimo sensu Doctorum: qui dubius de voto emisso, aut censurâ vel irregularitate contractâ, petit & obtinet absolutionem vel dispensationem ad cautelam, vel sub conditione,

ne postea cognitâ certitudine sui voti, censuræ vel irregularitatis anteà contractæ, non debet petere de novo absolutionem vel dispensationem: cur non idem dicatur in proposito & casu nostro simillimo? Vide *infrà sect.* 3. *quæst. un.* §. 1. *num.* 496.

Atque his solidè eversa manet ratio oppositæ sententiæ. *Tenemur peccata confiteri prout sunt in nostra conscientia*: quoad ea nimirùm, quæ se tenent ex parte peccati, ipsúmque peccatum diversificant, vel aggravant: nequaquàm autem quoad omnia, quæ se tenent solùm ex parte hominis; vel cognitionis; alioquin in unoquoque peccato nimis multa confitenda essent. Atqui prior dubitatio, & subsequens certitudo minimè se tenent ex parte ipsius peccati, nec illud ullo modo diversificant vel aggravant, uti dictum est: ergo &c.

§. At, numquid, si Pœnitens ab initio certus fuisset de peccato commisso, non rectè expressisset ut dubium: sed debuisset confiteri ut certum: ergo etiam modò debet, postquam cognovit, certò esse commissum. R. *Negando consequentiam.* Quia ab initio peccatum certum ut dubium confitens, mentitus fuisset perniciosè & sacrilegè, decipiens Confessarium in re gravi: ideóque nec absolutus fuisset. At in nostro casu nihil mentitur, & à peccato, prout tunc in conscientia fuit, sufficienter expresso, directè absolutus esse supponitur.

QUÆSTIO IV.

Quænam circumstantiæ necessariò explicandæ in Confessione?

SUMMARIUM.

399 *Circumstantiæ peccati quid, & quotuplex?*
400 *Aliæ sunt aggravantes tantùm,*
401 *Aliæ speciem mutantes*
402 *Necessariò explicandæ sunt speciem mutantes;*
404 *(Intellige mortaliter certò mutantes,)*
405 *Etiam in actu interno efficaci, non inefficaci simplici, complacentiæ, vel delectationis morosa, nisi per se intendantur.*
407 *Nullas aggravantes tantùm necessariò explicari debere, est satis probabile.*
409 *At longè probabilius est, necessariò explicandas esse circumstantias mixtas.*
411 *Ratione majoris materiæ. Exempla* usque ad n. 415. &
415 *Ratione objecti multiplicati. Exempla* Usque ad n. 421.
421 *Circumstantiæ merè vel leviter aggravantes necessariò explicandæ non sunt. Exempla* Usque ad n. 426.

ASSERTIO.

398 *OMnes circumstantiæ speciem mutantes mortaliter necessariò explicandæ sunt in confessione: Nullas circumstantias aggravantes tantùm necessariò explicari debere, valde probabile & satis tutum est: At longè probabilius, tutius, & in praxi omnimodis consultissime exiplicandæ sunt circumstantiæ mixtæ, scilicet ad malitiã substantialem actûs concurrentes ratione materiæ majoris, & objecti multiplicati: secùs de circumstantijs merè aggravantibus, exceptâ tamen morâ nimiâ peccati continuati.* Hæc partim certa, partim controversa, ut debitè explicetur, ex materia de Actibus humanis necessariò prænoscendum, quid & quotuplex sit circumstantia actûs humani, & in proposito peccati.

§. *Quid & quotuplex est Circumstantia peccati?*

399 CIrcumstantiæ Peccati dicuntur ejus peccati particulares & accidentales conditiones & affectiones, eò, quòd vel actum peccati, vel operantem, vel ejus objectum accidentaliter afficiant, & quasi circumstent. Exemplum vulgare in furto. De substantia actûs furandi solummodò sunt homo accipiens, res aliena, ejus ablatio rationabiliter invito Domino. Hìc verò actum, operantem, vel objectam variæ circumstantiæ afficere possunt, & furtum reddere magis vel minùs malum, licèt nunquam bonum. *Quis?* Dives, an pauper; an gravi, an extremâ necessitate pressus, quo casu furtum omnino cessaret. *Quid?* An multum, parùm, pecuniam, rem sacram, vel prophanam. *Ubi?* An in loco sacro vel prophano. *Quibus auxiliis?* An armatâ manu, instrumentis prohibitis, an medijs magicis? *Cur?* An etiam ad alium malum finem, ad scortandum, se inebriandum &c. *Quomodò?* An ex proposito, vel subitâ subreptione, an occultè, vel dolo, an palàm, cum violentia, effractione. *Quando?* An tempore belli, famis, necessitatis, an diviti, pauperi, &c. Hæ igitur circumstantiæ comprehenduntur vulgari versu:

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

400 CIrcumstantiæ ejusmodi sunt duplices: aliæ dicuntur aggravantes tantùm intra eandem speciem: aliæ speciem mutantes. *Circumstantiæ aggravantes tantùm* sunt: quæ solùm augent, vel minunt malitiam actûs intra eandem speciem peccati, quando nimirùm circumstantia addita actui in suo conceptu non involvit aliam malitiæ speciem distinctam à malitia specifica ipsius actûs; sed eandem malitiam solùm auget, vel minuit: uti sunt generatim. 1. Majus vel minus voluntarium & libertas actûs. 2. Major vel minor intensio, vel vehementia actûs. 3. Major vel minor duratio vel mora actûs peccaminosi. 4. Major vel minor quantitas materiæ vel objecti. Ut si antea furatus 100. hodie fureris mille, ejusdem speciei peccatum furti committis: at hodie longè gravius; antea levius: ideóque est

Universidad de Deusto
Biblioteca

circumstantia aggravans tantùm, non speciem mutans. Exempla abunde dabuntur in sequentibus.

401 Circumstantiæ speciem mutantes sunt, quæ actui novam & diversam speciem malitiæ contra aliam virtutem afferunt: quando nimirùm circumstantia addita actui ex se habet propriam specialem malitiam ac deformitatem distinctam à malitia propria specifica ipsius actûs peccati: adeóque actum ex materia unius vitii aut peccati transfert in materiam alterius vitii & peccati. Tritissimum est exemplum in peccato carnis. Si enim hoc fiat inter solutos, est simplex fornicatio, contra virtutem castitatis tantum. Si fiat autem à vel cum persona li-[illegible], est adulterium contra virtutem justitiæ: si autem fiat à vel cum persona sacra, est sacrilegium, contra virtutem Religionis: si fiat inter consanguineos vel affines, est incestus contra pietatis virtutem. Si cum virgine invita est stuprum: si cum vi illata, est raptus, utrumque contra justitiam. Si contra naturam cum seipso, est mollities: si cum eodem sexu, est Sodomia: Si cum diversa specie, est bestialitas. Omnes hæ sunt circumstantiæ speciem mutantes, qui diversas omnino specie malitias contra diversas virtutes adferunt actus, ut intuenti patet. Quò etiam spectant circumstantiæ, quæ actum, destructâ bonitate, efficiunt malum, ut maximè, si facias opus bonum ad finem malum: v. g. puellæ pauperi des largam eleemosinam, ut inducas ad consensum turpitudinis intentæ, &c. His ita suppositis, dicimus in Assertione

§. I.

Omnes Circumstantiæ speciem mutantes, necessariò explicandæ sunt &c.

402 CErtissimum apud omnes: ex claro textu & ratione Concilij Tridentini allegati *q.* 1. *n.* 3. Et ratio est: quia omne peccatum mortale specificè, seu in sua propria specie ipso jure divino explicandum est in confessione, ut *q.* 2. dictum: atqui etiam in eodem actu malitiæ specie diversæ verè constituunt diversa specie peccata: adulterium enim & incestus v. g. diversa specie peccata sunt, & inter se & à fornicatione simplici (ut nimis notum) ratione diversarum malitiarum contra distinctas virtutes à circumstantijs desumptarum: ergo necessariò explicandæ sunt circumstantiæ illæ, quæ speciem mutant, seu novam speciem malitiæ actui peccaminoso adferunt. Exempla sunto

403 I. Exempla clara & certa sunt. 1. In supra allato peccato carnis. Qui enim peccavit cum non sua, explicare debet, an ipse vel complex sit persona soluta, ligata, consanguinea, sacra, &c. Omnes enim hæ circumstantiæ mutant speciem, seu diversas specie malitias adferunt contra diversas virtutes. 1. Solam Continentiam. 2. Justitiam. 3. Pietatem. 4. Religionem: quâ ratione etiam, qui voto simplici astrictus castitatis peccat, præter speciem peccati luxuriæ, circumstantiam voti explicare tenetur, secundùm omnes. 2. Qui furatus est, explicare debet, an rem sacram, vel ex loco sacro, saltem sub dominio vel custodia loci sacri constitutam vel depositam: nam & hæc circumstantia speciem mutat, furtúmque sacrilegum constituit contra virtutem Religionis: Item an cum violentia illata personæ, sic enim constituit speciem rapinæ speciali malitia contumeliæ, contra honorem debitum proximi. 3. Qui occidit, explicare debet, qualem personam, an patrem, fratrem &c. & erit speciale peccatum parricidij contra pietatis virtutem; an Clericum, vel Monachum, & erit speciale peccatum sacrilegij cum excommunicatione Canonis: & si Episcopum, Cardinalem, Legatum, etiam cum excommunicatione Bullæ Cœnæ. Item *ubi*? an in loco sacro; & rursus erit speciale peccatum sacrilegij cum pollutione templi; item *quomodò*? an ex insidijs, veneno, maleficio, tunc enim erit homicidium qualificatum, scilicet proditorium, maleficium: item *quibus auxiliis*, quot locijs adjunctis, totidem erunt distincta peccata scandali, & sic. 4. Universaliter, qui alterum, saltem antea non paratum vel volentem, inducit ad peccatum quodlibet mortale secum patrandum, præter peccati speciem, hanc ipsam suam inductionem explicare debet, quia hæc semper est speciale peccatum scandali contra charitatem. Et specialiter quando fœmina virum inducit ad fornicationem v. g. id explicare tenetur, quia hoc de sexu verecundo à Confessario non præsumitur: secùs, si vir fœminam induxit: quia ex communiter accidentibus, ex fatente suam fornicationem præsumitur, quòd vir invitaverit. Communis DD. Atque ejusmodi circumstantias si confitens sponte non fateatur, à Confessario consequenter inquiri & examinari debet. Exempla non ita certa jamjam pono *n. seq.* Nam notanter

II. Dixi: *Speciem mutantes mortaliter*. Secùs 404
utique est, si circumstantia veniali vel levi tantum malitiâ speciem mutet: ut si furatus es etiam notabile quid cum levi aliorum scandalo, vel ad finem venialiter tantùm malum, v. g. uberiorem potationem. Item intelligendæ semper sunt circumstantiæ certò *mortaliter mutantes speciem*. Quòd si enim sint opiniones probabiles DD. aliquam circumstantiam non mortalem vel gravem, sed venialem vel levem tantum malitiæ speciem adferre actui peccaminoso, aut certè malitiam circumstantiæ non differre specie à malitia specifica actûs; etsi adhuc tutiùs explices, tamen sequendo opinionem probabilem, etiam turò poteris non explicare. Exempla & casus, allegatis Doctoribus & rationibus, exhibet Diana *p.* 1. *tr.* 7. *sparsim*: quibus Pœnitens satisfacit integritati confessionis, tacendo aliquas circumstantias apparenter speciem mutantes: utpote 1. Sponsus vel sponsa fornicans cum alio, non aperiendo sponsalia. *resol.* 5. Confessarius carnaliter peccans cum filia confessionis, nec eam qualitatem exprimens *resol.* 12. Virgo, mas, vel puella primò fornicans, vel carnaliter peccans, non exprimens spoliationem virginitatis. *resol.* 11. Qui in loco sacro exercuit tactus vel actus turpes citra periculum pollutionis, omittens circumstantiam loci sacri, *resol.* 15. imò & pollutionem, sed occultè omnino, *resol.* 16. sed mihi non placet, ob communem oppositam. Qui in loco sacro furatur rem privatæ personæ non depositam in eo, tanquam in custodia, v. g. marsupium audientis in templo Sacrum, tacens circumstantiam loci sacri: *resol.* 27. Qui in incestu commisso non explicat gradum proprium consanguinitatis vel affinitatis, dicens solum commisi incestum. *resol.* 31. Qui non explicat circumstantiam diei sacri, quando peccavit carnaliter, etiam v. g. die Jovis sancto, die Communionis. *resol.* 32. Nisi fortè statim post Communionem vel Missam fieret. Item qui non explicat, an blasphemia sua fuerit contra DEUM vel Sanctos: an malum imprecatum sit malum animæ, corporis, vel fortunarum, &c Lugo *disp.* 16. *n.* 253. Ratio horum & similium jam dicta est, quòd ejusmodi circumstantiæ vel non gravem, vel certè non specie diversam malitiam adferant actui, de quibus tamen aliquibus iterùm aliter.

405 III. Quin etiam in actu interno efficaci necessariò explicandæ sunt circumstantiæ speciem mutantes mortaliter; non item in actu interno inefficaci simplicis complacentiæ, vel delectationis morosæ, (nisi eæ circumstantiæ ipsæ per se intentæ & volitæ essent, quod certè rarum est) cùm etiam actus internus efficax sumat suam speciem & malitiam à circumstantijs cognitis, ac indirectè saltem volitis, ex communi doctrina *in materia de actibus humanis*. Ratio est: quia actus internus inefficax, simplex velleitas, complacentia, delectatio morosa, &c. fertur in objectum præcisè, ut objectivè proponitur in intellectu, ideóque facilè abstrahit à circumstantijs annexis quamvis cognitis. Unde qui morosè delectatur de ligata, consanguinea, sacra; &c. præcisè ut fœmina formosa est, committit actum simplicis impudicitiæ, vel fornicationis mentalis, ut proinde in confessione circumstantias personæ explicare opus non sit. At verò actus internus efficax tendit in ipsum actum extremum, ut subjectivè exercendum circa objectum, prout est à parte rei: ideóque minimè potest abstrahere à circumstantiis annexis cognitis, sed volens actum, necessariò vult simul circumstantias annexas cognitas, v. g. efficaciter concupiscens fœminam, quam scit, vel quomodolibet apprehendit ligatam, consanguineam, sacram, verè committit actum adulterij, incestûs, sacrilegij, proinde necessariò explicandum in confessione. Unde ulterius, qui efficaciter concupiscet aliquam conceptu confuso, cujuscunque conditionis, aut aliquam quamcunque ex tota congregatione, in qua scit multas esse ligatas, consanguineas, &c. verè committeret peccatum qualificatum necessariò aperiendum in confessione. Quòd si verò quis conceptu plane abstracto concupiscat fœminam in genere, nihil planè cogitando de ejus qualitate, probabilius committeret actum simplicis fornicationis tantùm. Quia licèt non habeat circumstantiam fœminæ solutæ, habet tamen totam & solam malitiam simplicis fornicationis, & nullam aliam. Debet tamen explicare in confessione, se concupivisse fœminam in communi, non ob exprimendam aliquam specialem malitiam, sed ne mentiatur exprimendo certam personæ concupitæ qualitatem. Sic rectè Tamburinus *l.* 1. *c.* 1. §. 4. *n.* 14. 15. Quamvis aliter sentiat Sanchez *l.* 1. *Moral. c.* 8. *n.* 5. quem vide.

IV. Denique quemadmodùm ipsa peccata du- 406
bia, ita etiam circumstantiæ mortales dubiæ, necessariò explicandæ sunt in confessione. Ut si quis peccavit cum fœmina, & postea dubitat simpliciter, an fuerit soluta, vel ligata, aut consanguinea, juxta dicta *q. præced.* §. 3.

§. At hic circa prædicta restât celebris quæstio: utrùm peccatum continens plures malitias ex circumstantijs possit in confessione dividi. Exempli gratiâ: voto castitatis astrictus peccavit contra castitatem: potéstne peccatum dividendo ita se accusare: semel peccavi contra castitatem, fornicando v. g.? Et, violavi meum votum semel? item aliquis furatus est ad finem fornicandi: potéstne divi, sim dicere? Semel furatus sum tantùm: Et semel habui animum fornicandi. ℟. Non sic licet in una confessione, quando quis tale peccatum primò confitetur. *Ratio* est: quia non explicares peccatum à te commissum, sed significares, te duo peccata patravisse. Confessarius enim, dum modò audit te fornicatum, & postea disparatim te violâsse votum, ex tuo modo loquendi concipit, te duo distincta peccata commisisse, cum tamen solùm unum numerò peccatum, cum duplici tamen malitia commiseris. At verò in diversis confessionibus, quando primò solùm unum ex his fassus es; v. g. peccavi contra castitatem; & alterius violationis voti inculpatè es oblitus, tunc in secunda confessione poteris confiteri solam alteram malitiam seu circumstantiam: utpotè, violavi votum meum: quia jam legitimè, violavi votum meum: quia jam legitimè, subjecisti clavibus primam malitiam, alterius inculpabiliter oblitus: satis ergo est, si postea explices secundam, cùm secunda sine prima sufficienter explicari possit, ut in datis exemplis, & quoties in peccato sunt duæ numerò

Universidad de Deusto
Biblioteca

distinctæ malitiæ, ut si quis uno actu occidisset duos homines, &c. Secùs esset, si malitiæ illæ distinctæ non possent separatim sufficienter explicari. Si enim confessus fornicationem, inculpatè oblitus es confiteri circumstantiam incestûs cum sorore: quomodo posteà exprimes hanc circumstantiam solam, nisi totum peccatum incestûs repetas? Hinc Lugo *cit. disp. 16. sect. 3.* rectè concludit, eum, qui furatus est 100. & per oblivionem confessus est, clepsisse 60. tantùm: debere in posteriori confessione exprimere totum furtum 100. aureorum: & non satisfacturum, si exprimat solùm 40. reliquos omissos: quia sic neutrâ vice confiteretur illud numerò peccatum, quod commisit.

§. II.

Nullas Circumstantias aggravantes tantùm necessariò explicare debere, valde probabile est, & satis tutum.

407 EST sanè Sententia satis communis & gravissimorum DD. Ita enim docent D. Thomas: D. Bonaventura, Scotus cum suis *in 4. dist. 16.* D. Antoninus, Richardus, Durandus, Valentia, Reginaldus, Lessius, Vasquez, Becanus, Bonacina, aliique, quos congerunt & sequuntur Diana *p. 1. Tract. 7. passim, præsertim resol. 1. & 14.* Lugo *de Pœnit. d. 16. sect. 3.* Joannes Sanchez *select. disp. 11. n. 5.* Bassæus *in floribus V. Circumstantia. n. 3.* Joan Pontius noster *Curs. Theolog. disp. 46. q. 7.* ac novissimè etiam Gobat. *Alphab. confit. Casu 15.*

408 Ratio omnino probabilis est. Quia Sacramentum Pœnitentiæ, quoad confessionem peccatorum alias satis onerosum, non debet majori onere gravari, absque expresso præcepto divino vel Ecclesiastico: atqui de confitendis circumstantijs aggravantibus tantùm intra eandem speciem, nullum potest ostendi præceptum divinum vel Ecclesiasticum: ergo, &c. Non divinum. Quia præcepto divino solùm tenemur confiteri omnia peccata mortalia, quorum absolutio simpliciter est necessaria ad consequendam salutem: sed possumus confiteri omnia peccata mortalia sufficienter absque confessione circumstantiarum aggravantium tantùm; v. g. dicendo: *commisi furtum mortale toties*, absque expressione quantitatis: neque eam opus est scire Confessario, 1. Non in ordine ad absolutionem ipsam, quia audito peccato mortali, habet sufficientem materiam. 2. Neque ad injungendam pœnitentiam: potest enim injungere pœnitentiam competentem tot peccatis mortalibus, de reliquo remittere ad forum DEI in hâc vel altera vita, præsertim, cum id de facto ordinariè fieri debeat: quis enim injungat pœnitentias competentes tot, tam gravibus sæpè mortalibus auditis? quod maximè verum est in Sententia Scoti. 3. Neque ad injungendam restitutionem: quia potest Confessarius dicere: restitue, quantum abstulisti, vel nocuisti: ergo, &c. Neque præceptum Ecclesiasticum ostendi potest. Quia Concil. Trident. *cit.* enumerans omnia requisita ad integritatem confessionis Sacramentalis, ut posteà concludat: nihil aliud ab Ecclesia à pœnitentibus exigitur, nullam tamen facit mentionem circumstantiarum aggravantium tantùm, sed solum speciem mutantium: ergo, &c. Et verò certissimum est, non omnes circumstantias aggravantes necessariò esse explicandas, esset enim onus intolerabile, & moraliter impossibile, ac sepes infinitorum scrupulorum & difficultatum inextricabilium. Unde neque mihi placet illa Regula, quam cum *Medina, Soto, Cano, Lopez, Henriquez*, & alijs tradit Suarez *in 3. p. tom. 4. disp. 22.* Nimirùm circumstantias notabiliter seu multùm aggravantes necessariò explicandas esse. Quomodo enim quilibet scire vel dijudicare poterit, quænam circumstantiæ multùm, quæ verò parùm aggravent, cùm in hoc nec docti consentiant, & quilibet in suo sensu abundet: unde adhuc intricatæ difficultates orirentur tam Confessario, quàm Pœnitenti. Sed neque mihi placet universaliter Sententia prælegata. Medio ire placet. Hujus ergo probabilis Sententiæ exempla & casus apud citatos DD. maximè Dianam videre & mirari potes. En tibi, aliquot. 1. Qui furatus est mille aureos, satisfacit dicendo: *commisi furtum mortale.* Omnes citati. Extendúntque Vasquez, Lugo, alij, etiam ad casum, quo illi mille aurei spectâssent ad diversos Dominos. Atque adeò, ut etiamsi Confessarius interroget quantitatem furti commissi, tamen non teneatur Pœnitens fateri: Hurtadus, Dicastillus, Joannes Pontius. Contrà tamen Lugo *cit. num. 123.* meritò fatetur, esse candidè tunc aperiendam veritatem: est enim Confessarij judicare de gravitate peccati, quam pœnitentiam injungere, quod remedium præscribere oporteat. 2. Qui uno actu statuit totâ quadragesimâ non jejunare, toto anno non audire Missam, aut Clericus non orare Breviarium, &c. unum tantùm peccatum committit, ut sufficiat dicere. *Semel habui propositum non jejunandi, non audiendi Sacrum, Breviarium omittendi*; (Quod tamen meritò rejicit Diana. *p. 3. Tract. 4. resol. 164.*) 3. Qui unico actu desideravit, vel proposuit occidere 10. homines, vel peccare cum 10. fœminis, satisfacit dicendo: habui propositum, vel desiderium occidendi, item fornicandi, &c. Diana superiùs *cit. resol. 17.* Nisi fortè inter illos decem homines sit unus vel alter Clericus, inter illas fœminas aliqua ligata, cognata, monialis. 4. Qui uno impetu iræ plures homines, aut totam Communitatem aliquam petit verbo multùm contumelioso: aut ferò dicit: Diabolus auferat omnes incolas hujus Domûs, Collegii, Pagi, Civitatis: aut uno actu plures scandalizat, seu in peccatum inducit: aut eodem motu libidinis fœminam sæpiùs impudicè tangit, &c. satisfacit dicendo: *semel aliquos contumeliâ affeci; semel fœminam impudicè retigi, malè imprecatus sum: scandalizavi aliquos, & cætera hujusmodi sexcenta.* Quæ tamen & similia plura negabimus §. *sequenti*: plura etiam concedemus § 4. *& q. seq.* de numero peccatorum explicando.

§. III.

At longè probabilius necessariò explicandæ sunt Circumstantiæ mixtæ, ad malitiam substantialem actûs concurrentes, ratione materiæ majoris, aut objecti multiplicati.

409 ITa in terminis Petrus Marchant *Tribunalis p. 1. tract. 3. tit. 3. q. 4.* Et reipsâ docet communior Sententia DD. asserens necessariò explicandas esse circumstantias notabiliter aggravantes, aut saltem circumstantiam *Quid*. Suarez *de Pœnit. disp. 12. sect. 3.* Layman *libro 1. tract. 2. c. 10. num. 3.* alii apud ipsos.

410 ¶. Nota *Circumstantia* mixta ad malitiam substantialem actûs concurrens dicitur: quæ licet habeat rationem meræ circumstantiæ respectu actûs in communi vel specie; attamen respectu hujus actûs in individuo est verum objectum partiale substantiale, se solo, ac secluso reliquo objecto principali, adhuc sufficiens ad peccatum mortale. Atque ita se habet circumstantia QUID, vel CIRCA QUID, quantùm ad quantitatem materiæ, vel pluralitatem objectorum, v. g. *Furari mille; concupiscere carnaliter plures, &c.* Ubi vides circumstantiam ita ingredi objectum principale hujus furti, vel concupiscentiæ in individuo, ut relicto etiam objecto reliquo sufficiente ad peccatum mortale, utpote *furari 10. aut concupiscere secundam, tertiam, &c.* adhuc sit sufficiens objectum peccati mortalis. Utique per omnem modum. Et hujusmodi circumstantias mixtas, necessariò explicandas esse in confessione asserimus, & probamus.

Ratio solida est: quia ex natura institutionis Sacramenti Pœnitentiæ per modum judicii, adeóque ipso jure divino, illa necessariò sunt in confessione explicanda, quæ judicium sacramentale notabiliter alterant, quibus scilicet cognitis, longè aliter agere debet judex Sacramentalis, quàm si ignota sint. Et certè peccata in confessione ita explicanda sunt Sacerdoti, ut is de eorum qualitate & quantitate rectè judicare, convenientémque & pœnitentiam, & medicinam, & obligationem præscribere possit: hoc enim ubique exigunt Concilia & Patres. Quin ipsum Concilium Tridentinum *cit. sess. 14. c. 5.* statuens, necessariò confitendas esse circumstantias; quæ peccati speciem mutant, hanc ipsam dat Rationem, concepris verbis. *Quod sine illis peccata ipsa, neque à pœnitentibus integrè exponantur, neque judicibus innotescant: & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, imponere.* Hæc ibi. Atqui certum est, circumstantias illas mixtas quàm maximè alterare, & immutare judicium Sacramentale, ut sine illis *peccata nec integrè exponantur*, nec à Judice Sacramentali rite judicari possint: atque sæpè multò magis, quàm circumstantiæ speciem mutantes. Quid ni enim maximè alteret judicium Sacramentale furari 1000. ducatos, & 10. aureos? Quid ni magis alteret judicium Sacramentale furari 1000. ducatos, quàm furari calicem 20. aureorum; aut 20 aureos in loco sacro depositos, licèt hæc circumstantia speciem mutet, illa aggravet tantùm? ergo æquè explicandæ sunt circumstantiæ illæ aggravantes mixtæ, idque ipso jure divino: & fortè etiam Ecclesiastico. Nec Concilium Trident. suprà, etsi apertè solùm exprimat circumstantias speciem mutantes, tamen ipsâ ratione allegatâ, implicitè etiam comprehendere voluisse censetur circumstantias illas aggravantes, quarum illa eadem, vel potior etiam esset ratio. Ac per hoc satisfit fundamento oppositæ Sententiæ §. 2. allatæ.

Exempla majoris materiæ sunt.

I. QUi furatur mille aureos, planè non satisfacit dicendo: *commisi furtum mortale; furatus sum summam notabilem, vel in quantitate notabili, magna, mortali*, &c. ob rationem modò datam. Quinimò qui furatur etiam modicam quantitatem homini valde egeno, & magnum inde detrimentum patienti, tenetur eam circumstantiam exponere, quia auget malitiam substantialem actûs, & alias venialem, mortalem efficit, secundùm omnes. Similiter, qui homini magnæ authoritatis coram aliis injuriam, vel contumeliam intulit, tenebitur explicare circumstantiam personæ læsæ, quia & ipsa auget malitiam substantialem actûs, scilicet injustiæ læsionis famæ vel honoris proximi, quæ eò major est, quò persona major & publica læditur. 411

II. Percutiens, vulnerans, vel lædens alterum, debet exprimere quantitatem vel modum percussionis vel læsionis, si gravis, atrox, enormis fuit. Hæc enim maximè augent malitiam substantialem actûs; ejúsque maximè rationem habet Ecclasia in percussione Clerici: si enim levis percussio fuerit, censura Episcopo committitur: si gravis, atrox, enormis, Papæ reservata manet. 412

III. Quamvis probabile sit, omnes blasphemias, vel maledicta in DEUM vel Sanctos: omnia perjuria; omnes superstitiones; omnia sacrilegia: similiter omnes detractiones, contumelias, maledicta, imprecationes in proximum, &c. singula formaliter & per se esse ejusdem speciei, ut proinde necesse non sit in particulari explicare materiam, in qua sic contra DEUM vel hominem deliquisti blas-

 413

Universidad de Deusto
Biblioteca

mando, maledicendo, &c. certum tamen videtur, generatim explicandam esse quantitatem, gravitatem, vel atrocitatem blasphemiæ, injuriæ, &c. Uti notant Doctores citati: & oppositum in praxi minùs probabile, ac minimè tutum, rectè censet Suarez *cit. supra n.* 109. *in fine.*

414 IV. In peccato incestûs inter consanguineos vel affines, non sufficit dicere simpliciter, *commisi incestum*: sed necessariò explicandus est gradus intra quartum, imò etiam linea recta, vel transversa. Quia alioquin non tota substantia illius peccati mortalis explicaretur. Etsi enim diversitas gradûs & lineæ non adferat diversitatem peccati specificam, ut contra Navarrum *c.* 7. *n.* 4. probabilius docent alii apud Dianam *p.* 1. *tr.* 7. *resol.* 31. *& alibi*: tamen nimium quantum augent malitiam substantialem sceleris incestûs, scilicet impietatis & irreverentiæ erga sanguine junctos. Sicut enim longè major reverentia debetur Matri, quàm sorori: & sorori, quàm consobrinæ: ita incomparabiliter pejor & gravior est incestus filii cum Matre, quàm inter fratrem & sororem: & inter hos, quàm consobrinos inter: & sic consequenter usque ad 4. gradum. Ejusdem judicii esto in scelere muto incubum, vel sucuoum agere. Sed vide Dianam *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 159. & *alibi.*

Exempla Objecti multiplicati.

415 QUicunque uno actu peccaminoso tendit in plura objecta mortaliter mala, seu singula sufficientia ad constituendum peccatum mortale seorsim, omninò necessariò explicare debet ipsam saltem pluralitatem objectorum, cùm alioquin nullo modo explicet substantiam peccati à se commissi; omissâ enim circumstantiâ pluralitatis, v. g. si simpliciter dicas: volui fornicari semel, aut occidere hominem: semper Confessarius intelliget de uno tantùm objecto, non de pluribus: quin etiam probabilissimè, certò tutissimè, explicare debet numerum objectorum sibi cognitum quoad commodè fieri potest. Ita DD. *citati.* Exempla sunt

416 I. Qui uno actu interno intendit, vel uno actu etiam externo tentat occidere, vel defacto occidit plures homines, integram familiam, congregationem &c. v. g. unâ explosione, incendio, ruinâ domûs, veneno parato &c. tenetur in confessione explicare numerum illorum hominum, quos occidere intendit, tentavit, vel defacto occidit. Quamvis enim materialiter actus unus sit, formaliter tamen, ut malus, multiplex est, tótque substantiales malitias homicidii continet, quot homines occiduntur, vel occidi intenduntur: secundùm omnes.

417 II. Qui uno actu blasphemat Christum & omnes Apostolos, DEUM, & omnes Sanctos, Qui sub juramento interrogatus de pluribus rebus vel articulis, & uno actu pejerat, utique formaliter multiplex peccatum blasphemiæ, vel perjurii committit, ideóque aperiendum in confessione. Similiter, qui uno actu publico plures scandalizat, uno sermone plures ad peccatum inducit, pluribus detrahit, calumniam, convitium infert, v. g. toti alicui Communitati, Congregationi, Monasterio, &c. virtualiter saltem multiplex peccatum committit, & quoad fieri potest, numerum vel saltem pluralitatem explicate debet. Similiter, si quis uno actu statuisset omittere divinum Officium per totam septimanam, vel mensem, aut non jejunare per totam Quadragesimam, vel annum, virtualiter tot peccata committit, quot Officia vel jejunia omittenda sunt: ideóque numerus explicandus. Eâdem ratione, qui jejunium violat, secundò reficiendo, & simul carnes edendo, uno licet actu, duplex peccatum committit, quippe contra duplex præceptum disparatum, quorum unum sine altero servari potest. Vide Sanchez *l. moral. c.* 6. & Layman hic *c.* 10. *n.* 3.

418 III. Qui uno actu efficaciter concupiscit plures fœminas, tenetur explicare numerum personarum, atque ac qualitatem, num solutæ, vel ligatæ &c. Quinimò, qui solùm moro è delectatur de pluribus, aut in pollutione imaginatur plures, adhuc tenetur explicare numerum personarum, non item qualitatem, juxta dicta *supra* §. 2. *N. III.* Ratio semper eadem. Qui verò uno actu delectatur de triplici actu nefando à se commisso, tenebitur simul explicare numerum & speciem, secundùm omnes apud Dianam *p.* 3. *tr* 4. *resol.* 164.

419 IV. In mutuo sacrilegio vel adulterio, non sufficit dicere simpliciter: commisi adulterium, vel sacrilegium, sed oportet etiam addere circumstantiam alterius personæ, etiam ligatæ vel sacræ: quia licèt idem numerò sit actus, & ejusdem speciei adulterium, vel sacrilegium, malitia tamen formaliter duplex est: quia in mutuo adulterio fit injuria duabus personis tertiis, scilicet adulteri uxori; & adulteræ marito: & in sacrilegio mutuo in duabus personis & corporibus violatur castitas DEO consecrata voto solemni ab Ecclesia acceptato.

420 Tandem circumstantias ita aggravantes intra eandem speciem, ut ex veniali faciant mortale, necessariò debere exprimi in confessione, ita ut Confessarius possit prudenter judicare, utrum peccatum reipsâ & coram DEO fuerit mortale, nec ne, certum est apud omnes teste Sanchez *l.* 7. *Matr. d.* 34. *n.* 15. Quia alioquin deciperetur Confessarius in re gravissima per se spectante ad confessionem. Quare si furatus es notabile quid: aut in Quadragesimæ collatione vespertina enormiter excessisti pane, bellariis, piscibus frigidis, non satisfacis confitendo: furatus sum aliquid: excessi in collatione &c. & certè sacrilegè con-

confiteris, si diceres: semel aliquantùm excessi in collatione: quia hoc proverbium *aliquantùm* solet intelligi de excessu veniali, ut bene notat Gobat *citat. num.* 373. Et quamvis necessè non sit, ut Pœnitens expressè dicat, se in hac, aut illa materia peccâsse mortaliter, aut venialiter tantùm; attamen graviter peccat, si deditâ operâ ita loquatur, ut confessarius culpam reverâ mortalem apprehendat pro veniali; aut vice versâ: imò & ille qui licèt non studio sic loquatur, attamen prævidet fore, ut ex suo modo loquendi Confessarius formet falsum judicium de gravitate peccati. Quin si in ipsa confessione Pœnitens notet errorem talem Confessarii, eum monere & se explicare debet, ut rectè monet Lessius, *Autario v. Confessarius casu* 5. & 6.

§. III.

Secùs de Circumstantiis merè aggravantibus &c.

421 NImirùm non sunt necessariò explicandæ in confessione circumstantiæ merè vel leviter tantùm aggravantes, nec ita malitiam substantialem actûs ingredientes. Certùm apud omnes. Quia alioquin confessio foret onus intolerabile: & ejusmodi circumstantiæ non notabiliter alterant judicium sacramentale, quin iis omissis, adhuc rectè judicare possit Confessarius. Exempla sint

422 I. Non est exprimenda aggravans circumstantia ratione majoris voluntarii, intensionis vel vehementiæ actûs, intensionis vel moræ in peccando: uti communiter supponunt DD. certè ex communi resolvit Diana *p.* 1. *tract.* 7. *resol.* 8. Eum, qui multum temporis impendit alicui peccato interno vel externo, non teneri exprimere diuturnitatem temporis, nisi fortè ea diuturnitas diversa numerò peccata constituat, juxta dicenda *quæst. seq.* Hinc ego in Assertione addidi: *Excepta tamen morâ nimiâ actûs peccaminosi.* Nam qui nimis longo tempore, v. g. per menses integros, vel annos continuò exercent capitales inimicitias, odia, vindictas, affectus, conatus, & attentationes libidinosas &c. moraliter fieri nequeat, quin actus istos sæpiùs mortaliter interrumpant & repetant, adeóque peccata mortalia numerò multiplicent, ut dict. loc. §. 2. mox patebit. Et posito etiam non multiplicari peccata, tamen tantam moram, & pertinacem malitiam tanquam notabiliter nimis aggravantem explicari debere, mihi videtur omnino certum. Vide infrà *q. seq.* § 1.

423 II. Non est explicanda necessariò circumstantia frequentati relapsûs seu consuetudinis peccandi, juxta communem DD. cum D. Thoma & Bonaventura *in* 4. *d.* 22. Quia licèt certum sit, illam circumstantiam aggravare, incertum tamen, an aggravet notabiliter. Quòd si tamen Confessarius rationabiliter interrogaret, puta, ad congruam medicinam præscribendam præsertim in peccato mollitiei difficillimæ curationis, tenebitur Pœnitens fateri: ut ex communi notat Bassæus *v. circumstantia*, §. 4.

424 III. Non est explicanda necessariò pluralitas præceptorum ejusdem obligationis: ut si Sacrum negligas die Dominicâ in quam incidit festum fori; sufficiet, si dicas: semel neglexi Sacrum die festo, vel die Dominicâ. Ex communi Diana *cit. resolut.* 8. Itémque, si violes jejunium Vigiliæ alicujus incidentis in feriam quatuor temporum, aut etiam Quadragesimæ, imò etiam in feriam sextam apud Fratres Minorum; sufficiet dicere: violâsse jejunium præceptum. Quia utraque lex Ecclesiastica, atque etiam præceptum jejunii regularis in regula Minorum, obligant sub eodem motivo virtutis temperantiæ, & austeritatis Religiosæ, uti contra Navarrum, Lopez, & alios ex communi Layman docet *cit. in* 4. Marchant *Tribun. p.* 1. *tr.* 3. *tit.* 3. *q.* 4.

425 IV. Non est explicanda necessariò pluralitas titulorum ejusdem obligationis; ut si in æculo vovisti castitatem, postea in Religione, & tandem in susceptione sacri Ordinis probabile censent Henriquez, Sanchez, alii cum Bassæo *cit.* §. 2. Diana *p.* 1. *tr.* 7. *resol.* 4. te satisfacere, si dicas, te peccâsse contra votum: quamquam fateantur, securiùs esse, exprimere circumstantiam sacrorum Ordinum, ac professionis Religiosæ. Certum videtur, sufficere, fateri majus, nimirùm Religiosum professum peccâsse, tacito sacro Ordine. Etiam e contrà satisfacere fatendo sacrum Ordinem tacitâ professione Religiosâ, cum aliis concedit Marchant. *loc. cit.* Sed negat cum aliis Layman *cit. n.* 4. quòd longè gravior videatur violatio voti Religionis, quasi Matrimonii spiritualis cum Christo. Utraque Sententia probabilis & tuta est. At certè Diana *cit. resol.* 3. post alios resolvit, fœminam fornicatam, cum Sacerdote Religioso satisfacere, si dicat, solùm se peccâsse, vel cum Sacerdote, vel Religioso. Idémque judicium esto de circumstantiis tantùm leviter aggravantibus, malitiam peccati, ut si te inebriâsti in die jejunii cum modica læsione valetudinis, &c. &c. Denique quoad circumstantias diminuentes tantùm, consentiunt omnes, illas tunc solùm in confessione necessariò explicandas esse, quando peccati malitiam vel omnino tollunt, vel ex mortali venialem efficiunt: ut si malum egisti, sed ex ignorantia invincibili. Si hominem occidisti, sed ob tui necessariam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Si furatus es, sed in necessitate extrema, aut valde gravi, aut in quantitate modica. Si puella stuprata, sed vi, vel terrore nimio correpta à mortali excusante &c. si talia confitens non addat circumstantias illas diminuentes, graviter decipiet Confessarium in ordine ad judicium contra se.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QUÆSTIO V.

Qualis Numerus Peccatorum necessariò exprimendus in Confessione:

SUMMARIUM.

427 *Exprimendus est numerus moralis tantùm peccatorum, non Physicus actuum.*
428 *Quando actus seu peccata merè interna censeantur unum, vel plura numerò?*
430 *Quando censeantur formaliter, vel interpretativè interrumpi?*
431 *An multiplicatio objectorum in eodem actu multiplicet numerò malitas?*
432 *Quando actus externi sub uno eodémque interno multiplicati censeantur unum numerò peccatum? Exempla plura.* Usque ad n. 437.
437 *Quando censeantur plura numerò peccata actus interni, & externi?* Usque ad n. 441.
441 *Explicandus est numerus certus, quantùm fieri potest.*
442 *Unde graviter peccat, qui numerum sibi certum exprimit sub illo suo* circiter, plùs, minùs.
443 *Maléque agunt, qui eas particulas passim adhibent.*
446 *Quem numerum comprehendant, vel Confessario significare possint illa particula* circiter, plùs, minùs? Usque ad n. 451.
452 *Quando nullus, ne probabilis quidem numerus haberi potest, qualiter sufficiat, & exponi debeat Confessario status Pœnitentis, consuetudo, & mora peccandi? casus varii.* Usque ad n. 456.

ASSERTIO.

426 *EXprimendus est numerus moralis tantùm peccatorum, non physicus actuum: atque numerus certus, quantùm sciri potest: alioquin post diligens examen certò similior & probabilior, cùm solito circiter, vel plùs, minùs, quo comprehenditur modicus excessus peccatorum proportione numeri assignati majoris vel minoris, cessante obligatione eundem excessum postea certò compertum denuò confitendi: tandem nullo certo vel probabili numero comperibili, sufficiet exponere pœnitentis statum, consuetudinem, moram in peccato.* Est tota communis, ut patebit explicatione.

§. I.

Exprimendus est Numerus moralis tantùm Peccatorum, non physicus actuum.

427 ITa omnes: *Ratio* est: quia peccata mortalia singula confiteri obligamur: at hæc confiteri possumus singula absque explicatione singulorum actuum physicorum ad hoc, vel illud peccatum in individuo concurrentium sæpe innumerabilium: sufficit ergo explicare numerum actuum consummatorum peccati in sua specie: v. g. in homicidio, furto, fornicatione: toties occidi hominem talem: toties furatus sum tantùm, toties fornicatus &c. minimè opus est explicare numerum physicorum actuum antecedentium, vel concomitantium ad eúndem actum principalem ordinatorum, & in eodem fine principali unitorum: prout ex professo docetur in materia *de peccatis, eorúmq; distinctione numerica.* Et ego quadruplici regula explicavi *Parte 1. in Decal. c. 4. Sect. 3. per totam.* Aliqua tamen magis necessaria & notabilia quoad peccata tam interna, quam externa hìc breviter rescribo.

Quoad Peccata interna.

428 I. REGULA. *Peccata merè interna* (ut sunt odia, invidiæ, inimicitiæ, vindictæ: item simplices velleitates, consensus, complacentiæ, delectationes morosæ circa peccata externa, &c.) *moraliter tot sunt numerò peccata in confessione, per se loquendo, exponenda, quoties voluntariè repetuntur, postquam quis liberè ab iis cessare constituit per revocationem vel cessationem voluntariam*: non verò quoties quis solùm physicè reipsâ cessat involuntariè, casu, naturali distractione, occupatione, somno &c. Ita (contra non paucos) ex communi Doctorum Lugo *disp. 16. n. 569.* ita more suo argutè ratiocinans. Quando cogitas rem turpem, vindictam & similia, instituis quasi congressum cum objecto malo, sicut instituis cum illo, quem incipis contumeliis petere. Sicut ergo non censeris hìc toties multiplicare numerò contumelias, quoties easdem repetis, aut consimiles ingeris; sed solùm tunc, quando easdem repetis, postquam liberè cessásti: ita etiam non multiplicas peccata desideriorum, nisi cesses à congressu cum objecto desiderato &c. Ita sapientissimus Cardinalis: addens tamen: moraliter loquendo, vix fieri, ut quis ultra duas vel tres horas perseveret in eadem moraliter voluntate interna. Quare si longior sit mora, oportebit dicere: quamdiu inhæseris talibus cogitationibus, desideriis, delectationibus malis: at verò si ejusmodi peccatis interiùs solum unâ vel alterâ horâ inhæsisti, absque revocatione vel voluntaria cessatione, satis erit dicere simpliciter: *semel proximum odio prosecutus sum, semel voluntariè morosè delectatus, &c.*

429 II. At contrà fieri potest, ut intra unam vel mediam horam sæpiùs ejusmodi peccata interna moraliter interrumptas, & multiplices per revocationem vel voluntariam cessationem, & novam reassumptionem voluntariam, prout fortè sæpiùs expertus es: & tunc erunt distincta numerò peccata, (adeò ut inter horam etiam centies peccare possis mortaliter.) Et, per se loquendo, numerum, si scires, in confessione exprimere deberes: sed quia plerumque impossibile ejusmodi internorum peccatorum numerum inire, ideò omnium consensu sufficit explicare moram temporis, quâ in tali mala voluntate perstitisti: v. g. per tot horas inhæsi voluntariè turpi cogitationi, delectationi morosæ, desiderio &c. circa tale objectum.

per

per mensem, per annum integrum in odio & inimicitia erga proximum perstiti: sæpissimè cùm memoria inimici recurreret, actus odii, vindictæ, invidiæ &c. repetii: & sic in cæteris. Imò hoc universaliter verum est, quoties quis continuâ voluntate, longo tempore, in quibuscunque peccatis etiam externis perseverat, ut eorum numerum inire nequeat, ut generaliter dicam *infrà §. 4.*

430 III. Dixi autem: *Peccata merè interna.* Quando enim voluntas actu efficaci tendit in opus externum reipsâ procurandum ac perpetrandum, durante eodem actu externo circa idem objectum, manebit idem numerò peccatum, etiam per longum tempus, tametsi actus interni malæ voluntatis interea centies & millies repetantur, nunquam tamen etiam formaliter vel interpretativè revocentur. Exempli gratiâ. Titius succumbit tentationi carnis, consentit, efficaciter proponit, pergit, &c. Interim dum fervet opus, hanc suam malam voluntatem millies repetit, nunquam tamen revocat formaliter, vel interpretativè, sed ita constitutus manet, ut quotiescunque se reflectat super suum actum, semper consentiat, approbet, complaceat: semper censetur idem numerò peccatum, quia omnes motus & actus sequentes uniuntur moraliter cum primo actu in ordine ad eandem primò intentam consummationem externam. Similiter voluntaria retentio rei alienæ per annum vel annos plurimos, tametsi voluntas retinendi, vel non restituendi infinities interrupta repetatur; semper tamen idem numerò peccatum mortale manet, nisi quando voluntas non restituendi revocata de novo assumeretur. Lugo *d. 16. pœnit. n. 564.* Simili modo discurrendum in quovis alio peccato externo. Contrà verò, quoties prior actus internus malæ voluntatis est revocatus *formaliter vel interpretativè*, nimirùm per actum contrarium nolleitatis, aut per cessationem voluntariam, toties censetur actus moraliter interruptus, & tot distincta numerò peccata, etiam per se loquendo numeranda in confessione: sed quia & hoc plerumque est moraliter impossibile, ideò ordinariè sufficiet exprimere moram temporis, v. g. *integro mense perstiti in proposito & voluntate fornicandi, occidendi, furandi, non restituendi, quòd sæpiùs revocavi, antequam consummarem &c.* Vasquez, Layman suprà. Unde patet, posse aliquem integro mense vel anno committere unum tantùm peccatum moraliter non interruptum: è contrà verò unâ horâ committere centum peccata moraliter interrupta.

431 IV. Denique controversia speculativa hìc est, an maneat idem numerò peccatum, quando idem actus tendit in plura objecta; sive an multiplicatio objectorum in eodem actu multiplicet numerò malitas? quoad praxin omninò perinde est, sive dicas, uno actu occidisse decem homines, esse decem peccata formaliter, & ideo enumeranda in confessione: sic Azorius, Vasquez, Bonacina, alii cum Diana *p. 1. tr. 7. resol. 29.* Sive dicas, esse unum numerò peccatum, sed æquivalens decem: & ideò numerum objectorum, tanquam augentem malitiam substantialem actûs necessariò explicandum in sacro Tribunali: Sic Suarez, Filliucius, alii cum Layman *l. 1. tr. 3. n. 2.* Etiam perinde est: sive objecta multiplicentur materialiter tantùm, ut si uno omninò actu plures homines odio habeas, occidas, infames, aliâve injuriâ afficias: si uno proposito velis omittere Officium per mensem, jejunium per Quadragesimam &c. sive objecta multiplicentur formaliter, nimirùm sub distinctis actibus externis intenta ab uno actu interno: ut si voluntas uno quidem actu interno intendat & proponat, attamen per plures actus externos tendere in plura objecta: v. g. occidere plures, sed distinctis vicibus & occasionibus: cognoscere plures, modò hanc, modò aliam &c. Quòd si tamen peccata externa consummentur, sine controversia illa erunt distincta numerò peccata, nihil obstante unitate actûs interni.

Quoad Peccata externa.

432 REGULA. *Idem numerò peccatum est moraliter, quando durante actu interno eodem vel physice, vel moraliter (scilicet physice quidem multiplicato, ac moraliter non interrupto per revocationem vel cessationem voluntariam, juxta modò dicta) quantumvis multiplicentur actus externi spectantes ad eandem consummationem peccati, & sub eodem intento ac fine principali uniti.* Exemplis cape

433 I. Qui eodem actu interno & commotionis impetu alterum sæpiùs verberat, unum tantùm peccatum committit, quamvis eò gravius, quò sæpiùs: & si ita Clericum percussit, semel tantùm est excommunicatus, ut ex jure benè probat Navarrus *Man. c. 6. n. 17.* Idémque est de eo, qui eodem libidinis æstu fœminam sæpiùs impudicè tangit: item, qui eodem motu & impetu sæpiùs Deum blasphemat; sæpiùs pejerat; sæpiùs homini maledicit, eandem calumniam sæpiùs exprobrat; in eadem materia sæpiùs detrahit &c. ut proindè in confessione Sacramentali sufficiat dicere: *semel alterum percussi, impudicè tetigi, blasphemavi, pejeravi, detraxi, &c. semel.* Quia nimirùm ista repetitio fit ex imperio & impetu unius actûs interni, ac unico quasi actu externo, ideóque meritò non nisi pro uno peccato reputanda. Ex communi Navarrus, Layman *l. c.* Diana *p. 1. tr. 7. resol. 51.* Secùs dicendum est, quando quis, etsi vi prioris impetûs, tamen per intervalla iteratò accessit ad percutiendum, tangendum, blasphemandum, ut eodem licèt continuo impetu, tamen vel plures homines injuriâ affecit, aut eidem homini diversæ speciei injurias intulit, v. g. simul verberando, & convitia diversa inferendo, vocando furem, adulterum, magum

Universidad de Deusto
Biblioteca

&c. tunc enim multiplicantur peccata in ordine ad confessionem, juxta dicta. Et notanter in Regula dixi: *quando multiplicantur actus externi spectantes ad eandem consummationem peccati.* Alioquin vide dicenda infrà num. IV.

434 II. Idem quóque consequenter numerò peccatum manet, quando plures ac plurimi actus tam interni, quàm externi concurrentes, tamen naturâ suâ ad eundem actum principalem ordinantur, & *sub eodem intento ac fine principali uniuntur.* Omnes. Exempla obvia. 1. Qui furatur integram bibliothecam vel suppellectilem per totam noctem v. g. sæpissimè multiplicatis actibus internis, & iteratis ablationibus, etiam singulis ad peccatum mortale sufficientibus, unum tantùm numerò furtum committit, quia omnes isti actus uniuntur sub uno intento principali auferendi tantam quantitatem: quare in confessione sufficit dicere: commisi furtum in tanta quantitate seu valore. 2. Titius efficaciter volens occidere Cajum, inprimis plurimos exercet actus internos odii, iræ, vindictæ, inquisitiones occasionum, electiones mediorum &c. eósque sæpissimè repetit: plurimos quóque exercet actus externos, pluribus diebus insidias struit, præstolatur, arma expedit, socios convocat, equum ascendit, deprehensum inimicum verbis & armis invadit, iteratò ferit, tandem occidit, etiam mortuo ictus infligit, &c. 3 Similiter volens peccare carnaliter, usque ad consummationem, (pró pudor!) quot distinctissimos actus internos exercet & agitat? quot etiam actus externos, verba impudica, sollicitationes, oscula, tactus &c. fœdum cogitare. Quia tamen utrobique isti actus omnes distinctissimi interni & externi, naturâ suâ ad actum principalem homicidij, vel fornicationis ordinantur, & sub illo velut principali intento ac fine uniuntur, ideo cum ipso actu principali intento homicidio, vel fornicatione, unum numerò peccatum constituunt, ut proinde sufficiat confiteri actum principalem: *commisi homicidium voluntarium semel: semel fornicatus sum &c.* nullâ factâ mentione actuum præcedentium, vel concomitantium. Nam 4. Hanc doctrinam Doctores communiter, Navarrus *c. 6. n. 17.* Azorius *tom. 1. l. 4. c. 4. q. 6.* Layman *l. 1. tr. 2. c. 9. num. 8.* extendunt ad actus malos ipsum actum principalem concomitantes, vel immediatè subsequentes tanquam accessoria vel complementa: uti est gaudium vel complacentia de actu consumato: colloquia, oscula, &c: sequentes actum venereum absque intentione vel ordine ad novam copulam: adhuc nimirum constituere unum numerò peccatum cum actu principali, ideóque seorsim non debere narrari in confessione; cùm difficulter, & vix decenter explicari à Pœnitente, minùs à Confessario inquiri possint, ut notat Layman *loc. cit.* vide rursus *infra N. IV.*

III. Idem denique numerò peccatum 435
mortale censetur, quod committitur circa actiones ex natura vel institutione sua integratas ex pluribus actibus conjunctis. Exemplum notissimum. 1. Si Clericus omittat totum Officium Canonicum unus diei: quia singulæ horæ, etsi secundùm se sint quid notabile, & ad peccatum mortale omissionis sufficiant, in communi sententia, tamen ex institutione sua integrant unum unius diei Officium, ut sufficiat confiteri: semel omisi totum Officium, ut apud omnes in confesso est. 2. Sacerdos celebrans in statu peccati mortalis, etsi celebratio Missæ plures contineat actiones Sacramentales, utpotè consecrationem, sumptionem, & communicationem aliorum, non tamen tria, sed unum tantùm peccatum mortale committit: quia omnes isti actus integrant unum numerò ministerium celebrationis Missæ: ut proinde sufficiat confiteri: *celebravi in statu peccati mortalis semel.* 3. Idem omnino dicendum de Sacerdote, qui unâ vice, & intentione notabiliter non interruptâ se exponit excipiendis confessionibus, aut distribuendo Sacramento Eucharistiæ, existens in peccato mortali (quidquid intolerabiliter alij dicant) quotcunque absolvat, quotcunque sacras Hostias distribuat, unum tantùm peccatum mortale committit: quia nimirum omnes illæ absolutiones, aut distributiones, ut modò actu continuo successivo fiunt, ad unum moraliter pertinent ministerium absolvendi vel communicandi. Hoc enim ministerium ex natura sua non determinat sibi certas personas vel Hostias, quin potiùs postulet per modum sacri Tribunalis communis, aut sacræ Cœnæ communis: ut omnibus ad tribunal accedentibus jus dicatur: omnibus ad mensam sacram accumbentibus, sacrum ferculum apponatur: ac proinde in confessione sufficiet dicere: *Ministravi Sacramentum pœnitentiæ aut Eucharistiam* (posità sententiâ, etiam hoc esse mortale) *in statu peccati mortalis semel* 4. Aliud esset, si Sacerdos in mortali existens sæpiùs distinctis & mortaliter interruptis vicibus se præsentet ad absolvendum, vel communicandum. Tunc enim, sicut in peccato mortali censetur moraliter multiplicare ministeria sacra, ita sanè multiplicabit peccata: quâ ratione etiam is, qui in die natali Domini omnes tres Missas celebraret in peccato mortali, ter peccaret mortaliter, tria enim distinctissima sunt ministeria, ad invicem per modum unius minimè ordinata. Vide Dianam *p. 1. tract. 7. resol. 41. & 43.* Lugo *disp. 16. Pœnit. sect. 13. §. 2. toto.*

IV. Et hactenus directè potissimùm explicatum est, quomodo actus physicè multiplicati, constituant unum numerò moraliter peccatum: eóque ipso simul indirectè saltem indicatum, quando & quomodo peccata moraliter multiplicentur numerò: Dictum enim est, constitui moraliter unum numerò peccatum. 436

Quando

Quando actus interni physicè multiplicati, non tamen sunt interrupti moraliter, seu formaliter & interpretative. 2. Quando actus externi varij spectant ad eandem consummationem peccati. 3. Et ex natura sua ad eundem actum principalem intentum ordinantur. 4. Et sub eodem actu intento & fine principali uniuntur. Jam per oppositum sic collige.

Plura numerò Peccata in confessione enumeranda constituuntur:

437 *Primò.* Quando actus interni physicè multiplicati *sunt interrupti moraliter vel formaliter, vel interpretative. Formaliter* interrumpitur actus internus *per revocationem formalem seu actum contrarium*, aut nolitionis efficacis, vel saltem simplicis displicentiæ seu aversionis ab actu malo præhabito à voluntate elicitum, res nota satis. *Interpretative* verò interrumpitur, & revocatur actus per cessationem voluntariam: quando nimirum voluntas se reflectens super priorem actum, vel propositum malum voluntariè cessat, aut negative se avertendo, aut ad alium actum incompossibilem divertendo. Ut si proposuisses hodie exire ad fornicandum vel occidendum v. g. & memor hujus propositi, domi manere, aliud agere, aut cubitum ire velles, jam interpretative censeris revocasse actum priorem, etsi formaliter & positive non revocaveris. Quare si postea rursus deliberatè reassumas priorem actum vel propositum malum, jam numerò multiplicas peccatum moraliter, & in confessione explicare debes, si possis. Vide superiùs suo loco dicta de peccatis internis.

438 *Secundò.* Quotiescunque, etiam quantumvis sub uno actûs interni (iracundiæ, avaritiæ, libidinis, vel similis commotionis) imperio & impetu, committuntur plura peccata externa omnino disparata: *quæ scilicet de se minimè ordinantur ad unam consummationem externam peccati*, sed per se integræ consummationes sunt, ut si uno impetu iræ plures occidas, unum post alterum: Si eádem iniquâ diteíscendi cupidine actus, à pluribus furteris quid notabile: si eadem libidinis, quantùm poteris, exsatiandæ intentione ac æstu, sæpiùs pollutionem procures, sæpiùs forniceris cum eadem vel pluribus, &c. &c. certum est, te committere totidem peccata mortalia numerò distincta, ideóque in confessione exponenda. Communis DD. Lugo *disp. 16. num. 558.* Castro-Palaus. Dicastillus, aliíque relatis minimè laxus Diana *p. 3. tr. 4. resol. 67.* ubi rotunde & rectissimè scribit, falli Zavardam & quosdam alios (vide, quàm nulla absurditas sine patrono) opinantes eum, qui totâ nocte concubuit cum amasia, animo explendi libidinem, quoad posset, licèt fortè sexies vel octies habeat copulam, tamen sufficienter confiteri, si dicat. *Totâ nocte fui cum una, & feci, quantum potui, &c.* Ratio autem est. Quia quando actiones peccaminosæ sunt completæ & totales, nec earum una ex se ordinatur ad aliam, sola una intentio eas exercendi tali tempore, certè minimè sufficit, ut fiat una moraliter actio, seu unum peccatum. Quis enim unius tantùm peccati damnet eum, qui ex vi unius propositi, se inebriat, quoties occasio se offert: tota Quadragesimâ ne semel quidem jejunat: &c. Sanè Layman *cit.* sex peccatorum mortalium meritò damnat eum, qui sex distinctis diebus semper furatur 100. aut 200. aureos, animo non desistendi, donec perveniat ad summam millenorum: nemine, credo, dissentiente, si illa sex furta fiant à diversis Dominis.

Tertiò. Quando actus accedunt *ad actum* 439
principalem peccati intentum natura sua non ordinati, ac aliunde distinctam propriam malitiam continentes. Ut si occidas, adhibito veneno, vel maleficio; si velis occidere, sed prius enormiter cruciare vel torquere: si ad finem fornicationis obtinendæ usus es phitris, vel alijs medijs magicis: si antea solum habuisti delectationes venereas morosas, aut inefficaces velleitates ac concupiscentias ad fœminam: si exercuisti oscula, tactus, amplexus impudicos sine omni intentione copulæ, & postea primo, novo actu efficaci copula secuta fuit, &c. Tunc actus illi prævij, interni, externi, manent peccata seorsim, specie vel numerò distincta, ideóque seorsim confitenda, nisi ignorantia vel inadvertentia excuset.

Quartò. Quando actus prævij, etsi de se or- 440
dinati ad actum principalem intentum, v. g. fornicationis, homicidij &c. tamen *in illo principali actu seu fine intento non uniuntur*: utpotè, si quacunque de causa non sequatur actus principalis intentus, fornicationis, homicidij: tunc enim manebunt illi actus prævii peccata seorsim dissoluta, ideóque seorsim confitenda, secundùm omnes: ut in exemplis allatis suprà num. II.

§. Ar, quid si quis totâ nocte versans cum amasia, semel tantùm peccatum consummet, & reliquum totum tempus alijs turpitudinibus consumpsit? Quamvis videatur esse moraliter unum numerò peccatum, propter eundem non interruptum actum malum voluntatis: puto tamen, id explicandum esse in confessione tanquàm quid augens malitiam substantialem actûs: cum impossibile videatur, totius noctis turpitudines sub uno actu fornicationis uniri: ut proinde non sufficiat dicere: *fornicatus sum semel.* Quamvis oppositum opinetur cum alijs Diana *p. 3. tract. 4. resol. 67.*

§. II.

Explicandus est Numerus certus, quantùm fieri potest.

I. CErtum apud omnes, peccare mortaliter, 441
qui scienter, aut ex negligentia crassa seu mortaliter mala in confessione exprimit numerum minorem in peccatis, quàm reipsà sit:

ut,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ut, si sciat vel mediocri adhibitâ diligentia, facilè scire possit, se blasphemâsse undecies, dicit blasphemâsse decies vel octies, &c. Quia mentitur in re gravi judicium Sacramentale concernente, juxta dicenda *sect. seq. de confessione vera.* Idem econtra per se dicendum de eo, qui sciens, vel simili crassâ negligentiâ exprimeret numerum majorem, quàm reipsâ sit : verùm hunc facilè excusabit scrupulositas, bona fides, majoris securitatis studium, ut in simili mox iterùm notabo. Et verò permultos reperire est, qui existiment, se præclarè functos officio, & satisfacere suæ obligationi, si in confessione identidem repetunt suum *circiter, plùs, minùs, &c.* parùm omnino solliciti de certo vel præciso numero reperiendo vel edicendo. Non sic *circiter* impii, non sic.

442 II. Certò etiam mortaliter deliquit, qui certus de præciso numero peccati commissi, exprimit illum, cum suo *circiter*, vel *plùs minùs*, Ut si certus se fornicatum sexies: dicat: fornicatus sum sexies *circiter, plùs, minùs.* Ratio clara est. Qualia talis unum saltem peccatum mortale certum confitetur, ut dubium, & implicitè saltem bis mentitur. Qui enim dicit se peccâsse sexies circiter: dicit se disjunctivè peccâsse vel sexies, vel fortè quinquies tantùm (& sic sextum peccatum certum exprimit ut dubium) vel fortè etiam septies, quod tamen scit esse falsum: sicut si certò sciens, peccâsse sexies diceret, se peccâsse sexies vel septies; prout reverâ nonnulli faciunt, pro majori, ut ajunt, securitate, cum quasi certi sint aliquod peccatum patrâsse tantùm bis, dicunt tamen: bis vel ter. Quo casu tamen rarissimè censendi sunt peccare formaliter coram Deo, sub ejusmodi formula, dicentes majorem numerum, quia bonâ fide, ex mera scrupulositate, & nimiæ securitatis studio ita faciunt: ut bene notat Gobat, *num.* 428.

443 III. Perperàm quóque agunt, & peccant, qui absque judicio & examine debito adhibito, ad quosque peccatorum numeros, particulas illas, *circiter, plùs, minùs* addere solent, aut sub illis formulis obiter velut divinando, quemcunque etiam majorem numerum exprimunt, falsò putantes, se hâc ratione supplere verum numerum. Nam suppletio incerti numeri debet esse moralis & rationabilis, nimirum cum examine, morali diligentiâ, ac prudenti æstimatione & judicio expendendo, quis numerus verè probabilis, ac numero vero, similior à parte rei reperiatur. Quare Confessarius non debet passim admittere istas phrases, nisi quando prudenter judicat, aut credit, non potuisse pœnitentem morali ac mediocri diligentiâ deprehendere numerum certiorem. At quando & quomodò hoc Confessarius prudenter judicare poterit? Placet regula tradita à solo, quem sciam, P. Gobat *cit. n.* 425. sed certè mihi dudum practicata.

444 IV. Quando Pœnitens à longo tempore non confessus, cum illis particulis *circiter, plùs, minùs, &c.* nominat valde magnum numerum peccatorum mortalium, præsertim non valde singularium, meritò præsumet Confessarius, eum mediocri diligentiâ non potuisse deprehendere numerum certiorem, & sic transire permittat. At verò quando Pœnitens à modico tempore confessus, v. g. à duabus vel quatuor septimanis, exprimit parvum numerum, & quidem valde palpabilium criminum, debet esse suspectus de defectu examinis, & ad numerum certum vel certiorem edicendum adigendus erit. Quis enim ferat Clericum dicentem; hoc octiduo omisi bis vel ter integrum Breviarium. Hâc septimanâ in Quadragesima ter vel quater comedi carnes. Hâc quindenâ, hoc mense quater circiter omisi Sacrum; hâc hebdomadâ quater plùs, minùs me pollui, &c. &c.

§. II.

Numerus probabilis, cum *circiter*, ac *plùs, minùs.*

445 QUando adhibitâ morali diligentiâ non examinando conscientiam reverâ non potest deprehendi certus & præcisus numerus peccatorum, jam exprimatur numerus probabilis, qui nimirum facto moraliter & mediocriter diligenti examine videtur magis verosimilis, seu magis ad numerum certum appropinquare; hoc ipsum exprimendo: v. g. *quantum scio, quantum recordari possum*, & tandem cum solemni *circiter, plùs, minùs.* Jam videndum, quid operetur, vel quousque se extendat istud *circiter, plùs, minùs.* Dico ergò:

446 I. Quando exprimitur numerus ita probabilis, addito *plus, minùs*, vel *circiter*, comprehenditur simul excessus modicus super numerum verum & certum, non item excessus notabilis. Nam qui confitetur, se blasphemâsse *circiter*, vel *plùs, minùs* sexies, hoc ipso dicit, se confiteri, etiam blasphemâsse septies, vel octies, si fortè toties fecit: at certè non eo ipso dicit, se etiam blasphemâsse fortè duodecies vel ampliùs, neque id à Confessario intelligi potest. Quousque autem se extendat illud *circiter*, vel *plùs, minùs*, prudentis arbitrio æstimari debet, nimirum extendi ad numerum modicum non æstimandum absolutè, sed respectivè ad numerum, cui adjungitur, majorem vel minorem, proportione geometricâ: ita ut quò major fuerit numerus, tantò etiam major excessus verbis illis comprehendi poterit: v. g. excessus modicus respectu *quinque vel sex*, est unum: respectu *decem*, duo: respectu 20. tria: respectu 40. *vel* 50 quatuor, respectu 100. *quinque vel sex.* Sic post alios Tamburinus *l.* 2. *de Confess. c.* 1. §. 4. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 94. Lugo *disp.* 16. *n.* 96. approbans Regulam Manochij docentis, verba illa *plùs, minùs* posse verificari de quinque respectu cujuslibet centenarij, maximè, si addatur numero millenario. Plus aliquantò concedemus mox infrà.

447 II. Qui confessus est numerum probabilem cum addito *circiter* vel *plùs, minùs*, etiamsi postea certò deprehendat, se certò contraxisse illum ipsum numerum, aut paulò excessisse vel defecisse, non tenetur postea illum numerum certum, etiam paulò majorem (nedùm minorem (deprehensum de novo ut certum confiteri. Ita gravissimi DD. *Sotus, Vega, Ledesma, Vasquez*, aliisque citatis. Suarez *d.* 22. *sect.* 5. *n.* 38. Lugo *disp.* 16. *n.* 78. testans, hunc esse communem sensum. Diana, alii infrà citandi. Ratio est: quia ille numerus certus, etiam paulò major (nimis clarè minor) jam fuit sufficienter expressus in confessione, in particula *circiter*, vel *plùs, minùs*: Nam ut paulò antè dixi: qui dixit, se fornicatum decies *circiter, plùs, minùs*, eò ipsò fatetur, se illud patrâsse peccatum aut reipsâ decies, aut etiam undecies vel duodecies, si reipsâ toties fecit: idque Confessarius satis intelligit, formâtque sibi judicium morale id re ipsâ aut toties peccâsse, aut paulò ampliùs, sicque juxta hoc judicium morale te ab omnibus absolvit directissimè: ergo manes solutus onere ampliùs confitendi.

448 II. Dices: Qui confessus est aliquod peccatum mortale ut dubium, si postea certò cognoscat, illud peccatum esse reverâ à se patratum, tenetur illud denuò ut certum confiteri, juxta omninò communem Sententiam Doctorum: atqui, qui confitetur, se fornicatum decies *plùs, minùs*, verissimè ipsum peccatum decimum, & magis undecimum, vel duodecimum, confitetur ut dubium, ut intuenti patet: ergo postea comperto, se certò decies vel undecies, aut duodecies peccâsse, tenebitur id denuò ut certum confiteri. Huic argumento succumbunt doctissimi *Lugo & Dicastillus.* Et certè meo judicio, stante illâ communi doctrinâ *Majoris*, necessariò succumbendum est: quidquid conetur respondere Diana *p.* 10. *tr.* 16. *resol.* 79. Quòd nimirùm major requiratur exactio in explicanda substantia peccati, quàm in numero peccatorum exponendo. Vide, si placet, & an placeat? Tu autem noli succumbere: sed rotundè *negando majorem* sequequere Sententiam oppositam, propositam suprà *quæst. IV.* §. 4. Si tamen utroque casu, vel in communi illa Sententia, tutiori viâ incedere, eâque tuos pœnitentes deducere velis, in hoc te laudo.

449 IV. Cœterùm apud omnes, etiam nostræ Sententiæ Authores, in confesso est, quòd si post confessionem talem deprehendatur notabilis excessus numeri super numerum peccatorum probabilem cum *circiter, vel plùs, minùs* expressum, oportere postea eum excessum in confessione nova manifestari. Ut si primò confessus fuisti, te fornicatum circiter decies, & postea deprehendas, certò esse factum decies- octies vel vigesies, debebis saltem sex, vel octo peccata denuò confiteri: quia moraliter tantus excessus in tam parvo numero non comprehenditur; nec reverâ potest dici, antea talem numerum fuisse sufficienter explicatum: & consequenter judicium Confessarii notabiliter alterat. Advertit tamen Suarez, quòd si priorem confessionem præcessit diligentia mediocris in examinanda conscientia, moraliter non contingere, ut posteà veniat certò in mentem tantus excessus, ut oporteat in posteriore confessione illum memorare. Certè sat laxè hîc loquuntur Doctores: nimirùm non teneri amplius aliquid confiteri eum, qui bonâ fide dixit, se blasphemâsse decies quinquies, aut centies *plùs, minùs*, & postea deprehendit, factum vigesies, vel centies decies. Lugo *cit. n.* 97. & ita proportionaliter deinceps. At certè nimis laxè Tannerus *hic. q.* 7. *dub.* 3. & illum eximit, qui confessus est, se pejerâsse circiter vicies, & postea liquidò deprehendit, factum tricies: contra communem aliorum. Vivaldus *in candelabro suo*, etiam liberat à redeundo ad confessionem eum, qui confessus est, se circiter centies blasphemâsse, postea verò probè meminit, contigisse ducenties: sed rejicitur ab aliis communissimè. At, quid si bonâ fide absolutè, sine circiter dixi, me blasphemâsse decies- octies, & postea liquidò cognosco, esse factum vigesies, eróne liber à confitendo postea isto binario, perinde ac si dixissem *circiter* decies octies? Tannerus citatus liberaliter concedit, & oppositum scrupulosum censet; sed censeo ego standum in communi sensu DD. & fidelium.

450 §. Tandem cùm quis majorem numerum in confessione exprimendo excessit, etiam notabiliter, & postea comperiat certò, non esse tantum, v. g. confessus es, te pejerâsse decies, & postea comperias, reverà tantum factum esse sexies, non teneris denuò hunc minorem numerum confiteri: quia in majori numero expresso jam continebatur, & absolvebatur iste minor. Nisi fortè scienter mentitus esses: & confessionem fecisses invalidam, juxta dicenda *sect.* 3.

§. IV.

Pœnitentis status, consuetudo, mora peccandi.

451 I. QUando denique nullus numerus, neque probabilis, vel vero similis haberi potest; tunc opus erit, & sufficiet Pœnitentem aperire suum statum, consuetudinem peccandi, moram temporis, quo in statu peccandi, mortaliter perseveravit: & frequentia lapsuum in die, septimana, mense, quoties nimirùm singulis diebus, septimanis, mensibus, taliter peccare consuevit, si scire possit: ex his enim prudens Confessarius statum & malitiam peccatoris melius & firmius cognoscet, quàm ex nu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

numero probabili aut vero simili. quem à Pœnitente imprudente, & parùm seriò peccata perpendente sæpe magìs extorquemus, quàm bene perpensum accipimus. Meliùs ergo faciet Confessarius, si tales pœnitentes inducat, ut simpliciter aperiant statum suum, modum vivendi, consuetudines, occasiones, & incentiva peccati, quàm eos torquendo circa numerum peccatorum, quia talis est impossibilis. Si quid enim ad importunitatem Confessarii dicant, solùm divinando, & absque ullo judicio dicunt: v. g. feci *plùs centies, plùs millies &c.* Quis credat illos talem numerum tam parvo tempore percurrere potuisse: solùm ergo sic dicunt, quia vident, se numerum comprehendere non posse, ideóque, ut se à vexatione reliquant, putant se benefacere, si quemcunque numerum excessivum exprimant: ut præter alios, bene monet noster Marchant *Tribun. p. 3. tract. 4. tit. 6. quæst. 3. dub. 2.* Jam declaro in particulari exemplis aliquot ex probatis Authoribus.

452 II. Communis meretrix satisfacit dicendo: tot annos in statu meretricio permansi, quoties occasio fuit, & quibusvis, etiam conjugatis, sacris &c. copiam corporis feci. Nam species peccatorum saltem principales, quantùm potest, (imò & numerum eorum aliquem, si possit) debere exprimere, notant DD. communiter. Tannerus *hic d. 6. q. 9. dub. 3.* Diana *p. 3. tract. 4. resol. 89.* Lugo *d. 16. sect. 1. num. 575.* Attamen post Cajetanum ita generalius loquitur Navarrus *c. 6. n. 15.* Sæpè satis est, absque aliquo numero statum suum manifestare sufficienter: velut si quæ publica meretrix parata & exposita ad fornicandum tam cum Clericis, Religiosis, & virginitate præditis, quàm Laicis, & conjugatis, & solutis, post conversionem confiteretur, exprimerétque, se toto eo temporis spatio in eo statu fuisse. Sic Navarrus, minimè alioquin laxus, sequiturque Valentia *tom. 4. d. 6. q. 11. p. 1.* Sed talem confessionem meritò censent insufficientem, saltem regulariter Tannerus & Lugo citati; cùm fieri possit, ut una talis lupa centies peccârit cum Clericis & conjugatis, altera tantùm decies, & quidni illa speciem, & majorem aliquem saltem probabilem numerum, aut certè frequentiam exprimere teneatur?

453 III. Qui domi habet concubinam, sufficienter confitetur dicendo duntaxat, quanto tempore illam habeat. Valentia *l. c.* vel potiùs sic expressiùs. Tanto tempore habeo concubinam, & eâ velut uxore usus sum. Lugo *cit. n. 575.* Item, qui solet passim concupiscere obvias mulieres quasque, satisfacit aperiendo suam consuetudinem & species principales, an frequenter conjugatas, an aliquando cognatas, sacras &c. Lugo *ibid. n. 574.* sicut eodem teste, satisfaciunt eodem modo illoti oris homines, qui consueverunt toto die colloqui de rebus turpissimis citra ullum delectum circa materiam vel socios. Idémque Lugo, aliique plures absolverent furem, qui præcisè diceret: fui à quinquennio ita perditè deditus furtis, ut quandocunque se offert occasio, sicut sæpissimè offertur, surripiam, quæ possum: & quidem res sacras notabilis pretii clepsi quinquies, vel nisi fallor, sexies: & ita in similibus.

§. At, qui si isti, qui sic generaliter & con- 454
fusè confessi sunt, postea magis distinctè recordentur de numero & speciebus peccatorum commissorum, & ita confusè priùs confessorum: annon erit obligatio (de consilio & consultò quis dubitet?) eadem postea distinctiùs confitendi? *Rt.* Negativè cum Vasquez *q. 91. a. 1. dub. 5.* & Lugo *cit. n. 563.* Ratio est: quia in illa confusa narratione fuerunt sufficienter intellecta à Confessario, cùm potuerit is de iis formare morale judicium, atque ideò ab omnibus directè absolvit.

IV. Qui habet consuetudinem peccandi, 455
v. g. blasphemandi, pejerandi, toties quoties, sic ut nullum numerum neque probabilem talium peccatorum inire possit, satisfacit confitendo tempus consuetudinis, juxta hactenùs dicta: at verò si numerum aliquem saltem probabilem talium peccatorum inire & dicere possit, eritne necessarium etiam exprimere ipsam consuetudinem? *Respond.* cum distinctione: si ex illa consuetudine committis sæpissimè illa peccata deliberatè cum perfecta advertentia ultra ipsa peccata confessa, non teneris sponte exprimere, te laborare illâ pessimâ consuetudine, (quia consuetudo, seu habitus, in se peccatum non est.) sed solùm, si te interroget Confessarius. Lugo *cit. num. 202.* At verò, si ex vi & velut impetu illius consuetudinis ex mera præcipitantia planè indeliberatè committis talia, blasphemias, perjuria &c. jam non teneberis explicare ipsas blasphemias, perjuria &c. quippe, quæ materialiter tantùm, & non formaliter peccata sunt, quia involuntaria in se: sed bene sponte teneris confiteri ipsam illam malam consuetudinem voluntariè contractam & retentam, tanquam causam culpabilem illorum peccatorum materialium. v. g. dicendo: *Habeo inveteratam consuetudinem blasphemandi, pejerandi inadvertenter, toties, quoties se offert minima occasio. Dico: voluntariè contractam & retentam.* Nam postquam verè pœnituisti, proposuisti, & seriò conatus es extirpare illam pravam consuetudinem, si nihilominùs ex vi & velut naturali impetu istius consuetudinis involuntariè remanentis, rursum inadvertenter blasphemes, pejeres &c. Jam nihil confiteri teneberis, non ipsam consuetudinem, quippe non amplius culpabilem: non ipsas blasphemias, perjuria &c. quippe, quæ nullo modo sunt voluntaria, nec in se, ut supponitur, nec in sua causa, scilicet consuetudine, quippe jam retractatâ, & ipsâ non amplius voluntariâ vel culpabili. Sic Lugo *ibid. a n.*

n. 206. ex communi doctrina in materia de peccatis. Ubi de causis peccatorum.

J. Et in dicto sensu à nobis explicato utique etiam intelligenda venit Propositio 58. ab Innocentio XI. damnata. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Ubi simul nota & aliam 60. inter damnatas ab eodem Innoc. XI. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem DEI, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.* De quibus propositionibus vide Cassianum à S. Elia V. Pœnitens III. & V.

QUÆSTIO VI.

Quando sufficit Integritas formalis tantùm confessionis, sic ut aliqua peccata licitè reticeantur?

SUMMARIUM.

456 *Ab integritate materiali confessionis excusat.* I. Inculpata oblivio,
457 *Qua & qualis ignorantia excuset?* Usque ad n. 461.
461 II. Impotentia physica. *Vt in infirmo, surdo, muto? in periculo mortis &c.* Usque ad n. 466.
casus certi,
466 *Casus ambigui.*
467 III. Impotentia moralis. *Vt.*
468 *Damnum proprium ipsius Pœnitentis, ac*
469 *Damnum ipsius Confessarii, corporale, vel spirituale,*
470 *Aut alterius tertii, Vg. complicis,*
471 *Sola tamen jam. lasio complicis apud solum confessarium non excusat.*
472 *Quando scil. adest necessitas confitendi, & alius Confessarius haberi nequit.*
473 *Alia animadversiones circa impotentiam moralem, aliasque causas excusantes.* Usque ad n. 476.

ASSERTIO.

TRes sunt Causæ generales excusantes ab integritate materiali confessionis, sic, ut omissis aliquo vel aliquibus peccatis mortalibus, sufficiat integritas formalis tantùm: *Inculpata oblivio: Impotentia physica, & impotentia moralis ob grave damnum Pœnitentis, aut proximi alioquin secuturum.* Sic in re omnes. Ad has enim omnes aliæ particulares causæ & casus necessariò reducuntur, ut patebit explicatione solitâ.

§. I.

Inculpata Oblivio.

456 HAc excusantur omnes, qui hic & nunc, facto congruo examine, non recordantur, aut ignorant aliquod peccatum, ita ut ipsis, dum confitentur, inculpabiliter non occurrat. Ubique enim à transgressione legis excusat ignorantia inculpabilis. Et quia adest, ut supponitur, voluntas confitendi omnia peccata, modò occurrerent, ideò confessio, etsi non integra materialiter, attamen ratione integritatis formalis, valida est & licita & fructuosa, manente tamen semper obligatione illud peccatum oblitum vel ignoratum, cùm aliquando occurret, denuò subjiciendi clavibus. Ita omnes.

II. Ad oblivionem inculpabilem excusan- 457
tem spectat etiam ignorantia probabilis juris, quâ quis aliquid ignorat esse, vel putat, non esse necessariò confitendum: & multò magis opinio probabilis: vel quòd non admiseris hoc, vel illud peccatum, vel quòd jam sis confessus; vel quod tale peccatum non teneris hic & nunc confiteri, esto reipsâ res aliter se haberet. Ex communi Sanchez *lib. 1. mor. c. 10. n. 57.* Suarez *disp. 22. sect. 9.* alii. Et patet ex hactenùs sparsim dictis, præsertim *q. 2. & 5.*

III. Excusat etiam ignorantia, vel oblivio 458
culpabilis venialiter tantùm, cùm quis scilicet in morali diligentia examinis modicè defecit: cùm culpa venialis nec valorem, nec fructum Sacramenti aliàs rectè suscepti impediat: ideóque pœnitentem à mortali excuset. Minimè autem excusat ignorantia vel oblivio mortaliter culpabilis, scilicet crassa vel affectata in defectu examinis: sed tam valorem, quàm fructum Sacramenti impedit, cùm desit confessio dolorosa. Quomodò enim confessio erit dolorosa, si actu, ratione illius ignorantiæ peccatur mortaliter? Vide *quæst. 1. §. 4.* Quare talis confessio tota repetenda erit, juxta dicenda *quæst. sequenti.*

IV. Excusat etiam ignorantia vel oblivio 459
defacto inculpabilis, etsi ex aliqua gravi culpa oriatur, quod valde notandum. Etsi enim quis anteà peccaverit, quando oblivioni vel ignorantiæ causam dedit: utpote, quia confessionem nimis diu distulit, etiam non sine transgressione mortali præcepti confessionis annuæ, aut quia veritatem sufficienter non inquisivit: si tamen dum confitetur, dolens de præterita culpa, volens, si recordari posset, omnia confiteri, peccati alicujus obliviscatur, jam oblivio non amplius erit voluntaria, adeóque exculabitur ab integritate materiali confessionis: nam etsi sit culpabilis in causa & radice sua, tamen modò hic & nunc culpabilis non est. Marchant *Tribun. p. 1. tract. 4. tit. 6. q. 6.*

Corollarium. Plurimi in queritia vel juven- 460
tute confitentes, quamvis aliqua peccata in illis confessionibus omittant, ob ignorantiam inculpabilem, vel naturalem oblivionem, à culpa immunes sunt: unde venientes ad annos maturioris prudentiæ & memoriæ, dum in cognitionem vel recordationem eorum peccatorum veniunt, non tenentur præcedentes confessiones repetere, sed sufficit eis sola peccata inculpabiliter oblita vel ignorata ante,

Universidad de Deusto
Biblioteca

confiteri. Confessiones ratione integritatis formalis validæ fuerunt. Sed de hoc specialiùs *sect. 3. cùm de confessione iteranda.* Quin etiam absolvendus est, quem fallit memoria, ita ut dicat: se scire in genere, quòd peccaverit mortaliter, non autem occurrat illud peccatum in specie. Secùs (extra articulum mortis) si externè rudis vel simplex dicat, se peccatorem, dolere de peccatis, nullum tamen peccatum in specie, ne veniale quidem dicere possit: talem practicè, extra articulum mortis, non expedit absolvere, sed datâ benedictione, permittatur communicare. Ex communi Layman *c.* 8. Vide suprà *quæst.* 11. §. 3. *N. III. & IV.*

§. II.

Impotentia physica.

461 *Quandocunque quis ad materialiter integrè confitendum physicè est impotens, utique sufficere debet integritas formalis*: cùm nullum præceptum obliget ad impossibile. Exempla & casus sunt:

462 I. Si Pœnitens infirmus incipiat confiteri, & uno, alteróve peccato dicto, deficiat loquela, vel sensibus destitutus, aut grave subsit periculum, ne brevi deficiat, citò absolvendus erit, si supervivat & ad mentem redeat, reliqua confessurus. Similiter, si infirmus volens & petens confiteri, interim dum vocatur Confessarius, vel ei viaticum defertur, deprehendat, multas confessiones fecisse invalidas, & gravitas morbi ac periculum defectionis vel mortis non patiatur tam longam moram, & dilationem absolutionis, dicat, quæ commodè potest, ita interim absolvatur, postea, si poterit, in confessione perecturus: quin etiam absolvendus est, si adveniente Sacerdote, jam loquelâ, vel sensibus destitutus, nihil omninò confiteatur, si anteà Confessarium petiit, vel signa doloris exhibuit: tunc enim adest & sufficit confessio virtualis. De quo principali casu latiùs *c. 5. cùm de absolut.*

463 II. Qui surdus, vel mutus: aut impeditæ, balbutientis linguæ, ignoti idiomatis &c. omnia exprimere non potest; exprimat quantùm moraliter potest. Eâdem ergo ratione ignarus idiomatis, quando urget præceptum, vel necessitas confitendi, & Confessarius linguæ peritus haberi non possit, exprimat, prout moraliter potest, etsi non integrè intelligatur. Ex communi Layman *c.* 8. *n.* 11. An verò tales teneantur vel scripto, si sciant, vel per Interpretem confiteri, dicetur *sect. sequenti, cùm de confessione secreta & vocali.*

464 III. Qui angustiis temporis, loci, periculorum coarctatur, ut in periculo mortis, in naufragio, in bello, imminente conflictu: item in publico nosocomio, ubi est multitudo moribundorum tempore pestis, ut omnes audiri vel confiteri non possint: si imminens periculum aliud non permittat, possunt simul omnes, dicto à singulis aliquo peccato, quod minùs infirmat. Aut etiam, si aliter fieri nequeat, dicendo in genere se esse peccatores, ac dolere de peccatis, absolvi dicendo: *Ego vos absolvo &c.* Communis doctrina & praxis.

IV. Si ipse Confessarius in periculo constitutus timeatur ante moriturus, quàm pœnitens integrè omnia confessus absolvatur. Item, si Confessarius nimiùm festinans nolit omnia audire, (seu justâ, seu injustâ causâ) se non omnia auditurum prædicat, aut de facto ante finem confessionis absolvat: tunc Pœnitens omittens reliqua peccata, de omnibus tamen dolens, validam confessionem facit, cùm id suâ culpâ non accidat, sed festinatione Confessarii nolentis, vel non potentis omnia audire; & auditio unius partis peccatorum tribuit Pœnitenti aliàs rectè dispositio jus ad absolutionem non secùs, ac si impotentia proveniret ex parte ipsius pœnitentis. Ex communi Tannerus *disp. 6. q. 7. n.* 68. Quòd si autem nulla urgeret necessitas confitendi, sed sine ullo periculo vel incommodo aut damno Pœnitens posset alteri confiteri integrè; etsi sine dubio consultiùs sit super tali mutilata confessione absolutionem non petere, sed ad alium divertere, ad rursus integrè confitendum: ad id tamen te non obligari, rectè docet Tanner *cit.* post ipsum Gobat *Casu 19. n.* 458.. 465

§. *Casus ambigui ad impotentiam partim physicam, partim potiùs moralem pertinentes.*

I. Quando Pœnitens habet casum reservatum, & urgente necessitate aliquâ confitendi, desit copia Confessarii potentis absolvere, omisso reservato, posse alteri Sacerdoti confiteri sola peccata non reservata: sicut & 2. Superiorem occupatum posse subditum absolvere à solo reservato, reliqua peccata sua alteri confessurum; dicemus *c. 6. cùm de reservatis.* 3. Quando est tanta multitudo confiteri volentium pro aliquo celebri festo (maximè quando multi de longinquo venerunt ad obtinendam celebrem indulgentiam confessionem & communionem requirentem, & multi alioquin vacui recedere deberent) sic ut Sacerdos nequeat omnibus & singulis satisfacere, audiendo omnes integrè, posse eum singulis dicere, ut aperiant solùm graviora mortalia, reliqua differant in aliud tempus: mihi probabilissimè affirmabant alii non pauci, & practicè probabile censebat Gobat *cit. n.* 479. Verùm huic praxi modò directè repugnare videtur Propositio 59. ab Innocentio XI. damnata. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursûs Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut indulgentiæ.* Quæ quidem propositio, ut exponunt DD. eas explicantes, damnata non est, quatenus docet, posse absolvi dimidiatè confessos, sed solùm quatenus assignat pro causa dimidiatè confessos absolvendi concursum magnum Pœnitentium. Nec suffragatur ratio magnæ solemnitatis, aut indulgentiæ, si nulla alia necessitas urgeat, vel causa excuset. Addit Granadus apud Dianam *p. 5. tract. 14. resol. 53.* Si nequeas omittere Sacrum vel communionem absque gravi scandalo, & tamen sis oneratus tam multis peccatis, ut non valeas omnia enumerare apud Sacerdotem, haud te peccaturum, si post auditam partem peccatorum, Confessarius te absolvat, cum onere redeundi ad ipsum vel alium pro reliqua parte sarcinæ exoneranda. Et omninò probabiliter, quâ ratione & ego excusavi Sacerdotem, qui in nocte Natalis Domini pœnitentem nimis diu confessurum parte bonâ confessionis auditâ absolvit, ne imminente jam mediâ nocte, bene famelicus & sitibundus collatione vespertinâ excluderetur, reliquam partem auditurus postea ad confessionale reversus. Sed hæc jam spectant ad impotentiam moralem. 466

§. III.

Impotentia moralis.

467 *Quandocunque ex confessione certi peccati vel circumstantiæ timetur meritò grave damnum spirituale vel corporale, vel proprium ipsius pœnitentis, vel Confessarii, vel alterius tertii, potest illud taceri ob impotentiam moralem.* Omnes. Ratio est: quia hic & nunc censetur moraliter fieri non posse, quod sine gravi damno sui vel proximi fieri non potest: neque præceptum divinum positivum confitendi integrè, potest obligare cum tanto incommodo, sed cedere debet præceptis legis naturalis de conservanda propria vel aliena vita, fama, ac avertendis damnis & periculis gravibus spiritualibus & corporalibus. Exempla & casus sunt

468 I. *Damnum proprium ipsius pœnitentis.* Utpote. 1. Quando Pœnitens probabiliter timeret peccatum suum à Confessario fore revelandum, unde gravis sui infamia, inimicitiæ, rixæ, imò quandoque effusio sanguinis sequeretur, 2. Si fœmina, (vel masculus) ex peccato carnis confesso timeret sibi vel Confessario fore periculum ruinæ, ut si rationabiliter timeret, se posteà à Confessario non bonæ famæ sollicitandam, &c. 3. Quando Pœnitens propter fragilitatem sibi notam, timet, ne diu immorando in talium peccatorum examine denuò labatur: tunc enim poterit non nisi obiter se examinare, quamvis ex defectu examinis nonnulla omittenda forent. Quòd ipsum observare debet Confessarius in interrogationibus de ejusmodi rebus turpibus. 4 Quando Pœnitens est nimis scrupulosus in peccatis enumerandis: tunc enim, cùm adsit summa difficultas, quæ ipsa est moralis impossibilitas, & periculum damni pœnitentis, nec non periculum, ne reddatur confessio odiosa, prudentis Confessarii arbitrio abrumpi potest & debet confessio: cùm præceptum confessionis integræ non obliget cum tanto incommodo, & præstet aliqua peccata omitti, quàm notabilia hæc detrimenta subiri. Omnia ex communi apud *citt.*

469 II. *Damnum ipsius Confessarii*, vel *corporale*; ut quando Sacerdoti ex mora confessionis integrè audiendæ damnum grave immineat: puta, si tempore pestis sit probabiliter inficiendus; item in periculo naufragii, incendii, hostis imminentis, infidelis vel hæretici, à quo Confessarius vel occidetur, vel pessimè tractabitur deprehendendus, si tota confessio audiatur. Tunc enim audito uno & altero peccato abruptâ confessione pœnitentem de omnibus dolentem poterit ab omnibus absolvere. Neque enim tunc lex Christi, nec charitatis obligat ad procurandam integritatem confessionis materialem. Aut *spirituale.* Ut si ex confessione certi peccati timeatur Confessario periculum ruinæ, ut suprà jam insinuatum: item, quando Confessarius ipse, non habens alium Confessarium, peccatum suum non potest huic Sacerdoti confiteri, absque læsione sigilli Sacramentalis: ut si invalidè culpabiliter absolvisset aliquem à casu reservato, vel simoniacum, & non posset confiteri, nisi illi, qui facilè conjiciet, quisnam ille sit. Communis Recent. cum Coninck *disp. 7. n.* 95.

470 III. *Damnum alicujus tertii*, vel corporale vel spirituale, quod ex confessione alicujus, certi peccati tui posset imminere alicui tertiæ personæ, si nimirum Confessarius revelaret, aut eâ scientiâ contra illam personam uteretur in ejus spirituale vel corporale damnum, ut ex suprà dictis casibus facilè intelligere potes. §. Et *generaliter.* Quoties Pœnitens, urgente aliquâ necessitate confitendi, non habet alium Confessarium, quàm hunc, cui non potest explicare peccatum suum, nisi complex reveletur, & ei innotescat: posse tacere peccatum illud, vel ejus circumstantiam, quantùm opus est, ne complex reveletur, satis communis & multùm probabilis, ac tuta est Sententia DD. cum Navarro *Man. c. 7. n.* 3. Valentia, aliisque. Exempli gratiâ. Peccavit quis cum propria sorore, quam Confessarius iste optimè novit, potest, imò debet tacere aut gradum consanguinitatis solùm dicendo: commisi incestum: aut, si nullam aliam haberet consanguineam, totam circumstantiam, dicendo: commisi fornicationem, cum proposito confitendi integrè peccatum aliâ vice alicui alteri. Quin etiam si iste Confessarius ex circumstantiis loci, temporis, personarum, certò intelligeret hoc peccatum fornicationis non potuisse committi à pœnitente, nisi cum sorore sua, totum peccatum interim tacendum esset, aliâ occasione

Universidad de Deusto
Biblioteca

confitendum alteri. Ratio est: quia quando duo præcepta divina concurrunt, unum naturale, alterum positivum, quæ simul servari non possunt, præferendum & servandum est naturale, quod strictiùs obligat: atqui præceptum non infamandi proximum, est naturale: præceptum verò integrè confitendi, positivum: ergò illud præferendum & servandum est. Et ego cum Gobat *n.* 475. hanc sententiam ob rationem dictam judico probabilem per se loquendo, quando nimirùm inde nullum sequitur incommodum pœnitenti, (de quo infrà) quàm quòd confessio mutiletur: idque maximè, quando persona complex fuit à pœnitente seducta, & in peccatum inducta. Atque omninò certa & vera videtur hæc Sententia, quando complicis fama gravissimè lædenda esset apud Confessarium, utpotè complicis Superiorem, Dominum, singularem Benefactorem, vel Patronum: aut inde ei sequerentur alia gravia incommoda suprà indicata: & ne alioquin Confessio ad salutem hominum instituta cedat in grave damnum vel afflictionem alterius, si fortè aliquo indicio cognoscat tam graviter læsam esse famam vel existimationem apud Prælatum, Dominum, Patronum &c. Ut ex communi rectè notat Layman *l. 5. tract. 6. c. 8. n. 12. v. Dico 2.*

471 IV. Quando Pœnitens urgente aliquâ necessitate confitendi, non potest commodè habere alium Confessarium, cui ignotus sit complex: ipsíq; complici (uti plerumque fit) nullum aliud damnum vel incommodum immineat, quàm quòd fama ejus apud Confessarium (virum tamen prudentem & discretum) quantùm ad notitiam hujus criminis lædatur: & potest licitè, imò & debet confiteri peccatum integrum, non obstante infamatione illâ complicis, quippe meritò posthabendâ majori bono integritatis servandæ, & spiritualis auxilii à Confessario capiendi, (quod proinde maximè verum est, si alioquin ipsi pœnitenti, aliquod incommodum emergeret: ut si Pœnitens nimis diù posteà differre deberet confessionem illius criminis faciendam cum majori incommodo, vel minori fructu, quàm modo fieri posset, &c.) Ita communior DD. D. *Thomas, D. Bonaventura, Alensis, Gerson, Suarez, Vasquez, Coninck, Filliucius*, aliíque relatis Laymã *cit. n.* 12. Lugo *disp. 16. sect. 8. n. 394.* Tamburin. *opusc. Expedit. Confes. l. 2. c. 9. §. 2.* Et expressè docet D. Bernardus. *Opusc. de formula vitæ*, sic scribens. *De nullo siniſtrè loquaris, nisi in confessione: & hoc, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Ita Sanctus. Ratio ergò est: quia Pœnitens utitur jure suo: & complex hoc aliquale famæ suæ dispendium sibi ipsi imputare debet, quandoquidem tale crimen commisit cum altero, quod coram legitimo conscientiæ Judice aliter explicari non possit. Unde ruit fundamentum oppositæ sententiæ Nam licèt sit de jure naturæ non infamare proximum, quando videlicet proximus habet jus ad suam famam, nec infamare eum necesse est. In proposito autem, eó ipsò, quò complex peccavit cum altero sciens eum necessariò debere confiteri, amisit jus ad suam famam in ordine ad confessionem, non tantùm suam ipsius, sed etiam alterius, cum quo peccavit, casu, quo ex justa causa confiteretur Confessario, qui ipsum agnosceret.

¶. Dixi autem & semper supposui *Quando urgente aliquâ necessitate confitendi, non potest commodè Pœnitens habere alium Confessarium.* Nam generaliter addo

§. IV.

Adversiones circa impotentiam moralem, aliásque dictas causas excusantes.

472 I. Sicut in omnibus prædictis casibus moralis impotentiæ, ita maximè in hoc ultimo casu, quando apud Confessarium revelandus & infamandus esset complex, ad hoc, ut licitè aliquod peccatum vel omitti, vel cum infamatione complicis dici possit in confessione, duo necessariò requiruntur. *Unum*: ut adsit aliqua necessitas vel obligatio, vel saltem justa causa confitendi: v. g. in infirmitate, pro Communione paschali: justa autem causa semper adest, cum quis est in statu peccati mortalis, præsertim gravioris, & jam diutiùs moratus. *Alterum est*, quòd non sit alius Confessarius æquè idoneus, nec brevi tempore adfore speretur, cui quis omnia sua mortalia sine ejusmodi incommodo confiteri possit: alioquin sine dubio tenetur confiteri alteri Confessario, aut alium Confessarium modico tempore expectare: v. g. aliquot dierum (longiori enim tempore non teneris expectare, quia magnum esset incommodum, eum, qui animam peccato mortali infectam habet, diutiùs expectare debere remedium divinæ reconciliationis, quod per solam contritionem tali homini obtinere difficile esset) ita communissima DD. & mei citati omnes. Quare, sicut graviter peccaret universaliter, qui sine justa causa confiteus huic Confessario, cùm commodè alium posset habere vel expectare, in casibus suprà dictis §. 3. aliquod peccatum mortale omitteret, quia tunc cessaret impotentia moralis illud peccatum confitendi: ita sanè culpam gravem plerique Doctores agnoscunt, non tantùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam, cum onere restitutionis famæ in eo, qui sine justa causa confiteretur Confessario peccatum cum revelatione & infamatione complicis, si alium similiter Confessarium facilè habere vel expectare possit, in proposito ultimo casu & similibus: Ut, si famula confiteatur, se peccâsse cum suo Domino, vel Clerico, Confessario bene noto: si uxor confiteatur, se admisisse peccatum contra naturam cum marito suo, quem Confessarius probè novit &c. Quanquàm D. *Thomas, Cajetanus, Gabriel,*

Gabriel, apud Dicastillum negent, in hoc intervenire culpam gravem, si præter infamationem apud solum Confessarium, nullum aliud incommodum timeatur. Sed standum communi sententiæ.

473 II. Hinc optimè infert & monet Layman *cit. cap. 8. num. 13.* Quando Confessarius animadvertit, pœnitentem paratum esse ad nominandum complicem circa ea peccata, quæ sine complicis agnitione intelligi possunt, prohibere illum debet, sicut admonet D. Bonaventura, præterquàm si id omninò necessarium videatur ad juvandum pœnitentem, vel ipsum complicem. Quanquàm, si complex correctione indigeat, præstare videatur, ut non ipse Confessarius, sed alia idonea persona corrigat. Si verò alius idoneus haberi non possit, qui grave malum impediat vel tollat, tunc hortetur Confessarius pœnitentem, ut potiùs extra confessionem alienum peccatum in ordine ad correctionem fraternam ipsi aperiat, ut tantò liberiùs peccati notitiâ uti possit, atque dicere corripiendo, se eam extra notitiam confessionis accepisse, ne illud odiosum homini reddatur. Præcipuè verò cavere oportet Confessarium, ne facile fidem habeat fœminis accusantibus maritos suos. Sic *Layman*. De quâ re latè etiam Gobat *Alphabeth. Confess. Casu 5. à num. 254.* quem lege, si vacat: nam mihi exscribere non vacat.

474 III. Seu oblivione inculpabili, seu impotentiâ, ac quâcunque justâ causâ peccatum aliquod in confessione mutilata reticeatur, semper manet obligatio, illud peccatum omissum vel oblitum, deindè, cùm facultas aderit, confitendi: cùm ex claro textu Concilii Tridentini *suprà quæst. 2.* allato, jure divino omnia peccata mortalia sigillatim in confessione clavibus subjicienda sint. Et opposita sententia (Vivaldi, & aliorum: mirum!) meritò est inter propositiones damnatas sub Alexandro VII. Undecimâ: *Peccata in confessione omissa vel oblita, ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Attamen necesse non est, ut illa suppletio fiat statim proximâ occasione, (aut etiam adhuc ante Communionem, ut piè scrupulosi faciunt) sed sufficit, ut suppleatur, quando aliàs ex alia causa fiet Confessio. Sic enim *Sylvester, Navarrus, Suarez, Henriquez, Reginaldus*, alii cum Layman *cit. n. 13.* Diana *p. 3. tract. 4. resol. 124.* Gobat *hic casu 11. n. 274.* docent: peccata, quæ ob naturalem oblivionem vel aliud justum impedimentum paschali tempore omissa fuerunt, non esse statim confitenda, cùm impedimentum cessavit, aut peccati memoria rediit; sed ad sequens Pascha licitè differri posse, propterea, quòd Ecclesiæ præcepto, semel de peccatis omnibus mortalibus, quatenùs moraliter possibile est, confitendi, (confessione scilicet formaliter integrâ) satisfactum fuerit. Sed hoc secundùm indulgentiam sit dictum. In praxi enim meritò consulenda sententia opposita communior & tutior.

IV. Ad extremum quoad integritatem con- 475
fessionis dubitari potest, utrum necesse sit in confessione explicare peccata, quorum notitiam jam habet Confessarius vel extra Sacramentum, vel per confessiones anteà invalidè factas? R. Omninò Pœnitens tenetur aliquo modo etiam confiteri illa peccata; ut secundùm communem DD. benè resolvit noster Marchant. *hic.* Ratio est: quia confessio Sacramentalis non est nuda manifestatio peccatorum ad præbendam notitiam alteri, sed debet esse accusatio ac manifestatio dolorosa de peccatis, ut sunt offensa DEI, in ordine ad absolutionem & remissionem obtinendam, ad quod notitia prior Confessarii omninò est impertinens, vel saltem insufficiens. Quando enim Confessarius novit tua peccata extra Sacramentum, non aliter novit, quàm alius quicunque Laicus vel fœmina, quæ illa vidisset, vel audivisset. Et si novit ex confessionibus invalidè factis, non novit ut confessa dolorosè in ordine ad absolutionem, quæ ob defectum validè dari non poterat. Dixi autem: *Tenetur aliquo modo illa confiteri.* Non enim tenetur Pœnitens talia peccata jam nota Confessario specificè ad longum enarrare, sed potest sub compendio paucis verbis dolorosè se accusando, Confessario eorum notitiam ingerere. Exempli gratiâ: Confessarius interfuit tuis ebrietatibus, litigiis, impudicitiis, quando in confessione pervenis ad ista peccata, potes paucis dicere: accuso me etiam de illis ebrietatibus, impudicitiis, litigiis, quæ coram vidisti, juxta modos & circumstantias tibi notas: addendo tamen explicitè illa, quæ subterfugerunt, vel subterfugisse putas notitiam Confessarii. Quod tamen passim practicandum non est, nisi rationabilis causa subsit, v. g. brevitas temporis, turbatio mentis; alioquin periculum est, ne desit verus dolor & detestatio peccatorum; & certè plerúmque deest humilis verecundia pœnitenti valde salutaris. Item pœnitens ordinariè confessus eidem Confessario, facit aliquot confessiones invalidas; si Confessarius adhuc recordetur peccatorum, & statûs Pœnitentis, sufficiet sub compendio dicere: accuso me de omnibus peccatis, quæ tibi sum confessus à prima confessione invalida tali tempore facta usque ad hanc, uti ex professo declarabo *sect. 3. de confessione invalida repetenda.*

SECTIO II.

De Confessione vera, secreta, vocali.

QUÆSTIO I.

Qualiter Confessio debet esse VERA?

SUMMARIUM.

476 Confessio debet essentialiter esse vera.

Universidad de Deusto
Biblioteca

477. *Vnde mortale est, & confessio nulla, negare verum in re gravi & necessaria. Scil.*
478. *Peccatum mortale nunquam legitimè confessum.*
479. *Sicut & fateri falsum scienter in materia gravi, mortale scil. non commissum.*
480. *Mentiri verò in re levi & non necessaria veniale est.*
481. *Mentiri in re gravi, sed impertinente ad confessionem, quale peccatum?*

QUÆSTO I.

476 *Confessio essentialiter debet esse vera in materia substantiali & necessaria: atque adeò omne deliberatum mendacium in materia gravi & necessaria confessionis Sacramentalis, seu verum negando, seu falsum dicendo, est peccatum mortale, & Sacramentum reddit irritum & nullum: secùs est de materia levi, vel non necessaria.* Comunis. Ratio patet: quia aliàs in re gravi decipietur Judex: & confessio nec erit integra, nec dolorosa, cùm sit mortaliter peccaminosa: ideóque irrita & nulla, & consequenter tota repetenda.

¶. Dicitur autem *deliberatum mendacium*, cùm quis scienter, & à proposito contra mentem suam falsum dicat: nam, si quis ex ignorantia vel inadvertentia falsum diceret, nec formale, sed materiale tantùm mendacium committeret, nec peccaret, saltem graviter, cùm in omni materia, ignorantia vel inadvertentia à peccato excuset: nec consequenter oberit confessioni; sicut etiam, si quis in materia levi vel non necessaria mendacium committeret, ut patebit. Jam ponamus casus.

I. *Negare verum in materia gravi, & necessariâ.*

477 SAcrilegium est, & confessio & absolutio nulla ac invalida: si peccatum mortale nunquam legitimè confessum scienter neges, aut ita tegas, ut à Confessario non intelligatur. Si enim solùm omittere, vel tacere tale peccatum, mortale esset contra integritatem confessionis, quantò magis mortale erit illud etiam positivè negare vel dissimulare? Excipe, nisi habeas justam causam illud tacendi juxta suprà dicta: tunc enim poteris etiam inquisitus positivè negare; adhibitâ tamen (ut peccatum veniale mendacii evitetur) congruâ æquivocatione, vel restrictione mentali, v. g. non feci, vel fecisse scio, *tanquam hâc confessione fatendum, &c.*

478 Dixi autem: *Peccatum mortale nunquam legitimè confessum.* Hoc enim solùm est materia gravis & necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, per se loquendo. Per accidens autem etiam mentiri negando peccatum jam ritè confessum mortale erit, quando Confessarius, sive ut Judex, sive ut Medicus de illo justè interogat, tanquam aliquo spectante ad præsentem confessionem, utpote ad medicinam contra relapsus præscribendam, ad occasiones proximas tollendas, ad restitutionem, vel satisfactionem injungendam, &c. Ratio est: quia tunc Confessarius habet jus interrogandi ad præsentem confessionem, rectè & fructuosè expediendam, & agitur de re gravi, ut patet. Alioquin si nullâ tali justâ causâ subsistente, Confessarius injustè, utpote ex mera curiositate inquirat de peccatis anteà ritè confessis iterùm, ut suprà negare poteris.

II. *Fateri falsum in materia gravi & necessaria.*

479 SAcrilegium itidem, & confessio ac absolutio nulla est, si quis scienter fateatur peccatum mortale, quod tam non fecit. Communissima DD. *Navarrus, Coninck, Reginaldus*, alii cum Layman *c.* 8. num. 15. Lugo *disp.* 14. *sect* 8. *num.* 129. Ratio est: quia in re gravi alteratur judicium Sacramentale: facitque talis injuriam tam ipsi DEO, cui in persona Confessarii mentitur; quàm sibi ipsi, quem de falso crimine apud Sacerdotem infamat. Eadémque est ratio, si quis scienter in numero peccatorum mortalium (etiam unum tantùm addendo) plura peccata mortalia fateatur, quàm reverâ scit, se fecisse: secùs, si id ex probabili vel vero simili conjectura faceret. Item, si quis peccatum dubium scienter confiteatur ut certum: aut econtrà, peccatum certum confiteatur ut dubium in materia gravi & necessaria: quia & iste judicium Sacramentale in re gravi notabiliter alterat. Adde insuper, etiam falsò se excusare de solo peccato veniali, quod esset tota materia confessionis: ut si falsò fatearis, te jocosè mentitum esse, nec aliam pro confessione materiam adferres, mortale esset, & sacrilegum, quia defectu veræ materiæ remotæ, Sacramentum esset irritum. Excipiuntur semper in prædictis scrupulosi, anxi, rudes & simplices: qui vel ex anxietate, vel ex turbatione, ignorantia, bona fide sæpe se accusant de iis, quæ non fecerunt, vel de pluribus, quàm fecerunt, vel dubia pro certis, &c.

III. *Mentiri in materia levi & non necessaria,*

480 PEr se tantùm veniale est, seu verum neges, seu falsum dicas. Ex communi *Layman, Lugo*, alii, contra *Cajetanum, Armillam*, alios. Ut si neges aliquod veniale à te commissum, aut etiam mortale jam anteà legitimè confessum, nec ad præsentem confessionem faciens, cùm scilicet Confessarius legitimè de eo interrogare non potest, ubi adhibitâ congruâ restrictione mentali, etiam veniale evitare potes, vide *num. præced.* Aut contrà, si fatearis aliquod veniale, quod tamen non commisisti, dummodò adsit alia materia absolutionis, &c. Ratio est: quia in materia levi & non necessaria Sacramenti falsitatem committere, nec judicium Sacramentale notabiliter alterat, nec Sacramento alioquin valido gravem irreverentiam irrogat: ergo, &c.

IV. *Mentiri in re gravi, sed omninò impertinente ad Confessionem Sacramentalem.*

481 MAnet peccatum mortale juxta rationem materiæ, atque ex circumstantia Confessionis etiam augmentum malitiæ sumit. Sed nunquid etiam speciem mutat contra Reverentiam Sacramenti: Negat post alios Gobat *num.* 545. sed valde probabiliter affirmat noster *Marchant, supra cit.* Usitatum enim est mulieribus, imò sæpe etiam viris, quòd in Confessione, sive ad suum solatium, sive ad excusationem suorum litigiorum, inimicitiarum ac odiorum, quas contra proximum, sæpe etiam conjugem gerunt, gravissima effutiunt de proximo, etiam ad rem minimè spectantia, sanè etiam mendacissimè, vel nimis hyperbolicè exaggerando, &c. Hæc cùm extra confessionem mortalia sint, ratione prætensæ vel potiùs fictæ confessionis, sanè gravissimum augmentum malitiæ sumunt, tum ob notabilem irreverentiam illatam Sacramento, quo abutuntur ad suas detractiones; tum quia ratione novi peccati mortalis commissi irritam, & invalidam reddunt Confessionem, quam proinde unà cum novo commisso peccato detractionis sacrilegæ ex circumstantia confessionis, repetere tenebuntur. Caveant ergo Confessarii prurientes auribus, qui ejusmodi fabulatores & fabulatrices non impedinut, auscultant, imò sæpe suis curiosis interrogationibus ad ejusmodi detractiones eis ansam præbent. Videant, in quæ pericula & se, & Pœnitentes præcipitent.

482 ¶. Ex dictis apparet, mendacium factum in confessione in re gravi semper continere dupplicem, & quandoque triplicem malitiam. Unam mendacii adversus virtutem veritatis: alteram sacrilegii & irreverentiæ Sacramenti contra virtutem Religionis, & sæpe etiam injustæ infamationis aut sui ipsius, aut proximi.

QUÆSTIO II.

Qualiter Confessio debet esse SECRETA?

SUMMARIUM.

483. *Confessio debet esse secreta, non essentialiter, vel ex necessitate præcepti, sed ex usu Ecclesiæ.*
484. *Unde ob rationabilem causam potest quis peccata sua publicè confiteri;*
485. *Nullus tamen peccata sua, saltem occulta, ullo casu publicè confiteri obligatur.*
486. *Nec etiam ignarus linguæ per interpretem.*
487. *Nullus etiam tenetur peccata sua scribere, ne excidant.*

ASSERTIO.

483 *CONfessio Sacramentalis, non quidem essentialiter, necessitate Sacramenti, sed neque necessitate præcepti divini; sed ex usu Ecclesiæ valdè conformi institutioni hujus tribunalis à Christo factæ, debet esse SECRETA, hoc est, soli Sacerdoti loco DEI facta.* Inde enim dicitur Confessio *auricularis*, & tribunal, hoc, *secretum*, eò quòd secretò exercri debeat. *Communissima* & expressè Concil. Tridentinum. Explico & dico:

I. Nihil cum natura & institutione hujus Sacramenti, aut præcepto confessionis pugnat, si quis ob rationabilem causam, in majorem scelerum vindictam, sui humiliationem, aliorum exemplum, vel Ecclesiæ offensæ ædificationem, item maximè ob casum necessitatis, v. g. in communi naufragio, nosocomio tempore pestis &c. peccata sua publicè confiteatur, etiam in ordine ad Sacramentalem absolutionem recipiendam, prout insinuat Tridentinum *cit. c.* 5. & docet communis DD. cum Navarro *c.* 2. *num.* 8. sic enim Pœnitens dat veram notitiam peccatorum suorum Confessario in ordine ad absolutionem. 484

II. Ex vi præcepti Confessionis per se, nullus unquam ullo casu, etiam articulo vel periculo mortis, in communi naufragio, prœlio, nosocomio &c. tenetur publicè confiteri peccata sua, saltem occulta. Ita communissima DD. Layman *c.* 6. Tannerus *disp.* 6. *q.* 7. *num.* 26. *alii.* Quia jugum Christianæ Religionis oportet esse suave: atqui nimis difficilis obligatio foret, si crimina præsertim secreta, publicâ confessione aperienda essent: neque usquam colligi potest, Christum Dominum tanto cum onere præceptum Confessionis positivum imposuisse. Dixi autem *per se*, nam per accidens ex charitate erga seipsum, qui in tali mortis periculo dubitat de sua contritione, tenebitur confiteri etiam publicè aliqua peccata, quæ minorem pariunt infamiam, aut quæ aliis jam anteà sunt manifesta. Tanner. *loc. cit. c.* 6. *fine*, dicens. *Neque enim in his casibus sufficit ad absolutionem accipiendam, generalia signa doloris edere, quando sine magna difficultate speciale peccatum exprimi potest:* Atqui possumus sic exprimere peccata minùs infamantia, maximè anteà nota aliis. Igitur 485

III. Similiter, per se, ex vi præcepti confessionis, etiam peregrinus seu ignarus idiomatis, nullus tenetur confiteri per interpretem. Communis DD. cum Tannero, Layman. Lugo citatis. Et significat Concilium Lateranense, dicens: *Omnia sua solus peccata confiteatur proprio Sacerdoti.* Ratio est: quia nullum est præceptum de confessione publica facienda, ut modò est dictum: atqui Confessio, quæ per interpretem fit, ex natura sua publica est, etiamsi jure secreti naturalis, ex probitate interpretis maneat occulta. Neque enim certum est, jure Sacramenti Interpretem obligari ad secretum sigilli, ut suo loco videbitur. Sicut ergò non teneor confiteri ipsi Confessario cum probabili periculo revelationis: ita multò minùs per interpretem cum majori longè periculo revelationis. Rursus tamen *per accidens*, ex charitate sui, cùm Pœnitens in articulo mortis positus, incertus est de sua sufficienti contritione, 485

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne, tenebitur etiam per interpretem confiteri, saltem aliqua minora ac minùs infamantia peccata, ut suprà dictum.

487 IV. Quin etiam nullus tenetur confessionem suam scribere memoriæ causâ, ne peccata aliqua quoad speciem vel numerum excidant. Ut contra *Vasquez*, *Dicastillum*, alios, docent communitur DD. *Cajetanus*, *Sotus*, *Valentia*, *Henriquez*, alii cum Tannero *cit. q. 7. n. 27.* Ratio est: quia scriptura, per se loquendo, ex natura sua aliquid publicum, seu publicabile est: præbétque seu causam, seu occasionem manifestationis ac infamationis: atqui cum tali periculo non teneris ipsum peccatum confiteri: ergò multò minùs scribere. Quare etsi, supposito debito examine, aliqua peccata excidant, Confessio nihilominùs formaliter integra erit, quia facis, quantùm moraliter potes. Certè præceptum Confessionis integrè faciendæ, non minùs est pro rudibus litterarum, quàm pro peritis scribere: atqui major pars, & in multis locis maxima pars scribendi imperita est: & quodnam aliud præceptum divinum universale obligat solùm minorem partem hominum? cur ergò hic fingamus aliquod particulare?

QUÆSTIO III.

Qualiter Confessio debet esse VOCALIS?

SUMMARIUM.

488. *Confessio ex traditione, consuetudine, & usu Ecclesiæ debet esse vocalis.*
489. *Unde graviter peccaret, qui sine justa causa signis vel nutibus solùm confiteretur.*
490. *Casus excepti, quibus licet signo, vel nutu confiteri. Imò*
491. *Perpetuò mutus tenetur scripto, vel nutibus confiteri, quoties obligat præceptum confessionis.*
492. *Observanda circa tales confessiones.*

488 CONfessio Sacramentalis, quamvis absolutè quoad essentiam spectata consistere possit in quocunque signo manifestativo propriæ ac dolorosæ accusationis peccatorum, (ut nimis clarum in mutis, moribundis &c.) attamen ex traditione, consuetudine, ac usu Ecclesiæ graviter obligante, debet esse *vocalis*, seu vocis sermone facienda est, si homo loqui possit. Ita communissima DD. Ex cap. *quem pœnitet de Pœnitentia dist.* 1. Ratio est: quia hic modus humiliter accusandi seipsum vocis sermone convenientissimus est ad veniam obtinendam. Hinc resolvendum

489 I. Peccaret graviter, qui absque justa causa ulla confiteretur nutibus vel signis, (secundùm omnes, quos sciam) aut etiam scripto, secundùm communem DD. Quia communem traditionem ac usum perpetuum Ecclesiæ absq; ulla justa causa ex mera libertate transgredi temerarium esset ac periculosum. Attamen Cardinalis de Lugo *dist. 15. sect. 5. n. 8.* certe satis bene probat contra Vasquez, non esse ullam obligationem confitendi voce distinctè seu sigillatim omnia peccata; sed per se loquendo sufficere, si tradatur confessio scripta legenda Sacerdoti, & post lectionem dicatur: *accuso me, & doleo de omnibus his scriptis & lectis.* Quemadmodùm, si heri mihi sacrilegè confessus, hodie tactus dolore redeas, dicásque, rursùs me accuso de omnibus heri tibi confessis, & præter ea de isto, quod malitiosè omisi. Sententia saltem speculativè probabilis, ut Confessarius Pœnitenti eam secuto, & sic confiteri volenti se accommodare possit. At certè ego absq; omni rationabili causa non facerem: nec à communissimo Ecclesiæ ac fidelium sensu recederem.

II. Excipitur autem sine dubio casus necessitatis, ac causa multùm rationabilis, ut ex communi bene notat Layman *cit. c. 6. num. 3.* Lugo, alii. 1. Si in raro casu puella v. g. supra modum verecunda, peccatum suum ore explicare non possit, prudens Confessarius confessionem ipsius in scripto admittere, & præsentem absolvere poterit. Sa, Valentia, Suarez, alii citt. 2. Si ægrotus ex gutture laborans absolutè quidem ore confiteri possit, at non nisi ægrè & difficulter, si peccata scribere possit, urgendus non erit ad vocis confessionem 3. Si Confessarius in confessionali se surdascere animadvertat, ut Pœnitentem peccata sua ex scripto legentem audire nequeat, nisi etiam adstantes audiant chartam sibi à Pœnitente lectam legere, & postea absolvere posset: idipsum fieri posset, si Pœnitens surdaster nimis altè legat, si & alii adstantes audiant. Dummodò semper, ut suprà notatum, voce de his se accusent. 4. Mutos scripto, vel nutibus rectè confiteri, nemo dubitat. Dubium autem est, utrum tali modo confiteri tereantur? Dico: 490

III. Si perpetuò mutus possit scribere, aut si hoc non, saltem nutibus & signis, sua peccata in particulari aperire, cessétque periculum publicationis, tenetur ita scripto, vel nutibus confiteri, non tantùm ex præcepto divino in articulo mortis, sed etiam præcepto Ecclesiastico semel in anno: & verbo; quoties obligat præceptum confessionis. Ita communis DD. cum *Navaro*, *Toleto*, *Sylvestro*, *Suarez*, Layman *cit. n. 4.* (etsi excepto articulo mortis non pauci contradicant) Ratio est: quia licèt talis confitendi modus sit Pœnitenti aliquo modo difficilis & incommodus, est tamen reverà moraliter possibilis, cùm enim talis homo alia animi sui sensa nutibus, vel scripto exprimere soleat, pari modo peccata sua Sacerdoti explicare, non debet ei valde difficile, & mortaliter impossibile videri: & illa aliqualis difficultas gratiâ ac beneficio absolutionis abundè compensatur. Dixi autem *Perpetuò mutus.* Nam qui ad tempus tantùm mutus est, sperans locutionis usum iterùm 491

rùm recuperandum, præsertim brevi, non videtur præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis obligari: nam & scripturam Confessario tradere insolitus est confitendi modus & periculo publicationis non caret, ut suprà dictum: nutibus autem confiteri tali homini prorsùs insolitum, ideóque verè difficile est: quare Ecclesiastica lex interim cessare videtur. Ex communi Layman *loc. cit.* Cæterùm universaliter: si mutus, vel loquelâ impeditus velit gaudere beneficio absolutionis, omnino tenetur modo possibili, sive per scripturam, sive per nutus & signa, quoad poterit, peccata sua Sacerdoti aperire. Quia Confessio sensibilis est pars essentialis Sacramenti: nec sufficit sola confessio virtualis, quando potest haberi aliqua confessio formalis & explicita peccatorum, secundùm omnes, at in proposito potest haberi: ergò &c.

492 IV. In ejusmodi tamen confessione aliqua observanda sunt. 1. Quandò Confessio fit per nutus vel signa, debet Pœnitens adhibere signa sufficientia ad hoc, ut Confessarius in notitiam peccatorum veniat: alioquin enim exponet se periculo invalidæ confessionis. Quare, cùm signa non satis innotescunt Confessario, debet absolvere sub conditione: *si sis dispositus:* & hinc 2. Si mutus vel loquelâ impeditus possit scribere, scriptura (ut convenientior) præferenda est nutibus & signis. Quia inter signa, post vocem vivam & articulatam, scriptura primum locum tenet, & confessionem sine dubio certiùs exprimit. 3. Is, qui per scripturam confitetur, debet esse præsens, & aliquo signo, verbo, nutu indicare, hanc scripturam ordinari ad confessionem dolorosam suorum peccatorum, eorúmque absolutionem Sacramentalem. Quia scriptura est instrumentum mortuum, quod non nisi actu aliquo Pœnitentis ad finem absolutionis ordinari, potest. Et Lugo *citatus* testatur, esse communem sensum DD. quòd sub gravi obligatione teneamur, si possimus, post scriptum lectum, uti saltem illis generalibus verbis. *Me accuso de his omnibus scriptis & lectis.* 4. De Confessione & absolutione absentis, per litteras, vel nuntium invalida, suo loco inferiùs *cap. 5.*

SECTIO III.

De Confessione invalida repetenda.

QUÆSTIO Unica.

Quando Confessio est invalida, Quando, & quomodo repetenda.

SUMMARIUM

493. *Confessio potest esse invalida dupliciter: ex parte Confessarii, & ex parte Pœnitentis.*
495. *In Confessione validâ, sed non integrâ materialiter, repetendum est solum peccatum inculpabiliter omissum.*
496. *Non est repetenda confessio facta bonâ fide indocto nescienti etiam inter mortale & veniale discernere, secùs si facta malâ fide.*
497. *An, & qualiter repetenda sit confessio bonâ fide facta surdastro, dormitanti, distracto?*
498. *Peccata dubia ut talia confessa, repetenda non sunt, dum postea sciuntur esse certa.*
499. *An & qualiter rudes bonâ fide aliquid omittentes, confessionem teneantur repetere?*
500. *An & qualiter repetenda confessio invalida inculpabiliter?*
501. *Item qualiter invalida culpabiliter?*
503. *Qualiter repetitio facienda sit apud eundem Confessarium?*
504. *Qualiter apud alium Confessarium?*
505. *Præmes & modi faciles confessariis I. quoad repetendum ipsum peccatum omissum.*
507. *II. Quoad ipsam peccati* omissionem *seu* reticentiam Usque ad n. 512.
512. *III. Quoad facilitandam repetitionem* confessionum. Usque ad n. 517.

CONfessio potest esse invalida ex duplici capite: 1. Ex parte Confessarii: Ex parte 493
Pœnitentis. *Ex parte Confessarii* invalida est Confessio. 1. Si non habeat jurisdictionem. 2. Si jurisdictio erat impedita per censuram, utpote, si fuit excommunicatus non toleratus. 3. si formam omisit, vel substantialiter vitiavit, aut si non intendit absolvere: 4. Si nullum prorsùs peccatum intellexerit: tunc enim practicè non habuit materiam, quam absolveret. Quæ omnia patent, partem ex hactenùs dictis, partim magis patebunt ex dicendis suo loco: vide infrà §. 2. *num. II. Ex parte Pœnitentis* invalida est Confessio: Si fuit excommunicatus, & antea à censura non absolutus. (ita passim Casistæ & mordicus Joannes Sanchez *select. disp. 32. n. 11.* Verùm excommunicationem non irritare Confessionem & absolutionem, nisi quatenùs excommunicatus eam reciperet in affectu peccati mortalis, probabilissimè cum aliis docent Navarrus *c. 9. n. 3.* Suarez hic *disp. 32.* de quo tamen alibi.) 1. Si non fuit verè contritus vel attritus, seu vero dolore supernaturali, efficaci, & universali caruit juxta dicta *cap. 2. 3.* Si peccatum mortale in Confessione scienter & culpabiliter tacuit, aut in re gravi & necessaria mentitus fuit, verum negando, aut falsum dicendo. 3. Si mortaliter negligens fuit in examinanda conscientia peccatorum. Et generaliter, quoties Pœnitens in ipsa confessione peccavit mortaliter, ut si fecit ad finem mortaliter malum, cum injusta infamatione vel detractione proximi &c. Quæ omnia patent ex hactenùs latè dictis.

¶. Cæterùm ex dictis jam nôsti; confessio- 494
nem posse esse invalidam vel *vincibiliter & culpabiliter*: cum quis sciens & volens, aut ex negligentia mortaliter culpabili, omittit aliquid essentiale ex dictis: vel *invincibiliter & inculpabiliter*: cùm quis ex ignorantia, inadvertentia, aut alio defectu inculpabili aliquid essentiale omittit: aut denique validam quidem & formaliter integram, at non etiam materialiter integram. Jam quæritur, qualiter ejusmodi confessiones invalidæ vel non integræ postèà repetendæ sint. Rem difficilem & frequentiorem

Universidad de Deusto
Biblioteca

longè in praxi, quàm optarent boni Confessarii, conabor explicare diligenter, distinctè & succinctè. clarè tamen ad captum tuum: & tu, Tyro, conare bene comprehendere.

§. I.

Confessio valida, sed non integra, ut repetenda?

495 QUandocunque Confessio fuit valida, adeóque & integra formaliter: etsi non integra materialiter (puta, quia peccatum aliquod mortale inculpatè oblitus es, vel ignorâsti, aut aliàs ex justa causa in hac confessione reticuisti &c.) postea veniens in cognitionem illius peccati omissi, vel nactus occasionem confitendi alteri, nequaquam totam confessionem repetere, sed solùm illud peccatum inculpabiliter omissum in nova Confessione explicandum erit: cùm reliqua peccata jam legitimè confessa & remissa supponantur. Ita omnes. Casus varios expositos habes suprà *Sect. 1. q. 1. & seqq de Integritate Confessionis*: quibus aliquot speciales addo & partim repeto.

496 I. Valida est Confessio bonâ fide facta Confessario, quantumvis indocto, adeò, ut inter mortale & veniale discernere nequeat: imò etiamsi putâsset aliquod peccatum tuum esse veniale, quod tamen est mortale: v. g. fornicatio simplex, mollities &c. dummodò aliquo tandem malo in communi & confuso peccatum aliquod, seu offensam Dei esse in pœnitente cognoscat: neque talis confessio erit posteà repetenda. *Suarez, Sanchez*, aliis citatis *Layman c. 9. Diana*, alii cum Tamburino *lib. 2. c. 10. §. 3.* Ratio est: quia ex una parte tu bonâ fide omnia peccata tua subjecisti clavibus: ex altera autem parte, illa confusa Confessarii notitia peccatorum tuorum sufficit ad valorem Sacramenti, ut patet in moribundis. Secùs esset, si malâ fide & studio quæsivisti talem Confessarium, qui peccata tua discernere, adeóque tibi mederi non possit. Tunc enim, quia confessio tua fuit mortaliter mala, non fuisti dispositus, nec consequenter absolutus, ideóque tota confessio repetenda erit, juxta dicenda §. 4.

497 II. Si quis bonâ fide confiteatur surdastro, dormitanti, distracto, qui aliqua etiam mortalia peccata non intellexit, sine omni culpa Pœnitentis, probabiliùs est, confessionem esse validam, nec posteà repetendam, nisi illa, quæ non percepta esse constiterint. Suarez *d. 22. sect. 7.* Layman *c. 9. n. 5. Diana, Tamburinus. ll. cc.* eò, quòd essentia & effectus Sacramenti consistere possit absque integra & specifica explicatione peccatorum, si ea sine ulla culpa Pœnitentis, verèque dolentis omittatur. Nihilominùs Pœnitens, ut jam innui, si posteà cognosca tunum, vel plura peccata mortalia Confessarium nullo modo percepisse, debet ea sola posteà cum aliis novis commissis in sequenti confessione explicare: quia semper manet obligatio peccata omnia mortalia secundùm speciem & numerum Sacerdoti confitendi, ut ab omnibus absolutio directè & in specie conferatur, sicut institutioni hujus Sacramenti consentaneum est: atqui illa peccata non percepta, formaliter non sunt confessa Sacerdoti, nec subjecta clavibus, ut patet: ergò &c. At, quid si Pœnitens post talem confessionem advertat quidem aliqua peccata sua à Confessario ob somnum v. g. non esse audita, vel percepta, sed nesciat, quænam illa sint? R. Tenebitur tunc repetere totam Confessionem, si brevis illa sit paucorum peccatorum: quia de singulis dubitare prudenter debes & potes. Si autem prolixa fuit confessio multorum peccatorum, cùm non possis dubitare prudenter de singulis, non teneberis repetere totam Confessionem, sed satis erit dicere, quòd aliquod, vel aliqua ex tuis peccatis Confessarius non perceperit. Sic Tambur. *cit. c.* 10. §. 3. *n. 5.*

498 III. Quoad peccata dubia, jam suprà *quæst. 3. §. 4.* assertum est, eum, qui bonâ fide confessus est peccatum ut dubium, & posteà comperit peccatum illud esse certum, non debere iterùm illud ut certum confiteri: quia peccatum illud jam fuit directè absolutum in prima Confessione: ergò, sicut novâ absolutione, ita etiam novâ confessione non indiget. Idémque dicendum à fortiori, si quis bonâ fide confessus est peccatum ut certum, postea autem verè dubitat, an reverâ commiserit, non tenebitur iterùm confiteri ut dubium. Qui enim fatetur peccatum ut certum, satis moraliter fatetur etiam ut dubium, & qui absolvitur à peccato ut certo, censetur multò magis ab in certo absolutus fuisse, si tale fuisset. Ulteriùs, qui integrè confitetur peccatum aliquod, de quo tam ipse Pœnitens, quàm Confessarius dubitat, sítne mortale, an veniale tantùm; si posteà comperiatur certò fuisse mortale, non opus est novâ confessione: quia ex una parte peccatum integrè fuit confessus, sicut factum est, & ex altera parte ad valorem Sacramenti non est opus, quòd Pœnitenti vel Confessario innotescat mortale vel veniale fuisse, quod absolvitur.

499 IV. Quoad rudes ac simplices homines, placet judicium ac doctrina P. Layman *cit. c. 9. n. 4.* sic scribentis: Si aliquis ob ruditatem, vel ignorantiam non mortalem, peccatum confiteri intermittit, sed alioquin attritus & dispositus est, is validè & fructuosè absolutionem accipit, ut proindè non tota Confessio posteà repetenda sit, sed hoc solùm, quod omissum fuerat. Exemplum habes in puero, qui peccatum aliquod, v. g. mollitiem, arbitratus est esse leve vel nullum, sed postea grandior factus intellexit esse mortale: item in Rustico rudi & imperito, qui ex ignorantia non crassâ peccata solùm genericè, vel tantùm specificè, & non sigillatim & secundùm numerum confitetur: quia à Parocho nunquam de ea re instructus est: talis, si supernaturalem de peccatis Pœnitentiam cum emendandi proposito habeat, videtur validè absolvi, quamvis cum obligatione, ut si posteà præceptum divinum de confessionis integritate cognoscat (puta in Concione, Catechismo, vel Confessione edoctus) tenetur peccata omnia secundùm speciem & numerum, quatenus potest, explicare. Interdum tamen, si appareat magna hominis ruditas, Confessarius contentus esse potest enarratione peccatorum à proxima confessione commissorum, ac præcedentium rudi aliquâ cognitione, præsertim si aliorum pœnitentium copia adsit: quandoquidem rudis ille homo propter obligationis ignorantiam non crassam, capax est absolutionis, ut pono; ad perfectiorem autem dispositionem hic & nunc, facilè adduci non potest, ut ponimus. Sic Layman communiter ab aliis receptus & laudatus, de quo rursus aliquid infrà in fine.

§. II.

Confessio invalida, ut repetenda: & *I. Confessio invalida inculpabiliter.*

500 QUando Confessio fuit invalida inculpabiliter ex parte pœnitentis: utpote, si bonâ fide putet, se omnia requisita ad debitam susceptionem Sacramenti adhibuisse, defuit tamen inculpabiliter verus dolor, seu vera attritio supernaturalis, cùm fuerit æstimata & naturalis tantùm: & generaliter, quando defectus substantialis fuit tantùm in ipso Confessario, (modis initio expositis) absque ulla sua culpa: tunc utique cessabit obligatio repetendi confessionem talem invalidam, quamdiu ista bona fides, & ignorantia, seu error inculpabilis durat. Nam tametsi illâ confessione invalidâ peccata non fuerint remissa, quamdiu tamen bona fides durat, habentur pro inculpabiliter oblitis vel ignoratis, quæ vel sequentibus confessionibus legitimis indirectè absolvuntur, vel per contritionem perfectam remittuntur.

501 §. Ubi vides, rarò obesse defectum ex parte solius Confessarii in confessione invalida, si pœnitens bonâ fide ad eum accessit: secùs, si sciens & malâ fide, (ut jam §. 1. N. 1. indicatum est.) Quòd si verò pœnitens posteà veniat in notitiam defectûs illius substantialis (sive ex parte sua, sive ex parte Confessarii) Sacramentum annullantis, jam cessante bonâ fide, utique tenebitur totam Confessionem repetere, quoad materiam necessariam peccatorum mortalium: quia ea peccata mortalia necdum legitimè fuerunt subjecta clavibus: ideóque manet, & velut revivíscit obligatio ea confitendi.

II. Confessio invalida culpabiliter.

502 QUotiescunque Confessio fuit invalida culpabiliter ex parte ipsius Pœnitentis, sive ex defectu suo proprio (puta, quia malitiosè caruit vero dolore supernaturali ac proposito: quia ex damnata verecundia aliquod peccatum mortale reticuit; in materia necessaria mentitus fuit: aut etiam ex defectu Confessarii, quem sciens malâ fide accessit) semper tota confessio repetenda est. Nimis certum apud omnes, & ex toties dictis evidens. Jam consequenter videndum, qualiter ejusmodi confessiones culpabiliter invalidæ (atque inculpabiliter initio invalidæ, post agnitum defectum substantialem, ut *num. præced. fine* innui) repetendæ sint suaviori modo, quo nec Pœnitens injustè gravetur, nec Confessarius insipienter se vexet.

III. Repetitio apud eundem Confessarium.

503 QUando Confessiones invalidæ factæ certo Sacerdoti, repetendæ sunt apud eundem Confessarium, eúmque adhuc memorem peccatorum sibi confessorum, necesse non est, omnia peccata repetere sigillatim; sed sufficit sub compendio & generatim de omnibus se accusare, & defectus corrigere, utpote omissam contritionem excitare coram Confessario, peccatum omissum exprimere, addendo peccata, quæ fortè interim alteri, confessus es, atque numerum sacrilegarum Confessionum, ac Communionum ab eo tempore peractarum, (si nimirum confessiones tuæ fuerunt culpabiliter invalidæ & sacrilegæ, aliàs non) v. g. Accusome de omnibus peccatis, quæ tibi sum confessus à prima Confessione sacrilega ante triennium factâ, (in qua dolorem vel propositum nullum habui, hoc peccatum ex impia verecundia omisi) usque ad hanc: à quo tempore sexies circiter per annum confessus sum, ac toties indignè ac sacrilegè communicavi, &c. Sic enim confessio adhuc erit formaliter integra, & Confessarius, ut supponimus, sufficientem notitiam habet ac memoriam peccatorum, quæ absolutioni Sacramentali modò subjiciuntur.

Quin etiam id verum est, etiamsi Confessarius eorum peccatorum sigillatim in specie & numero non recordetur, dummodò confusè recordetur statûs pœnitentis, ut convenientem pœnitentiam, medicinam ac remedia præscribere possit, uti contra *Henriquez*, ac alios, & ex parte *Suarez cit.* docet satis communis DD. Sententia. *S. Antoninus, Navarrus, Toletus, Em. Sa, Vasquez*, aliísque citatis *Layman c. 9. num. 6.* addens in fine. Tametsi Confessarius neque statum peccatoris generatim recordetur, sed id tantùm, quòd sibi confessus fuerit, eúmque jam rectè dispositum absolvit, peccaturum illum quidem, cùm non rectè suo munere in pœnitentia imponenda &c. fungi possit, nihilominùs absolutionem validam & pœnitenti fructuosam fore. Sic *Layman.* Insuper Diana alios allegans *Part. 5. tract. 14. Resolut. 51.* probabile censet, quòd sic etiam licitè possit absolvere, sed hoc mihi vix placere potest. Ratio sæpiùs indicata est, quia specifica & particularis peccatorum manifestatio & cognitio per se, ac simpliciter non est de essentia ac necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti divini, cui pœnitens jam anteà satisfecit enumerando peccata sua, ideóque jam solùm defectum, v. g. contritionis, peccati omissi &c, supplere tenetur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur. Quod confirmatur praxi communi DD. ac proborum Confessariorum. Si enim Sacerdos, auditâ confessione, animadvertat pœnitentem non satis dispositum & attritum esse, interdùm differt absolutionem in alterum diem: si autem contingat eum intereà species peccatorum obliviſci, non ideò exigere solet, ut confessio repetatur, sed tantùm ut de peccatis verus dolor cum emendationis proposito conceptus sit. Ut optimè observat idem *Layman ibidem.*

IV. Repetitio apud alium Confessarium.

504 QUando Confessiones invalidæ factæ repetendæ sunt apud alium Confessarium, qui priores Confessiones invalidas non audivit, tunc haud dubiè omnia peccata mortalia, non tantùm fortè sacrilegè omissa, sed omnia et am anteà in illis confessionibus invalidis confessa, in specie & numero denuò confitenda erunt: dummodò, omnibus consideratis, certò & evidenter constet, præteritas omnes fuisse invalidas: aut rationabile de hoc dubium sit. Ut si pœnitens apertè fateatur, se in tali confessione omni dolore ac proposito caruisse, Confessario in materia gravi & necessaria mentitum fuisse; utpote peccatum mortale scienter & cum conscientia novi peccati mortalis negâsse, vel subticuisse: falsò & mendaciter promisisse emendationem: occasionis proximæ evitationem, restitutionem &c. Has ipsas tales confessiones fuisse invalidas, ideóque postea totas quoad mortalia repetendas, non potest esse dubium. At verò dubium sæpissime potest esse de aliis confessionibus in subsequentibus, an ideò etiam illæ omnes fuerint invalidæ & repetendæ? pro quo discernendo pono aliquas practicas industrias §. *sequenti* Claritatis tamen gratiâ sistendo in uno, eóque frequentissimo casu, quo in prioribus confessionibus omiserunt, vel subticuerunt aliquod peccatum mortale. Eadem erit ratio in reliquis.

§. III.

Praxis Confessarii & Industriæ ad evadendam sæpe repetitionem: &

I. Quoad ipsum peccatum omissum seu reticitum.

505 QUando Pœnitens simpliciter confitetur, se hactenus non rectè confessum esse, aliquod peccatum omisisse vel tacuisse, habere antiquum peccatum, ante tot annos, in juventute, in pueritia patratum, quod hactenùs nunquàm confessus sit, ne tam seipsum, quàm pœnitentem frustrà torqueat, non statim judicet omnes confessiones invalidas, & ideò repetendas esse, sed congruam cautelam & industriam adhibens, audito illo peccato, ante omnia interroget ex ipso, an tunc, quando illud commisit, jam sciverit, vel putaverit (etiam conscientiâ erroneâ vel practicè dubiâ) esse peccatum? an verò posteà primùm, & quando agnoverit peccatum esse? Et sæpissimè, præsertim apud homines simplices, audiet responsum negativum. *Mi Domine, adhuc juvenis vel puer fui, non scivi, non putavi esse peccatum, non intellexi, &c. modò primùm in Concione audivi, vel aliundè edoctus agnovi, & ideò confiteor.* Et jam res salva est: modò quiescat Confessarius. Nulla hìc confessio invalida & repetenda erit: nisi tantùm ab illo tempore, postquàm rescivit vel putavit etiam erroneè fuisse peccatum, & nihilominùs illud confiteri scienter & culpabiliter omisisset; ut mox iterum dicam.

Quòd si verò Pœnitens fatetur, se jam tunc 506
sciviſse, vel putâsse esse peccatum, aut post factum, jam dudum agnoviſse ex Concione, Catechismo, &c. esse peccatum, & tamen ex verecundia vel timore aliquo reticuisse: jam interrogandus erit; an ergò hactenus ex illo tempore semper & singulis confessionibus, benè memor peccati illius, scienter & studiò omiserit? an non aliquando bonâ fide, animò, & voluntate omnia sua peccata confitendi, dummodò occurrerent, adeóque & illud peccatum, si occurreret, certò confessurus, confessus fuerit: & à quanto tempore. Si semper bonâ fide, eóque animo confessus solùm ex oblivione inculpabiliter omisisset, vel tacuisset, res iterum salva erit, ut suprà & ex dictis patet. Si verò ea aliquanto tempore sic bonâ fide confessus sit, (v. g. peccatum pro mortali habitum ante triginta annos commissum, primis quidem sex annis ex damnata verecundia sacrilegè omisit & reticuit, at reliquo tempore deinceps hujus culpæ immemor, semper bonâ fide & voluntate omnia sua peccata, adeóque & illud, si occurriſset, confitendi, semperque de omnibus suis peccatis rectè doluit.) & tunc ab illo tempore primæ confessionis sic bonâ fide factæ, non erit obligandus, ad repetendas confessiones reliquas à 24. annis hucusque factas, sed solùm ad illas præcedentes per primos sex annos malâ fide, invalidè & sacrilegè factas: nam reliquæ omnes frequentes confessiones sic bonâ fide factæ, validæ & fructuosæ fuerunt, sicut si semper aliquod peccatum inculpabiliter omisisset. Quod valde nota Confessarie, & insuper nota notantissimè

II. Quoad ipsam peccati omissionem seu reticentiam.

QUando fatetur rotundè tuus pœnitens, se 507
aliquod peccatum pro mortali habitum, cognitum, vel putatum, in prioribus confessionibus semper scienter omisisse vel reticuisse: nondùm statim judicet confessiones illas omnes invalidas ac repetendas esse, sed novâ cautelâ ac industriâ utens

I. Sciscitetur, an sciverit vel putaverit, se mortaliter peccare, seu grave peccatum committi, subticendo peccatum aliquod in confessione, & ideò confessiones fieri invalidas ac sacrilegas: similiter & Communiones eo statu acceptas, novo duplici gravissimo peccato mortali sacrilegii? Et si quidem ita fateatur, omninò

urgenda erit repetitio Confessionum, modo exponendo §. *sequenti.* Quòd si verò neget, (& quoties negârunt mihi! & sine dubio negabunt quandoque etiam tibi) aut dicant: *avertat Deus! si sciviſſem tam grave peccatum esse illud silentium, certè non reticuiſſem, &c.* Tu fidem adhibeto, nec compellas repetere confessiones criminum jam detectorum, sed tantùm eorum, quæ omisit: nam supposito vero dolore universali omnium peccatorum priùs habito, confessiones fuerunt validæ, imò etiam fructuosæ, etsi fortè venialiter vitiosæ. Atque ita tutò conquiescere poteris cum hominibus simplicibus & rudioribus. At si prudentiores magísque capaces sint, ad majorem securitatem

509 II. Quære, an non saltem dubitaverit, peccétne graviter tale peccatum reticendo? Neganti rursus fidem habe, ut suprà. At si fateatur, se verè ita dubitâsse, aut timuisse, ne fortè grave peccatum sit, ita peccatum aliquod reticere: rursùm interroga: an non putaverit delinqui mortaliter cum tali dubio vel timore petendo absolutionem, & postea insuper Communionem? si iterùm neget, tu iterum crede? reverâ enim plurimi ignorant esse grave peccatum operari cum conscientia ita dubia; nec repetitionem pete ob rationem modò supra datam: poteris tamen adhibere cautelam mox ponendam *num. sequenti.* Sin verò fateatur, se ita putâsse, vel sciviſse, de necessaria repetitione dubitare ampliùs non poteris, ut suprà *N. I.*

510 III. At, quid si advertas, aut pœnitens ipse fateatur, sciviſse vel putâsse peccatum in confessione reticere esse malum in genere, seu peccatum in confuso, nihil cogitando, dubitando, vel suspicando de malo gravi, seu peccato gravi & mortali prout reverâ sæpissimè sua peccata apprehendunt homines simplices, plebeij, rustici, pueri &c. Mi Confessarie, sequere tutò probabiliſſimam sententiam plurimorum Doctorum *in materia de conscientia, & in meo Tract. 1. Decal. c. 1. n. 17.* & judica tunc solùm peccâsse venialiter: ideóque neque petas repetitionem, quia adhuc habet locum ratio *N. I.* data: cùm peccatum veniale non impediat nec valorem, nec fructum Sacramenti. Ad majorem tamen securitatem in hoc & præcedenti casu, ita interrogare poteris. Quando post talem casum tacito peccato accedebas Communionem, nónne conscientia te arguebat, horrebat, vel dictabat tibi, te à DEO punitum iri, quòd velis sumere Corpus Christi inquinatus tali peccato non confesso? Promptè respondenti nihil tale veniſse sibi in mentem, alioquin certè communicare noluisse, dicas: *ergò spera clementiſſimum DEum non reputaturum tibi in gravem culpam: attamen pro majori securitate, dic mihi, si placet, quoties in vita, per annum, mensem &c. ita reticuisti cum remorsu conscientiæ?* De aliis peccatis repetendis tacere potes, ob eandem rationem. Quòd si verò talis pœnitens ingenuè fateatur, se communiter ante & post Communionem valde fuisse anxium ac perturbatum, ob tale peccatum priùs non confessum, tunc omninò procedendum erit ad repetitionem priorum confessionum, perinde ac cum alio manifestè reo.

IV. Tandem, quid si, Confessarie, advertas, pœnitentem laborare ignorantiâ invincibili 511
hujus juris & obligationis? Reverà plurimos reperire est, & ipse reperi, qui licèt probè sciant, peccari graviter reticendo in confessione aliquod peccatum mortale: illúdque necessariò adhuc confitendum esse: tamen ignorant, etiam invincibiliter, esse quòque repetenda omnia alia peccata mortalia, quæ jam in confessionibus illis invalidis ac sacrilegis anteà integrè manifestârunt. (cum amaro risu hæc scribens, reminiscor, quoties mihi fastidiosè altercandum fuerit cum rusticis, vetulis, aliis; me urgente, necessariam omninò repetitionem: illis continuo obgannientibus: *mi Domine! nihil aliud scienter vel studio omisi, nihil reticui: omnia alia peccata mihi cognita diligenter confessus sum: imò, imò, valdè diligenter mi Domine, &c.*) Nunquid talis ignorans, dissimulatâ veritate, in sua ignorantia invincibili relinqui: & modò aliàs ritè confessus sua peccata ab ultima confessione, unà cum illis, quæ sacrilegè reticuerat, & vero dolore de omnibus peccatis suis, tanquàm rectè dispositus absolvi poterit, perinde ac si aliorum inculpabiliter oblitus esset? *Resp.* validè quidem te absoluturum, dubitare non debet. Licitè autem certè non absolves, nisi in raro casu, quando adest vera causa excusans ab integritate materiali confessionis, utpote impotentia aliqua moralis, consideratis circumstantiis personæ, temporis &c. & singulariter quando manifestatio illius obligationis pœnitenti aliàs scrupuloso, anxio, incapaci &c. majus malum vel incommodum esset allatura (v. g. extremæ anxietatis, per plexitatis, desperationis &c.) quàm sit malum mutilæ, ac bonum integræ confessionis, prout ex communi DD. dixi *Tract. 1. Decal. c. 1. à n. 28.* & fortè in gratiam Tyronum rescribam infrà, *cùm de officio Confessarij.*

§. IV.

Praxis Confessarii ad dirigendam & facilitandam repetitionem Confessionum.

QUando tandem Confessarius, perpensis 512
omnibus, deprehendit, confessiones præteritas fuisse invalidas, utpote quando pœnitens fatetur, se peccatum aliquod mortale, pro mortali agnitum, semper scienter, ex verecundia, v. g. cum conscientia novi gravis peccati, in omnibus vel aliquot confessionibus reticuisse: (idémque est de quocunque alio defectu substantiali mortaliter culpabili ex parte pœnitentis *suprà §. 2. n. IV.*) in prioribus confessionibus commisso, & in posterioribus hactenùs culpabiliter non detecto, nec suppleto vel emendato) jam omninò urgenda erit repetitio omnium illa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

illarum confessionum invalidarum, hâc ferè methodo & industriâ.

513 I. Confessiones interroget, à quot annis à prima confessione tale peccatum reticuerit? quoties ab illo tempore intereà hactenus confessus fuerit & communicârit? duplici semper sacrilegio bene inculcando: simúlque ostendat, omnes illas confessiones fuisse invalidas & nullas: nullum peccatum fuisse remissum: omnia peccata mortalia de novo esse confitenda, etiamsi jam anteà integrè, attamen in confessionibus illis invalidis, cum sacrilego illo silentio alicujus peccati manifestata: quod multi ignorant vel non apprehendunt, & jam suprà innui. At quâ tandem ratione talis pœnitens â tam multis, aliquando 50. & ampliùs annis, non ritè confessus, præsertim pluribus speciebus, innumerísque numeris gravissimorum scelerum onustus; & insuper, ut plerumque accidit, absque ullo prævio examine præteritorum annorum confessionale irrumpens, peccata sua in specie & numero explicabit? Certè non nisi paucas species, & vix nisi temerè omninò, nullum numerum dicet, si tamen aliquid dicat. Et ideò

514 II. Per se loquendo, omninò necessarium esset, tales absque absolutione remittere ad se examinandos, & præparandos pro confessione generali tot annorum, posteà meliùs instituendâ reversuros. Per accidens autem, vix unquàm sunt dimittendi, quia, prôh dolor! nimis frequens experientia docuit tales non solere reverti &c. Quare nisi ex certis indiciis omninò credas, talem filium prodigum reversurum ad te, vel alium Confessarium pro integra confessione facienda, aut certè præsumas, eum probè agnoscere, quòd reverà teneatur intereà à Sacramento suscipiendo abstinere, &c. aut tandem nisi in raro casu; si nimirùm angustiæ temporis, aut concursus hominum aliàs impediendorum non patiatur tantam moram; ex altera autem parte adsit necessitas aliqua communicandi, ut tempore Paschali, in magno festo, quo Communio solita intermitti non possit sine scandalo, aut plenariæ indulgentiæ lucrandæ, &c. auditis peccatis à proxima confessione commissis, cum aliqua notitia statûs præteriti, ac de omnibus peccatis verè dolentem, tanquam jam formaliter integrè confessum, satis dispositum interim absolvendum censeas, alio opportuno tempore plenius confessurum & denuò absolvendum, prout est communis etiam Doctorum praxis. Ubi tamen longè major cautela, & reditûs certitudo requiritur, (ne semel elapsus, revertatur nunquàm) Nisi inquam de reditu moraliter certus sis; ne dimittas elabi prædam; conare lucrari DEO animam aliàs fortè perituram, atque ordinario bonorum Confessariorum more.

515 III. Ante omnia, omni conatu & industria allabora, ut pœnitentem excites ad serium & efficacem dolorem ac detestationem omnium suorum peccatorum, præmisert tot sacrilegarum Confessionum & Communionum, propositis motivis ipsius statui maximè accommodis, juxta dicta *suo loco c. 2.* Deinde suaviter excitatâ fiduciâ in divinâ misericordia, & tuo adminiculo, suaviter jube & permitte eum dicere, quæ & quoquo modo in mentem veniunt, sic enim statum pœnitentis præteritum rectiùs discees. Tandem obticescentem adjuva summario examine per præcepta Decalogi, inquirendo, vel veriùs divinando species peccatorum, quas statui ipsius congruere putas, perpensis diligenter circumstantiis conditionis, negotiorum, occasionum &c. numerum similiter divinando elice, proponendo primò numerum bene magnum, deinde valde parvum, & tandem medium. Ut, si fateatur pœnitens se sæpiùs per annum Sacrum omisisse. Quære, an non propè trigesies? Respondebit: *non toties.* Ergò octies vel decies: *sæpiùs mi Domine.* Ergò decies sexies, vel ad summum vigesies? plerumque audies, *ita circiter mi Domine*, & sic quoad opus esse putabis, semper magis sollicitus de vero pœnitentis dolore ac proposito (quo posito, omnia salva sunt) quàm de integritate confessionis exactâ procurandâ.

516 IV. Quamvis autem moraliter certum sit plura vel dictum, vel omissum iri, quàm oporteat, attamen præ oculis semper habenda est Regula tradita à Lessio Auctuario V. Confessarius Casu 7. *Hæc est Regula, quâ Confessarius uti debet circa pœnitentem &c. ut spectatâ conditione pœnitentis, faciat id, quod judicat ei fore magis salutare.* Atque experimur plerumque semper, quando pœnitentes sunt in bona fide ac voluntate, eis magis salutare esse, ut sic examinentur velut *è stapede*, donentúrque absolutionis beneficio, quàm si dimittantur ad se penitiùs examinandos. Tunde mi Confessarie, tunde ferrum, dum candet. §. Tandem etiam monendi sunt, ut si quæ peccata mortalia, quæ in hac confessione fugerunt eorum memoriam, posteà recurrant memoriæ, ea diligenter adhuc confiteantur, estò ea jam antea fuerint confessi in decursu illarum priorum confessionum sacrilegarum. Et insuper per se loquendo etiam necessarium esset eos monere, ut reflexionem aliquam instituant adhuc, saltem post Communionem, si brevi obeunda sit; aut etiam ante illam, si non tam citò sumenda: nam ista discussio conscientiæ, quæ fit tam citò in confessionali, est longè imperfectior, quàm exigant phrases Tridentini & Theologorum. Verùm hæc monitio frustranea erit apud rudes & plebeios; noxia quóque per accidens valdè anxiis, meticulosis, verecundis: ergo adhibenda solis animis serenioribus & prudentioribus, qui faciliùs parebunt, si doceantur ita posteà confiteri. Feci nuper confessionem generalem: in qua oblitus sum dicere, me decies circiter fuisse ebrium &c. Hæc tam particulariter dicere libuit, quia in frequentissimâ praxi hæc securiùs discis legendo, quàm errando.

SECTIO

SECTIO IV.

De necessitate & obligatione Confessionis.

NEcessitate præcepti divini, quemlibet obligari confiteri omnia sua peccata mortalia in specie & numero, jam assertum & latè explicatum habes *suprà sect. 1. quæst. 2. & seqq.* Duo hic supersunt explicanda. 1. Quando obliget illud ipsum præceptum divinum confessionis. 2. Quando & qualiter obliget præceptum Ecclesiasticum confessionis annuæ?

QUÆSTIO I.

Quando obligat præceptum divinum Confessionis.

SUMMARIUM.

518. *Præceptum confessionis* divinum *obligat omnem fidelem in mortali.*
519. *Per se in articulo mortis.*
520. *Idque tantum in hoc per se.*
521. *Per accidens autem etiam aliàs in duplici ferè casu.*

517 *OBligat per se in articulo mortis tantùm: per accidens autem sæpiùs & duplici potissimùm casu: quando Eucharistia sumenda: Et quando non nisi eo medio certum peccatum mortale evitandum est.* Communissima. Expheo breviter.

518 I. OBLIGAT hoc præceptum omnem fidelem peccato mortali obnoxium, adeóque etiam pueros doli capaces, ut bene probat Lugo *disp. 15. Pœnit. sect. 7.* de quibus mox infrà plura. Quòd si ergò totâ vitâ nullum peccatum mortale admittas, liber eris ab obligatione præcepti hujus. Nec proindè graviter delinquere censendus esset, qui ab aliquot mensibus nullius peccati mortalis admissi sibi conscius, etiam in articulo mortis nollet confiteri, nec (Judice Gobat *Alphab. Confit. Casu 1. n. 253.*) ei negari posset seu Viaticum seu extrema Unctio. Attamen certè in praxi omninò à Confessario esset urgendus talis, ut aliquod saltem peccatum veniale confiteatur, tum ad indirectam remissionem fortè latentis al cujus peccati mortalis, tum ob gratiam Sacramentalem, tum ad satisfaciendum consuetudini universali fidelium, tum ad evitanda scandala, domesticorum timorem, tristitiam, &c.

519 II. Obligat *per se in articulo mortis*, ac quolibet ejus morali periculo: in quali versantur 1. Ægroti, cùm adsunt signa mortis naturalia. 2. Tempore pestis grassantis, in ingressu prælii seu conflictûs, aut periculosæ navigationis. 3. Mulier tenera primùm paritura, vel jam experta habere partus difficiles seu periculosos. 4. Morti adjudicatus &c. Ita omnes. Ratio est: quia nisi tunc saltem homo peccato mortali obnoxius confiteatur, nunquam implebitur hoc præceptum, aut certè homo exponet se periculo certo vel probabili nunquam implendi hoc præceptum, seu nunquam confitendi, cùm tamen confessio Sacramentalis nostrorũ lapsuum remedium à Christo institutum, atque præceptum sit. Quapropter *c. cùm infirmitas. De Pœnit. & Remiss.* Medicis præcipitur: ut, cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant atque inducant, ut Medicos advocent animarum.

520 III. Obligat per se in articulo mortis *tantùm.* Communis DD. cum *citatis.* Quia aliud certum tempus hujus obligationis per se, nullo certo fundamento assignari potest: idque verum est, etiamsi quis certus sit differendo confessionem usque ad articulum mortis (vel modò usque ad tempus Paschale) te esse obliturum multa crimina mortalia, non tamen ideò obligaris jure divino confiteri citiùs, ut contra *Navarrum, Nagum*, alios apud ipsos, rectè docent *Sotus, Henriquez*, alii citatis Diana *p. 3. tract. 4. resol. 153.* Lugo *cit. disp. 15. sect. 4.* Et Layman *l. 5. tract. 6. c. 5. n. 5.* sic expressè scribens: *Quare probabile est, si Ecclesia nullum tempus determinâsset pro confessione facienda, lapsum in peccatum mortale, si probabiliter crederet, se contritum esse, ex præcepti hujus necessitate non fuisse obligandum ad sacram confessionem extra dictum periculum, ut etiam docent Suarez, Coninck ll. cc.* Sic Layman.

521 IV. *Per accidens autem in duplici ferè tantùm casu* obligat præceptum divinum confessionis. Unus est: quando Sacra Eucharistia susципienda, de quo ex professo dictum est alibi. Secundus est: si credas te certum peccatum mortale, in quod sæpiùs lapsus fuisti, evitare aliter non posse, quàm per confessionem te muniendo contra illud, uti sunt maximè assueti peccato libidinis, & singulariter mollitiei, ut alibi indicatum est: item si ad adhibenda remedia peccati, aut amovendas peccatorum occasiones, prudentis viri consilio opus est, quod extra confessionem petere nolis, aut non possis, ait Layman *cit. n. 6.* Sic omnes. Et ratio est sæpiùs inculcata. Quia, qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media applicanda necessaria illi fini, at jure divino tenemur evitare omne peccatum: ergò &c. Vide dicta in simili. *capite 2. de obligatione Pœnitentiæ ac contritionis.* Quamquàm Lugo *cit.* & Dicastillus expressè negent dari casum, quo non possit quis hoc vel illud peccatum evitare, sine remedio confessionis. Sed quoad hoc standum erit judicio expertorum.

QUÆSTIO II.

Quando & qualiter obligat præceptum confessionis Ecclesiasticum?

SUMMARIUM.

523. *Præcepto confessionis Ecclesiastico obligantur omnes fideles, etiam hæretici.*
525. *Post annos discretionis.*
526. *(Praxis circa pueros, vel puellas.)*
527. *Omnia sua mortalia confiteri.*
529. Fideliter, *confessione scil. validâ.*
530. *Proprio Sacerdoti. Quis* proprius *censeatur?*
531. *Parochi non possunt prohibere suis etiam tempore paschali,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

paſchali, quin valdè confiteantur Mendicantibus.
532. *Imò ob juſtam cauſam licentiam dare debent.*
533. *Tempus annuæ confeſſionis præcepti eſt totus annus.*
535. *Unde tempore paſchali ſolùm obligat per accidens ratione Communionis.*
536. *Qualiter & quibus caſibus peccetur contra præceptum confeſsionis annuæ?*

522 HOc latum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio II. relatum in jure. *c. Omnis utriuſque de Pœnit. & Remiſſ.* & confirmatum à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 5. ſic ſonat. *Omnis utriusque ſexûs fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur Sacerdoti proprio: & injunctam ſibi Pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minùs in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum.* Quò præceptò in terminis ſignificatur *quis, quando, quid, quomodo, cui* confiteri teneatur. Explico ſigillatim.

§. I.
QUIS?
Omnis utriusque ſexûs fidelis, &c.

523 *Omnis fidelis.* Omnis nimirùm homo baptizatus: adeóque etiam hæreticus, ex communi, & mihi omninò verâ Sententiâ DD. ut meritò dicat Lugo *hic diſp.* 15. *ſect.* 7. abſurdiſſimum eſſe dicere, hæreticos non obligari legibus & præceptis Eccleſiæ communibus. Quis enim illos exemit? certè non DEUS ipſe: multò minùs Eccleſia, quæ tanquam veros ſibi per Baptiſmum ſubditos etiam per excommunicationis pœnam ad obedientiam compellere nititur. Unum tamen & alterum hîc pro praxi obſerva. Unum: Legibus Eccleſiaſticis de audiendo Sacro, Confeſſione & Communione Paſchali; (quæ ipſis per excommunicationem interdicuntur) hæretici obligantur mediatè tantùm, quatenus ſcilicet primò obligantur reconciliari Eccleſiæ, & abſolutionem ab anathemate impetrare, ſícque reconciliati ejus leges obſervare. Alterum eſt: transgreſſiones ſeu peccata hæreticorum contra leges Eccleſiæ eatenùs coaleſcere in unum peccatum cum ipſa hæreſi formali, quatenùs converſi in confeſſione ſolùm obligantur exprimere tempus, quo in hæreſi formali perſeverârunt, v. g. dicendo: Tot annos vixi in ſecta lutherana, probè ſciens, aut valdè dubius, facilè potens ſcire falſitatem meæ ſectæ, & veritatem Catholicam, quam inquirere ex odio & contemptu Eccleſiæ vel Papæ ſponte intermiſi (his enim terminis continetur tota ratio hæreſis formalis, ut ſuo loco dicetur.) Hôc enim rectè explicato, ſimul comprehenduntur, & per ſe intelliguntur à Confeſſario peccata transgreſſionum contra leges & præcepta Eccleſiæ. certè ineptè quæreret ex tali: an & quoties Miſſam neglexerit, jejunium Eccleſiaſticum violaverit, an tempore Paſchali confeſſus. De cætero ergò ſolùm de peccatis contra legem naturalem & divinam, Decalogum maximè examinandus erit.

524 II. *Omnis utriusque ſexûs.* Nimirùm adultus, rationis compos, ac phyſicè, & moraliter potens. Excuſat enim ſine dubio omnis impotentia phyſica & moralis vera confitenti. Utpotè quibus deeſt copia Confeſſarii, qui non poſſunt confiteri ſine gravi incommodo vitæ, famæ, vel fortunarum, ut degentes vel ſervientes inter hæreticos &c. quibus adde, quod de mutis ad tempus, tempore Paſchali excuſatis à confeſſione per ſcripturam, vel nutus facienda ex Layman dixi *quæſt.* 30. *n.* 111. Qualiter autem impotentes ſuo tempore confiteri, teneantur prævenire vel poſteà ſupplere, commodiùs dicam *infra* §. 4.

525 III. *Poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint.* Adeóque hoc præcepto obligantur etiam impuberes pueri ac puellæ, ſi in peccatum mortale lapſi ſint, hoc enim ipſo oſtenditur, eos rationis & diſcretionis uſum aſſecutos eſſe: (uti contra Emman. Sa docet Communiſſima DD.) conſtat autem, citiùs attingi poſſe annos diſcretionis, & mortaliter peccari poſſe etiam ætatis anno decimo, imò nono, octavo, & adhuc citiùs. Et quidem anno ſeptimo completo ſolet eſſe præſumptio pro diſcretionis & rationis uſu perfecto in jure *c. littera. de deſponſat. impuberum.* Verùm rectè monet Layman *cit. c.* 5. *n.* 7. utrùm tales abſolutionis capaces ſint, judicare debet Confeſſarius non ex ſola ætate, ſed multò magis ex ingenii & educationis qualitate; quia multi poſt eam ætatem, alii verò antè, rationis diſcretionem conſequuntur, ut non tantùm venialiter, ſed etiam mortaliter peccent: cujus rei exemplum habemus apud S. Gregorium *l.* 4. *Dialog. c.* 19. De puero quinquenni in blaſphemiis moriente & damnato. Sic Layman. Addit Gobat *hic caſu* 11. *n.* 298. Germanos ſeriùs obligari hoc præcepto, quàm Italos vel Hiſpanos. Ruſticos ac plebeios rudiùs educatos, S. Antoninus, Sotus alii, ipsáq; conſuetudo obligat ſolùm circa annum ætatis duodecimum; honeſtiùs, aut inter nobiles educatos citiùs: nullum tamen, quantùm ſcio, ante ſexennium, eſto jam tunc ſit capax doli, & ſi confiteatur, abſolvi poſſit. Quare apud nos non eſt recepta doctrina Dianæ & aliorum apud ipſum *part.* 10. *tract.* 12. *reſolut.* 86. obligantis ſtatim, ut ſunt compotes rationis. Certè ſi puer, vel puella, ante, in, vel poſt ſeptennium, circa nonum annum v. g. appareat, rationis uſum obtinuiſſe & mortaliter deliquiſſe: nunquid obligabis ſtatim ad confeſſionem, & non permittes cum aliis expectare tempus Paſchale?

526 IV. *Peccata confiteantur.* Quando ergo talis puer vel puella, ſaltem craſſo modo videtur cognoſcere, DEUM per hoc, vel illud peccatum offendi, oſtendátque dolorem ac propoſitum, præcipuáque fidei myſteria craſſo ſaltem aliquo modo intelligat: poteſt & debet abſolvi, præſertim in tempore Paſchali, ut omnes monent. Et pro praxi Confeſſariorum, placet ex-

cxlcribere judicium Laymanni communiter „recepti *eodem n.* 7. ſic pergentis: Poſtquam „Confeſſarius, conſideratis circumſtantiis, ju„dicavit, puerum verè & deliberatè commiſiſ„ſe peccatum quod confitetur, examinare in„ſuper debet, utrùm de eo doleat ex motivo „non merè humano, quia v. g. à Patre vapula„bit, ſed ſupernaturali per fidem cognito, pu„ta, quia DEO contrarium eſt, Pœnam æter„nam, vel purgatorii, meretur, & idcircò à rea„tu virtute Sacramenti abſolvi deſideret. Sunt „enim aliqui adeò naturâ vagi, maléque educa„ti, ut, licèt ſatis diſpoſiti fuerint ad peccan„dum, non tamen diſpoſiti ſint, neque à Con„feſſario tam brevi tempore diſponi poſſint ad „Pœnitentiam. Quare in hoc caſu orationem, „quaſi Pœnitentiæ loco, puero imponat, & „crucis benedictione ſuper caput ejus formatâ „dimittat. Expedit enim pueros, quamvis non„dùm abſolutionis capaces ſint, audire, ut paulatìm inſtruantur & confeſſioni aſſuéſcant. „Quòd ſi autem omnibus conſideratis, de pue„ri capacitate dubium maneat, tunc abſolvi po„teſt ſub conditione ſaltem mente retentâ: imò „in mortis articulo abſolvi debet: nam tali præ„ſertim caſu neceſſitatis in dubio inclinandum „eſt in favorem animæ. Denique id moneo, „ſi materia confeſſionis, quam puer affert, „mortalis videatur, ſed ob ejus incapacitatem „non abſolvatur, de hoc ipſo monendum eſſe „puerum, ut ſciat, ſe non abſolutum eſſe, ut „majorem diſpoſitionem ac præperationem „afferat ad iteratam confeſſionem. Sic *Layman* optimè, & latè Gobat *Alphab. Confeſſar. caſu* 10. & *Alph. Communic. caſu* 6. *per totum*.

§. II. Quæ? Quomodo?
Omnia peccata ſua fideliter confiteatur.

527 *Omnia mortalia tantùm* hoc præcepto obligamur confiteri. Non enim poſſunt intelligi *omnia venialia*, quod multis eſſet impoſſibile, certè longè difficillimum. Unde eum, qui tantùm venialium, & nullius mortalis peccati conſcius ſibi eſt, etiam tempore Paſchali per ſe non obligari ad confeſſionem, jam ex communi diximus *quæſt.* 2. §. 2. *à n.* 371. Advertit tamen Caſtro-Palaus apud Gobat *cit. n.* 284. illum præbiturum non leve fundamentum ſiniſtræ ſuſpicionis, qui ſub prætextu carentiæ peccati mortalis omitteret penitùs confeſſionem. Conſentit Eſcobar tales obligans adhuc confiteri ratione ſcandali, quod ſemper ferè timendum eſſet.

528 II. Inſuper non impletur hoc præceptum confitendo ſolùm venialia propriè loquendo, cùm faciant id, quod præceptum non eſt: quemadmodùm & pueri laudabiliſſimè jejunantes die jejunii, non dicuntur propriè implere legem jejunii, cùm eâ non obligentur: inde tamen non rectè inferes, eos agere contra legem. Et hinc, qui tempore Paſchali, vel per totum annum confeſſus eſt ſolùm venialia, quippe nulliùs unquam peccati mortalis conſcius, ſi poſteà etiam ultimo die anni mortaliter delinquat, obligatur adhuc confiteri, quia præcepto annuæ confeſſionis nondùm ſatisfactum eſt, & adhuc ſatisfieri poteſt: ſecùs, ſi vel ſemel in decurſu illius anni fuiſſes confeſſus aliquod peccatum mortale. Ita cum aliis Lugo *diſp.* 15. *ſect.* 7.

529 III. Omnia peccata *confiteantur.* At an neceſſariò ſic, ut etiam abſolvatur, nimirùm confeſſione validâ. Certè fuit antehac probabilis viſa Sententia gravíſſimorum DD. *Paludani, Victoria, Gabrielis* noſtri cum magno moralium Magiſtro Sylveſtro, *v. confeſſio.* 4. *n.* 3. Præcepto huic Eccleſiæ ſatisfieri per ſolam confeſſionem integram peccatorum, tametſi abſolutio non conferatur, ſive ob defectum vel malitiam abſolventis, ſive ob defectum contritionis in Pœnitente: adeóque etiam per confeſſionem culpabiliter invalidam, modò integram; ex eo fundamento, quòd Eccleſia ſolùm externum actum confeſſionis præcipere poſſit, de occulto autem defectu non judicet. Verùm huic ſententiæ omnem probabilitatem abſtraxit Decretum Alexandri VII. inter propoſitiones damnatas Anno 1659. & hanc numerans. *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Neque mihi unquam placere potuit.

IV. *Fideliter* confiteatur. Confeſſione nimirùm validâ & aptâ ad abſolutionem reipsâ percipiendam, & nollo modo ſufficit confeſſio culpabiliter invalida, aut ſine abſolutione, prout etiam ante illud Decretum docuerunt ſemper communiùs DD. *Sotus* uterque, *Medina, Navarrus, Suarez*, aliíſque citatis Layman *cit. c.* 5. *n.* 11. Lugo *cit.* alii *paſſim*. Ratio eſt: quia Eccleſia præcipere poteſt, & reipsâ præcipit, aut certè principaliter hoc præcepto intendit, ut Sacramentum Pœnitentiæ quot annis ſuſcipiatur ab iis, qui peccati mortalis conſcii ſunt: ſed Sacramentum non conſiſtit ſine abſolutione: nec abſolutio ſine confeſſione valida: ergò requiritur & confeſſio valida & abſolutio Sacramentalis. Falſum autem eſt fundamentum oppoſitæ ſententiæ, Eccleſiam non poſſe præcipere ſaltem indirectè, actum internum, ſi is pertineat ad ſubſtantiam actûs externi, qui præcipitur, ex communi doctrina in materia de legibus.

§. III. Cui?
Proprio Sacerdoti.

530 PRoprius Sacerdos, cui facienda confeſſio annua in rigore terminorum, & directè quidem intelligitur Parochus Pœnitentis, at non excluſivâ, ſed cum neceſſaria incluſione ejuſdem Parochi Superiorum, ac ejuſdem, ac Superiorum ejus delegatorum, uti bene notavit Suarez, *hic diſp.* 16. *ſect.* 1. Eſſet enim abſurdiſſimum, dicere, Epiſcopum, qui eſt Parochus Parochorum, non habere jus excipiendi con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

fessiones suorum Diœcesanorum tempore Paschali, idémque est à fortiori de summo Pontifice, qui est supremus Pastor Pastorum, respectu omnium fidelium ac ovium Christi. Rursus, quia quivis ordinariâ potestate præditus potest eam delegare alteri. *cap. cùm causam, de Appellat.* Ideò satis dicitur confiteri proprio Sacerdoti, qui etiam tempore Paschali confitetur alicui delegato, seu ex licentia vel permissione facta aut ab ipso Parocho; aut ejus Episcopo, aut ipso maximè summo Pontifice. Et hinc

II Parochi non possunt prohibere suos Parochianos, ne Mendicantibus confiteantur etiam tempore Paschali, quin ij adhuc validè & licitè audiant & absolvant; ipsíque Parochiani, semper validè, & secluso contemptu, maximè subsistente aliquâ rationabili causâ (qualis ferè semper adest) etiam licitè, Mendicantibus confiteantur. Non tamen licet Parochianis ejusmodi prohibitiones Parochorum in jure communi fundatas contemnere, ut ex se patet. Quare ad cavendum & excludendum omnem Parochorum contemptum, omninò consulendum à Confessariis est hominibus rusticanis (frustrà consuleres civibus alicujus urbis, ubi Mendicantes degunt) ut confessionem suam Paschalem apud proprium Parochum peragant, aut ab eo licentiam alibi confitendi petant. Ita Azorius *cit.* Barbosa *de Paroch. cap.* 19. rationes allegans ex *Lochmayr*, & hinc ulteriùs inci-
denter

531 IV. Parochus suo Parochiano ob justam causam volenti confiteri alteri, tenetur licentiam dare secundùm comunem apud citatos, & Layman eodem *tr.* 6. *c.* 13. *n.* 3. Intelligendum tamen, *alteri* in tali Diœcesi approbato & curato: non tamen necessariò Parocho, ut vult Barbosa *cit. n.* 27. cùm praxis ostendat contrarium. Nam etiam Cooperatores Parochorum, de horum consensu funguntur hoc officio, uti observat Gobat *cit. n.* 297. *fine.* At, controversia est: si Parochus subdito justè petenti (puta, si sine periculo salutis proprio Parocho confiteri non possit, v. g. concubina ipsius) licentiam injustè neget, nihilominus ipso jure facultatem consequatur confitendi Sacerdoti alteri: posito saltem, quòd neque ab Episcopo licentiam petere vel impetrare possit? Affirmant *Richardus, Paludanus, Adrianus, Major, Sylvester, Navarrus, Toletus, Henriquez*, alii apud Layman *citat.* probabile censentem. Negant autem probabiliùs *Alensis, Sotus, Medina, P. Navarrus*, aliísque congestis Suarez *hic disp.* 17. *sect.* 4. & probabiliorem censent ac latè probant Layman & Barbosa *ll. cit.* quos videre potes; nam cùm res nos non concernat, Sententias nosse, & Authores allegare sat sit. Certè eo casu securissimè recurret ad Mendicantes privilegiatos.

§. IV. Quando? quoties?

Saltem semel in anno.

532 ANnuum hoc confessionis spatium non est absolutè inchoandum ab ultima confessione facta. Lex enim non dicit, confessionem non esse differendam ultra annum, sed ut singulis annis fiat saltem semel. Attendendus est ergo computus annuus Ecclesiasticus, aut ab initio anni ad finem, aut à Paschate in Pascha, & si hoc teneatur, interest nosse, an tunc per se, an verò per accidens, scilicet ratione Communionis Paschalis, tantùm obliget præceptum confessionis annuæ.

533 I. Tempus annuæ confessionis, à prima die Januarii usque ad finem Decembris, computant permulti DD. quos citant & sequuntur Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 81. Lugo *disp.* 15. *sect.* 7. *n.* 117. Qui proindè scribit: si tis confessus 1. Januarii hujus anni 1676. te licitè differre confessionem usque ad ultimum Decembris secuturi anni 1677. ita ut duo integri anni, dempto unico die, licitè transeant sine confessione, nisi aliundè occurrat necessitas, v. g. ratione Communionis aut periculi mortis. Idque in hoc computo necessariò concedendum est. Nam ultimo die hujus anni adhuc satisfacis pro hoc toto anno: & primo die sequentis Januarij primò obligatio incipit sequentis anni similiter non urgens ante finem. Verùm hoc mihi semper displicuit. Insuper, quòd si hoc toto anno, imò & pluribus annis nunquam confessus es; confitearis autem primo die hujus currentis anni, valebit hæc tua unica confessio, tam pro hoc anno, quàm pro anno, vel annis præcedentibus. Lugo *cit. n.* 180. quod quidem in simili casu etiam nos infrà concedemus.

534 II. Facilior & Ecclesiasticæ consuetudini conformior est annuæ confessionis computatio à Paschate ad alterum Pascha, ita, ut, qui post Paschalem hanc confessionem in peccatum mortale lapsus est, ejus confessionem usque ad sequens Pascha differre possit, & non ampliùs citra peccatum grave. Ita communior DD. Suarez *disp.* 36. *sect.* 3. Coninck *disp.* 5. *dub.* 6. Tannerus *disp.* 6. *q.* 7. Layman *c.* 5. *n.* 8. Idque Confirmat praxis Ecclesiæ, siquidem eò solò tempore Pastores à fidelibus suis confessionem peccatorum intra annum commissorum exigere solent. Et *arg. Extrav. Vices. De Treuga & pace.* dicitur: quòd Parochianus de jure (*c. Omnis utriusque*) saltem in Paschate teneatur proprio Sacerdoti confiteri. Quia ergò hoc præceptum annuæ confessionis omni anni tempore impleri potest ab uno usque ad alterum Pascha: sicut: si à præcedente Paschate intra annum v.g. circa festum omnium Sanctorum, vel Natalis Domini semel es confessus aliqua mortalia (secùs si venialia tantùm ex dictis §. 2.) per se non teneris iterùm confiteri in sequenti Paschate, nisi novis mortalibus obnoxius tunc communicare debeas: ita econtrà, si à præ-

cedenti Paschate per totum hunc annum nunquam es confessus aliqua mortalia, & prævideas, te sequenti tempore Pachali à peccatorum confessione impeditum iri, v. g. navigatione, itinere inter hæreticos &c. tempore opportuno anticipare teneris: & perinde res se habet, sicut cum eo, qui die Dominico manè Missam audire potest, postèa non poterit, is statim audire debet. Ita ex communi Layman *cit. n.* 9. & etiam in suo computo Lugo *disp.* 15. Quamvis teste Gobat *n.* 278. id æquè multi negent, ut neutri parti audeat negare veram practicam probabilitatem. Suadet tamen tutiora. Ego verò nostram sententiam omninò veram credo, & confirmatur ex mox dicendis.

535 III. Attamen eo ipso tempore Paschali præceptum annuæ confessionis obligat non per se, sed solùm per accidens ratione Communionis Paschalis, quam confessio peccatorum mortalium necessariò præcedere debet. Ita longè communior DD. *Sotus, Victoria, Valentia, Sa, Vasquez*, aliísque congestis *Coninck, Layman, Tannerus. n. præced. citati.* Ratio est: quia Concilium Lateranense *in cit. Can. Omnis utriusque*; aliter statuit de annua confessione, aliter de sacra Communione, videlicet, ut fideles sua peccata, saltem *semel in anno confiteantur.* Sacram autem Eucharistiam *ad minùs in Pascha* suscipiant: ex quo patet, non ita pro confessione, sicut pro sacra Communione per se determinatum esse. Quare si tempore Paschali à Communione legitimè impeditus es, v. g. lecto affixus, non eris ad confessionem obligandus, si intra illum annum jam semel legitimè confessus es, ut jam suprà innui. Addítque Layman *cit. n.* 10. Imò etiam si aliquis toto anno nunquam confessus fuisset, & Communionem Paschalem ex necessaria causa ad breve tempus, puta usque ad Pentecosten differre deberet, probabile est, graviter non peccaturum, etiamsi etiam confessionem differret, si putaret, postea eam commodiùs peracturum esse. Verùm, si talis post Pentecosten mortaliter peccet, obligatus erit eo anno iterùm confiteri, cùm prior confessio facta sit ad satisfaciendum obligationi prioris anni, ut notavit Coninck *dub.* 2. *conclus.* 2. sic Layman.

¶. Contrarium his, & præceptum confessionis tempore Paschali per se obligare cum aliis docuit Suarez *sæpè. cit. disp.* 36. *sect.* 3. ex eo potissimùm, quòd ex dicto Canone fideles saltem in anno *omnia sua peccata* confiteri teneantur: annus autem finitur in Paschate: ergo si eo tempore conscius peccati mortalis non confiteatur (sive communicaturus, sive non) transgreditur præceptum confitendi omnia peccata intra annum, respondet rectè Laym. *ibid.* Quod Concilium omnia peccata confiteri jubet, pertinet ad integritatem confessionis servandam, ita ut quocunque anni tempore aliquis confiteatur; nullum mortale reticeat; non verò eò spectat, quasi omnia, peccata, quæ intra quemlibet annum commissa sunt, eodem ipso anno confiteri necesse sit.

536 IV. Qui autem toto anno, Paschali tempore (vel aliorum computo ante finem anni vel Decembris) sine justa causa excusante non confessus est, omnium consensu peccat mortaliter, quia transgreditur præceptum in re gravissima. Et insuper 1. Quò diutiùs differt, eò graviùs peccat, quippe longiùs recedens ab intentione præcepti jubentis confessionem fieri quolibet anno saltem semel. In praxi autem propè perinde est, sive dicas cum *Sylvestro, Valentia, Layman. Diana* &c. talem perseverare in eodem peccato mortali omissionis, etsi semper eò graviori, quò diutiùs sine justa causa differt, quod mihi magis placet. Sive malis dicere cum Suarez, Valquez, Bonacina, Lugo *cit.* talem peccare toties mortaliter, quoties occasionem commodam confitendi oblatam negligit. Sed certè Confessarii de hoc non inquirunt, contenti scire tempus omissionis ultra annum. 2. Is, seu justa, seu injusta de causa, confessionem annuam omiserit, cùm primùm postea commodè poterit, confiteri obligatur. Ita (contra *S. Antonium, Sylvestrum*, alios sanè minimè paucos) docet communior & mihi omninò vera Sententia DD. cum Navarro. *c.* 21. *n.* 45. Suarez *disp.* 36. *sect.* 4. Coninck *cit. disp.* 5. *dub.* 8. Layman *citat. c.* 5. *dub.* 9. Gobat *Casu* 11. *n.* 276. alii. Ratio solida est: quia tempus paschale velut terminus implendi præcepti, non est positus ad finiendam obligationem, sicut accidit in præcepto jejunii, audiendi Missam, & similibus obligationibus certis temporibus vel diebus, & intuitu ipsius temporis, affixis; sed solùm ad implendam, seu ulteriùs non differendam obligationem, sicut fit in debitis tributi, debitis pecuniariis, & similibus obligationibus, in quibus terminus non specialiter intuitu temporis, sed principaliter ratione rei præstandæ, & non diutiùs differendæ præfigitur: quæ proinde obligationis elapso termino, minimè exstinguuntur, sed perseverant, ut nimis notum. Atque ita etiam se habere præceptum & obligationem confessionis annuæ, clarum est, cùm tota intentio Ecclesiæ fuerit præceptum divinum confessionis de se indeterminatum, determinare ad certum tempus, ut quolibet anno, saltem semel fiat, nimirùm in Paschate &c. & ultrà non differatur: ergò elapso termino illo non extinguitur, sed manet illa obligatio. 3. Eum tamen, qui quamvis culpabiliter confessionem, ultra terminum annum distulit, postea unâ confessione satisfacere pro utroque anno, & præterito neglecto, & novo inchoato, docent sanè plurimi, ac ipse Lugo *sæpe cit. n.* 180. Et verum est, *durante eodem statu.* Quia hoc præceptum solùm obligat illo anno sequenti peccati mottalis conscios, & factâ semel illo anno confessione legitimâ: non es tibi ampliùs peccati mortalis conscius; ergò durante eo statu non teneris ampliùs con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

confiteri. At mutato illo ſtatu, ſi deinceps rursùs pecces mortaliter (quidquid negent multi.) Ego cum Coninck & Layman *n. præcedenti, fine allatis*, omninò certum puto, te rursùs eo anno obligari ad Confeſſionem, maximè Paſchalem, etiamſi fortè eo tempore communicaturus non eſſes. Ratio ibidem dicta. Quia priori confeſſione ſasisfeciſti obligationi præcedentis anni, & deinceps velut novum annum obligationis cepiſti; ergò ſi deinceps pecces mortaliter, rursùs confiteri obligaberis. Cæterùm ſi quis tempore Paſchali alioquin ritè confeſſus, unum mortale inculpatè oblitus eſt, (aut fortè etiam ſciens ex juſta cauſa tacuiſti) te non obligari priùs confiteri illud, quàm urgeat aliud tempus annuæ confeſſionis, ex Layman & aliis jam notavi *ſupra ſect. 1. q. 4. §. 3.* & docent etiam Diana *p. 3. tract. 4. reſol. 124.* Lugo *diſp. 15. ſect. 7. n. 167.* Ibidem tamen *n. 174.* rectè excipiens, niſi ſola peccata venialia tunc confeſſus, alicujus peccati mortalis oblitus eſſes, rationem ex dictis noſſe debes. Tandem dicta hoc §. de anticipatione & ſuppletione, confeſſionis annuæ, pariter intelligenda ſunt quoad Communionem Paſchalem: ſicut & pleraque alia hâc quæſtione explicata. Excepto ſolo privilegio Mendicantium, quod ſe non extendit ad Communionem Paſchalem, nec ægro præbere licet Mendicantibus, niſi de expreſſo vel tacito conſenſu Parochi aut Ordinarii. Et jam utique de confeſſione ſatis.

CAPUT IV.

De Satisfactione Sacramentali.

QUid generatim ſit ſatisfactio ſeu compenſatio offenſæ vel injuriæ: quomodo differat à reſtitutione ſeu compenſatione damni: qualiter DEO ſatisfacere, aliquo modo, non autem reſtituere poſſimus: dixi *c. 1. ſect. 1. §. 3.* Jam ad rem.

QUÆSTIO I.

Quid eſt Satisfactio ſacramentalis? quis effectus? quæ neceſſitas?

SUMMARIUM.

538. *Satisfactio Sacramentalis quid?*
539. *Ejus effectus eſt remiſſio pœnæ temporalis,*
540. *Quem ut ſortiatur, fieri debet in ſtatu gratiæ.*
541. *Implens eam in mortali, venialiter peccat.*
543. *Imponenda eſt à Confeſſario neceſſariò neceſſitate præcepti tantùm,*
544. *Et quidem ſub gravi culpa per ſe loquendo.*
545. *Caſus, quibus Confeſſarius excuſatur, ut nullam, vel leviſſimam pœnitentiam injungat.*
546. *Specialia quoad infirmos & moribundos.*
548. *Qualiter Pœnitens teneatur acceptare,*
549. *Et implere*
550. *Pœnitentiam* rationabilem, *ac*
551. Obligatoriè *impoſitam?*
552. *Quando ceſſet hac obligatio?*

ASSERTIO.

537 *Satisfactio Sacramentalis eſt opus bonum pœnale in Sacramento Pœnitentiæ à Confeſſario impoſitum in pœnæ temporalis pro peccatis confeſſis debitæ compenſationem: cujus proinde effectus eſt remiſſio Pœnæ temporalis ex opere operato. Et neceſſariò, non neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti ſub peccato gravi per ſe loquendo à Confeſſario imponenda, & rationabiliter impoſita a Pœnitente acceptanda.* Eſt tota communis: ut patebit ſingulorum explicatione ſolita.

§. I.

Satisfactio Sacramentalis eſt

I. *Opus bonum*, neque enim DEO ſatisfieri poteſt per opus, quod de bonorum genere non ſit, & DEO gratum. Quare, qui pœnitentiam implet relapſus jam in ſtatum peccati mortalis, etſi præcepto Confeſſarii ſatisfaciat, effectum tamen ſatisfactionis non ſortitur, ut mox iterùm dicam §. *ſeq.*

II. *Pœnale.* Seu afflictivum aliquo modo Pœnitentis. Quale de facto poſt naturam lapſam, eſt omne opus bonum. Omne enim opus bonum in gratia factum triplicis eſt virtutis: *Meritorium*, quatenus à Charitate procedit, & gratiæ ac gloriæ augmentum meretur: *Impetratorium*: quia gratum eſt DEO, & beneficia impetrat: & *Satisfactorium*: quia pœnale, laboriosum, & aliquo modo afflictivum eſt operantis: & ab hoc ultimo ſortitur effectum ſatisfactionis pro pœnis debitis; peccatis quoad culpam jam remiſſis.

III. *In Sacramento Pœnitentiæ à Confeſſario impoſitum.* Excluduntur à ratione ſatisfactionis ſacramentalis omnia opera ſatisfactoria, Pœnitentiæ & Pœnalitates, quæ vel propriâ voluntate aſſumuntur, vel aliunde imponuntur, vel à DEO diſponente proveniunt, in ſatisfactionem peccatorum. Etſi enim ſint veræ ſatisfactiones, non tamen *Sacramentales*, nec ad forum Sacramenti Pœnitentiæ ſpectant.

IV. *Ad Pœnæ temporalis pro peccatis confeſſis debitæ compenſationem.* Nam quamvis 538
omnia peccata mortalia quoad culpam remittantur per abſolutionem Sacramentalem: eóq; ipſo pœna æterna (pro qua nullus purus homo ſatisfacere poteſt) ex meritis Chriſti commutatur in pœnam temporalem: non tamen ſemper remittitur tota, ſed remanet ordinariè aliqua pœna temporalis in judicio DEI ſolvenda: niſi aliquando vehementia contritionis totam deleret: vide *c. 2. ſect. 2. §. 3.* Ad ejusmodi ergò pœnæ temporalis remanentis recompenſationem imponitur & acceptatur ſatisfactio ſacramentalis. Quare ad hanc non ſpectant alia opera & obligationes Pœnitentis, quæ peccatis ex ipſa natura criminum inductæ imponuntur à Confeſſario, ut fuga occaſionum, reſtitutio bonorum, famæ & fortunæ, remiſſio injuriarum ſeu offenſarum, reconciliatio inimicitiarum &c. quæ licet ſatisfactoria ſint, & in partem ſatisfactionis ſacramentalis aſſumi poſſint, ordinariè tamen ſola in Pœnitentiam ſeu ſatisfactionem ſacramentalē non imponuntur. Sed Confeſſarius injungit tanquam jam debita, quia Pœnitens ad ea ex natura criminum & ſtatûs ſui obligatur.

§. II.

Cujus proinde effectus eſt remiſſio Pœnæ temporalis?

539 SAtisfactio Sacramentalis (præter generalem virtutem ſatisfactoriam omnis boni operis in gratia facti, ex opere operantis) habet virtutem ſpecialem ex opere operato compenſandi & delendi partem pœnæ temporalis peccatis debitæ, quam non haberet, ſi illud opus eſſet voluntariè aſſumptum, aliundè impoſitum. Communiſſima DD. ex Conciliis Florentino & Tridentino *ſeſſ. 14. c. 3.* Ratio eſt: quia ſatisfactio ſacramentalis virtute clavium imperata & elevata, eſt pars integralis Sacramenti à Chriſto ſpecialiter inſtituta ad ſatisfactionem pœnæ, ut ſic peccatum integrè etiam quoad reſtantem pœnam deſtruatur. Ergò virtute Sacramentali aliquem effectum ſpecialem ex opere operato habebit, quem alius non haberet. Quinimò, etſi ſatisfactio hæc non cauſet gratiam ex opere operato, cùm non ſit Sacramentum; nec pars eſſentialis ſed integralis tantùm Sacramenti: eò ipsò tamen, quia eſt pars integralis Sacramenti, probabile eſt, etiam conferre aliquam gratiam Sacramentalem actualem, ſeu auxilium aliquod divinæ gratiæ ad ſatisfaciendum: quò nimirùm Pœnitens ſingulariter adjuvetur in opere ſatisfactorio præſtando: cùm hoc ſit proprium Sacramenti ſecundùm totalitatem ſuam, aliquam ſcilicet conferre gratiam. Atque ex Paludano rectè notat Layman *c. 15. n. 14.* quòd multò plus valeat modica pœntcentia à Confeſſario impoſita, quàm magna, quæ ſponte aſſumitur, quia non hæc ſicut illa, vim Sacramentalem habet. Quare optandum eſt Pœnitenti, ut non levis illi pœnitentia imponatur.

540 II. Satisfactio ergo Sacramentalis, ut effectum ſuum ſortiatur, neceſſariò debet fieri à Pœnitente in ſtatu gratiæ. Quia generaliter peccatum mortale impedit omnem effectum DEI gratioſum, qualis etiam remiſſio pœnæ temporalis in hac vel altera vita luendæ: neque DEUS acceptat noſtram ſatisfactionem pro pœnis temporalibus, niſi ſimus in gratia ejus conſtituti: neque poteſt remitti vel compenſari pœna temporalis, niſi prius remiſsâ culpâ mortali pœna æterna debita in pœnam temporalem commutata ſit, & ſic non niſi pœna temporalis luenda ſuperſit. Denique ſpecialiter, quia remiſſio pœnæ temporalis eſt effectus ſecundarius Sacramenti, ideòque pendere videtur à permanentia effectûs principalis ac primarii, qui eſt remiſſio culpæ per infuſionem gratiæ ſanctificantis. Et hinc

541 III. Pœnitens pœnitentiam injunctam adimplens in ſtatu peccati mortalis, ſatisfacit quidem præcepto Confeſſarii, quia implet illud, quoad ſubſtantiam, cùm ponat totum opus præceptum, etſi non attingat finem præcepti, qui ſub præcepto non cadit: attamen ſaltem venialiter peccat: ut cum Suarez & communi DD. docet Layman *cit. l. 5. tract. 6. c. 15. n. 15.* Quia partem Sacramenti etſi minùs principalem ſuſcipit indignè, & ponit obicem effectui Sacramenti ſecundario, ſcilicet remiſſioni pœnæ temporalis, ſicque ſe bono aliquo Sacramenti privat. Eum tamen effectum, obice remoto, recuperari, docent Navarrus, Toletus, Cajetanus, alii cum Layman *cit.* & Diana *p. 3. tract. 4 reſol. 85.* Ut proinde neceſsè non ſit, recuperato ſtatu gratiæ, pœnitentiam injunctam repetere pro eo effectu recuperando. Ex dictis jam vides, quàm conſultum ſit, pœnitentiam injunctam quamprimùm implere.

IV. Peccatum veniale, quod quis in im 542
plenda pœnitentia committit: ut ſi quis injunctas preces diſtracte & negligenter perſolvat, vel eleemoſynam impoſitam cum vana gloria elargiatur, non impedit effectum Satisfactionis ſacramentalis ex opere operato. Ita cum aliis *Coninck & Layman citt. num.* 14. Ratio patet ex eo, quòd ſuſcipiens Sacramentum cum affectu peccati venialis, adhuc conſequatur effectum principalem gratiæ ſanctificantis, ut ex communi DD. diximus *ſupra 1. p.* Sacrament. ergò ſimiliter implens pœnitentiam cum peccato veniali, particeps ſit effectûs ſecundarii Sacramenti, ſcilicet remiſſionis pœnæ temporalis, ſiquidem neuter effectus provenit ex virtute operantis, ſed ex opere operato ipſius Sacramenti.

§. III.

Neceſſariò & imponenda à Confeſſario &c.

I. SAtisfactio Sacramentalis eſt neceſſaria, ſeu 543
neceſſariò imponenda à Confeſſario, *non neceſſitate Sacramenti*, ſecundùm omnes, *ſed præcepti tantùm.* Quia eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ non eſſentialis, ſed integralis tantùm, habens tamen effectum ex opere operato. Unde ſit, quòd, cùm adeſt impotentia, ut in moribundis, vel ratione & ſenſibus deſtitutis, non requiratur ſatisfactio reipsâ, ſed ſufficiat in voto vel propoſitio, ſaltem implicito & virtuali, in ipſo vero dolore neceſſariò incluſo, ut cap. 1. jam indicatum eſt.

II. Confeſſarius per ſe loquendo & regula- 544
riter, ſub gravi culpa obligatur imponere Pœnitenti aliquam ſatisfactionem, ſeu Pœnitentiam congruam in Sacramento Pœnitentiæ. *Omnes.* Ratio eſt: quia Confeſſarius ut Miniſter Sacramenti tenetur procurare & ſervare ejus integritatem, ſatisfactio autem eſt pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ: ut Judex tenetur ſervare juſtitiam vindicativam delicta congruâ pœnâ compenſando: ut Medicus tenetur ſanare Pœnitentis morbos & vulnera, contra recidivam peccatorum congrua remedia & medicinas præſcribendo. Quapropter Confeſſarius peccaret mortaliter, ſi pro peccatis, ſaltem mortalibus nullam, aut pro peccatis graviſſimis valdè levem Pœnitentiam imponeret. Attamen ex

par-

Universidad de Deusto
Biblioteca

parvitate materiæ posse solùm venialiter peccare, si pro solis venialibus, aut mortalibus sæpiùs confessis levem Pœnitentiam injungendam omitteret, cum aliis rectè docet Lugo *disp. 25. sect. 4. n. 49.* Quia tunc deest Confessarius suo officio solùm in re levi. Et hinc, quando Pœnitens post jam impertitam absolutionem, dicit, se hoc, aut illud peccatum oblitum, poterit sine peccato Confessarius dare novam absolutionem sine nova Pœnitentia, tacitè extendendo primam injunctam Pœnitentiam, ad illud novum, unum vel alterum peccatillum. Non autem licitè sic tacitè solùm extenderet ad novum peccatum mortale additum: sæpè tamen excusabitur, si expressè extendat, dicátque Pœnitenti: *Fac pro hoc, & prioribus peccatis Pœnitentiam prius injunctam, eò diligentiùs &c.* Insuper dixi: *Per se loquendo & regulariter.* Nam

545 III. Excusatur Confessarius, ut nullam vel leviſſimam Pœnitentiam injungat. 1. Quando Pœnitens est impotens physicè vel moraliter: ut quando est mentis impos: jam morti proximus &c. de quo plusculis seorsim *n. seq.* 2. Si cui revelaretur, suum Pœnitentem jam perfectè pro suis peccatis satisfeciſſe, nec indigere remedio in futurum. Ubi enim nullum est debitum Pœnæ, ibi nulla debetur satisfactio: & quando nullum est periculum infirmandi, nulla decet adhiberi medicina. 3. Si Pœnitentem Confessarius videat esse vehementiſſimè contritum: aut ex ipsa confessione ac signis advertat, jam multùm satisfeciſſe: sanè ipsâ contritione vehementi, humili & verecundâ confessione pœnitens plurimùm satisfacit; si ergo illa satisfactio appareat æqualis esse, nulla alia, vel non nisi leviſſima imponenda erit. Cùm autem id rariſſimè, vel nunquam satis constare possit, tutiùs est, semper injungere aliquam, saltem levem pœnitentiam, ut monet etiam Lugo *cit. sect. 4. n. 48.* 4. Quando quis lucratur indulgentiam plenariam, potest dimitti, sine ulla alia minuta pœnitentia, cùm per illam indulgentiam satisfiat debito pœnæ. Etsi autem id rarò pro certo constet, sufficit, quòd probabiliter credatur. Quare rursùs tutiùs erit modicum quid satisfactionis injungere, aut etiam ipsum opus vel orationem, ad lucrandam indulgentiam requisitam, v. g. consueta *sex Pater & Ave* Certè S. Thomas *in 4. d. 20. q. 1. a. 3.* docet, in consilio esse, pœnitentiam implere, cùm quis lucratur indulgentiam. Et post Henriquez, Suarez, alios, Layman *cit. n. 13.* ait, tempore Jubilæi, vel indulgentiæ plenariæ, non cogi pœnitentiam acceptare, nisi leviorem, quæ se habet per modum medicinæ ad tollendas peccatorum reliquias &c. Denique si scrupulosus intra horam sæpiùs redit cum novis culpis, ut sæpiùs absolvatur, poterit relinqui sine nova pœnitentia, quia supponitur satis esse imposita in præcedentibus confessionibus.

546 IV. *Quoad infirmos & moribundos speciali-*

ter. 1. Etiam infirmis, nondum desperatis, satisfactio congrua imponenda est, si gravior esse debeat, implenda postquam convaluerint. 2. Quòd si verò desperata salus sit, ut plùs ab infirmo præstari non possit, expedit ei saltem hoc imponere, ut nomen JESU benedictum aliquoties, ter vel quinquies v. g. ore proferat, vel si hoc non possit, corde concipiat & invocet. 3. Moneat etiam Confessarius, ut loco pœnitentiæ ipsam suam infirmitatem, dolores, molestias, ipsámque mortem impendentem Deo offerat in satisfactionem pro peccatis suis: idque in unione passionis, dolorum, ac mortis Christi. 4. Item moneat, ut de bonis suis eleemosynas largiatur, Sacrificia offerri curet &c. quòd si antea facto testamento ad pias causas legaverit, quando fortè adhuc in statu peccati mortalis constitutus, incapax erat satisfactionis, nunc animo ratificet, Deóque offerat illud in satisfactionem pro peccatis suis: ut providè monet Navarrus *c. 22. num. 33 & 36* aliósque citans Layman *cit. num. 13.* meritò addens, non rectè agere Confessarios aliquos, qui apud moribundos solent circumstantibus dicere, ut gravem aliquam pœnitentiam pro moribundo impotente impleant: cùm id aliquam Sigilli sacramentalis violationem contineat. Sufficit ergo circumstantes generatim hortari, ut pro morituro orent, aut alia opera satisfactoria Deo offerant.

¶. Universaliter ergò semper aliqua saltem leviſſima pœnitentia injungenda est, saltem ob reverentiam Sacramenti ejus integritatem meliùs servando. Verùm, ejusmodi causis excusantibus, per se loquendo, quanta & qualis pœnitentia injungenda sit: quæstio est, multùm sollicitos reddens pios Confessarios, meritò seorsim tractanda mox inferùs.

§. IV.

Et rationabiliter imposita à Pœnitente acceptanda.

547 *POenitens sub gravi obligatione, ex genere suo mortali, tenetur acceptare & implere pœnitentiam rationabilem, obligatorie impositam à Confessario.* Ita Communiſſima DD. omninò vera, Conciliis conformis, & in praxi omnimodis tenenda Sententia DD. contra paucos infrà nominandos. Explico & probo

548 1. *Tenetur acceptare.* Ratio est: quia Confessarius potest & debet præcipere, ut jam suprà ostensum est: ergò tenetur acceptare, cùm hæc correlativa sint. *Antecedens* sumitur ex verbis Christi. Joan. 20. *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt.* Et Matth. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in cœlis.* Ex quibus verbis Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 8.* concludit: in Sacerdotibus esse potestatem ligandi, non tantùm ad infirmitatis medicamentum, sed etiam ad peccati commissi vindictam ac satisfactionem.

¶. Contraria tamen Sententia sanè gravium Doctorum, Soti, Cajetani, Sylvestri, Medinæ,

næ, ac Navarri *Man. c. 26. n. 20.* Nimirum liberum esse Pœnitenti, acceptare vel repudiare pœnitentiam à Confessario impositam: etsi maximè post Tridentinum, non intrinsecè, tamen extrinsecè ab authoritate probabilis, ad hoc servire potest Confessario, ut neminem sine absolutione remittat, qui eam Sententiam secutus, nollet acceptare pœnitentiam impositam, paratus Deo alias satisfacere in hac vel altera vita, dummodò aliquam vel leviſſimam pœnitentiam subire velit. v. g. aliquot Pater & Ave: Tunsionem pectoris &c. Ejusmodi enim etiam leviſſimam pœnitentiam reculans, pro peccatis præsertim gravibus, meritò censeretur non rectè dispositus, nec serio dolens de peccatis commissis, ideóque simpliciter repellendus à beneficio absolutionis, prout notat etiam Scotus in 4. d. 19. §. ad quæstionem motam.

549 II. *Et implere sub gravi obligatione ex genere suo mortali.* Nam ut sub mortali Pœnitens teneatur implere pœnitentiam acceptatam, & culpa omissionis mortalis sit, omninò, sicut in omnibus aliis legibus, præceptis, votis &c. imprimis requiritur materia gravis & tantæ obligationis capax. Quare omnium consensu DD. communis nostræ Sententiæ, peccat mortaliter, qui magnam pœnitentiam, ejusve notabilem partem omittit. Contrà vero venialis erit tantùm obligatio & culpa omissionis, 1. Omnium consensu, si in pœnitentia magna vel gravi, etiam pro mortalibus imposita, omittatur pars levis seu non notabilis, v. g. in Rosario integro una Decas. 2. Si omittatur tota aliqua pœnitentia levis pro venialibus tantùm (aut etiam mortalibus jam anteà legitimè confessis) injuncta *Suarez, Coninck, Layman, Lugo ll. cc.* qui *num. 50.* dicit sententiam oppositam Tanneri negari ab omnibus. 3. Si etiam pro mortalibus imponatur & omittatur pœnitentia levis. Idem: quia licet causa gravis sit, materia tamen est levis, & incapax tantæ obligationis. 4. Etiam, si pro venialibus tantùm, tamen ob eorum multitudinem, vel periculum labendi gravius &c. rationabiliter imponatur pœnitentia gravis, ac omittatur: etsi probabiliùs mortale censeant *Henriquez, Coninck, Lugo cit.* alii: probabiliter tamen adhuc veniale tantùm censet Suarez *disp. 38 sect. 7. n. 4.* Layman *n. 7.* alij apud ipsos: eò quòd durum videatur fateri, quòd quamvis culpa contracta levis sit, tamen obligationem pro ijs satisfaciendi gravem effici posse per se loquendo. Per accidens autem est, si ad periculum peccati mortalis excludendum, gravius remedium imponendum videatur.

550 III. *Pœnitentiam rationabilem.* Non enim utique tenetur Pœnitens acceptare, minùs implere pœnitentiam, si patenter reverà sit irrationabilis, seu justò gravior & difficilior Pœnitenti, & Confessarius rogatus eam moderari nolit. Tunc enim potest eam Pœnitens reverenter recusare, etsi Confessarius, eâ non mitigatâ, absolvere nolit, sine absolutione discedere, & alteriùs Confessarij judicio committere peccata sua. Quin etiam acceptâ absolutione, non tenebitur illam irrationabilem pœnitentiam implere, si certò constet, esse injustam, aut eam Pœnitens non aliter implere non possit: cùm nemo ad impossibile teneatur, neque tunc ad aliud quidquam obligabitur: Suarez, Coninck, alii cum Layman *cit. num. 6.* Hinc specialiter non potest imponi pœnitentia publica, si sit periculum revelandæ confessionis: neque ingressus Religionis: quia id nimis durum videtur; nec pœnitentia pro peccatis in futurum committendis; sed bene potest injungi, & à Pœnitente debet acceptari pœnitentia medicinalis contra peccata in futurum committenda, aut pro peccatis commissis, sub conditione relapsus v. g. *Dic hâc vice Rosarium, si denuò ante confessionem proximam relabaris unc die jejunia, &c.*

551 IV. *Obligatorie impositam*: Ut enim obligatio pœnitentiam implendi, & culpa omissionis sit gravis, omninò debet adesse intentio Confessarij ita obligandi Pœnitentem. Quare cessat obligatio gravis & culpa, quando Confessarius non intendit obligare graviter. Quia tota hæc obligatio pœnitentis pendet ab intentione & voluntate Confessarij, tanquam Legislatoris, qui potest suum præceptum, ut libet, moderari: atque etiam gravem Pœnitentiam injungere sub culpa levi: aut injungere, non absolute, sed si pro peccatis suis satisfacere velit: aut etiam simpliciter proponere per modum consilij, liberè, & sine omni obligatione: ut contra Vasquez bene probant Suarez, Henriquez, Coninck, Filliutius, Tannerus, consentiente Laymanno *sæpè cit. cap. 15. num. 11. in fine.* Gobat *n. 753.* & nos etiam infrà concedemus.

552 ¶. Tandem per se cessat obligatio implendi pœnitentiam, utcumque etiam obligatoriè impositam, imprimis quando Pœnitens est factus impotens eam implere: nec tunc tenetur implere per alium, etsi commodè possit: cùm præceptum datum sit de proprio opere, oratione, jejunio, peregrinatione, &c. non de alieno: excepto tamen casu, quo Confessarius ita expressè præscripsisset, ut si per se non possit, faciat per alium, prout fieri posse infrà insinuabitur. Deinde, quando quis oblitus est pœnitentiæ impositæ, quamdiù non recordatur, aut memorem Confessarium consulere potest: neque tunc aliud quidpiam tenetur, neque confessionem repetere, ut aliam pœnitentiam recipiat, obligatur, ut quorundam scrupulosorum est persuasio: idque verum est, sive quis culpabiliter, sive inculpabiliter oblitus sit, si enim culpabiliter oblitus est, v. g. ob voluntariam animiam dilationem, satis erit confiteri ipsam illam culpabilem oblivionem, ut contra Richardum, Sylvestrum, alios quosdam, docent DD. communiter: *Vasquez, Coninck, Layman, Lugo, alii citati.* Ratio horum est: quia præceptum Confessarii non plùs obligat, quàm aliæ leges & præcepta, quædùm ignorantur, obligare nequeunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

queunt. Interim meritò consulunt DD. *citt.* expedire, ut is, qui sive culpabiliter sive inculpabiliter oblitus est pœnitentiæ injunctæ, in sequenti confessione petat sibi injungi aliam congruam peccatis, qualia confiteri soles, cùm longè præstet in hac, quàm alterâ vitâ etiam satisfacere.

QUÆSTIO II.

Quanta & qualis Pœnitentia injungenda?

SUMMARIUM

553. *Quanta Pœnitentia injungenda? Regula generalis.*
554. *Confessarius semper sit magis solicitus de debita dispositione.*
555. *Quâ habitâ quandoque etiam leviores Pœnitentias injungere potest.*
556. *Quales Pœnitentiæ injungendæ.*
557. *Spectatis conditionibus personarum?*
558. *Ob quas causas licitè imponi possit Pœnitentia levior.*
560. *Qualia opera injungenda? usque ad n. 564.*
561. *An injungi possit I. Opus aliàs debitum?*
567 *II. Opera, quæ alioquin est facturus?*
570. *III. Opus pro Defunctis, vel aliis?*
573. *IV. An opus per alium implendum? ac*
574. *V. An opus sub consilio solum implendum? ac*
575. *VI. Etiam cessatio ab opere bono?*

DE hoc magni momenti quæsito, ità perspicuè edisserit Concil. Trident. *sess.* 14. *c.* 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate, salutares & convenientes pœnitentias injungere: ne si fortè indulgentiùs cum Pœnitentibus egerint, levissima quædam opera pro gravissimis delictis imponendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam in præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas antiqui Patres & credunt & docent.* Hæc sancta Synodus perspicuè docens, ob duas causas Pœnitentibus satisfactionem esse injungendam; 1. Ad vindictam peccatorum commissorum: & 2. in medelam adversus committenda. Sit ergò:

§. I.

Quanta Pœnitentia injungenda?

553 REGULA GENERALIS. *Pœnitentia injungenda, debet esse aliquo modo proportionata delictis, non absolutè, sed spectatâ simul Pœnitentis dispositione, facultate & utilitate.* Ita omnes. Ex Concilio Tridentino modò recitato. Ratio est: quia sine dubio Confessarius non tenetur imponere pœnitentiam peccatis commissis simpliciter proportionatam seu æqualem: hoc enim & impossibile est, cùm pœnæ peccatorum in foro Dei debitæ nobis sint incognitæ: & neque necessarium est, cùm homines pluribus aliis modis pro peccatis suis satisfacere possint, & defactò satisfaciant. Unde & Cocilium Tridentinum *eâdem sess.* 14 *c.* 9. agnoscens impossibilitatem imponendi pœnitentias æquales hortatur; *ut satisfaciamus pro peccatis, & pœnis sponte à nobis assumptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, aut à Deo inflictis & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem, per JESUM Christum.* Quare Confessarius pœnitentiam injuncturus ad hæc duo semper attendere debet: & peccatorum multitudinem, & Pœnitentis dispositionem, facultatem ac utilitatem maximè spiritualem. Nam simpliciter quantitas & qualitas pœnitentiæ permittitur Confessarij non mero libero arbitrio, aut beneplacito, sed prudenti arbitrio & moderationi, ut neque nimiâ indulgentiâ videatur peccatis connivere, neque nimiò rigore peccatores absterrere &c. Pro quo pono aliquot propositiones, & velut Regulas practicas.

554 I. Confessarius semper solicitus sit magis de procuranda dispositione Pœnitentis debitâ, ad obtinendum Sacramenti effectum, quàm de taxanda pœnitentia peccatis debitâ. Quare ante omnia faciat illos seriò intelligere gravitatem peccatorum suorum, & necessitatem satisfaciendi in hoc, vel altero sæculo. Deinde realis sit in declarandis oneribus, quæ ex peccatis oriuntur, ut sunt restitutiones, satisfactiones, reconciliationes cum proximo, fuga occasionum proximarum relabendi, &c. His enim jam satis gravantur Pœnitentes, & gravitatem suorum peccatorum attendunt. Deinceps propositis congruis motivis contritionis vel attritionis, (juxta dicta *c.* 3. *q.* 15.) efficaciter inducat ad serium dolorem supernaturalem, firmúmque emendandi propositum. Habitâ & attentâ hâc dispositione Pœnitentis.

555 II. Confessarii non sint anxii etiam cum gravibus peccatoribus, & aliàs ad subeundas graves pœnitentias indispositis: sed possunt leviores pœnitentias injungere committendo eos judicio & misericordiæ divinæ. Cum talibus enim semper certum est periculum, ne aut pœnitentias graves non impleant, aut Sacramentum Pœnitentiæ eis exosum fiat, aut quærant sibi Confessarios ineptos, qui mederi nequeant, aut ne in pusillanimitatem ac desperationem labantur, & denique pereant. Quare rectissimè monet Layman *cit. num.* 11. si Pœnitens probabili allatâ ratione, de pœnitentiæ gravitate conqueratur, plerumque eam moderari, vel aliam leviorem imponere oportet, juxta sapiens consilium Gersonis. *Tutiùs est cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipitur, & verosimiliter adimpletur, ducere confessos ad purgatorium, quàm cum magna non implenda præcipitare in infernum.* Solatur etiam illud D. Joan. Chrysost. hom. 43. in caput 28 Matthæi. *Etsi erramus, modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? ubi enim Paterfamilias largus est; Dispensator non debet esse*

esse tenax. Si DEus benignus, ut quid Sacerdos vult crudelis apparere? Hæc Sanctus, dignâ se sententiâ. Veruntamen ne Pœnitens ob pœnitentiæ levitatem peccata sua leviùs æstimet, suaviter monendus erit à Confessario de insufficientia hujus pœnitentiæ, & adhortandus, ut ipsemet ampliùs exerceat bona opera satisfactoria, ad lucrandas indulgentias &c. ut notant *Layman* & Lugo *citati*, & mox iterùm §. *seq.*

556 III. In Satisfactione imponenda semper hos duos fines spectet Confessarius. 1. Ut quantùm fieri potest, pœnitentia imposita sit ad aliquam saltem castigationem & vindictam peccatorum. 2. Ut aliquo modo referatur ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis contra relapsus medicamentum, uti expressè præscribit Concilium Tridentinum suprà allegatum. Certæ sunt aliquæ levissimæ pœnitentiæ, quæ tamen valde castigant, meliúsque medentur v. g. illi, qui sæpius in idem peccatum recidit, injungere, ut usque ad proximam confessionem, singulis diebus, & quoties cadit, aliquoties Salutationem Angelicam recitet: ut per certum tempus vesperi examen conscientiæ instituat, aliquot Missas audiat: intra tale tempus denuò confiteatur & communicet: certam Ecclesiam aliquoties visitet, præsertim quando magnus est confluxus, ut aliorum exemplo ad pietatem excitetur, & his similia, quæ pia & spiritualis industria facilè suggeret Confessario. Specialiter pro peccato luxuriæ, per se loquendo, imponendæ essent castigationes corporis, jejunia, disciplinæ &c. sed læpissimè Pœnitentibus non congruunt: soleo ergò injungere certas orationes, vel simpliciter usque ad proximam confessionem, vel (si putem talem pro exoneranda pœnitentia citò nimis iterum confessurum) usque ad certum tempus, tot septimanas, per mensem, tot menses, (vix per annum, nisi pro homicidio, aut gravissimis sceleribus, similiter toto anno, vel amplius continuatis) vel usque ad certum aliquod tale Festum claudendas cum iterata sacra Confessione & Communione.

557 IV. Confessarius satagat imponere pœnitentias statui Pœnitentis cuiuslibet congruas & opportunas, caveatque imponere incongruas. v. g. pauperi vel filiofamilias eleemosynam, operariis laboriosis, vel debilibus personis, jejunia, mulieribus longas peregrinationes, valde occupatis multas preces, ut notavit etiam Scotus *in* 4. *d.* 17. *q.* 1. Item, ne talem pœnitentiam, v. g. jejunia, disciplinas, peregrinationes &c. injungat, unde Conjux, aut domestici suspicionem commissi criminis concipere possint, ut ex Navarro, Henriquez, aliis, observat Layman *n.* 11. rudibus oblivioris ac valde occupatis consultum non est, imponere preces quotidianas unius anni vel mensis, sed interdum, ut jam innui, sub conditione. Quoties in hoc peccatum rursùs incideris, recitabis hanc orationem; multùm enim id momenti habet ad peccati emendationem. Hominibus verò vacantibus, quibus tempus satis suppetit, interdum expediens est, quotidianam orationem, vel Missæ auditionem imponere, præsertim usque ad sequentem confessionem, ut peccatorum suorum frequenter memores, citiùs per dolorem satisfaciant, vel certè ad remedium confessionis iteratò confugiant. Consultum tamen interim est, non ita astringere, quin licentia detur, si opus pœnitentiæ uno die prætermissum fuerit, alterâ die duplicandi: sicut monet Navarrus *c.* 16. *n.* 10. Denique non facilè permittendum esse Pœnitenti, ut voveat, vel juret, tale peccatum non amplius patraturum, jam alibi monuimus.

§. II.

Causæ excusantes, ut justò minor Pœnitentia imponi licitè possit.

558 CONfessarius ergo pro gravibus peccatis, absque ulla justa causa, ex mera conniventia, affectu, vel respectu humano levissimas, seu nimis leves injungens pœnitentias, v. g. peccatis carnalibus, aliquot Pater & Ave, absque dubio peccat graviter, & siquidem eâ conniventiâ ansam præbeat licentiùs peccandi, eorum peccatorum particeps fit, ut expressè dixit Concil. Trid. suprà allegatum. Væ igitur illis! Veruntamen plures sunt causæ excusantes, ob quas justò minor pœnitentia injungi licitè possit.

Prima, est infirma corporis constitutio, & fragilitas seu corporis seu animæ, ob quam timetur, majorem etsi justissimam pœnitentiam non impleturus, idque maximè, si Pœnitens nolit acceptare pœnitentiam graviorem, etsi rationabilem, (*de quo q. præcid.*) tunc utique satiùs erit imponere pœnitentiam mediocrem, seu levem, præmonendo tamen satisfactionem esse insufficientem, ideóque aliunde in hac vel altera vita supplendam, prout jam *suprà num.* 2. insinuatum. Addit Bonacina apud Gobat *n.* 758. etiam quando Pœnitens minuendo pœnitentiam, allicitur ad frequentiorem, utilémque confessionem.

Secunda, quando apparet magna seu notabilis contritio ac dolor Pœnitentis, quâ jam multum expunxit de debitis pœnis, quippè quæ per se ipsam sola totam pœnam abolere posset, de qua jam dictum *q. præced.*

Tertia, quando apparet, Pœnitentem aliundè satisfacere seu solere præstare, & præstiturum multa bona opera. An autem ad dimivendam pœnitentiam etiam conducat, si Confessarius reflexè dicat illa verba: *quidquid boni feceris, vel mali sustinueris &c.* videbimus *infra* §. 4.

Quarta causa diminuendi pœnitentiam est, quando Pœnitens lucratus est, vel lucrabitur, vel lucrari solet indulgentias, etiam non plenarias, nam de plenariis jam dictum *q. præced.*) Quod in praxi valde notandum, cùm enim in urbibus ferè omnes, & in pagis plurimi inscripti alicui Confraternitati gaudenti multis & magnis indulgentiis, quas lucrantur, cum per-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficiunt opera præscripta in Bullis illarum Congregationum, etiam si illarum ignari sint, aut gnari quidem, at orant, vel faciunt illa opera absque intentione lucrandi illas: ut bene probat Gobat in suo thesauro indulgentiarum: ideo Confessarius sollicitus de pœnitentia injungenda, quærat ex Pœnitente, an non sit inscriptus alicui Confraternitati, & affirmanti dicat: ergo diligenter perfice tuas preces & opera præscripta, quibus indulgentias lucreris, ideo enim tibi pœnam meritam dimidio, & ampliùs diminuo.

559 ¶. Tandem causam & modum gravissimis peccatoribus multùm diminuendi pœnitentiam, extraordinariæ & heroicæ charitatis, exemplo suo Confessariis præluxit sanctissimus Indiarum Apostolus Franciscus Xaverius, qui maximam pœnitentiæ injungendæ partem in se suscepit luendam, & reipsâ luit severissimis disciplinis, jejuniis, aliis mortificationibus: vide Bartholum in ejus vita: & cogita, an imitari velis.

§. III.

Qualis Pœnitentia, seu qualia Opera injungenda?

560 I. OPera pro Pœnitentia, seu Satisfactione Sacramentali ordinariè injungenda comprehenduntur istis tribus. *Oratione, Jejunio, Eleemosyna.* Et omninò congruenter. Nam sicut homo peccando offendit DEUM, seipsum maculat, & proximum sæpè lædit, aut scandalizat: ita vicissim per *Orationem* DEUM propitiat: per *jejunium* se ipsum castigat & purificat: per *eleemosynam* proximum sublevat. Unde Oratio ordinariè injungenda pro peccatis contra DEUM, ut basphemis, in divino cultu negligentibus &c. Jejunium pro peccatis in se ipsum, ut gulosis, luxuriosis. Eleemosyna pro peccatis in proximum commissis: salvo tamen jure restitutionis: & attentâ facultate & dispositione pœnitentis.

561 II. Sub oratione comprehenduntur omnes actus Religionis ac virtutum Theologicarum: ut actus fidei, spei, charitatis, seu amoris Dei, contritionis: laudis divinæ: gratiarum actiones, adorationes, genuflexiones, peregrinationes, templorum & locorum sacrorum visitationes &c. Sub jejunio comprehenduntur omnes pœnalitates, ac afflictiones, seu mortificationes corporales: disciplinæ, cilicia, humi cubationes, peregrinationes &c. Sub eleemosyna comprehenduntur omnia opera misericordiæ corporalia & spiritualia, omnésque actus charitatis erga proximum.

562 III. Quamvis autem omne opus bonum, etiam internum charitatis, orationis mentalis &c, homini pro statu naturæ lapsæ pœnale, laboriosum, adeóque satisfactoria sint; tamen opera externa, oratio vocalis præsertim cum genuflexione, manuum extensione, jejunium: eleemosyna, & ejusmodi, quibus corpus affligitur, magis laboriosa & afflictiva sunt; ideóque cæteris paribus magis satisfactoria, quare plerumque etiam talia à Confessario injungenda sunt. Accedit & alia ratio ex parte Sacramenti, ut scilicet sic etiam hæc pars integralis Sacramenti, *Satisfactio* per se & propriè sit sensibilis.

IV. Nihilominus tamen potest, & inter- 673
dum, considerato Pœnitentis statu, etiam expedit injungi actus merè internos, ut fidei, spei, Charitatis, meditationes, examina conscientiæ, generale, speciale, &c. Item. ut Pœnitens aliquoties de die cogitet de præsentia Dei omnes actiones nostras intuentis, ut meditetur de morte certò sibi imminente, judicio Dei terribili, pœnis inferni: de Passione Domini &c. simúlque eliciat actum Charitatis, contritionis de peccatis cum proposito emendationis, uti ex Suarez *d. 33. sect.* 6. notat Layman *ibid.* Ratio est: quia ex una parte, hi actus in ordine ad Sacramentum satis sensibiles fiunt, per externam injunctionem Confessarii, & acceptationem pœnitentis, & insuper plerumque se sensibiliter produnt signis & motibus sensibilibus (qualis sensibilis manifestatio pro maiori securitate imperari poterit à Confessario) ex altera autem parte sunt opus aptum ad satisfaciendum, & quàm maximè utile Pœnitenti sæpissimè multò magis, quàm opera externa, ut experientiâ constat. Præterea alia nonnulla sunt opera, de quibus dubitari potest, an pro satisfactione Sacramentali rectè injungi possint, quæ breviter specifico.

§. IV.

Opera quædam dubia próponuntur & explicantur.

I. An Opus aliàs debitum?

564 ETsi ordinariè omninò conveniat injungi opera supererogatoria, seu aliunde ex præcepto aliquo, vel fortè voto Pœnitentis non debita, ut nimirùm Pœnitenti novum aliquod onus & difficultatem afferat: alioquin certè homines parùm curarent, si eis die Dominico injungatur auditio Sacri, die veneris abstinentia à carnibus &c. Quare si Confessarius tibi injungat auditionem Sacri, vel jejunium, teneris audire Sacrum vel jejunare, cùm nullâ lege Ecclesiæ, aut proprii voti obligatus es, ut omnes advertunt. Excepto tamen, si ex verbis Confessarii, vel rei circumstantiis contrarium & mitior sensus colligi possit. Ut si Confessarius dicat tibi die festo, vel Dominico: audias hodie vel tali Festo tria Sacra, aut duo, intelligendus est etiam Missam Dominicæ vel Festi præceptam comprehendere velle, & præter unum Sacrum debitum aliud unum tantum audire debeas, non plura. Coninck *d.* 10. *dub.* 8 Layman *n.* 9. Lugo, Tamburinus *cit.* Si dicat: audies quotidie Sacrum per mensem, non censetur te festis & Dominicis diebus obligare ad aliud Sacrum præter debitum. Gobat *n.* 749. Similiter si dicat: Largire eleemosynam uni pauperi: satisfacies largiendo extremè egenti, quia licèt aliàs debuisses

buisses succurere ex charitate, tamen ex modo injungendi non videtur Confessarius te obligare ad non extremè egentem.

565 II. Insuper interdum ob Pœnitentis fragilitatem consultum erit (semper tamen, meo consilio, injunctâ priùs aliquâ saltem modicâ pœnitentiâ supererogatoriâ) opus alioquin præceptum seu aliundè debitum, ipsi pœnitentiæ loco imponere, ut si Confessarius nactus sit hominem, qui præcepta Ecclesiæ non observat, in Festis non solennibus Missam non audiat, jejunia violet &c. Item Clericum Horas passim Romam mittentem &c. injungat ei, ut usque ad proximam confessionem diebus festis omnibus Missam audiat, stata Ecclesiæ jejunia observet, Horas quotidiè diligenter recitet &c. Ex communi Layman *cit. c.* 15. *n.* 10. Lugo *disp.* 25. *sect.* 5. Quo casu omittens pœnitentiam talem aliunde debitam. v. g. Clericus Horas unius diei omittens, duo peccata specie diversa committit: unum contra præceptum Ecclesiæ, alterum contra præceptum Confessarii, ideóque in confessione sequenti necessariò aperienda, dicendo v. g. Semel omisi Horas Canonicas etiam à Confessario mihi pro pœnitentia injunctas.

566 III. Similiter quando Pœnitens aliquas pœnitentias omisit, quibus sat gravatus manet, potest ei Confessarius eadem pœnitentias jam antea debitas, denuò injungere ad sublevandam fragilitatem suam: idque maximè in pusillanimibus & scrupulosis. Eâdémque ratione in partem pœnitentiæ assumi, & imponi poterunt aliæ obligationes Pœnitentis ex peccatis præteritis contractæ, ut restitutio pro damno illato, satisfactio pro injuria, remissio offensæ, salutatio inimici, vitatio occasionis certæ peccandi, &c. dummodò ipse sit Pœnitentem pariturum, & non, nihilominùs omittendo, peccatum duplicaturum. Denique utilius & securiùs pro pœnitentia injunguntur illa, quæ ipsi (alioquin sine obligatione sub peccato) præscribuntur in sua Congregatione vel Confraternitate, ut jam suprà §. *præced.* attigi: ut preces statæ, examen vespertinum, Missa quotidiè audienda &c. usque ad proximam confessionem, vel ad certum tempus: & hinc sequitur

II. *An omnia Opera, quæ alioquin faciturus est.*

567 POtest Confessarius interdum modicâ pœnitentiâ imposità, etiam reliqua Pœnitentis opera, tam debita, quàm libera determinata aliquo tempore facienda: hoc die, hâc septimanâ, hoc mense, hoc toto Adventu vel Quadragesimâ, imò, hoc toto anno, *authoritativè elevare & imponere* in satisfactionem seu pœnitentiam Sacramentalem: imò hoc, quando valde expedit magnis peccatoribus, quibus ob fragilitatem vel occupationes condigna pro peccatis pœnitentia imponi non potest. Ex communi Marchant *Tribun. p.* 1. *Tract.* 4. *tit.* 7. *q.* 4. Ratio est: quia hoc nihil repugnat. Et sicut potest Confessarius injungere pœnitentiam totius anni, in certo opere debito vel indebito: sic etiam potest injungere in pluribus, atque omnibus bonis operibus, quæ Pœnitens tali tempore facere potest, & solet, vel etiam debet, v. g. totum jejunium quadragesimale: Officium divinum totius anni, eleemosynas solitas &c. &c.

II. Dixi: *authoritative elevare &c.* id est: 568
per modum sententiæ. Quare hæc elevatio operum in satisfactionem Sacramentalem sanè regulariter non fit iis verbis consuetæ formulæ: *Passio Domini nostri JESU CHRISTI &c. & quidquid boni feceris, vel mali sustinueris; sit tibi in remedium peccatorum &c.* cum verba illa tantùm deprecatoria sint, quibus Sacerdos solùm bene precatur Pœnitenti, nullam autem circa Pœnitentem potestatem exercet: *ideóque sic prolata* nullam habent vim elevandi omnia opera ad effectum aliquem Sacramentalem, sicut certè non elevant Passionem Christi, merita B. V. M. & omnium Sanctorum: uti cum aliis meritò docent *Tannerus, Layman, Lugo, Marchant ll. cc.*

III. Dixi rursùs: *sic prolata.* Nam per illa, 569
quando pronuntiantur authoritative seu sententialiter cum intentione elevandi in Sacramentalem satisfactionem, & quid, quæso, obstet? planè ad hujus vim elevari, quidquid Pœnitens in statu gratiæ boni fecerit, vel patienter sustinuerit, ut proinde fieri possit, ut quis toto vitæ tempore satisfaciat ex opere operato pro suis delictis: seu obeat pœnitentiam Sacramentalem: docent magni DD. cùm Navarro. *in c. salsas de pœnit. d.* 5. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 82. monens proindè, ea verba non facilè omittenda à Confessario, atq; ob idipsum, quando à Confessario proferuntur illa verba, jure imponi pœnitentias minores (contra Lugo & alios citatos Bassæo, Leandro, Candido, aliísque citatis docet idem Diana *p.* 11. *tract.* 2. *resol.* 3. nec mihi displicet. Quia licèt illa verba prout in contextu sonant, deprecatoria sint, non video tamen, cur non possint à Confessario speciali intentione enuntiari ita authoritativè cum intentione prædicta elevandi, dummodò idipsum Pœnitenti significet, eóque exstimulet ad bona opera facienda, & mala patienter toleranda tanquam pro satisfactione & pœnitentia Sacramentali.

III. An Opus pro Defunctis, vel pro aliis?

570 POtest etiam pro pœnitentia injungi oratio, jejunium, eleemosyna, aliúdve bonum opus pro defunctis applicandum à Pœnitente: idque non tantùm quoad impetrationem, sed etiam quoad satisfactionem: ut contra alios, cum aliis rectiùs docent Lugo *Disp.* 15. *sect.* 5. Diana *p.* 3. *tract.* 24. *resol.* 54. Gobat *Alphab. confess. n.* 751. Atque etiam Catechismus Romanus *tit. de satisfactione sub finem.* Ratio est: quia ipsa illa charitativa & misericors voluntas applicandi opus ejúsque oblatio pro de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

functis, est multùm satisfactoria Pœnitenti, & insuper ei remanet fructus satisfactionis ex opere operato illius operis per Sacramentum elevati, & solùm fructus satisfactorius & impetratorius ex opere operantis applicatur, & cedit miseris animabus in purgatorio: ut proinde ea obligatio non impediat, sed meritò charitatis etiam augeat satisfactionem propriam Pœnitentis.

571 §. Quin universaliter simili charitate opera sua bona offerre Deo, & applicare pro defunctis, quoad meritum, satisfactionem & impetrationem non minùs, sed multò plùs prodesse operanti, quàm si pro seipso obtulisset, & applicâsset, latè probat Jacobus Munfordus *Tract. de misericordia fidelibus defunctis exhibendâ c.* 7. 8. 9. 10. 11.

572 Denique dubium esse non potest, quin pro pœnitentia Sacramentali rectè imponantur omnia offerenda & applicanda pro aliis, ut pro necessitatibus Ecclesiæ, pro salute Pontificis, pro afflictis, captivis, pro infirmis, pro agonizantibus, pro peccatoribus &c. in quibus intentio Confessarii solet esse, (certè mea semper est) ut offerantur solùm quoad impetrationem, adeò ut tota satisfactio ex opere operato & operantis Pœnitenti remaneat, & insuper meritô charitatis ea applicatio augeatur.

IV. *An Opus per alium implendum?*

573 COnvenit sine dubio regulariter opus bonum imperari, quod ab ipso Pœnitente præstandum sit, puta, ut ipse Pœnitens oret, jejunet, peregrinetur, eleemosynam de proprio largiatur. Quare, si ejusmodi opus exequi non possit, liberatur obligatione, nec tenetur alium rogare, vel substituere, ex communi apud omnes *citatos*. Sed neque si ipse exequi possit, alium substituere potest, quidquid alii opinati sunt. Nam inter propositiones damnatas sub Alexandro VIII. 1665. ponitur & hæc: *Pœnitens propriâ authoritate alium substituere potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.* Interdum tamen personis debilibus, vel morituris injungi potest, ut curent ab aliis, v. g. pro tali necessitate orari, peregrinationem institui &c. Tunc verò non opus illud, quod ab alio perficitur, sed ipsa illius operis procuratio à Pœnitente cum aliquo sumptu vel labore facta pœnitentiæ Sacramentalis rationem habet: ut doctè observat Layman.

V. *An Opus sub consilio solùm implendum*

574 CONvenit sine dubio, imò probabiliùs debet à Confessario pœnitentia imponi per modum præcepti, & non per modum consilii: sic enim videtur significare textus Tridentini suprà initiò allegatus: attamen rursùs etiam ob fragilitatem Pœnitentis, interdum totam pœnitentiam posse imponi per modum consilii v. g. jejunabis tribus diebus Sabbathi, ter te flagellabis, si tibi placuerit, docent probabiliter graves DD. Navarrus *c.* 22. *n.* 24. apud Layman *n.* 11. non repugnantem: & Gobat *n.* 753. rationem dantem. Hoc enim modo etiam ligat Sacerdos, qui vult, ut illa opera non prosint ex opere operato, nisi dependèter à sua determinatione.

VI. *An Cessatio à bono opere?*

575 TAndem etiam aliquando pro pœnitentia injungi poterit cessatio à bono opere, utpotè Pœnitenti minùs congruo, vel in anima, vel corpore nocivo: & in raro casu abstinentia à sacra Communione ad tempus, ut contrà alios probat Suarez apud Gobat *n.* 752. Et secundùm Leandrum, aliósque apud Dianam p. 11. etiam homini cælibi suscepto Matrimonii, ut eruatur à peccatis carnis, quibus est perditè deditus. Contrè tamen sentit Layman *cit. n.* 11. eò, quòd Matrimonium maximè debeat esse liberum, & carnale, & spirituale. Matrimonium autem Spirituale, seu ingressum & professionem Religionis non posse injungi pro Pœnitentia, communis est Sententia DD. Quare cùm in sacris Canonibus aliqui ob crimen jubentur in Monasterium detrudi; intelligi non debet, ut profiteantur, sed ut opera pœnitentiæ in claustro peragant.

QUÆSTIO III.

Quando imponenda & implenda Pœnitentia? à quo? & qualiter commutanda?

SUMMARIUM.

576. *Pœnitentia regulariter imponenda est post peccata audita, ante absolutionem.*
577. *Et implenda tempore vel termino præfixo;*
578. *Si terminus præfixus non sit, quamprimùm commodè fieri potest.*
579. *Potest impleri per opus aliàs præceptum.*
580. *Vel aliàs exercitum, etsi quis de ea implenda non cogitet.*
582. *Pœnitentiam justam à Confessario impositam,*
583. *Commutare potest solus Confessarius.*
584. *Non solùm is, qui imposuit, sed etiam alius,*
585. *Æqualem potestatem habens.*
586. *Qui primò imposuit, potest eam mutare extra Sacramentum.*
587. *Non verò alius.*
588. *Sed probabiliùs debet el prior confessio repeti.*
589. *Probabile tamen est, eam ei non deberi repeti.*

§. I.

Quando imponenda.

576 I. POenitentia convenientissimè imponitur, & regulariter imponenda est post audita peccata, ante datam absolutionem juxta consuetudinem ritè introductam. Navarrus, Suarez, Layman, Lugo, *cit. omnes.* Ratio est: 1. Ut omnes partes Sacramenti materiales subjiciantur Sacerdotis absolutioni tanquam formali parti 2. Ut sic ordo judicii & justitiæ vindicativæ meliùs servetur, si pœnitens satisfactionem priùs spondeat 3. Ne fortè accepto beneficio absolutionis respuat onus Pœnitentiæ: & hinc. 4. Pœnitentia si modica sit, non solum ante absolutionem perfici potest, sed etiam, ut perficiatur, quandoque à Confessario imperari: quamvis tunc non habeat vim satisfaciendi ex opere operato, nisi post datam absolutionem, & Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter completum, prout bene omnia probat Lugo *cit. d.* 25. *n.* 28. Cæterùm, cùm hujus ordinis nulla appareat necessitas, vel obligatio, fatentur omnes, etiam post absolutionem datam adhuc posse injungi pœnitentiam, idque non tantùm casu, si anteà injungere Confessarius oblitus esset, sed aliquando etiam studio, ut si gravis aliqua obligatio imponenda, quam ante absolutionem significare non videatur consultum, ne fortè Pœnitens fictè acceptans, vel promittens, absolutionem facilegè recipiat, de quo fortè alibi. Et hæc de imponenda pœnitentia satis. Jam de implenda pluscula.

§. II.

Quando implenda?

577 I. POenitentia injuncta à Confessario, præfixo certo tempore vel termino, eodem præfixo tempore utique impleri debet. Quanquam talis termini dilatio facilè excusari possit à mortali; quia plerumque præceptum Confessarii cadit magis in rem ipsam præstandam, quàm in tempus præfixum. Unde Diana *p.* 9. *tract.* 7. *resol.* 57. rectè à mortali excusat eum, qui jussus à Confessario jejunare hâc die veneris v. g. differt in diem veneris sequentem: Item, si jussus communicare singulis mensibus, mense finito differt ad 6. vel 8. dies, præsertim ex causa, quamvis levi. Et hinc, qui Pœnitentiam tempore vel die præfixo non persolvit, non ideò deobligabitur. Præfinitur enim tempus ad implendam, seu non differendam, & non ad finiendum obligationem: Et regulatiter censetur Confessarius ita determinare tempus, ut si tunc Pœnitens, sive ex desidia, sive ex justa causa, non implèrit, teneatur proximè supplere. Excipe tamen, nisi quandoque ex circumstantiis colligatur, illam pœnitentiam fuisse planè affixam certo diei vel tempori. Ut, si dicat: Pro tua salutari pœnitentia hoc anno jejunabis singulis diebus Sabbathinis, & singulis Festis B. V. communicabis, &c. ita cum aliis Coninck, Bonacina *citt.* Gobat *n.* 767.

578 II. Pœnitentia injuncta absque præfinito tempore, ut communiter fieri solet, per se loquendo, impleri debet, quamprimùm commodè moraliter fieri potest: secundùm communem DD. Coninck, Layman, Lugo, alii, eò, quòd sit pars integralis Sacramenti, ut sine justa causa diutiùs differre minimùm venialis culpa sit; atque adeò etiam mortalis. 1. Si nimiùm & ad longum tempus differatur. Lugo *cit. n.* 89. Prælertim 2. Cùm subest periculum oblivionis. 3. Si Pœnitens prævideat, se postea non impleturum, aut dubitet, an postea implere possit. 4. Si pœnitentia implenda ipsâ dilatione minuatur: uti, si cui injunctum esset perpetuum aliquod Officium, Rosarium, Jejunium, &c. tunc ad octiduum sine justa causa differre, a mortali excusant plerique: Ego aliquid amplius concederem. At generaliter nimis lar-

gè Diana *citatus* permittit, pœnitentiam sine mortali differri posse usque ad annum: cùm tanto tempore plerumque subsit periculum oblivionis: & sine dubio falsum est, si prævideatur impotentia, aut pœnitentia ipsâ dilatione minuatur. Tandem res tota pendet ab intentione Confessarii. Si nactus rigidum, cave tibi, & time. Si benignum, etiam cave: sed ne facilè time noxam mortalem, nisi in modò dato duplici casu, si prævideatur impotentia vel oblivio, & si Pœnitentia dilatione minuatur.

579 III. Potest Pœnitens exsolvere pœnitentiam, quando exercet aliud opus præceptum, modò pœnitentia & aliud opus se invicem non excludant. Quare v. g. dum audit Missam de præcepto, potest recitare Rosarium, Psalmos Pœnitentiales, vel aliud Officium pro pœnitentia injunctum: quia hæ invicem se non excludunt: cùm ejusmodi Preces vel Officia etiam liberè rectè recitentur subMissa de præcepto audiendâ. At verò celebrans Missam de præcepto, non potest pro pœnitentia simul audire aliam Missam ab alio simul lectam, vel celebratam, quia hæc invicem se excludunt: cùm Missam audire opponatur Missæ celebrationi.

580 IV. Pœnitens etiam satisfacit, ita ut nihil repetere teneatur, si rem injunctam exequatur integrè, etsi non intendat, imò nec cogitet tunc implere pœnitentiam, & satisfacere suæ obligationi: ut si Confessarius injunxit tibi tria Rosaria: & tu tria recites ex devotione solitô, vel quia inscriptus es Confraternitati Rosarii aut Sodalitati alicui B. V. Ita contra alios communiter DD. Sanchez *lib.* 1. *Moral. c.* 13. *n.* 17. Lugo *disp.* 24. *sect.* 4. *n.* 17. Quin etiam si expressè dicas: Volo hoc Psalterium recitare, quia sum Sodalis B. V. & tribus proximis diebus dicam tria Rosaria, ut exsolvam me obligatione pœnitentiæ mihi impositæ à Confessario, adhuc sati fecisti, nec illa tria alia Rosaria recitare obligaberis: ut docent iidem DD. contra alios, *in materia de Legibus.* Præcepta enim particularia sunt interpretanda juxta normam universalium. At si dicam: hodie recitabo Psalterium, quod teneor ex voto: cras aliud pro pœnitentia à Confessario impositum: eróne cras liber? Non eris: sunt enim hic distinctæ obligationes, quibus uno actu (nisi fortè sic annuente Confessario expressè, juxta suprà dicta) satisfacere non potes.

§. III.

A Quo commutanda?

586 POenitentiam *justam à Confessario impositam, in aliam commutare potest solus Confessarius: non tamen solus idem, qui primus imposuit, sed ex rationabili causa etiam alius quicunque, saltem æqualem potestatem habens.*
Est tota communis, ut patebit.

582 1. *Pœnitentiam justam à Confessario impositam.* Quæstio enim hæc procedit tantummodò de Pœnitentia, quæ à Confessario justè imposita est, *seriò*, vel certè *dubiè*. Si enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

constet, Sacerdotem ab initio errâsse, ac pœnitentiam injustè impositam fuisse, nullâ opus erit commutatione, cùm ex dictis constet, Pœnitentem ad eam non obligari, sed omninò liberum esse. Quando autem verè dubium est de justitia pœnitentiæ injunctæ cognoscere & declarare, an Confessarius imponens pœnitentiam errârit, ad quemcunque virum doctum ac probum, adeóque etiam ad ipsum Pœnitentem, si judicio polleat, pertinere potest, ait rectè Layman *n.* 17. Et sic rursùs commutatione opus non erit.

583 II. *Commutare potest solus Confessarius.* Ipsemet autem Pœnitens, pœnitentiam justam à Confessario impositam non potest commutare in aliam, etiam evidenter meliorem. Est communis & vera Sententia Layman, Lugo, alii passim. (etsi oppositum probabile censeat Diana *p.* 11. *tract.* 7. *resolut.* 3. citans Navarrum, Bassæum, alios octo. Quod tamen communi Ecclesiæ & fidelium sensui repugnare meritò censet Lugo *sæpe cit. disp.* 25. *sect.* 6. Et, *quæso, ne patiaris te ineptari istis novitatibus.* ait prudenter Gobat *n.* 774.) Ratio autem est, Quia opus à Confessario impositum virtute clavium ad hoc elevatur, ut sit opus Sacramentale, & satisfactorium ex opere operato: quale non potest esse illud aliud opus à Pœnitente subrogatum, quantumvis melius. Adde, quòd Inferior nunquam possit commutare in melius opus à Superiore præceptum: sed Pœnitens judicio Confessarii tanquam Superioris se subjecit, ideóque tenetur ejus sententiâ stare, quia, quæ Sacerdos *ligavit in terris, manent ligata & in cælis.*

¶. Alia est ratio de voto, quod vovens, (tanquam sui ipsius Legislator, proprio arbitrio, in evidenter melius commutare potest) Est ergo Confessarii id opus & munus proprium.

584 III. *Non solus idem Confessarius, qui primò imposuit, sed ex rationabili causa, etiam alius quicunque, commutare potest pœnitentiam à priori Confessario impositam.* Ita communis & certa sententia DD. Suarez *disp.* 38. Layman. *n.* 16. Lugo cit. alii passim (contra Vasquez & alios nonnullos. Ratio est, Quia idem est tribunal, idem judicium ejusdem potestatis, etsi diversi in individuo sint Ministri, eorum tamen potestas est ejusdem rationis, non solùm ad remittenda peccata, sed etiam ad solvenda, seu relaxanda vincula pœnarum, quibus adstricti sunt Pœnitentes: ergo sicut potest pœnitentiam semel injunctam commutare primus Confessarius, etiam, ob rationabilem causam (utpote quando sic expedit, & primus Confessarius commodè adiri nequit) poterit commutare etiam secundus, & quivis alius: & addidi notanter.

585 IV. *Saltem æqualem potestatem habens.* Nam si pœnitentia esset imposita pro casibus reservatis, à Confessario ab iis absolvendi potestatem habente, non posse postea commutari ab alio Confessario potestatem in reservata non habente, communior est Sententia Doctorum, & tenet Lugo *sæpe citat.* tamen apud eundem contrarium probabiliter docent *Vasquez, Henriquez, Fernandez, Navarrus.* Ratio prioris sententiæ negativæ est: quia accessorium sequitur principale: ideóque qui non potest solvere ab ipso peccato reservato, videtur etiam non posse solvere à pœna pro peccato reservato impositâ. Ratio posterioris sententiæ affirmativæ est: quia reservatio per primam absolutionem jam est sublata: ideóque illa peccata non sunt ampliùs reservata; ideò videtur, quòd alius inferior Confessarius respectu illius Pœnitentis jam habeat sufficientem jurisdictionem in illa peccata, ideóque & pœnitentiam pro illis impositam, & consequenter auditâ confessione, eam posse commutare.

§. IV.

Quomodo commutanda?

586 I. CConfessarius qui primus injunxit pœnitentiam, potest illam commutare absque eo, quòd Pœnitens confiteatur de novo illa peccata, imò & extra Sacramentum, absque ulla nova confessione, si is adhuc recordetur peccatorum, & statûs Pœnitentis: & saltem, si Pœnitens recurrat intra breve tempus, ut moraliter idem judicium censeri possit, v. g. eodem, vel sequenti, aut saltem intrà triduum. Ita Navarrus *c.* 26. *n.* 22. aliique multi: imò etiam si longum tempus intercesserit: *Salas, Aversa, Diana*, alii cum Lugo *cit. sect.* 6. Ratio est: quia tale judicium ejusdem Confessarii semper faciet unum moraliter cum præcedenti confessione adhuc aliqualiter recognitâ, adeóque censebitur pertinere ad idem Sacramentum. Secùs utique esset, si Confessarius nullam confessionis factæ ac peccatorum confessorum memoriam retineret in communiori & tutiori sententia, *Sett, Valentia Layman cit.* cùm Sacerdos non possit sententiam ferre, nisi cognitâ causâ. Addit Layman eodem *num.* 16. *post med.* Quare secundùm hanc probabiliorem sententiam, repetenda est quóque confessio, tametsi ab eodem Confessario peccatorum memoriam retinente; sed interposito tempore longiori, v. g. trium vel quatuor dierum intervallo, pœnitentiæ commutatio postuletur. Cùm enim prioris Sacramentalis confessionis judicium, legitimè absolutum fuerit, & cum eo posterior pœnitentiæ impositio ob temporis intervallum, nullum ordinem gerat; sequitur, non fore hanc pœnitentiam Sacramentalem, seu pertinentem ad Sacramentum Pœnitentiæ, nisi de novo Sacramentalis confessionis & absolutionis judicium instituatur. Sic Layman sanè probabilissimè tutiora suadens, attamen nostra probabilia & tuta non negans, ut patebit.

587 II. Alius autem Confessarius non potest extra Sacramentum & confessionem commutare pœnitentiam ab alio Confessario impositam, juxta communissimam DD. Sententiam *citati omnes* (quidquid alii opinentur apud Dianam *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 241.) Ratio clara est: quia Confessarius nullam habet jurisdictionem, seu potestatem Sacramentalem in Pœnitentem, nisi dum sedet ut Judex in hoc Tribunali: at non censetur sedere in hoc tribunali, nisi dum actu audit confessiones, & administrat Sacramentum pœnitentiæ, aut ratione Sacramenti jam administrati cum Pœnitente agit: unde est & alia differentia inter primum & alium Confessarium: quòd primus, sicut pœnitentiam pro libitu imposuit, ita etiam pro libitu commutare possit: alius autem Confessarius pœnitentiam ab alio Confessario impositam non pro libitu (cùm non habeat imperium par in parem) sed tantùm ex justa & rationabili causa commutare potest, ut omnes agnoscunt. Atque hinc insuper

588 III. Alium Confessarium non posse commutare pœnitentiam, nisi Pœnitens priorem confessionem repetat, & novæ Judicis sententiæ se subjiciat, docet communior, & sine dubio probabilior & tutior Sententia DD. *Navarrus cum Suarez, Coninck, Layman. ll. cc* Ratio satis firma est. Quia Judex (præsertim subordinatus, qualis est Sacerdos personam Christi repræsentans) non potest ferre congruam sententiam incognitâ causâ: sed impositio pœnitentiæ pertinet ad Sacramentalis sententiæ & absolutionis integritatem: ergo imponi debet cognitâ causâ, & secundùm qualitatem ac mensuram delicti: certè cùm alter Confessarius de prioribus peccatis ipsi non explicatis, judicium & absolutionem non ferat consequenter nec alia pœnitentia ab eo pro talibus peccatis imposita judicialis & Sacramentalis esse poterit. Hæc ratio omninò convincit, & sententia sine dubio verissima est, quando Pœnitens petens commutationem pœnitentiæ allegaret, non suam imbecillitatem, sed pœnitentiæ injunctæ à priore Confessario iniquitatem, excessum &c. Sic enim sine dubio alter Confessarius non poterit commutare, nisi repetitis & auditis peccatis, propter quæ pœnitentia injuncta est, ob rationem dictam: alioquin cæcus judicabit de coloribus. Hoc autem seclusio.

589 IV. Probabile est, alterum Confessarium in confessione nova Pœnitentis posse commutare pœnitentiam ab alio Confessario impositam, etiam non repetitâ & auditâ confessione illorum peccatorum, pro quibus fuit imposita. Ita *Navarrus, Toletus, Henriquez, Rodriquez, Emmanuel Sa*: & 14. citans Diana *p.* 4. *supra* & *p.* 3. *tr.* 4. *resolut.* 53. Eámque sententiam in praxi à pluribus frequentatam, Confessarium quemque sequi posse, præsertim si Pœnitens ad repetenda peccata difficilis videatur, vel tempus id non patiatur, expressè dicit Layman *eodem num.* 16. *fine*: meritò addens idipsum à fortiori longè dici posse de primo Confessario, etiam post longum tempus non ampliùs memore peccatorum sibi confessorum, pœnitentiam mutante. Consentit Gobat, & bis vel ter eam

sententiam se secutum fuisse testatur *num.* 277. Ratio est: quia Confessarius ut Judex & Medicus potest de tota causa simul judicare juxta præsentem statum Pœnitentis, prout magis videbitur expedire: atqui de tota simul causa sufficienter judicat, quando etiam non repetitâ confessione, judicat hîc & nunc Pœnitenti non expedire talem pœnitentiam, sed magis expedire aliam: in hac enim commutatione non agitur de peccatis commissis, ob quæ pœnitentia imposita est: neque de justitia vel injustitia pœnitentiæ, quâ imposita est, ut *n. præc.* jam seclusi; sed agitur tantùm de Pœnitentis infirmitate, difficultate, & quandóque aliquali impotentia ad illam pœnitentiam implendam, ob quam justè commutari potest, vel relaxari. Quare quando Pœnitens secundo Confessario dicit, se non posse, vel difficulter posse implere pœnitentiam: imò, quando ipse Confessarius advertit Pœnitentem aliquas pœnitentias non impleviisse, nec facilè impleturum, eo etiam non petente, poterit eum alleviare, ac disponere de eo, prout magis expedire in Domino videbitur: vel ob eam solùm causam, ut facilitetur usus tanti, támque necessarii Sacramenti. Neque refert etiam, quòd prior pœnitentia esset data, non solùm in vindictam & satisfactionem pro peccatis, sed etiam in medicinam ac præservationem in futurum, dummodò similiter medicinalis alia pœnitentia imponatur juxta præsentem statum Pœnitentis. Nam eò ipso, quòd prior pœnitentia facta est ipsi difficilis vel incommoda valde ratione suæ infirmitatis vel fragilitatis: jam cessavit esse medicinalis simpliciter, & noxia vel periculosa facta censeri debet, prout optimè discurrit Marchant Tribun. *part.* 1. *tract.* 4. *tit.* 7. *quæst.* 6. quem si placet, vide.

CAPUT V.

De Absolutione Sacramentali.

QUÆSTIO I.

Quæ Forma Absolutionis consueta, sufficiens, necessaria, & præcisè essentialis?

SUMMARIUM.

590. *Declaratur forma absolutionis consueta.*
591. *Quæ verba, vel forma sit sufficiens, & necessaria sub mortali?*
593. *Qualiter facienda absolutio à censuris?*
594. *Forma essentialis consistit in his verbu.* absolvo te.
597. *Formaliter sumptis.*
599. *Sufficit, si proferatur etiam modo imperativo.*
600. *Non verò prorata modo optative.*
602. *Quis sit sensus hujus formæ generalis?*
603. *Quis propriùs & principalis? &*
604. *Quis adæquatus?*

§. I.

Forma consueta?

590 QUam Clemens VIII. probavit, atque, ut omnes

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnes usurpent, suadet Paulus V. ideóque omnibus memoriter tenenda, est hæc

¶. *Misereatur tui Omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam* (Dinde elevatâ manu adversus Pœnitentem) *Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum, tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Dominus noster IESUS Christus te absolvat: & ego authoritate ipsius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis.* (hæc particula omittenda pro Sæcularibus) *& interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Passio Domini nostri IESU Christi, & merita Beatissimæ V. MARIÆ: & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, vel mali sustinueris, sit tibi in remedium peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.* Certum autem est, hanc totam formam, quoad orationes prævias & subsequentes ipsam absolutionem, (quæ secundùm Concilium Tridentinum utiliter adduntur) non esse de necessitate aliqua Sacramenti vel præcepti, ideóque ex causa rationabili, imò (secluso scandalo vel contemptu) etiam sine causa, absque peccato omitti posse. Videndum ergo ulteriùs, quænam ex hac consueta forma sit sufficiens, necessaria, essentialis?

Rituale Romanum dicit: in confessionibus frequentioribus vel brevioribus, omitti potest *Misereatur* &c. & satis erit dicere: *Dominus noster IESUS Christus*, usque ad illud: *Passio Domini nostri* &c. Imò sufficit solùm dicere: *Ego te absolvo à peccatis tuis.* Sa v. *absolutio n.* 1. Tamburinus *opusc. de Confessione l.* 3. *c.* 1. Lugo *d.* 13. *sect.* 3. dicit, eas preces dici ex libera consuetudine. Quoad reliqua placet judicium Layman. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 3. Invocatio SS. Trinitatis, signúmque Crucis addi debet ex consuetudine Ecclesiæ. Námque omnia Sacramenta cum hoc salutari signo administrari testatur D. Augustinus *tract.* 118. *in Joannem.* Chrisost. *hom.* 13. *in epist. Philipp.* Denique & manûs elevatio, & capitis denudatio inter absolvendum omitti non debet, ubi hæc in consuetudine sunt: quamvis Emmanuel Sa *cit.* non approbet denudationem capitis, eò quòd eo signo omisso, facilè adverti possit, quando Confessarius non absolveret Pœnitentem indispositum: sed eam defendit Tannerus *hic q.* 9. In praxi ergo

§. II.

Forma sufficiens & necessaria.

591 FOrma *absolutionis sufficiens*, & in necessitate vel periculo Pœnitentis aut Confessarij: Item quando confessiones breves sunt, aut magnus Confitentium concursus, etiam omninò licita sunt sola hæc verba: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.* Vel si periculum timeatur censuræ, dic: *Ego te absolvo à censuris*, deinde: *à peccatis tuis, in nomine* &c. Ego doctorum virorum exemplum secutus, in ejusmodi festinandi occasione, soleo uti hâc formulâ. *quod minus injunxi, suppleat amarissima Passio Domini nostri IESU Christi, cujus authoritate ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, Amen* deinde dato signo recedendi cum *vade in pace*: uno Pœnitente sensim recedente, vix unquam omitto dicere illam precatiunculam: Passio Domini nostri IESU Christi, &c. eò, quòd magnorum Doctorum Sententiâ, per ea verba eleventur omnia opera Pœnitentis in satisfactionem Sacramentalem, atque ob eam causam possit minor imqoni pœnitentia à Confessario, de quo vide dicta *cap. præced. q.* 2.

III. Eadem verba: *Ego te absolvo à peccatis* 592
tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, Amen: sunt etiam forma necessaria ex institutione & communi usu Ecclesiæ. Et singulariter illa verba: *à peccatis tuis*, esse de necessitate præcepti graviter obligantis omnium opinione testatur Tannerus *disp. 6. q.* 1. *dub.* 2. *n.* 39. Idque apertè indicare videtur Concilium Tridentinum *sess.* 14. *c.* 3. ubi cùm dicit; formam hujus Sacramenti in illis Ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo*: addit particulam *&c.* ut significaret, se se noluisse definire illam quæstionem: an verba illa: *à peccatis tuis &c.* sint de essentia formæ: attamen non debere omitti, sed ad integritatem, & magis explicitam sententiam debere addi etiam reliqua verba. Unde eum, qui ea verba ex mera libertate temerè omitteret, meritò peccati mortalis condemnant post alios Tannerus *cit.* Gobat. *n.* 150. & noster Marchant. Tribun. 1. *p. tract.* 6. *tit.* 2. *q.* 2. Ratio est: tum quia talis Confessarius contra omnem consuetudinem, imò præceptum Ecclesiæ temerè ageret: (nam si ex indeliberatione, præcipitantia, festinatione fieret, communiter excusant DD. tum, quia sine necessitate, & contra justissimam voluntatem Pœnitentis, exponeret Sacramentum certè probabili periculo nullitatis: quandoquidem illa verba: *à peccatis tuis*: esse de essentia formæ absolutionis, doceant gravissimi DD. Durandus, Petrus Sotus, Paludanus, Major Gabriel, Basilius Martino, apud Dianam mox citandum §. *seq*, Et sanè valde rationabiliter: eò, quòd illa duo verba: *absolvo te*: etiam dum pronuntiantur in confessionali super præsentem Pœnitentem modò confessum, adhuc sint indifferentia ad significandam absolutionem vel à peccatis, vel à censuris: forma autem absolutionis debet determinatè significare absolutionem à peccatis, quia non plùs efficit, quàm quod determinatè significat: Et quid si alicui sola venialia confesso, sed occultis mortalibus obstricto, præcisè dicas: *absolvo te?* nonnè verba ista ex modo significandi, videbuntur referri ad sola venialia confessa, & non ad mortalia oblita? quod vides, quàm periculosum esset, moribundo præsertim (verùm huic utrique absurdo & periculo occurritur, si Sacerdos proferret illa verba: *absolvo te*, cum intentione absolvendi *ab omnibus, à quibus potest & debet*, quam intentionem certè habere debet, & habet omnis prudens Confessarius,) & nonnè vides, quàm securius addas: *à peccatis tuis*? Caveant ergo scioli, qui, ut ostendant se doctos, & aliquid legisse, vel didicisse in schola, superciliosè dicunt: *absolvo te*, non dignati addere saltem reliqua verba; hi deridulò rogandi essent, ut amore DEI dignentur cum Concilio Tridentino addere, saltem unicum *&c.*

593 IV. Absolutio à censuris plerumque innoxiè omittitur in Germania, quippè in qua à sæcularibus plebeis contrahitur longè rarissimè, & utique absolutio à suspensione omittenda est, quando Pœnitens est Laicus, imò aliquando Clericus Minoribus initiatus, hâc enim ætate Laici obeunt omnia officia Ministrorum, uti observat Gobat *n.* 164. Et quidem quando Pœnitens absolvendus est à censura, excommunicatione v. g. pro solo foro interno conscientiæ sufficiet proferre solùm illa verba formæ præscriptæ. *Absolvo te a vinculo excommunicationis*: quando autem absolvendus pro foro externo etiam à Confessario ex delegatione aut summi Pontificis, ut Regulares Mendicantes, aut in casu particulari ex delegatione Episcopi, speciales formulæ præscriptæ in Rituali usurpandæ sunt ex magna decentia saltem. Ab excommunicatione sic. *Dominus noster IESUS Christus te absolvat, & Ego authoritate summi Pontificis Domini nostri Papæ* N. (vel Episcopi) *mihi concessâ, absolvo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi*, (aut incurrisse declaratus es: aut si quam incurristi: nimirùm in dubio, ad cautelam) *propter tale factum, vel causam N. & restituo te communioni & unitati fidelium, in nomine &c.* A suspensione, *Absolvo te à vinculo suspensionis, quam propter tale factum, vel causam incurristi* (seu incurrisse declaratus es) *in nomine Patris &c.* Ab Irregularitate, post absolutionem à Censuris additur. *Eadem authoritate dispenso tecum in irregularitate, quam ob talem causam incurristi N & habilem reddo, & restituo exercitiis Ordinum & Officiorum tuorum, in nomine Patris &c.*

§. III.

Forma præcisè essentialis

594 SAcramenti *Pœnitentiæ* consistit in his tantùm verbis: *Ego te absolvo*: vel *absolvo te*, Ita Communissima Doctorum: mei omnes, & quadraginta quatuor recitati à Diana *p.* 11. *tract.* 6. *resol.* 11. atque certissimum asserit Suarez *de Censuris disp.* 10. *sect.* 2. Et sumitur satis manifestè ex Conciliis Florentino *in Decreto Unionis*, & Tridentino *sess.* 14. *c.* 3. utroque asserente, formam Sacramenti pœnitentiæ consistere in illis verbis Sacerdotis: *Absolvo te: Ego te absolvo*, &c. sine dubio volens exprimere totam formam essentialem, & nihil certò essentiale involvere obscurâ particulâ *&c.* sed solùm verba reliqua esse addenda ex more Ecclesiæ expressioris significationis gratiâ, ut jam suprà dictum. Ratio est: quia forma hujus Sacramenti consistere debet in ijs verbis, quibus sufficienter significatur persona judicis, actus judicialis, effectus, & persona rei: sed hæc omnia sufficienter significantur in illis tantùm verbis: *Absolvo te*: vel: *Ego te absolvo*. Nam *Persona judicis* significatur explicitè, per pronomen *Ego*, aut implicitè per ipsum verbum indicativum, *absolvo*. *Actus judicialis, & effectus*, scilicet absolutio animæ à peccatis significatur per ipsum verbum activum *absolvo*: quod, quia profertur super confessione peccatorum hic & nunc factâ, sufficienter determinatur ad significandam animæ absolutionem à peccatis hic & nunc confessis. Persona rei explicitè significatur per pronomen Te in accusativo: quod omninò spectat ad essentiam formæ: cùm in verbo *absolvo*, non nisi valde dubiè contineatur reus: posseque verificari non tantùm de peccatis hujus præsentis, sed etiam absentis.

§. Jam vides ly *a peccatis tuis*, jam conti- 595
neri in verbis, *Absolvo te*. Nam circumstantia personæ hic & nunc confitentis peccata sua tatis determinat, & significat, absolutionem Sacerdotis cadere super peccata illius, licèt id non exprimatur, sicut ex necessitate præcepti exprimi debet, ait Layman *cit. n.* 7. Quare Suarez *cit. sect.* 1, *n.* 7. eúmque secutus Tamburinus *Opusc. Expedit. Confess. lib.* 2. *in fine* habent pro certo, si tu intendas absolvere à peccatis simul & censuris moribundum, dicens: *Absolvo te ab omnibus censuris & peccatis tuis*, evolet autem anima, priusquàm tu dicas: *à peccatis tuis* fore nihilominùs absolutum à peccatis: quia illa verba: *absolvo te*, significant determinatissimè & efficiunt remissionem peccatorum. De quo raro casu videre potes Gobat *Casu* 4. *à n* 150.

¶. Denique explicita invocatio Sanctissimæ 596
Trinitatis *in nomine Patri &c.* non est de essentia huius Sacramenti, sicut est de essentia Baptismi. Quia cùm Baptismus sit janua Ecclesiæ, & solennis professio fidei principaliter versantis circa mysterium altissimum SS. Trinitatis, congruum erat, ut exprimeretur in ejus forma. In Sacramento autem pœnitentiæ non profitetur pœnitens fidê, sed supponit jam professam.

II. Forma essentialis absolutionis consistit 597
in dictis verbis: *Absolvo te*: formaliter tantùm sumptis, quoad prædictam significationem Sacramentalem in ijs sufficienter fundatam: non autem materialiter sumptis quoad sonum vocis: neque ea verba materialiter sumpta sunt de essentia formæ, & Sacramenti pœnitentiæ, seu non sunt necessaria necessitate Sacramenti, secundùm omnes, cùm eadem Significatio Sacramentalis æquè bene possit fundari in alijs verbis synonimis & æquipollentibus eun-

dem sensum & significationem facientibus, cujusmodi sunt omnia verba & locutiones, quibus sufficienter exprimitur actus judicialis absolutionis, ac quibus Sacerdos significat absolutionem illam per modum sententiæ à se prolatam in hunc Pœnitentem, tanquam reum peccata sua confessum. Quare valida est forma: *Solvo te: remitto tibi:* Quæ duo verba expetisse habentur in scriptura: *Quodcunque solveritis &c.* Item: *condono tibi peccata tua; libero te à peccatis tuis: impendo tibi absolutionem Sacramentalem &c.* & his similia.

598 §. *Mundo te à peccatis tuis*: non videtur esse forma sufficiens hujus Sacramenti, quia iis verbis non significatut sententia judicialis, nisi valde impropriè: certè non significat magis & specialiùs mundationem animæ à peccatis per Sacramentum Pœnitentiæ, quàm Baptismi: saltem est forma maximè dubia: ideóque eâ utens utique peccaret mortaliter, quia exponeret Sacramentum manifesto periculo nullitatis.

599 III. Neque requiritur ad essentiam hujus formæ, ut proferatur in modo indicativo *absolvo te &c.* sed omnino etiam sufficit modo imperativo, & alio, quo sufficienter significatur & exprimitur actus judicialis absolutionis: v. g. *absolvaris à me: sis absolutus: jubeo, placet, te esse absolutum: vade absolutus: vade liber, vade in pace*; & quicunque similis modus, quo Judex etiam in foro externo sententiam profert. Omnibus enim ejusmodi modis semper se gerit Sacerdos, ut Judex: nec mutatur sensus & significatio essentialis formæ, sed accidentaliter & grammaticaliter tantùm.

600 §. At verò non sufficit, sed invalida est absolutio prolata in modo optativo, & forma deprecationis tantùm; v. g. *Absolvat te DEUS: Solvat te Christus. DEUS remittat tibi peccata tua &c.* Ratio ex dictis patet. Quia hoc Sacramentum exercetur per modum judicii, uti definit Trident. *sess. 14. c. 5.* quo scilicet Sacerdos, cognitâ causâ fert sententiam authoritativè, tanquam propriâ authoritate ad hoc habitâ & collatâ à Christo: ideóque forma absolutionis Sacramentalis essentialiter debet importare sententiam Confessarii per se authoritativè absolventis: sed huic sensui omninò repugnat forma deprecatoria vel impetratoria: sic enim non verè dicetur absolvere ipse Sacerdos, sed tantùm postulare absolutionem ab alio, Deo, vel Christo dandam: eóque ipse non personam Judicis, sed potiùs Advocati ageret. Christus autem dixit: *Quorum remiseritis*: Non *pro quibus oraveritis:* alioquin sufficientissima jam haberetur forma in preculis præmissis illis. Misereatur &c. & Indulgentiam &c.

601 IV. Eadem tamen ipsa verba: *Absolvo te*, materialiter sumpta sunt necessaria necessitate præcepti, seu, ut alii loquuntur, necessitate Ministri, secundùm communem Doctorum. Hæc enim forma expresse præscribitur in Concilio Florentino, & Tridentino, roboratur totius Ecclesiæ consuetudine & usu, & colligitur ex ipsa Scriptura. Quamvis enim Christus non præscripserit hanc determinatam formam materialem verborum, sed æquè dixerit: *Quorum remiseritis; ac quodcunque solveris*: attamen Ecclesia rationabilissimè determinavit verbum *absolvo:* potiùs, quàm *remitto.* Quia nimirùm, ut sæpè dictum, Sacerdos in hoc Sacramento gerit se ut Judex: atqui soli Judici, secundùm proprium usum loquendi proprium est *absolvere: Remittere* autem competit etiam aliis, utpotè creditoribus, & injuriatis quibusvis: atqui quilibet Minister in administratione Sacramenti debet servare communem usum & consuetudinem Ecclesiæ suæ: ergo illa forma materialiter sumpta, est necessaria necessitate *Ministri*, seu præcepti: adeò, ut peccaret graviter Sacerdos, scienter ex mera libertate utens aliâ verborum formâ quantumvis æquipollente.

§. Attamen retento verbo, *absolvo*: accidentalis mutatio vel additio, valida, & in casu necessitatis etiam licita esse potest. Ut, si quis simul plures absolvens dicat: *Ego vos absolvo.* Valida item, vix tamen licita esset forma: si quis reverentiæ causâ dicat Magnati, vel Regi: *Absolvo* Dominationem vestram, Majestatem vestram, &c. Vasquez, alii communiter.

§. IV.

Formæ hujus Essentialis quis sensus?

602 Sensus generalis aggregatus & adæquatus sufficiens hujus formæ, quo à Sacerdote proferri potest, est hic: *Ego te absolvo ac libero ab omni vinculo peccatorum tuorum.* Sive illud sit *primò*: reatus culpæ mortalis vel venialis peccatorum, quæ in confessione explicâsti: sive 2. sint peccata omissa, quæ explicare non potuisti, vel non debuisti, quæ tamen ritè dispositus actualiter vel virtualiter animo detestaris: sive 3. sit reatus vel obligatio pœnæ temporalis, quæ tamen non semper tota per hoc Sacramentum remittitur, sed secundùm dispositionem Pœnitentis, & opera ejus satisfactoria & speciatim pro pœnitentia imposita, & virtute clavium elevatâ: Sive 4. sint peccatorum reliquiæ, id est, vitiosæ affectiones, & malæ inclinationes, quæ per gratiam sanctificantem Sacramento collatam sanantur: sive denique sit obligatio confitendi in eo, qui anteà per contritionem, vel amorem DEI super omnia à peccato mortali liberatus & sanctificatus est. Ita post alios Layman. *c. 3. n.* 8. Hoc enim generali & aggregato sensu, omni ferè eventu verificabitur forma absolutionis, adeò etiam, ut si quis in Confessione generali proferat sola peccata, à quibus anteà ritè absolutus fuerat, vix tamen accidit, ut non interim aliquod peccati vinculum retineat, à quo per novam absolutionem liberetur, liberandus quóque à quovis alio, etiam actualium culparum, si adhuc adesset, uti sapienter obiervavit Navarrus apud Layman *eodem n. 6. à. medio.* Verùm sensus proprius ac principalis ejus sacræ formæ nobis assignandus & tuendus est. Itaque: II. Sen-

603 II. Sensus proprius & principalis huius formæ est remissio culparum, seu ipsius culpæ. *Omnes.* Nam hi termini: *absolvo te à peccatis tuis*: ex vi institutionis divinæ, primariò & directè important absolutionem animæ à culpa. Quare imprimis falsus est sensus Magistri: *Ego te absolvo:* id est, ego te absolutum ostendo, vel declaro. Hunc enim sensum anathemate damnat Concilium Trident. *Sess. 14. Can. 9. Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi dimissa esse peccata, &c. anathema sit.* Etenim Christus dixit Sacerdotibus: *Quorum remiseritis peccata*: non: quorum ostenderitis peccata esse remissa. Deinde falsus est sensus Richardi, & Hugonis Victoris. *Ego te absolvo à pœna æterna & temporali peccatis debita.* Christus enim non dixit: *Quorum remiseritis pœnam*: sed *peccata.* Et certè reatus pœnæ æternæ non manet, nisi propter culpam mortalem: nec remittitur nisi remissâ culpâ: ergo non tantùm pœna, sed etiam culpa mortalis remitti debet per hoc Sacramentum. Denique nec sensus primarius & universalis est: *Ego te absolvo a debito & obligatione confitendi peccata tua*: Quòd scilicet, ipso Deo peccata homini remittente, remaneat tamen obligatio eadem confitendi, à qua obligatione sine dubio liberat legitimè confessum rite absolvens Sacerdos: nam forma huius Sacramenti significative & validè cadit super peccata venialia, ubi tamen nulla est obligatio, nec consequenter significari potest absolutio ab obligatione confitendi: atque inde sequeretur, hoc Sacramento per se non causari gratiam sanctificantem, cum ad significandam absolutionem ab obligatione confitendi, nulla requiratur gratia sanctificans, sed solùm ad absolutionem à peccato & culpa.

604 III. Sensus proprius adæquatus hujus formæ est: *Potestate mihi commissâ mediante Sacramento per se collativo gratiæ justificantis seu remissivæ peccatorum, remitto tibi peccata tua, saltem quantùm est ex parte gratiæ, aut ipsius Ministri vel Sacramenti.* Hoc enim triplici *in quantùm* addito, necessariò semper verificabitur forma in omni excogitabili casu, vel eventu. Percurro breviter. 1. Verbalis, verissimus, & propriissimus est sensus: *Absolvo te à peccatis tuis*, quando confitens peccata sua mortalia, cum sola, sed vera supernaturali attritione absolvitur. Tunc enim verè & actu remittuntur ei peccata aliàs non remissa, nec confessa: unaque cum peccatis simul liberatur ab obligatione ea confitendi ulteriùs. 2. Verus adhuc est sensus: *absolvo te à peccatis tuis*: quando confitentis jam peccata remissa sunt per contritionem perfectam, vel amorem Dei super omnia nimirùm: *quantùm est ex parte gratiæ*: & specialiter: *quatenùs adhuc retenta sunt* quoad obligationem ea confitendi. Sensus enim erit: Confero tibi gratiam per se remissivam peccatorum tuorum, si adhuc adessent: simúlque libero te ab obligatione ea denuò confitendi. Tenetur enim peccator, non tantùm justificari coram Deo, sed etiam coram hoc tribunali Sacramentali, juxta illud Christi. *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt:* Censentur autem peccata adhuc Sacerdotibus retenta, quamdiu ab eis non remissa sunt. Verissimè ergo dicit Sacerdos: *Absolvo te à peccatis tuis*: sensu prædicto. Unde in nova lege, Contritio, vel Amor DEI super omnia, justificat quidem, sed non nisi cum voto Sacramenti, & onere eadem subjiciendi clavibus, juxta dicta *cap. 2. q. 1. 3.* Adhuc verus est sensus: *Absolvo te à pecca is tuis*: Quandò confitentis peccata etiam jam legitimè confessa & remissa sunt: nimirùm iterùm, *quantùm est ex parte gratiæ.* Sensus enim verissimus est: Confero tibi gratiam sanctificantem per se remissivam peccatorum tuorum, si adessent, quia ea denùm clavibus submittis. De hoc, vide latius dicta *cap. 1. Sect. 4. an* 48. *Qualiter peccata semel legitimè confessa, sint materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ.* 4. Adhuc vera est forma: *Absolvo te à peccatis tuis*: quandò ficè confitentis peccata nullô modô remittuntur, neque gratia confertur: nimirum: *quantùm est ex parte Sacramenti, vel Ministri*: Sensus enim sic restrictus est (ex natura rei vel saltem ex intentione Sacerdotis, quandóque fictionem agnoscentis, de quo alibi) *Ego te absolvo à peccatis*: confero tibi totum, quod est collativum gratiæ, & remissivum peccatorum, ita, ut ex parte Sacramenti & Ministri nihil desit, quò minus Sacramentum valeat & peccata tua remittantur, nisi fortè ex parte tua: & tunc, si reipsâ non absolvaris, *perditio tua ex te.* Quemadmodùm enim donans verè dicit: dono tibi hunc librum v.g. quia, quantùm est ex parte sua, & ipsius actûs sui verè transfert illam rem in alium: etsi aliter per suam non acceptationem ponat obicem translationi, maneatque expers dominij & juris possidendi & utendi eo libro: Sic intellige in proposito: & vide dicenda cap. 6. *Sect. 3 q. 3. Quomodo Confessarius teneatur absolvere dispositum, & non alium.* 605

IV. Effectus ergo huius formæ & Sacramenti Pœnitentiæ (sicut & contritionis perfectæ, &c.) Primarius & directè significatus est: 1. Infusio gratiæ sanctificantis. 2. Remissio peccatorum perfecta, sic, ut nunquam redeant. 3. Secundarius autem effectus, & quasi indirectè significatus, est remissio pœnæ, & commutatio pœnæ æternæ in temporalem, & pœnæ temporalis majoris in minorem, &c. 4. Revivisentia omnium meritorum per peccatum mortale mortificatorum: de quibus omnibus ex professo satis dixi cap. 2. q. IV. per totam. Relege, si placet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QUÆSTIO II.

Qualiter proferenda est Forma Absolutionis?

SUMMARIUM.

607. *Forma absolutionis necessariò debet esse vocalis.*
609. *Invalida est absolutio data absenti.*
610. *Quæ censeatur esse præsentia moralis & sufficiens?*
612. *Quid agendum Confessario, qui absolutionis oblitus eius primùm recordatur, dum Pœnitens recedit, vel jam recessit?* usque ad n. 618.
619. *Absolutio regulariter danda est absolutè.*
620. *Invalida est data sub conditione de futuro.*
621. *Sub conditione autem de præsenti, vel præterito valet?*
622. *Et ex causa rationabili quandoque sic dari debet.*

606 FOrma *absolutionis necessariò debet esse vocalis, seu ore prolata; atque ad Pœnitentem præsentem, saltem moraliter directa: atque absoluta, independenter a conditione suspensiva in futurum.*

§. I.

Necessariò debet esse vocalis. &c.

607 NImirùm absolutio Sacramentalis essentialiter in verbis ore prolatis consistit, adeò, ut nec valida, nec licita sit absolutio scripto, vel nutibus data. Communissima DD cum D. *Thoma*, *Scoto*, alijs. (contra paucos aliter opinantes.) Ratio est: quia hanc formam ita esse institutam a Christo, ut voce tantùm proferatur, constare videtur ex traditione Apostolica, ac perpetua consuetudine & usu Ecclesiæ, quæ nunquam legitur absolutionem in scripto, vel nutu datam admisisse ut validam, minùs permisisse ut licitam. Certè absolutionem verbalem tantùm clarè exprimunt Concilia generalia. Nam Trident. *Sess.* 14. *cap.* 3. expresè dicit, formam hujus Sacramenti consistere in ijs Ministri *VERBIS*: *Ego te absolvo*, &c. Et Florentinum *in Decreto Unionis* agens de forma hujus Sacramenti, ait: *ESSE VERBA ABSOLUTIONIS*, quæ *PROFERUNTUR* à Sacerdote, dum DICIT: *Ego te absolvo.* Nihil refert, quòd confessio in necessitate possit fieri in scripto, quia habet se tantùm ex parte materiæ, in qua non requiritur tam expressa significatio, sicut in forma.

608 ¶ Contrarium tamen, & absolutionem etiam in scripto datam valere, docuerunt *Medina*, & *Petrus Sotus*, apud Layman *cit.* sed meritò reprobante. n. Interim tamen, quia res non est omninò definita de fide, in extrema moribundi necessitate, si tu solus, & mutus Sacerdos scribere potens adesses, nónne absolutionem scripto dares sub conditione, *si valeat*? credo, quòd sic. Sane recens Author, Joannes Pontius noster (quem ad manum non habeo) apud Dianam *p.* 11. *Tract.* 6. *resolut.* 14. opinatur, si homini animam agenti nequeat adesse, nisi Sacerdos mutus, hunc posse, imò teneri absolvere aut nutibus, aut scriptis in charta verbis. Ego interea, meum judicium suspendo: in casu mihi contingente facturus, quod DEUS inspirârit.

§. II.

Ad præsentem Pœnitentem directa.

609 INvalida & illicita est absolutio data absenti, sive is 1. Absens confiteatur, & simul absolvatur absens, puta per litteras, vel per nuntium, sive 2. præsens confiteatur, & absolvatur absens, (hæc duo extra controversiam:) sive 3. absens confiteatur, & absolvatur præsens præcisè ratione confessionis in absentia factæ. Ita communis DD. cum Scoto in 4. d. 17. & cum isto addito, puto negari à nemine. Omnia constant ex Decreto Clementis VIII. Anno 1602. quo in Congregatione Sanctæ & Generalis Inquisitionis damnavit, & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrendâ, ac summo Pontifici reservatâ, omninò doceri & in praxin redigi prohibuit, saltem ut falsam, temerariam, & scandalosam hanc propositionem: *Licere absenti Sacerdoti per litteras, vel per nuntium peccata sacramentaliter confiteri: & ab eodem absente absolutionem accipere.* Atqui ad falsitatem huius propositionis hypotheticæ copulativæ requiritur, ut utraque pars sit falsa: *& licere absenti confiteri*: sive deinde absens sive præsens absolvatur: *& licere absentem absolvi*: sive deinde præsens, sive absens confiteatur. En habes omnes tres partes. Et quamvis ista propositio damnata duas partes habens, quantùm est ex vi verborum posset intelligi in sensu conjuncto seu copulato, quasi Pontifex tantùm damnet hæc duo simul, quòd quis possit simul & confiteri absenti, & absens absolvi ab absente: attamen debere etiam intelligi in sensu disjuncto, sic, ut Pontifex etiam disjunctivè utrumque damnet, & posse confessionem fieri ab absente, & posse absolvi ab absente, constat ex ipso intento Pontificis. Nam alioquin, qui separatim solùm diceret, confessionem posse fieri absenti, non fuisset damnatus à Pontifice Clemente: atqui ipse hanc propositionem vel maximè voluit damnare, de hac enim maximè eius ætate fuit disputatum contra aliquos, (*Paludanum*, *Petrum Sotum*, *Joan. Medinam* apud Layman, *n.* 9.) ita asserentes, ex eo, quòd aliàs etiam in judicijs rectè feratur sententia in reum absentem, si præsens fieri non possit: absolutio autem se habeat per modum sententiæ judicialis: ergo, &c. Addit Lugo *d.* 17. *n.* 64. S. Congregationem Officij declarâsse, non subsistere interpretationem illam, dicitur confessionem posse fieri absenti, dummodò absolutio detur præsenti. Ratio est: quia ex una parte absolutio de rigore formæ, vi particulæ demonstrativæ *Te*, tam necessariò exigit præsentiam confessi absolvendi, ac in consecratione particulæ, *Hoc* & *hic*, exigunt præsentiam materiæ consecrandæ: ex altera autem parte eadem absolutio secundùm sensum & praxin Ecclesiæ haud dubiè ex institutione Christi profectam, necessariò refertur ad reum formaliter in

interiori conscientiæ foro præsentem, ac se sistentem actuali accusatione ac confessione sua: secùs est, & nihil tale statutum in judicijs externis. Dixi tamen notantissimè: *Præcisè ratione confessionis in absentia factæ.* Quòd si enim Pœnitens per litteras, vel internuntium peccata sua absens confessus fuisset, modò autem præsens verbis vel signis sufficientiùs confessionem suam ratificet, significans nimirùm hæc esse sua peccata, se de his dolere, se accusare, & absolutionem petere, utique validè, & in necessitate festinandi, maximè mortis imminente periculo, &c. etiam licitè absolvi poterit à Sacerdote præsente: at non ratione illius confessionis in absentia factæ; sed ratione ratihabitionis, & veræ novæ præsentis confessionis virtualis: ad eundem omninò modum, quo quis chartam, in qua peccata sua anteà absens domi scripsit, nunc Sacerdoti legendam traderet, significans se ea cum dolore confiteri, ac super iis absolvi velle: quod ob causam singularem validè & licitè fieri posse, jam suprà *cap.* 3. *sess.* 2. dictum est. Neque hoc casu obstat Decretum Clementis VIII. quod solum loquitur de eo, qui merè absens, & nullo modo præsens confessus est, præcisè ratione confessionis in absentia factæ, ita ut absolutio cadere deberet super ipsam confessionem absentem, quà talem.

§. III.

Ad saltem moraliter præsentem &c.

610 SIne dubio enim necessaria non est præsentia omnimoda physica, ut nimirùm Pœnitens absolvendus proximè adgeniculetur, vel assistat absolventi; sed sufficit aliqua moralis præsentia: At quænam illa? Placet regula tradita à Thoma Tamburino *l.* 3. *de Sacramentis c.* 2. *n.* 11. Præsentia moralis requisita ac sufficiens Pœnitentis ad absolutionem sacramentalem, est illa, intra quam solent communi voce, etiam altiori homines cum hominibus loqui, quali nimirùm solet uti judex forensis pronuntians sententiam in Curia contra aliquem reum. Talis enim meritò censetur præsentia propria in hoc Sacramento instituto per modum judicij. Molfessus, Leander, alij apud eundem Tamburinum, etsi non omninò acquiescentem, determinant intra viginti passus: & mihi placet, si adhuc videatur, vel aliquo sensu percipiatur. Bonacina, Leander, alij absolutè censent, satis esse, si Sacerdos adhuc videat Pœnitentem, aut aliquo sensu percipiat. Hoc tamen generaliter nimis laxe dictum meritò improbat idem Tamburinus *ibidem.* Nunquid enim, si tuus Pœnitens post confessionem in maximo templo, abeat ad extremam partem longissimè distantem, sic tamen, ut adhuc videre possis, validè illum absolves? Etsi enim hæc præsentia in templo sufficeret ad audiendam Missam, in qua solùm requiritur assistentia moralis: at certè præsentia moralis non erit pro absolutione, quæ majorem propinquitatem requirit, talem scilicet, ut dictum, quæ requiritur in Judice reum præsentem absolvente, vel condemnante, adeóque humano modo cum illo colloquente.

Atque ex his collige, quid sentias de illo, qui 611
in conferentia casuum retulit, se pœnitentem fœminam anteà confessam, interim aliquâ facultate petitâ, absolvisse ex Choro, flectentem ad summum Altare, idque approbante postea aliquo Reverendissimo Pro Episcopo. Si enim major erat distantia, quàm intra quam soleant homines etiam altiore voce loqui; v. g. longè ultra 20. passus; mihi prorsùs dubius, si non certò nullus est valor illius absolutionis. Item collige, quid censere de eas in communi quæstione: an Sacerdos lethaliter vulneratum, vel aliàs moribundum in platea jacentem possit absolvere ex fenestra, ob periculum, ne interim, dum descendat, ille moriatur. Poterit enim sine dubio, si fenestra parùm distet, eâ scilicet distantiâ, quâ aliàs cum hominibus communi vel altiori voce etiam loqueretur. Unde si paulò longius distet, eò altiori voce loquens absolvat, & sub conditione mente conceptâ: & animo postea, si supervivat, servatis servandis, absolvendi directe: Item collige, quid sentias de illo, qui moribundum confessum, interlocutionibus alijs distractus, oblitus est absolvere, & abiens jam in platea recordatus, cùm jam ab ædibus distaret 20. circiter passus se obvertit versus illam domum, pronuntiavit formulam absolutionis super infirmum directam. Certè non valuit absolutio, quippe directa ad eum, qui non fuit ullo modo moraliter præsens: sicut non valeret, si subitò vocatus ad moribundum jam in extremis constitutum, jam proximus ipsius ædibus, vel intra domûs januam pronunties formam, metuens, ne priùs moriatur, quàm ad ipsum pertingas. Leander cum Tamburino &c. Tandem collige, quid agendum Confessario in frequentissimo casu sequenti, quem seorsim explico.

§. *Casus non rarus explicatus.*

COntingit non rarò, ut Confessarius, audità 612
confessione, nimiùm distractus aut occupatus circa instructionem vel admonitionem Pœnitentis, oblivisc atur absolutionis, recordetur autem primùm, cùm jam recedit, vel recessit Pœnitens. Quid tunc aget?

I. Si quidem ita longè recessit, ut planè sit 613
extra conspectum & sensum Confessarij, ut omnino physicè & moraliter absens censeatur, non poterit amplius è confessionali absolvi: propter decretum & rationem datam N. II. quid ulteriùs agendum, dicam inferiùs *n.* 4.

II. Si verò Pœnitens adhuc sit verè moraliter 614
præsens juxta dicta N. III. utpotè intra non multos passus intra conspectum vel sensum aliquem Confessarij, & incommodum sit, illum revocare vel adire; omninò poterit & valide & licitè absolvi: juxta communem DD. non enim sic absolvitur, ut absens, sed ut præsens moraliter & corpore & animo; nam habet jus ad absolu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

solutionem, quam credit, se jam accepisse, etsi de ea accipienda amplius non cogitet, & censetur tamdiu servare intentionem virtualem vel interpretativam accipiendi absolutionem, usque dum eam recipiat: quòd si enim sciret Pœnitens, se non esse absolutum, utique rediret & absolutionem peteret: neque voluntas prior revocata est, sed tantùm cessavit ob falsam existimationem se jam esse absolutum: neque verum est illum, qui putat se esse absolutum, amittere desiderium absolutionis: quis enim credat amitti ab illo, qui putaret, essentiam absolutionis consistere in illis verbis: Misereatur &c. Indulgentiam &c. Ego te absolvo ab omni vinculo excommunicationis? &c. Ita contra *Suarez, Vasquez, Filliucium*, alios cum *Coninck*, aliis Lugo *hic d. 22. sect. 3. n. 52.* Gobat *n. 289.*

615 III. Quòd si tamen Pœnitens eo casu posset commodè revocari ad confessionale, omnium consensu consultissimum erit revocare, ac debere revocari, rectè docent Reginaldus in praxi *l. 8. num. 32.* aliique *citati*. Gobat *ibidem n. 288.* sic habet: Ego sine scrupulo absolverem illum, qui est adhuc inter cancellos confessionalis, nec arbitrarer esse necessariò jubendum iterum flectere, tametsi tutiora secutus, aliquoties jusserim. At jam distantem decem vel viginti passibus, revocarem à me, si sine notabili incommodo fieri possit, uti potest, quando vix quisquam præter Pœnitentem exiit in templo, & mihi non esset perspectum, esse innocente animam. Et si illum videre nequirem, attamen prudenter credens esse adhuc in templo non procul à me, sequerer in his circumstantiis doctrinam Bonacinæ viri sanè prudentis, etenim necesse nullo modo est oculis usurpare illum, cui peccata dimittis. Hæc Gobat, sanè practicè & prudenter. Docet autem Bonacina *hic d. 6. q 7. propositione 6.* absolutè posse absolvi, qui nondùm recessit à conspectu Confessarii, *sen quando non est ita remotus, ut non dubitet Confessarius de ejus præsentia*: utpotè certò sciens esse adhuc intra paucos passus, v. g. eluctantem inter confertam & comprimentem turbam volentium confiteri. Quare multominùs scrupulus habendus Confessario, quando more solito absolvit, sed interim Pœnitens (uti sæpè solent rustici ac pueri) statim, auditâ & acceptâ pœnitentiâ, erupit ex confessionali: non enim tantillo tempore potuit excedere præsentiam moralem.

616 IV. Quando tandem tuus Pœnitens omninò excessit præsentiam moralem, aut tu oblitus absolutionis recordaris, primò post aliquot horas, sitque tibi tuus Pœnitens tunc iterùm præsens, tutissimè ages, si candidè fassus tuam oblivionem, dicas te jàm velle illi impertiri absolutionem, si velit, absolutè tamen non est necesse eum sic monere; sed simpliciter potes absolvere, quippè virtualiter adhuc retinentem voluntatem percipiendi absolutionem sibi debitam, ut paulò ante ostensum est. Coninck, Lugo, Gobat *ll. cc.* Quare rectè fecit Sacerdos quidam oblitus absolutionem dare Pœnitenti, ob ejus extraordinaria quæsita, postea intra Sacrum, eundem communicaturus, opportunè, recordatus, dum porrigit hostiam dixit prius: *Ego te absolvo à peccatis tuis, &c.* & mox *Corpus Domini*. Idipsum per se loquendo, posset fieri post quatuor vel sex dies, si tunc rursùs incideres in talem Pœnitentem, nisi fortè rationabiliter timeres, ne is interim incidisset in aliquod peccatum mortale. Tunc enim deberes monere non solùm de oblita prius absolutione, sed etiam de novo dolore eliciendo, & confessione facienda, per se loquendo, si nullum ex ea monitione incommodum timeas. Verùm, quia plerumque talis monitio accidit pergravis hujusmodi hominibus, non sine offensa, periculo scandali, aut saltem malè sentiendi & loquendi de tali Confessario; ideò plerumque omissâ tali admonitione, res tota DEO commendanda erit. Certè eam monitionem omittendam esse, quando timetur scandalum, aut grave detrimentum proprium vel alterius, cum Suarez, Valquez, & communi tellatur Lugo *cit. n. 57.* aut gravis offensio Pœnitentis. Coninck, Bonacinas *citati* alij.

617 §. Denique sermo tantùm fuit de absolutione à peccatis. Nam quando oblitus es absolvere ab excommunicatione, aliâve censurâ, illum, quem poteras & debebas absolvere, absolvas etiam procul distantem, vel omninò absentem, quia absolutio à censura non exigit præsentiam absolvendi: ac proinde, si nequibas tunc absolvere, postea petitâ & acceptâ potestate à Superiore, absolves absentem. Ex communi Suarez *d. 32. sect. 6.* Lugo *d. 22. sect. 3. n. 51.* alij.

§. IV.

Atque absoluta, independenter à conditione suspensiva in futurum.

618 REgulariter *absolutio danda est absolutè: invalida est data sub conditione de futuro: sub conditione autem de præsenti vel præterito valet, & ex causa licet, ac quandóque expedit, imò & necessaria est.* Communissima, ut patebit.

619 I. *Regulariter danda est absolutè.* Omnes. Ratio est: aut enim judicium Confessarij de dispositione Pœnitentis certum est, aut probabile, aut dubium: si certum, aut probabile, sine dubio absolutè danda est absolutio: si dubium, judicandum erit in favorem rei, & adhuc absolutè danda absolutio. Quia in dubio melior est conditio possidentis. Et in dubiis tutior est pars eligenda: Pœnitens autem, factâ confessione acquirit & possidet jus ad absolutionem (quo in dubio spoliandus non est) quamdiu non constat esse indispositum. Et tutiùs est ipsum absolvi, quàm non absolvi: ergo in eiusdem favorem se resolvere & judicare debet Judex Sacramentalis, reúmque absolvere, sicut alius Judex in judicio externo. Quòd si Confessarius se non resolvens dubius maneat de dispositione Pœnitentis, & licita absolutione, eo statu utique non poterit licitè absolvere absolutè, sed ex defectu sui, non Pœnitentis.

620 II. *Invalida est absolutio data sub conditione de futuro* v. g. Absolvo te, *si restitues, si talem occasionem peccandi dimittes: si concubinam intra tot dies dimiseris &c.* Omnes. Ratio est: quia ad hoc, ut absolutio valeat, debent omnia requisita adesse in instanti ultimo saltem prolationis verborum (Sacramenta enim per modum causarum naturalium statim causant totum effectum, quem possunt, neque ullò modò est in potestate Sacerdotis suspendere effectus Sacramenti in futurum), at conditio de futuro nondùm existit in prolatione verborum, quando Sacramentum deberet causare suum effectum: ut supponitur: ergo tunc Sacramentum nullum est, & manebit nullum in æternum. vide de hoc generatim dicta in prima parte *c. 2. à n. 128.*

621 III. *Sub conditione autem de præsenti vel præterito valet*; v. g. absolvo te: *si vere doles: si vis restituere, offensam dimittere, occasionem vitare &c.* aut: *si jam restituisti, inimico reconciliatus es, si concubinam tandem ejecisti &c.* Omnes. Ratio est: quia absolutio data sub conditione de præsenti vel præterito, conditione subsistente, transit in absolutam, eámque infert hoc modo v.g. (absolvo te, si verè doles: sed verè doles: ergo verè te absolvo) atqui absolutio data absolutè Pœnitenti dispositio sine dubio valet, atque ordinariè necessaria est: ergo &c.

622 IV. *Et ex causa licet, & quandoque expedit, imò & necessaria est.* Per accidens ergo, & ex rationabili causa tantùm licitè datur absolutio sub conditione de præsenti, vel præterito: pro quo REGULA communis est: Absolutio sub conditione impendi licitè potest & debet, quotiescunque, si omninò non daretur, damnum immineret animæ; & si absolutè daretur, nullitas & irreverentia Sacramenti timeretur: utpotè quando Confessarius ex parte sua prudenter dubitat: 1. an Pœnitens sit rectè dispositus quoad dolorem, propositum &c. juxta dicta suo loco. 2. An habeat materiam sufficientem in pueris rudibus, utpote an talis sit præditus sufficienti usu rationis, an verè peccaverit, nec ne? item quando Pœnitens adfert sola dubia peccata in materia mortali, nec ullum certum explicare potest: quæ omnia patent ex anteà dictis. 3. An Pœnitens adhuc vivat, vel jam exspiraverit? 4. Quando ipse Confessarius dubitat, an hunc Pœnitentem absolverit nec ne, de quo mox *q. seq.* item an habeat jurisdictionem in hunc Pœnitentem, vel in ejus peccata: de quo *cap. seq.* ubi de jurisdictione dubia. Ratio est: quia cùm Sacramentum sit institutum ad bonum & salutem animæ, debet applicari omni possibili modo, quo potest sine irreverentia Sacramenti: at in ejusmodi casibus sub conditione applicatum omninò potest proficere ad bonum ac salutem animæ, & sic non exponitur irreverentiæ, quia conditio oppositа periculum nullitatis excludit: ergo &c. Ubi valde notandum, absolutionem licitè dari posse, & debere sub conditione, non ratione dubii præcisè, cùm illud plerumque possit & debeat resolvi in favorem Pœnitentis, ut supra *N. I.* dictum; sed ratione perplexitatis de peccato ex utraque parte. Ex una scilicet parte timet Sacerdos periculum nullitatis Sacramenti: ex altera verò parte timet periculum salutis animæ Pœnitentis: utrumque evitat absolutionem dando sub conditione. Cæterùm quamvis consultum sit, ut in ejusmodi casibus verbis exprimatur conditio. *Si es dispositus, si es capax: si adhuc vivis, si non es absolutus: si possum, &c.* aut universaliter, in quantùm possum, & tu indiges: attamen in rigore sufficere, si mente retineatur & concipiatur, docent DD. communiter cum Diana *p. 10. tract. 11. resol. 55.* addit Gobat *n 272.* Cùm quilibet Confessarius incipiat excipere confessiones cum intentione saltem virtuali & implicita faciendi id, quod facit Ecclesia, seu quod Christus instituit: Ecclesia autem vult, & Christus statuit, ut in talibus casibus fiat absolutio sub conditione: ideò in talibus casibus sub conditione implicita aut virtuali absolvit quilibet non sceleratissimus Confessarius, etsi nec mente expressè cogit & de conditione, quia omnis probus habet intentionem satisfaciendi intentioni Christi & Ecclesiæ. Sic ille. Quæ doctrina, sicut post factum, Sacerdoti scrupulum eximere potest; ita in facto & praxi consulendam non censeo.

QUÆSTIO III.

Quando Absolutio danda? quando repetenda? (*specialiter respectu excommunicati, & moribundi*)

623. *Absolutio quando danda?* usque ad n. 627.
627. *Quando repetenda?* usque ad n. 632.
632. *Mortaliter peccat absolvens excommunicatum à peccatis, non præmissâ absolutione à censura.*
633. *Valet tamen talis absolutio utrinque bonâ fide facta.*
634. *Et talis Pœnitens etiam absolutus manet ab ipsa excommunicatione, si Confessarius fuerit potens ab ea absolvere.*
636. *Validè & licitè absolvitur moribundus loquelâ & sensibus destitutus, si det signa doloris & confessionis.*
637. *Ad absolutionem petendam directa.*
639. *Etiam quando ea dedit Sacerdote adhuc absente, coram aliis, etiam uno postea restante.*
640. *Et quidem absolutè, si signa doloris sunt vel fuerunt certa, vel probabilia: sub conditione verò, si dubia.*
641. *Quando signa censeantur, certa, probabilia, vel dubia?*
642. *Confessarius non tantùm potest, sed etiam tenetur talem absolvere.*
644. *An, quando, & qualiter absolvi possit moribundus, qui nullum dat, vel dedit signum doloris, aut confessionis?* usque ad n. 649.

§. I.

Quando Absolutio danda?

623 REgulariter danda est absolutio statim, confessione, & iis, quæ ad ipsam ordinantur, ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

expeditis Omnes. Est enim absolutio totius judicii Sacramentalis complementum ultimum; unde perfectis seu expeditis omnibus, quæ ad hoc judicium spectant, statim danda est Sententia absolutionis: adeò ut

624 II. Ante confessionem absolutam, & ad eam requisita, per se loquendo non liceat absolvere, ut per se clarum est; nisi quandoque in casu necessitatis vel periculi apparentis: ut si ægrotus valde debilis timeatur moriturus, parte peccatorum auditâ, & dolore debito concepto, debet Confessarius absolutionem dare, etiam uno vel altero tantùm peccato audito: reliqua postea auditurus, cùm poterit, ac cum onere reliqua, cùm potuerit supervivens, confitendi; ut de confessionis integritate suo loco dictum.

625 III. Post confessionem auditam & reliqua requisita, peccat Sacerdos graviter sine justa causa differens absolutionem, quia jus Pœnitentis non sine aliquo ejus incommodo violat, vel defraudat in re tam gravi. Secùs, si ex justa causa fieret, ut quandoque fit in confessionibus generalibus per plures dies continuandis: vel ut interim præstet Pœnitens id, quod antea sæpiùs admonitus vel jussus, facere vel omittere hactenùs semper neglexit, ut ideo de præsenti sufficienti dispositione meritò dubitetur, v. g. ut occasionem proximam peccandi tollat, ut restituat, satisfaciat, seu reconciliet se cum inimico: ut interim conatum emendandi adhibeat &c. juxta dicta *c. 2. sect. 4. de proposito requisito.*

626 IV. Qualis autem requiratur simultas absolutionis cum confessione, & quanta distantia esse possit inter utramque, ut validè & licitè fiat Sacramentum, satis dictum est *part. 1. c. 1. à n. 81. Quomodo materia & forma Sacramentorum debeant esse simul.*

§. II.

Quando Absolutio repetenda?

627 I. Repetenda est absolutio in eadem confessione, tunc tantùm, quando Pœnitens post primam absolutionem de novo adfert aliquid, quod à principio necessariò confitendum fuisset: Utpotet, Novum peccatum specie diversum. 2. Circumstantiam speciem mutantem. 3. Aut etiam notabiliter aggravantem seu necessario confitendam, juxta dicta suo loco. 4. Aut numerum notabiliter excedentem ejusdem peccati confessi. Ratio est: quia in his casibus materia necessaria absolutionis necdum erat subjecta clavibus, adeóque remanet onus eadem denuò subjicendi Pœnitenti, & consequenter Confessario ab iisdem denuò absolvendi. Exempla primi. Si dicat se oblitum unius fornicationis. Secundi. Si confessus se bis fornicatum, postea recordatus dicat semel esse factum cum Ligata. 3. Si confessus se furatum decem florenos, postea reflectens dicat fuisse 10. ducatos. 4. Si confessus se fornicatum quinquies circiter, postea recordatus dicat factum esse decies &c. &c. Intellige semper de sic priùs confesso bonâ fide. Alias enim toto confessio esset repetenda cum repetitâ absolutione. 628
Jam contrà, & oppositâ ratione.

II. Non est repetenda absolutio, quando Pœnitens post primam absolutionem adfert aliquid a principio non necessariò confitendum: aut in necessario aliquo confesso majorem numerum modicè excedentem super numerum bonâ fide priùs expressum. Exemplum *primi.* Si adfert solùm peccata venialia: aut peccati mortalis confessi circumstantiam merè & non notabiliter aggravantem. Cùm enim hæc non sint materia necessaria, non debet super illis inordinatè repeti absolutio: quod notent Confessarii nimiùm condescentes scrupulosis, qui ad quævis peccatilla post absolutionem datam allata, vel circumstantias leviter aggravantes absolutionem temerè repetunt, non sine irreverentia Sacramenti. Exemplum *secundi.* Si quis confessus se blasphemâsse, v. g. sexies plùs minùs, postea reflexus dicat factam esse septies: quia tam parvus excessus jam moraliter comprehendebatur in priori numero confesso: ideóque jam legitimè & confessus, & absolutus: juxta dicta *cap. 3. de numero peccatorum explicando.*

III. Est repetenda absolutio, saltem sub conditione mente concepta, quoties Confessarius rationabiliter dubitat, an protulerit formam absolutionis: idque sub mortali: si Pœnitens fuit confessus mortalia, vel saltem unicum peccatum mortale: quia in tali dubio Pœnitentem meritò graviter invitum, si nosset, injustè periculo salutis exponeret: secùs si fuisset solùm confessus venialia, & nosses ipsum innocentem esse animam: tunc enim Pœnitens non ita graviter (sicut in priori casu) censetur velle urgere jus suum, quod habet ad absolutionem. Cæterùm, cùm constat te protulisse formam consuetam, ex eo solùm, quòd voluntariè vel involuntariè distractus protuleris, non habes rationabilem causam dubitandi, an reverâ integrè protuleris, quippè cùm integra essentialis forma consistat in duobus verbulis: *absolvo te*: nec consequenter ex hoc habebis causam, multò minùs obligationem repetendi. 629

¶. At si voluntariè distractus proferam formam absolutionis, peccóne mortaliter? Certè sic: si taliter distractus soleas errare in pronuntiatione formæ; at si bene exercitatus longo usu, citra periculum erroris substantialis ita evageris, non audent te noxæ mortalis damnare Tambur. *l. 1. de Sacramentis, c. 2. §. 1. n. 5.* & Gobat *num.* 177. Neque ego te condemno. 630

IV. Et mortale ex genere suo in eadem confessione, super eadem peccata repetere formam absolutionis, etiam sub conditione, nisi adsit rationabile dubium de valore prioris absolutionis, secundùm communem Doctorum, ob rationem datam generatim de repetitione formæ Sacramentorum *parte 1. n. 98.* Quanquam plurimi ex talibus repetitoribus excusentur ab omni, aut certè gravi peccato, ex eo, quòd non apprehendant vanitatem sui scrupuli, dubive inanis, aut in eas compingantur angustias, ut apprehendant peccatum sive repetant, sive non repetant, & quia tunc non habent otium examinandi, an liceat, vel non liceat, rectè sanè eligunt minus malum præ majori; minus enim malum est iterare Sacramentum, quando non esset iterandum, quàm non repetere, quando esset reverâ repetendum. Quare Tambur. *l. 1. Sacram. c. 1. §. 3.* absolutè damnat solùm peccati venialis eum, qui laborans dubio levi meróque scrupulo; an formam substantialem ritè protulerit, repetit sub conditione, ut amoveat à se scrupulum illum. Non enim gravem, sed solùm levem imprudentiæ injuriam irrogat Sacramento, dum repetit ex metu offendendi DEUM, & nocendi proximo. 631

§. III.

Specialiter, quoad Absolutionem excommunicati.

632 I. Confessarius peccat mortaliter excommunicatione innodatum absolvens à peccatis non præmissâ absolutione à censura. Communis DD. cum Suarez *disp. 10. de Censuris.* Ratio clara est; quia in re gravi violat præceptum Ecclesiæ: cùm irretitus hâc censurâ peccet mortaliter suscipiendo quodcunque Sacramentum, adeóque etiam Pœnitentiæ, non præmissâ priùs absolutione à censura. Quòd si tamen excommunicatus animam agens periclitetur de vita: dic solummodò illa verba *absolvo te*: cum expressa intentione tollendi tam censuram, quàm peccata. Tunc enim priùs naturâ tolletur censura, quàm peccata, teste eodem Suarez *ibidem*: vel potiùs dic: *Absolvo te à censuris & peccatis tuis*: Tunc enim, etsi contingeret eum mori, antequam proferas, *à peccatis*, erit tamen certò absolutus ab his, ut ex eodem Suarez & Tamburino *c. 1. §. 3. n. 1. ante finem* annotavi.

¶. Quamquam autem etiam absolutio ab omni censura, etiam *suspensione & interdicto* regulariter absolutioni à peccatis præmittenda sit, non tamen peccabis, saltem graviter, postponendo, cùm hæ duæ censuræ non privent usu passivo Sacramentorum, sicut &, quando per oblivionem non præmisisti absolutionem ab ipsa excommunicatione, si eâ potestate præditus sis, teneris eam subjicere, non tamen repetere absolutionem à peccatis propter rationem mox dicendam.

633 II. Valida tamen est absolutio à peccatis non præmissâ absolutione ab excommunicatione, quoties Pœnitens suæ excommunicationis ignarus, vel oblitus bonâ fide procedit. (Secùs sine dubio est, si excommunicationem sibi cognitam celaret, & sic malâ fide absolutionem à peccatis extorqueret: tunc enim ob defectum dispositionis & ipsa confessio invalida & repetenda esset) cum onere tamen postea petendi absolutionem à censura, cùm ei innotescet. Ita contra multos Canonistas & Casistas, *Navarrius, Toletus, Suarez, Layman citt.* aliisque relatus Lugo *disp. 16. sect. 5.* Diana *p. 2. tract. 4. resol 78.* Tamburinus *opusc. Expedit. Confess. l. 2. c. 10. §. 3.* Ratio est: quia durissimum videtur Pœnitentem excommunicationis suæ inculpatè oblitum vel ignarum obligare & ita constringere, ut non possit unquam justificari in Sacramento, nisi per contritionem perfectam: neque id intendere præsumi potest pia Mater Ecclesia: quippè cujus potestas est *non in destructionem, sed in edificationem* & remedium animarum: ille autem rigor contra hominem non potentem sibi de remedio providere, esset in meram destructionem: cùm enim insçius sit suæ excommunicationis, nunquam quæreret sibi absolutionis remedium: & sic semper incapax maneret recipiendo Sacramentum Pœnitentiæ.

III. Confessarius absolvere potens à censuris, 634
cùm Pœnitentem excommunicationis suæ oblitum vel ignarum absolvit, præmissâ consuetâ formulâ: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis &c. in quantùm possum, & tu indiges*, & postea à peccatis: non tantùm à peccatis, sed etiam ab ipsa excommunicatione liberat: quare postea recordatus suæ censuræ Pœnitens non indiget novâ absolutione. *Coninck*, alii cum Lugo *cit. sect. 15. n. 623.* latè. Tamburin. *supra cit.* Ratio est: quia Confessarius semper habet, (certè habere debet) intentionem absolvendi, quantùm licitè potest, servandique omnes partes officii sui, quas non servaret, si intenderet absolvere à peccatis, & non à censuris, juxta dicta *N. I.* Loquor autem semper de Confessario potestatem habente absolvendi à censuris. Nam si Confessarius eâ potestate careat absolvendi talem excommunicationem oblitam, illam non auferri, nimis certum est: quare quando eam in mentem revocabit Pœnitens, legitimo Superiore, vel alio potestatem habente indigebit.

IV. Quin insuper: si Confessarius probus 635
rectè volens implere suum officium, ac potens absolvere à censuris, absolvat Pœnitentem illis solis verbis: *Absolvo te à peccatis tuis*: nullâ præmissâ formulâ absolutionis à censuris, ut fieri solet in brevibus confessionibus, & in articulo mortis, adhuc Pœnitens excommunicationis suæ ignarus, vel etiam conscius, sed confiteri non potens in mortis articulo, ab ea absolutus manet. *Suarez, Tamburinus*, suprà citati. Ratio est: quia in illo solo: *absolvo te à peccatis tuis*, involvitur absolutio à quocunque vinculo nato ex peccatis, adeóque etiam à censuris, *ut quæst. 1. §. 4.* dictum: cùm ergo probus Confessarius supponatur semper velle rectè & licitè fungi suo officio, supponitur etiam velle ab illo censuræ vinculo absolvere: tutissimè autem agit, si iis verbis expresè intendat absolvere & à censuris, & à peccatis: aut etiam expresè dicat: *Absolvo te à censuris & peccatis tuis &c.* ut jam *N. I.* dixi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. IV.

Specialiter: quid de Absolutione moribundi jam ratione & sensibus destituti?

636 I. VAlidè & licitè absolvitur moribundus loquelâ, sensibus vel ratione destitutus, si signis ostendat dolorem & voluntatem confitendi, ac Sacramentum absolutionis recipiendi: quo nimirùm præcipuè, & ferè unico casu sufficit confessio virtualis, etsi desit formalis. Est jam communis, recepta, & tuta Sententia. Atque ita expressè tam de Baptismi, quàm de Pœnitentiæ Sacramento docent Concilia, Arausicanum *Can.* 11. Carthaginense. 3. *Can.* 34. Carthag. 4. *Can.* 76. Verba relata invenies apud Authores passim, nominatim Layman *cap.* 8. *n.* 4. optimè explicantem, authoresque latè recitantem. Idémque docet Rituale Romanum editum à Paulo V. Tit. de Pœnit. §. *ult.* ubi sic habet. *Quòd si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur (Sacerdos) quoad ejus fieri poterit, peccata confitentis cognoscere: quibus utcunque vel in genere, vel in specie cognitis vel etiam, si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Hæc ibi cautissimè præscripto modo agendi cum talibus ægrotis. Ratio autem sæpiùs tacta est. Quia formalis confessio, seu specifica & particularis expressio peccatorum absolutè non est de necessitate seu valore Sacramenti, sed per se & directè solùm est de necessitate præcepti divini: quod non obligat, nisi quatenùs servari potest: ergo cùm servari non potest, (ut certè non potest casu proposito) sufficiet confessio virtualis, seu qualiscunque etiam generalis confessio peccatorum, ex animi dolore profecta: seu ipsa voluntas dolorosa confitendi, signo externo sufficienter manifestata: qualis certò adest, quando Pœnitens ab ipsomet Sacerdote petit absolutionem, aut coram eo saltem edit, signa contritionis, ac doloris in ordine ad absolutionem directa.

637 §. Quare (nota semel pro semper) non satis est aliquem ante mortis periculum, vel etiam in ipso mortis periculo signum aliquod pietatis vel etiam pœnitentiæ edidisse, nisi talis manifestatio doloris directa fuerit ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu absolutionem sacramentalem à Sacerdote petendam, hoc enim solo respectu manifestatio doloris induit rationem confessionis virtualis, & accusationis sui coram Sacerdote, ac materiæ proximæ Sacramenti, sine qua Sacramentalis absolutio validè ministrari nullo modo potest. Advertunt tamen DD. cum Layman *c.* 8. *num.* 4. Quòd, nisi contrarium constet, signa pœnitentiæ ac doloris ab infirmo in præsenti periculo mortis edita præsumantur directa esse ad Sacramentalem absolutionem: quare etsi moribundus non possit absolvi ex eo, quod anteà sanus, de morte nihil cogitans sæpissimè de more pectus pulsaverit, sublatis in Cœlum oculis dixerit: miserere mei Deus: si tamen talia signa edat jam morti vicinus, præsumi plerumque potest, quòd iis voluntatem confitendi & Sacramentalem absolutionem petendi manifestare voluerit: ideóque saltem sub dubio absolvi poterit, ut dicam infrà *N. III.*

§. Frustrà aliquando dubitatum erat: utrùm 638
Sacerdos, qui sano corpore, nihil de mortis periculo suspicatus, Missam inchoârat, & sub Gloria decantato decidit moriturus, absolvi potuerit à peccatis, ideò solùm, quòd generalem cum Ministris Confessionem coram Deo & Ecclesia fecerit. *Confiteor &c.* Certùm enim non potuisse absolvi, cùm ea nullô modò fuerit confessio Sacramentalis, seu non directa ad accipiendam absolutionem Sacerdotis in foro Pœnitentiæ, ut rectè resolvit Layman *ibidem*, Jam ulteriùs.

II. Absolvendus est ejusmodi ægrotus non 639
solùm, quando signa doloris, & voluntatem confitendi ostendit coram ipso Sacerdote præsente, sed etiam eo adhuc absente, coram aliis (etiam unico) posteà testantibus Sacerdoti saltem jam præsenti apud infirmum. Ita communis DD. cum *Suarez*, *Tannero*, *Layman*, *Lugo citatis*. Neque hìc obstat suprà allegatum Decretum Clementis VIII. damnans confessionem factam Sacerdoti absenti. Nam in hoc nostro casu confessio aliquatenùs fit Sacerdoti præsenti, per alios nimirùm tanquam per interpretes & testes. Ac ipsemet ille Pontifex anno 1613. 16. Aprilis coram Cardinale Bellarmino & Archiepiscopo Armachano declaravit absolutionem hoc casu fore validam: adeóq; decreto suo non esse comprehensam. Atque adde ulterùs absolvendum esse ejusmodi ægrotum, quando dicta signa dedit coram alio, qui postea absens & coram adhuc absente Sacerdote de iis testatur, eúmque advocat. Quamvis enim, propter idem decretum, tunc tutius esset, quòd Sacerdos testem illum ad ægrotum secum reduceret, in sua præsentia denuò testaturus, eo tamen relicto, potest Sacerdos ægrotam absolvere. Ita enim expressè supponunt Concilia suprà citata. Et Rituale Pauli V. diu post Clementem VIII. editum absolutè loquitur: *Si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est*: nihil restringens, *per alios* ægroto præsentes tantùm; nec nos ergo restingamus. Nam moribundi extrema necessitas ac charitas urget nos, ut quantùm possumus, ei consulamus. Quòd autem sæpè dictum Decretum etiam huic casui & sententiæ nihil obstet, latè & solidè ostendunt Coninck *de Sacramentis disp.* 7. *q.* 10. Lugo *disp.* 17. *sect.* 4. *& 5.* contra Thomistas, eíque adhærentem Dianam apud eundem Lugo *citatum*. Ratio autem est: quia quando Pœnitens ille coram alio ostendit voluntatem confitendi, vel signa doloris ad absolutionem directa edidit, jam incepit virtualiter confiteri: atque tamdiu moraliter continuat confessionem, quousque absolvatur: imò quamdiu vivit: ergo reverà, si tu postea præsens præsentem absolvas, dicêris absolvisse confitentem tibi præsenti, licèt ille alius internuntius non adfit: sicut in simili concessimus suprà de eo, qui confessionem scriptam misit Confessario absenti, sed posteà præsenti ratificat.

640 III. Absolvendus est ejusmodi Pœnitens *absolutè*, quando nimirùm signa doloris certa vel probabilia sunt vel fuerunt: sin verò dubia, sub conditione. Ita cum *Vasquez*, *Fillincio* alijs, bene probat Lugo modò *citatus sect.* 3. *& 5.* de utroque nostro casu *num. præced.* posito. Ratio patet ex dictis *quæst. præced.* Quia quando judicium Confessarii de dispositione Pœnitentis, & requisitis ad absolutionem certum vel probabile est, absolutè conferenda est absolutio: at in casu proposito Confessarius operatur ex judicio & assensu moraliter certo, vel saltem probabili, ideóque absolutio: ergo, &c.

641 ¶. Signa autem in proposito casu sufficientia ad absolutionem ægroti, sunt in triplici differentia: *certa*, *probabilia*, *dubia*. 1. Signa certa sunt, quæ ex natura sua ordinantur ad confessionem & Sacramentum, ut si infirmus dicat coram Confessario vel alijs, se velle confiteri, dolere de peccatis, petere veniam peccatorum: &c. Et tunc non est dubium esse sufficiens signum ad absolutionem absolutè dandam 2. Signa probabilia sunt, quæ quidem significant dolorem ac pœnitentiam, sed exhibentur, sine mentione vel clara relatione ad confessionem vel Sacramentum: Ut si infirmus pectus tundat, *Miserere mei Deus; Deus propitius esto mihi peccatori, &c.* Et tunc in infirmo extremâ necessitate conflictante semper præsumi debent etiam referri ad absolutionem & Sacramentum, tanquam medium necessarium ad liberationem à peccatis, & reconciliationem cum Deo: ideóq; adhuc sunt sufficiens signum ad absolutionem, etiam absolutè dandam, (etsi longè tutiùs sub conditione: si sis dispositus) quia in tali casu extremæ necessitatis sufficere debet tacita petitio absolutionis & Sacramenti, qualis hìc à Christiano præsumenda est. 3. Signa dubia tandem sunt, quæ de se sunt indifferentia, & de quibus meritò dubitari potest, an oriantur ex pœnitentia & dolore de peccatis, an verò ex naturali dolore, angustiâ, vehementiâ morbi, mœrore vel metu mortis, &c. Ut si infirmus rogatus, num velit confiteri, solùm lachrymetur, suspiret, oculos attollat, aut manum Sacerdotis vel alterius interrogantis stringat, &c. (Adhuc enim dubium est, an fiat ex vi morbi nervos contrahentis, præsertim in phræneticis, an ex alio capite.) Et tunc sine dubio absolutio dari absolutè non potest, ob periculum nullitatis Sacramenti: attamen probabilissimè adhuc dari potest sub conditione, saltem mente retentâ: *si rectè sis dispositus*: Quia sic absolvere nihil nocere potest; multùm autem nocere posset non absolvere in tanto periculo æternæ damnationis. Sicut enim in Baptismo, quando certa materia (aqua naturalis) haberi nequit, licitum est proferre formam super materia dubia v.g. cerevisia, lixivio, &c. ita sanè etiam in pœnitentiæ Sacramento æquè ad salutem necessario. Ex communi Lugo *l. c.* Tamburinus, *cit. l.* 2. *c.* 10. §. 1. & singulariter noster P. Marchant. Tribunalis *parte* 1. *tract.* 4. *tit.* 4. *q.* 3. *dub.* 7.

IV. Confessarius non tantùm validè & li- 642
citè potest in dictis casibus, sed etiam tenetur absolvere infirmum (respectivè, absolutè, vel sub conditione) ex Charitate quivis; Parochus vel proprius Sacerdos etiam ex Justitia. Ita cum pluribus Vasquez 3. *p. q.* 1. *a.* 1. Lugo *suprà citatus*. Ratio est: quia generali præcepto charitatis quilibet, Superior autem ex justitia obligatur succurrere proximo, vel subdito in extremæ necessitatis periculo constituto, modo sibi possibili & licito: atqui in dictis casibus proximus, plerumque solùm attritus versatur in extremo periculo salutis, & potest ei in hac probabilissima ac tuta Sententia licite succurri: ergo ex charitate quilibet Sacerdos, Parochus autem etiam ex Justitia tenetur eum absolvere, ut impium ac crudele foret eum absolutione defraudare.

¶. Tandem notant hìc Patres & Doctores, 643
casum istum & Sententiam hactenùs propositam, extra mortis periculum non habere locum, ut nimirùm sufficiat talis confessio virtualis seu generalis peccatorum. Non quidem ex eo, quòd absolutio Sacramentalis de se irrita esset, si eam aliquis extra hunc casum peteret, signa pœnitentiæ ac doloris exhibens, attamen nullum peccatum in specie explicare valens; sed quia ex obligatione præcepti propter honorem tanti Sacramenti, ut ejus integritas servetur, nisi speciale aliquod peccatum explicetur, extra dictum extremæ necessitatis casum, neque petenda, neque conferenda est absolutio, tempúsque expectandum, quo convenientiùs ad institutionem hujus Sacramenti confessio institui possit. Sed jam instat quæstio difficilior.

§. *Quid si Infirmus talis nullum dat vel dedit speciale signum doloris ac voluntatis confitendi?*

INfirmus seu moribundus loquelâ, sensibus 644
vel ratione destitutus, qui nullo, nec certo, nec probabili, nec dubio signo ullo modo ostendit dolorem ac voluntatem confitendi, seu Sacramentum suscipiendi, nec validè nec licitè unquam absolvi potest, neque sub conditione. Ita communissima, & in his terminis mihi omnino certissima Sententia DD. Ratio est: quia nullo casu validè vel licitè conferri potest Sacramentum sine aliqua sua parte essentiali: atqui confessio externa formalis vel virtualis saltem, est pars essentialis (certè conditio simpliciter necessaria) Sacramenti pœnitentiæ: in proposito autem casu nulla omninò est confessio externa ne virtualis quidem, cùm nullo omninò signo ostendatur animi dolor & confitendi voluntas, uti expressè supponimus: ergo talis validè & licitè nullo modo absolvi potest: non absolutè,

(certissi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

(certissimum apud omnes) neque sub conditione: quia ut Sacramentum sub conditione licitè conferatur, requiritur, ut saltem sit spes valoris (sic enim in casu necessitatis liceret sub conditione baptizare in cerevisia, minimè in vino: quia in illa, minimè in hoc est spes valoris Sacramenti absolutionis: ergo, &c. Exempli gratiâ. Reperio in via hominem vulneratum vel infirmum animam agentem: nescio, an sit Catholicus vel hæreticus: bene, an malè vixerit: nec ullum prorsus probabile aut dubium signum deprehendo, quo saltem sperare possem fortè profuturam absolutionem: non possum absolvere citra sacrilegium ob rationem datam.

645 II. Quòd si verò Confessario vel ex se, vel aliundè constet talem moribundum Catholicum esse, piè ac Christianè vixisse, nullo alio habito signo de eius dispositione, dolore ac voluntate confitendi, pia est Sententia adhuc sub conditione posse, & ex charitate debere absolvi à Sacerdote. Fundamentum est. Quia ipsa anteacta bona vita Catholici hominis Confessario sensibiliter cognita videtur esse signum sensibile sufficiens præsentis dispositionis: quòd nimirùm de peccatis doleat, ac Sacramento potiri, maximè velit & desideret dummodò posset. Si enim aliàs in vita sua officium Christiani hominis præstitisse constet, utique præsumendum est, etiam præstare velle in fine vitæ & extrema necessitate. Si in vita sua satisfacere voluit præcepto Ecclesiæ annuâ Confessione & Communione, quidni præsumendum sit eum jam multò magis velle satisfacere præcepto Christi, in hac extrema vitæ periodo ac necessitate? Pia hæc Sententia moderno tempore valdè invalescit, præsertim, ut audivi, in Belgio. Eam absolutè docent *Homobonus*, *Molfessius*, *Lotterius*, *Bartholomæus de Sancto Fausto*, aliique apud Dianam *p. 3. tract. 3. resol. 8.* Et mordicus noster Herincx *hic*, Bonagratia Habsensis Capucinus *in Sumula Casuum*, aliique. Et ex parte Marchant. *infrà N. IV.* allegandus. Atque variis argumentis confirmant: imò referunt practicâsse Clementem VIII. qui cuidam ruenti de fabrica S. Petri, absolutionem dederit dicens: *Si es capax, Ego te absolvo à peccatis tuis, &c.* (Quod tamen alij credere nolunt) si & tu practicare velis, per me licet. Etiam ego talem semper absolverem, non tamen ex hoc nudo fundamento, sed alio mox infrà proponendo. Nam

646 III. Hæc pia Sententia in rigore Theologico, si nihil addatur, vel supponatur aliud, mihi nunquam placere potuit, aut vera videri, & etiamnum non potest. Eam enim nullus antiquus Doctor Scholasticus docuit, ac Recentiores communiter rejiciunt, ac modò Patres Societatis omnes etiam prohibiti deinceps docere istam Sententiam, teste P. Gobat *Casu 19. n. 62. Suarez, Vasquez, Coninck*, aliisque relatis Lugo *disp. 17. sect. 3.* Eadem enim hìc urget ratio allata *N. I.* Nam reverà eo casu deest omnis confessio nova externa, quam esse partem essentialem & quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ definit Concilium Tridentinum *sess. 14. Can. 9.* Novum Sacramentum utique requirit novam proximam materiam sensibilem: atqui sola anteacta bona vita, nec est nova materia, ut clarum est, nec novum signum materiæ alicuius præsentis, ne generaliter vel confusè quidem: ergo non potest esse signum sufficiens ad novum Sacramentum absolutionis etiam sub conditione dandam. Plures rationes & authoritates videre potes apud Authores citatos, & singulariter latè & optimè Rdssm. Dominum Abbatem Rassslerum *Tract. de Pœnitentia c. 5. §. 34.*

¶. Dixi tamen notanter: *Si nihil addatur, vel præsupponatur aliud.* Nam singulariter addit P. Gobat *cit. Casu 19. num. 601.* Talem moribundum absolvi posse, etsi modò non det, nec ullus expressè testetur illum dedisse signa doloris ad confessionem directa, dummodò prudenter præsumi possit reipsâ dedisse. Ratio est: quia generatim, saltem in necessitate (præsertim extrema) fas est administrare Sacramentum, quando deficientibus aliis probationibus prudenter præsumitur adesse omnia ad valorem Sacramenti esse[illegible]rer requisita: potest autem præsumi prudenter de quolibet bono Christiano qui prævidet periculum instantis mortis, quòd dederit signum contritionis in ordine ad absolutionem. *Illud namque prudenter præsumitur factum, quod plerumque fieri solet*: juxta Legistas *in legem In obscuris. ff. de Reg. Juris.* Atque hâc ratione non formaliter secundùm se, sed præsumptivè vita benè acta Catholici erit signum sufficiens doloris ad Sacramentum directi, & aliquo signo manifestati, ita ut vita bene acta solùm sit motivum præsumendi eum dolorem esse à moribundo signo aliquo sensibili manifestatum: ipse autem dolor sic sensibiliter manifestatus sit materia proxima absolutionis: & fortè Authores plerique istius piæ Sententiæ, hoc ipsum tantùm volunt. Itaque paulò clarius loquendo, & in re propè coincidendo, dico:

IV. Adhuc talis moribundus Catholicus sub 648
conditione absolvi licitè potest, atque ex charitate debet, non quidem ex eo præcisè fundamento, quòd sola anteacta bona vita sit signum sufficiens præsentis dispositionis, ac confessionem virtualem sensibilem constituat in ordine ad absolutionem: sed quòd talis prudenter & rectissimè præsumatur aut exhibuisse, aut potiùs de facto exhibere fortè, aliqua signa doloris in ordine ad Sacramentum, quamvis ego illa non intelligam: adeóque saltem signa dubia in ipso adverto, juxta dicta *Supra. n. 640.* Ita ex professo noster Marchant. *supra cit. Tribun. p. 1. Tract. 4. tit. 4. quæst. 3. dub. 7.* Cujus formalia, etsi plusquam, in re gravissimi momenti non piguit exscribere. Etsi, námque in tali peccatore ita oppresso nullum signum appareat, quod materiam confessionis faciat mihi sensibiliter præsentem in ordine ad absolutionem, nec mihi proinde, certò constet peccatorem sic

sic obmutescentem de peccatis aut salute cogitare, imò nec appareat eum ratione uti, potest, tamen fieri, ut non solùm intus de peccatis doleat, confiterique desideret, sed etiam aliqua edat signa per se sensibilia, etsi mihi incognita: ut sunt suspiria, gemitus, apertiones oculorum, fixi intuitus, aut alii in corpore motus: qui etsi doloris naturalis aut naturæ patientis sint ordinariè signa, nihilominùs ab ipso peccatore quandóque ordinantur, ut internæ pœnitentiæ nutus. Unde absolvendo eum sub conditione, & muneri & charitati in hac extrema necessitate satisfacio; & conditio omnem irreverentiam & defectum, qui subesse posset, tollit: & in hac anxietate tanta animam Deo commendo intentione communi Ministris Ecclesiæ, quæ nullum ex hâc vita sine arrha suæ pacis exire velle debet, ut ait Augustinus, &c. Hactenus Marchant, qui hoc ipsum propriâ experientiâ confirmat ac commendat: ac rursùs *infra Tract. 6. tit. 7. quæst. 7. concluf. 2.* Eâdem ratione permittit absolvi sub conditione moribundum talem, etsi nescirem, an Catholicus sit vel hæreticus. Quem lege, & si placet, in praxi sequere: at in examine ita hoc ultimum respondeas, cave. Quia ubique certò explodéris. Lege potiùs utilissimè Patrem Gobat *Alphab. Confessar. casu 19. per totum.* de hoc toto casu moribundi optimè differentem præsertim à *n. 612.* variis casibus particularibus elucitantem, Me plura exscribere piguit, quia opusculum hoc inter manus jam nimium amplius excrevit, quàm ab initio volebam & disposueram.

CAPUT VI.

De Confessario ac Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIUNCULÆ PRÆAMBULÆ.

649 I. *Quid est Confessarius?* Est Sacerdos præditus potestate ligandi atque solvendi in foro Sacramentali. Dicitur autem ea potestas ligandi & solvendi *Potestas clavium*, per aptissimam metaphoram; quia sicut clavis referat domum aut cistam, ita illa potestas tradita Sacerdotibus Confessariis referat & aperit Cœlum. Et quia duplex est ista potestas, scilicet *ligandi & solvendi*, Matth. 16. seu aperiendi & claudendi Cœlum, ideò vocatur potestas *clavium*, non potestas *clavis* in singulari. Rursùs, quia ista potestas in Ecclesia exercetur extra & intra confessionem, ideò aliud dicitur forum externum spectans ad Prælatos Ecclesiæ; aliud internum & Sacramentale spectans ad omnem Confessarium. Et jam cape definitionem Confessarij: simúlque disce, quid sit subjicere clavibus aliquid, hoc vel illud dictum vel factum: est enim subjicere potestati ligandi & solvendi apud Judicem sacramentalem, scilicet Confessarium, seu quod idem est: est confiteri illud Sacramentaliter. Quid sit confiteri Sacramentaliter, jam dudùm audisti.

650 II. *Quæ sunt requisita generalia ad Confessarium, ut validè & licitè absolvat?* Tria sunt. *Potestas, Scientia, & Bonitas.* Primo deficiente semper invalida & per se illicita est absolutio, nisi scilicet ignorantia invincibilis à peccato excusaret. Secundo & tertio deficiente, semper illicita, & aliquando etiam invalida est absolutio, prout in particulari latè patebit ex dicendis deinceps.

651 III. *Quotuplex Potestas requiritur in Sacerdote ad validam, & licitam absolutionem?* Duplex: *Ordinis & Jurisdictionis. Potestas Ordinis est*: quam Sacerdos accipit in ordinatione sua per secundam materiam & formam, scilicet impositionem manuum Episcopi, & verba illa: *accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata &c.* dicitúrque potestas in Corpus Christi mysticum, nimirùm ad absolvendum fideles à peccatis suis: & residet in ipso charactere Sacerdotali, de quo vide dicta *parte 2. cap. 1. Potestas Jurisdictionis* est authoritas jus dicendi, seu sententiam ferendi in alium tanquam subditum in foro interno, seu ut loquuntur, Sacramentali. Est enim absolutio à peccatis actus judicialis, qui necessariò requirit subditos, & exerceri non potest, nisi in subditos: de qua mox latius infra.

652 ¶. Nota hìc: alia est quæstio: quotuplex potestas conferatur Sacerdoti in sua ordinatione? Estque etiam duplex: *in Corpus Christi verum, & Corpus Christi mysticum*: De hoc vide *parte 2.*

IV. *Quomodo differunt hæ duæ potestates Ordinis & Jurisdictionis?* Differentia clara est. Nam potestas Ordinis in Corpus Christi mysticum, est quidem vera potestas absolvendi à peccatis, sed radicalis tantum & in actu primo: quam Sacerdos ordinatus nondum potest exercere, nisi ab extrinseco accedat jurisdictio, seu authoritas in alios tanquam subditos, ob rationem modo datam *num. præced.* datúrque ea potestas Ordinis in ipsa ordinatione omni Sacerdoti, neque unquam tolli potest, sed in charactere indelebili residens immobiliter adhæret animæ, etiam separatæ à corpore, ut alibi dictum. Potestas jurisdictionis in subditos confertur per externam concessionem Ecclesiæ per ejus Prælatos, Papam, Episcopos &c. nec datur omnibus Sacerdotibus, & data potest auferri, ac tolli, & defacto sæpe aufertur, vel mutatur: & nisi adsit, invalida est absolutio, ut patebit.

653 ¶. Cæterùm potestas jurisdictionis in Sacerdote supponit approbationem; & in usu suo requirit bonitatem, scientiam, debitúmque officium Confessarii seu ministri. De quibus nimis varia dicenda, ad confusionem vitandam, per Sectiones distinguemus. I. De approbatione Confessarii, & jurisdictione generatim. 2. De casibus reservatis. 3. De bonitate & scientia ministri. 4. De officio & obligatione Confessarii. Demùm *cap. 7.* seorsìm dicam de sigillo Sacramentali, quippe non solùm ministrum Confessa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

fessarium, sed etiam alios concernente. Sit in nomine Domini

SECTIO I.

De Confessarii Approbatione, & Jurisdictione generatim.

QUÆSTIO I.

Quis est Minister Sacramenti Pœnitentiæ validè administrandi?

SUMMARIUM.

655. *Quis Minister Pœnitentiæ quoad valorem?*
659. *Debet habere jurisdictionem, &*
660. *Approbationem ab Episcopo.*
661. *An & quando sine hujus approbatione quis censeatur approbatus?*
665. *An, quos & à quibus absolvere possit non approbatus?*

654 EST *solus Sacerdos jurisdictionem ordinariam vel delegatam in Pœnitentem habens, atque ad id approbatus ab Episcopo expresè vel tacitè, ut validè absolvat sæculares a mortalibus extra articulum mortis.* Est tota certissima. Explico generatim: nam specialis explicatio tradenda est per totum caput.

§. I.

Solus Sacerdos

655 I. VErus est & idoneus Minister Sacramenti Pœnitentiæ. Certum de fide. Ex Scriptura & Conciliis, ac novissimè definitum in Concilio Tridentino *sess.* 14. *Can.* 10. Ratio est: quia sicut soli Sacerdoti legitimè ordinato in sua ordinatione confertur potestas ordinis in Corpus Christi verum & mysticum, per quam remittuntur peccata fidelium: juxta illud Joan. 21. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.* sic etiam illi soli ex institutione Christi ea potestas competit, ut alteri non Sacerdoti competere non possit. Et hinc

656 II. Nullo casu vel dispensatione humanâ hoc Sacramentum validè administratur à non Sacerdote. Illud Jacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*: si intelligatur de Confessione sacramentali, accipiendum est accomodè hoc sensu. Confitemini alterutrum, id est: unus alteri potestatem habenti. Quòd verò ex Augustino (nescitur ubi fortè falsò impositum) refertur *c.* 1. *de Pœnitentia d.* 6. *Tanta vis Confessionis est, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo*: Unde aliqui DD. olim censuerunt: si desit Sacerdos, præsertim in mortis articulo, cuivis alteri, etiam Laico confitendum esse, (idipsum habebatur in prima regula S. P. N. Francisci) id minimè intelligendum est in ordine ab absolutionem sacramentalem, sed solùm ad excitandam contritionem, majorémque sui confusionem seu humiliationem. Quare talis Confessio nullo in præcepto est, sed ad summum in consilio, si spectatis circumstantiis salubriter fieri possit: puta Laico viro prudenti, probo, taciturno, aperire vulnera animæ, vel ad sui confusionem, vel ad consilium vel solatium petendum: alioquin nec licita quidem, cùm per se loquendo fas non sit seipsum infamare. Reginaldus *l.* 11. *c.* 1. *n.* 8. Layman. *c.* 9. *n.* 1. alii.

657 III. Quisquis ergo, sive Laicus sive Clericus non Sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ ministrat (sicut & celebrans) non solùm nihil facit, & gravissimè peccat sacrilegio, verùm etiam gravissimas pœnas incurrit. Imprimis fit suspectus de hæresi, & ut talis puniendus est ab Inquisitoribus, eisdémque à fidelibus denuntiandus. Addit Urbanus VIII. talem, si vigesimum annum ætatis implevit, debere tradi Curiæ sæculari, ut debitis pœnis plectatur. Tandem ipso facto contrahit irregularitatem ex abusu sacri Ordinis, saltem si non Sacerdos sit Clericus: nam de Laico controvertunt DD. utrínque probabiliter, sed negativè mihi probabiliùs.

658 IV. Quòd si tamen non Sacerdos nequaquam se fingat Sacerdotem, nec velit usurpare officium Sacerdotis, sed ut merus Laicus putans, (prout reverà quidam putárunt) posse Laicum vel non Sacerdotem absolvere moribundum à peccatis, talis non incurreret irregularitatem, ut ex Hurtado notat Tamburinus *hic l.* 5. *de Sacram. c.* 4. *n.* 5. idque non solùm propter bonam fidem sic operantis, sed quia ad hanc irregularitatem incurrendam, (sicut & ad alias pœnas) requiritur, quòd non ordinatus exerceat illum actum tanquam ordinatus. Similiter nec incurreret, qui absque omni intentione Sacramenti administrandi, seu sacramentaliter absolvendi, fingens se Sacerdotem, solùm Confessionem alterius audiret, ex curiositate, levitate, vel malitia etiam, quamvis & tunc pœnas arbitrarias meritò non effugeret.

§. II.

Jurisdictionem ordinariam vel delegatam habens in Pœnitentem: remissivè.

659 NOn omnis Sacerdos à peccatis absolvere potest, sed necessariò requiritur etiam Jurisdictio actualis in subditos absolvendos. Absolutio enim est actus judicialis, qui requirit subditos & Jurisdictionem in illos. Certum de fide. Definitum in Concil. Florent. *in Decreto Unionis*: & Trident. *sess.* 14. *c.* 7. ubi decernit: *nullius momenti eam absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam vel delegatam non habet Jurisdictionem.* Idem habetur *c. utriusque sexûs de Pœnitentia & Remiss.* Et sumitur ex facto Christi, *Joann.* 20. Ubi Discipulis suis priùs jurisdictionem contulit, dicens: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: & deinde potestatem solvendi & retinendi peccata. *Accipite Spiritum sanctum &c.* Quare duplex est Minister Sacramenti Pœnitentiæ. *Ordinarius*, ordinariam scilicet habens jurisdictionem, Papa, Episcopus, Parochus: & *Delegatus*, jurisdictionem habens delegatam ex commissione alterius ordinariam habentis, vel privilegio Pontificis, ut Regulares Mendicantes. Verùm de hac Jurisdictione ordinaria & delegata, necessariò seorsìm agendum inferiùs.

§. III.

§. III.

Ad id approbatus ab Episcopo expresè, vel tacite.

660 CONcil. Trident. *sess.* 23. *c.* 15. de hoc ita statuit: *Decernit sacra Synodus, nullum, etiam Regularem posse Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium; aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium esse, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: Privilegiis & consuetudine etiam immemoriali, non obstantibus.* Sic Concilium. Videndum hìc breviter, quos Confessarios concernat hoc Decretum: deindè §. sequenti, respectu Quorum.

661 I. *Nullum &c.* Nemine excepto. Quare nullam veritatis speciem habet, quod docent *Henriquez, Lamas*, alii nonnulli, Doctorem vel Licentiatum in Theologia, aut Jure Canonico, ipso jure approbatum censeri: cùm Concilium tam claris verbis generalibus dicat: *Nullum posse &c.* Ubi lex non distinguit, nec nos distinguère debemus secundùm jura, & fieri possit, ut licèt tali scientia non desit, desit tamen rerum experientia & prudentia ad excipiendas Confessiones, cuius rei examen & judicium Episcopo committitur: quanquam æquitatis ratio postulet, ut tales, qui publicam in Academia approbationem habent, ob quam de eorum scientia magna præsumptio sit, examini novo non subjiciantur, uti cum aliis monet Layman. *cit. num.* 12.

662 II. *Etiam Regularem.* De his specialia dicam seorsìm *infra q. seq.*

663 III. *Nisi Parochiale beneficium habeat.* Qui Parochiam seu beneficium quodvis cui cura animarum annexa est, obtinuerunt, eo ipso ad Confessiones audiendas approbati censentur, ut aliâ approbatione opus non habeant, ac proindè non tantùm in sua Parochia, uti contendit Barbola in Trident. *sess.* 23. *c.* 15. sed etiam in tota Diœcesi de consensu aliorum Parochorum Confessionem audire possunt, imò & extra illam, si eis delegetur Jurisdictio, aut eligantur in Confessarium ab aliquo habente facultatem eligendi sibi Confessarium, quamdiu Parochiam retinet. Quamprimùm autem Parochus esse desiit, desinit quóque eius approbatio, adeò ut neque tempore Jubilæi sine nova approbatione possit absolvere, nisi fortè fuisset priùs approbatus independenter à beneficio Parochiali, uti ex communi docent Barb. *cit.* & Gobat. *Alphab. Confess. n* 45.

664 IV. Insuper Parochi ante Concil. Trident. poterant delegare & facere potestatem audiendi suos Parochianos Sacerdoti cuilibet, etiam non approbato: at nunc post Trident. non amplìùs possunt. Ita contra multos Thomistas, (quos secuti fuerunt Prælati Austriæ) Communis DD. Lugo *disp.* 21. *n.* 6. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 146. Etenim & verba Tridentini exigentia approbationem Episcoporum nimis clara & generalia sunt; & usus communis firmat hanc sententiam: & tandem evincit Decretum S. Inquisitionis sub Alexandro VII. inter propositiones damnatas & hanc prohibens. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Hactenus quoad ipsos Confessarios. Jam respectu Pœnitentium.

§. IV.

Ut validè absolvat Sæculares à mortalibus extra articulum mortis.

665 I. UT *validè absolvat.* Non tantùm illicitè, sed invalidè etiam absolvit, qui non est re ipsâ approbatus. Communissima DD. Suarez *disp.* 28. *sect.* 4. testatur hoc esse certum & indubitatum in Ecclesia propter Decretum Trident. nimis clarè dicens: *nullum posse* nec ad hoc *idoneum reputari &c.* Dico autem *re ipsâ approbatus.* Nam ex communi Diana *p.* 11. *tr.* 4. *resol.* 16. meritò negat esse probabile, valere absolutionem abeo datam, qui falsò putatur approbatus, cùm non sit, aut cuius approbatio revocata fuit, Sanchez *l.* 3. *Matrim. d.* 21 aut si (Sæculari saltem, de Regularibus infrà) petenti approbatio injustè negetur: Lugo *cit. d.* 21. *n.* 50.

666 II. *Sæculares.* Quoad Confessiones autem Regularium Concil. Trident. nihil immutavit: unde sicut jure communi poterant ante Concil. ita & nunc possunt Regulares confiteri cuivis Sacerdoti, etiam non approbato ab Episcopo, quem Prælatus secundùm morem Ordinis ejs constituerit. juxta communissimam DD. cum Navarro *c.* 4. *n.* 7. Suarez *cit. sect.* 4. *n.* 4. Rodriquez *tom.* 1. *QQ. RR. q.* 26. *a* 4. Layman. *n.* 1. Intellige autem, quantum est ex vi Concilii. Nam speciali jure Gregorius XV. & Urbanus VIII. statuerunt, ut omnium Monialium Confessarii ab Ordinariis approbentur. Et extat Declaratio Cardinalium apud Ascanium Tambur. *de Jure Abbatum tom.* 2. *disp.* 6. *quæsito.* 16. confessiones Monialium nullas esse, quas post publicationem & scientiam Bullæ Gregorianæ fecerunt Confessariis non approbatis ab Ordinario seu Episcopo.

667 III. *A mortalibus.* Nam ad absolutionem à venialibus (sicut & à mortalibus jam semel legitimè confessis) non requiri approbationem (quidquid aliqui Scotistæ subtilizent) docet communis DD. & bene probat Lugo *d.* 18. *de Pœnit. sect.* 3. Ratio est: quia odiosa restringenda sunt, non extendenda: & Concilium totâ illâ Sessione loquitur de Confessione mortalium, ut patet maximè *c.* 4. ergò & hìc & nulla omninò est ratio extendendi Decretum etiam ad Confessionem venialium: & denique potestas hæc in ipsa ordinatione confertur Sacerdoti, sive ab ipso Christo, ut vult Vasquez: sive ab Ecclesia, ut alii volunt, de quo aliquid suo loco.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QUÆSTIO II.

Quid & quotuplex est Approbatio? Specialiter de Approbatione Regularium.

SUMMARIUM.

668 *Approbatio quid?*
669 *Est actus diversus à collatione jurisdictionis.*
670. *Et ab ea separabilis.*
671. *Approbatio est duplex: expressa, & tacita.*
672. *Episcopi non possunt Regulari legitimè præsentato, & idoneo approbationem negare citra peccatum injustitiæ.*
674. *Nec eam semel justè concessam revocare, vel approbatum ad examen denuò vocare.*
675. *Nisi subsit justa nova causa.*
676. *Minùs revocare vel suspendere possunt Iurisdictionem Mendicantium semel legitimè approbatorum. sine justa nova causa;*
677. *Sive arctare ad certas personas vel tempora.*
678. *Nec jurisdictio à Pontifice Regulari approbato advenienti limitatur ad solam approbatis Diœcesin.*
679. *Non potest tamen talis Regularis in alia Diœcesi sine ejusdem Episcopi approbatione & licentia audire confessiones.*
680. *Sed debet priùs ei legitimè præsentari à suo superiore.*
681. *An validè absolvat contra vel sine legitimo consensu sui Superioris ab Episcopo approbatus?*
683. *Regularis non potest validè absolvere alios Religiosos, vel Religiosas sui vel alterius Ordinis sine licentia Superioris cuiusvis Ordinis respectivè.*
684. *Nec etiam potest uti jurisdictione Pontificiâ sine licentia sui Superioris.*
685. *An & cui Religiosus extra Monasterium commorans possit confiteri.*

§. I.

Quid & quotuplex?

668 I. *Approbatio est publicum & authenticum judicium de idoneitate & sufficientia Sacerdotis ad audiendas Confessiones factum ab habente potestatem Episcopalem vel quasi Episcopalem.* (Quod ultimum addo, ut etiam comprehendantur Prælati exempti Regularium, qui potestatem quasi Episcopalem habentes examinare & approbare possunt Confessarios pro Regularibus sibi subditis tantùm.) Ratio est: quia sicut soli Episcopi, vel quasi Episcopi conferre possunt Jurisdictionem, sic meritò pro Jurisdictione approbare soli posse debent. Quare etiam Concilium Tridentinum suprà approbationem pro Sæcularibus restrinxit ad solos Episcopos. Et jam advertere potuisti differentiam approbationis à Jurisdictione: Nam

669 II. Approbatio non est ipsa collatio Jurisdictionis, (multòminùs ipsa Jurisdictio) sed sunt actus diversissimi. Nam approbatio est actus intellectûs ac judicij, quo Episcopus vel Superior solùm judicat hunc Sacerdotem esse idoneum & sufficientem ad audiendas confessiones. Collatio autem Jurisdictionis est actus voluntatis & decreti, quo Superior confert, dat, & vult hunc Sacerdotem habere potestatem audiendi confessiones, & absolvendi fideles tanquam sibi subditos in hoc foro. Qui actus patenter sunt diversi ex natura sua, etsi sæpè soleant concurrere. Quos enim judicio authentico approbat Episcopus ad Parochiam vel locum certum, censetur regulariter suam jurisdictionem conferre. Ubi etiam vides, quòd collatio Jurisdictionis necessariò præsupponat approbationem. Nemo enim rectè conferre potest jurisdictionem, nisi ei, quem priùs, naturâ saltem, judicavit idoneum & sufficientem.

670 III. Insuper etiam sunt actus separabiles. Nam approbatio & jurisdictionis collatio diverso tempore, & à diversis fieri potest, & sæpissimè fit. Potest namque Episcopus aliquem quoad idoneitatem approbare, & jurisdictionem ad multum tempus differre, aut ob justam causam omninò denegare. Et Regulares Mendicantes pro Confessionibus Sæcularium approbationem quoad idoneitatem debent accipere ab Episcopis: collatio autem jurisdictionis fit ipsis non ab Episcopis, sed immediatè à summo Pontifice per Privilegium & concessiones diplomatibus per modum legis expressas, quibus summus Pontifex confert jurisdictionem Medicantibus à Superioribus legitimis electis, admissis & præsentatis ad Confessiones audiendas, suppositâ tamen approbatione Episcoporum, tanquam conditione necessariò prærequisitâ ad hoc, ut Mendicantes possint uti jurisdictione sibi à Pontifice in privilegiis concessâ.

671 IV. Duplex est approbatio; *Expressa & tacita.* Approbatio expressa modò definita est, quæ verbo vel scripto datur. Approbatio tacita est, quæ ipso facto aliquo, vel facti conniventiâ conceditur. Sic ipso facto tacitè approbatur is, cui beneficium Parochiale confertur, de quo suprà. Talis quóque tacita approbatio censeri debet, quando Episcopus vel habens potestatem approbandi alicui dicit: Audi istius confessionem, vel audi quosvis tibi confiteri volentes: item quando Episcopus scit hoc, aut illud genus Sacerdotum in sua Diœcesi sine sua expressa licentia excipere confessiones, & tamen dissimulat, cùm posset se opponere, juxta dicenda in simili de jurisdictione tacitè collatâ. Sic quando Episcopi acceptant præsentationes nostrorum Patrum, non petitâ eorum præsentiâ, nec examine indicto, etsi approbatio in scriptis, uti solet, diu posteà sequatur, censentur interim tacitè approbati, ut sine scrupulo confessiones audire valeant. Quinimò Sacerdotes nostri de novo adventantes ad Conventum, etiam ubi pro approbatione se examini sistere debent, si tamen interim opus sit, ipsique alibi approbati sint, confessiones interim audire poterunt sive ex tacito consensu Ordinariorum, sive denique ex privilegio peregrinantium, de quo infrà.

§. II.

Quid specialiter de Approbatione Regularium Mendicantium.

672 I. Episcopi non possunt alicui, & maximè Regulari legitimè præsentato, & per examen idoneo reperto approbationem sine justa causa denegare citra peccatum injustitiæ. Communis

munis DD. cum Coninck *disp. 8. dub. 7.* Layman. *c. 11. n. 3.* Ratio generalis respectu omnium est: quia approbatio hæc non est gratia vel privilegium, quòd ex libera concedentis voluntate dependeat, sed est authoritativa declaratio & testificatio, personam hanc habilem, seu dignam & idoneam esse, cui jurisdictio & potestas ad audiendas confessiones conferatur: atqui tale testimonium Sacerdotibus ad id munus ordinatis, si Scientiâ & Prudentiâ sufficienter instructi comperti sint, de jure debetur: idque singulariter Regularibus Ordinum Mendicantium à Prælatis suis præsentatis, quibus ex Sedis Apostolicæ privilegio competit quorumcunque fidelium confessiones audire: ideóque ex Summi Pontificis voluntate & tacito mandato, si legitimè præsentati idonei reperiantur, eis approbatio specialiter debetur.

673 *J.* Quin insuper, petitâ & injustè denegatâ approbatione, eo ipso censeri admissum & approbatû jurisdictionem obtinere, & confessiones audire posse, certum erat jure veteri Concilij Vienensis *Clementina, Dudum de sepulturis.* Ubi Pontifex concedit Fratribus Prædicatoribus ac Minoribus idoneis & injustè ab Episcopis rejectis licentiam audiendi confessiones. Atque huic Decreto & Concessioni minimè derogâsse Concilium Tridentinum *q. præced. allegatum* approbationem Episcopi requirens, docuerunt varii. Navarrus, Miranda, Rotella, alii, ac latè nostri Rodriquez *QQ. RR. to. 1. q. 29. a. 1.* Chassaing. *in Privil. Regularium tract. 5. c. 2. propos 1.* Variis juribus & argumentis confirmantes: atque probabilem censuerunt etiam nonnulli è Societate JESU, Layman. *sæpè cit. tract. 6. c. 11.* Castro Palaus *hic tract. 23. disp. un.* Contrà tamen Privilegium illud esse clarè revocatum per Trident. docent alii communissimè & maximè de eadem Societate. *Suarez, Vasquez, Conintk, Reginaldus, Filliucius, Card. de Lugo Perez, Amicus, Arriaga, Tamburinus* apud Nicolaum du Boys in singulari tractatu de propositionibus damnatis sub Alexandro VII. ad proposit. 12. sic habentem. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.* Quâ propositione damnatâ Pontifex oppositæ sententiæ probabilitatis fundum pertudit.

674 II. Episcopi approbationem Regularium (imò & aliorum) semel justè concessam non possunt revocare: neque semel legitimè approbatum ad examen revocare sine justâ causa. Communis DD. apud modò citatos. Ratio est: quia approbatio de sufficientia & idoneitate semel legitimè facta, ut supponimus, transit in rem judicatam: adeóque sic semel approbatus jam est in possessione sui juris, quo sine nova justa causa privari justè non potest. Unde *c. accepimus de etat. & qualit. Ordinand.* dicitur: *Semel idoneus reputatus debet pro tali haberi semper, aliâ causâ non interveniente.* Neque aliud vult Decretum Pii V. in Bulla Romani Pontificis. Ubi de Regularibus approbatis ad audiendas confessiones ita disponit: *Volumus tamen vos, qui semel ab Episcopo in civitate & Diœcesi, prævio examine approbati fuerunt, ab eodem Episcopo iterum non examinari. Ab Episcopo autem Successore, pro majori conscientiæ suæ quiete examinari de novo poterunt.* Sic Pontifex sanctus, supponens nimirum rationabilem inquietudinem conscientiæ ex justis causis ortam, & quæ merito movere possint virum gravem, qualis est Episcopus. Ergo non ad libitum, multò minùs ex malevolentia, ait Tamburinus.

675 §. Cæterum ubi subest justa nova causa dubitandi, de idoneitate alicuius Personæ particularis (raro vel nunquam erit de tota Communitate aliqua) non modò Episcopum Successorem, sed etiam illum, qui primò approbavit, approbatum ad examen posse revocare, nimis clarum est. Utpote, si manifesta appareat inidoneitas ex pluribus ejus actibus, & experientia personarum fide dignarum: aut si primi examinatores nimis perfunctorii fuissent in examine, & similibus; aut denique approbandus in primo examine non satis subsistens, ob necessitatem aliquam ad interim admissus, indicto certo termino, ad plenius examen reverti debet.

676 III. Minùs ergo Episcopi possunt revocare vel suspendere ipsam jurisdictionem Regularium Mendicantium semel legitimè approbatorum ad confessiones audiendas, absque simili justâ nova causa, ob quam ad Examen justè revocari possent, cùm ii, suppositâ approbatione & idoneitate, jurisdictionem non ab Episcopis, sed privilegio immediatè à Summo Pontifice habeant. Extat de hoc authentica Declaratio Cardinalium apud Barbosam *De potest. Episcop. allegat. 25. n. 30.* & Ascanium, Tamburinum, *de Jure Abbat. to. 2. disp. 6. quæst. 12.* sic habens. *Illustrissimi Cardinales statuunt Archiepiscopos, Episcopos, ac locorum Ordinarios, ad quos Confessarios approbandi jus spectat, Confessarios Regulares alias ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere posthac minimè licere, nisi ex nova causa, eáque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non servatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum. Statuunt insuper eosdem Archi-Episcopos, Episcopos, ac locorum Ordinarios, confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventûs Regularibus Confessariis, eâdem sacrâ Congregatione inconsultâ, nullo pacto adimere posse. Romæ 20. Novembris 1615.* Ubi notâ particulas, *minimè licere: nullo pacto posse*: importare nullitatem, seu invaliditatem revocationum contra hoc decretum ab Ordinariis attentarum, ut bene probat Lugo *de Pœnit. disp. 21. num. 64.* post alios.

677 *J.* Sed neque posse Episcopos eorum Regularium approbationem aut jurisdictionem arctare ad certas personas vel tempora, expresse declaravit sacra Congregatio Cardinalium die 2. Junii 1587. *His* verbis: *Regulares, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

narijs eorúmque Examinatoribus repertis & probatis fuerint generaliter quóque & indistincte absque limitatione temporis, certorúmve locorum, aut generis personarum admittantur in Diœcesi propria, &c. Sed videmus hoc moderno tempore ab aliquibus Ordinarijs hoc non observari.

678 IV. Jurisdictio à summo Episcopo adveniens Regulari approbato ab uno Episcopo in hac Diœcesi simpliciter non limitatur per onis subditis ejusdem Diœcesis, à cuius Episcopo approbatus est, sed amplior est, potissimùm quoad duo. 1. Nicolaus V. Sixtus IV. Paulus III. apud Rodriq. *tom.* 1. *q.* 61. *a.* 6. concesserunt, quòd Regulares in una Diœcesi degentes, non obstante, quòd ab Episcopo illius Diœcesis solummodò approbati sint, omnes tamen quantumvis extraneos, & aliorum Diœcesium, undecunque ad suas Ecclesias, vel ad se venientes absolvere possint. 2. Gregorius XIII. Patribus Societatis (& consequenter per communicationem Privilegiorum, etiam reliquis Mendicantibus) concessit, ut ij ab uno saltem Episcopo approbati, iter agentes, possint fidelium confessiones audire in locis, in quibus commodus ad Episcopum non patet accessus, seu in quibus non existit Episcopus: ergò approbatio, quam ab Episcopo accipiunt Regulares, & superveniens ex privilegio jurisdictio simpliciter & præcisè ad eandem unam Diœcesin non coarctatur.

¶. Sed hic jam supervenit maximi momenti & valde controversum.

§. III. Dubium Regulare?

Utrùm aliquis Privilegiatus ab uno Episcopo juxta formam Tridentini, accipiat Jurisdictionem pro tota Ecclesia, ad ubique audiendas confessiones, &c.?

679 Affirmativam docuerunt DD. non parvæ Authoritatis, asserentes Regularem ab uno Episcopo juxta formam Tridentini approbatum, hoc ipso accipere jurisdictionem pro tota universali Ecclesia, ut sine alia præsentatione, examine & approbatione nova aliorum Episcoporum, ubique terrarum possint confessiones audire. Sic Henriquez *lib.* 6. *c.* 6. §. 7. asserens idem docere omnes Theologos ex familia Dominicana & Augustiniana. Suarez *hic disp.* 28. *sect.* 7. Joan. Sanchez. *select. disp.* 44. aliique plurimi congesti apud ipsos, Ratio fundamentalis datur. Quia Regularis juxta formam Tridentini approbatus accipit jurisdictionem à summo Pontifice universalis Ecclesiæ Pastore immediatè, & non ab aliquo Episcopo, ut dictum fuit: sed hæc jurisdictio ut est à summo Pontifice, est illimitata quoad personas, atque ad omnes fideles extenditur: neque enim illa jurisdictio à summo Pontifice promanans in privilegijs ullam quoad personas limitationem adjunctam habet: ergo illi ubique, & quorumcunque confessiones audire poterunt. Sententia plausibilis, sed secluso Concilio Tridentino. Et ideo,

Omninò vera, & tenenda est Sententia oppo- 679
sita negativa, nempe Regularem, etsi alibi ab alio Episcopo approbatum, non tamen posse audire confessiones, & absolvere fideles in alia Diœcesi, sine ejusdem Episcopi approbatione, vel licentia (expressa nimirum vel tacita.) Ita communior Doctorum cum Layman *cit. c.* 11. *n.* 8. Lugo *disp.* 21. *n.* 29. Sumitur manifestè ex Concilio Tridentino decernente: nullum Sacerdotem, etiam Regularem posse audire confessiones, nisi ab *Episcopis* approbationem obtineat: audis: *Nullum Sacerdotem*, nisi approbatum ab *Episcopis*? nimirùm claro & planissimo sensu? à quolibet Episcopo in sua Diœcesi. Cur enim plurali numero (*Episcopis*) utatur Concilium, nisi quia plurium Episcoporum approbatione indiget Sacerdos, si in pluribus Episcopatibus seu Diœcesibus ad confessiones audiendas exponendus sit? Ut proinde non valeat expositio contraria, nimirùm ly *ab Episcopis*, sumi non copulativè respectu ejusdem Confessarii, sed copulatè respectu omnium, scilicet: *ut quilibet Sacerdos ab aliquo Episcopo obtineat approbationem.* Huic enim interpretationi repugnat, nostrúmque sensum convincit ratio, quæ movit Concilium ad hanc constitutionem. Quia ad cuiusque Episcopi officium spectat provide e in sua Diœcesi, ut idonei Confessarii exponantur: quâ in re non semper fidem habere potest aliorum Episcoporum judicio, sed sæpè meritò timere, ne vel alij Episcopi minùs idoneos approbent: vel tametsi in alia Diœcesi approbati idonei fuerunt ad confessiones audiendas, non tamen sint in sua, ubi aliæ consuetudines, peccatorum reservationes, aliud hominum ingenium, alia instituta commercia sunt: ait prudenter Layman cit. n. 8. addens: *Quapropter si Episcopus nolit in sua Diœcesi Sacerdotes ad confessiones exponi, nisi eos, qui à se, vel Vicario suo priùs approbentur, credibile est, si aliter exponantur, quamvis alibi approbati, eorum absolutiones irritas esse.* Sic Laymannus: excipiens tamen illud privilegium, quo Regulares aliqui eâ concessione Sedis Apostolicæ, semel approbati ab Episcopo, in aliis Diœcesibus iterùm approbari non debent: item, si Episcopus contentus sit, ut aliunde accedentes Sacerdotes in sua Diœcesi ad audiendas confessiones exponantur, si approbationis a aliquo Episcopo sibi collatæ testimonium exhibeant. Ex dictis jam patet ad fundamentum oppositæ sententiæ, & ampliùs patebit §. *sequenti.*

§. IV.

Qualiter Regulares approbati ab Episcopo acquirunt & exercere possint Jurisdictionem a Pontifice privilegio collatam?

TAmetsi Confessarii Regularium privilegiati & approbati accipiant à Pontifice immediatè jurisdictionem in omnes fideles illimitatam in actu primo, eam tamen in actu secundo completè nec acquirunt, nec exercere licitè & valide possunt, nisi sub modificationibus seu con-

conditionibus in jure vel privilegio expressis, cujusmodi potissimum sunt tres, & quarta ex his consequens. Propono & explico breviter.

680 PRIMA modificatio est: ut Regulares Episcopo cujusl bet Diœcesis antequàm in ea confessiones audiant debitè præsentati, & si voluerit, ejus examini se subjiciant, & approbationem obtineant: ut constet Episcopo cuilibet, an per idoneos Ministros hoc Sacramentum in sua Diœcesi administretur. Hæc conditio sumitur ex jure communi *cit. Clement. Dudum:* & expressiùs ex Tridentino pauló supra allegato, & declarato.

681 SECUNDA modificatio est: ut dicti Regulares Episcopis præsententur authoritate & legitimo consensu suorum Superiorum, uti constat ex eadem *Clement. Dudum.* Quare, si Confessarius Regularis absque mandato vel consensu legitimo Superioris approbatus ab Episcopo confessiones audiat, secundùm omnes illicitè absolvit, absolvendóque peccat: & certò etiam invalidè absolvit, si contra voluntatem Superioris se præsentans approbetur ab Episcopo ad jurisdictionem à Pontifice privilegio concessam: sic enim nihil accipit: quia Pontifex non censetur conferre illam jurisdictionem, nisi præsentato à suo Superiore Regulari, tanquam sub conditione sine qua non. Confertur enim jurisdictio illa in gratiam Religionis & Regulari quatenus Regularis, & obedientiæ ac regimini Superiorum subditus est.

682 ¶ At, Quid si Sacerdos Regularis citra consensum vel contra voluntatem Superioris se præsentans Episcopo, ab eo approbetur, ut jurisdictionem actualem ab ipso Episcopo accipiat in ejus Diœcesanos subditos, eo modo, quo Sacerdotibus sæcularibus conferre solet Episcopus? R. Omninò Episcopus potest ei validè suam Jurisdictionem conferre etiam inscio ac invito suo Superiore Regulari, ipséque Religiosus recipiens jurisdictionem valide absolvit ejusdem Episcopi subditos tantùm, etsi & recipiendo & absolvendo peccet. Ita post alios Layman *c.* 10. *n.* 19. plurésque citans Tamburinus *l.* 5. *Pœnit. c.* 5. §. 2. *n.* 29. Ratio est: quia Episcopus potest conferre suam jurisdictionem in oves suæ Diœcesis, cuilibet idoneo, qui se aliquo modo ei subjicit: certè potest conferre alteri non subdito, v. g. Sacerdoti alterius Diœcesis, inscio vel invito Episcopo alterius illius Diœcesis, cur non etiam Religioso, inscio vel invito suo Superiore? Etsi Religiosus iste peccet contra obedientiam & voluntatem Superiorum ita se subjiciendo Episcopo in tali ministerio. At, quàm graviter peccabit? Layman cit. significat, peccare semper mortaliter, sive invito positivè, sive solùm inscio citra positivam ejus prohibitionem hoc faciat, quia semper in re gravi utitur suâ voluntate independenter à voluntate Superioris. Nimium probaret hæc ratio, ut tutè vides. Rectius ergo Tamburinus *cit. num.* 33. censet, tunc tantum peccare mortaliter ita accipiendo jurisdictionem, & Sæcularium confessiones audiendo, quando ei Superior legitimè per positivam prohibitionem præciperet graviter, ne id faciat, tuncenim solummodò verè faceret contra obedientiem Superiori debitam, alias ad summum peccabit venialiter. Nam ex certa consuetudine saltem, non peccant Religiosi contra obedientiam vel dependentiam à suis Superioribus, nisi hi legitimè suam voluntatem exprimant in contrarium.

TERTIA modificatio est, quòd jurisdictio à 683
summo Pontifice concessa Regularibus ab Episcopo approbatis, exerceri non possit validè in ipsos Regulares tam Religiosos, quàm Moniales, nisi de consensu & licentia Superiorum cujusvis Ordinis respectivè. Sic enim declaravit Clemens VIII. Bulla. *Romani Pontificis data* 1599. 23. *Novembris.* Ubi declarat, in omnibus indultis nunquam fuisse mentem Sedis Apostolicæ ulli Religioso vel Moniali dare licentiam confitendi alicui contra dispositionem suorum Superiorum: *Sed* (inquit) *nostræ intentionis existere, quòd iidem Fratres & Moniales, quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subjecti sint, Apostolicâ Authoritate tenore præsentium perpetuò declaramus.* Quare tam invalidè, quàm illicitè Regulares Privilegiati, prætextu privilegiorum & indultorum generalium absolvendi quoscunque fideles, absolvunt personas Religiosas, viros vel fœminas, contra voluntatem, vel citra omnem expressam, vel tacitam, seu præsumptam suorum Superiorum licentiam. Contrà ergo validè & licitè absolvent 1. Quando Superiores expresè eam licentiam confitendi ac absolvendi concedunt. 2. Quando est consuetudo tolerata in Monasteriis, præsertim Monialium, ut advenientibus Religiosis Fratribus confiteantur. 3. Quando in casu, saltem interpretativè præsumi potest legitimè de consensu & voluntate Superioris: idque maximè, quando Religiosi mittuntur foras, aut de jussu vel licentia Superiorum aliquanto tempore degunt in locis, ubi non sunt Confessarii sui Ordinis, qui à Prælatis suis Jurisdictionem habeant, de quo rursùs aliquid inferiùs. 4. Denique, si expressum aliquod manet privilegium vel indultum tale, ut in Jubilæis. Certè in Jubilæis nostro tempore hactenus promulgatis patenter & communiter, quoad hoc, jurisdictioni huic Regularium derogatum fuit: adeóque potuerunt sibi eligere quemcunque Confessarium Regularem, Sæcularem, Approbatum ab Episcopa loci: ut nullus scilicet à libertate confitendi sua peccata, tempore universalis indulgentiæ, excluderetur. Si ergò deinceps edantur Jubilæa similis tenoris, par potestas concessa erit. Adde tacitum consensum Superiorum, *qui dum Jubilæum suis subditis proponunt, satis ostendunt, eam libertatem se approbare*, ait Tamburinus *cit. cap.* 5. §. 4. *num.* 4.

QUARTA modificatio ex prædictis conse- 684

Universidad de Deusto
Biblioteca

quens est: quòd Confessarii Regulares subditi eâ amplâ jurisdictione, etiam respectu Sæcularium non possint uti, nisi de licentia & deputatione suorum Superiorum, expreisâ vel tacitâ. Nam hanc amplam facultatem Pontifex concedit & delegat ipsi Ordini, ut Prælati Ordinum committere eam possint suis Regularibus Sacerdotibus, quos ad hoc munus idoneos judicaverint: sine quorum proinde expressâ vel tacita licentia, nec licitè, nec validè eâ facultate uteretur Sacerdos Regularis subditus, etiam ab Episcopo jam approbatus. Ex comuni DD. Rodriquez *Q. Q. R. R. tom.* 1. *q.* 60. *a.* 3. aliisque citatis Layman. *c.* 10. *n.* 19. & latè Gobat *num.* 629. Atque hinc fit, quòd Prælati Regulares suis Sacerdotibus subditis jam approbatis & expositis eam jurisdictionem ex causa, etiam non notoria, denuò auferre possint, & à confessionibus audiendis suspendere. Quanquàm si Prælatus alicui Confessario interdicat, ne confessiones audiat, non ideò statim existimandus est ei jurisdictionem auferre velle, ut validè Sacramentum administrare nequeat, sed plerumque solùm exercitium prohibere, ut licitè non possit, nisi ipse contrarium exprimat, vel ex circumstantia seu causa prohibitionis id præsumi debeat: utpote si ob inscitiam vel aliam indignitatem, eum ab officio Confessarii suspendit, vel deposuit. Vide Lugo. Miranda *Man. Pralat. tom.* 1. *quæst.* 45. *c.* 13. Rodriquez *cit. q.* 60. *a.* 2. Layman. *n.* 19. & alios apud istos.

685 §. Ex dictis de approbatione emergit dubium singulare. Quando Religiosi de licentia Superiorum peregrinantur vel commorantur in locis, ubi non sunt Sacerdotes proprii Ordinis, solet eis fieri licentia (saltem tacita in ipsa licentia exteriùs commorandi imbibita) ut tunc confiteantur Sacerdoti alteri, seu Regulari alterius Ordinis, seu Sæculari. Hoc casu, possúntne Regulares in Confessarium sibi eligere Sacerdotem simplicem, nondum ab aliquo Episcopo approbatum? Negat Vasquez cum paucis. At cum multis affirmat Suarez, eúmque secutus Tamburin. *cit. c.* 5. §. 2. *n.* 17. Ratio est: quia ex una parte Concilium Tridentinum in hoc decreto requirens approbationem Episcopi, non comprehendit Confessarios Regularium, seu Religiosorum, sed clarè *sæcularium, etiam Sacerdotum tantùm*: ex alia autem parte à Superiobus isti Religiosi peregrinantes non restringuntur ad Confessarios approbatos ab Episcopo, (alioquin enim sine dubio non possent) ergo neque à nobis restringi debent. Ais: ergo multò magis ego Religiosus extra Conventum degens socio meo Sacerdoti simplici confiteri potero? Omninò potes, si tua licentia diutiùs extra Conventum manendi eam tacitam licentiam extrà confitendi imbibere videatur: quamvis id in nostro Ordine in praxi non auditum testetur L. Portellus *v. Confessarius n.* 14. Alioquin certò non poteris ei confiteri mortalia ad absolutionem directam: bene autem poteris tali confiteri venialia aliqua, ut ab his directè & indirectè à mortalibus absolvaris: ut jam alibi insinuatum, & *sect. seq.* insinuabitur amplius.

QUÆSTIO III.

Quid? & quotuplex est Jurisdictio generatim? *Speciatim.*

Jurisdictio ordinaria quid? quorum? à quo? respectu quorum?

SUMMARIUM.

686. *Jurisdictio ordinaria quid?*
687. *Quibus competat?*
691. *A quo habeatur?*
693. *Quinam ei subjiciantur ratione domicilii, vel quasi domicilii?*
694. *Aut privilegiò status.*
695. *Vel juris dispositione.*

JUrisdictio Confessarii est authoritas, potestas, seu facultas jus dicendi, seu sententiam ferendi in alium tanquam sibi subditum in foro conscientiæ, quod ipsum significatur verbis Christi, & pro definitione servire possunt. *Est potestas ligandi & solvendi in foro conscientiæ sacramentali.* vide dicta initio capitis. Triplex est divisio Jurisdictionis communiter assignata & recepta à DD. 1. *Ordinaria & delegata.* 2. *Certa, probabilis, & dubia.* ad quas revocatur *error communis.* 3. *Universalis, & restricta;* ad universalem commodè revocamus illam generalem jurisdictionem pro articulo mortis. De ordinaria speciatim dicam hâc quæstione. De reliquis seorsim per distinctas quæstiones sequentes.

§. I.

Jurisdictio Ordinaria Quid?

686 JUrisdictio ordinaria dicitur, quæ alicui competit ratione muneris, officii, vel beneficii ad quod assumitur. Unde & dicta *ordinaria*: quia talibus sic assumptis *ordinariè* semper ipso officio vel beneficio collato, censetur conferri. Quapropter etiam hâc jurisdictione semel legitimè collatâ, sine legitima causa vel propria resignatione, nemo privatur: quod sæpe aliter fit in jurisdictione delegata. Neque de hoc hîc plura dicere operæ pretium est.

§. II. *Quorum?*

687 1. TRes sunt Judices ordinarii, habentes nimirùm jurisdictionem ordinariam in hoc tribunali: Papa, Episcopi, Parochi. *Papa* ex vi Electionis suæ in Pontificatum competit jurisdictio in Ecclesiam universalem, tanquàm supremo, ordinario, & universali Pastori, ac Vicario Generali Christi. *Episcopis* ex vi Electionis & Confirmationis suæ competit jurisdictio ordinaria in suas Diœceses & Diœcesanos: eò ipsò enim, quò legitimè electi & confirmati sunt, etsi consecrationem Episcopalem nondum acceperint. Si Sacerdotes sint, per se Sacramentum hoc suis Diœcesanis omnibus administrare, aliósque ad id delegare possunt. *Parochis*, similiter ex vi legitimæ Institutionis suæ competit jurisdictio ordinaria in suos Parochianos. Eò ipsò enim, quò

quò Parochiale beneficium eis confertur, jurisdictionem in foro sacramentali accipiunt.

688 II. Ordinariam etiam jurisdictionem habent, & Ordinarii appellantur, qui prædictorum vices gerunt ex vi muneris, officii vel beneficii sui. Utpote 1. Papalem, Vicarii Generales Papæ, Legati à latere, supremus Pœnitentiarius. 2. Episcopalem, Vicarii Generales Episcoporum, & Pœnitentiarius, ubi Pœnitentiaria est in officium erecta. 3. Parochialem, Vicarii Parochorum, obi Vicariæ sunt officium, vel beneficium seursim institutæ, uti sunt Vicariæ Capitulorum, Monasteriorum &c.

689 III. Quasi talem ordinariam jurisdictionem habent Prælati Ordinum exemptorum Utpotè. 1. Quasi Archi-Episcopalem vel Patriarchalem, Generales totius Ordinis. 2. Quasi Episcopalem, Provinciales respectu totius Provinciæ: Abbates exempti respectu suorum Monasteriorum, Præpositu rarum, Prioratuum, &c. 3. Quasi Parochialem, Guardiani, Priores, Rectores, alii immediati Superiores Ordinum respectu sibi commissorum &c.

690 IV. Ad jurisdictionem ordinariam etiam revocanda est illa, quam ex perpetua Ecclesiæ consuetudine obtinet quilibet Sacerdos, etiam simplex in tribus casibus: 1. Super venialia tantùm. 2. Super mortalia, à quibus Pœnitens jam anteà legitimè absolutus fuit. 3. Super omnia omnino peccata in articulo mortis. Quamvis enim hæc jurisdictio non competat ex officio, ipsi tamen Sacerdotio perpetuò annexa est: hoc tamen discrimine, quòd primam & secundam facultatem Ecclesia auferat Sacerdoti excommunicato non tolerato, scilicet nominatim denuntiato, ac notorio percussori Clerici: secundùm communem sententiam, ut proinde ea facultas Sacerdotibus non jure divino, sed ex Ecclesiæ concessione competat: tertiâ verò pro articulo mortis non aufert, quia non expedit propter Sacramenti hujus necessitatem: attamen absolutè loquendo posse auferre, tanquam non jure divino, sed Ecclesiastico tantùm competentem, docent communiùs DD. cum Valentia *hic d.* 7. *q.* 10. Suarez *d.* 26. *sect.* 5. Layman *c.* 10. *n.* 2. alii, Contrà tamen eam facultatem jure divino competere cuivis Sacerdoti, ut proinde ab Ecclesia auferri nequeat, docent alii, non pauci, etiam Marchant noster infrà citandus. Eò, quòd Concilium Tridentinum *sess.* 14. *c.* 7. de hac facultate loquens dicat: *in Ecclesia semper custoditum* (non ab Ecclesia *institutum*, sed, *custoditum* utpote tanquam ab Apostolis traditum & institutum à Christo) ut in articulo mortis omnes Sacerdotes absolvere possint ab omnibus, sed controversia est speculativa. Practica hujus facultatis dabo sufficienter infrà *q.* 6.

§. III. *A Quo?*

691 A Christo Joan. 20. immediatè jurisdictionem generalem super omnes fideles acceperunt Apostoli communiter; sed specialiter S. Petrus reliquorum etiam Apostolorum Caput & Pastor constitutus, insuper accepit jurisdictionẽ generalem in se, & in omnibus suis Successoribus perpetuò duraturam, ut nunquam Ecclesia visibili Pastore, & summo Capite destitueretur: atque ab ipso conveniente ordine Hierarchico potestas spiritualis jurisdictionis in reliquos Der Sacerdotes ac Ministros descenderet & derivaretur. Quare post Apostolos, omnes alii Ministri jurisdictionem à summo Pontifice immediatè vel mediatè accipiunt: hoc nimirùm ordine. Ipse summus Pontifex legitimè electus ex vi institutionis, & promissionis à Christo Petro factæ immediatè à Christo jurisdictionem ordinariam generalissimam in omnes fideles, totámque Christi Ecclesiam accipit: ab hoc immediatè accipiunt Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, respectu suarum Diœcesium: sicut & Prælati exempti Generales, respectu suarũ Religionum: mediatè verò à Pontifice & immediatè ab Episcopis jurisdictionem in sibi commissos accipiunt reliqui Pastores inferiores, Parochi, Vicarii &c. sicut & à Prælatis Generalibus Ordinum, accipiunt alii Prælati inferiores, Provinciales, locales &c respectu sibi commissorum Regularium. Nam respectu sæculariũ, nullam ordinariam jurisdictionem habent Prælati Regulares Mendicantes, sed tantùm delegatam privilegio à summo Pontifice, sicut & cæteri Confessarii Regulares approbati.

§. IV.

Respectu Quorum?

692 JUrisdictio ordinaria competit suprà §. 2. enumeratis per se respectu suorum subditorum tantùm. Tribus autem potissimùm modis aliquis fit subditus & subjicitur jurisdictioni ordinariæ hujus Episcopi, vel Parochi. 1. *Ratione domicilii, vel quasi domicilii.* 2. *Privilegio status.* 3. *Juris dispositione, vel interpretatione.*

693 *I. Ratione domicilii, vel quasi domicilii*, Parochorum ordinariæ jurisdictioni subjiciuntur, qui inter limites Parochiæ *domicilium* habent perpetuum, vel *quasi domicilium*, utpotè familiam vel habitationem, ubi ratione beneficii, officii, negotii, vel mercaturæ magnâ anni parte, commorantur & habitant: unde qui habet duo domicilia in diversis Parochiis, aut in una domicilium, in altera quasi domicilium: utriusque Parochi jurisdictioni subjicitur, ut ab utrolibet, quando libuerit, absolvi possit, ut cum aliis docet Navar. *in caput placuit n.* 77. At, quid si quis habeat domicilium in confinibus duarum Parochiarum propè æqualibus, cujus Parochi jurisdictioni subjacebit? R. Illius Parochiæ ad quam respicit primaria porta domûs: nisi aliter jure vel consuetudine constitutum sit.

694 II. *Privilegio status*, ordinariæ jurisdictioni subjiciuntur, qui alicui statui vel familiæ uniuntur, cujus Superior ex privilegio ordinariam jurisdictionem habet. Ut Novitii Religiosi tempore

Universidad de Deusto
Biblioteca

pore Novitiatûs, loci Superiorem Ordinarium habent. Item famuli & domestici Monasteriorum loci Superiorem Ordinarium fortiuntur. Item qui in familiam Cardinalium & Episcoporum admittuntur, ipsis etiam ut Ordinariis subjacent in hoc tribunali sacramentali. Omnia ex communi DD.

695 III. *Juris dispositione vel interpretatione*, vel si mavis, tacitâ voluntate Ordinariorum per consuetudinem confirmatâ, ordinarium Judicem in hoc tribunali sortiuntur iter agentes & peregrinantes, qui possunt confiteri Parocho loci, ad quem pervenerint, quando sive ex obligatione, sive ex devotione Sacramenta suscipere volunt. Idque etiam de Confessione annua declaravit Eugenius IV. quando eo tempore, quo debent satisfacere præcepto annuæ Confessionis, vel Comunionis Paschalis, ad proprium Parochum accedere commodè non possunt: ita tamen, ut in propriam Parochiam reversi testimonium annuæ Confessionis & Comunionis, Parochis id postulantibus exhibere debeant. Ita ex communi, pluribus allegatis Layman *tract. 6. c. 10. n. 9.* Dummodò semper non fiat in fraudem: ut si quis directâ intentione discederet ad alium Parochum, ut evitaret proprium: excepto, nisi accederet ad aliquem privilegiatum approbatum, v. g. Ordinis Mendicantium. De quo vide *c. 3. q. ultimâ.*

696 IV. Eâdem *juris interpretatione communi* (vel potiùs consuetudine, de qua infrà) vagabundi, qui nusquam domicilium, vel quasi domtcilium: ideóque nullum Sacerdotem proprium Ordinarium habent, ordinarium fortiuntur, & confiteri possunt ubique locorum quò, pervenerint, ac proinde, quocunque loco existant tempore, quo Sacramenta suscipere debent, vel volunt, à loci illius Parocho, aut alio delegato recipere poterunt. Ex communi Layman *cit. n. 7.* addens in fine: *Pertinet autem ad curam Episcopi in cujus Diœcesi vagabundi plerumque morantur, ut eos tempore Paschali ad sacram Confessionem & Communionem compellat à Pastoribus locorum, vel aliis facultatem habentibus accipiendam.*

SECTIO IV.

Jurisdictio delegata quid? à quo? quotuplex? quibus modis?

SUMMARIUM

697. *Jurisdictio delegata quid?*
698. *Quis possit eam delegare?*
699. *Delegari potest directè, vel indirectè.*
700. *Quibus & qualiter fiat delegatio à* jure *vel* privilegio?
701. *Quibus & qualiter à* consuetudine? *&*
709. *Quibus ac qualiter ab* homine?

§. I. *Quid?*

697 JUrisdictio *delegata* dicitur: quam Sacerdos in Pœnitentem acquirit, non ex vi beneficii vel officii alicujus proprii, sed solùm ex commissione alterius ordinariam jurisdictionem habentis, & consequenter in proposito: Confessarius *delegatus* est, qui non ex vi officii vel muneris sui, sed ex commissione alterius ordinariam jurisdictionem habentis, habet & exercet jurisdictionem in Pœnitentem. Tales sunt omnes Confessarii Ordinum Mendicantium respectu sæcularium: atque alii, qui ab Episcopis ad audiendas confessiones exponuntur absque collatione alicujus beneficii vel officii Parochialis, utpote Capellani simplices. Item Confessarii Religiosi, qui à Superioribus deputantur pro suis subditis Regularibus. Et hinc patet.

§. II. *A Quo?*

698 OMnis & solus jurisdictionem habens ordinariam potest eam delegare alteri, utpote Episcopus, Parochus, Prælatus Regularis &c. quisque respectu suorum subditorum. Idque possunt, etiamsi ipsi Sacerdotes non sint, adeóque per se absolvere non possint, tamen conferre, & magis delegare possunt aliis jurisdictionem suam, cùm ea collatio vel delegatio non sit actus Ordinis, sed Jurisdictionis. At verò, qui jurisdictionem delegatam tantùm habet, non potest eam ulterius delegare alteri, cùm totam potestatem suam ipse ex aliena voluntate habeat: excepto tamen, nisi hoc ipsum expressè delegato concessum sit à delegante, ut ob cautam suo loco alium subsitituere possit: aut ex probabili Epikeia ita interpretanda esset voluntas delegantis. Utpote, si Parochus impotens deleget alium pro suis Parochianis tempore Paschali, qui se inveniat insufficientem multitudini confitentium, si occurrat alius approbatus, qui illum juvare velit, & facilis recursus ad Parochum non sit, poterit is delegatus subdelegare ex justa interpretatione voluntatis Parochi, qui ipsum delegans utique noluit obligare ad impossibile, sed supponitur velle, ut congruè suis ovibus satisfaciat. Vide Marchant. *Tribun. p. 1. tract. 2. tit. 2. q. 2. fine.* Reliqua jura de subdelegatione Confessarium pro hoc foro parùm, vel nihil concernunt.

§. III. *Quotuplex?*

699 DUplex est delegatio, seu dupliciter delegatur jurisdictio, *directè & indirectè*. Jurisdictio delegata directè dicitur, quando alicui committitur potestas, ut ipse per se directè Pœnitentem absolvat. Et hæc fieri potest soli Sacerdoti Characterem & potestatem Ordinis habenti. Jurisdictio indirectè delegata dicitur, quando alicui conceditur, ut Sacerdotem aliquem nominet vel eligat, qui ipsum, vel alios absolvat. Factâ postea ea electione vel nominatione, eo ipso jurisdictio indirectè collata censetur Sacerdoti nominato, electo, ac velut præsentato. Unde quamvis ipsa delegatio jurisdictionis necessariò ad Sacerdotem terminetur, ministerium tamen medium hujus delegationis, scil. electio vel nominatio Sacerdotis, etiam Laicis, imò & fœminis committi potest. Hoc modo aliquando Laicis committitur vel permittitur, ut eligant sibi Confessarium quemcunque approbatum, ut in Jubilæis, in Bulla cruciata &c. Sic & Abbatissis sæpe concessum est, ut Confessarios pro se, & suis Monasteriis

steriis eligant, vel assumant, qui ipso facto, ex vi principalis concedentis censetur indirectè delegatam jurisdictionem obtinere: sicque indirectam potestatem jurisdictionis habent omnes Confessarii electi eorum, qui potestate eligendi sibi Confessarium gaudent. de quibus mox infrà.

§. IV. *Quibus modis?*

DElegatio potestatis directa, indirecta, tribus modis fieri consuevit: 1. A jure, vel privilegio. 2. A consuetudine. 3. Ab homine.

I. *A Jure vel Privilegio.*

700 I. CElebris talis directa est delegatio Frat. Minorum & Prædicatorum, reliquorúmque Medicantium facta à summis Pontificibus, tùm in jure *Clementina cap. Dudum de sepulturis*, tum in extravagantibus bullis ac privilegiis, ad audiendas Confessiones fidelium undecunque ad se accedentium, de qua jurisdictione per occasionem plura dixi mox suprà *q. 3. §. 4.*

701 II. Talis est delegatio indirecta Confessariorum, qui audiunt Confessiones eorum, quibus Confessarii electio à iure permittitur. Celebrior est illa, quam facit Gregorius IX. *l. 5. Decret. tit. 38. de Pœnit. & Remiss.* dicens: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter Superioris sui licentiam, providum & discretum sibi eligere possint Confessarium.* Sic Pontifex. Ubi nomine Superiorum, nec non minorum Prælatorum exemptorum, intelliguntur Generales, Provinciales, Guardiani, Priores, Rectores, Præpositi, Præsides, qui veram jurisdictionem Ecclesiasticam habent in Religionibus exemptis.

702 III. Ad juris etiam delegationem indirectam pertinet electio Sacerdotis alicujus approbati, quando Sacerdos proprius eli notorie ignarus & imperitus in iis, quæ sunt sui muneris: tunc enim (saltem licentiâ petitâ, etsi non obtentâ) licebit alteri idoneo confiteri, hoc ipso à jure indirectè delegato. Hoc jus colligit Navarrus ex Urbano II. *p. c. placuit de Pœnit. dist. 6.* Ubi sic loquitur Pontifex. Placuit, ut nulli deinceps Sacerdotum, quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam suscipere liceat, sine ejus consensu, cui primò se commisit, nisi pro ignorantia illius, cui Pœnitens prius confessus est. Et sic exponitur *ibidem caput Sacerdos* ex Gratiano. *Aliud est favore vel odio proprium Sacerdotem contemnere, quod sacris Canonibus prohibetur: aliud cæcum vitare, quod hâc authoritate quisque facere monetur: ne si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadant.* Atque ita præter Navarrum docent D. *Thomas, Medina, Vasquez, Hurtadus, Diana*, alii, ac nostet Marchant *supra cit. tit. 2. q. 3.* censens Sententiam esse verissimam authoritate Canonum nixam, ac fundamentali ratione: quòd Judex totus ignarus pro non Judice habeatur. Quantumvis multi contrarium sentiant.

703 IV. Ad eandem delegationem indirectam & interpretativam pertinere credibile est, electionem idonei Confessarii, quando Pœnitens non potest confiteri proprio Sacerdoti sine moraliter certo periculo, damno, vel ruina spirituali, seu lapsûs in peccatum mortale: ut si mulier sciret hunc Sacerdotem esse sollicitatorem, prævidens probabilissimè se ab eo sollicitandam &c. si alium privilegiatum facilè adire nequeat, potest eligere quemcunque idoneum in sua Diœcesi approbatum, maximè si licentia petita, etsi non impetrata sit. Ita post *Sylvestrum, Medinam, Toletum*, & alios, Marchant *loco cit.*

J. Dixi utrobique (saltem licentiâ petitâ, etsi non impetratâ) In his enim duobus casibus ignorantiæ & improbitatis tantæ, iniquissimè negaretur licentia à proprio Sacerdote, vel Parocho. Quin addit Marchant: *etiam non petitâ*, quando commodè peti non potest sine aliquo detrimento, uti sunt graves aversiones Sacerdotis proprii, odia, detractiones, &c. Si enim sine gravi incommodo licentia peti non potest, eodem jure censeberis absolutus. Cæterùm, extra hos duos casus ignorantiæ notoriæ, & gravis periculi ex malitia proprii Sacerdotis, vera mihi est sententia Soti, Suarez, Layman, aliorum; nimirùm, invalidè absolvi quempiam ab alieno, si proprius Sacerdos licentiam petitam, etiam injustè deneget, quamvis is negando graviter peccare possit. De quo dixi aliquid *cap. 3 quæst. ultimâ. §. 3. sub finem.*

II. *A consuetudine probata.*

704 CEnsetur delegari jurisdictio directè, vel saltem indirectè, quando aliqui communiter consueverunt eligere Confessarios approbatos, scientibus Superioribus, nec prohibentibus: tunc enim censetur tacite consentire, & jurisdictionem ejusmodi Confessariis electis delegare. Quare delegatio talis est à consensu tacito Superiorum: & non ab ipsa consuetudine ut causa delegante, sed tantùm ut signo taciti consensûs & delegationis Superiorum. Et hinc:

705 I. Hâc consuetudine & tacitâ delegatione eligunt sibi Confessarios Parochi, aliique Sacerdotes curati communiter, & sibi invicem vel aliis Sacerdotibus approbatis confitentur, ex consensu tacito Ordinariorum id scientium & aliud non statuentium. Eâdemque consuetudine & tacito Superiorum consensu etiam, in nostra Religione Fratres confitentur aliis in Ordine approbatis Sacerdotibus præter deputatos pro Conventu, quod alioquin valere non posset ob defectum jurisdictionis, quod valdè notandum.

706 II. Eâdem Consuetudine in omnibus Religionibus receptâ, si plures ejusdem Ordinis Religiosi peregrè mittantur, unus alteri, qui Sacerdos est, & Confessiones audire solet, confiteri potest. Itémque si Religiosi, præsertim Sacerdotes iter faciunt, aut diutius extra Monasterium morantur in loco, ubi non habent copiam Confessarii proprii Ordinis, ex præsumpta licentia & consensu Superioris sui, alteri Sacerdoti Regulari vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sæculari confiteri plerumque possunt, saltem ea peccata, quæ Ordine suo reservata non sunt. Rodriquez *Q. Q. Regul. tom.* 1. *q.* 62. *a.* 5. Layman *c.* 10. *n.* 20. alii communiter.

707 III. Ad eandem consuetudinem, ex tacito consensu eorum, quorum interest, revocari potest jurisdictio, quâ Parochi vel curati expositi in hoc loco excipiunt confessiones cujusvis peregrini vel vagabundi adventantis: de quibus dixi *quæst. præced. sub finem*: Eâdémque excusari potest mos, quo Rustici aliíque peregrinantes ad loca sacra, etiam non valde remota ibidem confiteri solent Parochis, vel Sacerdotibus expositis, dummodò non fiat in fraudem propriorum Parochorum, idque maximè pro confessione annua. Et Rectè resolvit Gobat *Alphab. Confessar. Casu* 3. *num.* 83. Si in pago remoto, aut etiam vicino, in quopiam die festo sit proposita indulgentia plenaria, posse ad eam lucrandam te illò conferre, & confiteri Parocho illius loci, nisi expresè constet proprium tuum Parochum nolle ratam habere talem confessionem. Ratio est: *Quia in obscuris inspici debet illud, quod plerumque fieri solet*: at certè vix tricesimus Parochus erit tam durus, quin tunc faciat suis copiam taliter confitendi alteri, saltem extra tempus obligationis. Atque hæc notoria consuetudo, quamdiu se expresè non opponit tuus Parochus, est signum sufficiens sensibile ejus consensûs & ratihabitionis de præsenti.

708 IV. Tandem ad eandem consuetudinem permissam tacito consensu spectare videtur, quod alicubi, etiam apud nos in locis peregrinationum in magno concursu hominum ex diversis Parochiis, rogati à nobis Parochi ac Sacerdotes sæculares curati excipiunt Confessiones quorumvis, absolventes nimirùm à peccatis, à quibus alioquin absolvere possunt (non utique à casibus Papalibus reservatis, à quibus nos Privilegio absolvimus) Certum enim est, id non posse fieri ex nostra delegatione, cùm ipsimet merè delegati Ministeriales respectu Sæcularium, alios subdelegare minimè possimus. Fit ergo ex consuetudine notoria, & saltem tacito consensu vel Ordinariorum, vel Parochorum aliorum propriorum illorum fidelium, qui sine dubio contentissimi sunt, suos Parochianos apud nos confiteri eo modo, quo commodè possunt, adeóque in defectu nostrûm, etiam aliis. Quanquam tutissimum foret petere expressum consensum Ordinarii, prout alicubi fieri vidi.

III. Ab Homine.

709 Fit delegatio, quando habens jurisdictionem ordinariam verbo vel scripto, aut signo sufficienti committit jurisdictionem alicui pro sibi subditis directè vel indirectè v. g. Papa in Jubilæo pro Parochianis: Prælatus Regularis pro sibi subditis Religiosis vel Monialibus, &c. Ad ejusmodi autem jurisdictionem ab homine delegandam necessariò requiritur consensus actualis præsens signo aliquo manifestatus, & nullo modo sufficit ratihabitio de futuro, seu quòd Ordinarius delegare potens postea ratam habiturus sit Confessionem & Absolutionem alterius facta. Certissima & communissima DD. cum Navarro *c.* 9. *n.* 6. Suarez *disp.* 25. *sect.* 1. Sanchez *lib.* 3. *Matr. d.* 35. *n.* 24 Layman *c.* 10. *n.* 16. alii passim. Ratio clara est: quia Sacramentum Pœnitentiæ invalidè confertur ab eo, qui nullam jurisdictionem actualem habet eo tempore, quo Sacramentum confert & absolvit: atqui eo tempore non potest habere jurisdictionem actualem, nisi de actuali præsenti voluntate delegantis, aliquo sensibili signo sibi cognito: quia consensus futurus primùm, non potest conferre jurisdictionem pro tempore præsenti, quo datur absolutio; neque valor ac effectus Sacramenti, potest pendere ab eventu futuro: ergo requiritur consensus actualis præsens, expressus vel tacitus, & non sufficit ratihabitio de futuro. Ex quo soluta manet coincidens quæstio: an ad hanc delegationem *ab homine* sufficiat præsumptio vel interpretatio voluntatis ac facultatis Superioris vel delegantis: ex dictis enim respondendum cum distinctione.

710 I. Sufficit præsumptio de consensu seu voluntate delegantis præsenti, si reverà adsit. Quandò nimirum præsumptio vel interpretatio fundatur in signis vel motivis multùm probabilibus & quasi certis, quòd talis sit voluntas delegantis v. g. Superioris vel Parochi in præsenti. Ut si audias confessiones, vel tu confitearis alteri, Superiore, Ordinario, vel Parocho præsenti vel sciente, nontamen contradicente, sed tacente, cum tamen contradicere vel impedire, si vellet, facilè posset: jam tacitè jurisdictionem conferre censetur, ut proinde validè absolvas, vel absolvaris. Nam qui sic tacet, non solùm consentire videtur juxta Regulam juris, sed etiam ipso suo silentio, tanquam signo sensibili externo consensum suum exprimere: at si reverà dissentiat in animo, taceat tamen, & non impediat actu ipso, quia vel timet offensas seu rixas, vel putat illum aliunde habere potestatem, aut jussit illum prohiberi per æditiuum v. g. sed is non prohibuit, &c. omninò invalida erit absolutio. Quia præsumptio qualiscunque debet cedere veritati. *c. Nuper de Bigamis.* Suarez, Coninck, Lugo, alii cum Layman *cit. n.* 16. rectè concludente, quòd præsumptio consensûs præsentis, licet rationabilis sit, tamen nihil confert ad valorem Sacramenti, si reipsâ consensus (signo quocunque declaratus) & consequenter jurisdictionis Commissio defuit. A fortiori ergo:

711 II. Nullo modo sufficit præsumptio vel interpretatio quantumvis rationabilis & certa de futuro tantùm consensu & ratihabitione delegantis, quòd scilicet, quando resciverit, futurus sit contentus: ob rationem datam: jam enim Sacramentum seu absolutio anteà collata defectu jurisdictionis invalida fuit, neque consensus seu subsequens ratihabitio efficere potest, ut modò primùm convalescat, ut meritò concludat Navarrus apud Layman *cit. Sacramentũ quod ab initio nullum est, nullâ ratihabitione, etiam Papæ, validum fieri potest.* Et Regula veluti Generalis est: Nunquam sufficit ratihabitio futura, vel præsumptio de consensu futuro, quando agitur de valore actûs præsentis: etsi sufficiat, quando agitur solùm de honestate actûs seu de licito: quo benè notato facilè solves objectiones & instantias de aliis Sacramentis, de usurpatione rei alienæ, &c.

712 *J.* Dices: Nonne secùs est in contractibus? Si pro te emam equum, túque postea, re cognitâ ratifices, certè contractus emptionis convalescit, & obligaberis perinde, ac si ipse emisses, juxta Regulam juris Canonici in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium, æquiparari.* Cur non idem sit in proposito? R. Ideo non est idem. Quia valor contractûs pendet ex sola voluntate paciscentium: & ideo meritò futura secuta ratihabitio aliquid operatur. At verò valor & effectus Sacramenti principalissimè pendet ex institutione Christi requirente omnia ad valorem requisita necessariò existere tunc, quando Sacramentum conficitur & effectum suum producere debet, ut dictum est.

QUÆSTIO II.

Quid Jurisdictio certa, probabilis, dubia? *ubi etiam de errore communi.*

SUMMARIUM.

713. *Quid jurisdictio certa.*
714. *Quid & quando censeatur adesse jurisdictio ex errore communi: cum, vel sine titulo colorato*
715. *Quid jurisdictio probabilis.*
716. *An & quando hæc sufficiat?*
718. *An & quando sufficiat jurisdictio dubia?*

§. I. Jurisdictio Certa

713 Est, quæ nititur certo titulo ac fundamento, qualis est omnis jurisdictio ordinaria eorum, qui beneficia vel officia curata legitimè, & pacificè obtinent: & omnis jurisdictio delegata eorum, qui vel à jure vel ab homine, vel consuetudine probata delegationem expressam, indubitatam, directam vel indirectam habent, juxta hâc Sectione hactenùs latè satis dicta. Inter hanc primam jurisdictionem *certam*, & secundam *probabilem* quodammodo medii est hic commodè explicanda.

§. II.

Jurisdictio ex Errore communi: cum, vel sine titulo colorato.

714 Explico: Aliquis reverà tantùm Sacerdos simplex, vel privatus jurisdictione habitâ, communiter tamen habetur Pastor vel Confessarius legitimus ab omnibus in tali loco degentibus. Ecce: *communis error* de jurisdictione illius Sacerdotis. Hic Sacerdos *simplex*, aut aliunde jurisdictionis incapax ob impedimentum Canonicum, v. g. excommunicationem &c. aut per simoniam, aut aliter invalidè ab Episcopo obtinet & possidet beneficium aliquod Parochiale, ob quod creditur communiter verus Parochus vel Curatus, cùm non sit: Ecce, est hîc communis error *cum titulo colorato*: habet enim titulum, scilicet collationem beneficij Parochialis à potente conferre illum, scilicet Episcopo, sed quia invalidè & nulliter accepit, non habet titulum verum, sed apparentem tantùm & putatitium, & ideo dictum *coloratum*. Denique si talis neque collationem beneficii validam vel invalidam habet, à potente conferre illum, & tamen communiter Parochus credatur: puta, quia se talem finxit, falsis literis, vel testibus, aut fortè (prout alicubi factum est tempore belli Suedici) à non potente conferre, scilicet potestate sæculari assumptus est &c. Hic tandem erit error communis tantùm, sine omni titulo, etiam colorato.

Quando ergo adest ejusmodi communis error cum titulo colorato, quo aliqui Sacerdos communiter putatur esse Pastor Ordinarius vel Delegatus, qui reverà non est, eo ipso habere jurisdictionem sufficientem ad valide & licite absolvendum, ac Sacramenta alia ministranda, Matrimoniis assistendum, communis & certa est sententia DD. & modò Theologorum omnium, quos numerosè recitat Diana *p.* 8. *tract.* 1. *resol.* 94. Ratio ducitur ex benigna interpretatione voluntatis piæ Matris Ecclesiæ, quæ in communi errore cum titulo colorato ob utilitatem publicam fidelium, ne sc. magni sæpè oriantur scrupuli, turbationes ac difficultates circa hujus Sacramenti administrationem, aliáque ministeria, quæ jurisdictionem requirunt, uti assistentia Matrimonii &c. veluti hunc defectum supplere, & dare veram jurisdictionem illis, qui capaces illius sunt stante errore communi ac titulo colorato, sequendo decisionem *l. Barbarius ff. de offic. Prat.* Idémque dicendum erit in casibus *quæst. præcedente* positis, quando aliquis absolvit ex consuetudine alienos, in quam reverà non consentiunt ordinarii Pastores: item quando quis pergit absolvere nescius potestatem suam esse revocatam. *Navarrus, Sylvester*, alii cum Sanchez *l.* 1. *Moral. c.* 9. *n.* 15. Cæterùm quando adest solus error communis, sed sine omni titulo etiam colorato, ut si Sacerdos nullam etiam invalidam habeat collationem beneficii, tamen communi errore putetur Parochus vel Curatus, an tunc etiam supplente Ecclesiâ jurisdictionem, validè absolvat, aliáque munia Parochialia obeat, res controversa est apud DD. Negat Sanchez *l.* 3. *Matr. d.* 10. *n.* 6. cum plurimis. Affirmat Bonacina cum multis aliis apud Dianam *suprà cit. p.* 11. *tr.* 2. *resol* 69. qui probabiliorem judicat, ac probabilem etiam censet Tamburinus *l.* 5. *Pœnit. cap.* 4. §. 7. *n.* 17. Accedit Gobat *cit. casu. n.* 111. & cum ipso ego non juberem extra articulum mortis repetere confessiones tali Sacerdoti factas, ob probabilitatem hujus sententiæ, sicut nec matrimonia, tali Sacerdote assistente, contracta dissolvi. Denique semper fuit, & debuit esse de Sacerdote. Nam si non Sacerdos, v. g. Diaconus se fingeret Parochum, aut quocunque titulo putaretur esse Parochus, nihil ipsum juvabit communis

Universidad de Deusto
Biblioteca

munis error. Nam Ecclesia nequit supplere defectus repugnantes legibus divinis, at potest repugnantes legibus humanis. Vide etiam Layman *cit.* nam non juvat amplius immorari.

§. III.

Jurisdictio probabilis.

715 I. DIcitur, quæ probabili tantùm opinione Doctorum nititur: ut, quòd Mendicans approbatus ab uno Episcopo, possit ubique Confessiones audire: quòd in articulo mortis possit absolvere simplex Sacerdos, præsente proprio Parocho, vel Curato: quòd solus error communis absque titulo conferat jurisdictionem. *Immediatè suprà.* aliáque innumera sparsim hactenùs indicata, & deinceps indicanda. Qualis etiam censetur jurisdictio eorum, quorum beneficia curata litigiosa sunt. Quamvis enim à parte rei unus tantùm possit esse Parochus, plures tamen jus aliquod in titulum & beneficium aliquod obtinere possunt: & quamdiu aliquis per sententiam titulo spoliatus non est, tamen ob titulum coloratum jurisdictionem probabilem habere censetur.

716 II. Quæstio ergo est. An Sacerdos opinione verè probabili, putans se posse administrare Sacramentum Pœnitentiæ, & absolvere Pœnitentem sive absolutè, sive respectivè pro tali certo casu reservato, possit validè & licitè administrare & absolvere, quasi ab illa opinione probabili acquirat certam jurisdictionem, Ecclesiâ conferente, sicut de errore communi cum titulo colorato dictum est. Negant simpliciter multi DD. *Vasquez, Coninck, Rodriquez, alii*, & saltem probabiliter *Suarez, Salas, Bardi, Oviedo* apud Dianam, *p. 9. tract. 7. resol. 5.* qui addit hanc sententiam in praxi non esse deserendam. Lugo *disp. 19. Pœnit. a. num. 29.* subdubitat. Affirmant autem absolutè multò plures. Sanchez, Pontius, ll.cc. Lessius *lib. 2. justitiæ. c. 29. dub. 8.* Filliucius, Bonacina, alii apud eundem Dianam consentientem *p. 8. tract. 1. resol. 93.* & probabiliorem censet Tamburinus *cit. c. 4. n. 6.* Ratio hujus probabilis sententiæ est. Quia apud omnes constat universalem Ecclesiæ consuetudinem conferre jurisdictionem, seu esse signum jurisdictionis collatæ: ex *cap. Cùm contingat, de foro competenti*: sed ex universali Ecclesiæ consuetudine omnes ferè Sacerdotes (exceptis paucis, iisque vel nimis timidis, vel indoctis nimis) absolvunt cum jurisdictione probabili: uti expressè testantur ipsi etiam adversarii, Suarez *d. 26. sect. 6. n. 7.* dicens: *Est autem universalis Ecclesiæ usus, ut Sacerdotes securè utantur hujusmodi jurisdictione probabili in hujus Sacramenti administratione.* Et Lugo *d. 19. num. 35. Est praxis & usus communis omnium Confessariorum, qui cum jurisdictione probabili absolvunt*: ergo, ne infinitæ animæ damnentur, vel cogantur repetere confessiones bonâ fide factas Sacerdotibus, qui ex se non habebant, sed ex probabili opinione Doctorum, putabant se habere jurisdictionem, fatendum est, quòd Ecclesia, vel Caput Ecclesiæ tribuat tali Sacerdoti actualem Jurisdictionem, sicut dictum est de illo, qui ex errore communi putatur legitimus esse Confessarius.

III. Hanc sententiam in praxi tutam judico 717
cum limitatione: *Quando subest justa causa utendi jurisdictione probabili, cùm commodè non possit usurpari jurisdictio certa.* Cujusmodi justa causa censetur. 1. Ut bono Pœnitentis consulatur: ut si moribundus rationabiliter nolit, vel non possit confiteri certam juridictionem habenti, poterit audire & absolvere simplex Sacerdos, vel alius jurisdictionem probabilem habens. Item, si quis indigeat consilio, auxilio, vel solatio singulari secreto, nec expedit, ut certam jurisdictionem habens hoc sciat. 2. Ut damnum evitetur: v. g. ne Pœnitens in aliquam aversionem, vel damnosam suspicionem Confessarii certi incidat, aut ne complex manifestetur &c. 3. In necessitate aliqua congrua. v. g. Quando implendum est præceptum confessionis, si singularis indulgentia lucranda: vel quia diu quis non poterit confiteri: item quando magnus est confitentium concursus, nec adsunt, vel non sunt sufficientes Sacerdotes certam jurisdictionem habentes &c. In his & similibus casibus poterit supplere alius jurisdictionem probabilem habens: v. g. Mendicans Regularis alibi, sed non in hac Diœcesi approbatus. Hujusmodi autem justis, seu rationabilibus causis seclusis, dico

IV. Cum sola jurisdictione probabili, relictâ certâ facilè habenda, absque ulla rationabili causa, ex mera libertate, absolvens (sicut & scienter se absolvi faciens) peccat mortaliter saltem contra charitatem. Sic rectè Marchant *cit. tract. 2. tit. 3. quæst. 4.* Franciscus Bardi, Joannes Sanchez, eósque sequens Gobat *num. 115.* Ratio sumitur ex communi doctrina de Sacramentis: in quibus quoad essentialia, nunquam licet uti probabilibus tantùm, relictis certis, ob periculum nullitatis, atqui jurisdictio est quid essentiale requisitum ad Sacramentum Pœnitentiæ validè ministrandum: ergo non licet uti jurisdictione probabili tantùm, absque ulla justa causa, quando facilè haberi potest jurisdictio certa, quia similiter se exponeret periculo nihil faciendi, cùm tot támque graves DD. contrà sentiant, nec sit ullo modo probabile vel verosimile, tunc Ecclesiam velle supplere defectum, & conferre jurisdictionem, si reverà non adsit: Ecclesia enim supplendo jurisdictionem non potest censeri velle favere libertati, curiositati, vel præsumptioni temerariæ, sed solùm congruæ necessitati vel utilitati fidelium, quando nimirum quis tali jurisdictione probabili utitur ex causa rationabili, necessitatis, vel utilitatis fidelium, & aliàs certa jurisdictio non est ad manum.

§. IV.

§. IV.

Jurisdictio dubia

718 DIcitur, cùm quis propriè dubitat, an habeat jurisdictionem in hunc Pœnitentem, vel ejus peccata, vel ulla, vel aliqua, utpote reservata. Dico autem: *propriè dubitat*, dubio scilicet, ut vocant, *negativo*, cùm scilicet tibi nulla occurrat probabilis ratio pro una vel altera parte. Nam in dubio impropriè dicto, seu ut vocant, *positivo*, cùm adest aliqua ratio probabilis pro tua parte, scilicet habere te jurisdictionem, ac posse absolvere, etsi quóque occurrat ratio æquè, vel magis probabilis in oppositum: jam non erit dicenda jurisdictio dubia, sed probabilis, de qua jam suprà. Ex communi autem doctrina de conscientia dubia, & jam dictis superioribus, breviter resolve.

719 I. Qui scit, se habuisse aliquando jurisdictionem in hunc Pœnitentem; dubitat autem, an adhuc habeat, practicè se resolvendo, absolvit securè. Quia mutatio non præsumitur, sed probanda est. Sic, si bonâ fide cæpisti beneficium possidere curatum, & postea incipis dubitare, an jure possideas, securè perge absolvere tuos: quia in dubio melior est conditio possidentis.

720 II. Si simpliciter dubitas, an habeas, unquàmque habueris jurisdictionem in hunc Pœnitentem, & ulla ejus peccata; sine dubio illicitè absolves absolutè: quia sine causa exponis Sacramentum periculo nullitatis, decipísque Pœnitentem, qui nollet tibi confiteri, si nosset tuam dubiam potestatem. At verò in extrema necessitate, si desit alius, certâ jurisdictione præditus, licitè absolves: quia in necessitate est meliùs conferre Sacramentum dubium, quàm nullum: & sicut tunc deficente materiâ certâ, oportet adhibere dubiam; ita & ministrum dubium.

721 III. Si scias te habere jurisdictionem in Pœnitentem, & ejus peccata communia, dubites autem, an in omnia, utpote an possis absolvere ab hoc vel illo peccato reservato pro certo cognito: rursùs peccabis absolvendo absolutè ob eandem rationem, nisi te excuset aliqua necessitas. Ubi quando, postquam cæpisti bonâ fide audire confitentem, oritur tibi dubium circa unum vel alterum peccatum; aut quando Pœnitens, nisi absolvas, deberet sine omni confessione & absolutione communicare: aut nimis diu manere in statu peccati mortalis &c. In his enim, similibúsque eventibus absolve sub conditione præmonendo Pœnitentem, ut postea accedat alium Confessarium habentem certam jurisdictionem. Vide plura *sect. seq.* & revide dicta *de absolutione sub conditione danda.*

QUÆSTIO VI.

Quid Jurisdictio universalis & restricta?

Speciatim pro Articulo mortis.

SUMMARIUM.

722, *Jurisdictio universalis quid, & quibus conveniat?*
723, *In articulo mortis eam habet omnis Sacerdos ad quoscunque casus, vel Pœnitentes, etiam simplex*
724. *Secùs, si tunc adsit Confessarius ordinariè vel delegatâ potestate præditus. Oppositum tamen est etiam probabile.*
725, *An & quando absolutus in articulo mortis à casu reservato, vel conjura à non habente potestatem, postea convalescens debeat se sistere Superiori?*

722 JUrisdictio *universalis* simpliciter, respectu omnium, & personarum, & locorum, & peccatorum ac casuum est solius summi Pontificis: qui solus est universalis Ecclesiæ Pastor. Excepto tamen articulo mortis, de quo mox infrà. Jurisdictio *universalis* secundùm quid, ac respectu certarum Communitatum, convenit Episcopis respectu suarum Diœcesium: & quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus, respectu suorum subditorum: utpote Generali respectu totius Ordinis, Provinciali respectu totius Provinciæ: idque etiam respectu omnium peccatorum & casuum, salvâ reservatione summi Pontificis de quo aliquid *sect. seq.* jurisdictio restricta propriè dicitur, quæ confertur alicui, cum exceptione aliquarum personarum, & communiùs cum exceptione aliquorum peccatorum ac casuum: cùm scilicet quis per reservationem prohibetur ab aliquibus peccatis & casibus certis absolvere, à quibus seclusâ reservatione, per jurisdictionem simpliciter datam, aliàs absolvere posset. Et peccata sic excepta & absolvi prohibita, vulgò dicuntur: CASUS RESERVATI. De quibus seorsim pluribus agemus *sect. seq.* sed priùs hìc commodè explicanda venit illa modò indicata.

Jurisdictio universalis pro articulo mortis.

COncilium Tridentinum *Sess. 14. c. 7.* ita declarat. *Piè admodùm, ne hâc occasione (scilicet reservatorum Casuum) aliquis pereat; in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio casuum in articulo mortis, atque adeò omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes, à quibuscunque peccatis & censuris absolvere possunt.* Sic S. Synodus. Ubi duo declaranda: quinam *omnes Sacerdotes*, & qualiter absolvere debeant in articulo vel periculo mortis; hæc enim duo semper coæquiparantur, ut jam alibi declaratum.

§. I.

Omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes.

723 OMnis omninò Sacerdos charactere Sacerdotali insignitus quoscunque Pœnitentes absolvere potest in articulo vel periculo mortis, & saltem in defectum aliorum Curatorum, etiam Sacerdos simplex, vel aliàs jurisdictione privatus: & in defectum aliorum tantùm, etiam Sacerdos excommunicatus non toleratus, suspensus, degradatus. Communissima DD. apud Layman, Lugo, alios passim. Contra Medinam, Sotum, Navarrum *cap. 26. man. num. 26.* qui saltem hæreticum denuntiatum omni absolvendi potestate, etiam in articulo mortis privatum esse arbitrantur. Sed non rectè: quia Concilium generalissimis verbis exprimit *omnes*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacerdotes, quoscunque Pœnitentes eo articulo perpetuâ Ecclesiæ consuetudine absolvere posse. Addit tamen Layman *cap. 12. num. 13.* hominem in mortis articulo constitutum, nullius culpæ reum posse, si hæretico Sacerdoti, ob hæresis detestationem, tametsi nullum subversionis periculum ab eo timeatur, sacramentaliter confiteri recusет: modò speret se de peccatis suis contritum esse. Addidi ego: *in defectum aliorum tantùm.* Nam si adsit alius liber ab his vitiis, invalidè absolvet excommunicatus non toleratus, suspensus, degradatus, ut semper docuit communis DD. & novissimè declaravit Congregatio Cardinalium Decreto authentico, apud Fagnanum *in cap. Non est nobis, de sponsal. & Matr.* quamvis antè oppositum docuerit multis allatis Tannerus hic *d. 6. q. 9. n. 64.* Dicastillus, Arauxo apud Gobat *cit. Casu 3. num. 129.* Dixi insuper, *saltem in defectum aliorum.* Nam

724 II. Vera mihi omninò videtur sententia communis DD. quòd in articulo vel periculo mortis Sacerdos simplex, nec validè nec licitè absolvat, si Confessarius ordinariâ vel delegatâ potestate præditus, maximè Parochus adsit, aut facilè advocari possit. Ita Navarrus *cit.* plurimisque congestis Suarez *d. 26. sect. 4.* Sanchez *l. 2. moral. c. 13. n 7* Layman. *cit. n. 14.* Cardinalis de Lugo *d. 18. Pœnit. a. n. 24.* Atque ita respondisse Gregorium XIII. refert Molina *hic d. 36.* Ratio est; quia Sacerdoti simplici potestas absolvendi à quibusvis peccatis & casibus conceditur jure extraordinario, ob rationem necessitatis, *ne hâc occasione aliquis pereat*, ait Trident. cit: si enim absolutio tunc negaretur: præsente autem Parocho, vel Sacerdote curato, Privilegiato, &c. jam nullum est periculum, *ne aliquis pereat*: ergo cessante necessitate, cessat hæc extraordinaria potestas per Regulam traditam ab Abbate: *Cùm aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenus urget necessitas.* Et obsecro, cur Ecclesia permitteret, ut morituris, qui maximè spirituali instructione & auxilio indigent, non proprii Pastores, aut ejus delegati, aliive Curati idonei, sed quicunque etiam simplices, non approbati, ideoque plerùmque in praxi saltem imperiti, Sacramentum Pœnitentiæ tam necessarium ministrent. Vide plura apud *citatos.*

725 III. Oppositam affirmativam fateor, probabiliter omninò tenent multi gravésque Doctores, quos citant, & sequuntur Barbosa in *cit. cap. 7. Trident. n. 12.* Tannerus *supra num. 63.* Tamburinus *De Sacram. l. 5. c. 12. §. 1.* insigniter Herincx *d. 6. q. 2.* Eò, quòd Concilium generaliter indistinctè dicat, *in articulo mortis nullam esse reservationem, omnem Sacerdotem, quemlibet pœnitentem absolvere posse, &c.* Quamvis in praxi, omnes sententiam nostram consulant. Et huic ipsi probabili sententiæ in praxi locus est, quando Pœnitens rationabiliter nolit, vel non possit sine difficultate, horrore, vel incommodo aliquo, confiteri Sacerdoti proprio, aut alteri delegato curato. sed potiùs huic Sacerdoti simplici: aut quando Sacerdos simplex manifestè esset magis idoneus, ac utilis futurus moribundo, quàm Parochus Rusticus, &c. tunc enim adhuc locum habet aliquo modo causalis Concilii: *Ne hâc occasione homo pereat.* Denique rectissimè observat Lessius apud Gobat *cit. n. 130.* Nullo modo est dubitandum, quin constitutus in periculo mortis, possit etiam pro casibus reservatis, eligere suum Parochum prætermisso privilegiato, quia Parochus propriè & ex officio obligatur tunc maximè ei omnia Sacramenta Saluti opportuna ministrare. Unde, etsi tunc Privilegiatus haberi possit, non tamen est dubitandum, quin Concilii mens sit, ut Parochus tunc omnem potestatem habeat.

§. II.
A quibusvis Peccatis & Censuris absolvere possint.

726 Hic Doctores communissimè ponunt notabile discrimen inter casum reservatum & censuram seu excommunicationem, &c. Quòd absolutus à casu reservato tantùm in articulo mortis, si postea convalescat, non teneatur ampliùs se sistere Superiori, quia jam directè & plenè absolutus est, quippe cessante tunc omni reservatione, & plenâ ac absolutâ jurisdictione collatâ Confessario, ut dictum est. At verò eo articulo absolutus ab excommunicatione ab eo, qui aliàs absolvere non potuisset, v. g. Parocho communi, si postea convalescat, tenetur comparere coram Superiore, v. g. Episcopo, aut ipso Pontifice respectivè: idque ex speciali dispositione SS Canonum. *c. eos, qui de sent. Excomm. in. 6.* Ratio specialis videtur esse: quia censura fertur principaliter ad frangendam contumaciam peccantis, & non tantùm ad impediendum vel emendandum peccatum, sicut fit reservatio casuum. Debet autem absolutus à censura denuò comparere coram Superiore, non ut iterum absolvatur à censura, cùm ab illa in eo articulo non ampliùs reservata, æquè jam directè fuerit absolutus, sed ut obedientiam præstet, ejus mandatis pareat, pœnitentiam vel remedium ab ipso accipiat. Idque sub pœna reincidentiæ, hoc est; si postea non compareat coram Superiore, prætet novum peccatum inobedientiæ in re gravi, reincidat in eandem excommunicationem, à qua fuerat in articulo mortis absolutus, prout statuunt varii Canones *cit. c. Eos, qui.* Item *c. Quamvis c. Ea noscitur: De sent. Excomm.* Ita quidem ut dixi: Communis DD. Layman. *cit. c. 12. n. 15.* & latè Lugo *d. 20. à n. 215.* Nota tamen obiter, ab illa excommunicatione reincidente, jure communi permittente, posse absolvere Episcopum, & consequenter etiam Privilegiatum Mendicantem. Verùm Marchant. noster *cit. Trib. p. 1. Tract. 4. tit. 4. 1.* probabilissimè docet: Hoc solùm verum esse in censuris ad forum externum contentiosum deductis, tunc enim solùm absolutus in articulo mortis, postea

postea convalescens tenebitur se præsentare Superiori, Pontifici v. g. vel Episcopo, &c. ad præstandam obedientiam, & pro satisfactione congrua foro externo ob commissam contumaciam. Aliàs in foro conscientiæ tantùm id omninò negat, tanquam inconsequenter dictum ad textum Tridentini: *In Ecclesia DEI semper custoditum fuit, ut ulla esset reservatio in articulo mortis*: ergo absolutus à censurâ in articulo mortis, manet absolutè liber absque onere denuò comparendi coram Superiore in foro conscientiæ; neque hoc forum respiciunt Canones allegati, aut certè illi Canoni *Eos, qui*, derogatum est per clarum textum Tridentini, ut optimè etiam observat Jordanus apud Gobat, *n. 136.* & Januarius apud Dianam *p. 9. tract. 6. resol. 36.* & *p. 10. tract. 14. resol. 63* & *p. 12. tract. de conclavi, resol. 34.* meritò vocantem probabilem sententiam Marchantii. absolutè Gobat. *cit. n. 136.* dicens: Nequaquam esse audiendos illos, etiam celebres Doctores, &c. Sed quidquid sit, Bonum est. Nos non concernit. Quare meritò Layman *cit. n. 15.* monet consultiùs esse in mortis articulo confiteri Privilegiato. (Uti sumus Mendicantes) qui potestatem habeat absolvendi tanquam delegatus Papæ, certè sine onere postea comparendi: servatis tamen servandis, utpote priùs satisfiat parti læsæ, vel de satisfaciendâ juramentum præstetur, si excommunicatio fuit incursa ob injuriam alteri illatam, v. g. percussionem Clerici, &c. *de quo sect. seq.*

SECTIO II.
De Casibus reservatis, &c.
QUÆSTIO I.

Reservatio quid? à quo? quorum peccatorum? Speciatim respectu Religiosorum.

SUMMARIUM.

726. *Reservatio quid?*
727. *Quinam possint sibi reservare casus?*
730. *Reservari solent & debent solùm mortalia atrociora.*
731. *Externa.*
732 *Opere consummatâ,*
733. *Et certa tantùm, non dubia.*
735. *An absolvi possit Pœnitens ignorans peccatum suum esse reservatum?*
736. *Casus in Religionibus reservati.*
737. *An Prælati Regulares non possint alia peccata prohibere sub excommunicatione sibi reservata?*

§. I. *Quid?*

626 *Reservatio est negatio jurisdictionis in aliquod peccatum absolvendum, cùm tamen facultas sit absolvendi cætera.* Certum autem est de fide, esse in Ecclesia potestatem reservandi aliqua peccata à Superioribus, à quibus inferiores Sacerdotes non possint absolvere, ut sic fideles ac subditi melùs dirigantur, & à peccatis absterreantur, quorum tam difficilem absolutionem vident. Sumitur ex claris verbis Christi. *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt.* Et perspicuè docet Concilium Trident. *Sess. 14. c. 7. Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrocia quædam & gravissima crimina, non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur, &c.* CASUS RESERVATUS ergo est peccatum, cuius absolutio non permittitur cuivis Sacerdoti seu Confessario ordinario: sed ea reservatur, & manet penes Superiorem illius ordinarii Confessarii ac Pœnitentis, aut alterum à Superiore ad id specialiter delegatum. Quæ ex dicendis magis intelliges.

§. II. *A Quo? Quibus?*

727 POtestas reservandi peccata & casus, residet in Summo Pontifice respectu totius Ecclesiæ, etiam Episcoporum. In Episcopis respectu suæ Diœcesis ac Parochorum & Prælatorum sibi subditorum.

J. Parochus nihil potest reservare; cùm enim ipse sit immediatus Pastor suorum Parochianorum, utique non reservabit sibi ipsi. Excepto tamen casu, quando ipse delegat aliquem ab Episcopo approbatum loco sui, posset aliquod peccatum reservare ad se remittendum: sed hoc rarum. Denique in Prælatis Majoribus Regularibus respectu suorum Regularium subditorum.

Ratio horum est: quia nunc solus Papa jurisdictionem universalem necessariam ad peccatorum remissionem, ac absolutionem jure divino in sua electione & ordinatione accipit, reliqui verò Pastores omnes, Episcopi, Prælati Exempti &c. accipiunt jure Ecclesiastico à Papa; qui proinde iis conferre potest, & de facto confert jurisdictionem limitatam, tum respectu personarum, quosdam ab eorum jurisdictione eximendo, tum respectu peccatorum, quorundam absolutionem sibi reservando.

728 *J.* Defacto autem summus Pontifex nullum peccatum sibi reservat, nisi propter annexam excommunicationem sibi itidem reservatam; ut ex communi docent Navarrus *c. 26. n. 261* Layman *c. 12. n. 2.* Unde quando ipse Pontifex, vel ejus Pœnitentiarius aliquem absolvit ab Excommunicatione Bullæ Cænæ, v. g. ob hæresin: jam peccatum illius cessat esse reservatum, ut à quovis ordinario Confessario absolvi possit: similiter si quis commisit peccatum in Bullæ Cænæ contentum v. g. legit librum hæreticum &c. ob ignorantiam vel metum gravem excusatus fuit à censura Pontificia (juxta dicta suo loco) peccatum ab inferiori absolvi poterit, quippe eo ipso non reservatum, uti cum aliis notat Layman *citat.* Interim tamen non solum censura seu excommunicatio, sed etiam ipsum peccatum, hæresis v. g. immediatè summo Pontifici reservata est: adeò, ut inferior Sacerdos eâ potestate carens, Pœnitentem ita excommunicatum bonâ fide accedentem absolvat, nihil efficiat, & neque à peccato directè absolvat, sed tam à peccato, quàm à censura novâ absolutione directâ indigebit.

Et simili ratione, cùm Parochorum jurisdictio ab Episcopis vel aliis Prælatis jurisdictionem quasi

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi Episcopalem habentibus immediatè proveniat, possunt hi illis potestatem in foro Pœnitentiæ limitatam dare, & de facto dant, quosdam casus, seu causas graviores suo judicio reservant: etenim si in foro externo non tantùm Ecclesiastico, sed etiam civili, usitatissimum est, ut causæ graviores Superiorum Judicum examini reserventur; cur non idem fiat in foro Pœnitentiæ, ut notavit Trident. *cit. sess.* 14. *c.* 7.

729 §. Communi Ecclesiæ consuetudine reservatur Episcopis homicidium etiam occultum; ut notat Layman *n.* 4. alios varios casus enumerant varii, tanquam communi jure vel consuetudine reservatos Episcopis, ut refert *idem ibidem.* Sed constans modò DD. opinio est, nullos de facto esse casus, jure communi per se directè reservatos Episcopis, (ut infrà iterùm monebo) ideóque casus de facto Episcopales varios pro diversis Diœcesibus esse solùm reservatos *ab homine.* Quare in qualibet Diœcesi spectandum, quid lex vel consuetudo obtineat, ut omnes observant & monent. De Regularibus dictam mox inferiùs,

§. III.

Quorum Peccatorum?

730 REservari possunt, saltem de facto reservantur sola peccata mortalia externa non omnia, sed graviora, atrociora, & certa tantùm. Ita Communissima DD. Ratio bona & sufficiens est: quia potestas reservandi peccata non est absoluta, & simpliciter à solo libitu & libera voluntate reservantis pendens, sed respicit causam aliquam necessitatis ac utilitatis disciplinæ populi Christiani, ut suprà dixit Concilium Tridentinum: quippe, quæ potestas data sit, *in ædificationem, non in destructionem.* Atqui necessitas & utilitas disciplinæ populi Christiani solùm exigit reservari peccata mortalia externa, & graviora, seu atrocia perniciosa Communitati fidelium: non item exigit reservari mortalia, etiam externa omnia, multò minùs interna tantùm, quæ, cùm sub sensum non cadant, non possunt spectare ad disciplinam populi Christiani. Frustrà autem reservarentur venialia, quippe, quæ necessariò confitenda non sunt, sed variis aliis modis deleri possunt. Ac per hoc ipsum crudè nimis reservarentur omnia mortalia: sic enim Confessario communi, v. g. Parocho, nulla relinqueretur potestas & materia necessaria Confessionis. Quare sententia Theologorum, posse reservari omnia mortalia, etiam interna peccata, nudè speculativa est, & de possibili, & nullo modo practica, vel de facto, ut bene observat Marchant *tract.* 2. *tit* 4. *quæst.* 6. Insuper aliqua hic specialiùs explicanda, vel adnotanda sunt.

731 I. Peccatum mortale *externum* tantùm, est reservatum; non sufficit sola malitia interna, sed requiritur, ut etiam actio externa secundùm se gravis sit. Exempli gr. Sit reservatum furtum, omnis percussio proximi. Tu furaris unum grossum, sed intentione furripiendi quantitatem notabilem: intendis & tentas proximum, etiam Clericum percutere graviter, sed re ipsâ leviter tantùm tangis &c. peccas quidem mortaliter, sed non peccato reservato: quia id, quod est mortale, totum est internum: illud autem, quod est externum, ex se, & objectivè veniale tantùm est; adeóque non reservatum. Ita Suarez *tom.* 4. *de Religione. tract.* 8. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 12. Sanchez *l.* 2. *moral. c.* 8. *n.* 6. Lugo *d.* 20. *Pœnit. n.* 15. *sic scribens.* Quando reservatur peccatum circa castitatem, quoties in actum externum prodiit, requiritur etiam, quòd actio externa etiam secundùm se habeat gravitatem. Nàm si quis intentione mortali & gravi contrà castitatem, dicat aliquod verbum turpe ex se leve, aut exerceat aliquam actionem externam ex se levem; licèt hæc actio denominetur mortalis ab intentione graviter mala, à qua procedit, non erit reservata: quia sicut sola voluntas interna non reservatur; ita nec quando procedit in actum externum non habentem ex se gravem malitiam vel indecentiam. Sic Lugo. Similia Castro-Palaus apud Tamburinum *l.* 5. *de Sacramentis c.* 4. *num.* 15. Et hinc ulterius

II. Peccatum mortale externum *opere consummatum* tantùm est reservatum, non sufficit sola ejus attentatio etiamsi de se gravis vel lethalis; Ex communi DD. Layman *cit. num.* 3. Bonacina, Castro-Palaus, alii cum Gobat *Casu* 8. *n.* 352. Ut si reservatum sit homicidium non, sufficit solùm inflixisse vulnus etiam lethale, aut præbuisse venenum lethiferum, nisi re ipsâ sit secuta mors, quia juxta jura: crimen non intelligitur, nisi sit consummatum: attentatio homicidii non est homicidium: similiter si reservatur adulterium, vel incæstus, non incurris casum reservatum, si solùm exerceas actiones turpes, etiam turpissimas turpitudines cum uxore aliena vel consanguineâ, nisi exerceas copulam carnalem cùm seminatione &c. Ratio horum, & plurium similium est: quia reservatio est res odiosa: quippe restringens, Episcopis, Paro. his, aliisque potestatem, quæ ipsis aliàs de jure communi competeret: ergo restringenda est ad solos actus perfectos, & non extendenda ad actus imperfectos. & attentationes tantùm. Excipe tamen: nisi ipsa quóque criminis atrocis alicujus attentatio reservaretur. Nemo enim dubitat tunc reservationem validam esse. Ulterius

III. Peccatum mortale externum *certum tantùm* est reservatum; non item dubium tantùm; sive dubium sit juris, utpotè an sit lex reservans hunc casum; sive sit dubium facti, ut cum scitur peccatum hoc (homicidium, abortum procuratum, adulterium &c.) esse lege reservatum: dubitatur autem, an illud ipsum peccatum commiseris vel simpliciter, vel secundùm circumstantias seu conditiones, quibus est reservatum: an re verâ homo occisus sit, an plenè deliberatè: an ex pharmaco præbito abortus secutus: an fœmina cognita ligata fuerit, vel soluta &c. & utrobique sive dubium sit positivum & impropriè dictum;

dictum, cùm scilic. sunt rationes probabiles in utramque partem, quod omnes concedunt: sive dubium sit negativum proprie dictum: dummodò prudens sit, & virorum prudentum communiter: non utique cuiushibet privati vel indocti Confessarij, (ut providè observat Gobat *n.* 358.) Ita contra Armillam & alios satis communiter DD. Henriquez, Suarez, aliisque citatis Sanchez *l.* 1. *moral. c.* 10. Bonacina *de Pœnit. q.* 7. *propos.* 5. §. 4. Lugo *d.* 20. *sect.* 2. Dian. *p.* 4. *tract.* 3. *resol.* 4. Tamburinus *opusc. Confess. l.* 2. *c.* 1. §. 4. *n.* 27. Et *lib.* 2. *de Sacramentis, tract. de Casibus reservatis c.* 4. *num.* 7. Ratio est eadem, quæ suprà. Quia res tam odiosa, uti est reservatio, nequaquam extendenda est ad casus dubios, sed ad solos certos, claros, perspectos. Quin etiamsi præsumptio fori externi sit contra te: ut si dicas te pro ulisse verba hæreticalia, dubites autem, an verè & animo hæretico, non tamen cenebris incurrisse casum reservatum, ut contra Sanchez & alios bene probat Lugo *cit. d.* 20. *n.* 18. Tambur. *cit. c.* 4. *n* 8. Gobat. *n.* 357.

734 §. At post Confessionem ejusmodi peccati dubii reservati apud Confessarium carentem potestate in reservata, deprehendo meum peccatum certò revera fuisse reservatum: quid jam mihi agendum? R. Sola pœnitentia. Etenim absolutio non fuit data sub conditione: *nisi postea constet, verè esse reservatum*: sed absolutè: atque tanquam sub eo dubio revera non reservatum, jam directè remissum fuit. Vide dicta in simili de peccato, ut dubio confesso, postea certò factum comperto non necessario rursùs confitendo eadem: imò major est ratio in proposito, cùm jam peccatum certum confessus es, de sola reservatione dubius. Et hinc consequenter ulteriùs

735 IV. Ut peccatum mortale externum actu & efficaciter reservatum sit, requiritur notitia reservationis in Pœnitente, saltem quando confitetur: adeò, ut si Pœnitens ignoret peccatum à se patratum esse reservatum, adhuc (saltem pro illa vice) absolvi possit ab inferiori vel ordinario Confessario. Ita Navarrus, Graffis, Joseph à S. Januario apud Dianam *p.* 10. *tract.* 4. *resol.* 63. & Quintanadvennas *tract.* 3. *singul.* 11. rotundè scribens: Ignorantia reservationis, sive juris, sive facti, etiamsi sit vincibilis, excusat à reservatione. Et sanè sequitur manifestè ex dictis. Si enim dubium de reservatione ab ea excusat, multò magis excusabit ignorantia reservationis etiam vincibilis. Unde hanc sententiam Diana *cit.* censet satis probabilem, imò verissimam, si restringatur ad casus reservatos in pœnam delicti: quales sunt, qui habent annexam excommunicationem. Quoad reliquos casus merè reservatos in cautelam, & ad rectam gubernationem, fateor, videtur repugnare judicium Superiorum Ecclesiasticorum, Regularium, praxinque communem Confessariorum, qui sciunt passim ignorari à Pœnitentibus, hoc vel illud peccatum esse reservatum, tamen perinde cum ipsis procedunt, ac si nossent reservationem: ut bene observat Gobat *cit. n.* 360. meritò censens Confessarium Regularem non fore fidelem suo Prælato, si nactus Pœnitentem implicitum peccato reservato, sed reservationis ignarum, non dicat expressè: Te quidem absolvo hâc vice (scilicet ex probabili opinione DD. & benignâ interpretatione mentis Superioris, ne bonâ fide procedens idem peccatum mortale bis debeas confiteri) Scito impositerum te à me non posse absolvi sine expressa voluntate Superioris. Quod ipsum consulere soleo Parochis & Vicariis, de reservatis casibus Episcopalibus, solicitis.

§. IV.

Speciatim respectu Regularium.

CLemens Papa VIII. in Decreto edito Anno 736
1593. 26. Maij: volens restringere potestatem Prælatorum Regularium in reservando peccata suorum subditorum, statuit undecim tantùm casus, si velint, reservate posse: non verò alios, vel plures, nisi cum consensu Capituli Generalis pro toto Ordine, vel Provincialis pro Provincia. Casus autem reservabiles, & de facto sic reservati in nostra, aliisque Religionibus, sunt sequentes. Primus: *Apostasia à Religione, etiam habitu retento.* 2. *Nocturna & furtiva è Monasterio egressio.* 3. *Veneficia, incantationes & sortilegia.* 5. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.* 5. *Furtum notabile mortale de rebus Monasterij.* 6. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.* 7. *Juramentum falsum in judicio legitimo.* 8. *Procuratio, auxilium, vel consilium ad abortum fœtus animati, etiam effectu non secuto.* (hôc enim secutò, incurritur etiam excommunicatio & irregularitas ex delicto homicidii voluntarii) 9. *Falsificatio manûs, vel sigilli Officialium Monasterii.* 11. *Malitiosum impedimentum, retardatio, aut apertio litterarum Superiorum ad inferiores, vel contrà.* Additur in nostro Ordine. *Præterea pollutiones voluntariè procuratæ, & inobedientia contumax.* Cum quis scilicet post trinam admonitionem per diem naturalem inobediens perseverat.

§. Quæstio autem hic controversa est: an 737
Prælati Regulares, cum præter dictos casus non possint reservare alios: an non possint saltem prohibere alia peccata sub excommunicatione sibi reservata? Posse affirmat Suarez cum aliis non improbabiliter, quando id valde necessarium videretur ad regimen Monasterii, grave aliquod peccatum & damnum avertendum. Quare, si Superior hanc sententiam secutus, ita faceret, omninò consulendum esset subdito se accommodare. Non posse autem communior, longè probabilior, & verior est sententia DD. quam bene probat March. *cit. q.* 6. Quia etsi Pontifex censuras generatim non expresserit, plures tamen casus expressit, quibus annexa est censura, seu excommunicatio, ut in apostasia, & abortu procurato &c. ergo omnes alias reservationes

Universidad de Deusto
Biblioteca

excluſiſſe cenſendus eſt, ſive ſint peccatorum ſeu caſuum, ſive cenſuratum. Atque id colligitur apertè ſatis ex fine intento Pontificis, qui eo decreto ideo ita reſtrinxit Superiorum reſervandi poteſtatem, ne infirmiores adducerentur in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedii deſperationem, ob metum vel horrorem comparendi coram Superiore. Atqui fruſtrà Pontifex reſtrinxiſſet reſervationem ipſorum peccatorum, vel caſuum, ſi Superiores quoslibet alios caſus, vel peccata ſub cenſura ſibi reſervata prohibere poſſent: idem enim maneret periculum infirmis conſcientiis, ſive propter ipſum peccatum, ſive propter cenſuram annexam debeant coram Superiore comparere. Denique ſapit hoc manifeſtam fraudem ac eluſionem legis Pontificiæ, ac fruſtrationem finis principalis iſtius Decreti.

QUÆSTIO II.

Quis poteſt abſolvere à Caſibus reſervatis?

SUMMARIUM.

738. *Quis poſſit abſolvere à reſervatis generatim?*
739. *A quibus caſibus & cenſuris Papæ reſervatis abſolvere poſſint Epiſcopi, & Prælati Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum?*
740. *Qualiter & à quibus caſibus & cenſuris papalibus ex privilegio Mendicantes abſolvere poſſint Sæculares?* uſque ad n. 745.
745. *Quid poſſint Mendicantes quoad caſus Epiſcopales?*
749. *Quis per accidens, & adhuc directè in neceſſitate & impedimento perpetuo adeundi Papam, vel Epiſcopum poſſit abſolvere à reſervatis eiſdem?*
752. *Tales abſolvi poſſunt ab inferiori, ſub duplici tamen onere, vel conditione.*
753. *Quando & qualiter per accidens & indirectè à reſervatis abſolvere poſſit inferior in caſu neceſſitatis, vel impedimento adeundi Superiorem?*
757. *Specialia quoad hæc ex parte Pœnitentis.* uſque ad n. 761.
761. *Item ſpecialia ex parte Confeſſarij.* usque ad n. 766.
766. *Specialia quoad reſervata tempore Jubilæi.*
768. *Specialia quoad Superiores Regulares, quando poſſint, & debeant abſolutionem à reſervatis committere inferiori,* uſque ad n. 773.

738 A Peccato ſeu caſu reſervato, per ſe directè abſolvit. 1. Ipſemet reſervans Pontifex, Epiſcopus, ſeu Prælatus Regularis. Eiuſdem in officio ſucceſſor, cùm non habeat par in parem imperium. Eiuſdémque in jurisdictione ſpirituali Superior; ſic reſervata ab Epiſcopo abſolvit Papa: reſervata à Provinciali, abſolvit Generalis &c. Et hinc fit, quòd quando in Jubilæo Pontifex concedit poteſtatem abſolvendi ab omnibus peccatis reſervatis, comprehenduntur etiam caſus Epiſcopales, & Regulares omnes. 2. Ejusdem reſervantis Delegatus. Ulti ſunt in noſtro ordine Confeſſarij Conventuum ad hoc ſpecialiter deputati à Provinciali: Item omnes Superiores locales, Guardiani, Præſides, & in abſentia Guardianorum (in fraudem non expectatâ) Vicarij: ex delegatione Capituli Generalis per ſtatuta Ordinis: qui proinde, cùm eorum delegatio ſemper ſit annexa officio, eóque ipſo in ordinariam jurisdictionem tranſeat, eam poteſtatem etiam aliis ſubdelegare poſſunt, directè, indirectè, activè & paſſivè. Idémque eſt, ſi Epiſcopus Parocho generaliter pro tota ſua Parochia perpetuò delegat ſuos caſus. Ita contra alios bene probant Rodriquez *Q. Q. R. R. tom. 1. q. 21. a. 8.* Sanchez *l. 8. Matrim. diſp. 3. n. 10.* & *l. 4. moral. c. 27. n. 41.* Layman *c. 10. n. 17.* quos videre potes. Neque de his, aliquid ſpeciale dicendum pro nunc ſupereſt. 3. Alii, quibus id de jure vel privilegio competit, de quibus mox infrà. Quamvis & hi dici poſſint, & verè ſint delegati Pontificis. Præter hos nullus inferior *per ſe directè* abſolvit à reſervatis Superiori, niſi ſolùm. 4. Quandóque per accidens in neceſſitate, quando Superior adiri non poteſt: & tunc directè adhuc in periculo mortis, vel impedimento perpetuo adeundi Pontificem: indirectè verò tantùm, cum onere denuò ſe ſiſtendi in neceſſitate, vel impedimento temporali. Eſt tota Communiſſima DD. neceſſariò, præſertim quoad hoc quartum pluribus explicanda. Conabor explicare diſtinctè & clarè per §§.

§. I.

Quinam Jure, vel Privilegio?

I. Epiſcopi, & Prælati Regulares reſpectu Subditorum.

JUre liquido Concil. Trident. *ſeſſ. 14. c. 6. de Reform.* Epiſcopi poſſunt abſolvere ſubditos per ſe, vel per alium à ſe deputatum, ab omnibus caſibus & cenſuris Papæ reſervatis, quando ſunt occulti, exceptâ hæreſi: à qua etiam occulta nequeunt, niſi per ſeipſos immediatè abſolvere. Verùm, quoad hoc huic Decreto derogatum eſt per Bullam *Cœnæ*: de quo jam dubitari non poteſt: cùm Decretum Cardinalium ſub Alexandro VII. inter propoſitiones damnatas anathemate percellat etiam hanc tertio loco poſitam. *Sententia aſſerens: Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, Anno 1629. 18. Julij, in Conſiſtorio & Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium, viſa & tolerata eſt.*

Eodem jure, vel potius privilegio Pontifices cum, Prælati Regulares, ſuos ſubditos Regulares, atque etiam Ordinis ſui Advenas vel hoſpites abſolvunt ab omnibus omninò caſibus & cenſuris Epiſcopo reſervatis (tamen particulatim perſonæ non inflictis) exceptâ hæreſi publicâ, ſaltem in locis, ubi viget inquiſitio, ut in Italia, Hiſpania &c. Ex Bulla Martini V. Rodriquez *Q. Q. R. R. tom. 1. q. 20. a. 4.* extendens etiam ad cenſuras, quæ futuro tempore reſervabuntur, eò, quòd privilegium indefinitè conceſſum, ſi alteri non oneroſum, ſed merum beneficium Principis eſt, ampliſſimè accipiendum, & ad futura etiam extendendum ſit. Gloſſa *in c. quia circa de privilegiis*, atque ibidem uſque ad articulum nonum late agitur de quatuor caſibus exceptis

exceptis à Sixto IV. 1. Si hæretici ſint relapſi. 2. Si Schiſmatici. 3. Si litteras Apoſtolicas falſificaverint. 4. Si ad infideles prohibita detuliſſent. Quæ, ſi noſſe cupis, legere poteris, mihi non vacat immorari.

II. Privilegium Mendicantium reſpectu Sæcularium quoad caſus Papales.

740 EX Privilegiis & Confeſſionibus diverſorum Pontificum, Confeſſarij Regulares Ordinum Medicantium, juxta formam Clementinam (de qua *ſect. 1. q. 2. a. 4.*) à Superioribus præſentati & approbati, tanquam delegati immediati ſummi Pontificis, abſolvunt ſæculares undequaque advenientes ab omnibus caſibus Papalibus, ſeu ab omnibus peccatis, & quibuscunque (particulatim non inflictis) ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, etiam ſummo Pontifici reſervatis, exceptis caſibus Bullæ Cœnæ, & pro foro conſcientiæ tantùm. Certum ex Bullis Pontificum paſſim extantibus apud Rodriquez, Suarez, Cherubinos, alios. Aliqua
741 breviter explicanda ſunt I. *Abſolvunt ab omnibus Caſibus Papalibus &c. exceptis Caſibus Bullæ Cœnæ.* Caſus Papales, ſeu Pontifici reſervati ſemper habentes annexam excommunicationem, ut *q. præced.* notatum, ſunt in duplici differentia. Alij ſunt communes reſervati Papæ à jure communi, & conſtitutionibus Pontificum, ſanè permulti *Can. ſi quis ſuadente. Deſent. Excom.* Omnes noſſe, non multùm opus eſt tibi Privilegiato, cùm ſcias te poſſe abſolvere ab omnibus: habe ergo ſemper intentionem abſolvendi ab omnibus, in quantùm potes, & Pœnitens indiget, juxta dicta *cap. 5. q. 3. n. 2.* Alij ſunt caſus ſpeciales reſervati Pontifici in Bulla Cœnæ (ſic dicta, quòd ſingulis annis in Cœna Domini de novo promulgetur.) Primus & præcipuus eſt hæreſis formalis, lectio librorum Hæreticorum &c. reliqui in noſtris partibus vix contingunt, & ideo & hos omnes noſſe non multum opus habes. Utrosque autem ad extenſum videre potes apud Suarez, Filliucium, & Baſſæum, alios paſſim. In his ergo Bullæ Cœnæ caſibus, vi dicti Privilegij nihil poſſumus. Aliunde tamen ab hæreſi occulta hactenùs abſolvebamus Confeſſarij ad id à Provinciali ſpecialiter deputati: quod ab aliquot jam annis in dubium revocatum fuit: tandem in præfato Decreto Alexandri VII. omninò ſublatum, & damnata illa propoſitio quarta. *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſâ.* Quare modò ſpecialis licentia quinquennalis Romæ obtinenda eſt.

II. *Ab omnibus ſententiis, cenſuris & pœnis.*
742 Vi hujus Privilegij abſolvi poſſunt non tantùm excommunicationes & cenſuræ propriè dictæ medicinales, quæ ob contumaciam inferuntur, ſed etiam ſuſpenſiones, & interdicta Juris ob delictum merè præteritum impoſita, ſive ad tempus, biennium, triennium &c. ſive in perpetuum & ſine ſpe remiſſionis, qualis perpetua ſuſpenſio, vel potiùs depoſitio à Pio V. lata eſt in exercentes ſodomiam, qui ſi occulti ſint, ab Epiſcopis abſolvi poſſunt ex commiſſione ipſis facta in *ſuprà cit. Trident. ſeſſ. 14. cap. 6. Reform.* Et à Confeſſarijs Ordinum Mendicantium, virtute dicti privilegij. Itémque aliæ pœnæ Eccleſiaſticæ, ut ſunt privationes officiorum, dignitatum, graduum, vocis activæ & paſſivæ, actuum legitimorum &c. in Bullis Pontificiis ferri ſolitæ, contra Eccleſiaſticos, etiam Regulares, ut notat Pellizarius, *tom. 1. dub. Regul. tract. 8. c. 3. n. 88.* Attamen hoc privilegio nulla conceditur facultas ſuper irregularitatibus; quia hæ non per abſolutionem, ſed per diſpenſationem tolluntur, cùm non tam pœnæ ſint, quàm Canonica impedimenta ex communi Doctorum, Suarez, alij cum Layman *c. 10. n. 18.* Quamvis eo privilegio etiam comprehendi irregularitates ex delicto, quippe etiam pœnam ſapientes, doceant Henriquez, Guttierez, Sotus apud Pellizarium *cit.* Idque in caſu neceſſitatis poſſe locum habere, concedit etiam Gobat *Alphab. Confeſſ. Caſu 20. n. 641.*

III. *Sæculares.* Hoc enim privilegio abſol- 743
vendi omnes fideles, non comprehenduntur Religioſi, quibus ſecundùm propria ſtatuta extra ſuum Ordinem, aut alteri quàm illi, quem Prælatus ad hoc munus deſtinavit, confiteri permiſſum non eſt juxta dicta *Sect. præced. n. 683.* Unde Confeſſarij ſubditi neque Religioſos ejusdem Ordinis ſui abſolvere poſſunt ab ejusmodi caſibus Papalibus, niſi ad id à Superioribus ſpecialiter deputati ſint. At, quando Provincialis in Conventibus deputat Confeſſarios pro caſibus reſervatis, confértne poteſtatem in caſus in ordine reſervatos Superioribus, an etiam in caſus Papales iſtos? §. Debere intelligi eorum mentem, ex forma verborum. Si enim Dicat: *Do tibi totam meam poteſtatem in caſus reſervatos; do facultatem abſolvendi ab omnibus, a quibus ego poſſum.* Jam cenſetur etiam caſus Papales. Secùs, & ſaltem dubium eſſet, ſi dicat: *Do tibi facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus mihi reſervatis.* Vide, quàm meritò nuper declaratum ſit, Confeſſarios etſi deputatos ad caſus reſervatos, non tamen poſſe abſolvere percuſſores Fratrum. Eſt enim hic caſus Papalis communis, & non Regularis ſpecialis in Ordine Superioribus reſervatus.

IV. *In foro conſcientiæ tantùm.* Ita nimi- 744
rùm, ut abſolutio excommunicationis facta à Mendicante Privilegiato, non neceſſariò habeat vim in foro externo, ſi lis moveatur, ſed Judex ſecundùm juris rigorem poſſit non habere rationem hujus abſolutionis, & delictum cognitum plectere, reúmque condemnare pœnâ commeritâ, perinde ac ſi abſolutus non fuiſſet. Quanquàm ſecundùm æquitatem ea abſolutio deberet etiam ibi valere, ut docet Henriquez *cap. 27.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

de Excomm. De cætero autem absolutio illa valet etiam in foro externo, quoad omnia alia, ut nimirùm non teneatur se gerere tanquam excommunicatum, possit publicè versari cum hominibus, divina Officia, & Sacramenta frequentare &c. ac perinde se gerere, ac si nullam censuram incurrisset, modò id sine scandalo fiat, & testimonio Confessarij constet fuisse absolutum à censura: atque propter actus ita exercitos non debeat puniri à Judice. Excipe semel pro semper. Nisi sit quis personaliter excommunicatus, vel nominatim denuntiatus. Unde in privilegio suprà notanter expressa est limitatio: *ab omnibus particulatim non inflictis censuris & pœnis.* Quando enim aliquis particulatim, seu personaliter est excommunicatus vel censuratus, aut nominatim denuntiatus, aut in forum contentiosum, per citationem saltem defacto jam adductus, palàm est: non habere locum dictum privilegium Mendicantium ad absolvendum ab illa censura vel pœna.

Tandem facultate absolvendi à casibus reservatis, quoad ipsa peccata sine dubio privilegiati isti non possunt uti extra Sacramentum Confessionis: sed tantùm *eorum confessionibus diligenter auditis*, ut loquitur Pontifex Paulus III. in Bulla, *Cum inter cunctas*: At verò facultate absolvendi à censuris possumus uti etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, & absque confessione Sacramentali. Sic Navarrus *l. 5. Consilio* 11. *Suarez, Henriquez, Rodriquez, Coninck*, eósq; citans Layman. *hic cap.* 10. *n.* 21. Ratio est: quia privilegium, ceu gratia Principis, interpretandum est secundùm naturam rei, quæ conceditur: atqui absolutio ab excommunicatione, aliáve censurâ non dependet à peccatis: potest enim aliquis absolvi à censura in conscientiæ foro, etsi non absolvatur à peccatis: unde Confessarij etiam delegati frequentissimè separant absolutionem à censura ab absolutione à peccato, etiam in foro conscientiæ: in foro externo res nimis clara: Prælatus enim à censura absolutum, pro absolutione à peccatis remittit ad alterum Confessarium, neque quoad hoc apparet aliqua limitatio in dicto privilegio: ergo absque confessione Sacramentali absolvere à censura possumus, dummodò Pœnitens fateatur suam culpam, & satisfacere paratus sit. Quamvis Layman *ibidem* rectè notet, non esse facilè ita procedendum, ut Privilegiatus à censura, vel alia pœna Ecclesiastica ex peccato resultante absolvat, nisi vel auditâ ejus confessione, vel saltem in ordine ad confessionem mox instituendam, quia id tutius, consultius, & usitatius est.

§. *Quoad casus Episcopales.*

745 I. EOdem privilegio consequenter Regulares Mendicantes absolvunt à casibus & censuris jure communi reservatis Episcopis, vel potius permissis, secundùm omnes. Cùm enim Pontifex privilegio isto dat Mendicantibus facultatem absolvendi à casibus jure communi ipsimet Papæ reservatis, multò magis dat facultatem absolvendi à casibus eodem jure communi Episcopis solùm reservatis, vel (dixi) potiùs *permissis*. Nam, ut suprà innui, certum videtur nullos esse casus jure communi (saltem quod adhuc in vigore sit) per se primò reservatos Episcopis; sunt tamen casus per se primò reservati Papæ, sed jure communi per delegationem universalem delegati potestati ordinariæ Episcoporum concessi & permissi ad absolvendum. Uti est percussio levis, mortalis tamen Clerici, procuratio abortûs, in excommunicationem reincidentes: de quibus *quæst. 6. ante finem.* Et quoties per accidens ob impedimentum perpetuum potestas absolvendi à Casibus Papalibus jure communi devolvitur ad Episcopos. Et de his, & hujusmodi omnibus, ob rationem datam, liquidò absolvunt Privilegiati Mendicantes.

II. Eodem privilegio, eâdémque rationabilissimâ extensione, in communiori (& turâ sententiâ ob tam pingues & universalissimas clausulas Bullarum (v. g.) *absolvendi ab omnibus casibus, censuris, pœnis, à jure vel homine quomodolibet reservatis*) Regulares Mendicantes absolvebamus à casibus, Episcopis ab homine reservatis, quos scilicet ipsi Episcopi, quisque in sua Diœcesi sibi reservat: etiam non obstante Decreto Urbani VIII. de anno 1628. 17. Novembris eam absolutionem prohibentis, eò, quòd illud Decretum, aut extra Italiam se non extenderit, aut certè sufficienter promulgatum non fuerit: posteà verò prodiere vel innotuere authenticè tam multæ bullæ & declarationes in favorem Episcoporum, ut ijs perpensis Alexander VII. inter propositiones damnatas duodecimo loco sub anathemate etiam hanc prohibuerit: *Mendicantes possunt absolvere à Casibus, Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.* 746

III. Censentur autem Episcopi concedere hanc facultatem, quando nôrunt vigere apud Religiosos Mendicantes (sicut revera verissimè viget in Germania) morem absolvendi à talibus casibus, & tamen non contradicunt: eâdem ratione, quâ suprà dictum de tacita approbatione, & tacita delegatione Jurisdictionis ad confessiones audiendas, ut optimè observat Gobat *Casu VIII. n.* 374. addens: quod consuetudo possit ampliare, imò tribuere Jurisdictionem: Navarrus *Man. c.* 277. *n.* 251. loquens in specie de Casibus reservatis: & optimè notans; si quis casus Episcopalis habeat annexam excommunicationem ab homine latam, speciatim in hominem, & is nondùm satisfecit parti læsæ, absolvendum non esse. 747

IV. Quid si ergo Episcopus expressè contradicat, & interdicat Mendicantibus facultatem absolvendi à casibus reservatis sibi? prout nobis factum ab aliquo Episcopo nostræ Provinciæ: Quidquid sit de præscriptione. Habentes patientiam se interim accommodent; & se humiliantes licentiam petant sine dubio impetrandam. 748

dam. Insuper interim Pœnitentes reservationis Episcopalis ignaros (quales frequentissimi) pro prima vice tuto absolvant, juxta dicta *q. præced. n.* 4. Et certum videtur eos posse adhuc absolvere per accidens, quando urgente causâ absolvendi non patet ad Episcopum recursus, ut mox generatim dicam inferiùs.

§. II.

Quis per accidens, & adhuc directè, in necessitate & impedimento perpetuo?

749 I. IN extrema necessitate, seu articulo vel periculo mortis, cessante omni reservatione, quemlibet Sacerdotem, quoscunque pœnitentes à quibusvis peccatis & casibus reservatis ac censuris directè absolvere posse, jam explicatum habes *sect. præced. q. VI.*

750 II. Etiam extra extremam necessitatem & articulum mortis; quando est impedimentum perpetuum adeundi summum Pontificem pro casibus Papalibus, (aut alium Superiorem, v. g. Episcopum pro casibus Episcopalibus, &c.) ut in senibus, mulieribus, impuberibus, valetudinariis, pauperibus, & universim, quando sine magna difficultate non potest adiri Sedes Apostolica, ipsâ rationabilissimâ Epikeiâ, & interpretatione juris, quod ad impossibile obligare non potest, eatenùs cessat reservatio, ut in peditus directè absolvi possit ab alio inferiori, sine onere denuò confitendi (etsi non sine alio onere, de quo *infrà* N. IV.) juxta communissimam DD. sententiam, & ipsa jura mox alleganda. Addúntque DD. communiter cum Diana *p.* 11. *Tract. 7. resol.* 2. Tamburin. *l. 5.* de Sacrmentis *c.* 1. §. 2. Quando sic impeditus nequit ipse adire Pontificem vel eius Pœnitentiarium, Legatum, Nuntium, non teneri ad ipsorum aliquem litteras, vel nuntium mittere pro impetranda absolutione, cùm id nullo jure præcipiatur, sed nihilominùs ab inferiori, v. g. Episcopo, absolvi posse, quod etiam in praxi fieri vidi, etiam quoad dispensationes aliquas.

751 III. Jure communi *c. Mulieres* & *c. Quamvis de sententia Excommun.* Facultas absolvendi à casibus Papalibus devolvitur ad Episcopos, in eiusmodi impedimento adeundi summum Pontificem: idque universaliter respectu omnium casuum ac excommunicationum Papæ reservatorum, etiam Bullæ Cœnæ, juxta communem DD. apud *citatos.* Consequenter eadem facultas devolvitur etiam ad Privilegiatos Mendicantes à fortiori. Quin addit Dicastillus apud Gobat n. 368. si nec Papa, nec Nuntius adiri possit, Privilegiatum esse præferendum Episcopo, quod tamen meritò negant Diana, Tamburinus citatus. At, quid si neque Episcopus, vel eius Vicarius Generalis adiri, neque Privilegiatus aliquis haberi possit in tali casu impedimenti perpetui? Ergo adeat suum Parochum, vel alium legitimum Confessarium habentem scilicet potestatem in alia eius peccata mortalia, qui tunc æquè ac Episcopus vel Privilegiatus, per accidens eum absolvere poterit directè, tamen cum onere mox explicando. Ita satis communis DD. Sotus, Sylvester, aliíque citatis Suarez *d.* 30. *sect.* 3. Tanner. *d.* 6. *q.* 10. *dub.* 6. Tamburin. *citatus n.* 36. Layman *c.* 32. *n.* 15. omninò probabile censens. Quia eadem ratio Epikejæ adhuc urget. Quam doctrinam DD. extendunt etiam ad Parochum respectu casuum Episcopalium, si nequeat adiri Episcopus, vel ejus Vicarius, & urgeat necessitas communicandi, sacrificandi, aliàs diu absolutione carendi. Consequenter à fortiori ea facultas per accidens extenditur ad Privilegiatos respectu Episcopalium casuum, ut §. *præced.* innui.

752 IV. Tandem in jure *c. Parochianos t. ex tenore. c. Adhæc c.* 1. *Ea noscitur de sent. Excom.* & *suprà cit. c. Eos. qui eodem titulo in* 6 decernitur. Ut qui ob instans mortis periculum, vel aliam legitimam causam non possunt accedere Pontificem pro impetranda absolutione ab excommunicatione reservatâ Papæ, absolvantur quidem ab inferiori, sed cum duplici onere vel conditione. Prima conditio requisita est, ut non absolvantur, nisi præstito juramento, quòd sublato impedimento se præsentaturi sint Pontifici, ejúsque mandato parituri: idque pro qualibet excommunicatione Papali intelligit Corduba: Diana verò *part. 5. tract. 9. resolut* 68. pro omni & sola excommunicatione inflicta ob magna crimina, ut hæresis, incendiarii, falsarii, percussoris Clerici: sed rectiùs solos percussores Clericorum esse obstringendos hoc juramento, cùm de hoc solo loquantur Canones Sacri allegati, docent Avila *de Censuris p.* 2. *c.* 7. *disp.* 3. *dubio* 4. Tamburinus *opusc. de Confess. l.* 3. *c.* 6. *n.* 4. Bona-Gratia Capucinus in Summula V. absolutio generaliter *n.* 11. Gobat *cit. n.* 145. Idque probabilissimè solùm pro foro externo, quando res deducta fuit ad forum contentiosum, saltem in mortis articulo, juxta dicta *sect. præced. in fine.* Et esto etiam obliget in foro conscientiæ, at certò non obligat, quando potest adiri, vel defacto adest Delegatus Papæ, seu Privilegiatus Regularis, atque tempore Jubilæi, quivis Confessarius approbatus: quippe, qui tunc non per accidens, sed vi Privilegii, tanquam Delegatus Papæ, per se directè absolvit ab illa excommunicatione, ut etiam notavit Gobat *ibidem.*

Altera conditio est, ut qui est excomunicatus ob injuriam alteri illatam, v g. ob percussionem Clerici, non donetur beneficio absolutionis, *nisi satisfactâ parte.* Quæ clausula solet etiam adhiberi in Bullis Jubilæorum. Et quidem communior DD. & nominatim Barbosa in *cit. cap. Ea noscitur n.* 7. absolute docent eam satisfactionem esse reipsa præstandam parti læsæ, priusquàm lædens absolvatur ab excommunicatione latâ propter hanc injuriam: & si fieri commodè possit, utique fieri debet: alioquin certè sufficere debet juramentum, etsi præstetur cautio pignoratitia, vel fidejussoria de satisfactione postea

Universidad de Deusto
Biblioteca

præstanda, uti cum aliis rectè *Suarez* suprà. Idque rursùs probabilissimè solùm pro foro externo, ut suprà: pro foro autem conscientiæ sufficiet promissio, imò & firmum propositum de satisfactione præstanda: uti contra communiorem, cum aliis docet Lezana *in summa V. absolutio num.* 9. Consentit Bona-Gratia & Gobat *ll. cc.* Ratio est: quia Pœnitenti etiam non jurato, vel cautionato creditur in foro Sacramentali. Denique Tamburinus *supra cit. n.* 2. & Gobat *n.* 145. *circa finem* meritò dubitant, an non Canonibus allegatis sit desuetudine derogatum? cùm non sit auditum quemquam à Confessario Germano fuisse compulsum, ut obligaret se Juramento in utrovis dicto casu: certè à me non, nec, ut credo, ab ullo Privilegiato. Interim tamen Reverendissimis Ordinariis juxta allegatos Canones in examine pro cura respondendum est. Vide latissimè Tamburin. *l. 5. tr. de Cas. reserv. c.* 12. §. 4. *per tot.*

§. III.

Quis per accidens, & indirectè tantùm in casu necessitatis, & impedimenti temporalis? Quoad casus maxime Regulares?

753 QUando adest impedimentum saltem temporale comparendi coram Superiore, vel alio potestatem habente, quando nimirum is, vel omninò adiri non potest, aut non nisi cum gravi difficultate, incommodo, longâ morâ, aut adiri quidem possit, sed audire nolit, vel non possit, &c. ex altera autem parte adest necessitas, aut rationabilis causa aliqua confitendi, ipsâ juris interpretatione potest alius inferior Confessarius legitimus absolvere à casibus Superiori reservatis, imposito Pœnitenti onere, comparendi postea opportuno tempore coram eodem Superiore, vel alio facultatem habente. Communissima DD. meique omnes. Layman c. 12. n. 10. Ratio est: quia Ecclesia pia Mater, & quilibet Superior non potest censeri velle obligare ad aliquid vel moraliter impossibile, vel quod in grave detrimentum aut spirituale animarum, aut temporale personarum cederet. Certè in sacris Canonibus partim jam allegatis, sæpiùs declarat Pontifex, eos, qui ob inopiam, vel gravem difficultatem non possunt adire Romam, posse absolvi (per accidens) ab Episcopis: pari ergo ratione, qui non possunt adire Episcopum, aut Superiorem reservantem, ejúsve delegatum, debent posse absolvi ab inferiori per accidens, & indirectè saltem cum onere prædicto. Addit rectè Layman *cit. n.* 10. post *Henriquez, Suarez, Coninck*, alios, idem in tali casu dicendum esse, tametsi censura excommunicationis v. g. propter occultam percussionem Clerici, reservationi annexa sit. Si enim excommunicatus ob vitandam infamiam v. g. sacram Eucharistiam suscipere possit, cessante nimirùm tunc obligatione juris positivi Ecclesiastici prohibentis excommunicato usum Sacramentorum; multò magis in tali casu necessitatis à peccatis absolvi poterit non obstante excommunicatione: quod bene notent Confessarii scrupulosi.

II. Confessarius inferior non potest licitè 754
saltem indifferenter absolvere Pœnitentem à reservatis & censuris cum onere postea comparendi coram Superiore, vel delegatam potestatem habente, sed tantùm in necessitate vel rationabili causa existente: alioquin debet eum ad Superiorem remittere, vel ab eodem facultatem absolvendi petere. Communissima cum Suarez *d. 37. s. 2. n. 3.* Coninck *d. 8. dub. 13. concl. 3.* Layman *n. 9.* Et sic significat Trident. *sess. 14. c. 7.* dicens: Extra quem (mortis articulum) *cùm Sacerdotes nihil possint in casibus reservatis, id unum Pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.* Ratio est: quia ad integritatem confessionis Sacramentalis pertinet, ut de omnibus mortalibus peccatis fiat coram legitimo Judice, qualis ille tantùm est, qui potestatem habet de integra causa cognoscendi, seu in omnia Pœnitentis peccata, ut absolutio ab eo ritè pronuntietur: Deinde semper in sacris Canonibus exprimitur causa necessitatis ad hoc, ut inferior absolvat à reservatis; ergo aliter non datur facultas inferiori à peccatis reservatis absolvendi, saltem licitè) de valore disputant quidem DD. sed verùs est, absolvere adhuc validè, dummodò Pœnitens aliud peccatum directè absolubile confiteatur, de quo rursus inferiùs) talis autem necessitas & rationabilis causa est, si Sacerdos sacrificare debeat, aut Laicus communicare, ut sine nota, scandalo, infamia, dicteriis, suspicionibus &c. abstinere non possit: pertinet enim tum ad dignitatem ac reverentiam Sanctissimæ Eucharistiæ, tum ad suscipientis securitatem, ut si conscius sit peccati mortalis, ab eo prius Sacramentalem absolutionem accipiat: Neque sola necessitas communicandi aut sacrificandi præbet justam causam ita confitendi, & obtinendi absolutionem à reservatis ab inferiori, sed etiam casus, quando alioquin oporteret diu carere Confessione & Communione: & generaliter omni casu: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum imineat animarum*, ut habetur *cap. ult. de Pœnit. & Remiss.* Marchant, Diana, alii infrà citandi ex communi.

III. In ejusmodi casu necessitatis, quando, 755
ut suprà, non potest adiri Superior, vel eius delegatus, inferior Confessarius absolvit pœnitentem solùm indirectè à peccato reservato, (quare Pœnitens, si absolvi velit tunc, semper aliud peccatum non reservatum, saltem veniale directè à Confessario absolubile in confessione adferre debet, alioquin invalida erit absolutio in hac sententia) & ideò cum onere denuò, quamprimùm commodè poterit, comparendi coram Superiore, ejúsve Delegato ad iterùm confitendum, & absolutionem directam impetrandam. Ita communissimus sensus DD. & singulariter Tannerus *tom. 4. d. 6. q. 7. dub. 4.* Layman *cit. n.* 11. alii passim. Ratio & differentia inter hunc casum, & casum præcedentem §. 2. est: quia in priori casu articuli mortis, vel impedimenti perpetui cessat reservatio, & Sacerdoti plena datur jurisdictio, & ideo Pœnitens directè absolvitur à reservatis casibus & censuris absque ullo onere postea confitendi, aut comparendi coram Superiore pro nova absolutione impetranda. ut *q.* 8. explicatum est. At, casu necessitatis urgentis & impedimenti temporalis tantùm, reverâ non aufertur reservatio, neque Confessario datur plena jurisdictio, sed solùm propter necessitatem datur licentia absolvendi cum dicto onere ad eum modum, quo propter similem necessitatem datur licentia dimidiandi confessionem, & super confessione dimidiata absolvendi cum onere deinceps cætera peccata omissa subjiciendi clavibus: ergo sicut in hoc, ita & in isto nostro casu Pœnitens à reservatis solùm absolvitur indirectè cum onere comparendi postea, coram Superiore, vel potestatem habente ad denuò confitendum, ipsámque absolutionem directam impetrandam.

756 IV. Attamen Marchant noster, primus, quem viderim, Tribunalis *p. 1. tr. 4. q. 8.* docet eo casu necessitatis Confessarium inferiorem etiam directè absolvere à reservatis: attamen semper cum dicto onere denuò comparendi: idque potestate interpretativâ ab Ecclesiâ concessâ: quia Ecclesia non vult per reservationem suos subditos præcipitari in aliquod periculum animarum, quale adhuc subesse posset, si eo casu necessitatis subditi indirectè tantùm absolverentur à reservatis, ut consideranti patebit: quare in ejusmodi casibus censetur velle etiam inferioribus Confessariis conferre, vel relinquere Jurisdictionem seu facultatem absolvendi, etsi onerosam cum dicto onere denuò comparendi & confitendi Superiori, vel potestatem habenti. Et, si quæras, ad quid nova confessio, & ablutio, cùm sit jam directè absolutus? Respondet: Sicut quilibet Confessarius Pœnitentem jam antèà contritione justificatum absolvit verissimè à peccatis, quatenus adhuc in foro Sacramentali retenta sunt: ita & Superior Subditum jam antea sic onerosè confessum & absolutum à reservatis, verissimè ab iisdem absolvit, quatenus per reservationem ipsi adhuc ligata & retenta iunt: tum etiam, quantùm est ex parte gratiæ, quia utroque casu per absolutionem adhuc confertur gratia sanctificans remissiva peccati, si adhuc adesset. Hanc singularem Marchantii sententiam refert, & approbat Diana. *p. 9. tr. 7. resolut.* 11. & rursùs *p. 11. tract. 8. resol.* 49. & pro probabili habet Dicastillus *hic d. 11. dub.* 16. nec improbat Gobat *Casu 8. n.* 384. Nec mihi displiceat. Sed censeo sapiendum cum paucis, sed loquendum cum multis, præsertim in examine pro Cura. Quare his generatim suppositis: jam plura specialius explicanda restant.

§. IV.

Specialis ex parte Pœnitentis.

QUando miser Pœnitens habes casum reser- 757
vatum, & in necessitate communicandi, celebrandi, Sacramenta ministrandi, non potes accedere Superiorem, vel alium potestatem habentem, habes tres sententias, omnes in praxi tutas. Prima: non teneris confiteri Sacerdoti inferiori cum dicto onere; saltem. si præter reservatum, nullum aliud habeas mortale, sed potes te gerere, sicut qui non habet copiam Confessarii: cùm nullus, per se loquendo, contra voluntatem suam cogatur bis confiteri, nec consequenter confiteri tali Sacerdoti, cum onere postea id ipsum confitendi alteri. Confitere ergo soli DEO cum vera contritione, saltem æstimatâ quoad potes, & cessante scandalo, celebra, communica, &c. Ita cum aliis Suarez *disp. 30. sect. 3.* Layman *c. 12. n.* 11. alii moderni passim. Quòd si verò præter peccatum reservatum aliquod aliud mortale habeas, sanè longè probabilius & tutius est, teneri confiteri communicaturum, ob præceptum Christi de confessione necessariò præmittenda S. Communioni. Secunda ergo sententia probabilissima & tutissima est, debere tunc te eidem Sacerdoti inferiori omnia tua mortalia, tam reservata, quàm non reservata confiteri, tum, ut Confessarius Pœnitentis statum rectè cognoscat; tum, quia videtur urgere duplex præceptum Christi, & de confessione præmittenda Communioni, & de integra confessione omnium mortalium eidem Sacerdoti facienda, cum eo casu non appareat sufficiens ratio ad dimidiandam confessionem; nec inconveniens sit, per accidens aliquem idem peccatum teneri bis confiteri. Ita communis DD. cum D. Thoma 4. *d.* 17. *q.* 3. *a.* 2. Suarez *d.* 31. *sect.* 2. Layman *cit. n.* 11. Idque maximè verum est in singulari sententia Marchantij nostri, & aliorum: si nimirùm à reservatis directè, etsi onerosè absolvendus sit. Tertia sententia etiam probabilis est & tuta, posse tunc pœnitentem confiteri sola non reservata, tacitis reservatis: quippè pro quibus directè absolvendi non est copia Confessarii, ideóque non urgeat præceptum integritatis confessionis, neque absque certo fundamento imponenda sit obligatio idem peccatum mortale bis confitendi. Ita Sotus, Corduba, Gabriel, aliisque relatis Diana *p. 1. Tract. 4. Resolut. 14.* nec improbant, Layman *eodem n.* 11. & Cardinalis de Lugo *d. 4. de Eucharistia n.* 86. Loquimur autem, & loquemur semper in sententia & sensu communi DD. eo casu Pœnitentem à Confessario inferiori solùm indirectè absolvi à reservatis peccatis, cum onere ea confitendi denuò Superiori, vel potestatem habenti pro directa absolutione. Jam specialiora.

II. Quibonâ fide confitetur Confessario in- 758
feriori nesciens suum casum esse reservatum

(de

Universidad de Deusto
Biblioteca

(de quo mitiora *suprà q. præced. §. 3. n. 4.*) aut Confessarium non habere facultatem ipsum absolvendi, aut si ipse Confessarius credat casum non esse reservatum, cùm reverà sit &c. (dummodò aliud peccatum, saltem veniale non reservatum adferat) validè absolvitur cum dicto onere, compertâ veritate, denuò reservata confitendi: adeóque quicunque sciens peccatum suum esse reservatum, indirectè ab eo absolvi petit, necessariò debet adferre aliud peccatum non reservatum: etsi præter peccatum reservatum immunis sit ab alio peccato mortali, necessariò ultra peccatum mortale reservatum, confiteri debet aliquod peccatum veniale, vel mortale jam antea legitimè confessum, alioquin nulla erit materia idonea directæ absolutioni, nec consequenter indirectæ: uti passim observant DD. Ais: ergo tali casu potero confiteri Sacerdoti simplic: non approbato, seu illi, qui nequit te absolvere ab ullo peccato mortali? ℟. Non permittere Ecclesiæ consuetudinem. At, sum Religiosus: non indigeo Confessario approbato ab Episcopo? Sed indiges Confessario deputato à tuo Superiore. Quid extra Monasterium degens, tunc possis, indicavi suprà *Sect. quæst. 4. sub finem.* At, urget me necessitas celebrandi, communicandi &c. non potest accedi Superior, vel facultatem habens, deest copia Confessarii approbati seu potentis absolvere à mortalibus, & insuper rudis, & incertus sum valde de contritione elicienda: adest autem Sacerdos simplex? Non solum potes, sed præcepto divino illo, per accidens obligari ei confiteri veniale aliquod, ut sic indirectè absolvaris à reliquis, reservatis, & non reservatis mortalibus, uti notavi *c. 3. q. 2. §. 2. n. 2.* Denique universaliter docet Sanchez *l. 1. Moral. c. 9. n. 35.* & valde probabile censet Layman *c. 10. n. 16.* Eos, qui bonâ fide Sacerdoti simplici, seu Jurisdictionem falsò prætendenti, confitentur, si veniale aliquod peccatum, vel mortale antea legitimè confessum absolutioni subjiciant, validè absolvi indirectè etiam ab omnibus aliis peccatis, cum onere tamen, ut si postea defectum Confessarii resciant, mortalia peccata, & præsertim reservata, iterùm per Confessionem absolutioni directæ legitimi Confessarii subjicere cogantur. Declaro hoc casu fortè non semel facto. Cajus Religiosus in itinere incidit in casum reservatum, & confitetur Religioso alterius Ordinis, dicens se posse ab eo absolvi, cùm tamen ne confitendi quidem alteri, à Superiore potestatem habuerit. Religiosus alter credit & absolvit, fortè nulliter: si Cajus nihil confessus est, nisi peccatum reservatum, imò etiam nulliter, si fassus est etiam aliud peccatum mortale non reservatum, etsi validè, si etiam aliquod peccatum veniale fassus est, & aliàs bonâ fide processit Religiosus iste. Vide Gobat *n. 359.*

759 III. Pœnitens à reservatis absolutus ab inferiore Sacerdote, obligatus manet postea opportuno tempore comparere coram Superiore, vel alio eius potestatem habente, sub peccato mortali. Omnes. Ratio clara est: quia non aliter, nisi cum hoc onere absolutus est, nec absolvi potuit ab inferiori. Quamvis enim sit indirectè absolutus à peccato reservato, & justificatus, ex vi tamen reservationis manet obligatio denuò comparendi, ut si culpabiliter negligat, aut ultra occesionem opportunam notabiliter differat, graviter peccet; neque ab illa obligatione liberari potest, nisi ab ipso Superiore vel alio eius Delegato potestatem absolvendi habente. Et quidem quando talis Pœnitens comparet coram ipso Superiore reservante non est necessarium illud peccatum reservatum prius inferiori confessum, iteratò confiteri Sacramentaliter, sed sufficit in genere dicere peccatum reservatum à se commissum, & jam alteri confessum esse: poterit enim Superior tunc reservationem & obligationem specificandi illud peccatum intra vel extra confessionem, si velit, relaxare. At comparens coram alio delegato tantùm pro casibus reservatis, omninò illud peccatum in specie denuò confiteri debebit Sacramentaliter: quia delegatus non habet aliam juris dictionem in pœnitentem, nisi in foro & judicio Sacramentali.

760 IV. Qui à casu reservato absolutus semel est à Superiore, vel ejus delegato, aut alio potestatem habente, ut in Jubilæo &c. potest utique ab eodem peccato, si denuò confiteri lubeat, absolvi à quocunque Confessario, quia & reservatio jam ablata est, & illud peccatum non est ampliùs materia necessaria Confessionis. Quinimò, qui scienter confitetur Confessario habenti potestatem seu ordinariam seu delegatam absolvendi à reservatis, & inculpabiliter est oblitus peccati reservati, poterit illud postea confiteri cuicunque alteri Confessario, & ab eo absolvi: quia prior utique intendit absolvere quantùm potuit, adeóque etiam indirectè absolvit à peccato reservato, inculpabiliter oblito, & reservationem sustulit: quod proinde peccatum oblitum, licèt denuò confiteri teneatur ut peccatum, non tamen ut adhuc reservatum. Sic Lugo *disp. 20. sect. 7.* Castro-Palaus, alii cum Tamburino de Casibus reservatis *c. 9. §. 4. n. 4.* Marchant. *cit. q. 10. dub. 10, limitat.* Dummodò Confessarius habens potestatem in reservata, conscius fuerit, Pœnitentem velle absolvi, etiam à reservatis, si quæ occurrunt. Sed quando talis voluntas non meritò præsumi possit Idque insuper verum est, etiamsi prior absolutio (facta tamen ab ipso Superiore, vel potestatem ordinariam habente NB.) fuisset invalida ob indispositionem vel alium defectum Pœnitentis: quia adhuc Superior intendit absolvere, quantùm potuit, ideóque saltem sustulit reservationem. Ita cum aliis Lugo citatâ *disp. 20. sect. 7. n. 106.* Diana *p. 4. tract. 4. resolut. 124.* Idque certum videtur quoad censuras. Si enim legitimo Confessario confessus es percussionem Clerici, v. g. at, sacrilegè tacuisti aliqua alia peccata mortalia, liberaris adhuc ab excommu-

nicatione, quia etiam in sacrilegâ confessione, & peccatis non dimissis potest tolli censura: & quidni, etiam reservatio casûs à Superiore, vel potestatem ordinariam habente: ut proinde deinceps tale peccatum à quovis ordinario inferiori Confessario absolvi possit. Vide Gobat *casu 8. à n. 392.* Plura Pœnitentem concernentia habebis in sequentibus §. 5. & 6. N. IV.

§. V.

Specialia ex parte Confessarij.

761 I. Confessarius, quando Pœnitens confitetur peccatum reservatum, à quo ipse absolvere non possit; per se loquendo quidem non debet eum absolvere, sed remittere ad Superiorem, vel potestatem habentem, juxta dicta §. 3. N. II. Attamen per accidens ferè communiter potest eum absolvere cum sæpè dicto onere, quandocunque Pœnitens bonâ fide ad confessionem accessit, utpote putans se posse à tali Confessario absolvi, & maximè quando nescivit peccatum suum esse reservatum: & dummodò aliud peccatum directè absolubile fateatur, jam toties inculcatum. Communis DD. Layman *c. 12. n. 11. fine.* & latè Gobat *Clyp. Clement. Judic. p. 2. dec. 2.* Ratio est: quia semper urget aliqualis necessitas, quandoquidem Pœnitens ægrè discedet à Confessionali, Confessione jam cœptâ, absque absolutione, cùm ex parte sua bene dispositus sit. Excipit tamen rectè Layman *ibidem.* Nisi excommunicatio quóque reservata peccato reservato annexa sit. Nam hæc jure Ecclesiastico prohibet hominem, tum à susceptione aliorum Sacramentorum, tum etiam pœnitentiæ, antequam tollatur.

762 II. Quando Confessarius Pœnitentem advertit præ verecundia vel horrore abhorrere valde ab isto onere sane permolesto denuò se sistendi Superiori pro confessione peccati reservati, & absolutione directa impetrandâ, etsi in rigore non obligetur id ei beneficij præstare plerumque tamen suadet, & quandoque ob nimiam verecundiam urget periculum animæ Pœnitentis, urget charitas, ut ipsemet Confessarius, tacito omninò nomine & personâ Pœnitentis, Superiorem adeat, & petat licentiam absolvendi aliquem à reservatis, & cautissimè dicat: Est aliquis indigens potestate vestrâ quoad absolutionem, placétne dare? personam nunquam nominare potest, (nisi de ejusdem licentia, in raro casu, quo grave malum præsertim commune aliter averti non posset §. *seq.*) cùm confessio Sacramentalis jam sit inchoata saltem, etiam quando ante actualem confessionem Pœnitens te rogat pro tali ad Superiorem recursu: casum verò si sciat, & Superior urgeat, exponere poterit & debebit: dummodò exprimere possit, quin Superior deveniat in notitiam personæ, juxta communem Doctorum, & bene Marchant noster sæpè citatus *dub. 4. & 9.* Et tunc, si Superior dat licentiam, Confessarius absolvet absolutè & directè, sine ulteriori onere. Si verò neget seu justè, seu injustè, quid faciendum, dicam §. *sequenti* ubi specialia quoad Superiorem.

763 ¶. At nunquid tali licentiâ petitâ & acceptâ Confessarius uti poterit pro seipso? Certè non poterit, si petiit in his terminis: Peto licentiam absolvendi *aliquem* à reservato; nunquid enim Superior velle potest, ut absolvat semetipsum? at probabiliter poterit, si petat in his terminis vel similibus. Est aliquis indigens vestrâ potestate vel licentiâ pro absolutione à reservato: placétne dare? is que indifferenter annuat, non videtur excludere Confessarium. Tamburinus suprà, alij apud ipsum. Quòd si verò Superior expresse intenderet non pro ipso, sed pro alio dare, certè rursùs non poterit: unde res minimè est tuta.

764 III. Datâ sic licentiâ à Superiore, sive Confessario, sive ipsi Pœnitenti, petenti, absolvendi à reservatis *pro hac vice*, uti dari solet, poteritne Pœnitens, vi hujus licentiæ absolvi à reservatis etiam post illam licentiam datam commissis? Curiosa quæstio. Distinguendum est. Vel licentia petita & data est directè de peccato aliquo reservato absolvendo, ut si petenti: pero licentiam absolvendi aliquem, vel absolvi ab alio, ab aliquo peccato reservato, & Superior annuat: & tunc licentia data palàm non se extendet ad peccata commissa post licentiam datam, nec post petitam, seu postquàm rogâsti Confessarium, ut pro te talem licentiam peteret. Ratio clara est: quia concessio intelligitur facta juxta petitionem: petitio autem fuit de tali aliquo peccato necessariò à Superiore intellecto jam tunc commisso, vel licentia petita & data est directa ad ipsam personam Pœnitentis, sine mentione alicujus talis peccati in particulari: v. g. Peto vestram facultatem seu potestatem aliquem absolvendi, vel ut possim ab aliquo absolvi: simpliciter vel generatim addito à reservatis: ac Superior annuat: tunc nisi de contraria Superioris voluntate constet, probabile est, posse Pœnitentem absolvi à reservatis etiam post licentiam datam commissis: quia hæc formula concessionis non te arctat vel limitat ad sola peccata antèà commissa: etsi Superior dicat pro hac vice; sensus enim est: unâ hâc vice absolvas, vel absolvaris à tuis reservatis: at sic jam unâ vice absolveris. Ita Cardinalis de Lugo *d. sect. 8.* Tamburinus *l. 5. de Sacramentis, tract. de Cas. reserv. c. 9. §. 3.* Dicastillus, Quintanadvennas apud Gobat *Casu 20. n. 710.* Verùm hæc praxis mihi semper scrupulosa visa est. Cautius aget Confessarius, ne scrupulis subjaceat, si petat licentiam absolvendi aliquem à reservatis, quæ tempore confessionis invenerit, ut provide monet Tambur *cit. n. 7.* Idipsum ergo dicendum, quando Superior Regularis pro magno Festo, aut tempore visitationis ad certos dies, v. g. intra octiduum, vel quindenam dat licentiam omnibus eligendi sibi Confessarium cum facultate absolvendi à reservatis pro unâ vice, nisi expresse limitaret ad reservata jam commissa, prout certè laudabiliter

Universidad de Deusto
Biblioteca

quandoque faciunt, ut scilicet excludatur omnis fraudulenta & malitiosa confidentia (de qua mox) ut providè observat noster Marchant. mox citandus.

765 IV. At quid si Pœnitens peccet in confidentiam licentiæ impetrandæ, aut ultrò offerendæ, vel jam oblatæ à Superiore pro magno Festo, tempore visitationis: aut factæ à Pontifice Privilegio pro certis temporibus, aut tempore Jubilæi?

R. Peccare in confidentiam licentiæ vel gratiæ talis quis dicetur, quando licentia vel gratia concessa, vel certo tempori concedenda est motivum principale, & incentivum lapsûs, sic, ut non tam fragilitas vel tentatio gravis urgeat, quippe cui aliàs resistere soleret; quàm ipsa licentia & facultas data vel danda moveat, & urgeat ad peccandum: quia nimirùm scit se modò posse absolvi à reservatis, ideò se excitat, vel tentationi modicæ libens condescendit, ac vires malitiosè addit, utique novo gravi peccato, olente malitiam peccati contra Spiritum S. Poteritne Confessarius adhuc talem absolvere vi licentiæ vel gratiæ concessæ? *R.* Si in licentia vel gratia concessa nihil contrarium expressum est, atque Pœnitens de hac ipsa malitiosa confidentia verè doleat, séque accusset in Confessione, potest adhuc, & debet absolvi. Quia confidentia illa non tollit potestatem, quæ datur à Superiore, sive à Pontifice in Privilegio, vel Jubilæo. Ita cum aliis Tamburin *cit. c.* 9. § 2. Et Marchant noster *Tribun. p.* 1. *tract.* 2. *tit.* 4. *q.* 11. *dub.* 11. Secùs sine dubio esset, si contrarium in licentia vel privilegio expressum esset, prout quandoque exprimitur in Privilegiis Pontificum concedentibus Fratribus Minoribus pro certis temporibus, ut à peccatis omnibus etiam reservatis, à quocunque approbato à Superioribus Ordinis absolvi possint, dummodò (aiunt Pontifices) *ex confidentia aliqua peccata non committant*, quo casu eis nullatenùs talis indulgentia seu gratia suffragetur. Vide compendium Privilegiorum, *v. Absolutio extraordinaria quoad fratres, n.* 4. & 7. Et jam suprà insinuavi, hanc confidentiam etiam à Superioribus quandoque excludi. Atque hinc tandem confirmatur nostra responsio data. Si enim Pontifices vel Superiores, quando id negare volunt, expressè negant, signum est, quòd si expressè non negent, tacitè saltem concedant. Caveat tamen homo ille, qui communi charitate abutitur, ne desuper aspiciat, & conterat illum Deus: concludit salubriter terrens Marchant in fine.

§. *Specialiter in Jubilæo.*

766 QUi tempore Jubilæi sæpius in peccata reservata relabitur, quamdiu necdum per executionem omnium operum requisitorum Jubilæum consecutus est, potest sæpius, & toties, quoties absolvi. Ex communi Marchant *cit. dub.* 11. Ratio est: quia Jubilæi potestas est amplissima, nec ad unam tantùm, vel alteram Confessionem restringitur: atque usque ad ultimum opus impletum semper durat potestas Jurisdictionis Sacramentalis, cùm hæc ab Ecclesia liberaliter data sit, & referatur ad Jubilæum perfectè consequendum: unde qui vult Jubilæum consequi, potest per utramque hebdomadam (& hoc anno 1676. Passavij per duos menses) ita sua opera distribuere, ut in fine secundæ hebdomadæ (secundi mensis) ultimum opus perficiat, & sic toties quoties intra illud tempus absolvi. Iterùm væ illis, qui tantâ gratiâ abuntur, & quod datur illis in salutem, malitiâ suâ accipiunt in perditionem, in confidentiam novæ gratiæ multiplicantes peccata reservata. Si tamen de damnata illa confidentia verè pœniteant ante finem Jubilæi, & tam illa, quàm de reservatis ita commissis verè confiteantur, etiam illo tempore absolvi poterunt.

767 At verò, cùm quis semel in una hebdomada v. g. omnia opera requisita implevit, Jubilæum consecutus est, jam non poterit in altera hebdomada à peccatis reservatis post illa opera impleta commissis denuò absolvi, cùm in Bullis Jubilæorum contineatur, quòd quilibet Christi fidelis semel tantùm Jubilæum lucrari possit: authoritas autem absolvendi tantùm datur in ordine ad lucrandas Indulgentias Jubilæi: ergo eo ipso, quo semel lucratus est in prima hebdomada, non poterit ampliùs lucrari in secunda, nec consequenter à reservato commisso in secunda hebdomada absolvi. Ita Communis DD. Quòd si tamen quis pro majori securitate, & certiùs impetrando Jubilæo etiam secundâ hebdomadâ requisita iteratò adimpleat, etiam iteratò à reservatis posse absolvi, probabiliter opinatur idem Marchant *ibidem.* Sed vide latè ex professo de his Gobat. Tract. de Jubilæo, hoc incidenter satis.

§. IV.

Specialia quoad Superiores.

768 I. SPecialiter Prælatus Regularis tenetur committere absolutionem reservatorum Confessario deputato in Conventu ita postulanti, quando casus occurrit, in quo eam committi Confessarius judicaverit. Ita expressè statuit Clemens VIII. in suprà allegato Decreto, anno cit. 1593. Et confirmavit Urbanus VIII. cum hoc addito notantissimo. Sanctitas sua declaravit, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicuius reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominùs Confessarii illâ vice Pœnitentes Regulares, etiam facultate à Superiore non obtentâ absolvere. Sunt Verba Congregationis Cardinalium jussu ejusdem Urbani VIII. edita, & post dictum Decretum Clementis VIII. addita, ut videre est in Bullario *tom.* 4. *edit. Rom. fol.* 372. & referunt Lugo *d.* 20. *sect.* 4. Pelliz. *tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 2. *n.* 52. extendens cum Dicastillo *d.* 11. *dub.* 20. *n.* 339. id licere toties diverso casu, quoties Superior ita negat. Loquendo tamen semper de Confessariis pro Conventu deputatis. Non ergo aliis quibusvis Confessariis etsi doctis & probis ea facultas conceditur, ut contra Quintar advennam rectè monet Tambur. *cit. c.* 9. *n.* 41. Et hinc, quia in nostro Ordine Confessariis pro Conventibus deputatis, Provincialis generaliter committit, & delegat facultatem absolvendi à Reservatis, absque alio adsuperiorem recursu: etsi Superiorum permissu communiter non reservata confiteamur aliis Confessariis approbatis, ij tamen non sunt deputati pro Conventu juxta formam Decreti Clementis VIII. ac proinde, si jis petentibus Superior, seu justè, seu injustè negaret facultatem aliquem absolvendi à reservatis, non possunt nihilominùs absolvere, quod valde notandum. Nam universaliter, quantumvis injustè Superior neget facultatem talem Confessario (non ita deputato, ut suprà) non ideò poterit absolvere Pœnitentem ratione negationis præcisè, ac directè sine onere, ut contra Henriquez & Dianam, ex communi docent Layman *sæpe cit. tr.* 6 *c.* 13. & Lugo *cit. d.* 20. *sect.* 4. sed solùm per accidens ratione necessitatis communicandi, &c. & indirectè, ac cum onere, opportuno tempore comparendi juxta dicta *§.* 3. ut bene notat Marchant *cit dub.* 5. *fine.*

769 II. Si Prælatus Regularis existimet expediens fore, ut subdito petenti det facultatem confitendi casum reservatum alteri Sacerdoti, quem vel Pœnitens elegit, vel ipse Prælatus destinavit, eam saltem ex charitate concedere obligatur: atque adeò universaliter: nullus Prælatus seu Superior Regularis potest licitè negare facultatem suam, seu licentiam, ut subdito, aut alteri confiteatur; aut Confessario, ut audiat & absolvat, nisi ex justa & multùm rationabili causa, ob quam licentiam dare hic & nunc non expedire judicet. Communissima DD. Suarez. *d.* 30. *sect.* 4. Coninck *d.* 8. *dub.* 14. Marchant *supra.* Layman, *c.* 12. *n.* 7. Ratio urgens est: ne Sacramentum Pœnitentiæ in salutem animarum institutum nimis grave accidat, atque occasio accipiatur reticendi peccata, cum Sacramenti irreverentia, & sacrilegio, propriæque salutis jacturâ. Sicut rectè monet D. Thomas apud Layman *cit.* dicens: *Qui sunt multùm solliciti, ut conscientias subditorum per Confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsis.* Sic Sanctus. Atqui potestas ista reservandi peccata, data est in ædificationem, non in destructionem, aiunt Pontifices. Quare Superior absque ulla justa causa reservationem urgens, eámque licentiam negans, omninò ageret in destructionem subditorum, gravitérque peccaret, minimùm contra charitatem, ut si advertat, nimiam subditi verecundiam ac timorem, minorem in confitendo libertatem, periculum subticendi aliquod peccatum: imò etiam contra justitiam, utpote si alioquin grave damnum subdito emergeret, utpote infamia, revelatio Confessionis, alienæ culpæ injusta manifestatio, inimicitiæ graves &c. Cæterùm justa & rationabilis causa negandi eam facultatem, subditúmque ad se sistendum cogendi est, quando Superior ita necessarium judicat, vel emendando reo, quia Confessarius petitus, vel facultatem petens non videtur sufficiens ad consulendum bono spirituali Pœnitentis: vel ad avertendum scandalum, vel grave nocumentum Communitati, aut tertio alicui imminens, cuius remedium efficacius ipse Superior adhibiturum se prudenter existimet &c. quæ prudentis Superioris arbitrio relinquuntur: quibus & similibus casibus Pœnitens recusans comparere, meritò censebitur indispositus ad absolutionem. In dubio autem semper præsumendũ erit Superiorem habere justam causam denegandi, sicque absolutio adhuc dari non poterit ab inferiori.

770 III. Si Prælatus, vel Superior Regularis casum reservatum per seipsum cognoscendum rationabiliter arbitrans, vult Pœnitentem sibi confiteri, tenetur audire totam eius Confessionẽ quoad materiam necessariam, scil. omnia eius peccata mortalia & reservata, & non reservata, & non potest solo casu reservato, vel peccatis reservatis auditis, Sacramentaliter absolvere, & reliqua alteri inferiori committere, nisi urgente gravi necessitate, quali alioquin Pœnitens excusaretur ab integritate materiali confessionis, aut quilibet Confessarius ab audiendis omnibus aliis peccatis Pœnitentis. Ita communis, & mihi certa sententia. Navar. *c.* 26. *n.* 6. *Suarez, Layman, March.* & alij passim. (contra graves DD. D. *Anton. Paludan Cajet. Henriq. Sa*, absolutè docentes Prælatũ, à solis reservatis etiam citra necessitatẽ absolvere posse & hanc esse Ecclesiæ consuetudinem. Verùm DD. cit. meritò negant talem consuetudinem, apud bonos & doctos Prælatos vigere) ratio urgens est: quia integritas materialis Confessionis omnium peccatorum mortalium est juris divini ad integritatem Sacramenti pertinens: Superior autem habens potestatem reservandi, & reservata absolvendi, non ideò habet potestatem dispensandi, vel aliter disponendi in jure divino: ergo &c. Quòd si ergo Superior negotiis impeditus subditi totam Confessionẽ audire non possit, aut certè non velit, nihil audiat sacramentaliter, aut audito sub sigillo secreti solo casu reservato, reservationem vel censuram tollat, atque non absolutum ad Confessarium inferiorem remittat, pro integra confessione peccatorum, tam reservati, quàm aliorum peccatorum mortalium facienda, & ab omnibus directè absolvendum. Potestque Superior auditis ita solis reservatis, aut ipse Pœnitenti pœnitentiam secretam imponere, aut taxare pœnitentiam injungendam à Confessario delegato vel eligendo à Pœnitente, prout hujus spirituali saluti expedire in Domino videbitur: quàm nimirum pœnitentiam taxatam tenebitur Confessarius injungere & Pœnitens acceptare sub mortali, si à reservatis absolvi velit.

771 *J.* Insuper potest Prælatus Ordinum Regularium interdum antecedenter committere Confessariis inferioribus potestatem directè absolvendi à peccatis gravioribus, præsertim reservatis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum onere imponendo Pœnitenti, ut postea se sistat Superiori, eique peccata illa sub sigillo Confessionis vel secreti aperiat ad salubrem animæ ejus curationem, ut ex Suarez & Coninck monet Layman *cit. c. 12. n 12. ad fin.*

772 IV. Tandem si Pœnitenti grave accidat, peccatum reservatum extra Sacramentum Confessionis Prælato manifestare, ipse verò ob justum impedimentum integram ejus Confessionem audire non possit, atque insuper expedire non judicet alteri Confessario causam committere, his omnibus concurrentibus, poterit Prælatus, seu Superior, auditis solis reservatis, sacramentaliter absolvere, ut absolutio directè cadat super audita, indirectè verò super alia, quæ ob moralem impossibilitatem audiri non potuerunt. Ita communis DD. Navarrus, Suarez, Coninck, Layman, Lugo *ll. cc.* quanquam omnes fateantur casum hunc esse rarissimum. At controversum est inter DD. utrùm tunc Pœnitens unà cum aliis suis mortalibus, à quibus directè absolutus non fuit à Superiore, teneatur alteri Confessario etiam ipsum peccatum reservatum directè à Superiore absolutum iteratò confiteri. Affirmant Cajetanus, Henriquez, Sa, alii non pauci. Quia uni eidémque Sacerdoti omnia peccata mortalia explicare oportet. Sed rectiùs negant alii communius. Suarez *d. 31. sect. 1. n.* 10. Layman *n.* 10. alij passim. Ratio est: quia id universaliter verum est, ut si ob moralem impossibilitatem priori Confessario non omnia peccata explicata fuerunt, sed aliqu tantùm absolutione legitimâ secutâ, postea sola peccata anteà non explicata & indirectè tantùm absoluta, cum onere, ut etiam directè clavibus subjiciantur, alteri Confessario explicare & confiteri teneatur: cur id ergo non habeat locum respectu Confessarij Superioris, in nostro casu? Sunt quidem omnia peccata mortalia eidem Sacerdoti explicanda ordinariè & per se, non item in casu extraordinario & per accidens, sicut patet in eo, qui unum, seu plura peccata confiteri inculpabiliter oblitus est, vel ob periculum revelationis, aliámve justam causam explicare non potuit, prout visum est suis locis, &c.

SECTIO III.

De bonitate & Scientia Confessarij.

QUÆSTIO I.

Qua bonitas requiritur in Confessario?

SUMMARIUM.

773. *Bonitas* legalis *in Confessario est carentia impedimenti Canonici:*
774. Moralis *verò, status gratiæ.*
775. *Scienter in mortali absolvens, mortaliter peccat, tamen semel tantùm, eóque eâdē vice plures absolvat.*
776. *Unde tenetur præmittere confessionem, vel contritionem, aut saltem aversionem ab omni peccato.*

773 I. DUplex requiritur bonitas, *legalis* & *moralis*. Bonitas legalis requisita est, ut careat impedimento Canonico auferente vel impediente jurisdictionem, alioquin etiam invalidè absolvet: ut scilicet non sit excommunicatus non toleratus, utpote nominatim denuntiatus, vel notorius percussor Clerici: item non suspensus, depositus, degradatus. Excommunicatus autem toleratus validè absolvet ex concessione Concilii Constantiensis. *c. ad evitanda*; imò etiam licitè, si à fidelibus requiratur: secùs, si se ipsum ingerat: nam concessio illa facta est in favorem fidelium tantùm, non autem in favorem excommunicati.

II. Bonitas moralis ad licitè Sacramentum 774
ministrandum requisita est, ut Confessarius absolvens sit in statu gratiæ, juxta communissimum sensum DD. Ratio sumitur ex ipsa ordinatione, quâ datur Spiritus S. id est, gratia Spiritûs S. in ordine, ad hoc ministerium debitè exercendum, dicente Episcopo verba Christi. *Joan. 20. accipite Spiritum sanctum &c.* quam proinde gratiam ad illud ministerium servare, vel amissam suscitare tenetur juxta illud 2. *ad Timoth. 1. admoneo, te, ut resuscites gratiam, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.*

III. Qui scienter & actu existens in peccato 775
mortali hoc Sacramentum ministrat, confessiones audit & absolvit, mortaliter peccat secundùm omnes. Ratio jam dicta est. Committitur autem peccatum in ipsa prima absolutione, & non antea, etsi eâdem vice plures absolvat, qui eodem continuo ministerio, non plura distincta, ut volunt sanè multi, sed unum tantùm numero peccatum committit, ut sufficiat postea confiteri ministravi Sacramentum semel, juxta probabilem sententiam Recent. Jam alibi indicatum.

IV. Confessarius sibi conscius peccati mor- 776
talis, antequam confessiones audiat, saltem antequam absolvat, tenetur vel confiteri, vel elicere contritionem, secundùm communem sensum DD. Ratio iterùm ex dictis sequitur. Quòd si tamen ex improviso vocatus ad ægrotum, se tam citò colligere non possit ad contritionem eliciendam, aut certè falsò credat se elicuisse, tunc non peccare absolvendo, concedunt iidem DD. passim, etiam Lugo & Tambur *l.c.* Verùm universaliter loquendo probabile & tutum est, Confessarium tunc nec teneri confiteri, nec elicere contritionem, cùm de neutro ullum extet præceptum, nisi pro Sacramento Evchariſtiæ: idque potiùs in ordine ad ipsius passivâ susceptionem, quàm administrationem, uti explicat Concil. Trid. *sess. 17. c. 7.* Deinde Confessio sæpissimè præmitti nequit: contritio autem perfecta sæpe etiam moraliter impossibilis, & plerumque incerta est. Sufficit ergo Confessario habere actualem aversionem ab omni peccato, & voluntatem peccandi, per pium motum & conversionem ad Deum, cũ propósito opportunè confitendi. Hoc enim sufficit, ut dicatur se verè præparare ad gratiam, & facere, quantùm in se est, juxta præsentem obligationem; sic enim reverà non actu etsi adhuc habitu, existit in statu peccati mortalis. Sic bene & solidè noster Marchant. *Trib. p. 2. tract. 2. tit. 5. q. 2.* Hæc tamen secundùm indulgentiam

tiam dicuntur ad solatium Sacerdotum infirmorum, & occasionibus expositorum, non autem consuluntur, præsertim Religiosis.

QUÆSTIO II.

Quæ Scientia requiritur ad Confessarium?

SUMMARIUM.

777. *Quæ debeat Confessarius scire, ut absolvat validè.*
778. *Quæ ut absolvat licitè?*
781. *Non requiritur, ut se reflectat super singula audita, dum actu absolvit*
782. *Non requiritur notitia & intelligentia omnium exacta, nec semper judicium determinatum de quantitate vel qualitate peccati in individuo.*
784. *Quando & qualiter Confessarius ad officium requisita ignorans peccet?* usque ad n. 788.

§. I.

Ut validè absolvat?

777 UT Confessarius validè absolvat, requiritur & sufficit cognitio distincta formæ, & saltem confusa peccatorum sub ratione confusa peccati vel offensæ Dei, ut nimirùm hic & nunc saltem confusè apprehendat, Pœnitentem offendisse DEUM, esse peccatorem &c. etsi nullum judicium formare de qualitate peccatorum, & dispositione Pœnitentis possit, ideóque absolvendo, sine dubio mortaliter peccet; ita communis DD. Ratio est: quia hoc judicium principaliter institutum est ad misericordiam & liberationem peccatoris cum dolore & emendationis propositio confitentis peccata sua: ergo supposità verâ dispositione Pœnitentis, ad hanc misericordiam & liberationem impetrandam, non requiritur, nisi vera potestas & jurisdictio Ministri, cum debita intentione & forma confusè saltem peccatum agnoscentis. Nam distinctam peccatorum cognitionem non requiri, patet in moribundis, aut aliàs impeditis peccata sua explicare unde Confessio tali ignaro Sacerdoti, etiam ignoranti peccata tua esse mortalia, imò putanti esse venialia tantùm &c. bonâ fide facta, valida est, nec postea repetenda, ut alibi dictum: etsi remaneant obligationes ex peccatis ortæ. v. g. restituendi, satisfaciendi: etsi propter ignorantiam à Confessario de iis admonitus non fueris, ut omnes observant,

§. II.

Ut licitè absolvat?

778 CONfessarius, ut licitè audiat confessiones & absolvat, tenetur habere scientiam omnium ad officium suum, quâ Judex, quâ Medicus, & Doctor spiritualis est, debitè & fructuosè exercendum requisitorum; adeóque necessariò scire debet sequentia:

I. Quâ Judex debet scire 1. quænam sint peccata mortalia & venialia, saltem ex genere suo in qualibet materia præceptorum divinorum vel Ecclesiasticorum. 2. Debet scire peccatorum species & circumstantias speciem mutantes, vel aliàs necessariò explicandas in Confessione. 3. Debet scire obligationes & onera, quæ per ipsa peccata communiter contrahi solent: ut sunt restitutiones bonorum, famæ, vel fortunæ, satisfactiones pro injuria &c. 4. Debet scire casus reservatos & censuras, saltem, à quibus ipse absolvere non potest: nam eorum casuum vel censurarum, à quibus absolvere potest, sufficit habere cognitionem confusam, & intentionem semper ab iis absolvendi, si opus fuerit, ut *sect. præced.* jam monui: item si Clericorum Confessiones audiat, nosse debet, quibus casibus incurratur suspensio & irregularitas. 5 Principaliter debet scire requisita in Pœnitente ad bonam dispositionem validámque absolutionem: utpotè qualis requiratur dolor, confessio, propositum &c. & hæc ut Judex.

II. Ut Medicus debet scire omnia peccato- 779
rum & tentationum remedia, & modos, quibus Pœnitens à peccatis resurgere possit alia consulendo, alia prohibendo &c. pro quibus legendi sunt Authores obvii, & singulariter Joan. Busæus in Panario & Pancarpio.

III. Ut spiritualis Doctor, debet scire resolu- 780
tiones casuum & obligationum, quæ ex peccatis oriuntur: quò spectant impedimenta & casus Matrimonii, statûs Clericalis ac Religiosi.

IV. Ut Judex, Medicus, Doctor, ut licitè ab- 781
solvat, debet intelligere omnia peccata confitentis, quantùm rationabiliter potest, & saltem se reflectere super omnia mortalia, quando proferuntur à Pœnitente, non tamen opus est, ut reflectat se super singula, seu singula in memoria habeat, quando actu absolvit, sed sufficit, quòd tunc statum Pœnitentis in genere apprehendat, unde qui absolvit eum, cuius peccatum aliquod vel aliqua mortalia per notabilẽ negligentiam vel ignorantiam non intellexit, graviter peccat, absolutio tamen valida erit, sicut & Confessio tali incurio bonâ fide facta, ut ex communi docet Layman *l. 2. tr. 6. c. 9. n. 5.* quin nec valida solùm est absolutio, sed culpâ quoque vacabit, si ex inculpabili inadvertentia, distractione &c. item propter somnum gravantem, cantum, impeditam linguam confitentis aliquod peccatum elabatur. Ut omnes observant, quia ex una parte essentia & effectus Sacramenti consistere potest, absque integra & specifica peccatorum explicatione, si sine culpa Pœnitentis omittatur, & consequenter etiam sine integra eorum cognitione in Confessario: ex altera autem parte in ministerio non ad extrema & moraliter quasi impossibilia Ministros suos obligat Ecclesia, sed tantum ad diligentiam ordinariam & humanam, quòd si tamen quocunque casu Pœnitens post Confessionem intelligat, unum vel plura peccata mortalia non fuisse intellecta à Confessario, debet ea repetere in sequenti Confessione, sive eidem, sive alteri Confessario faciendâ, ut rectè monet Layman *ibidem.* vide dicta & huc refer ea, quæ *c. 5.* de integritate Confessionis invenies.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. III.

Qualiter Confessarius tenetur prædicta scire?

782 NOn tenetur Confessarius prædicta omnia scire exactè, resolutè, vel memoriter, scilicet ita, ut de iis omnibus resolutè disserere, vel illa recitare possit, quod viris etiam doctis foret impossibile, sed sufficit omnia illa scire mediocriter, & in habitu, ita, ut quando à Pœnitente proponuntur de qualitate & gravitate actûs, ejúsque obligationibus possit prudenter dijudicare, aut saltem prudenter dubitare in ordine ad ulterius studium, inquisitionem aut consultationem, liberos aut doctiores consulendo: hoc enim tantùm requiritur ad formandum judicium in hoc foro, ut ex communi etiam docet Layman *c.* 12. *n.* 1. Dico autem, *prudenter dubitare*, dubio scilicet fundamentali orto ex notitia acquisita, non autem solo dubio ignorantiæ, quo ignarus quisque de re quâvis dubitare potest. Dein certũ est majorem, minorémve scientiam requiri pro diversitate locorum, & Pœnitentium, minor enim scientia requiritur & sufficit in simplici Parocho vel audiente solos Rusticos, quàm in Confessario, qui in Civitate, Emporio, Aulis Principum, Pœnitentiariis exponitur ad audiendas confessiones: item in eo, qui Moniales tantùm, quàm in eo, qui Clericos, vel Religiosos audit. Vide Laym*n ibidem*, & ab eo citatos.

783 Cæterùm quamvis, ut dictum, Confessarius actu audiens confessiones, teneatur advertere ad qualitatem peccatorum in genere suo, quatenùs proponuntur à Pœnitente, non tamen tenetur semper ferre determinatũ judicium de quantitate vel qualitate peccati in individuo, videlicet, an hoc peccatum hîc & nunc sit peccatum mortale vel veniale, quia tale determinatum judicium de qualitate, & quantitate malitiæ peccatorum in individuo, etiam sæpè maximè vulgarium, ut blasphemiæ, omissionis Sacri, violationis jejunii &c. sæpissimè impossibile est etiam apud emeritissimum Theologum. Casus enim peccatorum in individuo infinitis ferè modis alterantur quoad maiùs & minùs, ex circumstantiis aggravantibus, minuentibus, excusantibus, utpote ex perfectione vel imperfectione actûs, indeliberatione, passione, &c. ex quantitate materiæ, necessitate, difficultate, concursu diversarum rerum, ratione quarum ea, quæ de se peccata mortalia sunt, venialia, aut nulla fiunt, aut econtrà, ut patuit in materia de peccatis, ex quibus nonnunquam judicium ita suspensum tenetur, ut nullatenus prudenter in alteram partem inflecti possit. Sufficit ergo, si gravitatem & qualitatem malitiæ secundùm se dijudicet, aut saltem in genere Pœnitentem peccâsse agnoscat, etsi ad gradum peccati mortalis certò illam determinare non possit.

§. IV.

Qualiter Confessarius prædicta ignorando peccat?

QUi enumerata superiùs ita ignorat, ut in illis sibi propositis communiter & rationabiliter nequeat dijudicare, aut saltem prudenter dubitare, ad consultationem vel studium necessariũ, peccat mortaliter ministerio confessionis se exponens, quia tunc verè idoneus judex censeri non potest, ideóq; perversè tanto ministerio se ingerit, nisi quandóque aliunde excusetur. 784

II. Excusat autem 1. Parvitas materiæ, utpote circa veniale tantùm, quæ, quia non sunt materia necessaria, non tenetur Confessarius determinatè dijudicare, sed sufficit in genere dijudicare Pœnitentem peccâsse, seu peccatum aliquod agnoscere. 2. Excusat inadvertentia aliqua humana, vel labilitas memoriæ, quia, ut dicitur: quandóque bonus dormitat Homerus, ex quo Confessario aliàs timorato & diligenti, scrupulandum non est. 3. Excusat gravis necessitas, utpote in articulo vel periculo mortis: tempore pestis: quando adest obligatio communicandi vel celebrandi, & alius Confessarius sufficienter doctus non adest: aut quando aliquis longo tempore cum aliquo detrimento deberet exspectare, tunc enim, sicut Pœnitenti licebit confiteri Sacerdoti ignoranti, ita & eidem licebit talem audire; quia necessitas non habet legem, & charitatis est latum mandatum nimis. 4. Excusare etiam potest: si Pœnitens doctus rationabiliter volens confiteri, nec alium sufficienter scientem commodè habere potest, suppleat ignorantiam Confessarii utpote ei aperiendo qualitatem, gravitatem, & circumstantiam sui peccati, ita ut non sit opus aliquo examine vel judicio: non autem sufficeret, quòd ipse Pœnitens solùm intelligat suum peccatum, sed etiam debet ipsi Confessario ignaro notum facere, ut providè observat Marchant *l. c.* 785

III. Confessarius ignarus ex ignorantia absolvens, quem absolvere non poterat ob reservationem peccati, vel indispositionem Pœnitentis, dupliciter peccat mortaliter: nimirùm & actuali Sacrilegio indebitè absolvendo, & ignorantia eorum, quæ ad officium suum spectant, ratione cujus versatur in continuo statu peccati mortalis omissionis, quamdiu necessariam scientiam sibi comparare culpabiliter negligit: imò nisi congruam diligentiam syncerè proponat, ipsémet confitens ab alio Confessario absolvi non poterit, utpote indispositus defectu necessarii propositi emendandi negligentiam illam mortalem; quod amore Dei & salutis suæ notent Confessarii incurii, qui ignorantiæ suæ conscii, tamen, omne prorsùs casuum conscientiæ studium omninò negligunt. 786

IV. Restat quæstio, quid si Superior per obedientiam præcipiat Confessario tali ignaro, audire confessiones? Dicendum cum distinctione. 1. Superior ipse, quicunque Confessarium ignarum eorum, quæ ad hoc ministerium pertinent, scienter instituens, admittit, aut per obedientiam adigit ad audiendas confessiones, peccat mortaliter certissimo omnium consensu: Et hinc 2. Sacerdos suæ ignorantiæ omninó sine ulla tergiversatione conscius, (extra casus necessarios suprà expositos) non potest obedire Prælato per obedientiam præcipienti, ut Confessiones audiat, atque adeò adhuc audiendo peccat mortaliter: certum apud omnes. Ratio utriusque est, quia nemo potest præcipere, nec obedire in materia certa peccati: atqui extra casus necessarios peccat ignarus Sacerdos audiendo confessiones, ut dictum est: ergo &c. 3. Si Confessarius solùm dubius sit & anxius de sua sufficientia, tenetur dubietatem saltem practicè deponere, estò remaneat speculativè dubius & anxius, & Prælato præcipienti, ut confessiones audiat, obedire obligatur. Communissima cum D. *Thoma*, *Navarro*, aliis & Layman *cap.* 13. *n.* 1. Ratio certa petenda est ex materia de Legibus vel conscientia, quia in dubio possidet lex obedientiæ: & scientia ac conscientia Superioris præferenda est nostræ dubietati, timori, vel opinationi. 4. Confessarius in examine Ordinariorum legitimè approbatus, & aliàs faciens, quantùm in se est, potest liberè dubitationes, suspiciones, & scrupulos ignorantiæ suæ & inidoneitatis deponere, & confessiones audire, ut rectè resolvit *Marchant*. Ratio est: quia Ecclesia sic approbatum, idoneum judicat in Concil. Trident. quod sufficit ad licitam huius Sacramenti administrationẽ, quamdiu tibi de defectu vel inidoneitate certò vel probabiliter non constat. Dices: Approbatus quidem sum, sed in exercitio experior me multa ignorare, & hallucinatum esse. R. Studiò & exercitiò sufficientiã augeri & perfici. Unde si rationabiliter de aliqua materia dubitas, vel ignorantiam tuam advertis, debes singulari lectione vel consultatione supplere, &, ut dixi, facere quantùm in te est. Hæc quoad scientiam Confessarii in actu signato quidem abundè satis: quoad actum exercitum tu videris. 787

moraliter constare debet de bona dispositione Pœnitentis necessariò requisitâ ad hoc Sacramentum validè & fructuosè suscipiendum, quæ dispositio in hoc sita est, quòd Pœnitens omnia sua peccata practicè habita in memoria cum vero dolore & proposito confiteatur in ordine ad absolutionem obtinendam, alioquin si de his moraliter non constet, Confessarius absolvendo peccaret mortaliter Sacramentum exponens periculo nullitatis: ergo &c.

I. Si Pœnitens ipse hanc suam dispositionem non satis exprimat, debet eum de hoc examinare. 2. Si examinando reperiat ipsum indispositum ex parte intellectûs necessaria aliqua ignorando, debet eum instruere & docere. 3. Si reperiat eum indispositum ex parte voluntatis, ex defectu doloris, propositi &c. debet eum monere, movere, inducere ad officium præstandum. Nunc de singulis per Quæstiones.

QUÆSTIO I.

Qualiter & de quibus tenetur Confessarius Pœnitentem examinare, & interrogare?

789. *Confessarius ex ignorantia, vel negligentia gravi non examinans vel interrogans Pœnitentem per se non exprimentem aliquid necessariò requisitum, peccat mortaliter.*

790. *Unde interrogare debet ipsa peccata, circumstantias, numerum & alias dispositiones.*

791. *Quando Pœnitens putatur illa omittere culpabiliter, vel ex ignorantia aut ruditate emendabili.*

792. *Examine tamen morali & humano.*

793. *Ac prudenti & cauto, non indiscreto, & curioso, præsertim in materia luxuriæ.*

REGULA GENERALIS est: Confessarius tenetur examinare Pœnitentem, quando probabiliter credit vel suspicatur eum omittere aliquid, quod ex parte ejus est necessarium ad validam & licitam administrationem, simúlque fructuosam susceptionem hujus Sacramenti: examine tamen morali & humano, item prudenti valde & discreto, adeóque si ex ignorantia vel negligentia gravide ejusmodi requisito non examinet Pœnitentem, peccabit mortaliter secundùm omnes. Ratio est: quia sicut universaliter omnis Judex, ita maximè Confessarius, quantùm rationabiliter potest, tenetur procurare, ac providere, ut judicium suum validum sit ex parte sua & Pœnitentis: quippe cujus invaliditas cederet in offensam Dei, Sacramenti irreverentiam & animæ damnationem: ergo quando probabiliter credit vel suspicatur aliquid ejusmodi deesse ex partis Pœnitentis, tenetur examinando supplere, alioquin si gravi ignorantia vel negligentia omittat, peccabit mortaliter, transgressione nimirùm obligationis suæ in re gravissima, Secùs, si negligentia levis omninò inculpabilis esset, ut si ex memoriæ labitat, humanâ distractione, fatigatione spiritûs ex nimia attentione in Confessionibus audiendis, &c. aliqua examinare omitteret, v. g. numerum, vel circumstantiam peccati alicujus: tunc enim vel omninò à peccato excusaretur, 789

SECTIO IV.

De obligatione & officio Confessarij,

788 TRiplex est obligatio, seu officium Confessarij. 1. Procurare rectitudinem huius Tribunalis, seu judicii Sacramentalis, seu, quod idem est: Pœnitentem disponere ad Sacramentum validè & fructuosè suscipiendum. 2. Dispositum absolvere, & non alium: alioquin enim, aut injurius fiet Pœnitenti, aut sacrilegus, 3. Tacere ea omnia, quæ mediante confessione cognovit, seu servare secretum sigilli. De hoc tertio, quia non solũ Confessariũ, sed alios subindè concernere potest: agam seorsim *cap. seq. ultimo.*

Quoad primum debet Confessarius rectitudinem judicii procurare, seu Pœnitentem disponere ad Sacramentum validè & fructuosè suscipiendum tribus modis, examinando, instruendo, monendo. Ratio clara est: quia Confessario

Universidad de Deusto
Biblioteca

saretur, vel non nisi venialiter peccaret: quia nemo tenetur cum tanta difficultate, & morali impossibilitate alienos defectus supplere. Iam bene ponderatis singulis Regulæ particulis in particulari resolvendum est.

790 I. Confessarius tenetur interrogare Pœnitentem per se non exprimentem, imprimis de ipsis peccatis: eorúmque circumstantiis necessariò confitendis, ac numero, eâdem scilicet ratione, quâ tenetur Pœnitens eadem explicare juxta dicta suo loco. Dein etiam de aliis dispositionibus necessariò requisitis ad validam & fructuosam susceptionem Sacramenti: utpote an verè doleat de peccatis verâ contritione, vel saltem attritione, an habeat firmum propositum emendandi, & occasiones peccandi, devitandi: an sit paratus satisfacere proximo in casibus ita posturantibus, utpote restituere alienum, satisfacere pro injuria, offensam remittere, inimico reconciliara &c. Omnes, quia absque his omnibus hoc Sacramentum invalidè & sacrilegè administraretur: ergo quando eorum defectum advertit vel suspicatur, Confessarius, interrogare debet.

791 II. Confessarius solùm tenetur interrogare de peccatis, eorúmque circumstantiis, &c. quandò illa explicare pœnitens aut culpabliliter, autob ignorantiam vel ruditatem emendabilem omittit, idque probabiliter advertit ipse vel suspicatur. Omnes. Communissimáque. Ratio est: quia Pœnitens tenetur peccata omnia secundùm speciem & numerum confiteri, quatenùs fieri potest, ad hoc, ut possit ritè absolvi: ergo cùm Confessarius id eum non præstare advertit, eum examinando adjuvare tenetur, ac pro examine potest remittere, ut videbitur inferiùs suo loco. Nec refert, tametsi Confessarius advertat, pœnitentem propter invincibilem ignorantiâ vel ruditatem peccata sua integrè non confiteri, nihilominùs etiam per se loquendo eum interrogationibus adjuvare tenetur, quia ad rationẽ judicii spectat, per se loquendo, ut causa integrè cognoscatur, antequam sententia feratur, juxta communem DD. *Sylvester*, *Navarrus*, *Suarez*, alii cum Layman *loco cit. c. 13.* Dico autem: *per se loquendo*: per accidens enim subinde aliter fieri posse ob nimiam ruditatem Pœnitentis, aut impotentiam Confessarii, ex alibi dictis liquet, & nemo Theologorum negat. Nihil ergo interrogare debet Confessarius, si consideratâ qualitate confitentis prudenter credat, eum integrè confessum, ac integrè dispositum, puta quia benè instructus potest & solet adhibere diligentiam debitam in se examinando & disponendo, communis DD. Suarez *d. 32. sect. 3. n. 3.* rationem nervosam dans: *quia in hujusmodi casu, qualibet interrogatio judicari potest curiosa, onerosáque Pœnitenti, & hinc vitandæ sunt.* Hæc ille sapienter. Nec obstat, si peccata aliqua, vel eorum circumstantiam inculpabiliter omitteret, sive ex oblivione inculpabili, sive ob causam excusantem ab integritate materiali confessionis, quia tunc Pœnitens non potest rationabiliter plùs confiteri, nec consequenter Confessarius tenetur interrogando eum supplere. Quòd si tamen advertat Confessarius Pœnitentem etiam post adhibitam diligentiam sufficientem, peccatum aliquod aut circumstantiam omittere, juxta communem & veram DD. sententiam modò assertam, debebit adhuc interrogare & ei in memoriam revocare ad servandâ integritatem materialem confessionis, & judicii hujus, cùm ita facilè servari possit. Vide Cardinalem de Lugo *d. 22. per totum.* etsi oppositum teneat Emanuel Sa apud ipsum, excepto casu, quando peccatum omissum cederet in damnum proximi.

792 III. Confessarius tenetur interrogare Pœnitentem *examine morali & humano*; nimirùm non industriâ exquisitâ, & examine exactissimo, sed mediocri, humano, & suavi, juxta capacitatem Pœnitentis, eâdem nimirùm ratione, quâ tenetur Pœnitens suammet conscientiam examinare. *Omnes.* Ratio: quia Confessarius non plùs obligatur, quàm Pœnitens ad examinandùm, imò Pœnitens obligatur per se primo loco, & deinde in defectum ejus secundo loco Confessarius: sed Pœnitens tenetur solùm se examinare industriâ morali & mediocri juxta capacitatem suam: ergo eâdem ratione tenetur Confessarius examinare. Nec sequitur: si plùs se Pœnitens examinâsset, vel plùs interrogaretur à Confessario, plùs inveniret: ergo ad hoc tenetur: quia quoad hoc non debet attendi solùm ad exactam integritatẽ confessionis, sed etiam, ne Sacramentum ex hoc capite reddatur nimis grave, onerosum, vel odiosum Pœnitenti, quod omninò fieret, si examen Pœnitentis, & interrogatio Confessarii deberet fieri industriâ exquisitâ, & ultra capacitatem Pœnitentis. Plura ergo & crassiora interrogandus est simplex Rusticus, vel plebeius, quàm Civis, Mercator, Aulicus. Non omnes examinandi de omnibus peccatis discurrendo per omnia peccata: sed tantùm de gravioribus, & iis, quæ attentâ qualitate, conditione, statu, vel occupatione, aliisque circumstantiis frequentiùs à tali homine committi solent. De quo certior regula dari non potest, nisi hæc: Tantum debere esse examen Pœnitentis, ut prudenter judicetur, hìc & nunc nihil omitti, aut certè probabiliter non constet aliquid omitti ex parte Pœnitentis necessarium ad valorem Sacramenti.

793 IV. Confessarius tenetur interrogare Pœnitentem *examine prudenti valde & cautè*. ut scilicet: 1. Non sit examen *intempestivum*, sed sinatur priùs se ipsum explicare, quantùm potest, ne importunitate terreatur: expedit enim plerúmque, ut Pœnitens memoriter confitens non interpelletur interrogando numerum vel circumstantias peccatorum, sed expectet finem confessionis: nisi timeat aliquid necessario postea interrogandum oblivisci, tunc tamen adhuc poterit memoriam juvare. Praxis multùm frequentata est, ut peccatis mortalibus in confessione explicari solitis certi digiti designentur, & si intra peccatorum confessionem aliquid occurrat, de quo

de quo postea interrogandum sit, digitum illum pro tali peccato designatum claudat, vel aliter notet, ita tamen, ut nemo alius notet. Interdùm tamen expediet numerum peccati, vel circumstantiam, præsertim in materia turpi, statim breviter interrogare, ne (ait prudenter Henriquez apud Layman *n. 9*) Pœnitens peccata, quæ præ verecundia vix semel expressit, debeat denuò repetere, de numero vel circumstantia interrogatus. 2. Ne sit *indiscretum*, v. g. interrogando de ijs, quæ moraliter certum est à tali persona non solere committi, vel ex quibus dicat peccare Pœnitens, vel de verecundia inverecundè, vel de numero nimis importunè, si ex confessis probabiliter æstimari possit, juxta dicta suo loco. 3. Ne sit *curiosum* interrogando de non necessariis, vel impertinentibus, unde Sacerdotis existimatio, Sacramenti dignitas, Pœnitentis salus, vel profectus minuatur. Pessimè faciunt Confessarij curiosè inquirentes de aliorum dictis & factis, unde timoratas conscientias malis suspicionibus, judiciis temerarijs, detractionibus, revelationibus secretorum illicitis irretiunt in grave aliorum damnum. 4. Cautissimæ maximè, & paucæ debent esse interrogationes in materia luxuriæ, ut ad particulares modos, species & circumstantias non descendat, ne vel multa interrogando doceat pœnitentem, quæ ante ignorabat, sícque occasionem Præbeat ulteriùs investigandi, confessionem traducendi, &c. aut eidem, vel sibimet existat causa turpis tentationis, aut saltem scandali occasionem præbeat Pœnitenti, ut suspicetur Confessarium harum rerum curiosâ investigatione oblectari, aut in tali materia practicè bene versatum esse, &c. etsi horum aliquid timeat, potiùs aliquid patiatur deesse integritati materiali confessionis, permittendo minus malum, ad evitandum majus. Personæ honestæ, si in hac materia cogitationes negent, non est opus progredi ad opera; rudiores autem & rustici cogitationes sæpè negare solent, cùm non agnoscant, vel non advertant: facta verò vel verba inhonesta interrogati fatentur, ut notat etiam Layman *loco cit. n. 8.* Quin multi rudes tales interrogati de peccatis carnis, non apprehendunt etiam comprehendi pollutiones voluntariè procuratas, ideo personæ suspectæ interrogari debent saltem genericè: an nihil turpe commiserint? etiam secum ipsis? nam pudet eas de se confiteri, sed de his examinatæ personæ edicere audent, quamvis in hac re, uti anteà dixi, magnâ prudentiâ & cautelâ opus sit. Denique universaliter, quando Pœnitens consideratis circumstantiis exa minandus videtur circa peccata, de quibus ipse nullam mentionem fecit, consultum est plerúmque, ut priùs remotiores & generaliores interrogationes fiant, utrùm nihil superstitiosum adhibuerit? an nullum odium, vel inimicitiam gerat? an nulli malum vel injuriam intulerit? nihil alienum possideat? &c. Conjuges, quàm rectè statum Matrimonialem servent? an pacificè? an uxor in justis rebus obediat marito. Quis sæpè mulieres viris petentibus debitum negant, idque nisi interrogentur, (sed certè plerúmque ita remotè & generaliter, nam specificè interrogare sæpè offensivum est honestis Matronis) non facilè confitentur: ut etiam observat Layman *cit. c. 13. n. 8.* & ita in similibus, quæ praxis docebit.

QUÆSTIO II.

Qualiter & de quibus tenetur Confessarius instruere, & monere Pœnitentem?

SUMMARIUM.

794. *Confessarius tenetur sub mortali instruere & monere Pœnitentem.*
795. *I. Laborantem ignorantiâ vincibili in quacunque materia mortali.*
796. *II. Quâcunque ignorantiâ laborantem, quæ sunt de necessitate medij ad salutem Ae*
797. *III. Ignorantem ea, quæ sunt de necessitate præcepti credenda & scienda omni Christiano. &*
798. *IV. Specialiter indispositum disponere.*

REGULA GENERALIS: Confessarius sub 794 gravi peccato obligatur Pœnitentem instruere quoad intellectum, & monere efficaciter quoad voluntatem, de his omnibus, quæ ad hoc Sacramentum validè & fructuosè suscipiendum requiruntur, quando apparet ignorantia vel defectus alicujus ex his in Pœnitente. Ratio est eadem, quæ præcedentis. Ex hac generali Regula deduco aliquot quæstiones, & velut speciales Regulas.

I. Pœnitentem 1. Ignorantiâ vincibili & mor- 795
taliter culpabili laborantem in quacunq; materia peccati mortalis, utpote ignorantem aliquid esse peccatum mortale, quod reverà est, tenetur semper instruere & monere Confessarius, Omnes. Ratio clara est; quia talis ob obicem mortalis ignorantiæ, non est dispositus ad absolutionis effectum: contrà verò à Confessario monitus, vel retractabit suum peccatum ex ignorantia tali patrari solitum, ut sic absolutionem mereatur; vel etsi non retractet, causam tamen intelliget, cur Confessarius absolutionem neget, eóque malo perculsus & conscientiæ stimulis actus, postea fortè se corriget. 2. Ignorantiâ verò invincibili & inculpabili laborantem, per se quidem ordinariè tenetur instruere & monere Confessarius tanquam Spiritualis Doctor & Medicus Pœnitentis. Secundùm omnes. Cùm enim ejusmodi error per se malum quoddam sit, & plerúmq; alia incommoda secum trahat, & materiale etiam peccatum magnum sit inconveniens, magnísque damnis obnoxium, ideo eo liberari Pœnitens debet, si facilè possit, & fructus speretur, præcipiente saltem lege charitatis, imò etiam justitiæ, si ex pastorali obligatione confessiones audias: ex communi Layman. *n. 9. 3.* Per accidens autem Confessarius quandóque prudenter dissimulare potest, & debet, quando nimirùm prævidet informationem aut nihil profuturam, aut etiam nocituram pœnitenti, Peccata formalia vel scandala oritura, idque in duobus casibus maximè

Universidad de Deusto
Biblioteca

quando nimirùm Pœnitens invincibiliter ignorat, matrimonium suum esse invalidum: aut rem, quam bonâ fide possidet, esse alienam: & prævidet confessarius etiam informatum, non tamen dimissurum, aut sine scandalo, vel alio gravi incommodo non posset dimittere Conjugem, vel restituere alienum. Ratio indicata est: quia ex duobus malis minus est eligendum: minus autem malum est peccatum materiale, quàm peccata mortalia, scandala publica &c. 4. Quòd si tamen ipse Pœnitens dubitet, aut consulat vel interroget Confessarium, omninò omnium consensu is tenetur aperire veritatem (quia tacere esset approbare falsitatem; falsum autem dicere in re præsertim tam gravi, nunquam licet) prudenter tamen non plùs dicendo, quàm interrogetur: ut si interrogetPœnitens, an Matrimonium post votum castitatis contractum valeat, possitq; reddere debitum? ℟. Quòd sic: prudenter tacendo obligationem nunquam petendi; quandóque etiamsi idipsum interroget in casu impedimenti dirimentis, v. g. affinitatis antea contractæ. ℟. Matrimonium non esse validum, ideóque non posse petere debitum; subticendo, quòd etiam non possit reddere, cùm id reverà plures invincibiliter ignorent, atque etiam aliqui oppositum docuerint, de quo suo loco. Hanc quadruplicemRegulam ex professo traditam & declaratam habesTract. 1. Theol. moral. c. 1, sect. 2. assert. S. per totam, & videre potes Layman *cit.* &Lugo *d.* 22. de his succinctè disserentes:

796 II. Pœnitentem, quâcunque ignorantiâ laborantem in iis, quæ sunt de necessitate medii ad salutem credenda: nimirùm mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationem Verbi, seu fides explicita Dei Unius & Trini, & Filij Divini pro nobis incarnati, passi & mortui, Mediatoris nostri, Confessarius advertens, (idque frequens in pueris & rusticis) tenetur instruere eo modo, quo hìc & nunc est capax; non quidem doctrinaliter, ut ea capere, intelligere, memoriter tenere, ac recitare possit, sed sufficit pro tempore, ut ei obligationem discendi insinuet, ejúsque ignorantiam suppleat proponendo ei articulos credendos, ut ad singulos actum fidei exerceat. Ex. gr. Credis, quòd Deus unus sit in essentia & tres personæ, &c. sicut ego & Ecclesia credit? Credo. Credis Filium æqualem Patri, pro salute tua incarnatum ex Virgine, passum, mortuum, &c. unicum Mediatorem nostrum, per quem salvandi sumus? Credo, &c. tandem in genere: Credis, quidquid credit S. Romana Ecclesia, & vis mori in ista fide? ita. Ulteriùs, doles te ita ignarum esse, & negligentem fuisse in istis necessariis ad salutem addiscendis? Doleo. Proponis firmiter nactus occasionem opportunam, quòd curabis te instrui, & velis diligenter discere, quæ sunt necessaria ad salutem tuam? Ita. Si hos actus exerceat, sufficit ad instructionem à Confessario hic & nunc præstandam & ad dispositionem sufficientem Pœnitentis ad Sacramentum suscipiendum, quantùm est ex hoc capite.

III. Pœnitentem ignorantem ea, quæ sunt ne- 797
cessitate præcepti credenda & scienda ab omni Christiano: (sunt autem hæc: 1. Articuli Symboli, saltem crasso modo quoad substantiam. 2. Oratio Dominica. 3. Præcepta Decalogi. 4. Sacramenta saltem necessaria, ut Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia) tenetur Confessarius omninò instruere quoad ea, quæ sunt necessaria, ad fructuosam confessionem & communionem, siquidem absolvere & ad communionem admittere velit, utpote quid requiratur ex parte Pœnitentis ad Sacramentum Pœnitentiæ, quid contineatur & suscipiatur in Sacramento Eucharistiæ. Quoad alia instrue, quantùm tempus & capacitas Pœnitentis permittit, modo suprà dicto supplendo, interrogando, dolorem ignorantiæ, & propositum discendi exigendo modo suprà dicto. Et generaliter. Quoties Pœnitentes bonâ fide agunt, & temporis angustiæ, vel confitentium multitudo longam instructionem vel examinationem non permittit (& maximè quando Pœnitens plurimas confessiones invalidas feciſſet) nec expedit, ut sine absolutione dimittantur, vel sunt peregrini, qui mox communicare & abire debeant, sufficiet integritas formalis confessionis, quâ audltis aliquot peccatis, & numero Confessionum & Comunionum Sacrilegarum absolvantur cum onere redeundi ad plenioré instructionem, & perfectam confessionem, ut *c. præced.* notatum est.

IV. Specialissimè Pœnitentem ignarum vel 798
indispositum Confessarius sciens & advertens gravissimè obligatur instruere, monere & disponere in iis, quæ directè & immediatè ad Sacramentum ipsum validè & fructuosè suscipiendum ex parte Pœnitentis requisita sunt: nimirùm 1. Ut verum dolorem supernaturalem, contritionem vel attritionem eliciat cum serio proposito emendationis, proponendo ei bonitatem DEI, gravitatem & turpitudinem peccati, periculum æternæ damnationis &c. juxta latè dicta cap. 2. de Contritione & Attritione. 2. Ut integrè confiteatur omnia peccata mortalia, eorum circumstantias ac numerum moralem, juxta dicta c. 3. 3. Ut firmiter proponat devitare occasionem proximam peccatorum, ac satisfacere obligationibus ex peccato ortis, utpote restituere ablata, famam, vel honorem læsum: deponere odium & inimicitias, amovere vel emendare scandala data: item juvare indigentes in gravi necessitate, denuntiare delicta vel delinquentes in detrimentum Communitatis vel aliorum, &c. in quibus omnibus, nisi Confessarius instruat, & efficaciter moneat ad satisfaciendum, seipsum criminum participem & sacrilegij reum faciet. 4. Singulariter Confessarij Principum, Prælatorum, Magnatum, scientes ipsos non satisfacere suo officio circa collationem beneficiorum, electionem Ministrorum, gubernationem subditorum: circa eleemosynas ex bonis Ecclesiasticis faciendas, aut propter omissas Horas, &c. regulariter tenetur monere ipsos de sua obligatione, alias, si absolvat, suis humeris peccata illa imponit,

nit, & cæcus cæcum ducens ambo in foveam inferni cadent; rarò enim in talibus est ignorantia invincibilis, plerúmque illa peccata afferunt scandala in subditos, nec rarò commune damnum: si tamen videant, esse ignorantiam invincibilem in aliquo particulari casu, neque ex illa sequi scandalum aut damnum commune, contrà verò admonitionem nihil profuturam, sed fortè majus malum pœnitentis, poterit interdum dissimulare, nisi interrogetur juxta dicta *N. I.* vide Cardinalem de Lugo *disp.* 22. *n.* 37. Denique quando Pœnitens ignarus obligaretur ad aliquid adeò difficile, ut non crederetur tunc æquo animo acceptaturus, sed aliâ vice commodius informandus speretur, poterit prudens Confessarius tunc illum relinquere in bona fide, & admonitionem differre in tempus opportunius: ne fortè fictè promittens sacrilegè absolvatur, aut territus à Confessione abstineat, graviúsque detrimentum incurrat: Lugo *ibidem.* Unde ejusmodi graves obligationes restitutionum & similium, excitato dolore & generali proposito satisfaciendi pro peccatis, quantùm in conscientia obligantur pœnitentes, in specie soleo monere post absolutionem, prout singulari exemplo docet Layman *cit.* de saga, quæ obstetrix ultra 40. infantes baptizavit in nomine Diabolorum, & ideo in conscientia obligata ad se manifestandum, ut saluti animarum succurratur, sed similiter primò post absolutionem monendâ; & alicubi audientibus confessiones Ziginorum consului, ut obligationem non furandi de cætero, quam apprehendere nolunt, & sibi impossibilem putant, nisi interrogentur, vel omninò dissimulent, vel primò post absolutionem admoneant, ob eandem rationem.

QUÆSTIO III.

Qualiter Confessarius tenetur absolvere dispositum, & non alium?

SUMMARIUM.

799. *Confessarius legitimè dispositum tenetur absolvere sub mortali.*
800. *Nec differenda est absolutio, nisi ex urgenti causa. Quæ tales?*
801. *Liquidò indispositum absolvens peccat mortaliter sacrilegio utroque.*
802. *An & qualiter interrogandus, qui se non accusat de peccato Confessario jam extra confessionem noto?*

799 I. CONfessarius Pœnitentem legitimè confessum & ritè dispositum in omnibus requisitis, &c. ex justitia obligatur absolvere sub mortali. *Omnes.* Ratio patet, quia Pœnitens ritè confessus & dispositus jus habet ad absolutionẽ, vi cujusdam contractûs sacri innominati: facio, ut facias: quo jure in re gravissima, sine gravissima injuria privari non potest: idque etiam verum est, quando Pœnitens sequitur opinionem verè probabilem contra opinionem propriam, quantumvis probabiliorem Confessarij, adhuc enim est rectè dispositus per probabilem DD. sententiam, volens vitare peccatum, ut ex communi doctrina alibi explicavi. Et quidem Confessarius proprius tenetur talem absolvere toties, quoties petierit Pœnitens: Confessarius autem non proprius & voluntarius, v. g. Religiosus, Privilegiatus, auditâ quidem confessione, pro illa vice absolvere debet, attamen potest eum monere, ne iterum redeat, nisi eam opinionem deponat, imò tanquam Medicus spiritualis cogere potest eam deponere, si nocivam eam animæ intelligat.

II. Neque differenda est absolutio, nisi ex 800
multùm rationabili & urgenti causa, rarò, & plerumque cum consensu Pœnitentis: quia potest vergere in grave ejus periculum vel damnum, utpote, quòd affectus rædio non revertatur, vel in desperationem labatur: justa autem causa est differendi absolutionem. 1. Quando in casu dubio, an absolvere possit, studio vel consilio indiget Confessarius. 2. Quando dilatio necessaria est ad experiendum dolorem & propositum verum Pœnitentis, utpote, quia hic sæpiùs monitus & pollicitus, tamen occasionem proximam peccandi non dimisit, non restituit, non satisfecit, nullum conatum emendationis adhibuit, &c. juxta dicta suo loco de proposito. 3. Etiam propter spiritualem utilitatem Pœnitentis, alioquin hic & nunc ritè dispositi, quippe quia Confessarius meritò timet Pœnitentem nunc absolutum facilè relapsurum, nisi ipsâ dilatione territus meliùs agnoscat gravitatem peccati, & necessitatem emendationis, poterit prudenter differre in modicum tempus. Nec ea dilatio est contra jus Pœnitentis, siquidem Confessarius habet jus Judicis & Medici, ut illam exposcere possit, prudenter tamen & suaviter cum ejus bono consensu. 4. Ob defectum etiam examinis, cùm Pœnitens à longo tempore non confessus absque ullo prævio examine confessionale invadit, & pauca, aut ferè nihil confitetur, per se quidem Confessarius eum absque absolutione remittere deberet ad conscientiam interim opportunè examinandam, per accidens tamen plerumque extemporali examine à Confessario juvandus erit, eâdem ratione & eodem modo, ut dictum c. 3. de Confessione invalida repetenda. At verò si Pœnitens peccata sua ipsemet confiteatur, sed non integrè, puta, quia vel numerum vel circumstantias peccatorum non exprimit, vel aliquot peccata mortalia omittere advertitur, jam plerumque non erit remittendus, ut conscientiam magis examinet, dilatâ interim ablolutione: quia causa Sacramentalis judicij jam cæpta est: quare & ipsi Pœnitenti onerosum, & Sacramento indecens est, si non perficiatur, si commodè perfici posset: potest autem commodè perfici juxta dicta *q. præced.* Si examinando applicet & suppleat: ergo Confessarius absque alia gravi causa non potest eum dimittere, sed sub mortali obligatus manet eum examinare, & ad absolutionem dispositum reddere. Communis DD. Navarrus *c. 5. n.* 2. Suarez *d.* 32. *sect.* 3. Layman *cit. n.* 13.

III. Liquidò autem non dispositum utique 801
non poterit absolvere Confessarius, sed absolvens, & absolutus scienter, peccat mortaliter Sacri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

crilegio. *Omnes*, utpote quandocunque Confessarius certò vel probabiliter sibi persuadet Pœnitentem, aut non integrè confessum omnia mortalia, quatenùs ei possibile est: de quo mox specialiùs: aut contritum vel saltem attritum non esse, cujus signa sunt: si ægrè ferat se examinari de peccatis, si emendationem proponere nolit, si occasiones peccandi proximas, cum possit, non vult evitare, non restituere, offensam remittere, inimico reconciliari, &c. quò spectat etiam, si advertat eum culpabiliter ignorare ea, quæ omnes scire tenentur prænumerata, nisi eum priùs instruere possit & velit. *Ratio clara est*: Quia cùm dolor de peccatis ex motivo supernaturali conceptus, & integra confessio peccatorum mortalium secundùm numerum & speciem, quatenùs moraliter fieri potest, secundùm Tridentinum pertinent ad substantiam Sacramenti pœnitentiæ. Clarum est nimis, si Pœnitens hæc duo non habeat, absolutionis incapacem esse, ideóq; sacrilegij crimen committere Confessarium, si eum sic indispositum absolvat.

802 IV. At, quid si Confessarius Pœnitentis peccatum extra Confessionem sciat, de quo tamen ipse se non accusat, quomodo illum interrogabit & absolvet? Resp. Cum distinctione. Si Confessarius ex se evidenter scit peccatum à Pœnitente commissum & nondum confessum, puta, quia oculis suis vidit eum paulò ante furantem, vel auribus audivit blasphemantem &c. Id tamen neque suâ sponte, neque (prout sine dubio potest & debet) interrogatus confiteatur, utique clarè constabit eum esse indispositum, sed nequam simulatorem, ideóque ei absolutionem rotundè negandam. Si verò ex aliorum tantùm relatione quantumvis fide dignâ (nullum hic locum habet propria suspicio) credat eum aliquod peccatum commissum non fateri; prudenter primò à longè, dein etiam in specie interrogare de eo poterit & debebit; si negat, adhuc standum erit ejus confessioni, quippe cui in hoc foro, tam pro se, quàm contra se fides habenda est, interim prudenter Confessarius existimare debet, ipsum vel oblitum, vel alteri confessum, vel putare se habere causam reticendi aliqua, aut certè relatores mentitos esse vel deceptos: & sic absolvat, ex communi Navarrus *c.* 8. *n.* 17. Toletus *l.* 3. *Summæ c.* 17. *n.* 14. Layman *cap.* 14. *n.* 35. Si denique tale peccatum Pœnitentis novit ex confessione complicis. (Casus frequens in sponsis &c.) illâ scientiâ uti non poterit Confessarius, ne interrogando quidem in specie, nisi solùm in genere scitando, an non aliud quid conscientiam gravet, hortando, ut meliùs se ipsum examinet, majorem contritionem de omnibus peccatis suis eliciat, seriò se ad Deum convertere satagat &c. nam si in specie interroget; erit periculum indirectæ revelationis sigilli ex confessione complicis, nisi esset peccatum aliquod commune talibus personis, & de quo tales personæ communiter interrogari solent, uti est in sponsis tusticis prævia probatio copulæ, aut nisi complex expressè licentiam dederit ad id, ac etiam scandalum absit, tunc enim etiam speciatim interrogare Confessarius non prohibebitur, nisi scandalum vel offensam gravem Pœnitentis timeat. *Communis apud citatos.*

QUÆSTIO IV.

Quid agendum Confessario, si erravit in suo officio? Et: an aliquando teneatur in se suscipere onus Pœnitentis?

SUMMARIUM.

803. *Si Confessarius erravit cum nullitate Sacramenti, tenetur monere Pœnitentem.*
804. *Non verò, si stante valore, erravit merè negativè, non interrogando speciem, numerum. sed*
805. *Nec, si erravit cum damno tertij merè negativè, benè, si positivè*
806. *An & quando teneatur, vel possit Confessarius in se suscipere onus Pœnitentis?*

803 I. SI Confessarius erravit cum invalidatione Sacramenti, utpote si non protulit formam; si absolvit sine intentione, si sine potestate, scilicet non subditum, aut à casibus sibi reservatis &c. vel scienter indispositum: siquidem malâ fide processit ex malitia vel ignorantia mortaliter culpabili, ad defectum supplendum debet omninò Pœnitentem monere, etiam cum suo gravi incommodo vel dedecore aliquo, dummodò sine scandalo & fractione sigilli fieri possit: ad violationem autem sigilli evitandam debet petere licentiâ à Pœnitente, loqui cum illo de re ipsi necessariâ ad salutem ratione præcedentis confessionis: si Pœnitens concedat, jam tutò eum admonebit, & defectum, prout oportet, supplebit: si autem neget, ad nihil ultrà tenetur, quia jam functus est suo munere, quantùm potuit & debuit; Quando verò bonâ fide processit, ex oblivione, ignorantia vel errore non culpabili, saltem graviter, tunc tamen adhuc debet eum monere, ut suprà, etiam cùm incommodo suo & dedecore aliquo, quando est periculum, ne Pœnitens nunquam ampliùs confiteatur, ut si esset graviter infirmus, quia tunc esset periculum æternæ damnationis & Pœnitens versaretur in extrema necessitate salutis: at, si tale periculum non sit, quia certum moraliter est, quòd iterùm ac sæpiùs talis Pœnitens debitè confiteatur, ubi etiam à præcedentibus peccatis indirectè absolvetur, etsi sine integritate materiali, non tenebitur eum Confessarius monere cum suo incommodo vel dedecore, nisi ipsmet iterum confiteretur, & eum ad repetendam priorem confessionem suaviter inducere confidat: alioquin res tota Deo commendanda erit, prout diximus in simili casu suprà, quando Confessarius oblitus est Pœnitentem absolvere: ex communi Lugo *d.* 22. *sect.* 3. Tamburinus *cit. alij.*

804 II. Si stante valore Sacramenti quoad alia re quisita Confessarius erravit merè negativè, puta non interrogando Peccatorum speciem, numerum, circumstantias, non monendo de monendis, secluso tamen omni damno tertij: regulariter ad nihil tenetur, nisi ad Pœnitentiam agendâ, si

si malâ fide, vel culpabiliter processit, monere etiam extra confessionem non debet, cùm judicium Sacramentale validè jam finitum sit: si tamen idem Pœnitens redeat ad ipsum ad confessionem, debet moneri de defectu commisso, quia alioquin hæc confessio non erit integra, cùm quædâ peccata non sint debitè explicata. Quòd si verò errâsset positivè, v. g. dicendo non esse necessariò confitendas peccatorum species infimas, circumstantias, vel numerum, debebit monere, si sine scandalo, vel gravi suo incommodo possit, quia esset in causâ, quòd taliter præceptum grave de integritate confessionis violetur. Lugo *ibidem*, communis.

805 III. Si Confessarius erravit cum damno tertii, rursùs negativè tantùm, utpote non monendo, vel injungendo restitutionem, vel satisfactionem debitam, non docendo nullitatem vel injustitiam contractûs alicujus &c. debet suprà dicto modo monere Pœnitentem de errore, ne scilicet patiatur innocens: quòd si non moneat, non contrahet ipse obligationem restitutionis, quia Confessarius non tenetur ex justitia procurare bonum aliorum, sed tantùm ex charitate; violatio autem justitiæ tantùm & non charitatis solius inducit obligationem restituendi. At verò, si Confessarius cum damno tertii erravit positivè, v. g. dicendo: eum non obligari ad restitutionē, vel solutionem debiti, aut hunc contractum revera injustum, justum esse: siquidem malâ fide processit, omnino ex justitia tenetur monere Pœnitentem de errore tempestivè, antequam scilicet is fiat impotens ad restitutionem: alioquin erit causa positiva & efficax damni alterius, & ipse tenebitur ad restitutionem, si Pœnitens restituere nolit, vel non possit, cùm tamen anteà, ante tuam fallam informationem, vel si tempestivè de errore monitus fuisset, potuisset. Si verò bonâ fide processisti, & sine gravi culpa tua, adhuc teneris monere aliquo tuo incommodo, etsi non tanto, sicut si malâ fide fecisses: alioquin excusaberis & ab admonitione, & à restitutione, cùm nullum adsit tuum delictum grave, neque tu aliquid alienum habeas. Ex communi Bonacina, Lugo *cit. n.* 61. alii.

806 IV. Quoad alterum quæsitum. Contigit Pœnitentem ob peccata commissa & confessa obligari: vel 1. ad correctionem fraternam proximi; vel 2. ad restitutionem rei alienæ, famæ vel honoris proximi læsi: vel 3. ad recurrendum ad Superiorem pro casu reservato: vel 4. ad denuntiandum aliquem Superiori & inquisitioni ob enorme delictum exercitum. Quæritur; an Confessarius ejusmodi onera in se suscipere licitè possit, & debeat? Quoad licitè posse, quamvis omninò consultissimum sit, ut Confessarius ab ejusmodi Pœnitentis oneribus subeundis planè abstineat, tribus tamen concurrentibus licitè in se suscipere potest, & ex charitate aliquando debet. 1. Si sit moralis aliqua necessitas ex parte rei faciendæ. 2. Ut eam rem Pœnitens per se facere non possit sine suo incommodo, vel non sit ad id aptus, vel rationabiliter abhorreat. 3. Ut ipse Confessarius speret se utiliter illud munus exequi posse, & sine suo damno, vel periculo. His concurrentibus, tunc tantùm Confessarius ejusmodi onus in se suscipere debet, vel tenetur etiam, quando omninò non potest Pœnitens, ipse autem Confessarius potest, & ut fiat, charitas ipsum obligat. Sed claritatis gratiâ discurramus per singulos quatuor casus, initio propositos. In 1. casu, si proximi corrigendi necessitas spiritualis sit tam gravis, ut Pœnitens obligetur ad corrigendum illum: tunc, si Pœnitens possit corrigere per se, vel per alium non Confessarium, non obligatur Confessarius, quia tunc ejus ope non indiget proximus: at si Pœnitens non possit per se, vel per alium corrigere, (casus certè rarissimus) sed solùm per Confessarium, tunc certè is ex charitate debebit, idque maximè, si Confessarius sit ipse Superior vel Dominus corrigendi, cui ex officio incumbit procurare bonum subditorum. Ratio est: quia tunc tantùm Confessarij ope indiget proximus. In secundo casu Confessarius nunquam tenetur subire onus restitutionis loco Pœnitentis, sive suâ, sive aliorum impetratâ pecuniâ: idémque est de restitutione famæ vel honoris. Ratio est: quia hoc est onus ipsius Pœnitentis: quòd si ex aliqua causa Pœnitens implere non possit, nec alium inveniat, qui voluntariè vices suas suppleat, jam ipse ab hoc onere excusatur. At verò de bonis ipsius Pœnitentis, si sine suo gravi periculo restitutionem exequi non possit & alter re suâ valde indigeat, jam illud ministerium restituendi in se suscipere, ex charitate debebit Confessarius. In tertio casu, nunquam obligatur Confessarius Superiorem adire propter peccatum reservatum Pœnitentis: nam vel Pœnitens potest adire ipse, & tunc non extremè indiget ope Confessarii: vel non potest adire simpliciter, quia v. g. est infirmus, vel in periculo, vel in impedimento perpetuo adeundi Superiorem; & tunc Pœnitens non tenetur mittere alium, sive nuntium, sive litteras, sive amicum, cùm illud sit onus personale Pœnitentis, à quo impotentia excusat: ideóque tunc à Confessario absolvi poterit. Quid verò charitas eo casu quandóque suadeat, quandóque & urgeat, diximus suo loco *q.* 3. *c.* 6.

In quarto casu similiter non obligatur Confessarius loco Pœnitentis alium delinquentem denuntiare propter rationem modò dictam, excepto solo raro casu, quando graviter perichtaretur bonum publicum, & deficientibus alijs, Confessarius ut aliter denuntiando remedium adhibere possit, tunc enim debebit, secundùm leges charitatis, quia eo casu Communitas extremè indiget ope Confessarij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPUT VII.

De Sigillo Sacramentali.

QUÆSTIO I.

Quid est Sigillum Sacramentale? quanta & qualis eius obligatio?

SUMMARIUM

807. *Sigillum Sacramentale quid?*
808. *Oritur ex sola,*
809. *Et omni confessione Sacramentali, etiam invalidè factâ.*
810. *Obligat ad tacenda audita, quatenus in sola confessione audita, non quatenus cognita,*
811. *Estque ea obligatio juris divini naturalis, vel probabilius positivi.*
812. *Ex virtute Religionis, & fidelitatis ac justitiæ;*
813. *Semper sub mortali ex virtute Religionis.*
815. *In omni casu* usque ad n. 819.
819. *Nisi de expresso & libero consensu Pœnitentis;*
820. *Qua & quando censentur talis expressa, & libera licentia?*
822. *Sine tali nunquam de auditis in confessione, ne quidem cum ipso Pœnitente loqui licet extra confessionem.*

ASSERTIO.

807 *SIgillum confessionis est Obligatio tacendi in confessione Sacramentali audita omnia, quorum revelatio redderet Sacramentum odiosum, eáque juris divini strictissima semper sub mortali, & in omni casu, nisi solùm de expressa licentia & libero consensu Pœnitentis.* Tota ce rtissima, quoad rem explico particulatim: quoad nomen dicitur hæc obligatio *sigillum*, eò, quòd Confessarius audita in confessione alto silentio prorsùs obvolvere, & quasi *sigillo* obsignata & occulta tenere debeat.

§. I.

Obligatio tacendi in Confessione sacramentali audita &c.

808 I. EX sola *confessione sacramentali*, nimirùm in ordine ad absolutionem sacramentalem factâ, inducitur obligatio hæc sigilli. Non ergo inprimis, si quis extra confessionem, & sine omni ordine ad illam suum peccatum narret, vel sua occulta negotia communicet sub pacto sigilli confessionis, sed tantùm oritur obligatio secreti naturalis gravior, aut levior, pro ratione materiæ, ut omnes passim observant. Item non oritur eadem obligatio ex confessione omninò fictâ sine omni voluntate suscipiendi Sacramentum, sed solùm factâ animo vel confabulandi cum Confessario, vel eum convitiandi, vel eum ad aliquod crimen inducendi, vel furandi gratiâ, vel certè per eum aliquod beneficium impetrandi, ut mihi non semel factum: etsi hoc casu adhuc prudenter tacendum sit. Communis DD. cum Suarez *d. 33. sect. 2.* Layman *c. 14. n. 1.* & lepidè Diana *p. 5. tract. 11. resol. 26.* & ratio horum est: quia in his casibus res in confessione sacramentali excepta nequaquam est. Vide, & hùc refer dicta *c. 3. initio* de definitione confessionis sacramentalis.

809 II. Ex omni *Confessione Sacramentali* generatim definita *ibidem* oritur obligatio sigilli, sive validè, sive invalidè factâ, dummodò facta sit animo se subjiciendi clavibus ad suscipiendum Sacramentum sive deindè susceperit, sive ob defectum non susceperit, ut ibidem explicatum fuit, unde etiam adest obligatio sigilli ad tacendum peccatum Pœnitentis futurum, seu committendum: v. g. si propositum concepit occidendi inimicum &c. Si aperiatur animo confitendi sacramentaliter saltem inchoativè, sive cum spe concipiendi dolorem, vel simili modo: secùs dicendum, si aperiatur Confessario absque animo confitendi seu peccatum eluendi, sed per modum simplicis narrationis, vel ad consilium Confessarii petendum, vel ut Confessarius ad simile peccatum inducat &c, ut cum *Suarez* cit. & aliis rectè notat Diana *p. 5. tr. 11. resol. 25.* Ratio est, quia in hoc posteriori casu nulla adest, in primo autè casu adest Confessio sacramentalis: nam ex ea voluntate, quâ aliquò tandem modò intenditur absolutio sacramentalis, & ipsa Confessio fit aliquo modo sacramentalis, & inde fit, ut cognitio ex illa acquisita, non nisi ratione Sacramenti acquisita censeatur.

810 III. *Tacendi audita &c.* Subintelligendum est: quatenùs in sola Confessione audita, & non aliunde cognita, non enim frangit sigillum, qui peccatum, etsi in Confessione auditum, tamen aliunde sibi notum, aliis refert, vel eâ aliâ notitiâ utitur, dummodò id cautè fiat, ne oriatur scandalum, ne limites extra confessionem habitæ excedantur: v. g. ne ullam circumstantiam ex sola confessione notam exprimas, nec certiùs referas, quàm extra confessionem noveris: ut si ex unius relatione tantùm scias alterius delictum, post auditam confessionem, dicas te certò scire, liquidò sigillum franges, quia eam certitudinem non habes ex unius relatione, sed ex confessione. Ubi hanc Regulam tradunt DD. communiter cum D. Thoma, Soto, Valentia, Layman *cit. n. 3.* Notitia confessionis non impedit Confessarium, quò minùs uti possit notitiâ aliunde habitâ, dummodò illa hanc non adjuvet, & scandalum cesset. Ex. g. Si Sacerdos ob certa indicia jam constituit, Cajum de furto accusare, & postea Cajus ipsi furtum confiteatur: Confessarius accusationem nihilominùs prosequi poterit, dummodò nihil utatur cognitione confessionis, sed tantùm indiciis ante vel post confessionem acceptis: quamvis propter scandalum vitandum præstet talem à se ablegare, ut alteri Sacerdoti confiteatur. Similia frequenter contingere possunt Superioribus respectu subditorum &c. Item Parochus publicum seu notorium concubinarium, usurarium &c. quem ideo à confessione non absolutum dimisit, postea à sacra Communione publicè repellere potest cum monitione, ut priùs peccati statum deserat, & scandalum publicum tollat, quàm ad sacrum Epulum accedat. Sic post alios Layman *cit.*

IV. *Audita omnia, quorum revelatio redderet confessionem odiosam.* Hæc particula latissimè patens necessariò seorsim explicanda est per distinctas quæstiones, quoad sigilli materiam & obligationem. Intertim pergamus in reliquis.

§. II.

Eáque Juris divini.

811 AT cujusnam? an naturalis, an positivi tantùm juris divini est hæc obligatio tanta sigilli? Supposità institutione & obligatione Sacramenti esse juris divini naturalis, docent ferè communius DD. cum Cardinali de Lugo *d. 23.* nam supposità institutione & obligatione hujus Sacramenti, ipso jure divino naturali, & claro naturæ lumine dictante, reverentia tanto, támque necessario Sacramento ex virtute Religionis debita postulat, ne cum injuria fiat odiosa fidelibus: atqui cum gravi injuria fieret odiosum fidelibus hoc Sacramentum, nisi arctissimâ obligatione omnia in confessione sacramentali audita tacenda essent: si enim homines scirent, Confessarium posse quandoque confessionem, vel audita in illa revelare, omninò retraherentur & absterrerentur ab illa, quoniam de facto constat Pœnitentem excusari à confessione alicujus peccati sui, quando prudenter timet, Confessarium non observaturum sigillum, seu secretum confessionis.

Contrà, eam obligationem esse juris divini positivi, ex speciali præcepto Christi, mihi probabiliùs docent æquè multi. *Suarez, Vasquez, Henriquez, Coninck*, aliisque citatis Layman *cap. 14. n. 2.* Tamburinus *opusc. de confes. l. 5. c. 1.* Ratio est: quia ratio tam strictæ & universalissimæ obligationis sigilli, non videtur sufficienter sumi ex solo jure Naturæ, sive consideretur obligatio Religionis ob reverentiam Sacramenti, ne alioquin fidelibus odiosum fiat; sive obligatio justitiæ ex pacto inter Pœnitentem & Confessarium; nam neutra harum obstare videtur, quò minùs in raro casu, v. g. gravissimæ proditionis Reipublicæ inferendæ, si confitens abstinere nolet, prodi possit sine ulla injuria, tam ipsi, quàm Sacramento inferendâ, quandoquidem in tali casu dignus ille non sit, cui secretum tam sacrum servetur: ergo dicendum videtur, ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ colligi, quòd divinum à Christo præceptum traditum sit, ut in nullo unquam casu, sacramentalem confessionem revelare liceat, ne Sacramentum tam necessarium in salutem animarum institutum, eisdem noxium & exosum fiat, cùm, si ob graviorem causam confitentem prodere concessum esset, facilè talis licentia ad alios casus non concessos extenderetur, non sine gravi Sacramenti irreverentia, & humanæ salutis jacturâ.

812 Obligatio ergo sigilli juris divini, (seu naturalis seu positivi, perinde sit) duplex est: Prima principalis & propria ex virtute Religionis ob reverentiam Sacramento debitam, ne sit Pœnitentibus odiosum: altera secundaria ex virtute fidelitatis & justitiæ, vi pacti virtualis & impliciti inter Pœnitentem & Confessarium, de secreto isto servando in omni casu; unde violatio hujus sigilli, duplicem semper habet malitiam: 1. Principalem sacrilegij contra virtutem Religionis, & reverentiam Sacramento debitam. 2. Secundariam perfidiæ injuriosæ contra fidelitatem & justitiam Pœnitenti debitam: accedit sæpe specialis malitia injuriæ damnosæ contra justitiam; quando nimirùm Pœnitens ex revelatione sigilli etiam grave damnum incurreret vitæ, famæ, fortunæ &c.

§. III.

Strictissima semper sub mortali.

813 OBligatio sigilli principalis & propria ex virtute Religionis, semper est sub mortali, in quacunque etiam levi materia: adeò, ut in malitia violationis sigilli nulla detur parvitas materiæ à peccato mortali excusans, secundùm communissimam omnium sententiam, apud Layman *cit. c. 14. n. 2.* & Dian. *p. 7. tract. 5. resol. 8.* (ubi unicum refert Emmanuelem Sa, de hoc ambiguo scribentem sic: *Revelare aliquid leve confessionis, modò sit peccatum, quidam putant esse mortale, quod mihi durum videtur.*) colligitur *ex c. Sacerdos, & c. omnis utriusque de Pœnit. & remiss.* Ratio est: quia semper urget reverentia Sacramenti, ne fiat odiosum Pœnitentibus; si etiam in materia levi liceret aliquid revelare ex confessione, semper enim timerent homines, ne Confessarius vel per errorem, vel per malitiam revelaret etiam aliquid gravius, putans esse leve: & sic à confessione retraherentur: de quo specialiora mox *q. seq.* de materia sigilli.

814 Obligatio autem sigilli secundaria ex virtute fidelitatis & justitiæ est etiam sub mortali ex genere suo, sed non semper, excusante utique levitate materiæ: adeò, ut culpa revelationis hujus mortalis quidem sit in materia gravi, & quando grave inde Pœnitenti damnum inferretur: secùs, si materiæ levi, aut etiam de se gravi, leve tamen indè damnum inferatur Pœnitenti: ita cum aliis rectè *Coninck*, Lugo *d. 23. §. 3. n. 17.* ubi rectè infert, debere in confessione explicari, quando intervenit malitia gravis contra justitiam, cùm hæc sit diversæ speciei à malitia principali revelationis sigilli contra virtutem Religionis; imò etiam explicari debet, quando non intervenit malitia gravis, ne fortè Confessarius intelligat, fuisse violationem sigilli in materia gravi contra justitiam, cùm possit contingere, quòd revelatio unius certi peccati venialis sit non gravis contra justitiam; magis etiam aliquando displicet & dolet Pœnitenti, quòd publicetur aliquod certum veniale, v. g. mendacium, quàm aliquid aliud mortale; de cuius publicatione non ita curaret, v. g. Germanus de ebrietate.

§. IV.

In omni Casu?

815 I. IN hoc præcipuè sigillum sacramentale differt à secreto naturali ex sola fidelitatis & justitiæ virtute obligante, quòd in hoc dentur aliqui

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliqui casus, in quibus secretum naturale obligare cessat, & negligi seu violari potest, ut quando id necesse est ad longè maius alterius, communitatis præsertim, damnum avertendum: at in sigillo confessionis nullus omninò casus ejusmodi agnosci potest: sed semper in omni casu cujuscunque necessitatis obligat, ut communiter Theologi docent. Ratio iterùm est: quia semper & in omni casu urget reverentia Sacramenti, ne fiat odiosum Pœnitenti; fieret autem odiosum Pœnitenti, eúmque offenderet meritò, si aliquo tantùm quocunque casu possint audita in confessione revelari: licèt enim hic casus, (v. g. proditionis Reipublicæ) ad Pœnitentem tunc non spectaret, tamen timor, quòd aliquando fortè ad ipsum pertineret, vel ne fortè Confessarius similem casum necessitatis revelandi in ipso apprehenderet, meritò ipsum à confessione graviorum saltem criminum retraheret, vel absterreret.

816 II. In nullo ergo casu, cuiuscunque necessitatis etiam ad propriam, vel proximi vitam in extremo periculo, imò & tormentis, tuendam, etiam, si totius civitatis prodendæ vel comburendæ, aut integri regni Salus periclitaretur, & extremum discrimen urgeret, licet manifestare Pœnitentem criminosum, tibi sacramentaliter confessum; sed tantùm imprimis omnimodis urgendus est Pœnitens, ut si adhuc possit, per se vel per alium periculum avertat, aut saltem ipsi Confessario de hoc loquendi facultatem concedat, alioquin ab absolutione arcendum tanquam pessimè dispositum, per se liquet. Post confessionem verò, si per Pœnitentem nihil effectum sit, Confessarius solùm potest, & juxta charitatis regulam tenetur, proximum vel Rempublicam periclitantem generatim admonere de periculo cavendo, civitate custodienda &c. dummodò nullum subsit periculum: quidquam contra Pœnitentem suspicandi; magnâ enim hìc cautione & circumspectione opus est; sunt enim aliqui ita sagaces, ut ex tali monitione, ortâ ipsis suspicione, post longam vel auctam indagationem, tandem reum, qui sacramentaliter confessus est, indagent: ut post alios bene observat *Layman* citatus. Hinc ulterius

817 III. Confessarius de auditis in confessione, à quocunque etiam judice interrogatus, si responsionem subterfugere nequeat, v. g. dicendo: *non esse hæc interrogandae ex Confessario, nec fas esse Confessario ad talia respondere*, potest, & debet etiam, si opus sit, cum juramento negare se quidquam audisse vel scire, cum restrictione mentali intelligendo: *quod tibi dicere possit*: vel, ut Cardinali de Lugo placet: se nihil scire *scientiâ utili ad respondendum interroganti extra confessionem*, idque, etiamsi interrogans talem restrictionem ex proposito excludat, & simpliciter de auditis in confessione absque ulla omninò restrictione interna loqui jubeat, vel distinctè interroget: an aliquid quocunque tandem modo sciat; nam interrogans non potest vocibus tuis auferre significationem, quam juxta mentem tuam habent veram, nimirùm: non audivi, non scio *scientiâ utili ad dicendum tibi*. Ita cum aliis Lugo *citat. sect.* 3. Dian. *part.* 5. *tract.* 11. *resol.* 43. quamvis Scotus cum Layman *cit. n.* 12. censeat, eo casu non posse sine mendacio negari, sed dicendum: nefas esse ad sacrilegam illam interrogationem quidquam respondere. Et sine dubio verum est, si hæc responsio sufficiat ad evadendam interrogationem, v. g. apud judicem Catholicum, certè non sufficiet apud hæreticum, infidelem, tyrannum. Excipit etiam *Dian. cit.* nisi ex illa negatione inferri posset, confessionem non fuisse integram, ut si de publica meretrice interrogaretur: an sit confessa fornicationem illam notoriam, non debet negare, sed declinando directam responsionem, dicere: illam esse confessam sua peccata, & se fecisse suum officium.

IV. Denique jam suprà indicatum est, si ipse 818
Confessarius non possit confiteri peccatum suum in audiendo confessiones admissum, v. g. aliquem invalidè absolvendo, &c. Salvo sigillo, nisi scilicet Pœnitens alteri Confessario innotescat, vel in suspicionem veniat, potest & debet illud peccatum omittere & non integrè confiteri, donec detur copia Confessarii, cui ignotus sit ille Pœnitens, juxta communem DD. cum D. Thoma & Scoto *in* 4. *distinct.* 21. quia nimirùm strictior est obligatio sigilli negativè pro semper obligans, ac ad bonum universale spectans, quàm præcepti affirmativi de integritate confessionis multas admittens excusationes.

§. V.

Nisi de expresso & libero consensu Pœnitentis.

UNicus hic casus est, quo ratio & obligatio 819
sigilli sacramentalis penitùs cessat, quando Pœnitens Confessario expresè & liberè dat licentiam loquendi de peccatis suis sive coram se ipso, sive coram aliis; tunc enim neque ipsimet injuria infertur, cùm obligatio secreti ex voluntate committentis pendeat, & *volenti non fiat injuria*: neque irreverentia infertur Sacramento, siquidem id fidelibus nequaquam odiosum, sed potiùs commendabile reddatur, si sciant Confessario concessum esse loqui de peccatis in confessione auditis unico illo casu, si Pœnitens existimans id utile sibi fore, licentiam det: neque tunc Pœnitens dans licentiam dispensat in jure divino sigilli, sed ponit conditionem, quâ positâ cessat obligatio juris divini ob rationem datam. Ita contra Alensem, Durand. & ex parte Scot. *in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. §. 5. communissima DD. D. Thomas, D. Bonavent. & pluribus congestis, Suar. *disp.* 31. *sect.* 5. Sanchez *l.* 6. *moral. c.* 18. Layman *cit. n.* 14. *Lugo*, *Tambur. Dian.* citati, alii passim. Dixi autem notanter *expresè & liberè*: nam

I. Requiritur, ut licentia data sit à Pœnitente cum consensu expresso, idque verbo sive facto tali, quòd actuali & expressæ concessioni æquipolleat, quale esset, si Pœnitens extra confessionem inciperet loqui de re in confessione proposità, poteris & tu Confessarie prosequi, cùm ipsum

ipsum incipere sit expressa concessio, ut notant DD. communiter. *Layman*, *Dian. cit.* non sufficit ergo licentia tantùm tacita, præsumpta vel interpretativa, v. g. non sufficit, quòd tibi persuadeas vel probabiliter credas, locutionem de auditis in confessione non fore ingratam Pœnitenti, juxta communem DD. apud citatos. Ratio est: quia hac in re Confessarij sæpe decipi possent, indèque sigillum confessionis non parùm laxaretur, & Sacramentum pœnitentiæ non parùm suspectum & exosum redderetur, cùm possit semper adesse timor, ne Confessarius existimet, id esse gratum mihi, cùm tamen sit molestissimum.

821 II. Licentia vel concessio data sit cum consensu libero ac spontaneo (non dolo, non metu vel minis, non per importunas preces extorta vel etiam per metum reverentialem ipsius Confessarij obtenta) atque etiam non revocata à Pœnitente, qui licentiam semel datam in confessione pro arbitrio revocare potest. Communis DD. Suarez, Layman citati, Dian. *p.* 5. *tract.* 11. *resol.* 20. & 24. Ratio est: quia alioquin, si licentia libere & spontaneè data non sit, aut si data semel, revocata sit, moraliter idem est, ac si nulla licentia vel nullus consensus præcessisset. Cæterùm opus non est, ut ejusmodi licentia detur in scripto: quin si in futuro dubium sit, an Confessarius cum licentia Pœnitentis ex Confessione locutus sit, Sacerdoti potiùs credendum esse, quàm Pœnitenti cum aliis bene docet Dian. cit. & magis etiam, quàm ejus hæredibus, v. g. si Confessarius ex confessione Defuncti revelet restitutionem ab hæredibus faciendam. Dian. *ibidem resol.* 32. quo tamen casu non debet dicere Confessarius eam restitutionem debere ex delicto, sed solùm, quòd Defunctus talibus tantùm dare jusserit, & consultiùs est, moribundis suadere, ut talia secretò codicillo hæredibus relinquant.

822 III. Absque ejusmodi licentia Pœnitentis expresè & liberè concessâ non solùm coram aliis nunquam licet loqui Confessario de auditis in confessione (idque etiam, si Pœnitens ipse aliquando teneatur suum peccatum per se vel per Confessarium aperire ad grave malum innocentis avertendum, ut si Parochus aliquos malè baptizavit, &c.) ideòque ad id urgendus sit, & nolenti absolutio neganda, adhuc tamen eo invito nunquam Confessarius directè vel indirectè revelare potest, ut ex Coninck bene notat Layman *n.* 15. Sed neque cum ipso Pœnitente extra confessionem sacramentalem: quamvis enim id propriè non sit fractio Sigilli, uti cum pluribus docet Sanchez *l.* 3. *de Matrim. disp.* 16. quia fractio Sigilli est violatio secreti, secretum autem non frangit, qui loquitur cum eodem, qui secretum commisit, sed qui cum aliis: omnes tamen consentiunt, ejusmodi locutionem cum eodem citra ejus licentiam esse illicitam, quia verè cedit in odium confessionis & Sacramenti, & plerumque non sine rubore vel offensa Pœnitentis, idque verum putat cum aliis Sanchez *cit. q.* 1. *n.* 3. etiamsi Confessarius cum Pœnitente agere velit de substantiali errore in confessione commisso & emendando, si Pœnitens rogatus de re ad priorem confessionem pertinente loquendi licentiam dare nolit: & nos jam suprà insinuavimus *q.* 16. *in fine*. Contrà tamen eo etiam invito errorem aperiendum, &, si possit, emendandum esse, docet Suarez *cit. sect.* 5. *n.* 3. Filliucius, alij cum Dian. *citat. resol.* 20. & non improbabile censet Layman *ibid. num.* 15. Rationem dat Suarez: quia tunc Confessarius propriè non loquitur extra cõfessionem, sed supplet & perficit eam, quæ antea inchoata & imperfecta permanserat. Utrumque probabile

IV. Dixi: *extra confessionem*. Nam in aliis 823
confessionibus potest Confessarius agere, & mentionem facere de auditis in præcedentibus confessionibus sine nova licentia petita, juxta communiorem DD. nominatim Lugo *disp.* 23. *sect.* 5. *n.* 127. & Tambur. *c.* 5. *n.* 4. certè constat ex praxi Doctorum & timoratorum Confessariorum, qui ob recidivam post præcedentes lapsus in prioribus confessionibus auditos, Pœnitentes arguunt, & aliquando absolutionem negant, vel differunt. Deinde, ad quid adhortamur fideles, ut utantur semper eodem Confessario, si hìc debet se gerere, ac si nesciret confessiones priores. Oppositum tamen iterum tuetur Dian. cum aliquibus citatis, negans id absque licentia Pœnitentis licere, nisi de his, quæ is iterum confitetur, vel saltè tangit. Et fatendum est, id non licere passim, quando nulla vel modica est necessitas, & timeatur de molestia Pœnitentis. Lege allegatos apud Tambur. modò cit.

QUÆSTIO II.

Quænam est materia Sigilli sacramentalis? seu: quænam cadunt sub sigillo Sacramentali?

SUMMARIUM.

825. *Sub sigillum cadunt I. Omnia mortalia, tam in genere, quàm in specie.*
826. (*Corollaria & cautelæ practicæ usque ad n.* 829.)
829. *II. Omnia venialia in specie.*
830. *Non tamen in genere & indefinitè.*
831. *Nisi ex circumstantiis, vel modo loquendi detur ansa suspicandi graviora de eodem, vel de aliis.*
833. *III. Omnes peccatorum circumstantiæ, quas tacerè Pœnitentis interest.*
834. *IV. Complices, seu peccata complicis sive justè, sive injustè detecta.*
835. *V. Peccatorum objecta.*
837. *VI. Pœnitentia injuncta.*
838. *VII. Negatio absolutionis.*
839. *VIII. Negatio Schedæ confessionalis.*
840. *Sed probabilius est, hanc negare non esse contra sigillum.*
841. *IX. Item scrupuli, & defectus naturales.*

REgula generalis est: sub Sigillo Sacramentali 824
cadunt, & tacenda sunt audita in confessione Sacramentali *Omnia*, quorum revelatio redderet Sacramentum odiosum. Ratio regulæ patet ex dictis. Ex hac ergo generali regula in particulari designando, materia sigilli Sacramentalis sunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. I.

Omnia Peccata mortalia tam in genere, quàm in specie.

825 I. Sigillum ergo sacramentale frangit non solùm, qui aliquod peccatum mortale Pœnitentis in confessione auditum in specie revelat, v. g. fornicationem, adulterium &c. sed etiam, qui de certo Pœnitente solùm in genere dicit: eum sibi confessum esse mortalia, vel aliquod mortale, vel casum reservatum, vel excommunicationem, idque utrum vis, sive directè ipsum peccatum in specie vel genere narrando, sive indirectè aliquid dicendo vel agendo, unde ejus peccatum mortale in specie vel in genere alius innotescat, ut si dicas: aliquem à te non esse absolutum propter indispositionem: esse à te remissum propter casum reservatũ: si audito in confessionali gravi aliquo peccato aliis audientibus altè ingemiscas: & sine dubio fregit Sigillum ille nimis Zelosus confessarius, qui audito horribili scelere diu non confesso, plurimis audientibus, exclamavit: JESUS, MARIA, &c. innummera: imò quandoque etiam solùm dicendo: talem tibi esse confessum, Sigillum violare potes, ut, si Pœnitens te secretò accedat, vel aliàs significet, se nolle sciri, tibi confessum esse, & tu palàm dicas: hic mihi confessus est, Sigillum indirectè frangis, quia Pœnitens confitendo Confessario extraordinario, præsertim potestatem in reservata habenti, veniret in suspicionem gravis sceleris apud Confessarium & alios audientes. Communissima DD. Navar. *c. 9. num.* 8. Layman *c.* 14. *n.* 6. rectè censens: Sigillum fregisse indoctum illum Parochum, qui subdito sibi casum reservatum confesso litteras dedit deferendas ad Vicarium Episcopi, vel Privilegiatum, quibus scribit: se latorem harum absolvere non potuisse, nullâ ad id habitâ licentiâ Pœnitentis.

826 II. Quamvis Sigillum non violetur, si Confessarius nullâ nominatâ personâ generatim dicat: se audivisse in Confessione talia peccata v. g. stupri, adulterij, sodomiæ, &c. aut sic generatim loquatur de auditis in confessione, ut moraliter persona innotescere non possit, id ipsum tamen sæpe periculosum, & (seclusâ justâ causâ doctrinæ, consilij vel auxilij capiendi) tacere consultissimum, tum ob scandalum rudium existimantium sic Sigillum violari, tum ob periculum revelationis, quod subesse, vel quandoque emergere potest; ne scilicet homines sagaces ex variis circumstantiis simul junctis in cognitionem rei perveniant, idque maximè, si confessarius aliqua specialia designat, ut, si dicat: primus meus Pœnitens confessus est mihi tale peccatum, quid si hujus dicti oblitus postea apud alios memores dicat, Titium fuisse suum primum Pœnitentem? item, si Confessarius dicat: hodie mihi Sacerdos grave crimen confessus est, quid si audiens ipsum tibi confitentẽ vidisset, aut confiteri velle scivisset, aut probè sciens, tres tantùm Sacerdotes tibi confessos esse, duos verò esse vitæ innocentis, nónne violenter suspicabitur de tertio? plurimæ fuére ejusmodi experientiæ, & quandoque tragicæ.

III. Similiter periculum est, ne interdum Si- 827
gillum violetur, vel certè violari putetur, si Confessarius etiam generaliter dicat ex confessione sciens: in hac Civitate, in hoc Collegio, Conventu, Monasterio, vel in hac Communitate non valdè magna, committuntur magna crimina, adulteria, veneficia, &c. aut in tali loco, ubi confessiones audivit, magnum aliquod crimen commissum esse, etsi non nominetur ulla persona: ex communi DD. Navar. Suar. Layman cit. & Dian. *part. 5. tr. 11. resol. 35.* Ratio; quia ejusmodi relatione homines simplices offenduntur & scandalizantur, putantes, sic Sigillum violari, imò reverà interdum violatur: tum quia Communitas infamatur, quæ infamia etiam in Pœnitentes redundat tanquam in membra communitatis: tum quia audientes, si de aliqua persona particulari siniſtram opinionem habent, magis in ea confirmantur, ideóque eis redderetur odiosa confessio, quorum incommodorum tantò majus periculum est, quò minùs ampla, seu modica est aliqua communitas, & alioquin boni nominis, uti cum Coninck bene notat Layman cit. Secùs tamen esset, quando ampla valde est communitas; neque enim notabilis sit injuria, si de populosa civitate, provincia, toto regno dicatur: fieri ibi aliqua peccata. At certè dicere: se scire ex confessione, semper offensivum, ideóque inconsultum est. Vide Lugo *cit. sect. 3. num.* 65. Tambur. *l. 5. c. 3. §. 5.*

IV. Hinc ulteriùs bene Diana *cit. resol. 36.* 828
cum aliis docet, confessarium, qui paucos habet Pœnitentes, v. g. Moniales unius Monasterij, scandalum dare, si publicè concionetur de vitus earum auditis in confessione; quia personæ confessæ facilè suffunduntur pudore. Et Turrianus apud Tambur. cit. c. 3. meritò reprehendit Superiorem localem, qui Provinciali dicit: in hac domo vel Collegio sæpè postuletur licentia absolvendi à reservatis; quia nimirùm id redundat in ignominiam & grave damnum domûs, quamvis idem Tamburin. ibidem *c. 1. num. 2.* probabile putet, id non esse contra sigillum confessionis, quando licentiæ petitæ fuerunt extra confessionem, sed tantùm contra secretum naturale; sed de hoc *q. sequent.* iterùm. Denique non est concessum confessario peccata etiam publica & omnibus nota, quatenùs ex confessione accepta sunt, edicere: v. g. homo ille publicè condemnatus, supplicio affectus, &c. confessus est sua furta mihi, rapinas, &c. ex communi Suarez *disp. 35.* Layman *num. 9.* Quia si talis facultas confessario concessa esset, sæpius eâ abuteretur, seu minùs publica evulgando, seu minùs certa confirmando, quod confessionem redderet odiosam. Eâdem ratione non est concessum confessario de sui Confitentis peccatis loqui coram illis personis, quas certò scit, jam antea cognita habere; siquidem & hoc ingratum potest esse Pœnitentibus, eósque à confessione absterrere possunt. Minùs licebit dicere Pœnitentem omisisse aliquod peccatum, quod eum commisisse constat, vel constare poterit. Layman *num. 6.* Hæc quoad mortalia satis.

§. II.

Omnia etiam Peccata venialia in specie, non item in genere.

829 I. Frangit etiam Sigillum Sacramentale, & mortaliter peccat, qui peccatum aliquod veniale, etiam leve, dicit ex sola confessione notum, & directè vel indirectè revelat; quia obligatio sigilli non admittit parvitatem materiæ, & adhuc redderetur confessio odiosa. Idémque dicendum, si quis dicat generatim: hic mihi confessus est multa vel gravia venialia: hic minutissimis suis peccat illis vel scrupulis me denuò vexavit, vel vexabit, quia id cedit in aliquod vituperium Pœnitentis, & adhuc confessionem reddit odiosam.

830 II. Non autem cadunt sub sigillo peccata venialia in genere & indefinitè, neque peccat confessarius, sed licitè potest dicere: hic mihi confessus est sua venialia; in hoc enim nulla est injuria vel gravamen Pœnitentis, cùm per se notum sit: eum qui confessus est, ad minimum habuisse aliqua venialia. Quare sicut potest dicere confessarius: hunc sibi confessum esse, ita potest dicere: confessũ esse venialia generatim, indefinitè: non item, multa vel gravia venialia, uti dictum est; hoc enim non arguitur ex mera confessione.

831 III. Excipe per omnem modum: modò non dicas in iis circumstantiis, ut detur ansa suspicãdi graviora de eodem vel de aliis, ut, si de aliquo singulariter dicas: hodie non est confessus, nisi venialia; jam enim das ansam suspicandi aliàs confessum vel confiteri solitum mortalia. Item, si de pluribus tibi hodie confessis (v. g. Fratribus vel Clericis alicujus Monasterij) de uno singulariter dicas: hic nihil, nisi venialia confessus est; iterùm enim ista singularitas dat ansam suspicandi: alios ergo confessos esse graviora, adeóque indirectè Sigillum frangeres. Ut notant DD. communiter. Eadem est ratio, si ex plurib. ustibi confessis unum singulariter laudes de probitate, innocentia, castitate, &c. jam enim das audientibus ansam suspicandi; reliquos ergo non esse probos, nocentes, incastos, &c. ut cum aliis bene notat Layman c. 14. Quando tamen de uno solùm seorsim ageretur, non esse contra Sigillum, laudare illum de puritate conscientiæ, quòd in suis confessionibus vix inveniatur materia absolutionis: de charitate, castitate, aliisq; virtutibus; tunc enim nulla fit comparatio vel exclusio aliorum, nec datur ansa pejus suspicandi de aliis.

832 IV. Denique universaliter pœna Pœnitentis & cætera impertinentia, quæ peccata non sunt, & per accidens interponuntur confessioni, v. g. propositum Religionis vel Matrimonii ineundi, &c. sæpe quidem (si scilicet Pœnitens ea occulta velit, sub obligatione secreti naturalis, non tamen Sigilli Sacramentalis cadunt, cùm ad confessionem Sacramentalem omninò sint impertinentia. Excipe tamen, nisi Pœnitens talia dixerit in ordine ad explicanda sua peccata, v. g. votum castitatis ad explicandum suum peccata carnale; tunc enim Sigillo Sacramentali claudi, docent *Coninck, Tanner.* alij. Dian. *part. 5. tract. 11. resol. 5.* Et satis clarè frangit Sigillum, qui dicit: hunc ex confessione novi esse Clericum, voto castitatis adstrictum, ligatum, &c.

§. III.

Peccatorum Circumstantiæ, Complices. Objecta.

833 I. Sub Sigillo confessionis etiam cadunt omnes peccatorum circumstantiæ, quas tacere Pœnitentis interest, ut, si spurius sacros Ordines susceperit: Si sponsus vel sponsa nobilitatem falsò jactavit. Et universaliter omnia, quæ Pœnitens affert ad explicandum suum peccatum necessaria seu utilia, sive reverà talia sint, sive per errorem talia putentur, dummodò ea tacere Pœnitentis interfit, & is ægrè ferat talia reseiri; quia jam ex vi confessionis Sacramentalis talia audiuntur. Secùs, si talia nosse nihil interfit, aut nihil molestiæ inferat Pœnitenti, unde si Pœnitens ad suum peccatum explicandum dicat: se esse Religiosum, maritum, militem, &c. idque de se palàm sciri, nihilque obsit Pœnitenti, liberè confessarius ea evulgare poterit; at si obsit Pœnitenti, eive molestum sit sciri, ut sæpè contingit, nequaquam edicere licebit: hoc enim casu, non item priori, ex illorum relatione fit ei odiosa confessio. Vide Lugo *disput. 23. sect. 2. num. 57.* Tambur. *c. 3. §. 6.* Addo ego rursùs: Semper periculosum esse dicere, se tales circumstantias nosse ex confessione, ut jam suprà innui; si enim dicas: hunc ex sua confessione novi Canonicum, Conjugatum, &c. Nónne audienti astuto ansam præbes suspicandi, eum aliquod contra statum suum delictum confessum esse, in sextum præceptum impegisse, Horas omisisse? &c.

II. Peccata etiam complicis, seu ipsi com- 834
plices peccati pœnitentes seu justè, seu injustè detecti in confessione sub Sigillo cadunt, juxta communem DD. apud citatos *Suarez, Layman,* & Dian. *part. 3. tract. 4. resol. 121.* Ratio semper eadem; quia aliàs confessio fieret odiosa. At, quid si Pœnitens expressam concedit licentiam complicem revelandi; si ipsum revelet Confessarius, frangétne Sigillum? Non frangere, docet Suarez. *cit. disp. 33. sect. 4.* cum aliis; quia Sigillum obligat duntaxat in favorem Pœnitentis; si ergo Pœnitens dat licentiam, & cedat juri suo, non est, cur complicis factum Sigillo gaudeat. Estò peccetur aliunde, si ex revelatione complex infamiam vel damnum injustè patiatur. Contrà verò frangere Sigillum docet Vasquez ibidem apud Tamb. cit. ratione oppositâ; quia sacrum Sigillum urget tam in favorem Complicis, quàm Pœnitentis, ut sic cadat Sigillum super totam causam, quæ agitatur in confessione. Utraque sententia probabilis, sed hæc posterior eò videtur probabilior, quò magis favet Sigillo. Cæterùm confessarius, habitâ expressâ licentiâ à Pœnitente, & justâ notitiâ complicis, poterit eundem monere, reprehendere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad emendationem urgere, prout alibi insinuatum est. An verò confessarius etiam licitè possit interrogare Pœnitentem de complice ad ejus correctionem faciendam? negant quidem *Bonacina, Lorca, Nugnus*, alij Thomistæ: & verè non esse consultum, ne nimio zelo dictus, eam licentiam à junioribus facilè exposcat ob periculum extortæ confessionis, bene monent Tambur. *c. 3. num. 8.* concedunt autem absolutè Suar. Fagundez, alij cum Lugo hìc *disp. 16. num. 426.* ubi docet, posse aliquando ob grave scandalum vel damnum avertendum Pœnitentem etiam cogi ad manifestandum complicem extra confessionem, de quo aliquid jam suprà c. tactum.

835 III. Objecta etiam peccatorum, ut si Pœnitens fateatur, se infamatoria locutum esse de adulterio Titij vel Bertæ, de homicidio vel furto Caij, aut se de ejusmodi peccato proximi nominati gavisum vel morosè delectatum, aut simile peccatum in uxore, filio, subdito non correxisse, &c. Siquidem illa objecta peccaminosa proximi occulta sint, omninò sub sigillo cadunt, ut ea evulgare vel alteri referre confessario citra sacrilegium minimè liceat; nam alioquin adhuc odiosa fieret confessio, ut patet, & ex communi notat Tamburin. *cit. num. 8.* Quòd si verò ejusmodi objecta peccatorum, seu peccata tertiæ personæ notoria essent publicè, v. g. si Pœnitens fateatur, se valde gavisum de duello vel homicidio commisso à Petro in publico foro. Tambur. *ibid. n. 14.* meò judicio bene resolvit, non cadere sub sigillo, sed confessarium de tali facto tertij ex Pœnitente cognito posse palàm loqui aliis; quia confitens supponit illud homicidium omnibus notum, quod solùm per accidens latebat confessarium, ideóque non videtur illud velle committere Sigillo; secùs si locutus est de homicidio, adulterio, vel alio peccato tertij occulto.

836 IV. Denique idem Tambur. *cit. c. 1. §. 10.* ex Bonacin. & aliis resolvit, etiam peccatum dubiè notum ex confessione cadere sub Sigillo, ut, si confessarius dubitans animo pendeat, an peccatum hoc sui Pœnitentis sit sibi ex confessione notum, an verò aliunde, adhuc Sigillo obstringi confessarium; Ratio est: inquit, quia, ne confessio fieret odiosa, præsumendū est pro Sigillo: quare hìc locum non habet libertas loquendi, quâ potitur Confessarius, quæque cùm certa sit, deberet vincere obligationem Sigilli dubiam: Locum, inquam, non habet: siquidem contra talem libertatem prævalet ex institutione Christi periculum certum avocandi fideles à Sacramento Pœnitentiæ. Hæc ille, cui ego acquiesco.

§. IV.

Pœnitentia injuncta, Absolutio, vel Schedæ confessionis negata.

837 I. ETiam sub Sigillo cadit Pœnitentia injuncta à confessario, eámque is aliis revelans Sigillum frangit, si illa gravis sit, id est, quæ consuevit injungi pro peccato mortali: qualis nunc est (ait Dian. *part. 5. tract. 11. resol. 31.*) Corona B. V. Mariæ, non verò unicum miserere, vel quid simile. Ratio clara est, quia per hoc præbetur occasio, grave quid confessum esse, contra proximum suspicandi. Eâdem ratione frangeret sigillum, qui Pœnitentiam gravē Pœnitenti imponeret publicè peragendam coram aliis advertentibus, esse Pœnitentiam à Confessario injunctam; imprudenter ergo agunt Confessarij, qui famulis, & opificibus imponunt jejunia, quæ alios latere non possunt, & ex confessione fieri plerumque innotescunt. Secùs dicendo de pœnitentia levi pro venialibus imponi solita, adhibitâ tamen cautelâ suprà positâ §. 2. *N. II.*

Etiam sub Sigillo cadit negatio absolutionis 838
Sacramentalis, adeò, ut Confessarius Sigillū frangat, non tantùm, si expressè dicat: hunc non absolvi ob ejus indispositionem, (quod omnibus constat) sed etiam, si absolutè dicat: hic mihi confessus est, sed eum non absolvi, ut contra Cajetanum docet communis DD. cum Suar. *cit. & Dian. resol. 42.* qui ex communiter contingentibus communiter præsumitur absolutio negata propter culpabilem indispositionem Pœnitentis, ad quam suspicandam non licet concurrere Confessarium: quin etiam, si Confessarius dicat de actu Confitente: nondum eum absolvi, frangere Sigillum ex Granado docet Tambur. *cit. c. 3. §. 8. n. 15.* Quia communiter talis longa confessio (nisi generalis esse constet) denotat vel multa peccata, vel gravem defectum Pœnitentis. Verùm credo ad summum, si deliberatè & de industria dicatur.

III. Etiam ad Sigillum Sacramentale aliquatenùs spectat schedæ seu testimonium confessionis factæ, adeò, ut quando Scholares, Aulici, Clerici (& tempore Paschali fideles apud Mendicantes confessi) tenentur Superioribus testimonium suæ confessionis afferre, Confessarius teneatur iis dare, qui confessionem Sacramentalem saltem inchoârunt, etiamsi propter indispositionem ipsos non absolverit. Ita sanè ferè communis DD. *Medina, Henriq. Coninck. Fagundez*, alij cum Layman *cit. n. 8. c. 12.* Dian. *cit. resol. 22.* Tambur. *cit. c. 3. §. 9.* Ratio non spernenda est; quia ex una parte Confessarius graviter peccat, & sigillū violat; si directè vel indirectè significet, se Pœnitentem suum ob indispositionem non absolvisse, at hoc ipsū Confessarius directè significat, quando aliis omnibus confitentibus schedulam confessionis dat, & huic soli negat: ergo graviter peccat, & sigillum violat. Certè tali homini publicè accedenti, perinde ac aliis, danda est Sacrosancta Eucharistia ad vitandam infamiam ejus: & cur non potiùs etiam schedula confessionis? Ex altera autem parte dando schedulam confessionis Confessarius non mentitur, quia non testari debet, se hominem absolvisse, sed confessum sibi esse; atqui hic jam inchoativè saltē sacramentaliter confessus est. Sed neque Confessarius cooperatur peccato Pœnitentis, quòd tali testimonio obtento, non absolutus & indispositus sacrilegè Eucharistiam accedat & sumat; quia ab hoc ipso eum seriò dehortari debet, si non pareat, culpa ipsius est, & Confessarius suo functus est officio. Cæterùm

rùm, si nullo modo, ne inchoatè quidem, confessi essent peccata, petant autem tale testimonium etiam in confessionali, genibus flexis, factâ cruce, dicto Confiteor, ac maximè, si simulato animo accedant: quia v. g. quis concubinam dimittere, hæresin, quâ infectus est, abjurare nolit, sed solùm pœnæ vel infamiæ vitandæ causâ sacram synaxin accedere velit, talibus Confessarius utique schedam negare debebit, ne eorum perniciosæ simulationi cooperetur, ut notant Layman, aliique AA. hujus communis sententiæ.

840 IV. Verùm mihi verior videtur opposita sententia negativa Bonacin, & plurium aliorum cum Lugo *disp. 23. sect. 3.* nimirùm: Confessarium non teneri dare tale testimonium, non esse contra sigillum tali testimonium negare. Ratio est primò; quia Confessarius hic nihil dicit vel facit, unde possit innotescere indispositio Pœnitentis, sed solùm negativè se habens non approbat testimonio positivo confessionem, ad quod non tenetur (secùs esset de negante Eucharistiam) Secundò, quia aliàs via aperietur fraudibus, & multi improbi Parochos in Paschate deciperent. Tertiò, quia potest esse consuetudo, ut scribatur; confitentem absolutum esse, quod nostro casu, si Confessarius scribat, falsum erit. Quartò, quia scandalosum erit & iniquum publicæ meretrici perseveranti (uti & occulto peccatori suam malitiam pallianti, de quo suprà) testimonium confessionis dare. Denique nec Confessario imputandum erit, quòd Pœnitentem suâ culpâ indispositum positivè non defendat, sed infamati sinat, &c.

§. V.

Scrupuli, Defectus naturales.

841 I. SUb sigillo etiam cadunt (ut Confessario minimè liceat prodere) defectus naturales Pœnitentis ex sola confessione cogniti, ut: esse spurium, fictum nobilem, infecti generis ex Judæis, hæreticis, si nimirùm à Pœnitente in confessione aperiantur, tanquā aliàs occulti & ignoti, in ordine ad peccatum vel statum suum declarandum, juxta communem DD. apud Tambur. cit. Ratio semper eadem; quia aliàs Sacramentum pœnitentiæ maximè fieret odiosum & sæpè damnosum, cùm quis non rarò mallet sciri se esse adulterum, quàm esse spurium, vel infecti generis. Certè beneficium vel dignitatem petenti plus nocebit sciri, non esse legitimum, quàm esse adulterum, vel aliud peccatum commisisse. Secùs dicendum, si Pœnitens ejusmodi defectus naturales ita afferat, ut ex adjunctis colligatur, eos esse communiter notos; quando enim notorii sunt ejusmodi defectus, præsumimus, à Pœnitente non subjici clavibus: nisi ut cognitos, adeóque parùm ab ipso curari, quòd sciantur ulteriùs, si ipse expressè non prohibeat.

842 II. Scrupulos à materia sigilli simpliciter excludit noster Marchant: at sub sigillo claudi simpliciter affirmant Coninck, aliique multi. Mihi placet cum Tambur. §. 8. *n.* 19. distinguere ut suprà; si enim scrupuli seu scrupulositas vel alii defectus naturales Pœnitentis, ut: esse rudem, stupidum &c. aliàs sint ignoti, & ex sola confessione noscantur à Confessario, tunc omninò cadunt sub sigillo, & eos evulgare Confessario non licet, ut nimirùm ab omni odio immunis sit confessio. Secùs sit, si iidem defectus passim noti sint, ob rationem paulò antè datam.

III. Cardinal. de Lugo *disp. 23. sect. 3. n. 60.* 843
de scrupulis, aliisque defectibus naturalibus aliter ita distinguit; eos nimirùm cadere sub sigillo, si eos Pœnitens confiteatur ad declaranda peccata vel conscientiam suam; Secùs si non cognoscantur ex relatione Pœnitentis, sed videantur vel percipiantur ex modo confitendi, &c. Sic enim loquitur: defectus alii manifestantur à Pœnitente ad declarandam suam conscientiam & peccata, & hi continentur sub sigillo: alij fiunt ibi ab ipso Pœnitente, quos Confessarius non audit ex relatione Pœnitentis, sed ipse eos videt & percipit, & hi, sicut non dicuntur secretò, sic non sunt sub sigillo. Nam si Pœnitens sit rudis, si hebetis ingenii: similiter si se ostendat naturæ molestæ, irresolutæ, durioris ad credendum &c. non erunt sub sigillo; quia in confessione fiunt non audiuntur. Sic *Lugo*. Consentit Dian. alios citans *part. 5. tract. 11. resol. 50.* & dicens esse communem sententiam.

IV. Verùm hanc sententiam ut omninò im- 844
probabilem cum aliis reprobat Tambur, *cit. n. 18.* Nec displicet ratio; quia ex principio toties repetito ab omnibus admisso, ne odiosa fiat confessio, sub sigillo claudi debent omnia, quæ aliquam injuriam vel molestiam inferunt Pœnitenti, seu quidquid ægrè ferat, ut evulgetur, sive deinde ipse dicat, sive faciat in confessione; atqui hujusmodi sunt etiam scrupuli & alii defectus naturales, de quibus agimus. Certè nonnunquam Pœnitens mallet sciri se semel vel iterum peccâsse mortaliter, quàm esse scrupulosum, morosum, irresolutæ naturæ, hebetis ingenii. Et quid si agatur de promovendo tuo Pœnitente in Prælatum, & tu ex sola confessione sive audisses dici, sive vidisses fieri, parcfaceres eum esse scrupulosum irresolutæ naturæ? &c. Nónne meritò ægrè ferret, & confessio odiosa fieret? Quidquid sit de hac sententia maneo in resolutione data *N. II.*

QUÆSTIO III.

Quinam obligantur Sigillo Confessionis?

SUMMARIUM.

846. *Sigillo Sacramentali per se primò obliguntur I. Confessarius,*
848. *Etiam fictus.*
850. *II. Interpres Pœnitentis.*
851. *III. Adstantes, sive casu, sive ex industria aliquid audientes.*
852. *IV. Illi, quibus Confessarius aliquid sine licentia Pœnitentis aliquid revelavit.*
853. *V. Superior pro licentia requisitus.*
854. *VI. Consulti de peccatis vel statu Pœnitentis.*
856. *Probabilius etiam, quos Pœnitens ipse ante & in ordine ad confessionem consuluit.*
857. *VII. Legens, sive casu, sive studio, confessionem scriptam alterius.*
858. *In hoc tamen solùm secreti naturalis obligationem agnoscunt alij;*
859. *Gravissimè tamen obligantis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

845 REGULA GENERALIS. *Præter Confessarium per se primò principaliter obligatum, saltem secundario & minùs principaliter sigillo obligantur omnes, ad quos talis confessionis notitia immediatè vel mediatè, justè vel injustè pervenerit.* Communissima cum D. Thoma, & Scoto *in 4. dist. 21.* & pluribus congestis Suar. *disp. 33. sect. 4.* Layman. *c. 14. num. 17.* Dian. Lugo, Tambur. locis citatis & citandis. Ratio (tradita à Navar. *c. 8. n. 4.*) est, quia res in ordine & intentione ad absolutionem Sacramentalem manifestata ex Christi institutione & præcepto, traditione ac perpetuo usu Ecclesiæ, omniúmque fidelium persuasione confirmato, hoc onus seu obligationem annexam habet, ut ad quemcunq; ejus notitia pervenerit, sine gravi sacrilegio ac irreverentiâ Sacramenti revelari non possit. Iam percurramus breviter obligatos in particulari.

§. II.

Confessarius, etiam fictus.

846 I. PEr se primò sigilli obligatione adstringi, qui confessionem Sacramentalem accepit sive validam, sive invalidam, sive absolverit, sive non. Ratio ex omnibus hactenùs dictis patet abundè,

847 II. Dico autem *Confessarius.* At quid de Pœnitente? Etiam hunc sigillo obligari ad tacenda audita à Confessario, dicunt aliqui, & significat Navar. Loco cit. Sed vera est sententia communis DD. cum Suar. Coninck, Layman. *cit.* ac Dian. *part. 5. tract. 11. resol. 8.* Pœnitentem solùm obligari secreto naturali pro ratione materiæ, si nimirùm Confessarii interfit taceri à se dicta, ne ejus fama lædatur: aut si ipsius Pœnitentis interfit, lege naturali non infamandi se ipsum.

848 III. Dixi item: *etiam fictus*; nam etiam Laicus vel non Sacerdos, qui Confessarius est habitus, aut se Confessarium simulans confessiones excepit, cuíquel Pœnitens bonâ fide confessus est, putans esse Sacerdotem, cum non sit: vel esse absolvendi potestate præditum, cum ea careat, nihilominùs sigillo Sacramentali adstringitur, juxta communem DD. apud citatos, & optimè Lugo *disp. 23. sect. 2.* Tambur. *Opuscul. de confess. l. 5. c 4. n. 1.* Ratio; quia etiam talis confessio ex intentione confitentis (etsi errore facti erronea) Sacramentalis est, & ad absolutionem Sacramentalem ordinata, seu cum intentione Sacramenti facta, etsi reipsa non sit.

849 IV. At, quid si quis sciens & consultò confiteatur Laico vel non Sacerdoti, non quidem solùm devotionis vel humilitationis gratiâ (quo casu sine dubio non oriretur obligatio sigilli Sacramentalis, sed tantùm secreti naturalis (sed per errorem putans, laicum in tali casu urgentis necessitatis posse validè audire & absolvere sacramentaliter? Tunc adhuc exsurgere obligationem sigilli, affirmant graves DD. *Navar. Silvest. Armilla.* apud Layman *n. 19. in fine*, & Tambur, cit. Sed verior est sententia negativa communis omnium aliorum; quia Christris obligationem sigilli imposuit solum confessioni sacramentali à se institutæ; at talis confessio nullo modo est Sacramentalis, ne quidem ex intentione Pœnitentis, nisi valdè erronea errore juris crassissimo. Attamen tunc oriri obligationem secreti naturalis strictissimam, & saltem ex pia intentione confitentis aliquo modo sacram, non est, qui ambigat.

§. II.

Interpres, Scribentes, Audientes.

850 I. SIgillo etiam adstringitur interpres confitentis, saltem tunc, quando in raro casu per accidens necessariò adhibetur ad cujuspiam confessiones, juxta dicta suo loco. Ita communis DD. & meorum omnium, Ratio est; quia nisi saltem tunc interpres necessarius sigillo astringeretur, certè odiosa fieret confessio. Contra tamen simpliciter interpretem propriè sigillo obligari, negant non pauci, & nominatim *Cajetan. & Sotus*, apud Layman *cit. n. 17.* Verùm eam sententiam ipse meritò rejiciendam censet, si velint interpretem nullo modo obligari sigillo Sacramentali ex Christi præcepto in omni casu obligante, sed solùm secreto naturali, etsi strictissimo, quod tamen ob gravissimâ causam, v.g. ad Rempublicam liberandam, revelare licitum sit. Recipiendam verò esse hanc sententiam, si solùm velint interpretem (sicut & alios mox recensendos) obligari minùs principaliter, & non tam graviter, sicut Sacerdotem; ideóque nec pœnas juris, Sacerdoti violatori sigilli decretas, sed aliam mitiorem arbitrariam incurreret, uti notant Navar. Sa, Henriq. Suar. apud eundem.

II. Eadem videtur ratio de eo, qui alterius rudis confessionem scripsit, ut supponunt communiter DD. sed vide mox dicenda §. 5. de legente alterius confessionem scriptam.

851 III. Eodem sigillo constringuntur adstantes, qui sive casu & præter intentionem, vel voluntatem, sive furtivè de industria vel ex malitia, non sine injuria & irreverentia Sacramenti, alterius confessionem audiunt, secundum communem DD. *Suar, Vasqu. Layman, Lugo, Dian.* Item omnes, quibus alterius confessio sacrilegè revelata est, de quo mox specialiùs. Item si quis confitetur multis ex necessitate præsentibus, ut in naufragio, conflictu, nosocomio &c. tam Confessarius, quàm omnes præsentes audientes ita arctantur obligatione sigilli, ut de auditis neque cum aliis, neque secum ipsis invicem postea colloqui possint, cum omnes, & quilibet seorsim sigillo adstringatur. Ratio semper eadem ex regula; quia alioquin Sacramentum fieret odiosum.

852 IV. Certè sigillo adstringuntur etiam ii, quibus Confessarius sine Pœnitentis licentia, adeóque injustè & sacrilegè aliquid revelavit: quin ex communi sententia apud citatos etiam ii, quibus Confessarius revelavit de licentia Pœnitentis: cujus tamen contrarium probabiliter defendunt *Henriq. Vasq. Coninck*, apud Layman *n. 18.* hâc ratione; quia tunc Confessarius ex Pœnitentis licentia, atque plerumque in ejusdem commodum alterius peccatum revelat, id agere censetur tanquàm instrumentum Pœnitentis. Quare, sicut si

Pœnitens peccatum suum paulò antè Sacerdoti explicatum ipsemet alteri revelaret, non posset eum ad sigillum Sacramentale obligare, cùm reverà hæc non sit Sacramentalis revelatio; ita neque, si Sacerdos ex voluntate & jussu Pœnitentis revelet: nisi fortè revelatio fieret ob causam spectantem ad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, v. g. si Confessarius virum doctum consulat pro juvando tali Pœnitente, uti limitat Layman ibidem. Sed censeo standum in communi sententia priori.

§. III.

Superior pro licentia requisitus.

853 SIgillo Sacramentali etiam adstringitur Prælatus, à quo Pœnitens sive per se, sive per confessarium extra auctualem confessionem petit licentiam absolvendi à reservatis. Uti pluribus allegatis rectiùs docet Card. de Lugo *disp. 23. sect. 2. num. 34. & 35.* Ratio est; quia ipsa illa petitio licentiæ jam censetur inchoata confessio, & illa notitia Superioris, quam à confessario accipit, ipse confessarius accepit ex inchoata confessione Pœnitentis, ideóque eidem obligationi sigilli uterque subjacet. Et licèt, quando ipse Pœnitens talem licentiam petit, ea petitio non videatur inchoata confessio respectu Superioris, cùm non fiat in ordine ad absolutionem ab ipso Superiore dandam; est tamen inchoata confessio absolutè in ordine ad absolutionem recipiendam; sive deinde à confessario, sive ab ipso Superiore dandam. Deinde fatentur DD. communiter, illam obligationem esse strictissimam nullo unquam casu violabilem in Superiore: sed hæc ita stricta obligatio non potest solùm esse ex secreto naturali, & virtute justitiæ: ergo debet esse ex sigillo & virtute Religionis ob reverentiam Sacramenti, nec differt à sigillo, nisi per respectum quatenùs scilicet non oritur ex confessione jam facta, sed in ordine ad confessionem Sacramentalem faciendam. Contrarium tamen docent, & in Superiore tunc solùm obligationem secreti naturalis agnoscunt alii apud Tambur. *cit. c. 4. §. 2.* eò quòd Pœnitens præsumatur evocare velle ab obligatione Sacramentali illa negotia, quæ volens & prudens extra Sacramentum cum Superiore tractat. Verùm hæc præsumptio mihi valdè incerta est.

§. IV.

Consulti de Peccatis vel Statu Pœnitentis.

854 ETiam Doctorem, Theologum vel alium quem Confessarius de peccatis vel statu Pœnitentis ex ejusdem licentia consulit, eodem cum confessario sigillo manere obstrictum, verius & communiùs docent DD. cum Suar. *supra cit.* & Layman, *num. 18. in fine.* Ratio; quia notitia, quam confessarius de licentia Pœnitentis communicat alteri, est eadem, quam habet ipse confessarius: sed Confessarius habet cum obligatione: ergo etiam alter consultus cum eadem obligatione sigilli in se recipit.

855 Contrarium rursus docent, & in tali consulto solùm obligationem secreti naturalis agnoscunt Medina, Vasq. cit. apud Tambur. eodem *c. 4. §. 3. num. 4.* eò, quòd Pœnitens concedens licentiam confessario colloquendi cum alio tertio de suo peccato vel statu præsumitur, illud extra limites Sacramenti extrahere. Verùm hæc præsumptio rursus incerta est, & æquè facilè negatur: quin potiùs id nolle præsumendus est Pœnitens; quia nemo detrimentum suum velle putandus est.

856 At, quid si ipse Pœnitens ante confessionem, at tamen in ordine ad confessionem faciendam, sive ipsi confessario, sive alteri docto, etiã laico, aliqua de peccatis suis communicet, tenebitúrne tunc confessari? vel alius ea sub sigillo contegere? Negant Suar. Henriquez, alii plures apud Tambur. *cit. §. 4.* eò quòd illa notitia sic data confessario vel alteri nec sit confessio inchoata, nec procedat ex confessione jam peracta, ut in priori casu, sed ex facienda confessione, quæ, quia facta non fuit, non potest imponere obligationem Sigilli. Sed probabiliùs affirmant alii multi apud Dian. *part. 5. tract. 11. resol. 44.* & sequitur libentiùs Tambur. *ibid. num. 7.* eò quòd ea sententia magis Sacramento faveat. Supponitur autem semper, quòd Pœnitens ad illam notitiam communicandam moveatur ex vi confessionis faciendæ, idque sciatis, qui eam accipit. Ratio est; quia, cùm sæpè opus sit Pœnitenti ante confessionem cum confessario vel aliis communicare de peccatis suis, ut confessionē rectè expedire possit, nisi illi sigillo adstringerentur, adhuc confessio tali redderetur odiosa & molesta. Huic sententiæ & ego consentio. Atque hinc rectè infert Medina, talem confessarium vel alium, cui ad finem confessionis peragendæ ab aliquo communicatum est peccatum enorme, aliàs Prælato denuntiandum, sub pœna excommunicationis, nec debere, nec posse denuntiare; quia contra sigillum, quod fortius urget.

§. IV.

Legens Confessionem scriptam alterius,

857 I. ETiam illum denique, qui sive casu fortuito (adeóque sine peccato) sive ex proposito & datâ operâ (adeóque non sine gravi peccato, secundùm omnes) descriptam alicuius confessionem sive jam peractam sive peragendam legit sigillo adstringi, probabiliùs affirmant Rodriqueznoster, Fagundez, Malderus, alii plures apud Dian. *cit. resol. 27.* & etiam *part. 1. tract. 4. resol. 112.* Ratio est; quia illa scriptura est internuntia peccatorum, estque sive inchoata confessio, sive confessionem jam factam gerens. Nam & propter eandem rationem is, qui scripto excipit confessionem amici non potentis scribere, & ita se ad confessionem parantis sigillo tenetur, ut §. 2. *n. 2.* notatum.

858 II. Negant rursùs & solùm secreti naturalis obligationem agnoscunt Navar. *c. 18. num. 19.* Layman. *cit. num. 24.* Suar. Bonacin: aliísque congestis Lugo *disp. 23. sect. 2. num. 47.* idque etiam valde probabiliter. Ratio est; quia ex sola confessione inducitur obligatio sigilli: atqui illa scriptura non est confessio, ne inchoata quidem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed solùm est materia præparata ad confessionem: nec est gerens confessionem peractam, sed solùm gerens materiam, quæ erat præparata ad confessionẽ; ergo ejusmodi scriptura non inducit obligationem sigilli, sed tantùm secreti naturalis, sicut enim, si quis audiret peccata alicuius, qui clarâ voce enumerans peccata sua se ad confessionem, præparet, vel qui post confessionem altâ voce Deo gratias ageret pro talibus peccatis confessis, certè audiens non obligaretur ad sigillum: quia non audiret confessionem Sacramentalem, sed solùm præparationem ad confessionem vel gratiarum actionem pro ea peracta: itaetiam in casu nostro scriptura illa non est confessio, sed præparatio ad confessionem, adeóque legens illam non obstringitur sigillo Sacramentali, sed tantùm secreti naturalis obligatione pro ratione materiæ, utique sub mortali, si gravia vel diffamantia consultò legat vel evulget: secùs si levia tantùm essent, ac schedulâ repertâ moraliter certus sit, non nisi levia & quotidiana peccata in ea scripta esse, ideóque ex curiositate legat, aut lecta alteri communicet, tunc enim non debet censeri plùs, quàm venialiter peccâsse; quia non violavit sigillum confessionis, in quo non datur parvitas materiæ, sed tantùm secretum naturale: cuius obligatio ob parvitatem materiæ minuitur. Quin etiam in casu gravissimæ necessitatis ad Rempublicam vel vitam innocentis liberandam, omninò cessare posset, ut huiusmodi scriptam confessionem etiam revelare liceret, quatenus præcisè necessarium est ad majus malum impediendum, cui, spectato jure naturæ & naturali charitatis ordine, minus damnum hominis illam schedam scribentis post haberi possit, ut notant Layman & Lugo citati.

859 III. Cæterùm consentiunt etiam huius sententiæ Authores, repertorem etiam huius scriptæ confessionis obligari arctissimo secreto naturali, ut non solùm is peccatum mortale in genere sacrilegii & gravissimæ injuriæ committat, si gravia & diffamantia peccata consultò legat, aut lecto aliis evulget, ut dictum est; sed nec judex aut Prælatus ex sola tali notitia ad criminis inquisitionem aut punitionem procedere posset: aut, si processus jam cœptus sit, cùm relcindi, & pro infecto haberi oporteat; quia licèt ejusmodi scriptura non sit confessio Sacramentalis, est tamen via ad eam, ceditque in irreverentiam Sacramenti, si occasione illius, quod in salutem animæ à Christo institutum est, aliquis famæ, vitæ, vel aliud detrimentum patiatur.

860 IV. Excipiendus per omnem modum est casus, quo talis scriptura rea verâ esset confessio actualis, utpote, si aliquis mutus vel aliàs impeditus confiteatur Confessario præsenti per scripturam, & tunc, durante actione Sacramentali, aliquis legat illam scripturam, utique teneretur sigillo; quia tunc illa scriptura lecta à confessario est locutio vel confessio Pœnitentis, cùm non aliter confiteatur mutus ille, nisi per scripturam. Idem censet Layman *num.* 19. *c.* 14. si Sacramentalis confessio Sacerdoti in scripto data ab eo amissa esset, & ab alio inventa & lecta; nam talis manifestatio facta Sacerdoti per scripturam in ordine ad absolutionem accipiendam vera Sacramentalis est confessio, ideóque sub sigillo cadit, ut ea nullo casu à quocunque sine confitentis licentia revelari possit. Idem censet Lugo *cit. num.* 49. Quando aliquis per litteras peteret à Superiore licentiã confitendi alteri peccatum reservatum; quia tunc per scripturam illam verè loquitur Superiori in ordine ad confessionem & absolutionem, confessione velut jam inchoatâ; ideóq; sicut ipse Superior, ita & alius legens talem Scripturam, quemadmodùm & audiens subditum petentem ejusmodi licentiam, sigillo adstringitur.

QUÆSTIO IV. & Ultima.

Qualiter licet, & non licet uti notitiâ ex sola confessione sacramentali habitâ?

Summarium.

861. *Notitiâ confessionis non licet uti, sic ut alii advertant.*
863. *An confessarius sciens ex confessione sibi insidias parari, possit aliquam actionem omittere, domi manere;*
864. *Aut aufugere, esto insidiatores id advertant, vel fors ideo occisuri sint Pœnitentem.*
865. *Nec etiam licet uti notitiâ confessionis sic, ut Pœnitens ipse solus advertat.*
866. *Exercendo actus illi ingratos, vitare, punire, deponere &c.*
867. *Probabiliter tamen licet ei negare actus nullo jure debitos, suffragium, beneficium &c.*
869. *Nec etiam licet eâ notitiâ uti ad gubernationem ipsius Pœnitentis:*
870. *Bene autem ad gubernationem sui ipsius.*
871. *Resolvuntur casus particulares valde notabiles,* usque ad n. 875.

861 *Regula Generalis.* Notitiâ ex sola confessione acceptâ nunquam ullo casu licet uti, quandò subest periculum revelationis directæ vel indirectæ, aut sic: ut confessio meritò fiat difficilis ac odiosa Pœnitenti. Contrà verò licitum erit uti illâ notitiâ in illis actibus, quibus confessio non redditur difficilis vel odiosa Pœnitenti, utpote, qui non sunt vel non possunt esse rationabiliter ingrati confitentibus.

Ex qua generali regula particulariùs resolves: 1. nunquam licere uti eâ notitiâ, *sic ut alii advertant*: Sed neque sic, *ut ipse solus Pœnitens advertat*. 3. *In ejus gubernationem vel gravamen*; 4. Sed bene *ad gubernationem vel justam indemnitatem sui ipsius saltem probabilissimè*. Percurro breviter singula declarandò.

§. I. *Non sic, ut alii advertant.*

862 NUnquam ullo casu ad quodcunque malum avertendum, etiam mortem evadendam, Confessario, etiam Superiori, licet uti notitiâ peccati habitâ ex sola confessione Pœnitentis sic, ut alii, quibus aliàs peccatum Pœnitentis ignotum erat, advertentes grave quidpiam adversùs ipsum exinde suspicentur. Certissimum apud omnes. Ratio clara est: quia hoc esset ipso facto confessionem offendere, & maximè reddere odiosam Pœnitenti, ut, si Confessarius maximè Superior post confessionem, confesso præter morem solitum coram aliis torvum vultum ostendat, solita benevolentiæ signa subtrahat, ejus consortiũ vel colloquum vitet, eum ab officio amoveat, &c. vel simile quid agat, ex quo alii veniant in cognitionem vel suspicionem aliquam peccati ipsius saltem in genere, quòd nimirùm ille Pœnitens vel subditus aliquid grave fecerit, ratione cujus idem Confessarius vel Superior præter morem ita illũ aversetur, vel ab officio amoveat; esset enim vera indirecta revelatio sigilli confessionis, idq; etiam verum est, quando alii jam habent notitiam talis peccati Pœnitentis, & post confessionem viderent eum à Confessario vel Superiore ita aversari vel ab officio aliquo amoveri.

Insuper adeò verum est, ut Confessarius etiam, duorum confessionem excipiens (casus non rarus in sponsis) & ex unius confessione intelligens alterum non integrè confiteri, sed peccatum aliquod culpabiliter reticere, non possit tamen ullum indicium suæ notitiæ præbere ex alterius confessione habitæ, sed absolvat & totum Deo committat, ne scilicet unus Pœnitens aliquid de confessione alterius advertat, prout etiam suprà suo loco indicavi. Quare sine dubio graviter deliquit, & sigillum indirectè enormiter violavit Sacerdos quidam indoctus, qui duorum confessionem audiens, & ex posterioris confessione peccatum comissum cum priori complice intelligens, priorem adhuc ibi præsentem ad confessionale revocavit, & de novo examinavit.

863 Sed hìc difficultas gravissima (attamen speculativa potiùs, quàm practica) est: an saltem liceat Confessario uti ejusmodi notitiâ confessionis ad sui defensionem v. g. evadendam mortem, quando id adverterent alij, qui aliàs jam sciebant v. g. complices peccati: ut, si Confessarius ex sola confessione unius complicis sciat, vinum, quo debet celebrare, esse veneno infectum: aut, se hâc nocte occidendum, si domo egrediatur, &c. poteritne ex hac notitia Sacro abstinere, eâ nocte se domi continere? &c. Si ex hoc advertant complices, peccatum hoc ex confessione unius ex ipsis Confessario innotuisse? Negant sanè licere DD. fere communiter, quos citant & sequuntur Lugo. *disp.* 23. *sect.* 3. *n.* 110. & Gobat *casu* 23. *n.* 897. eò, quòd adhuc videatur indirecta revelatio sigilli nullo unquam casu licita. Sententia quidem maximè favens sigillo; at profectò nimis rigida & severa, nescio, an ipsis suis authoribus in casu contingenti practicanda? Contrarium, idque licere docent alii æquè graves ac multi, Scot. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *&* 3. *Gabriel, Sylvester, Coninck, Bonacin.* aliique citatis Layman *l.* 5. *tract.* 6. *c.* 14. *n.* 21. & Tambur. *vit. l.* 5. *c.* 6. §. 1. Ratio est: quia aliud est verbo vel facto patefacere ipsum peccatum confessum, quod sanè nunquam licet: aliud est, aliquid agere vel omittere, ex quo alii aliunde scientes peccatum, sumant occasionem suspicandi, peccatum illud jam confessum esse, quod per se licitum, imò aliquando debitum est: ut, si videas me absolventem personam, cum qua hâc nocte peccásti, nónne colligis, illam hoc peccatum confessam esse: si Confessarius aliquoties accedat ad hominem domi concubinam alentem, ut illum ad emendationẽ hortetur, tandem ejus confessionem excipiat, & ad sacram Communionem admittat, nónne concubina apertissimè colligit illum peccata fornicationis confessum esse; & tamen Sigillum confessionis fregisse quis dicat? Item, si Confessarius hominem ob publica latrocinia supplicio affectum commendet, quòd bene de peccatis suis contritus & confessus, optimè dispositus mortuus fuerit, sanè nullo modo violat Sigillum; quia non dicit, nec exhibet signum, quo cognosci possit, hunc hominem commisisse latrocinia, sed solùm significat, eum ritè confessum sua peccata, adeóque etiam latrocinia anteà aliis nota, &c. Sic in proposito Sacerdos abstinens à Sacro, vel domi se continens nullò verbo vel facto prodit peccatum Pœnitentis, sed solùm per accidens ratione scilicet cognitionis aliunde jam habitæ aliis significat Socium peccatum jam esse confessum, quod nihil contra Sigillum. Unde & hi ipsi DD. meritò fatentur, eo casu non licere Confessario abstinere à Sacro, vel domi se continere, quando alij præter socios jam scientes, inde intelligerent peccatum Pœnitentis, aut aliorum complicum, maximè, si de tali peccato jam suspecti periculum subire deberent.

At, quid si eo casu ex fuga Sacerdotis v. g. ipsi 864
confitenti periculum immineat, ut à Sociis sceleris occidatur: poteritne sic nihilominus fugere, vel domi se continere? Negat posse Suar. *disp.* 23. *sect.* 7. & Gobat *loco cit.* ex fundamento oppositæ sententiæ. Concedit autem rectiùs Coninck, consentiente Layman. *n.* 21. quia adhuc fugiendo vel domi se continendo Sigillum confessionis non violat, quare jus naturale ipsi permittit, ut vitam suam alienæ vitæ anteponat: sicut, si Dominus hæreticus intellexit, aliquem ex suis famulis vel subditis confessum esse huic Sacerdoti, mortem seriò minitetur Confessario, nisi dicat, quisnam ille sit, Confessarius non prohibetur illum nominare, tametsi intelligat, exinde mortem confesso famulo vel subdito inferendã fore; quanquàm laudabiliùs Sacerdos ageret, si mortem ipse pro innocente fortiter oppeteret. Neque ex nostra responsione inferas, quòd confessio hominibus redderetur odiosa, si occasione ejus aliqui tantùm periculum subire possint; non enim sic redditur odiosa confessio secundùm se simpliciter, sed solùm ut spectata cum talibus circumstantiis, quæ tamen rarissimè & vix unquam concurrent, ut proindè talis casus potiùs speculativus, quàm practicus censeri debeat, ut notavit Sanchez *l.* 3. *de Matrimon. d.* 16. *q.* 1. *ad* 4.

§. II. *An sic, ut solus Pœnitens advertat?*

865 REgula generalis manet: nunquam licet uti cognitione vel notitiâ ex confessione habitâ circa Pœnitentem, etiam, ut ille solus advertat, exercendo circa ipsum aliquos actus ipsi ingratos, ex quibus Pœnitenti meritò odiosa redderetur confessio. Ratio jam sæpe inculcata est. Ex hac regula unum & alterum certa sunt, tertium valde dubium & gravissimè controversum. Unum certum est, licere Confessario uti notitiâ ex confessione acceptâ circa Pœnitentem, aut universaliter

Universidad de Deusto
Biblioteca

liter de ejus expressa & libera licentia, juxta suprà dicta; aut in particulari exhibendo ipsi aliquos actus naturâ suâ non ingratos, sed gratos potiùs, ex quibus proinde ei confessio non odiosa, sed grata potiùs & suavis reddatur. Uti contra paucos in fine refutandos Vasquez, alios, habent DD. communiter, Sic Confessarius propter fiduciam v. g. quam Pœnitens ad ipsum gerit omnia sui animi arcana & peccata committendo, poterit eidem ostendere signa speciali amoris & benevolentiæ, benignè excipere, beneficia conferre, &c. quamvis is advertat, hæc fieri propter audita in confessione. Item, si Confessarius ex confessione intellexisset, Pœnitentem ex suo facto, vel dicto fuisse offensum, ad indignationem vel odium provocatum, vel in tentationem incidisse, nónne poterit Confessarius ex ea sola notitia à simili dicto vel facto deinceps abstinere?

866 Alterum certum, non licere Confessario uti notitiâ confessionis circa Pœnitentem exercendo illi actus ingratos, maximè spectantes ad justitiâ punitivâ vel vindicativam: ut. Pœnitenti ob peccata confessa vultum austeriorem ostendere, eum declinare, eum reprehendere vel punire, tollere aliquod jus ipsi acquisitum, ut amovere ab officio jure acquisito, à quo scilicet pro libitu, & nisi ob delictum amoveri nequit: struere illi insidias, ut in delicto deprehendatur, negare ei aliquid debitum, pecuniæ v. g. & alia ejusmodi. Sic omnes ferè unanimiter, Ratio patet; quia satis supérque odiosa redderetur confessio præterita, si sciretur ex illa ita contra Pœnitentem posse procedi. Et bene advertit Layman cit. neq; ad hoc requiri, ut Pœnitens advertat actu, vel sciat, huiusmodi actus fieri ex confessione sua, dummodò reverà fiat ex confessione, etsi id nunc ignoret Pœnitens; si enim Pœnitens antecedenter sciret, posse Confessarium uti illâ notitiâ occultè contra ipsum, non minùs, imò magis abterreretur à confessione peccati, quàm si sciret, posse illum aliquid tale facere Pœnitente advertente; magis enim lædunt illa, quorum causam ignoramus, quàm illa, quorum causam scimus, quibus proinde faciliùs possumus adhibere remedia.

867 Tertium dubium & controversum valde est: utrùm liceat Confessario uti notitiâ confessionis, circa Pœnitentem solùm advertentem, exercendo ob justam causam aliquos actus, etsi ingratos ipsi & molestos, quibus tamen nullum eius jus lædatur: ut, negando ipsi aliquos actus nullo jure debitos, nisi fortè ex justitia distributiva vel misericordia, ut negare suffragium vel beneficium aut eleemosynam ei, quem ex confessione indignum quis novit, & alia mox latiùs dicenda. Licere affirmant sanè DD. gravissimi communiter. D. Thomas, Scotus, Sotus, Suarez, & alii, quos ad 35. refert Sanchez *l. 3. de Matrim. disp. 16. q. 1.*

Ratio huius sententiæ est; quia ex una parte non est frangere sigillum colloqui vel agere cum eo ipso, qui tibi secretum communicavit: & ex altera parte, cùm Pœnitens nullum habeat jus ad illas actiones, nulla ei fit injuria, ejusmodi actus denegando; ergo id non est illicitum: imò addunt multi ex his DD. etiam quando quee esse dubium, adeò ut Confessari[9] ex tali notitia etiam teneatur amovere indignum ab officio, ei negare suffragium vel communionem, &c. Plures tamen eorum talem obligationem non agnoscunt: quia nimirùm nullus cogi debet, ut utatur remedio tam difficili & periculoso fractionis sigilli.

Contrà verò generaliter & indistinctè docent: 868
id licere nunquàm, ita, ut in nulla prorsùs re confessarius uti possit tali notitiâ, sed debeat se simpliciter habere ac si prorsùs nihil audisset, adeò, ut si ex confessione noscs famulum esse furem, non posses ideò cistam claudere, vel clavem abstrahere. Sic multi apud eundem Sanchez. Alii autem restringunt, solùm locum habere in iis, in quibus esset confusio & pudor Pœnitenti. Sic ipse Sanchez, *cit n. 4.* aliósque citans Gobat. Alii denique clariùs ita distinguunt, ut in regula generali expressum, & sequitur

§. III. *Non licet ad gubernationem ipsius Pœnitentis.*

SImpliciter non licet confessario uti notitiâ ex 869
sola confessione habitâ ad gubernationem vel directionem ipsius Pœnitentis, præsertim advertentis, nimirùm circa ipsum Pœnitentem directè exercendo aliquos actus ipsi ingratos & molestos, aut negando ullos actus favorabiles etiam indebitos vel gratuitos, uti sunt: ex sola confessionis notitia Pœnitenti se exhibere severiorem, minùs gratè cum eo loqui, eum amovere ad aliũ locum, ubi sine peccato degat: famulum ex sola confessione furem cognitum domo expellere, vel è servitio dimittere: indigno ex sola confessione cognito negare suffragium ad electionem, officium vel beneficium quodcunque, aut ei officiũ pro nutu amovibile auferre, negare Sacramenta, Eucharistiam non ministrare, &c. item: non assistere matrimonio, cùm ex sola confessione scit, invalidè contrahendum: non colloqui vel conversari cum excommunicato vitando r sed ex sola confessione cognito, & alia similia, quæ exercentur circa Pœnitentis personam singularem. Ita Authores secundæ sententiæ, ac ipse Sanchez, si attentè legatur, & re ipsa Layman *c. 4. n. 22.* & expressè Coninck, Castropalaus, aliíque congestis Dian. *part. 3. tract. 4. resol. 76. & part. 5. tr. 11. resol. 3.* Tambur. *l. 5. c. 6. §. 2. n. 7.* Ratio solidissima est: quia ex obligatione sigilli Sacramentalis non solùm illicita omnis est revelatio directa vel indirecta secreti coram aliis, ut omnes agnoscunt, sed generaliter etiam illicitum est omne id, quod confessionem redderet gravem & odiosam fidelibus, ex communi principio ab omnibus ferè admisso: unde neque cum ipso Pœnitente potest confessarius etiam Prælatus de peccato in confessione audito loqui sine ejus licentia, ut etiam Adversarii fatentur: atqui evidens & certissimum est, etiam maximè reddi confessionem gravem & odiosam ex hac parte; si sciretur, confessarium ex illa sola notitia posse Pœnitentem amovere ab officio, privare suffragio, repellere à Sacramento, & cætera jam enumerata ac similia plura: & certè multò magis, quàm si confessarius posset de peccatis confessis cum Pœnitente loqui: ergo nullo modo licet uti notitiâ confessionis circa

ca Pœnitentem, exercendo ejusmodi actus ipsi molestos & ingratos, ad gubernationem ipsius Pœnitentis: idque etiam & maximè Superioribus, his enim id expressè & gravissimè prohibuit Clemens VIII. in Decr. an. 1594. die 26. Maij. Verba ejus sunt: Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur - - - atque ita per quoscunque Regularium Superiores quicunque illi sint, observari mandamus, &c. hæc Pontifex. Post hoc Decretum meritò profitetur Lugo: *Disp. 23. de Pœnitent. Sect. 5. n. 93.* se non videre, quomodo opposita sententia sustineri possit.

871 Confirmatur. Omnium consensu sigillum confessionis obligat in tota sua latitudine etiam in ordine ad confitentem, ne ei peccatum ex sola confessione cognitum objiciatur, exprobretur, vel quovis modo ei invito in memoriam revocetur: atqui talis exprobratio sanè molestissima re ipsâ fieret, si Sacerdos confitenti suo propter ejus auditam confessionem Sacramentum vel suffragium neget, vel eum ab officio removeat, &c. plerumque enim certâ vel probabili suspicione deprehendet id fieri propter peccata, quæ confessus fuit, ideóque ei Sacramentum grave & damnosum fuit. Et datò, confitentem id nullo indicio assequi posse, nóne adhuc ipsa persuasio hæc: si nimirùm sciant fideles, se ob peccatorum suorũ confessionem impediri posse à consequendis vel retinendis bonis suis, absterrebit à confessione iis præsertim faciendâ, quos vel leviter suspicantur, aliquando sibi prodesse vel obesse posse. Deinde sequeretur, quòd reservatio criminũ graviorũ Superioribus magna parte inutilis foret, si Superior sibi reservans eâ notitiâ gubernare posset Subditos; nunquam enim ij cum tanto suo periculo obligari poterunt ad confitendum grave crimen Superiori, si ex tali confessione sciant, seà promotione; quam avidè desiderant, impediri, aut ab officio libenter habito amoveri posse. Deniq; forũ sacramentalis pœnitentiæ ex propria institutione sua secretum & omninò disparatum est à foro externo jurisdictionis ac gubernationis; ideóque non oportet notitiam sacramentalem extra illud forum secretæ pœnitentiæ ad publicam gubernationem profanè extendi. Ex quibus satis patet ad fundamentum oppositæ sententiæ; sed urgebis, &

Dices: Confessarius, maximè Prælatus per confessionem auditam non amittit jus suum, quòd habuit priùs: sed ante confessionem auditam habuit jus eligendi vel non eligendi, retinendi vel amovendi talem subditũ pro suo arbitrio; ergo idipsum poterit post confessionem auditam; alioquin indigni ac improbi ex industria uterentur hoc medio confitendi Superiori. R. Negando consequentiam ob claram æquivocationem: confessio enim nullum tollit jus prius; licèt enim Prælatus v. g. habeat jus amovendi subditum ab officio pro arbitrio, nunquam tamen habuit jus amovendi illum propter crimen in sola confessione cognitũ; quare Confessarius propter confessionem auditam non privatur aliquo jure priùs habito, aut libertate ab officio deponendi, suffragium negandi, &c. attamen impeditur & prohibetur, ne ad tale quid faciendum moveatur, vel adjuvetur ex notitia hausta ex Sacramento pœnitentiæ, cùm perinde se gerere debeat in externis actionibus suis erga Pœnitentẽ, ac si in illo interno foro nihil audisset; quæ ad modùm, qui scivit aliquid extra confessionem, & postea in confessione audit, non amittit jus priùs notũ manifestandi, arctatur tamen à confessionis Sigillo, quò minùs alio modo propalare possit, quàm cognitum habuerit ante confessionem. Unde parùm prodesse potest indignis hoc medium confitendi. Superiori, cùm plerumque possit Prælatus eos amovere propter causas aliunde cognitas, vel etiam pro suo arbitrio, dummodò non moveatur à notitia in sola confessione acceptâ.

At, nunquid poterit Prælatus ex notitia confessionis motus saltem magis advertere & observare Pœnitentem subditum, ut notatis aliis extra confessionem sese offerentib[9] indiciis sufficienter instructus aliquam ex dictis actionibus præstet, ab officio vel loco amoveat; &c.? R. Non licere directè observando ipsum Pœnitentem, ob eandem semper rationem, ne confessio fiat odiosa: licere tamen observare alia signa, quæ sine relatione ad confessionem sufficiunt ad inquirendum. Vide Tambur. *in addition. ad lib. 5. opusc. de Confess. c. 6. §. 2. n. 9.*

§. IV. *Licet autẽ in gubernationem sui ipsius.*

LIcitũ est confessario uti notitiâ ex confessio- 870
ne acceptâ ad gubernationẽ seu justam indemnitatem sui ipsius, exercendo nimirùm aliquos actus, non directè circa Pœnitentem, licèt contra ipsum aliqualiter recurrant, sed potiùs circa se ipsum, vel res suas, vel extrinseca aliqua impedimenta peccati Pœnitentis. Exempli gratiâ: potest confessarius non celebrare, se domi retinere, aliâ viâ pergere vel fugere, ad cavendas insidias veneni vel mortis inferendæ ex confessione cognitas: item potest diligentiùs custodire res suas, clavem abstrahere, aut pecuniam vel clavem non committere servo, quem ex confessione furem vel infidelem novit: item potest Superior claudere fores, aut seram mutare januæ, per quam ex confessione novit subditum furtivè exire ad peccandum; & ut exemplificat Coninck *disp. 9. dub. 4.* potest ad eundem finem aliquid ædificare vel struem lignorum instruere eo loco, ubi anteà exitus vel introitus patebat &c. idque etiam sine consensu Pœnitentis, præsertim cùm is requisitus consentire nolit, cùm tamen debeat: & alia huiusmodi, quæ consueverunt communiter esse positiones alicuius impedimenti, quo posito Pœnitens absque ullo suo intrinseco incommodo à peccato impeditur. Sic Authores *§. præced. citt.* & reipsa Lugo *sect. 5. num. 102.* Ratio sumitur ex opposito fundamento priori; quia reverâ eiusmodi actus nulli reddunt confessionem odiosam, saltè rationabiliter: nec ullus rationabiliter præsumi potest à confessione retardari ex eo, quòd sciat confessarium ex notitia confessionis posse cavere insidias vitæ suæ, diligentiùs custodire res

suas,

Universidad de Deusto
Biblioteca

suas, claudere januam, vel feneſtram ad impediенda peccata, & ſimilia; quippe ad quæ ipſe Pœnitens per pœnitentiam verè à peccato reſurgere intendens cooperari de ſe tenetur. Unde ejusmodi actus non ingrati, ſed potiùs gratiſſimi ritè Pœnitenti cenſendi ſunt: & quia tales actus minimè exercentur circa perſonam ipſius Pœnitentis, nulla illi inde rationabilis erubeſcentia oriri poteſt: & ſi quando tale aliquid advertens pudore ſuffundatur, potiùs ſibi imputare debet, quàm confeſſario utenti jure ſuo, & aliquam occaſionem talis pudoris danti. Neque hic obſtat Decretum Clementis VIII. ſuprà allegatum; quia hoc ſolum prohibet uſum notitiæ ex confeſſione in ordine ad gubernationem externam perſonarum, ſubditorum v.g. per actus nimirùm verſantes circa ipſas perſonas confeſſas, uti maximè ſunt actiones punitivæ, aliæque gubernativæ, ſuprà 1. 2. & 3. §. allatæ.

Denique certiſſimum videtur, confeſſarium ex vi Sigilli confeſſionis nō teneri in omnibus prorsùs ſe habere, ac ſi talem notitiam prosùs non haberet; quidni enim confeſſarius ex confeſſione audita poſſit magis cautus eſſe, & prudens fieri ad cavenda ſimilia pericula, in quibus intelligit, Pœnitentem ruinam Spiritualem paſſum: v.g. ad vitandum cibum, ludum, ſocietatem, familiaritatē hominum, in quibus Pœnitentem aliquod damnum ſpirituale, vel corporale paſſum intelligit, &c.? Quin hoc experientiâ quotidianâ conſtat; diſcunt enim confeſſarii ex confeſſionibus mores civium, ut ſciant, quomodo cum illis debeant converſari, & quæ ab eis pericula caveri debeant; ergo non eſt univerſaliter illicitum & contra ſigillum uti notitiâ confeſſionis ad operandum. Quando autem ſit licitum, & quando illicitum, diſtinctè ſatis exprimit noſtra regula generalis, ex qua ulterius corollariè.

§. V. *Caſus aliquot particulares, reſoluti ex dictis hactenùs.*

871 I. EGo confeſſarius hactenùs ordinariè confeſſus ſum Petro, ſed modò ex ejusdem confeſſione intelligens, ipſum non eſſe Sacerdotem, ſeu invalidè ordinatum: poſſúmne ipſum deinceps vitare, ei ampliùs non confitendo, ipſo advertente me ad hoc moveri ex confeſſione ſua? ℟. Cum Sanchez *cit. lib. 3. diſp. 16. num. 5.* omninò potes & debes; quia ex una parte hâc omiſſione nihil exerces circa perſonam Pœnitentis: ex altere autem parte, non debes confiteri invalidè vel ſimulatè tantùm. At quid ſi ex hac tua omiſſione alii ſuſpicarentur malum de iſto Sacerdote? ℟. Lugo *diſp. 23. ſect. 5. num. 105.* debes adhuc ad eum accedere, ſaltem exteriùs confeſſionem ſimulando, ne eum prodas, intereà alteri confeſſario ſeriò confiteri. Fagundez autem cum Tambur. *cit.* reſpondet: Poſſe quidem, ſed non tenerite ſic ad ipſum accedere; eò, quòd ejusmodi omiſſio ex ſe non ſit oſtenſiva delicti, præſertim defectûs talis; cùm variæ poſſent eſſe cauſæ mutandi confeſſarium. In caſu tam raro crede, quod placet.

872 II. Vocor ad Pœnitentem, à quo timeo, ne me in peccatum inducat: idque novi ſolum ex confeſſione præterita, quâ me ad peccatum ſollicitavit. Poſſúmne ad ipſum non accedere, ſi vel ipſe advertat id fieri ex notitia confeſſionis, vel alii contra ipſum aliquid ſuſpicabuntur? ℟. Omninò potes, imò debes non accedere? Ratio eſt: quia, ſi Pœnitens in confeſſione ſollicitat ad peccatum, utique illa non eſt confeſſio Sacramentalis, ideóque obligationem Sigilli non inducit. Quòd ſi tamen Pœnitens priùs verè Sacramentaliter confeſſus tibi fuiſſet ſuam malam voluntatem, credò quòd adhuc debeas accedere fidendo Divinæ gratiæ, ſaltem, ſi aliàs alii advertentes malè de Pœnitente ſuſpicarentur, ut ex hactenùs dictis facilè colligi poteſt. Vide plures & metaphyſicos tales caſus apud DD. citatos.

873 III. Vocor ad Pœnitentem, qui bis, ter, vel quater aut ſæpiùs juſſus vel monitus noluit reſtituere, tollere occaſionē proximam peccati, &c. poſſúmne non accedere, ſi ipſe advertat, hanc eſſe cauſam: vel alii de ipſo malè aliquid conjiciant. ℟. Cum diſtinctione: ſi enim is anteà confeſſus eſt ſimulatè tantùm, v.g. ut bonam æſtimationem apud alios ſervaret, &c. potes non accedere; quia non fuit confeſſio, ſed ſimulatio, ideóque Sigillo non ſubjacet: Si autem fuit vera confeſſio, animo ſe juvandi, etſi defectu propoſiti abſolvi non potuerit, non potes non accedere, ſi ideò alij malum de ipſo ſuſpicentur; fuit enim illa Sacramentalis ſaltem inchoata confeſſio, ideóque Sigillum ſecùm trahens; at verò, ſi non alij, ſed ipſe ſolum id advertat fieri ex notitia confeſſionis, non video in te obligationem accedendi, quia ex una parte, non eſt revelare ſigillum, ſi ſolus Pœnitens advertat, ut ſæpiùs dictum: ex altera autem parte, tum les negationes non retraherent à confeſſione fideles, imò ſic magis ad eam faciendam excitabuntur. Inſuper meritò ſic negas, ut Pœnitens à ſua contumacia reſipiſcat: ſicut meritò propter eandem rationem eundem aliquando non abſolvis.

874 IV. Ex ſola confeſſione Titii ſcio, Eccleſiam hanc eſſe pollutam: poſſúmne adhuc in ea celebrare advertente id Pœnitente vel alis? ℟. iterùm cum diſtinctione: quòd ſi ex omiſſione Sacri aliqua notitia peccati apud alios, aut aliquod damnum Pœnitenti timeatur, potes & debes celebrare; quia fortius eſt vinculum ſigilli, quam præcepti Eccleſiæ de non celebrando in Eccleſia polluta: At ſi nullius notitiæ apud alios, vel detrimenti Pœnitenis periculum ſit, non poſſe celebrare reſolvit Lugo *cit. n. 124.* quia urget præceptum de non celebrando in loco violato, & non urget præceptum ſigilli, cùm nullum periculum evulgationis vel damni eſſe ſupponamus. At verò eo caſu ad poſſe celebrare, mihi probabilius reſolvit Bonacin. apud Tambur. *cit. c. 7. §. 4.* hâc bonâ ratione; quia Eccleſia non præſumitur velle obligare Sacerdotem ad non celebrandum, quando is ex ſola confeſſione novit, locum eſſe pollutum, ſiquidem ſemper Eccleſia velle favere ſigillo credenda eſt. Et hæc tandem de Sacramento Pœnitentiæ ſatis.

FINIT III. PARS Theologiæ Sacramentalis.

THEOLOGIÆ MORALIS SACRAMENTALIS

PARS IV.

DE MATRIMONIO ET ANNEXIS.

QUarta hæc & ultima Theologiæ Sacramentalis Pars, quia in multis lubrica & caſtis mentibus verecunda, ut ſecuriùs percurratur, ſub invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, ac Patrocinio Caſtiſſimorum Sponſorum & Conjugum MARIÆ & JOSEPHI, tribus tantùm partibus diſtincta abſolvetur. Caput *Primum*, de Matrimonio ſecundùm ſe. *Secundùm*, de Peccatis Sponſorum & Conjugum. *Tertium*, de reliqua materia ſexti Præcepti. Quartū de Arbortu. Ergò in Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, ac JESU, MARIÆ, JOSEPHI, incipiat.

CAPUT I.

De Matrimonio & Sponſalibus.

1 MAtrimonium dictum, quaſi *matris munium* ſeu *matris munus*, ut inquit D. Auguſtin. l. 19. contra Fauſtum, *Matrimonium ex hoc appellatum eſt, quòd non ob aliud debeat fœmina nubere, quam ut mater fiat.* Definitur in jure: *maris & fœminæ conjunctio individuam vitæ ſocietatem retinēs.* Ubi matrimonium quoad vinculum potiſſimùm explicatur. Adæquatè verò tam contractum quam vinculum complectendo definit bene noſter Marchant, *tom. 3.* Tribunal. ſeu Speculi. part. 3. quæſt. 1. *Matrimonium eſt individua conjunctio maris & fœminæ legitimo contractu firmata ad generandam prolem, à Deo Auctore naturæ inſtituta, & Sacramento Novæ Legis ſigno & bono à Chriſto Salvatore elevata ad Chriſtianè generandam prolem.* Patebit diſtinctius *Sect. 3.*

2 Triplex diſtinguitur matrimonium: *Legitimum, ratum, & conſummatum.* Matrimonium *legitimum* dicitur, quatenus continet contractum legitimum inter perſonas non impeditas conſtitutum, qualis fuit ante Chriſtum inter infideles, fortè etiam inter hæreticos. *Ratum* Matrimonium dicitur, quatenùs legitimo illi contractui addit rationem Sacramenti, quo majorem firmitatem & ſtabilitatem indiſſolubilem acquirit. Ut Innocent. III. *c. Quanto. de divort.* ait: *Etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum; quia ſcilicèt poteſt diſſolvi; inter fideles autem verum & ratum exiſtit; quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur.* Matrimonium *conſummatum* dicitur, quatenùs accedente reali corporis uſu, ſeu carnis copula ultimò perficitur & completur; Sicut enim emptio & venditio conſenſu exteriùs ſignificato, hinc mercem, illinc pretium tradendi eſſentialiter conſtituitur, tamen reali traditione conſummatur; ita matrimonium eſſentialiter conſtituitur mutuo conſenſu Sponſorum ad tradendum invicem corpora exterius ſignificato, nuptias enim non concubitus, ſed conſenſus facit; ſive ut habetur *c. omnis res, 27. q. 2. Matrimonium non facit coitus, ſed voluntas*, ex S. Chryſoſtomo, id eſt, Auctore *operis imperfecti hom. 32.* in Matth. ipſa tamen actuali traditione corporis, & copulatione carnis completur & velut conſummatur, ut uterque jus plenum poſſideat, idque non tantùm in ratione contractûs legitimi, ſed etiā in ratione Sacramenti, ut idcircò majorem & quaſi ultimam ex Divina inſtitutione ſtabilitatem acquirat. Differunt ergo dicta matrimonia inprimis firmitate; Legitimum enim ſolvi poteſt favore fidei, cùm alter conjux ad fidem convertitur: Ratum ſolvitur favore Religionis per ſolemnem profeſſionem: Conſummatum quoad vinculum nunquam. Differunt item myſterio ſeu ſignificatione myſtica; nam ex *c. debitum de bigamia*, & *Decret. ultimo Concilii Trident.* colligitur triplex ſignificatio Matrimonii. Nam quatenus eſt legitimus contractus ſignificat conjunctionem Dei cùm anima fideli per gratiam: Quatenus eſt Sacramentum & Matrimonium ratum ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per Baptiſmum: Quatenùs eſt Sacramentum & Matrimonium conſummatum, ſignificat conjunctionem VERBI Divini cum natura humana per unionem hypoſtaticam, quæ omni ex parte inſolubilis eſt, perinde ac Matrimonium.

Jam capitis hujus quatuor erunt Sectiones. *Prima*, de Matrimonij impedimentis ac perſonis inhabilibus. *Secunda*, de Matrimonii promiſſione ſeu ſponſalibus & conſenſu de futuro. *Tertia*, de Matrimonio legitimo ut contractus eſt ſeu conſenſus de præſenti. *Quarta*, de Matri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

monio rato ut Sacramentum est; nam de consummato ferè per totum.

SECTIO I.

De *Matrimonii Impedimentis, & Personis inhabilibus.*

3 IMpedimentum matrimonii dicitur omne id, quod obstat, ne matrimoniũ inter aliquas personas contrahi possit, aut validè, aut saltem licitè. Unde duplicis generis sunt impedimenta matrimonii: *Dirimentia*, & *impedientia tantùm*. Impedimentum impediens dicitur, quòd solùm impedit, ne licitè contrahatur matrimonium, ipsum tamen contractum non irritat. Breviter: Quod illicitum tantùm non item invalidũ, nullúmque reddit contractum, uti est v.g. votum simplex castitatis, sponsalia prius cum alia contracta, &c. de his seorsim infra in Sublectione. Impedimentum dirimens seu irritans matrimonium dicitur, quod obstat, ut neque validè contrahi possit matrimonium, seu ipsum matrimonium non tantùm illicitum, sed etiam invalidum ac nullum reddit, uti est votum solemne castitatis, matrimonium aliud cum alia adhuc vivente contractum &c. Et hujusmodi dirimentia impedimenta jure antiquo duodecim vel potius quatuordecim; modò verò jure novo Concil. Trident. duobus adjectis universimsunt sedecim, his versibus comprehensa,

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
NB. *Cultûs disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,*
Si sit affinis, si fortè coire nequibis.
Si Parochi & duplicis desint præsentia testis.
Raptáve sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Hoc est: Matrimonium cum aliquo ex dictis impedimentis factum retractatur, atque omnino irritum est ac nullum, ac si factum non fuisset. Horum impedimentorum aliqua inducta sunt jure naturæ, ideóque indispensabilia sunt, atque etiam in matrimoniis infidelium locum habent, & certò sunt quatuor: *Error in persona: impotentia perpetua: consanguinitas primi gradus saltem lineæ rectæ: & ligamen seu ligatũ esse actuali alio matrimonio.* Cætera sunt de jure Ecclesiastico, ideóque dispensabilia, neque in matrimoniis infidelium locum habent, ut suis quæque locis notabimus.

Hæc autem impedimenta memoriæ juvandæ causâ, recto ordine in quatuor classes dividemus: Prima Classis: *Consensus insufficiens*, continet quinque impedimenta: *error, conditio, vis, raptus*, & *clandestinitas*. Secunda: *Libertas obligata alteri*, continet quatuor impedimenta: *Votum & Sacer Ordo*, quibus libertas obligatur Deo, *Ligamen & publica honestas*, quibus libertas obligata est alteri homini. Tertia: *nimia conjunctio*, continet quinque impedimenta: *triplex cognatio, carnalis, spiritualis & legalis, affinitas, & scelestis conjunctio criminis.* Quarta, *nimia distantia*, continet *cultûs disparitatem* & *impotentiam*, sub qua comprehenditur *impedimentum ætatis.*

CLASSIS I.

Impedimentorum. CONSENSUS INSUFFICIENS

SUMMARIA.

4. *Error circa personam jure naturæ irritat matrimonium.*
5. *Non tamen error circa qualitates personæ.*
6. *Nisi talis qualitas sit per se intenta actu, vel virtute.*
7. *Aut nisi error circa qualitatem redundet in ipsam personam.*
9. *Etiam conditio servilis ignorata dirimit matrimonium;*
11. *Secùs, si hæc conditio à libero contrahente sciatur.*
13. *Metus gravis injustè incussus ad extorquendum consensum matrimonii, irritat illud, probabiliter jure naturæ.*
14. *Certissimò irritat metus gravis absolute.*
15. *Ac etiam gravis respective.*
16. *Non tamen metus simpliciter levis, vel mere reverentialis.*
17. *Nisi quandoque per accidens.*
18. *Ut autem metus gravis irritet, debet esse injustus, seu injustè incussus.*
19. *Per se directè ad extorquendum ipsum Matrimonii consensum.*
20. *In dubio, an metus fuerit injustè incussus, præsumendum est pro valore.*
21. *Talem metum incutiens peccat mortaliter; alter verò tantùm venialiter, si solùm fictè consentiat.*
22. *Imò nec venialiter, si solùm consentiat in ipsum matrimonium sine animo consummandi.*
23. *Moraliter verò, si ex tali metu contrahat cum intentione consummandi, sciens tale matrimonium esse nullum?*
24. *Et exercendo actus carnales mere fornicantur, nec per illos matrimonium tale ratificatur sine novo consensu.*
25. *Qualiter peccat, qui ex tali metu contrahit irritum insuper alio impedimento dirimente?*
26. *Raptus generatim quid? ejus pœnæ.*
27. *Ad raptum propriè dictum, requiritur violentia*
28. *Illata ipsi puellæ (non parenti, vel tutori)*
29. *Idque in ordine ad matrimonium.*
30. *Non est impedimentum si puella rapiat virum.*
31. *Rapiens puellam non pro se, sed pro alio, incurrit pœnas, non tamen impedimentum.*
32. *Matrimonium clandestinum sine Parocho & testibus nullum est ex Decreto Tridentini.*
33. *Quod obligat solùm in locis Catholicorum, ubi promulgatum est.*
34. *Quid de locis, ubi Catholici permixti sunt cum hæreticis?*
35. *An, si sponsi in sponsalium contractu præsente Parocho & testibus utuntur verbis de præsenti, sit matrimonium ratum?*

§. I.

ERROR.

REGULA. *Error circa ipsam personam matrimonium omni, etiam naturali jure dirimit: non item error circa qualitatem, nisi talis qualitas esset per se actu vel virtute intenta à contrahente, aut error circa qualitatem redundaret in ipsam personam.* Certa apud omnes, & patebit explicando.

I. Error circa personam jure naturæ irritat matrimonium. Certum apud omnes. Sanchez *l. 7. disputat. 18.* Layman. *l. 5. tract. 10. part. 4. c. 5.* Ratio est; quia error simpliciter tollens voluntarium versans circa substantiam vel substantiale contractûs, omnem contractum irritat, ut patet in venditione & emptione, si cui pro auro vendatur aurichalcum, &c. atqui contractûs matrimonii primum & substantiale objectum est ipsa persona, cum qua contrahendum; hanc enim principaliter respicit contrahens: ergo error circa personam ipso jure naturæ irritat matrimonium: neque interest, sive sit error antecedens & dans causam contractui, qui si sciviſſes non contraxisses; sive sit error concomitans & incidens tantùm, & non dans causam contractui utpotè, quia ita animo affectus fuisti, ut, etsi non ignorasses, hanc esse aliam personam, tamen illam duxisses; quia uterque error aufert actuale voluntarium & consensum, cum nihil possit esse volitum, nisi cognitum: Et tantùm differunt in hoc, quòd error antecedens reddat involuntarium positivè, error verò concomitans reddat solùm involuntarium negativè, seu non voluntarium, quod ipsum sufficit, ac tollit consensum in talem personam.

Quòd si tamen quis ita intenderet actualiter contrahere cum præsenti muliere, quæcunque illa sit, validum erit matrimonium, quia tunc nullus error.

Dices: Nónne Sacramentum, Baptismus v.g. est validus, si quis baptizaret hunc, putans esse alium, aut fœmellam putans esse masculum? *R.* Ita; quia baptizans dirigit actionem & intentionem suam in hunc præsentem, quicunque tandem sit, prout in simili modò etiam de matrimoniò concessimus, contrahens autem matrimonium ordinariè suum consensum dirigit in determinatam personam hanc, v.g. Mariam. Cæterùm, si baptizans diceret: volo baptizare hunc, si est masculus, certè non baptizaret, si esset fœmella; quia sua intentio non extenderetur ad illam; nimis tamen imprudenter & stolidè sic intenderet. Contra: nonne Jacob *Gen. 29.* deceptus pro Rachele Lyam acceptam deinceps pro legitima uxore habuit? *R.* Ita; quia postea detecto errore personæ matrimoniũ ratificavit, tum amore potiundæ etiam Rachelis, tum compassus Lyæ jam defloratæ per ignorantiam ex parte sua invincibilem, ex dolo soceri Laban supponentis ei pro Rachele Lyam.

II. Error circa qualitates personæ etiam antecedens & causa operis, etiam ex dolo alterius contrahentis proveniens regulariter non irritat matrimonium. Communissima DD. apud citat. & colligitur *ex c. cùm in Apostolica. de Sponsal.* Ratio est; quia ad valorem contractus matrimonii satis est, si consensus sit circa substantiam corporis, quæ mutuò datur: quidquid ergò est extra substantiam corporum, accidentale est, nec potest invalidum reddere matrimonium; etenim matrimonium substantialiter subsistens non potest infirmari, nisi in casibus à Jure vel Ecclesia permissis vel decretis; matrimonium autem substantialiter consistit in consensu voluntario personæ cum persona tali in individuo certò cognita, ad traditionem mutuam corporum in usũ generationis: ergo non infirmatur ob errorem circa qualitates accidentales personæ, cùm nullus Canon Ecclesiasticus existat, qui id infirmet quoad tales qualitates, sicut existit de qualitate conditionis servilis. Validum ergò erit matrimonium, si quis ducat Cajam putans vel falsò asserenti credens esse nobilem, virginem, &c. cùm tamen sit plebea, corrupta, inops, &c. nisi una ex dictis duabus exceptionibus accedat. Eadem ratione valida est professio Religionis, quamvis ejus qualitates, asperitates, victus, fratrum mores, rigor Prælatorum, &c. antea non advertantur. Sed en tibi jam duas exceptiones.

III. *Nisi talis qualitas esset per se actu vel virtute intenta à contrahente:* ut si quis actu & expresse intendat, non accipere uxorem, hanc v. g. mulierem, nisi sit nobilis, virgo, &c. aut dicat: si es nobilis, duco te, alias nolo; tunc enim non subsistente tali qualitate, omnium consensu matrimonium nullum erit; quia tunc qualitas illa sit pars objecti principalis per se intenti, estque consensus matrimonii conditionatus si est talis, volo: atqui consensus conditionatus de præsenti, conditione non subsistente, nullus est, ut omnes norunt: ergo &c.

Dixi *actu* vel *virtute*; eadem enim est ratio, quando talis qualitas & conditio, etsi non actu inipso contractu habeatur, tamen antea habita & non revocata in ipso contractu virtualiter perseveret, ut si antea declarâsti, te nolle ducere Cajam, nisi virgo v. g. sit, & hoc animo non revocato, & neque actu cogitans de hac mea voluntate, contraho cum Caja putans esse virginem, cùm talis tamen non sit, adhuc invalidum erit matrimonium; quia illa prior intentio cùm non sit revocata, & adhuc virtualiter duret, æquivalet intentioni & conditioni actuali, ut in simili omnes docent de intentione virtuali sufficiente ad confectionem Sacramentorum. Meritò ergò Basilius Pontius *l. 4. de matrimon. c. 21. n. 13.* testatur nullum fuisse declaratum matrimonium cujusdam fœminæ, quæ sæpè seriò dixerat, se potiùs quidvis passuram, aut mortem sibi illaturã, quàm cum certo quodam viro inire matrimonium, si is esset ex Judæorum progenie, & post initum contractum ex Judæis inventus est; quia ex circumstantiis clarè apparuit, illam intentionem virtualiter permansisse. Cæterùm consentiunt DD. ad irritandum matrimonium non sufficere solam intentionem, vel dispensionem habitualem non contrahendi cum tali qualitate personæ, cum quis nimirum defacto simpliciter contrahit cum tali persona v. g. non nobili, paupere non virgine, &c. solùm animo ita dispositus est: ut si sciviſſet vel advertisset ad hanc vel illam qualitatem, non contraxisset. Quia in contractu non attenditur ad id, quod feciſſes vel voluisses in aliis circumstantiis, sed ad id, quod re ipsa de facto fecisti, & voluisti circa substantiam contractûs: absolutè enim consensum præbuisti, nec adfuit ulla conditio, sed solùm adfuisset, quod nihil operatur. Denique si talis dispositio habitualis sufficeret, vix ullum esset in mundo matrimonium validum. Sequitur altera exceptio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

7 IV. Aut, *nisi error circa qualitatem redundet in ipsam personam.* Quando nimirum persona aliundè in se prorsus ignota alicui sub sola aliqua qualitate proponitur, & concipitur, sic ut quis sub conditione alicujus qualitatis præcisè formet conceptum alicujus personæ determinatæ in individuo, quæ proinde qualitas per errorem apprehensa, si revera non ad sit, certè irritat matrimonium, cùm re ipsa sit error circa personam; ut si quis consentiat contrahere cum filia Sempronii primogenita, & offeratur postea alia non primogenita, non valebit matrimonium, esto etiam vera primogenita jam esset mortua; quia nimirum error ille qualitatis redundat in personam, & æquivalenter est error personæ. Item: vides à longè duas puellas unam sedentem, alteram stantem, unam audis virginem, nobilem, divitem, &c. alteram viduam, plebeam, pauperem, &c. dicas: volo ducere sedentem, virginem, nobilem, &c. & postea offeratur tibi ad matrimonium altera matrimonium nullum est ob eandem rationem.

Contra verò si aliunde formasti conceptum de tali determinata persona, v. g. jam nôsti hanc determinatam puellam Mariam quoad personam, atque hanc putas esse divitem, nobilem, &c. cùm talis non sit, seu proprio errore, seu aliundè deceptus, & cum hoc errore cum illa contrahas, validè contrahis, quia jam error est circa qualitatem, quæ non redundat in substantiam personæ; jam enim personam ducis, quam nôsti, & ducere decrevisti, etsi inqualitate accidentali deceptus fueris. Sic Sanchez hic *l. 8. disp. 18. num. 21.* Tambur. hic *c. 1. num. 20.* In summa, si dicas: volo nobilem, virginem, &c. qualem puto esse hanc, si non sit, matrimonium nullum est. Si verò dicas: volo ducere hanc Mariam, quam puto esse nobilem, &c. si non sit, matrimonium validum erit. Quare nervosè & sapienter Layman *cit. c. 2. num. 2.* scribit: si Caja visu prius nota & ad matrimonium determinata fuisset, tametsi postea simulet se primogenitam, cum non sit, valebit matrimonium, nisi actualis intentio fuisset, saltem animo retenta: non accipiendi eam, nisi primogenita sit. Calus varios videre potes apud citatos.

8 Unum magis lepidum & intricatum affero ex Gabriele *V. Impediment. quæst. 4.* Adolescens quidam petit in uxorem filiam cujusdam, quam valde formosam fortè viderat, verùm illam ei denegavit pater, causam dans: eam esse secundò genitam, se tamen facile daturum primogenitam quam nubere prius deceat; ad hæc adolescens petiit à patre, ut prædictam primogenitam ostenderet viro gravi, ut is syncerè & ex fide sibi referat, an etiam pulchra esset; annuit pater, sed verò ille ostendit eandem secundò genitam viro illi, nam primogenita valde informis erat; adolescens ergò à viro illo gravi informatus, etiam illam sibi ostensam pulchram esse, cum ea contraxit de præsenti more Nobilium vesperè sub luce candelarum, quando ejus formam advertere non potuit, postea inventa est nequaquam pulchra: contendebat adolescens matrimonium nullum fuisse. Gabriel respondet, fuisse validum; quia error fuit in qualitate pulchritudinis, non in substantia; adolescens enim jam consensit in primogenitam, quàm ipsi obtulit pater, quare illam duxit, quam voluit. Hancque responsionem approbat Sanchez *num. 35.* aliique. Sed meo judicio rectiùs improbant Pontius *l. 4. c. 22. num. 5.* & Tamb. *cit. c. 2. §. 2.* quia adolescens consensit in illam, quæ fuit ostensa viro illi gravi: at hæc non fuit primogenita: falsum ergò est, adolescentem consensisse in primogenitam à patre primo promissam; quia ratione pulchritudinis adolescens determinavit ad ducendam illam determinatam, quam pater ostendit illo viro, si pulchra sit; pater autem ostendit secundam, eamque solam vidit, & retulit vir ille gravis: ergò in illam solam consensit; fuitque error qualitatis redundans in personam.

§. II.

CONDITIO.

9 I. Conditio servilis ignorata dirimit matrimonium; hoc enim speciale est, quod error circa qualitatem conditionis servilis, ut si homo liber & ingenuus contrahens putet, & intendat ducere personam liberam, & ingenuam, revera ducat servam vel mancipium, matrimonium nullum sit. Habetur expresè in jure *c. 2. & ultimo. De conjugio servor.* docétque communis, D. Thomas D. Bonavent. Scot. *in 4. de 36.* Ratio est; quia licèt hic error non versetur circa personam vel substantiam, est tamen circa qualitatem valdè necessariò spectantem ad contractum, usum & finem matrimonii; convenit enim, ut contrahentes æqualem corporis potestatem inter se conferant ad finem generationis & societatis vitæ: atqui liber quidem plenâ corporis potestatem alteri dat, obligans etiam se ad individuam vitæ societatem; servus autem seu mancipium plenam sui corporis potestatem dare non potest, nec potest se obligare ad individuam vitæ societatem, cum in domini sui potestate constitutus ab eo vendi, in terras longinquas mitti & ablegari, domesticis operibus addici &c. jure possit, non obstante matrimonii vinculo. Accedit gravissimum incommodum, quòd si uxor serva sit, maritus liber, proles sequantur conditionem matris; quia ut Jurà loquuntur; *fœtus, sequitur ventrem*: ergò &c.

10 II. Quo autem jure inductum sit hoc impedimentum dissentiunt DD. Solo jure Ecclesiastico dirimere docent DD. communiter cum Sanchez *l. 7. disp. 19. num. 17.* Contra ipso jure naturali dirimere ob rationem datam; quia nimirum libera persona non videtur velle corpus suum liberum tradere pro corpore alterius, nisi similiter libero, nisi aliud intenderet, docent alii graves DD. apud eundem Sanchez & Layman tit. probabile censentes, favente etiam Scoto *in 4. d. 30. quæst. 1.* eò quòd jura citata non tam statuere, quam supponere videantur hoc impedimentum conditionis. Tu crede, quod libet.

11 III. Dixi *conditio servilis ignorata*; quòd si enim omo ingenuus & liber sciens alterius conditionem servilem, nihilominùs eam spontè admittat, valebit matrimonium æque, ac si servus cum serva contrahat. Expresè *cit. c. ultimo, de conjugio servor.* Adde: etiamsi speràsset, quòd ea persona libertate donaretur, & postea frustratus esset; quia non erravit in qualitate conditionis servilis; ut notavit etiam noster Marchant *Tribun. part. 3. tract. 1. tit. 3. quæst. 2.*

At contra: quid si Titius liber contrahat cum Caja revera libera, quam tamen per errorem putat esse servam, valètne matrimonium? R. quòd sic quia Canones veram servitutem, non autem putatitiam constituunt impedimentū dirimens, neque falsò putata servitus quidquam nocebit matrimonio.

12 IV. Similiter, si servus contrahat re ipsa cum serva, putans se contrahere cum libera, matrimonium valebit; quia Canones agunt de Matrimonio, quod contrahit liber cum serva, quam ignorat esse servam; hic autem servus contrahit non liber. Plura de his videre potes apud citatos, maximè Sanchez, usque ad nauseam; nam quia in his partibus nullà praxis, non immoror; nôtant enim DD. Germani Layman. *cit. num. 5.* Gobat *casu 5. num. 131*, omninò valere matrimonia personæ liberæ cum servis originariis vel adscriptitiis, quales plurimi sunt in Bohemia, Polonia, ac etiam Suevia, & vulgò vocantur mancipia, reipsa autem mancipia & servi non sunt, sed homines liberi, solùm quoad certa obsequia suis dominis adstricti, ut ab eis, nisi remissione gratis vel pretio factâ, recedere non possint.

§. III.

VIS SEU METUS.

13 R. *Regula*: Metus gravis injustè incussus ad extorquendum ipsum matrimonium, seu consensum matrimonii, matrimonium irritat (satis probabiliter ipso jure naturæ, cum videatur implicare, ut quis per tam gravem injuriam sibi comparet jus in alterum) certò autem jure Ecclesiastico, *c. Cùm locum. c. Veniens c. consult. De sponsalibus* & expressiùs *c. 2. de eo, qui duxit*: ubi significatur matrimoniū gravi metu extortum, etsi juratum sit nullius roboris esse. Ratio sumenda est ex differentia intra matrimonium, & alios contractus; quia alii contractus ex metu injusto facti, etsi in communiori sententia validi sint, tamen postea per exceptionem, vel Judicis sententiam rescindi possunt, & metum passus restitui in integrum; at verò matrimonium mutuo consensu semel validè contractum, & maximè etiam consummatum rescindi nunquam potest: ergo necesse fuit, ob gravissima incommoda ex ejusmodi coactis matrimoniis evenire solita evitanda, ut constitutione juris statim à principio vis injusta matrimonio impedimentum afferet, cùm postea non sit locus remedii. Plura vide apud Sanchez *l. 4. disp. 11. tota*, ubi *num. 20.* ex communi monet idem sentiendum esse, si quis indefinitè cogatur ad ducendum unam ex pluribus v. g. filiabus Titii: quin etiam, si pater absolutè dicat filiæ: te exhæreditabo, nisi nupseris: nuptiæ secutæ non subsistent, si verè timeatur quòd illæ minæ sortiantur effectum; quia status matrimonii absolutè debet esse homini liber adeòque etiam ille metus officit valori matrimonii, quo quis cogitur inique ad matrimonium generatim, seu non determinando ullam personam in particulari. Ut contra *Abbatem, Adorium, Benignum*, & alios, cum pluribus docet *Sanchez* cit. Diana *part. 4. tract. 4. Resolut. 32.* Gobat. *cas. 12. n. 252.* Jam verò termini hujus impedimenti explicandi sunt.

I.

Metus gravis.

14 *Metus gravis* dicitur, quando, vel quo timetur grave malum inferendum aut ipsi metuenti, aut personæ valde conjunctæ, ut patri, matri, uxori, fratri, &c. aliisque consanguineis. Metus autem levis dicitur, quo timeur leve malum. Grave autem vel leve malum considerari debet vel absolutè respectu cujusvis, vel respectivè ad certas personas; minus enim malum sufficit ad metum gravem in fœmina, quàm in viro, in puellâ quam in juvene, in juvenili ætate, quam robusta & virili.

Pono breves resolutiunculas.

I. Rritat certissimò matrimonium metus gravis absolutè & cadensin constantem virum, quo nimirum timetur malū grave absolutè quod nimirum omnes homines habent pro gravi & molesto. & proinde etiam viro forti ac constanti meritò sit formidabile: cujusmodi est metus mortis, mutilationis, cruciatûs vel verberationis atrocis, servitutis, exilii, carceris diuturni, gravis infamiæ, violenti stupri, amissionis statûs vel officii ad sustentationem necessarii, majoris partis bonarum exhæreditationis, item excommunicationis injustæ &c. de quibus latè Sanchez *l. 4. disp. 5.* Lessius *l. 2. De Justitia c. 17. num. 35.* singula bene ex jure probans, & de his non potest esse dubitatio, vel enim talis metus irritat, vel nullus: atqui non nullus: ergò &c.

15 II. Etiam irritat matrimonium metus gravis respectivè quo scilicet timetur malum grave solùm respectu apprehensionis vel conditionis personæ; nam pueris, fœminis, viris meticulosis vel aliunde afflictis, &c. valde gravia accidnnt pleraque, quæ vix curant homines cordati. Communis DD. apud citatos. Ratio est; quia in talem metum verissimè cadit sententia Alexandri

III. Cit. c. cùm locum de sponsalibus. *Cùm locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit*: etenim illud voluntarium, ob quod metus etiam absolutè gravis invalidat matrimonium causatur immediatè à vehementia metus & apprehensione mali imminentis, & remotè tantum ab ipso malo formidato foris existente: atqui *ubi est eadem ratio, ibique quoque est eadem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem juris dispositio; cùm ergò metus respectivè gravis immediatè æque minuat libertatem consensûs ac metus absolutè gravis, palam est, dictam decisionem Alexand. cit. æque in illo locum habere, ac in hoc. Quòd si ergò pater filiæ verecundæ ac timidæ minaci vultu intentet alapam, eòque metu consternata puella consentiat, aliàs non consensura, non est dubium in omni foro matrimonium pronuntiandum nullum,

16 III. Non irritat matrimonium metus simpliciter levis, sicut neque metus merè reverentialis, quo nimirum juvenis vel puella tantùm ideò consentit in matrimonium propositum sibi à patre v. g. vel tutore, quia timet, nec contradicendo agat contra reverentiam debitam parenti, ideòque solum verecundiam vel ruborem in metuente causat, seclusò omni alio incommodo vel damno. Ita communis DD. Sanchez *l. 4. disp. 17. num. 2.* Layman. *cit. c. 5. num. 1. & 3.* Lugo *disp. 22. de justitia. num. 149.* Pontius *l. 4. num. 18.* alii plures apud ipsos. Ratio est; quia, cum levis metus sit in potestate contrahentis matrimonium, ideòque facile illum depellere possit, si non depellat, satis liberè & perfectè ac sine coactione consentit. Et certum est in foro externo non admitti allegationem metus levis vel reverentialis tantùm, cùm meritò præsumatur talis metus non abstulisse libertatem.

17 IV. Contra tamen, etiam metum reverentialem in foro conscientiæ irritari matrimonium (atque adeo etiàm Professionem religiosam, cùm matrimonium carnale & spirituale æquiparentur (docent sanè graves DD. Navar. *l. 1. Consil. 9. & 10. & Manual c 21. num. 15.* Rodriquez *tomo 2. summæ. c. 8. conclus. 7. alii.* & probabilem censent Lessius, Layman, Tannet. Barbosa, apud Gobat. *cit. num. 249.* eò quod etiam talis metus, præsertim à viro gravi incussus tollat perfectam libertatem, qualem in matrimonio (sicut & in Professione) omnes requirunt. Et omninò vera est hæc sententia per accidens, quando scilicèt cum imperio Patris, Tutoris, Prælati &c. conjunctæ sunt minæ, quas ille executurus putetur, sævitia, mala tractatio, aut quando timetur gravis & diuturna indignatio patris aut alterius personæ, à qua multum dependet fortuna filiæ: & generatim, quandocunque præter metum reverentiæ timetur aliquod aliud grave malum vel incommodum, & quia reverà plerumque aliquod tale malum timetur, ideoque sæpe potest in praxi locum habere dicta sententia.

II.

Injustus incussus.

18 UT metus etiam gravis dirimat matrimonium requiritur, ut sit *injustus seu injustè incussus*, scilicet à tali, qui habet nullam potestatem incutiendi eum juxta *cit. c. consultation. &c. cùm locum de Sponsal.*

Secus est, si metus justè incuteretur v. g. à judice præcipiente stupratori virginis ut eam ducat sub gravi pœna excommunicationis, capitis, &c. *c. ex literis 2. de Sponsal.*: aut etiam ab homine privato v. g. parente virginis minitante stupratori accusationem, & pœnas debitas pro delicto procuraturum viâ justitiæ, nisi eam ducat: matrimonium eo metu tanquam justè incusso extortum erit validum, juxta communem DD. cum Sanchez *lib. 4. disp. 8. Connick. disp. 28. dub. 1.* Layman. cit. alii passim, & optimâ Dicastil. *hic disp. 6. dub. 5.*: rectè hinc inferens, valere matrimonium primò: quando tibi justè damnato capitis, &c. dicitur: aut morere, aut contrahe cum filia carnificis. Secundò: quando tibi in carcere in causa sanguinis detento dicit custos: dimittam te, si duxeris meam filiam. Tertiò quando medicus tibi desperato dicit: aut duc meam filiam, aut non medebor tibi. Quartò, simile est, si puellæ in aquis periclitanti & tuam opem imploranti neges succurrere, nisi tibi nubat, idemque in similibus: quia in his & similibus nullus metus injustè incutitur, sed ad summum negatur aliquid, alioquin ex charitate debitum. Contrà verò certè invalidum esset matrimonium, si judex vel parentes minentur tibi pœnam vel accusationem alterius antecedentis criminis, v. g. furti, adulterii, homicidii, &c. nisi talem ducas; metus enim erit injustè incussus, etsi enim illi habeant jus te sic accusandi vel puniendi, non tamen habent jus, te sic cogendi ad matrimonium. Communis apud citatos, etsi aliqui non improbabiliter oppositum teneant. Certissimè autem invalidum erit matrimonium, si parentes stupratori filiæ verbera vel mortem minentur propria authoritate inferendam, nisi quam primùm in matrimonium consentiat; nisi fortè eo metu posito postea liberè consentiat.

III.

Ad extorquendum ipsum Matrimonium.

19 TAndem, ut metus irritet matrimonium, requiritur, ut sit per se directè incussus ad extorquendum ipsum matrimonii consensum, ut hactenus semper supposuimus. Secus esset, si metus esset vel ab intrinseco, ut si quis in periculo mortis vellet ducere suam concubinam, aut damnatus ad mortem sponte offerat ducere filiam judicis vel carnificis, &c. ad conciliandum ejus animum vel in sui liberationem: vel ab extrinseco quidem incussus: at non ad matrimonium, sed ad alium finem, ut si quis injustè incarceratus, aut quamvis aliam vim vel injuriam passus, aut in stupro deprehensus à patre virginis, permittente jure civili, occidendus, sponte eligat matrimonium tanquam medium ad sui liberationem, &c. valida erunt matrimonia; quia ille metus etsi injustè incussus non est per se causa matrimonii sed merè per accidens & occasio tantùm, quatenus occasione talis metûs ad se liberandum ipsemet tale remedium eligit, quòd jura ipsa haud adimere debuerunt, ut omnes observant.

20 At quid si omnibus diligenter consideratis, dubium sit, utrum metus injustè incussus ad extorquendum matrimonium gravis censendus sit nec ne: adeoque an matrimonium irritum sit, an verò validum, quid præsumendum? Acriter disputant DD. Censeo cum Layman cit, *num. 4.* præsumendum pro valore matrimonii, quamvis enim magnoperè curandum sit, ut matrimonium in perpetua conjunctione consistens libera voluntate contrahatur, & ideo sponsalia, si quocunque etiam leviore metu injustè incusso celebrata sint, facilè dissolvi possunt ut *sect. sequent.* videbimus, postquam tamen matrimonium semel contractum est potius ut validum, quàm ut invalidum judicandum est; cum matrimonii causa sit favorabilis, idque partim propter reverentiam Sacramenti, partim quia reipublicæ & prolis interest, ut matrimonium non solvatur, nisi infirmitas vel nullitas appareat. Accedit, quòd postquàm contractus celebratus est, præsumptio stet pro ejus valore, nisi contrarium ostendatur, ut rectè probat Sanchez *lib. 7. disp. 37. num. 14.* Et hactenus quoad valorem matrimonii meticulosi, ad cujus nullitatem omnium consensu perinde est sive metus injustus incutiatur ab ipso altero contrahente, ut si stricto ense mortem mineris puellæ, nisi statim tibi nubat, sive à quocunque alio v. g. contrahentis patre, domino, judice, &c. prout in hactenus dictis advertere debuisti. Jam quoad licitum difficiliùs videndum.

IV.

Qualiter peccent ex metu contrahentes matrimonium?

21 ILlum, qui alteri talem metum injustum incutit ad extorquendum matrimonii consensum, peccare mortaliter contra justitiam, lædendo scilicet alterius libertatem in re gravissima, nimis clarum est. Insuper etiam ex tali metu injustè incusso contrahentem matrimonium peccare graviter videtur sequi ex communi sententia, nempe: omnem scienter contrahentem cum impedimento dirimente peccare mortaliter sacrilegio, annullando Sacramentum, de quo *cap. sequent.* cùm de peccatis conjugum. At in proposito specialiter mitiores sententias secutus breviter sic resolves.

21 I. Si ex tale metu contrahens verbotenus solùm fingat se consentire re ipsa non consentiens, peccat solo veniali mendacii peccato, non sacrilegio quasi annullans Sacramentum; quia nihil ponit, cui ex institutione Christi annexa sit ratio Sacramenti, sicut ponit & sacrilegè peccat, qui sine intentione fictè baptizaret infantem, ut consideranti patet. Verùm adverte, tunc matrimonium esse irritum ipso jure naturæ, non propriè ratione metûs, sed ratione fictionis, seu omnimodi defectû consensûs in matrimonio autem ex metu contracto verè adest aliquis consensus & vera voluntas accipiendi alterum in maritum; dicitur tamen non adesse, quia adest consensus solùm imperfectus, & involuntarius secundùm quid cum admixtione dissensûs ac involuntarii; vult enim contrahere metu compellente; at omninò nollet, si aliter metum & malum formidatum evadere posset.

22 II. Si ex metu contrahens solùm consentit in matrimonium ipsum sine animo consummandi, aut exercendi actus carnales, probabilissimè ne venialiter quidem peccat, saltem posito, quod metus solo jure Ecclesiastico dirimat matrimonium. Ita cum aliis Sanchez *l. 4. disp. 16.* Perez *disp. 22. sect. 5.* eòsque secutus Gobat *num. 246.* Ratio est; quia ex una parte præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto rigore, & quod in favorem metum passi institutum est, non debet cedere in ejus gravamen: Ex altera autem parte talis non irritat Sacramentum; quia adhuc non facit id, cui ex Christi institutione annexa est ratio Sacramenti; hæc enim ratio Sacramenti competit solùm contractui legitimo & validò, qualis ex Decreto Ecclesiæ non est contractus ex metu. Jam vides, aliud esse de Sacerdote certè mortaliter & sacrilege peccante, si ob metum mortis v. g. conferat absolutionem scienter homini indisposito; talis enim verè profert verba propria formæ Sacramentalis à Christo institutæ super indebitam materiam. At, nónne consentiens in matrimonium dat alteri potestatem sui corporis? sed per matrimonium invalidum non potest dari potestas corporis; hoc enim esset consentire in copulam fornicariam: ergò peccat mortaliter. R. Distinguendo: dat potestatem licitè, sed non validè; quia alter nequit ob nullitatem matrimonij hac potestate uti, eo modo, quo viator latroni fortè mortem minitanti dat pecuniâ licitè, sed non validè; quia defectu juris non potest eam latro retinere.

23 III. Qui ex metu gravi init matrimonium, sciens tale matrimonium esse nullum cum intentione illud consummandi seu exercendi actus permissos veris conjugibus, peccat mortaliter. Expressè *Inquisitioni. 44. de Sentent. Excommun.* Ratio nimis clara est; quia habet intentionem exercendi actus fornicarios, cùm durante illo metu non possit consistere verum matrimonium, sed maneant merè soluti, quare potiùs debet mori, quàm præstare talem consensum. Quid ergò aget talis puella v. g. tali metu coacta ad nubendum à patre, judice, &c. R. Vel consentiat sponte, ita ut metus non sit ampliùs proxima causa, sed tantùm occasio consensûs: vel consentiat in matrimonium, non verò in copulam, juxta dicta *num. 11.* vel tandem potiùs subeat mortem, quàm præstet talem consensum, quippe fornicarium & intrinsecè malum.

24 IV. A fortiori ergò qui vel quæ ex tali metu contraxit matrimonium, sciens esse invalidum, peccat mortaliter consummando vel exercendo actus carnales, cùm sint veri actus fornicarii, nisi, posito metu, matrimonium ratificet novo consensu vel expresso vel tacito, scilicet affectu maritali admittendo copulam seu commercium carnale. *Omnes.* Et licet conjux talis habeat commercium tale carnale cum putatitio marito, non tamen hinc mox sequitur, matrimonium ratificari & validari per tale commercium ut omnes observant. Ratio est; quia inprimis fieri potest, ut etiam ex solo metu pareat petenti tale com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

commercium : aut pareat ex errore, quòd putet valere matrimonium : aut denique consentiat in copulam ex mera libidine cogitans expresè non manere in tali conjugio, quibus casibus sanè copula non ratificat seu efficit matrimonium ex irrito ratum; neque enim potest ex irrito ratumfieri, nisi per consensum liberum. Quòd si verò copula habeatur ex sincero affectu maritali, tunc hoc ipso consentitur, vel consensum fuit in id conjugium; nec enim potest adesse affectus verè conjugalis sine tali consensu, qui scilicèt tunc primùm eliciatur vel elicitus sit anteà, saltem in ipsamet præparatione ad copulam carnalem, ut bene explicat Dicastil. *disp. 2. dub. 14.* Denique expresè decisum est *c. Ad id quod. 21. De sponsal. & Matrimon.* Si aliqua puella annum unum cum dimidio vixit in tali coacto conjugio cohabitans quietè marito, est tam firma præsumptio, quod affectu maritali cohabitaverit, ut etiamsi possit clarè probare, se ex metu contraxisse, non tamen admittantur ejus probationes; quia scilicèt, si non placuisset illud matrimonium aufugisset intra tantum temporis puella nondum trecennis. De hoc satis.

25 Sed jam restat difficilior quæstio omninò practica : Quid si quis vel quæ ex tali metu injustè incusso, eòque ipso jam nulliter, contrahat matrimonium, insuper irretitus alio impedimento dirimente eòque aut juris Ecclesiastici v. g. affinitate occulta : aut juris Divini v. g. ligamine alterius matrimonii occulti ? Matrimonium si contractum foret dupliciter nullum, tutè vides. Quoad peccatum, dictis conformiter sic resolves. 1. Si fictè absque ullo interno consensu contraxit, peccavit solo veniali mendacii peccato. 2. Si sic contraxit animo utendi conjugio, peccavit mortaliter 3. Si absque tali animo contraxit consentiens solùm inefficaciter in ipsum matrimonium siquidem impedimentum aliud sit juris Ecclesiastici, ut dicta affinitas, ne venialiter quidem peccavit ob eandem semper rationem, quæ suprà data est; nam duo impedimenta non operantur plus, quàm unũ in ordine ad peccatum : etsi difficiliorem reddant dispensationem. 4. At verò, si aliud impedimentum præter metum dirimens esset juris Divini seu naturalis : ut dictum ligamen alterius matrimonii, tunc te peccare mortaliter cum pluribus docent Perez *disp. 22. Sect. 5.* Gasp. Hurtado *disp. 12. difficult. 4.* quia, ajunt, tunc contrahere est intrinsecè malum, quippè contra jus naturæ prohibent tale matrimonium. Contrà tamen etiam tunc ne venialiter quidem peccare cum aliis docent Sanchez *l. 7. disp. 5.* Coninck *dis. 30. num. 19.* Castro Palao *disp. 2. de Sponsal. dub. 11.* & probabiliorem indicat Tambur hic *tract. 1. c. 17. §. 2. num. 5.* Ratio est; quia ex una parte etiam hic matrimonium non fit, neque ponitur id, cui annexa est ratio Sacramenti, adeoque abest Sacrilegium; Ex altera autem parte consensus ille inefficax in matrimonium ex ipso illo gravi metu sufficienter liberatur à peccato.

Urgebis cum Hurtado : attentare id facere; quod jure naturæ prohibitum est (v. g. homicidium innocentis) est intrinsecè malum; sed matrimonium tale est jure naturæ prohibitum, ut supponimus; ergò illud attentare est intrinsecè malum : ergò excusari nunquam potest, ne ex gravissimo quidem mortis metu. ℟. Distinguendo majorem attentare id facere, quod jure naturæ prohibitum est, efficaciter cum animo volendo illud facere verè, est intrinsecè malum, concedo majorem : attentare illud solùm inefficaciter & cum animo illud nolendi facere, imò cum certitudine, quòd non faciet est intrinsecè malum semper, nego majorem; neque enim condemnabis cum peccati, qui metu mortis suæ adactus sic inefficaciter attentaret vel potiùs fingeret occidere innocentem v. g. jaciendo contra illum sagittam, sciens certò, nullum illi se damnum illaturum; quia ergò meticulosè contrahens cum tali impedimento scit pro certo, se nullum celebraturum matrimonium, illa non erit vera attentatio matrimonii, adeòq; erit actio digna, quæ à metu gravi excusari possit, à peccato. Cæterùm si sciens te nullum posse contrahere matrimonium, adhuc velles contra jus verè & efficaciter contrahere, tunc non est mirum si pecces mortaliter, cujuscunque juris sit impedimentum Divini vel Ecclesiastici : hoc enim esset, nolle obedire Ecclesiæ, animum fornicandi habere. Tandem, quid si prædictus impeditus jure naturæ putaret se verè contrahere posse, & propterea metu coactus contraheret ? ℟. Hunc multò minùs peccaturum ; quia bona fides, cùm inculpabilis sit eum inculpabiliter ignorantem excusat, quamdiu durat, etiamsi contraheret animo consummandi, & reverà consummet ; ea tamen bona fide ablatâ, ipsum se gerere non posse ut conjugem, nimis clarum est. Sed de hoc plura *c. 2.* de peccatis conjugum.

§ IV.

RAPTUS.

26 RAptus generatim, ut peccatum speciale luxuriæ contra sextum Præceptum definitur : *adductio violenta fœminæ cujusdam de loco ad locum causâ libidinis exercendæ, vel etiam matrimonii contrahendi.* Hoc crimen jure civili morte punitur, si rapta fœmina honesta fuerit. Concil. autem Trident. *Sess. 24. c. 6. De Reformat. Matrimon.* sic habet : *Decernit Sacra Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat. Et nihilominùs raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium aut favorem præbentes sint ipso jure excommunicati ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces : Et, si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter abitrio judicis dotare.*

Hæc

Hæc Concil. Trident. Nota obiter : præter impedimentum dirimens & communicationem latæ sententiæ, reliquas pœnas non incurri, nisi post sententiam judicis, ut ultimis verbis etiam Concilium innuit. Videndum nunc, qualis raptus inducat hoc impedimentum dirimens, de quo solo nobis sermo.

27 *Regula* : Raptus propriè dictus & impedimentum jure novo dirimens matrimonium, *est violenta abductio puellæ ex potestate parentum, vel quasi parentum* (tutoris, curatoris, mariti, fratris, &c.) *ad alium locum matrimonii contrahendi causâ.* adeóque tres requirit conditiones : quarum una deficiente, non erit impedimentum dirimens.

I. Requiritur *violentia* aliqua adhibita; quòd si enim insciis parentibus vel tutoribus puella volens vel consentiens abducatur, ita ut neque puellæ ipsi, neque parentibus vis inferatur, licèt his adhuc injuria fiat, non erat raptus ; quia raptus, sicut & rapina, violentiam continet, ut ex communi notat Navar. *l. 5. Concil, 3. num. 1. De raptor.* Sanchez, *l. 7. disp. 12. num. 36.* Layman. *part. 3. c. 13. num. 2.* Quin si post tractatum de matrimonio legitimè contrahendo, vel sponsalia jam contracta sponsa jam consentiens, de domo patris vel tutoris, etsi inviti & reclamantis, abducatur, non esse raptum, nec matrimonium impedire, respondit *Lucius 3. c. Cùm causam de raptor.*

At, quid si sponsa pœnitens tunc invita per violentiam abducatur? Adhuc esse raptum matrimonium dirimentem affirmat Sanchez *disp. 13. num. 15.* alii complures. Consentio cum Gobat *cas. 19. num. 554.* Si sponsa habeat justam causam resiliendi. Negant verò Henriquez, Rodriq. Lessius. Barbosa. alii cum Tambur. *l. 7. in Decalog. c. 6. §. 2. num. 15.* eò, quòd non sit abductio strictè injuriosa, eam sibi accipere, quæ sibi legitimè promissa est. Etiam consentio, si sponsa non habet justam causam resiliendi.

28 II. Requiritur violenta abductio per violentiam illatâ ipsi puellæ, quòd si enim puellam sponte & liberè consentiat ad abeundum & nubendum, & violentia solùm inferatur ipsi parenti vel tutori, &c. etsi adhuc dicatur raptus in jure *c. de Raptor. 38. q. 1.* & esse adhuc impedimentum affirment communiùs *DD. Navar. Henriq. Rodriq. Sa*, alii cum Layman. *cit. num. 5.* Probabiliùs tamen negant *Sanchez cit. num. 3. Coninck. disp. 41. num, 48. Perez disp. 38. Sect. 4. Escob.* alii cum Gobat *num. 546.* nec improbat Layman. Ratio optima est ; quia præterquam, quòd odiosa restringenda sint, Decretum Tridentini non attendit, nisi libertatem matrimonii : at hæc nullo modo læditur, quando puella liberrimè consentit, esto declament parentes etiam violentiam passi; neque enim libertas matrimonii in filia, quam Concilium urget, ullo modo dependet à voluntate parentum.

29 III. Requiritur violenta abductio puellæ ad

contrahendum matrimonium; nam si violenter abducatur solùm ad libidinem exercendam sine ordine ad matrimonium, etsi adhuc raptus sit quoad culpam, non tamen esse raptum proprie dictum, & impedimentum matrimonii, contra Bonacin. & plures alios, rectiùs docent Sanchez *cit. disp. 13.* aliique permulti cum Tamburi *cit. num. 11.* & Gobat *supra.* Ratio est; quia Concilium eo Decreto nihil intendit nisi libertati matrimonii providere; ergò agit de solo raptu & violenta abductione puellæ ad contrahendum matrimonium.

De puellæ vel fœminæ violento raptu sem- 30
per sermo est. Quid si ergò fœmina virum rapiat matrimonii causâ? habebitne locum Decretum Concil. Trident. & matrimonium dirimet? Affirmant quidem nonnulli; rectè autem negant Dicast. & Escob. apud Gobat *num. 543.* & noster Herincx. Ratio est; quia Concilium loquitur expresè de solis raptoribus, nihil de raptricibus, nec solent leges statui de casibus rarissimis; est autem rarissimum, quòd mulier per se aut per alios rapiat virum per vim ad matrimonium contrahendum, etsi sæpè rapiant ad libidinem. Vide Diana *part. 10. tract. 16. Resol. 84.* pro utraque parte referentem.

IV. Quoad impedimentum hoc incurrendum, 31
vel in quas pœnas raptoris, perinde est, si quis per se ipsum sive per alium de suo jusso vel consensu rapiat fœminam matrimonii causâ; quin alter executor excommunicationem aliàsque pœnas & ipse incurret tanquam auxiliator & fautor sceleris; non item contrahet impedimentum dirimens respectu illius fœminæ, sed validè poterit inire matrimonium cum eadem ? quia nullitas matrimonii solùm infertur contra rapientem pro se, non contra rapientem pro alio. Quare si quis, te omninò ignorante vel nullo modo consentiente, pro te rapiat fœminam, neque tu, neque ille alter impedimentem, aliáve pœnas incurret : non tu ; quia non es raptor: non alter; quia non rapuit pro suo matrimonio, de quo casu solo loquitur Concilium Tridentinum, hujúsque Decretum, quod cum sit odiosum & pœnale, non est extendendum ultrà verba; unde tam tu, quàm alter, qui rapuit, poterit valdè contrahere matrimonium cum eadem muliere rapta, etsi non separatâ. Ita cum aliis Sanchez *disp. 13. num. 2.* Tambur. *l. 7. Decalog. cap. 6. §. 2. num. 16.*

§. V.

CLANDESTINITAS.

32 MAtrimonium clandestinum, id est, inter solum & solam mutuo consensu de præsenti contractum sine Parocho & testibus, olim jure antiquo quidem validum erat, sed illicitum & severissimè prohibitum multis sacris Canonibus relatis apud *Sanchez*, *Layman*, & alios. Modò verò novo jure Concilii Trident. omninò annullatum est, & clandestinus ejusmodi consensus pro impedimento dirimente declaratus; sic enim habet Concilium *Sess. 24. c. 1. De-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Reformat. Matrim. Qualiter, quàm præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentarunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit & hujusmodi contractus omninò irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit, & annullat. Ratio est; quia licèt spectato jure naturali & divino per se nec invalidum, nec illicitum sit matrimonium clandestinum, tamen per accidens propter innumera incommoda, plurima scandala & occasiones peccandi, Ecclesia, cujus juri matrimonia ratione Sacramenti annexi subdita sunt, ad publicam utilitatem animarum potuit ejusmodi clandestina matrimonia infirmare, & fideles inhabiles reddere, qui sic clam contrahere attentant; quemadmodum & respublica civilis contractus quosdam vel simpliciter, ut pupillorum, vel certa solemnitate destitutos ob justam & publicam causam irritos reddit & annullat, etiamsi alias jure naturali per se spectato irriti & illiciti non essent, ut patuit alibi De Contract. & Ultima Voluntate *Tr. 6. Decal. c. 2. & 3.*

33 Decretum hoc Trident. clandestinas nuptias annullans, & Parochi, testiúmque præsentiam requirens, solùm obligat in locis Catholicorum, ubi illud Concilium promulgatum & receptum est, & non se extendit ad ea loca Catholicorum & Hæreticorum, in quibus nunquam promulgatum & receptum est, ut insinuat ipsum Concilium eodem c. 1. decernens, ut Decretum in unaquaque Parochia robur habere incipiat post triginta dies à die prima publicationis.

Quare Catholici valide matrimonia contra-
34 hunt in terris hæreticorum coram Prædicante, ubi illud Concilium nunquam promulgatum fuit: imò etiamsi in talibus locis illud Decretum promulgatum fuisset, modò tamen, expulsis Catholicis, non adsunt proprii Pastores; cùm enim iis locis Decretum servari non possit, non est existimandum, libertatem validè contrahendi ibi fidelibus ablatam esse, ut sæpiùs jam respondit S. Congregatio Cardinalium Officii, apud RR. *Tambur. Gobat. Herincx.* & alios.

Insuper licèt in civitatibus Germaniæ cives
35 Catholici permixti cum hæreticis reverà Episcopo subditi sint, ut Augustæ, Ratis bonæ, &c. tamen putandum non est, Decretum se ad matrimonia facta ibi sine Parocho extendere, adeòque matrimonia hæreticorum ibi sine Parocho Catholico, sive coram ministro hæretico celebrata esse valida, quippè sciente, nónq; contradicente, eóque ipso tacitè consentiente Summo Pontifici, ne multa ibi incommoda oriantur, quòd filii eorum legitimè nati non essent, ideóque non capaces officiorum vel sacrorum Ordinum, ut rectè docent DD. gravissimi Germani. Tanner. *tomo 4. disp. 8. quæst. 3. dub. 6.* Layman *tract. 10. part. 2. c. 4. num. 7.* Dicastil. *disp. 13. de Matrimonio dub. 10. num. 84.* Bonagratia Habsensis apud Gobat *cas. 18. num. 460.* acriter quidem repugnantem, tandem tamen pro praxi consentientem. Hæc quoad necessitatem, jam quoad qualitates & requisita ejusmodi Parochi & testium necessariò pluribus agendum *Sect. 3.* cum de sacramenti matrimonii solemnitate.

Cæterùm quoad Sponsalia Concilium ni- 36
hil innovavit, adeóque etiam clandestina inter solum & solam facta valida manent, quamvis in foro externo ad fidem adhibendam testes adhibere consultum sit, & valdè laudabiliter in plerisque Germaniæ locis præter utriúsque sponsi parentes & amicos adhibetur etiam Parochus ad majorem solemnitatem & fidem. At, quid si 37
sponsi in tali sponsalium contractu præsente Parocho & testibus utantur verbis de præsenti (prout revera sæpe utuntur, & ipse semel præsens attonitus audivi) *accipio te in meam*: eritne jam matrimonium ratum, ut consummari liceat, cùm nihil desit requisitum ad matrimonium etiam novo jure Trident.? R. negativè Navar. 38
cap. 12. num. 79. & Layman *cit. c. 4. num. 15.* quia præsumi non debet, sponsos voluisse matrimonium contrahere cum peccato, nondum præmissis denunciationibus sub gravi obligatione requisitis, adeóque licèt utantur verbis de præsenti (quod tamen cavere præmonendi sunt à Parocho vel peritis) præsumuntur tamen velle sponsalia contrahere more debito & communi aliorum: licèt, ponamus, sponsorum expressam intentionem fuisse, matrimonium ipsum contrahendi, contrahere tamen non potuerunt jure novo, si hanc voluntatem & intentionem Parocho & testibus præsentibus non significarunt, quippè qui non matrimonii, sed solùm sponsaliorum causâ intersunt; quòd si tandem & ipsis ea sponsorum intentio constiterit, dubium non est, matrimonium fore validum., cùm nihil ad valorem desit, certè tamen mortaliter illicitum, ideóque specialibus pœnis subjectum; nam si aliàs, servatis servandis, cum impedimento occulto dirimente contraxissent bona fide, & ipsi facilè obtinent dispensationem à Papa, & in certò casu ab Episcopo, & fiiii tali matrimonio occultè invalido suscepi legitimi censebuntur; at verò, si trinæ denuntiationes præviæ, aliæque solemnitates omissæ sunt, & ipsi postea spe dispensationis privantur, & filii privilegio legitimationis carere debent. *c. cùm inter. &c. Et tenore. Qui filii sint legitimi.*

CLASSIS II.

Impedimentorum.

LIBERTAS OBLIGATA ALteri, Continet quatuor impedimenta: *Votum, Ordo, Ligamen, Honestas.*

SUMMARIA.

39. *Votum solemne castitatis*
40. *Dirimit matrimonium contrahendum.*
41. *Jure Ecclesiastico tantùm.*
42. *Ac eodem jure dissolvit matrimonium ratum tantùm*
43. *Votum simplex castitatis non dirimit.*

44. *Ordo Subdiaconatûs etiam dirimit matrimonium contrahendum (non tamen dissolvit ratum)*
45. *Jure Ecclesiastico tantùm, seu*
46. *Immediatè ex lege & ordinatione Ecclesiæ.*
47. *Non ex voto ordini annexo.*
49. *Ligamen seu Vinculum Matrimonii cum conjuge adhuc vivente, dirimit matrimonium jure naturali & divino cum quovis alio contrahendum.*
50. *Unde neuter conjux ad secundas nuptias transire potest, nisi habitâ notitiâ moraliter certâ de morte alterius. Quanta notitia requiratur in foro externo.*
51. *Et quæ sufficiat in foro interno.*
52. *Corollaria.*
53. *Impedimentum publicæ honestatis quid, & quousque dirimat?*
54. *Oritur ex sponsalibus validis.*
55. *Inter sponsum & consanguineas sponsæ, ac vicissim, in primo gradu, non ultra.*
56. *Estque perpetuum, nec cessat per mortem sponsæ.*
57. *Resolvuntur varia.*
58. *Oritur etiam ex matrimonio rato tantùm, nondum consummato usque ad quartum gradum inclusivè.*
59. *Etiam ex tali matrimonio invalido,*
60. *Secus, si sit invalidum ex defectu ipsius consensus.*

§. IV.

VOTUM.

39 VOtum solemne castitatis emissum in professione Religionis approbatæ dirimit matrimonium contrahendum jure Ecclesiastico tantum, eòdémque jure dissolvit matrimonium ratum nondum consummatum. Certum apud omnes.

44 I. Dirimit matrimonium contrahendum. Certum de fide, definitum in variis Conciliis, Sanchez, Layman, alii, & novissimè in *Trid.* Sess. 42. de sacram. Matr. Can. 9. *Si quis dixerit, clericos in sacris constitutos vel Regulares solenniter castitatem professos posse matrimonium contrahere contractúmque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto, anathema sit* Idem habetur *c. Unico. De voto in 6.* docéntque DD. Orthodoxi omnes, ac etiam Sancti Patres, & speciatim D. Hieronym. *l. 2. contra Jovinianum c. 7.* D. August. *in Psalm. 38. & Epistola 6. ad Theodorum Monachum*, ubi nuptias à monachis & monialibus contractas incestuosas & adulteras appellant. Quin & jure civili Jovinianus Imperator. *leg. 5. C. De Episcopis & Clericis*, statuit, *si quis non dicam rapere, sed attentare tantùm jungendi matrimonii causâ Sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœna puniatur.* Ratio datur; quiaqui se totum tradit uni, non potest se tradere & obligari alteri, atqui homo per votum solemne castitatis corpus tradit uni, scilicèt Deo totum, Ecclesia Dei nomine solemniter acceptante: ergò non potest illud corpus tradere alteri in matrimonium, consequenter dirimit matrimonium contrahendum. Quâ ratione quidam contendunt, hoc impedimentum dirimere jure naturali vel divino. Sed dicimus

41 II. Dirimit jure Ecclesiastico tantùm, non naturali, vel divino. Communis DD. cum Scot. *in 4. d. 31. & 42.* & latè probat Suarez *Tomo 3. de Religion. l. 2. c. 6. & 7.* Sanchez *l. 7. disp. 26.* Pontius *l. 7. c. 22.* Perez. *disp. 26.* Herincx *disp. 6. quæst. 5. num. 43.* Ratio est; quia de jure Ecclesiastico constat abundè jus autem naturale, vel divinum ex nullo capite ostendi potest: nam ecce votum solemne non dirimit jure naturali vel divino 1. quatenùs votum est; nam votum simplex est ejusdem rationis, & æquè obligat apud Deum, ac votum solemne, ut docet Cælestinus III. *c. 3. Titul. Qui clerici vel voventes*, &c. & tamen votum simplex non dirimit: ergò &c. 2. Non quatenùs solemne votum est; quia ipsa solemnitas voti est solùm juris Ecclesiastici & introducta ab Ecclesia, juxta *cit. c. unicum. De voto in 6.* & Bullam Gregorii XIII. infrà allegandam. Adde: vix aliter explicari commodè potest solemnitas ista, nisi per vim dirmendi matrimonium huic voto ab Ecclesia adjectam. 3. Non dirimit etiam in quantum est traditio facta Religioni, & hæc per solemnem professionem acceptatam acquirit dominium aliquod in Religiosum professum; quia dominium illud non repugnat, sed stat cum vinculo maritali quantum est de jure naturæ, ut patet in servo matrimonium contrahente, ac in ipsis conjugibus tunc post matrimonium consummatum mutuo consensu Religionem profitentibus manet indissolutum vinculum matrimonii, adeo ut facta dispensatione super voto, absque novo contractu matrimonio priori uti possint, ut omnes fatemur: quòd si ergò vinculum matrimoniale stat cum professione posteriùs emissâ, quid ni etiam stet professio prius emissa, cum vinculo matrimonii posteriùs contrahendi, quantùm est de jure naturæ: ergò fatendum est, diremptionem esse solius juris Ecclesiastici.

III. Eodem jure Ecclesiastico tantùm votum 42
solemne dissolvit matrimonium ratum tantum, etiam quoad vinculum, ita ut altero conjugum legitimè professo, alter vinculo solutus ad vota alia transire possit, de hoc *Sect. 3.* Cùm de matrimonii indissolubilitate.

IV. Votum simplex castitatis etiam perpetuæ 43
non dirimit, quia per illud tantum promittitur Deo corpus, & non actu traditur, sicut in voto solemni. Excipitur communiter unicus casus: si uxor in sæculo manens, continentiam vovens marito dedit licentiam Sacrum Ordinem suscipiendi, eo defuncto, nè validè quidem ad secunda vota seu nuptias transire potest, uti ex *C. quia sunt. dist. 28.* docet *Sanchez l. 7. De matrim. disp. 40.* quem vide. Item ex speciali constitutione Pontificia Gregor. XIII. in Bulla incipiente: *Ascendente Domino.* vota simplicia biennii in Societate JESU matrimonia contrahenda dirimunt; de quo viderint ipsi.

§. VII.

ORDO.

ORdo sacer *Subdiaconatûs*, &c. dirimit matri- 44
monium contrahendum (non item dissolvit matrimonium ratum) jure Ecclesiastico tantùm, & immediatè; & non, certè non semper ex voto annexo sacro Ordini, in communi sententia. Explico.

I. Dirimit matrimonium. Certùm de fide ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concilio Tridefit. supra allegato *seſſ. 24. c. 9.* habetur variis ſactis Canonibus. *c. nullus Miſſam. c. præter hoc. diſt. 32. & c. 2. qui clerici vel voventes. c. un. de voto in 6.* docétque communiſſima DD. cum D. Thoma, *Scot. in 4. d. 37.* ac late probant Azor, Sanchez, Bellarm. alii Theologi & Controverſiſtæ.

Non autem diſſolvere matrimonium ratum, habetur expreſsè *Extrav. antiqua Joann. XXII.* ſi maritus ante matrimonii conſummationem ſacrum Ordinem ſuſcipiat abſque conjugis licentia, & non ſicut ſacris Canonibus definitum eſt, irregularem fieri, atque monendum, non tamen cogendum, ut Religionem profiteatur; ſi nolit uxori repetenti reſtituendum eſſe, ut matrimonium cum ea conſummet, ſcilicet reddendo debitum, ſed non exigendo, ut notat, *Gloſſa* ibidem. Quòd verò Eccleſia ſtatuat per profeſſionem Religionis matrimonium ratum dirimi, non item per ſuſceptionem Ordinis ſacri, ratio diſparitatis datur; quia per profeſſionem fit perfecta traditio ſui ipſius, & reciproca obligatio cum Religione, adeóque velut alterum matrimonium ſpirituale, cui meritò carnale initum cedere debeat, qualis perfecta traditio nulla reperitur in ſuſceptione ſacri Ordinis. Cæterùm tam Religioſi, quàm Clerici in Sacris matrimonium contrahere præſumentes, atque etiam moniales nupturientes, vel nubeir attentantes, incurrunt excommunicationem ipſo facto; *Clementina unica, de conſanguin. & affinitate*: incidunt in irregularitatem bigamiæ ſimilitudinariæ, & poſt ſententiam etiam privationem beneficiorum. *c. decernimus. diſt. 28.*

II. Dirimit jure Eccleſiaſtico tantùm. Communiſſima DD. cum Scot. ſupra; nam jus di-
45 vinum nullum extat, neque oſtendi poteſt jus naturale; non enim dirimit matrimonium ſacer Ordo ratione ſui ipſius, ut patet in Græcis, certè alioquin iis etiam Catholicis & cum Eccleſia Romana communionem habentibus non permitteret uſum uxorum. Neque dirimit jure naturæ ratione voti in communi ſententia ſacro Ordini annexi ſaltem implicitè, quia votum etiam ſolemne expreſſum profeſſionis religioſæ jure naturæ vel divino non dirimit matrimonium contrahendum, ut §. *præcedenti* oſtenſum; ergò multò minùs illud votum implicitum annexum ſacro Ordini, ſed utrumque ſola lege Eccleſiaſtica. Sed quæſtio nunc eſt: utrum hac ipſa lege Eccleſiaſtica impedimentum ſacri Ordinis ſit immediatè ex lege & ordinatione Eccleſiæ, an verò ex voto annexo ſacro Ordini? Jam dixi.

III. Dirimit immediatè ex lege & ordinatio-
46 ne Eccleſiæ. Eſt etiam communis DD. cum Scoto ſuprà: & apertiſſimè Concil. Trident. *cit. c. 9.* anathemate percellens dicentem: *Clericos in ſacris conſtitutos, aut Regulares ſolemniter profeſſos poſſe licitè & validè contrahere matrimonium, non obſtante lege Eccleſiaſtica*, ſcilicet quoad Clericos: *vel toto*, ſcilicèt quoad Religioſis profeſſos; claro & pleniſſimo ſenſu. Aut ſecundum aliam interpretationem: Ecclaſia ibi duo definit, nimirùm, Clericos in Sacris, & Religioſos profeſſos non poſſe nec licitè, nec valide matrimonium contrahere: & utroſque non validè; quia obſtat lex Eccleſiaſtica: non licitè; quia in utrisque obſtat votum, ita ut in utrisque impedimentum quidem dirimens ſit ex lege & ordinatione Eccleſiæ, obligatio verò caſtitatis integræ ſervandæ ſit ex voto ſolemni à Religioſo quidem profeſſo ſemper explicitè; à Clerico autem ſacrum Ordinem ſuſcipiente ſaltem implicitè emiſſo. Hunc ſenſum & ſententiam alibi ſecutus ſum. Quare ſicut quis ob affinitatem v.g. contractam cum alia, immediatè ex inſtitutione Eccleſiæ ſit inhabilis ad nuptias ob affinitatem prohibitas; ſicut etiam ob ſacrum Ordinem ſeriò & liberè ſuſceptum ex eadem inſtitutione Eccleſiæ immediatè quis ſit inhabilis ad contrahendum matrimonium.

IV. Non ergò, certè non ſemper impedi- 47
mentum hoc provenit ex voto; nam inprimis illud votum ſolemne caſtitatis annexam ſacro Ordini, tanquam nullo certo fundamento nixũ, negant ſimpliciter, atque adeò ipſam totam obligationem ſervandæ caſtitatis ſacris Ordinibus adjunctam non aliquo voto, ſed præcisè ex præcepto Eccleſiæ provenire probabiliſſimè docent cum Scot. cit. plures Juriſtæ & Theologi, eósque ſecuti Averſa hic *quæſt. 4. ſect. 7.* & latè Herincx de ſacro Ordine *diſp. 10. quæſt. 10.* & probabile faſetur Gobat hîc *caſ. 13. num. 272.* Deinde ſi quis ſuſcipiat ſacrum Ordinem, volens quidem ordinari, at vel ſimpliciter nolens vovere, nec promittere, nec ſervare caſtitatem, vel nihil prorſus ſciens de voto hoc, nec intendens ordinari, ſicut alii, validè utique ordinatur, & impedimentum dirimens contrahit, imò & caſtitatem integram ſaltem extraneam ſervare tenetur; at certè nullum votum nec explicitè nec implicitè emitit. Quòd autem ſemper teneatur vovere caſtitatem, & ſatis gratis dicitur & interim antequam voveat, ratione voti nondùm habiti à matrimonio impediri non poteſt, nec interim contra votum peccare poteſt, cum nondum ſit emiſſum; ſicut qui vovit Religionem ingredi, interim antequam ingrediatur contra caſtitatem delinquens, votum nondùm emiſſum minimè violat: ergò non certò, nec ſemper hoc impedimentum oritur ex voto annexo ſacro Ordini.

Conſequenter nec certò Subdiaconus vel Sacerdos ſolo interno actu, conſenſu vel delectatione morosâ venereâ contra caſtitatem delinquens peccat peccato ſpeciali contra virtutem Religionis; ſicut peccat Religioſus voto ſolemni adſtrictus; quia in communi ſententia Eccleſia non poteſt præcipere vel prohibere directè actum merè internum.

At tandem, quid ſi quis ex metu gravi injuſtè incuſſo (caſu ſanè non rarò in filiis familias) ſuſcipiat ſacros Ordines, non quidem omninò ficte

ſine omni conſenſu, vel ſinvitus (quo caſu certè tam Ordo, quam votum annexum, ſicut & profeſſio nulla eſſet) ſed cum conſenſu illo meticuloſo non ſine multo admixto involuntario? R. 1. Clarum eſt tam profeſſionem ſolemnem, quàm votum illud annexum Ordini ſacro fore nullum, ſaltem jure Eccleſiaſtico, æquè ac matrimonium carnale. 2. Validus nihilominùs erit ſacer Ordo; diſparitas grandis eſt; quia votum vel profeſſio eſſentialiter conſiſtit in actu voluntatis voventis, eóque ſimpliciter libero; Ordo verò eſt Sacramentum conſiſtens in actu Ordinantis requirensſolùm diſpoſitionem in ordinato, adeóque ſufficit quicunque voluntatis conſenſus, & quælibet etiam habitualis intentio. 3. In rigore loquendo, ſic ordinatus ex metu adhuc contrahit impedimentum dirimens matrimonium; quia hoc impedimentum dirimens, ut dictum eſt, ex ordinatione Eccleſiæ immediatè eſt annexum ipſi Ordini Sacro. Dico tamen: *in rigore loquendo*; nam valdè probabile eſt, Eccleſiam conjunxiſſe hoc impedimentum dirimens Ordini ſuſcepto modô ordinariô: quare alibi ex communi DD. ſenſu dixi, talem per metum ordinatum nec teneri voto, quod certiſſimum: & liberè abſque diſpenſatione matrimonium inire poſſe, quod probabile omninò & tutum eſt. 4. Eodem rigore, ſi infans ordinatus eſſet Diaconus vel Sacerdos (validè at non licitè ut alibi) factus adultus, etiam adſtrictus eſſet impedimento; quia verè habet Ordinem ſacrum: attamen id meritò limitavit; dum diſpoſuit Eccleſia, ut adveniente uſu rationis optio detur, ut ſi velint ſtare in ſacro Ordine, ſtent, & deinceps excluſo matrimonio obligabuntur ad caſtitatem; quia per illam electionem ipſo facto ſubjiciunt ſe Eccleſiæ Præcepto; imò in communi Sententia caſtitatem ſolemniter vovere cenſentur implicitè; Si verò ſtare nolint, ducant uxores, ut lubet, ſed Sacerdotio vel ſacro Ordine non utantur.

Concludo caſu heteroclito. Quidam igna-
48 rus Sacrorum Canonum ſuſcepit Ordines Minores credens, jam & ipſius annexum eſſe votum caſtitatis & impedimentum dirimens, priuſquam tamen ſuſciperet Subdiaconatum, duxit uxorem conſcientia graviter obmurmurante: poſteà dubitavit, an validè matrimonium injerit, nec ne? Certè non reputabitur inter ſtultos; nam matrimonium tale invalidum cenſent magni Canoniſtæ, *Joan. Andreas. Ancharanus. Butrius. Imola*, &c. Sed R. Peccaſſe quidem mortaliter ob conſcientiam erroneam de gravi peccato; at matrimonium ſine dubio fuiſſe validum eóque licitè uti poſſe depoſitâ conſcientiâ erroneâ; quia nemo poteſt emittere votum, quod privata authoritate vel errore poſſit dirimere matrimonium. Ita communis DD. cum Sanchez *l. 7. diſp. 31. num. 5.* Bonacin. Eſcob. Leander, alii, cum Gobat *caſ. 31. in fine.*

***

§. VIII.
LIGAMEN.

EST ipſum vinculum conjugum matrimo- 49
niale ortum ex matrimonio rato vel conſummato utroque conjuge vivente indiſſolubile; adeóque impedimentum dirimens matrimonium cum quocunque alio, vel alia quacunque contrahendum, alioquin verum adulterium futurum, ipſo naturali & divino jure prohibitum. Etſi enim olim polygamia Judæis ex ſpeciali privilegio permiſſa fuerit à Deo, modò tamen Chriſtianis interdicta eſt, tum jure divino, ut *Matt. 19. & Marc. 10.* ubi expreſſè mœchæ vel adulteri damnat Chriſtus relinquentes priorem maritum vel uxorem, & alteri nubentes; multò magis ergò priori conjuge retentâ, aliam ſuperducentes. Tum etiam jure Eccleſiaſtico, præſertim Concil. Trident. *ſeſſ. 14. c. 2. Si quis dixerit, licere Chriſtianis habere ſimul plures uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit.* De hoc latè Scholaſtici & Controverſiæ, quos conſulere potes. Nobis pro praxi, eáque difficillima, & non rara, ſolùm videndum: quanta certitudo requiratur de conjugis abſentis morte, ut alteri ad alias nuptias tranſire liceat, ac permitti poſſit à Judice, Parocho, vel Confeſſario.

Regula certiſſima. Neutri conjugem licet, 50
vel permitti poteſt quavis authoritate ad ſecundas nuptias tranſire, niſi habita notitia moraliter certa de morte alterius. Ita expreſsè Clemens III. *c. In Præſentia. De Sponſal. & Matrimon.* hoc textu. *In Præſentia noſtra quæſiviſti: Quid agendum ſit de mulieribus, quæ viros ſuos causâ captivitatis vel peregrinationis abſentis ultra ſeptennium præſtolatæ fuerunt, nec certificari poſſunt de vita vel morte ipſorum, licèt ſuper hoc ſolicitudinem adhibuerint diligentem & pro juvenili ætate ſeu fragilitate carnis nequeunt continere petentes aliis matrimonio copulari. Conſultationi ergò tuæ taliter reſpondemus: Quòd quantocunque annorum numero remaneant viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonicè convolare, nec authoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.* Hæc Clemens. Similiter Lucius III. Papa c. *Dominus. De ſecundis nuptiis*, decernit, ut nullus ammodò ad ſecundas nuptias migrare præſumat, *quoad conſtet*, quòd ab hac vita migraverit uxor ejus.

Qua nimirùm Conſtitutione Pontificia correctum eſt jus civile *L. Uxores ff. De divort.* ſtatuens: ut mulier, quæ de viri vita quinque annis nihil audivit & verè dubitat, poſſit poſt quintum annum alteri nubere. Et ſi quæ aliæ leges poſt certum annorum numerum id permittant, & vulgaris perſuaſio fuit, ut poſt ſeptem annos conjux, ſi nihil de altero conjuge audivit, poſſit ad alias nuptias convolare. Et ratio urgens eſt; quia quantocunque tempore certò non conſtat de morte conjugis, manet dubium: at in eo dubio poſſidet certa lex matrimonii, quæ ſervanda eſt;

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia, *in dubio factum non præsumitur, sed demonstrari debet.* Audisti: *Donec certum nuntium recipiant.* Ubi intellige: *nuntium* non masculinum, quasi unus nuntius etiam de visu testans, referensque de obitu conjugis absentis sufficiat, ut plures voluerunt apud Sanchez merito reprobantem; sed *nuntium* in neutro genere, id est, certam annunciationem seu informationem, vulgò gewissen Bericht / ut ipse significat Lucius Papa, *iquoad constet;* hoc enim verbum importat; ut constet per instrumenta, per testes plures de visu, aut per sententiam Judicis, seu authenticam Magistratûs testificationem, sic ut omne morale dubium excludat. Mascardus *De Probation. conclus. 75. num. 31.* & hanc moralem certitudinem necessariò exigit Judex Ecclesiasticus in foro externo, ut ad secundas nuptias transire permittat. Verùm quia in foro conscientiæ plerumque mitius agitur, ac tanta certitudo, tam certum *nuntium & constat* sæpè haberi non potest, videamus breviter: quid in particulari sufficere possit.

51 I. Si Parochus seu Rector Parochiæ testificetur de morte talis, vel exhibeatur ejus authentica fides, sufficienter probabitur mors conjugis; quia, hæc est probatio probabilis officialis seu per publicum instrumentum exhibita, quæ fidem moraliter certam facit.

II. Unus privatus testis etiam de visu seu oculatus per se non sufficit; quia unus tanti negotii rem certam non reddit & experientia docuit, etiam his temporibus per sæpè fefelliſſe. Ex communi *Tambur.* ibidem. Sufficit autem 1. Unus testis de visu omni exceptione major. Secundùm omnes. 2. Vir bonæ fidei, qui juratus deponit de morte conjugis. Abbas *in cit. c: in præsentia num. 6.* 3. Item vir bonæ fidei, qui sciat rationem reddere certæ suæ scientiæ vel causæ mortis, ut si in bello conflixerit, tali vel tali morbo correptus objerit, aliáve signa evidentia, testimonia, Instrumenta proferat. Communis. 4. Si cum uno teste de visu aliæ similes conjecturæ seu admiracula conjungantur, maximè, si per locorum distantiam major probatio speranda non sit. Ex communi Sanchez *l. 2. disp. 38. num. 2.*

III. Multò minùs sufficit unus vel plures testes de auditu tantùm, seu fama communis de morte talis conjugis; id enim nullo modo rem certam reddit; quòd si tamen rursùs fama conjuncta sit cum aliis non levis momenti indiciis vel conjecturis, testimoniis vel præsumptionibus, quæ licèt singula seorsim non sufficiant, omnia tamen simul juncta moralem certitudinem causant; uti, quia viri graves maximè de magistrati loci id asserunt; testis bonæ fidei occultus est; vir senex est; in acie conflixis; tempore pestis ægrotavit, quæ omnia simul juncta moralem certitudinem ac probabilem præsumptionem constituunt, uti plurimis citatit docent Navar. *c. 22. num. 53.* Sanchez, *l. 2. disp. 46. quæst. 2.* Layman. *tract. 10. part. 3, 6, 3. n. 1.* Tambur. *cit. num. 10.* ubi maximè valet prudentis judicium, adeòque in foro externo judicis arbitrio relinquuntur; in foro verò conscientiæ planè sufficere possunt.

IV. Multò minùs adhuc sufficit sola quantumvis diuturna conjugis absentia, ut constat ex S. Textu cit. lege Sanchez cit. *num. 2.* attamen si post longum tempus, etsi nec testis, nec fama adsit de morte conjugis adsunt autem alia magna indicia & conjecturæ rationabiles, probabilem, etsi non omninò certam præsumptionem causantes de more conjugis, an non pro foro conscientiæ sufficere possit? audi non me, sed germanum Layman *cit. l. 3. num. 2.* ubi narrato casu (quidam in amentiam ac furorem actus aliquoties, sibi necem inferre tentavit, postea vinculis constrictus fuit, ex quibus denique erupit, quò autem devenerit, licèt diligenter quæsitus, nulla ratione sciri potest, atque ab eo tempore octo vel decem anni intercesserunt) ita concludit: *Valdè probabilis est sententia Rosellæ, S. Antonini, Sylvestri, Chiliarchi, quòd mulier in tali casu non peccaret, si nemine se opponente ad secundas nuptias transiret. Quamobrem confessarius in conscientiæ foro id ipsi permittere, & Judex in foro externo, si post celebratas nuptias causam intelligeret, neque mulierem punire, neque a secundo viro separare deberet, donec cognitum esset priorem maritum adhuc vivere: idque apertè sumitur ex c. Cùm per bellicam. 34. quæst. 1. Si verò de carnali conjugio sit agendum, tamdiu alterutter conjugum exspectet, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumitur: Atqui in proposito omninò verisimiliter præsumitur. Et ratio est; quia in rebus moralibus, in quibus plerumque certitudo haberi non potest, homini ad actiones suas instituendas sufficere debet probabilissima, licèt nonomninò certa præsumptio.* Hactenus Layman.

Accipe adhuc unum & alterum. Titius maritus in locum valdè remotum abivit; unus unicus testatur, esse illum ibi mortuum, affértque sui dicti argumenta verissima, nec facilè possunt aliæ probationes mortis haberi. In hoc casu potest uxor aliter nubere, sic reflexè Sanchez, *l. 5. disp. 46. num. 5.* Item Cajus in longinquum locum profectus, Sempronius prælium ingressus, Titius jam senex, non amplius comparent, & fama est obiisse, &c. habetur sufficiens notitia de morte singulorum. Ita ex Navar. Sylvestro, Valent. Tanner. *hic disp. 8. quæst. 4. dub. 6. num.* 106. quos vide. Simili ergo casu occurrente confessarius non consultus quidem prudenter dissimulando permitteret ex mente Layman, & aliorum DD. nominatorum; at vero interrogatus vix positivè suadere poterit, multò minus Parochus matrimonio astiturus; post factum autem tutè dissimulandum erit.

Corollarium: quicunque ergò absque omni 52
ejusmodi morali certitudine ac probabilissima saltem præsumptione, temerè ac verè propriè dubius de morte prioris conjugis matrimonium aliud

aliud contraheret, (quamvis si revera prior conjux jam sit mortuus matrimonium valeret, ut contra Pontium & nostrum Marchant benè probat Barbosa cit. *c. Dominus;* cùm nihil planè juris tunc, vel jus ullum matrimonium irritet) omnium tamen consensu matrimonium sic dubiè contrahens peccat mortaliter, & ex parte sua ab usu matrimonii petendo abstinere debet, donec de morte conjugis satis constet, uti latè probat Lucius Papa cit. *c. Dominus Nullus ammodò ad secundas nuptias migrare præsumat, donec constet, quòd ab hac vita migrârit uxor ejus, si verò aliquis vel aliqua id hactenùs non observavit, & de morte prioris conjugis adhuc sibi existimet dubitandum, ei qui ipsi nupsit* (bona fide scilicet) *debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenùs exigendum. Quòd si post hæc de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur.* Et hinc

Econtra, habita quacunque morali certitudine, notitia vel præsumptione de obitu absentis conjugis, etiam per sententiam judicis, matrimonióque novo quantumvis bona fide contracto; si tamen revera adhuc vivit prior conjux, matrimonium secundum nullum est ex impedimento legaminis; ideoque habitâ certâ notitiâ de vita prioris conjugis, matrimonio secundo simpliciter abstinendum est síque is fortè compareat, conjugem suam sibi revocare debet, Damnata nimis esset hic compensatio.

53 At quid si deprehendatur tempore secundi matrimonii contracti quidem vixisse adhuc priorem conjugem modò autem certò constat, è vivis excessisse? ℟. Adhuc deserendus est thorus; quia adhuc matrimonium secundum fuit invalidum, & juxta regulam juris: *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit:* nec tenebuntur ullo jure secundum matrimonium novo consensu validare, si tamen suscepta esset una vel plures proles, omnino convenit, ut confirmetur illud matrimonium, nam hoc facit ad meliorem educationem prolis, & multas tricas evitandas, etsi non foret necesse ad legitimandam prolem; nam proles nata ex matrimonio bona fide putato legitimo ab utroque conjuge, in foro omni legitima habetur.

At quid si è contra de novo contrahens certò crederet, priorem conjugem adhuc vivere, reverà tamen jam vitâ functum? Dicam *Sect. 3.* de consensu de præsenti nimirum nullum esse matrimonium, si absolutè consentiant; cùm impossibilium etiam falsò creditorum, nulla fieri, aut esse possit voluntas efficax; validum autem foret, si contraxerunt conditionatè: si jam mortuus esset, si fortè possumus, &c.

§. IX.

PUBLICA HONESTAS.

54 IMpedimentum publicæ honestatis est propinquitas orta ex sponsalibus vel matrimonio rato tantùm inter sponsum ex una parte, & consanguineas sponsæ ex altera parte, ac vicissim viceversa, &c. jure ecclesiastico dirimens matrimonium contrahendum cum iisdem consanguineis sponsi vel sponsæ, de futuro in primo gradu tantùm; de præsenti verò in matrimonio rato usque ad quartum gradum publicæ honestatis gratiâ; quòd nimirùm parum honestum videatur, ut ij, qui jam matrimonium inter se fide data desponderunt, & maximè de præsenti contraxerunt, deinceps cum alterius utriusque consanguineis publicè contrahant, & commisceantur. Et dicitur etiam in jure ac Trident. mox citando *justitia publicæ honestatis,* quod scilicet videatur justum & æquum, decentiæ ac honestati publicæ congruum, ut inter se non copulentur matrimonio illi, quos impedimentum hoc publicæ honestatis arcet à matrimonio.

Impedimentum hoc dirimens introductum est jure ecclesiastico. *c. Juvenis. c. sponsum de sponsal. & matrimonio,* &c. 2. *si quis uxorem c. si quis desponsaverit. 27. quæst. 2.* & quidem jure illo antiquo extendebatur usque ad quartum gradum, utnimirùm irritum esset matrimonium contractum à sponso, seu viva seu mortua etsi nunquam carnaliter cognitâ sponsâ, cum ejusdem filia, nepte, abnepte, &c. sorore, patruele, consanguinea, &c. item matre, avia, &c. & sic econtra sponsa cum consanguineis sponsi. Idque decernitur *c. unico de sponsal. in 6.* sive sponsalia valida fuerint, sive invalida ex quacunque causa, præsertim ex defectu consensus. Verùm hoc nimis rigidum antiquum jus correctum est novo jure Concil. Trident. *sess. 24. c. 3. de reformat. matrimon.* ita statuente: *publicæ honestatis impedimentum ubi sponsalia quacunque ex causa valida non erunt, sacra Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerunt, primum gradum non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest ejusmodi prohibitio sine dispendio observari.* Hæc Concilium: loquens tamen de solis sponsalibus; nihil de matrimonio rato, ut patebit de utroque pauculis seorsim.

EX SPONSALIBUS.

EX solis ergò nunc sponsalibus validis ac legitimis oritur hoc impedimentum publicæ honestatis, non item ex quacunque ratione invalidis, ut loquitur Concilium. Ergòne etiam non ex sponsalibus fictis? ℟. Ita non oritur, ut contra Sanchez, & alios probabilissimè docet Repellus apud Gobat. *cas. 17. num. 368.* approbantem; est enim etiam promissio ficta aliqua ratione invalida, quippè minimè obligans ex justitia, sed solùm ex virtute fidelitatis externæ, qua homo tenetur sua verba conformare factis. Vide dicta de promissione. Adde: hoc impedimentum etiam oriri ex solis sponsalibus absolutis, non item ex conditionatis de futuro, conditione nondùm impleta; sic enim nondùm sunt vera sponsalia: at quando conditione impleta transeunt in absoluta, jam primùm inducent hoc impedimentum, ut observant. DD. communiter & infra etiam exemplum dabo. 55

II. Hoc impedimentum solùm oritur inter 56
sponsum

Universidad de Deusto
Biblioteca

sponsum & consanguineas sponsæ, ac vicissim,
57 & in primo gradu, non ultrà, ut expressè Concilium Ex. g. Titius contraxit sponsalia valida cum Caja ponitur solùm impedimentum dirimens, ut non possit matrimonium contrahere validum seu vivente adhuc, seu mortua Caja, cum ejusdem Cajæ matre, sorore; filia, cum omnibus aliis potest; & vice versa, Caja non possit matrimonium contrahere cum patre, fratre, & filio Titii; bene tamen utervis cum aliis consanguineis validè; at stantibus sponsalibus non licitè; nam sponsalia legitimè contracta cum una sunt impedimentum impediens respectu cujusvis alterius.

III. Impedimentum hoc ex sponsalibus perpetuum est, ut neque morte alterius vis sponsorum cesset impedimentum dirimens matrimonium contrahendum cum dictis consanguineis sponsi vel sponsæ: ut habetur expressè jure cit. *c. si quis uxorem desponsaverit vel subarrhaverit, quamquàm postea superveniente die mortis ejus nequierit eam ducere in uxorem, tamen nulli de consanguinitate ejus* (modò jure novo in primo gradu tantùm) *licet accipere eam in conjugem.* Idque repetit. *c. sequens* Controversia autem gravissima fuit hactenùs: an si sponsalia semel facta valida mutuo consensu vel alia justa causa legitimè dissolvantur, cesset hoc impedimentum? cessare docuerunt gravissimi DD. apud Tambur. *cit. c.* 11. §. 2. & Gobat *cas.* 15. Non cessare sine dubio probabilius jurique conformius docuerunt DD. communiùs cum Sanchez *l. 7. disp. 66. num.* 21. Layman *c.* 9. alii apud ipsos. Ratio est; quia cum ab initio valida fuerunt sponsalia, jam ortum fuit impedimentum: atqui impedimentum semel verè exortum minimè pendet à voluntate sponsorum, ut eorum libitu permaneat, vel cesset. Deinde in morte alterius sponsorum dissolvuntur sponsalia, & tamen tunc non cessat hoc impedimentū; paret ex claris juribus allegatis: ergò licet mutuo consensu solvi possint sponsalia non tamen ideo cessabit impedimentum. Respondent quidem satis commodè DD. oppositæ sententiæ apud Tambur. & Gobat. citt. ostendúntque eam sententiam probabilem; atque in praxi secutos fuisse aliquos Episcopos ac viros doctissimos & afferebatur pro ea Declaratio Cardinalium S. Officii; & fateor in duobus casibus me non fecisse scrupulorum pœnitentibus; sed quidquid fuerit de illa Declaratione sine dubio non authentica & sufficiente ad legem statuendam. Jam tamen priorem sententiam prorsùs evertit, & certam alteram Sanchezii reddit alia novissima & authentica Declaratio eorundem Eminentissimorum Cardinalium sub Alexandro VIII. apud Prosper. Pagnanum *in c. ad Audientiam. De sponsal. & matrimonio.* & Tambur. cit. *c. 9. num. 7.* ubi post narratum casum de Alphonso Rodriquez, qui post sponsalia contracta cum Isabella Ruiz, & in hujus gravi morbo, mutuo optimóque consensu, dissoluta, postea volebat contrahere cum ejusdem Isabella sorore Maria. Sic habetur:

Jubente sanctissimo Domino nostro propositum fuit in sacra Congregatione Concilii, an sponsalibus validè initio contractis, deindè mutuò consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum justitiæ publicæ honestatis: & dubio pluries proposito & maturè examinato, tandem sub die 6. Julii anno 1658. Eminentissimi Patres in antiqua ejusdem Congregationis sententia consentientes censuerunt: non esse sublatum. Cujus sententiæ una cum rationibus hinc inde deductis, & recentibus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, facta relatione ad sanctissimum, Sanctitas sua die 10. *ejusdem mensis, prædictæ Congregationis probavit conclusionem eámque jussit in dubium deinceps non revocari.*

Quæres curiosùle: nónne jam moveri potest prudens scrupulis illis, qui secuti priorem sententiam tantorum Virorum matrimonium contraxerunt cum sorore v.g. vel filia prioris sponsæ, sponsalibus prioribus solutis? R. Minimè: nam juxta *legem Barbarius ff. De officio Prætoris.* valet quilibet contractus, adeóque etiam maximè matrimonialis, ex allegata, prudentérque credita authoritate legis: atqui qui ex resolutione illorum Episcoporum & tantorum DD. sic matrimonium contraxerunt, id fecerunt ex allegata prudentérque credita authoritate legis, scilicet Declarationis illius quasi habentis authoritatem legis clarissimè loquentis, etsi reverà talis non fuerit: ergò valere debuerunt contractus illi. Denique leges & DD. toti sunt in tuendo matrimonii bona fide contracti valore, ne ex dissolutione gravissima oriantur incommoda. Lege Gobat *cas. 15. toto*, de hac re omnium, quos vid. optimè & practicè differentem.

58 IV. Ex dictis resolvendi sunt varii casus: hi, hisque similes. 1. Si Sempronius sponsalia contraxit cum Titia pura & absoluta, & postea contra fidem priorum sponsalium contraxit cum ejus consanguinea in primo gradu: Tam sponsalia, quàm matrimonium irritum est ob justitiam publicæ honestatis; nihilominùs adhuc potest, & debet ducere priorem sponsam, non obstantibus secundis sponsalibus cum consanguinea, si copula nulla intercessit: idque non solùm jure novo Trident. quia secunda sponsalia sunt invalida: sed etiam jure antiquo, ne detur mutua quasi reactio irritandi inter sponsalia priora & posteriora. *c. unico. De sponsal. in* 6. 2. Si Sempronius priora sponsalia contraxit cum Titia sub conditione pendente in futurum v. g. si parentes consenserint, si Papa dispensáverit, &c. & illa conditione nondùm impleta, absolutè contrahat cum ejus consanguinea, tunc ex neutris sponsalibus oritur impedimentum dirimens: non ex primis; quia ex sponsalibus conditionatis ante eventum conditionis, quia adhuc sponsalia simpliciter non sunt, non oritur impedimentum hoc, quin saltem validè cum secunda contrahere possit: neque ex secundis, utpotè illicitis & invalidis contra fidem priorum sponsalium; ex sponsalibus autem invalidis non oritur hoc impedimentum publicæ honestatis, ut dictum. De quo pluribus Sanchez, *l. 7. disp. 61.*

Huc refer casum recentem: quædam voto castitatis adstricta contraxit sponsalia cum Titio, qui re cognita libenter cessit; postea, impetrata dispensatione super voto, contrahit cum ejusdem Titii fratre juniore sponsalia, valebitne matrimonium? R. valere dupliciter: & quia prima sponsalia fuerunt invalida, & quia alter cessit. Quòd si tamen sponsalia prima fuissent conditionata: si à voto dispensata fuero: post impetratam dispensationem ipso facto fuisset ortum impedimentum dirimens, ideóque matrimonium secutum nullum. 3. Si Sempronius absolutè sibi despondit Titiam, & postea carnaliter cognoscat sororem ejus Cajam: neutram uxorem ducere potest: non Titiam ob impedimentum affinitatis: nec Cajam defloratam ob impedimentum publicæ honestatis. 4. Si Titius desponsavit sibi Cajam, & hanc uxorem duxit frater ejus Sempronius, matrimonio nondum consummato, Titius, etsi non teneatur ob fractam fidem, adhuc tamen si vult, potest ducere Cajam, quia priora sponsalia ob publicam honestatem annullantia sequens matrimonium, non possunt annullari vicissim à sequenti matrimonio, ut suprà notatum. Sed de hoc mox.

EX MATRIMONIO RATO,

I. EX matrimonio rato tantum, nondùm consummato, oritur impedimentum
59 publicæ honestatis usque ad quartum gradum inclusivè (sicut ex matrimonio consummato per copulam perfectam oritur aliud impedimentum affinitatis usque ad eundem gradum) ut si Titius contraxit matrimonium per verba de præsenti cum Caia, & nondùm consummavit, non poterit tamen idem Titius, seu viva adhuc seu mortua Caia, matrimonium contrahere cum ulla ex ejusdem consanguineis usque ad quartum gradum: similiter è contra Caia, seu vivo seu mortuo jam Titio, non poterit nubere ulli ex consanguineis Titii usque ad quartum gradum. Olim quidem jure antiquo utrumque impedimentum & publicæ honestatis ex matrimonio rato, & affinitatis ex matrimonio consummato, sicut & consanguinitatis extendebatur usque ad septimum gradum; verùm novo jure Trident. affinitatis & consanguinitatis impedimentis ad quartum gradum restrictis, intelligitur restrictum etiam à fortiori impedimentum publicæ honestatis.

II. Item impedimentum publicæ honestatis
60 oritur ex omni matrimonio rato seu per verba de præsenti contracto non tantùm valido, sed etiam invalido, præterquam, si esset invalidum ex defectu ipsius consensus: habètque se nunc eodem modo, quo olim jure veteri: juxta communissimam DD. (uno tamen vel altero apud Herincx cit. reclamante) nam Trident. suprà impedimentum hoc ortum ex sponsalibus, solùm restrinxit ad primum gradum & sponsalia valida tantùm: uti declaravit Pius V. *in Bulla ad Romanum Pontificem spectat. tit. de matrimon. & sponsal. in* 7. Quoad matrimonium autem ratum, manet in vigore dispositio juris antiqui, quo nascebatur hoc impedimentum, etiamsi matrimonium fuerit invalidum, dummodò non ex defectu consensûs. Quare si matrimonium tuum priùs fuit invalidum ex impedimento voti, sacri Ordinis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis, criminis, &c. contraxisti hoc impedimentum, ut nihilominùs non possis contrahere cum consanguinea prioris uxoris putatitiæ, neque illa vicissim cum consanguineis tuis infrà quartum gradum.

III. Non autem contraxisti hoc impedimen- 61
tum, si matrimonium fuit invalidum ex defectu ipsius consensus, ut si priùs matrimonium contraxisti cum errore personæ, cum ignorantia qualitatis servilis, ex metu gravi injustè incusso, in ebrietate plena, amentia, infantia seu tenera ætate ante plenum usum rationis; quin etiam in ætate adulta impuberi matrimonium contractum est invalidum ex defectu consensûs, ideóque non contrahis impedimentum hoc publicæ honestatis ex matrimonio rato usque ad quartum gradum. Attamen quia consensus impuberum ex speciali dispositione juris adhuc habet vim sponsalium, ut infra videbimus, ideò adhuc contrahis impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus usque ad primum gradum tantùm: & tandem, matrimonio post pubertatem adeptam ratificato, etiam impedimentum ex matrimonio rato.

IV. Unum & alterum dubium est. Unum: 62
quid si matrimonium sit invalidum ob consensum clandestinum, sine Parocho & testibus contractum? Tunc non contrahi hoc impedimentum cum pluribus tenet Sanchez *lib. 7. de matrimon. disp. 70.* eò quòd sit defectus consensûs, nequidem sponsalium vim habens. De quo tamen infrà. Sed rectiùs, adhuc incurri affirmant *Pontius, Aversa*, alii cum Martino Perez *disp. 32. sect. 3.* & noster Herincx *disp. 6. hic, quæst.* 8. *num.* 70. Ratio bona est; quia reverà illud matrimonium non est invalidum ex defectu consensûs, sed ex defectu solemnitatis à Concilio Trident. requisitæ: ergò ex alio impedimento, quàm ex defectu consensûs. Sed tu ne censeas sententiam Sanchez improbabilem, & in casu necessitatis pro foro conscientiæ sequi ne verearis.

Alterum: quid si matrimonium ratum sit 63
conditionatum sub conditione de futuro v. g. accipio te in meam, si Papa dispensaverit? R. quamdiu manet conditionatum non pariet hoc impedimentum: at adveniente seu impleta conditione pariet; siquidem teneas sententiam, quòd adveniente conditione statim absque alio novo consensu matrimonium fiat ratum. Si ve-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ro teneas, requiri novum consensum; tunc ante hunc novum consensum, impleta conditione, solùm obtinebit vim sponsalium, sicut matrimonia impuberum; ideoque pro tunc pariet tibi solum impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ad primum gradum; & elicito novo consensu primum erit impedimentum ex matrimonio rato usque ad quartum gradum.

CLASSIS III.
Impedimentorum.
NIMIA CONJUNCTIO.

64 COntinet quinque impedimenta, cognatio, eáque triplex: Naturalis seu consanguinitas, Legalis, & Spiritualis; affinitas, & scelesta conjunctio criminis.

SUMMARIA.

65. *Consanguinitas quid?*
66. *Explicantur ejus lineæ.*
67. *Quousque, & quo jure dirimat? usque ad n. 71.*
71. *Affinitas quid, & quotuplex?*
72. *Ex qua copula, & quando oriatur? usque ad n. 76.*
76. *Qualis affinitas dirimat matrimonium? ac*
79. *Quousque, & quo jure?*
83. *Quo gradu, & quis contrahat impedimentum petendi debitum?*
85. *Cognatio legalis quid, quotuplex, & inter quos dirimat?*
86. *Cognatio spiritualis quid, & quotuplex?*
87. *Qualis, & quo jure dirimat?*
89. *Quis baptizans eam contrahat?*
93. *Qualis patrinus eam contrahat?*
95. *Ad hoc requiritur tactus physicus infantis.*
96. *Potest tamen quis fieri patrinus per Procuratorem, vel legatum.*
97. *Resolvuntur varia.*
99. *Impedimentum criminis est quadruplex.*
100. *I. Homicidium solum, si quis occidit uxorem suam, vel maritum alterius.*
101. *Ex prævia conspiratione.*
102. *Et intentione contrahendi matrimonium cum illa.*
103. *Exempla.*
104. *II. Homicidium cum adulterio jam prius cum alia commissa factum cum intentione postea cum ea contrahendi.*
106. *III. Adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro.*
107. *Sive deinde adulterium sit commissum ante, vel post promissionem.*
108. *Debent tamen ambo, promissio & adulterium fuisse facta vivente eodem conjuge.*
109. *Debetque illa promissio utrinque esse seria, acceptata, & absoluta.*
110. *Ac adulterium verum, formale, & perfectum.*
111. *IV. Adulterium solum cum alio matrimonio contracto.*
113. *Quo jure sit inductum hoc impedimentum.*

§. X.
CONSANGUINITAS

SEu cognatio naturalis vel carnalis definitur: 65 *vinculum seu connectio personarum, qua ab eodem propinquo stipite seu principio per carnalem generationem descendunt.* dicitur *Propinquo*; quia à stipite valde remoto descendentes, consanguinei non dicuntur; alioquin omnes homines oporteret esse consanguineos, quippe omnes ab eodem stipite seu parente Adamo & Noe descendentes: certè neque à Germanis, neque Latinis, Italis, Gallis, &c. nisi fortè à Principibus appellantur consanguinei, vel cognati, qui distant inter se decem vel duodecim gradibus. Quamvis autem Legistæ faciant discrimen inter cognatos & agnatos, sicut cognati sint illi soli, qui per virilis sexus conjunctionem uniuntur; agnati verò potissimùm, qui per fæmineum sexum uniuntur, attamen Theologi communiter promiscuè sumunt pro iisdem. In hac autem consanguinitatis conjunctione seu coordinatione personarum assignatur linea duplex, recta & transversa, & utriusque distincti gradus. Explico prout possum strictissimè pro faciliori & tenaciori memoria.

I. Linea consanguinitatis definitur: *est ordinata connectio personarum consanguinitate inter se habentium in ordine ad eundem stipitem.* 66 Gradus verò consanguinitatis est *Distantia unius personæ ab altera in eadem linea consanguinitatis in ordine ad eundem stipitem.* Stipes autem est illa persona, in qua velut principio originis personæ consanguineæ concurrunt. *Linea* quoque consanguinitatis duplex est: *Recta* eáque duplex: ascendentium & descendentium; & *transversa*, eáque & æqualis, & inæqualis, Linea lateralis est solùm linea recta specialis.

II. Linea recta consanguinitatis ascendentium, *est coordinatio personarum secundùm habitudinem ad suum principium originis*, ut pote patrem, matrem, &c.

Linea recta descendentium, *est coordinatio personarum secundùm habitudinem principii ad indè derivatos* utpotè filios, nepotes, &c. Pro utraque est hæc Regula generalis. *Tot sunt gradus in linea recta ascendente vel descendente, quot sunt personæ, demptâ unâ*, v. g. pater & filius, duæ tantùm immediatæ personæ, uno tantùm gradu distant: avus & nepos, tres tantùm personæ, duobus tantùm gradibus distant, seu quod idem est, sunt consanguinei in secundo gradu.

III. Linea transversa *est coordinatio personarum, quarum neutra vel nulla ab altera, sed utraque vel omnes ab alio eodem stipite descendunt.* Linea transversa æqualis dicitur. *Habitudo inter personas ab eadem communi stipite æqualiter distantes;* ut inter fratres & sorores, patrueles, & consobrinos. Et pro hac est regula generalis. *In linea transversa æquali quot gradibus personæ singulæ distant à communi stipite, totidem distant inter se.* Sic fratres & sorores cùm uno tantùm gradu distent à patre: patrueles & consobrini, cùm distent duobus, etiam inter se distant uno aut duobus gradibus; seu quod idem est, sunt consanguinei in primo, vel secundo gradu.

IV. Linea transversa inæqualis est *Habitudo inter personas in æqualiter à communi stipite distantes*; utpotè patruus & nepos ex fratre. Pro hac est Regula Generalis. *In linea transversa inæquali quot gradibus remotior persona distat à communi stipite, totidem gradibus ipsæ personæ distant inter se.* v. g. Filius tuus proprius & filia fratris

fratris tui seu neptis ex fratre distant duobus gradibus, seu, ut loquimur, primo gradu in secundum; quia licèt filius tuus uno gradu distet à patre, nepos tamen ex fratre distat duobus gradibus. Exempla facilius occurrunt ex pictura, quàm Scriptura.

Hia fortè sæpiùs hæres, & erras in nominibus ejusmodi graduum, ut omnibus omnia fiam, agam pauliſper Grammaticastrum. In linea recta, utique intelligis, quid sint ascendendo: Primò *Pater, Mater.* Secundò *Avus. Avia.* Tertiò *Proavus, Proavia.* Quartò *Abavus, Abavia.* Et descendendo: Primò *Filius, filia.* Secundò *nepos, neptis.* Tertiò *Pronepos. proneptis.* Quartò *Abnepos, abneptis.* In Linea transversa ascendendo: Primò Patris frater *Patruus*, patris soror *Amica*, & horum filii *Patrueles tui*: Matris frater *Avunculus*, Matris soror *Matertera*, horum filii *consobrini tui.* Secundò Avi frater *Magnus Patruus*, Avi soror *Magna amita*: Aviæ frater *Maguus Avunculus*, Aviæ soror *Magna Matertera.* Tertiò Proavi frater *Magnus propatruus*, Proavi soror *Magna proamita*: Proaviæ frater *Magnus Auvunculus*, Proaviæ soror *Magna promatertera.* Et hic est status; nam Abavi & Abaviæ fratres & sorores jam ascendunt in gradum quintum. In linea transversa descendendo vix usurpantur nomina propria, sed simpliciter dicuntur: Primò *Frater, Soror.* Secundò horum filii ex fratre vel sorore *nepos* vel *neptis.* Tertiò horum filii ex fratre vel sorore *pronepos, proneptis.* Quartò & horum filii ex fratre vel sorore *abnepos* vel *abneptis.* Jam ergò videndum hoc consanguinitatis impedimentum.

Quousque, & quo jure dirimat.

I. COnsanguinitas ergò juxta prædictos gradus lineæ rectæ & trāsversæ æqualis & in- 67 æqualis, est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum inter consanguineos jure quidem antiquo usque ad septimum gradum c. *1. & sequent. 35. quæst. 3.* At jure novo restringente semper usque ad quartum inclusivè, ex Concil. Lateran. *c. 30.* relato c. *Non debet. De Consanguinit. & Affinitate*, & novissimè Trident. sæpè cit. *Sess. 24. De reformat. Matrimon.* Congruè autem Ecclesia ita statuit, tum ad majorem commoditatem humani commercii inter fideles, ut per fœdera conjugiorum inter diversas familias magis dilatetur amicita: tùm ad majorem cautelam servandæ continentiæ inter sanguine junctos, qui frequenter cohabitant, & valdè familiares sunt; quia vero memoria hujus propinquitatis facilius conservatur usque ad quartum gradum, & alioquin periculum foret, ne matrimonia nimis frequenter essent invalida, si impedimentum longius extenderetur, convenienter fuit restrictum usque ad quartum gradum tantùm. Sed modò refert nosse, quo jure hoc impedimentum dirimat in singulis gradibus, ut sciamus, in quibus dispensari possit, in quibus non.

II. Probabilissimum est in linea recta jure naturæ divino quemlibet gradum dirimere matrimonium in infinitum, adeò ut si Adam hodie viveret, nullam posset uxorem ducere ex universo mundo, cum omnes fœminæ per lineam rectam ab ipso descendant. Ita Scot. *in 4. d. 40. num 2.* cum suis rigidioribus, etiam Herincx *l. cit. disp. 6. num. 50.* & plurimi alii apud Sanchez *hic l. 7.* sed repugnantem. Habetur expressè in jure civili *L. Nuptiæ.* & *L. Jure gentium. ff. De ritu nuptiarum.* Ubi deciditur, inter ascendentes & descendentes in infinitum jure gentium (per quod Juristæ intelligunt etiam jus naturæ) incestuosas nuptias contrahi, eásque subsistere non posse. Neque jus hoc videtur correctum jure Canonico determinante hoc impedimentum ad certos gradus; quia nunquam loquitur de linea recta, neque legitur unquam oppositum in praxin fuisse deductum, aut à Pontifice unquam fuisse dispensatum. Ratio patebit mox. 68

III. Certum est apud omnes, primum gradum lineæ rectæ ipso jure naturæ dirimere matrimonium, puta inter patrem & filiam, matrem & filium. *Omnes.* Et longè veriùs etiam secundum gradum inter avum & neptam, aviam & nepotem, juxta communem DD. apud citatos. De ulterioribus gradibus res incerta est: æquè probabile dirimere solo jure Ecclesiastico. Ità communior DD. cum Sanchez *disp. 51.* Layman. *tract. 10. part. 4. c. 4.* Ratio est; quia hoc impedimentum dirimens fundatur in reverentia & verecundia jure naturali specialiter debita principio originis, cui reverentiæ status & actus conjugalis naturaliter repugnat: atqui constat naturali ratione, quam maximè repugnare reverentiæ debitæ immediato principio, patri & matri: ergò meritò certum apud omnes inter hos dirimere jure naturæ. Et valdè etiam apparet repugnare graviter principio mediato proximo, Avo, Aviæ; etsi non appareat omnibus, & aliqui negent, præsertim Recentiores, *Perez, Hurtadus, Tambur.* ergo etsi non ita certò, propiùs tamen certo est, etiam inter hos repugnare jure naturæ. Jam ulteriùs sensus Scoti ac Sequacium, multorúmque aliorum certè probabilissimè apparet; etiam graviter repugnare principio originis ulteriori in tertio, quarto & quocunque gradu; eò quòd omnes ascendentes vocentur, & sint veri parentes respectu descendentium, ideóque eis jure naturæ debeatur reverentia eadem, quæ parentibus, & consequenter etiam jure naturæ matrimonium excludat. At aliorum communiori sensu non apparet tam graviter repugnare illis principiis remotioribus, sed semper minùs & minùs, ideóque magis, vel saltem æquè probabile est dirimere solùm eóque meritissimo jure Ecclesiastico ob maximam convenientiam naturalem, ideóque impedimentum respectu istorum esse dispensabile. 69

Universidad de Deusto
Biblioteca

70 IV. Etiam primus gradus lineæ transversæ inter fratrem & sororem jure naturæ ac Divino dirimit matrimonium, excepto casu absolutæ necessitatis, ut fuit ab initio propagationis generis humani, cùm Adæ & Evæ filii & filiæ, adeóque fratres & sorores contrahere & commisceri necesse fuit. Ita communis DD. cum Sanchez & Layman cit. contrà non paucos RR. solum primum gradum lineæ rectæ jure naturæ dirimere agnoscentes: & significat D. August. *l. 15. De Civitat. c. 16. & l. 22. contra Faustum. c. 35.* Colligitur ex communi sensu hominum etiam gentilium humaniorum à conjugiis fraternis abhorrentium. Certè Abraham *Genes. 12. & 20.* visus est sibi gentilibus Pharaoni & Abimelech sufficienter ostendere, Saram non esse suam uxorem, dicendo esse sororem. Ratio omninò convincens vix dari potest, non tamen spernenda hæc communis: Quòd juxta instinctum luminis naturalis frater & soror maximam sibi debeant reverentiam, cui status conjugalis & commercium carnale nimiùm repugnat. Et: Quòd aliàs natura non satis providisset periculo continentiæ, si frater & soror non prohiberentur lege speciale invicem commisceri.

Contrarium tamen, & hos solùm jure Ecclesiastico à matrimonio arceri docent *Cajetanus, Pontius*, & plures alii; & consequenter admittere debent, ex causa gravissima posse Pontificem dispensare, quamvis sit inconveniens. Singulare autem est, quod ex Archidiacono refert Sylvester, V. *Papa. quæst. 17.* Martinum V. de facto dispensasse cum eo, qui cum sua germana connubium contraxerat, & consummaverat. Quoad reliquos, secundum, tertium & quartum gradum lineæ transversæ, etsi jure naturali adhuc appareat aliqua indecentia, attamen solo Ecclesiastico jure dirimere matrimonium, & ob causam dispensari posse à Pontifice, apud omnes in confesso est, & praxis frequentissima demonstrat. In summa. Consanguinitas jure naturæ dirimit matrimonium in primo & secundo gradu lineæ rectæ, & in primo tantùm gradu lineæ transversæ, juxta communem Sententiam: in reliquis omnibus, tertio & quarto lineæ rectæ, secundo, tertio & quarto lineæ transversæ solo jure Ecclesiastico.

§. XI.
AFFINITAS.

71 DEfinitur communiter: *Propinquitas personarum ex copula carnali proveniens.* Sed generaliter nimis; sic enim comprehenderet etiam affinitatem indirectam & per accidens, ut patebit. Propriè ergò solam affinitatem directam & propriè dictam complectendo definitur à Navar. communiter recepto, *c. 2. num. 42. Propinquitas duarum personarum, quarum una cum consanguinea alterius habuit copulam carnalem.* Duplex est, una ex toro legitimo in matrimonio, secunda ex toro illegitimo seu copula fornicaria, extra matrimonium originem trahens, quia enim per talem conjunctionem vel commixtionem seminum fiunt vir & mulier una caro idque non tantùm in toro legitimo, juxta illud Matth. *19. erunt duo in carne una*; sed etiam in copula illegitima seu fornicaria, juxtà illud Apostoli 1. *ad Corinth. 6. qui adhæret meretrici unum corpus efficitur.* Hinc si Titius & Caia carnaliter cognoscantur, omnes consanguinei Titii eodem gradu, quo sunt ejus consanguinei, fiunt affines Caiæ, & vicissim omnes consanguinei Cajæ fiunt affines Titii. Omissis variis & intricatis regulis passim à summistis congestis, necessaria scitu clarè, & quoad fieri potest, castè explicanda sunt. Singulariter & necessariò pro praxi sciendum est.

I. Qualis copula requiratur?

72 AD inducendam affinitatem propriè dictam & impedimentum dirimens matrimonium requiritur copula carnalis perfecta per se sufficiens ad generationem; nimirum cum immissione & receptione seminis intra vas naturale fœmineum, juxtà communissimam DD. *Exc. Fraternitati. De eo qui cognovit.* Ratio est; quia per omnem & solam talem copulam vir & fœmina fiunt una caro, unùmque principium generationis, in qua unitate fundatur propinquitas affinitatis, Dico autem

I. *Per omnem*: ut potè etiam per copulam habitam cum dormiente, cum ebria, cum insana, cum invita, metu vel vi coacta vel oppressa, cum ignorante jus vel factum; per omnem enim ejusmodi copulam verè sit seminum commixtio, una caro, unum principium generationis: idque etiamsi fœmina invita vel malitiosa semen receptum statim ejiceret. Vide Sanchez *l. 7. disp. 64.*

II. *Per solam talem copulam.* Non ergò consurgit affinitas & impedimentum hoc inprimis ex solo matrimonio rato, uti declaravit Pius V. suprà; sed aliud publicæ honestatis: deindè, non ex tactibus quamtumvis impudicis, & pollutionibus quibusvis factis extra vas: non ex copula sodomitica vel præpostera cum fœmina: non ex congressu spadonum, qui verum semen non emittunt, sed solùm aliquid simile. At, quid si semen effusum extra vas à matrice attrahatur, aut aliqua arte intromittatur, consurgétne affinitas, & impedimentum hoc? Negat quidem Pontius, *l. 7. c. 53.* cum aliis. Affirmat autem cum communi Sanchez, *disp. 64. num. 15.* jam enim sic adest verissima seminũ commixtio. 73

III. Non deniq; consurgit hæc affinitas ex sola penetratione vasis fœminei absq; emissione seminis, seu ex ipsa copula carnali inchoata, & continuata, sed abrupta cum effusione naturæ extra vas, prout frequentissimè faciunt, duplicatâ quidem malitiâ fornicationis inchoatæ, & mollitiei completæ, nullo tamen impedimento. Ita contra nonnullos cum innummeris Sanchez. *cit. n. 8.* eúmq; secuti RR. omnes. Sententia receptissima. 74

Ratio

Ratio est; quia talis copula non sufficit ad generationem, neque ex ea fiunt una caro, quod valdè notent confessarii, & in casu occurente (sanè frequentiùs, quàm volent) de hoc modestè inquirant antequam decernant de affinitate & impedimento matrimonii contracto. Addit tamen meritò Sanchez ibidem *num. 9.* hanc doctrinam solùm habere locum in foro interno; in externo autem foro præsumi semper, non tamen fuisse vas penetratum, sed etiam semen immissum copulamque perfectum, adeòque affinitatem contractam; & quis vel quæ probabit veritatem oppositam? 75

IV. Restat aliud acre ac in praxi non inutile dubium. An eadem affinitas oriatur, si solus vir seminavit intra vas mulier verò suum semen non emittat, quod aliquando in fœmina frigidiori fertur posse contingere. Certè semper præsumi debet, etiam fœminam ipsam seminasse, nisi evidentissimè contrarium constet, ideóque affinitatem esse contractam; tamen pro raro casu duplex est sententia. Oriri tunc affinitatem docet Sanchez *disp.* 46. Bonacina alii; ex eo, quòd in communiori sententia Aristotelis, Avincennæ, D. Thomæ, & plerorumque Theologorum ac Philosophorum semen fœmineum non sit necessarium ad generationem, esto adjuvet; quare hoc solo viri semine recepto vir & mulier fiunt unum principium generationis. Contrà, non oriri tunc affinitatem docent etiam gravissimi DD. eò, quòd ex Hypocratis & Medicorum communi sensu censeant etiam semen fœmineum necessarium esse ad generationem? quandò ergò hoc non adest, vir & mulier non potuerunt fieri unum principium generationis, quod est radix affinitatis, consequenter nec ipsa affinitas orietur. Ita cum aliis Martinus Perez *disp. 31. Adversa*, *Hurtadus*, *Dicastil.* alii apud Tambur. *hic. tract. 1. c. 13. §. 4. num. 7.* & Gobat mox citandus, & probabile censet ipse Sanchez cit, *num. 19.* ac alios citans Diana *part. 4. tract. 2. resolut. 53.* ac rursus decem citans *part. 5. tract. 13. resolut. 54.* quarè meritò Gobat *cas. 16. num. 390.* censet hanc sententiam posse esse usui confessario pro excusando hoc impedimento affinitatis, si fœmina fateatur, se habuisse rem cum consanguineo mariti, ut modestè interroget, an & ipsa seminaverit; atque ex mente Dicastil. *disp. 7. dub. 34. num. 357.* sufficiet solùm quærere: an magnam senserit voluptatem tempore coitûs; si enim nullam vel levissimam sensit, signum erit, non decidisse semen. Sed de his satis, lege citatos.

II. Qualis affinitas dirimit.

76 I. SOla affinitas directa & propriè dicta inter personas virum & fœminam, quarum una cognovit consanguineam alteriùs, inducit impedimentum dirimens matrimonium inter dictas personas, nihil autem curanda est affinitas alia indirecta improprie dicta, &, ut vocat Layman *c. 5. n. 4. affinitas per accidens* inter conjugum seu copulatorum carnaliter utrinque consanguineos ad invicem, ut pote inter consanguineos viri & consanguineos uxoris ad invicem, etsi vulgò vocentur affines. Omnes, & expresse decidit Innocentius III. *c. quòd super. De consanguinit. & affinit.* sic respondens: *Super eo quòd pater & filius, cum matre & filia cognati cum duabus cognatis, avunculus & nepos cum duabus sororibus contrahunt matrimonium; taliter tibi ducimus respondendum: quòd licèt omnes consanguinei uxoris sint viri affines, inter consanguineos tamen viri & uxoris nulla prorsùs est affinitas contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri.* Unde esto *Regula generalis* 77

II. Solus maritus vel carnaliter cognoscens fit affinis omnibus consanguineis uxoris vel carnaliter cognitæ eodem gradu, quo ejus consanguinei sunt: & econtra omnes consanguinei uxoris vel carnaliter cognitæ fiunt affines mariti vel carnaliter cognoscenti soli: similiter sola uxor vel carnaliter cognita fit affinis omnibus consanguineis mariti vel carnaliter cognoscentis eodem gradu, quo ejusdem mariti vel carnaliter cognoscentis consanguinei sunt: & hi omnes fiunt affines soli uxori vel carnaliter cognitæ. Orta ergò quæstione de affinitate inter duas personas, ponantur juxtà se invicem, & inprimis quæratur: an dictæ personæ anteà matrimonio junctæ fuerint, vel carnaliter copulam exercuerint, nec ne? Si neutra carnaliter copulata fuit nulla inter eas potest esse affinitas; quare implicat vera affinitas inter duas personas virgines. Si una ex eis copulata fuit alteri personæ, v. g. Petrus dicat, se copulatum fuisse Ursulæ, siquidem hæc non sit consanguinea alteri fœminæ nullà rursùs affinitas; si verò est consanguinea Annæ in matrimonium ducendæ, tunc inspiciatur arbor consanguinitatis, & in quo gradu Ursula est consanguinea Annæ (v. g. in primo, si ejus soror, mater, filia: vel in secundo si amita matertera neptis) in eodem gradu Anna erit affinis Petro, & aderit impedimentum dirimens matrimonium. 78

III. Manet ergò affinitas propriè dicta inter solum carnaliter cognoscentem & consanguineos cognitæ: ac econtrà intra carnaliter cognitam, & consanguineos cognoscentis, & minimè descendit, & ascendit inter consanguineos utriusque, adeò ut nullum sit affinitatis impedimentum, patrem & filium ducere viduam matrem, & filiam: duos fratres duas sorores alterius familiæ: aut eundem virum successivè ducere duas viduas, quarum mariti germani fratres fuerunt, quod valdè notandum.

IV. Hinc Navarr. *Comentar. De consang. & affinitate, Consil. 3*, resolvit, quòd Saturnus poterit ducere Pandam viduam Julii, qui priùs duxerat Artemisiam sororem Saturni. Similiter Joannes Antonius *C. ut aquensis* mortuâ primâ uxore, accepit in uxorem Joannem in viduam Angeli, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui tertio consanguinitatis gradu junctus fuerat Dianæ primæ uxori ejusdem Joannis Antonii : idque validè, declarante Sacra Congregatione, *16. Decembri*, 1596. apud Gallemart *in Remissionib. Concil. Trident. prætermissis.*

III. Quousque, & quo jure dirimit?

79 I. AFfinitas ex legitimo toro seu copula legitima est impedimentum dirimens matrimonium usque ad quartum gradum inclusive tantùm, ita scilicèt, ut Titius nec validè, nec licitè posset contrahere matrimonium cum Cajæ uxoris suæ defunctæ consanguineis intra quartum gradum tantùm, etiam similiter econtrà; si verò ultra quartum gradum extendatur, nullum erit impedimentum. Sic correcto antiquo jure hoc impedimentum usque ad septimum gradum extendente, expresè *c. non debet De consanguinitat. & affinitate* Concil. Lateran. itemque Trident. sæpè citatum.

80 II. Affinitas ex illegitimo toro seu copula fornicaria est impedimentum dirimens matrimonium tantùm intra secundum gradum, ita scilicet, ut si Titius fornicatus sit cum Caja, solùm impediatur matrimonium contrahere cùm ejusdem Cajæ consanguineis in primo gradu, scilicet matre, sorore, filia : & in secundo gradu scilicet avia, amita, matertera, & nepribus ex filia, fratre, sorore ipsius ; item patruelibus, consobrinis, & non ultrà : similiter & econtrà computandum. Sic rursùs, correcto veteri jure, nova constitutione Concil. Trident. *sess. 24. c. 4. de reformat matrimon.*

III. Impedimentum hoc affinitatis dirimens matrimonium inductum esse solo jure Ecclesiastico docent DD. communiter cum Sanchez, *l. 7. disp. 67.* Pontius *l. 7. c. 34.* Herincx *disp. 6. quæst. 7. num 65.* quamvis probabilissimum sit affinitatem in primo gradu lineæ rectæ, scilicet inter vitricum & privignam seu filiam conjugis vel uxoris ex alio marito, inter novercam & privignum seu filium mariti ex alia uxore : item inter socerum & nurum seu uxorem filii dirimere matrimonium ipso jure naturali. Certè Apostolus 1. *ad Corinth. 5.* scribit : *omninò auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Sed, Respondet : fuisse patris adhuc viventis ; nec improbabiliter. Quoad cæteros gradus etiam primum lineæ transversæ videtur certum, dirimere solo jure Ecclesiastico ; unde vidimus sæpè fuisse dispensatum, ut frater duceret uxorem sui fratris defuncti, & sigillatim à Leone X. cum Henrico VIII. Rege Angliæ, cum Catharina Hispana priùs fratri ejus Arturo nupta, sed matrimonio non consummato defuncto.

82 IV. Impedimentum hoc affinitatis semel ortum perpetuum est. Communissima DD. adeòque etiamsi Titii uxor Berta moriatur perseveret tamen Titio affinitas cum omnibus ejusdem Bertæ consanguineis usque ad quartum gradum.

At, quid si post mortem Bertæ nascatur ex ejus sorore v. g. filia, eritne & hæc affinis Titio, ut eam ducere non possit ? ratio dubitandi est ; quia affinitas oritur ex matrimonio ; at mortua Berta non est amplius matrimonium : ergò posteà nata ex sorore defunctæ non erit affinis. R. absolutè quòd sic Communis DD. apud Tambur. *hic tract. 1. c. 12. §. 1. à num. 10.* Ratio est ; quia affinitas non solùm extenditur ad consanguineos viventes vel natos vivente ipsa uxore, sed etiam ad consanguineos natos post ipsius uxoris mortem ; de novo enim nati verè & in omni rigore sunt consanguinei dictæ uxoris quamvis mortuæ : & sanè pater in cælo v. g. existens ut suum filium, suosque nepotes recognoscit etiam filium posthumum, & nepotes descendentes ; si ergò postea nati sunt veri consanguinei uxoris Titii, non poterunt non esse affines ipsius Titii.

Ad rationem dubitandi distinguo maj. affinitas non resultat nisi mediante matrimonio, quod aliquando existit, concedo maj. quod nunc semper actu existat, nego maj. & consequentiam. Et ratio à priori est ; quia affinitas non oritur ex matrimonio immediatè (nam affinitas usque ad secundum gradum contrahitur etiam ex copula fornicaria, quando nullum adest matrimonium) sed oritur immediatè ex commixtione corporum semel habita inter virum & mulierem. Quarè quamvis per mortem uxoris dissolvatur matrimonium, non tamen tollitur immediata radix affinitatis nimirum : copulam esse habitam inter hunc virum & hanc mulierem ; cùm factum infectum fieri nequeat : ergò affinitas, quæ ex tali radice nasci debet, morte uxoris impediri non potest.

IV. Affinitas superveniens matrimonio.

83 COnjugatus committens incestum cum consanguinea conjugis (vel vicissim) ideoquè factus affinis conjugis intra secundum gradum tantùm incurrit impedimentum petendi debitum sub mortali, quamvis innocenti petenti debitum reddere possit, & teneatur. Expresè in jure variis textibus toto titulo *de eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ.* Docetquè communissima DD. etiam quoad reatum sub mortali. Circa quod pro praxi aliqua notanda sunt.

84 I. Solus nocens hanc pœnam ac impedimentum petendi debitum contrahit, qui scilicet vel ipse voluntarium incestum commisit, vel ut ab altera committeretur spontè consensit ; tunc enim neque hic neque hæc consentiens debitum petere poterit. Non item incurrit innocens, ut potè 1. qui nec commisit nec consensit, ut jam insinuatum. 2. Si uxor à sui mariti consanguineo vi oppressa sit ; cum nemo suo jure debeat sine sua culpa privari ; communis DD. cum Sanchez *l. 1. disp. 30.* Layman. *c. 5. num. 3.* At quid si ex metu gravi sive vir, sive fœmina cogatur

cogatur talem incestum committere? Adhuc excusari (contra Sanchez & communiorem) probabiliter censent *Pontius*, *Bonacina*, alii cum Tambur. *c. 13. §. 3. num. 5.* Et ratio est ; quia quamvis tunc adhuc peccent mortaliter, Ecclesia tamen pia mater non videtur illum vel illam castigare tantâ pœnâ. 4. Etiam hanc excusationem concedunt, quandò adest ignorantia (dummodo non affectata ad liberiùs peccandum) sive facti, sive juris sive ipsius pœnæ, graves DD. & pluribus allegatis plane docet ipse Sanch. *l. 7. disp. 32. num. 43.* Nota hoc benè confessarie, & de tribus punctis istis lege Dianam *part. 11. tract. 5. resolut. 38.*

II. Ratione affinitatis tantùm cum conjuge contractæ oritur hæc pœna vel privatio juris petenti debitum. Unde si conjux cum proprio suo consanguineo vel consanguinea incestum committat, etsi peccato graviori, non tamen ideò jure petendi debitum privatur cum nullam exinde affinitatem cum altero conjuge contraxerit, ut ex communi notant Sanchez *l. 7. disp. 37.* Layman. *eodem c. 5. num. 5.*

III. Nihil refert ad hanc pœnam incurrendam, an occultè commissus, an publicè vel publicatus sit incestus ; cùm utroque casu affinitas contrahatur cum conjuge, quæ, ut modò dictum, sola causa est cur incestuosus impediatur à petitione debiti, ut contra *Sylvestrum*, *Angelum*, & alios docet communis DD. *Sanchez*, *Layman*, alii passim.

IV. Postquàm Concil. Trident. cit. impedimentum affinitatis ex copula fornicaria restrinxit intra secundum gradum tantùm, eadem restrictio obtineri debet quoad privationem petendi debitum propter incestum cum conjugis consanguineis commissum. Uti, contra nostrum Anglez & paucos alios, docet communissima DD. *cum Sanchez*, *Layman*, & aliis cit. Ratio est ; quia pœna illa privationis juris petendi debiti incurritur propter crimen incestûs ; qui autem hodie fornicatur cum affine ultrà secundum gradum, non committit incestum, sed vel simplicem fornicationem, si solutus sit vel viduus : vel adulterium, si sit conjugatus. Undè & hanc circumstantiam affinitatis extra secundum gradum in confessione explicare non tenetur, ut ex communi notat Sanchez *l. 7. disp. 67. num. 8.* ergo &c.

§. XII.

COGNATIO LEGALIS.

85 EST propinquitas personarum ex adoptione proveniens. Adoptio autem est personæ extraneæ (quæ scilicet non est ex descendentibus, etsi aliàs sit consanguinea) in filium vel filiam, nepotem vel neptem, legitima assumptio. Duplex est : Una perfecta adoptio (speciali nomine vocata arrogatio) est, qua Principis præcepto persona extranea sui juris existens in alterius velut patriam potestatem familiámque transfertur, ut instar ejus legitimi filii per omnia esse incipiat. Altera imperfecta adoptio est, qua persona extranea in parentis sui potestate existens ab alio in filium vel filiam adscisitur, ita tamen, ut naturalis patris potestate non egrediatur neque patri adoptivo ex testamento necessariò succedere debeat, sed tantùm jus succedendi ab intestato habeat. Adoptio illa perfecta est impedimentum dirimens matrimonium secundum triplicem modum mox assignandum, originariè quidem jure civili apud Sanchez, & alios. Admisit autem & approbavit Ecclesia partim in Decreto. *c. ita diligere 30. q. 3.* partim in Decretal. Titul. speciali, *De Cognatione legali ;* 1. In linea legali recta inter adoptantem & descendentes adoptati scilicèt ejus filios & nepotes, qui in ejus potestate existunt. 2. In linea legali transversa inter adoptatum & descendentes adoptantis, scilicèt legitimos natos & nepotes, qui in ejus adoptantis potestate existunt ; non autem contrahit hoc impedimentum adoptatus cum adoptantis filiis illegitimis, cùm non censeantur esse in ejus potestate : neque cum aliis filiis vel filiabus adoptivis, neque cum ipsis filiis legitimis, sed jam secundum formam legum emancipatis, ideòque hoc impedimentum temporale est. Ex communi DD. *Sanchez Layman*, *Tambur*, alii passim. 3. Per modum affinitatis inter adoptatum & uxorem adoptantis. *L. Adoptivus. ff. De Ritu Nuptiar.* At verò inter adoptantem & adoptati parentes fratres, sorores nulla legalis cognatio intervenit, juxtà communissimam DD. D. Thomas *in 4. d. 42. quæst. 2. art. 3. Sylvester*, *Navar.* aliisque congestis Sanchez *7. disp. 63. num. 16.* Layman *cit. c. 4.* Etiam adoptionem imperfectam & simplicem impedimentum matrimonio præstare affirmant quidam Antiqui, & Canonistæ, *Abbas*, *Hostiens*, alii in *c. Unicum De cognation. Legali* : & Theologi, Sot. Richar. *cit. in 4. d. 42.* Sed rectè negat jam communis DD. apud *Sanchez* & *Layman*. cit. Ratio est ; quia impedimentum cognationis legalis introductum est ob similitudinem, quam filii adoptivi gerunt cum filiis naturalibus legitimis ; talem autem similitudinem filiationis propriè non gerunt adoptivi ex adoptione simplici & imperfecta tantùm ; cùm in familiam & potestatem patris adoptionis non adscisantur : neque de hoc exstat ullum jus : ergò &c.

§. XIII.

COGNATIO SPIRITUALIS.

86 EST propinquitas personarum orta ex administratione vel susceptione Sacramenti Baptismi, vel Confirmationis, inducens impedimentum dirimens matrimonium. De quo toto titulo : *De cognat. Spirituali, & in Decret. 30. quæst. 1. c. Si quis filiastrum.* Ejus tres sunt species : Paternitas, Compaternitas, & Fraternitas Spiritualis.

Paternitas est propinquitas inter baptizantem vel confirmantem & patrinos ex una parte, & ipsum baptizatum vel confirmatum ex altera parte, qui proindè respectu illorum dicuntur antiqua phrasi filiaster, vel filiastra. Com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Compaternitas est propinquitas inter baptizantem vel confirmantem & patrinos ex una parte, & parentes baptizati vel confirmati ex altera parte: & olim etiam extendebatur ad uxores baptizantis, confirmantis & patrimorum. c. *Martinus De cognation. Spirituali*

Fraternitas dicitur propinquitas inter filios carnales baptizantis, confirmantis ac patrinorum ex una parte, & ipsum baptizatum vel confirmatum ex altera parte. Hæc omnia erant impedimenta dirimentia inter dictas personas omnes, jure antiquo suprà allegato. Verùm jure novo Concil. Trident. *Sess. 24. cap. 2. De Reformat. Matrimon.* abrogatum est fraternitatis impedimentum, ficut & prædicta extensio ad uxorem baptizantis, confirmantis ac patrinorum. Textum partim commodiùs infrà citabo propter patrinos. Nunc breviter.

I. Qualis dirimit, quo Jure?

87 I. Jure novo sola paternitas & compaternitas seu cognatio spiritualis inter Baptizantem, confirmantem & patrinos ex una parte, & ipsum baptizatum vel confirmatum, ejúsque parentes ex altera parte, est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, non autem dissolvens semel validè contractum. Sic Concilium cit. Certa apud omnes. Ratio sumitur ex aliqua indecentia; quia nimirùm & ministrantibus Sacramenta Baptismi & Confirmationis tanquàm spiritualibus patribus spiritualis genererationis, & patrinis ad ea Sacramenta assistentibus secundùm traditionem Ecclesiasticam magna reverentia debetur, & à filiis ea Sacramenta accipientibus, & ab eorum parentibus carnalibus; ideò in Ecclesia antiquitùs institutum & semper observatum fuit, ut ea cognatio spiritualis æquè ac carnalis esset impedimentum dirimens matrimonium, quoad usum corporis mutua quædam subjectio tali reverentiæ repugnans inducitur. Ut patet variis sacris Textibus in Decret. & Decretal. allegatis. Et quia par reverentia non debetur illis filiis spiritualibus, meritò Concil. Trident. hoc impedimentum restringens illos excludit.

88 II. In hac cognatione spirituali vides, non numerantur gradus aliqui, sicut in cognatione naturali & affinitate, sed solùm conjunctio est impedimentum inter personas prædictas idque in perpetuum adeò, ut etiamsi moriatur persona, ratione cujus conjunctio contracta est, utpotè baptizatus confirmatus, eòque ipso moriatur paternitas, non tamen extinguitur conjunctio spiritualis compaternitatis inter baptizantem & patrinos ac parentes baptizati. Ex communi Sanchez, *l. 7. disp. 54.* Quare hoc sensu falsum est commune germanorum axioma: Das
89 Kind ist gestorben/die Gevatterschafft hat ein Ende.

III. Constat apud omnes, hoc impedimentum solùm esse inductum jure Ecclesiastico, non autem naturali aut divino, ut clarè insinuant S. Textus. Quare infidelis seu non baptizatus aliquis in casu necessitatis aliquem baptizans non contrahit cognationem spiritualem: tùm quia talis Ecclesiasticis sanctionibus non obligatur, tum quia ipse per Sacramentũ Baptismi in Christo spirituali nondum est genitus, ideò neque cognationem spiritualem inter Christi fideles contrahere posse censetur. v. g. Si quis infidelis, qui puellam baptizavit, postea ad fidem convertatur, & baptizetur, non contrahet cognationem spiritualem, nec impedimentum dirimens matrimonium, sed cum ipsa puella vel matre ejus contrahere poterit. Communis DD. cum D. Thoma & Scoto. d. 44.

IV. Quid si conjunctio hæc supervenerit matrimonio? jam jam patebit.

II. Quis baptizans contrahit? 89

Omnis baptizans, non tantùm Baptismo solemni, sed etiam Baptismo privato, atque in necessitate, contrahit cognationem & impedimentum dirimens matrimonium contrahendum cum baptizato, ejusque parentibus. Sic enim nimis clarè significant SS. Textus.

¶. Idémque à paritate quidam sentiunt de patrino suscipiente in Baptismo privato, etsi minimè necessario ullo jure. Sed rectiùs plurimis citatis negant Sanchez cit. Diana *part. 3. tract. 4. resol. 18.* & inclinant Suarez, Hurtadus, alii cum Tambur. *l. 2. De baptismo. c. 4. §. 3. num. 4.* Ratio est, quia jura semper solùm loquuntur de suscipiente in Baptismo solemni, seu suscipiente ex instituto Ecclesiæ; qui autem suscipi in Baptismo privato, non suscipit ex instituto Ecclesiæ; cum de Baptismo privato quoad patrinos nihil ordinaverit Ecclesia, sed suscipit ex voluntate propria: ergò de hoc jure non loquuntur. (quòd hic incidentèr diligenter nota.) Et hinc fit

I. Si sponsus prolem sponsæ suæ baptizet, 90 etiam ob necessitatem, solvuntur sponsalia, & dirimitur matrimonium contrahendum. Ut post Navar. *c. 16. num. 34.* & *c. 22. num. 40.* ac alios resolvit Layman cit. *c. 5. num. 8. in fine.*

II. Si conjux prolem conjugis suæ baptizet, vel in Sacramento Baptismi aut Confirmationis ut patrinus suscipiat in necessitate, nullum impedimentum contrahit, ut constat expresè c. *Ad lumina. 30. quæst. 1.* ubi ratio datur: quia inculpabile judicandum, quod necessitas intulit, utpote quia alius baptizans saltem æque aptus, aut alius patrinus nullus adest. Communis DD. cum Sanchez *l. 9. disp. 62.* Layman cit. *num. 7.*

III. Quòd si verò extra casum necessitatis 91 parens prolem conjugis suæ baptizet, vel ex Sacramento Baptismi aut Confirmationis suscipiat inprimis graviter peccat; & meritò mortaliter, censet Navar. *c. 16. num. 34.* Sanchez cit. *disp. 26. num. 1.* Layman, alii communiter; quia id tam severè prohibetur *c. 1.* & *2. eadem. 30. quæst. 1.* Deinde propter spiritualem cognationem contractam cum conjuge incurrit impedimentum petendi debiti conjugale, juxta

juxta satis communem sententiam DD. cum *Sanchez, Layman* cit. alii: quanquam hi ipsi probabilem censeant oppositam sententiam *Durandi, Coninck*, aliorum, quos sequuntur *Hurtadus* alii cum Tambur. *l. 2. de Baptismo. c. 2. §. 2. num. 10.* nullum scilicèt ex hinc impedimentum oriri; cùm id nullo certo jure probari possit: neque in odiosis valeat extensio ab affinitate matrimonio superveniente ad cognationem spiritualem, vel aliud impedimentum.

VI. Illud autem certum & expresè responsum ab Alexandro cit. *c. si vir. 30. quæst. 1.* si conjux ex ignorantia juris vel facti prolem conjugis baptizet, aut teneat, nullo impedimento petendi debitum affici. Uti etiam docent *Navar. Rodriq.* alii cum Sanchez. cit. *disp. 22. num. 43.* Nec valet hîc regula: *Exceptio in uno firmat regulam in aliquo*: quia nulla hîc est regula alia pro hoc impedimento in jure.

III. Qualis Patrinus contrahit?

92 Concil. Trident. *Sess. 24. c. 2. De reformat. Matrimon.* sic statuit: *Unus tantùm, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum institutа, vel ad summùm unus & una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos & baptizatum ipsum & ipsius patrem, & matrem: nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem & matrem tantùm spiritualis contrahatur cognatio. Parochus, antequàm ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectat, scisciteтur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, &c. Quòd si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant; Constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus.* Hæc Concilium; ex quibus aliqua pro praxi explicanda sunt.

93 I. Ut quis vel quæ patrinus vel patrina fiat, & hanc cognationem & impedimentum contrahat, præter designationem faciendam à parentibus vel Curatoribus baptizati, & per accidens in defectu hõrum, ab ipso Parocho, requiritur imprimis, ut habeat intentionem volendi fieri vel suscipiendi aliquem instar patrini explicitam, vel saltem implicitam, utpote, faciendi, quod Ecclesia ordinavit: quod alii eo modo faciunt: aut certè exercendi cæremoniam sacram ab Ecclesia institutam; hac intentione habita contrahit cognationem spiritualem, etiamsi eam non intendat, etiamsi ignoret, imò etiamsi eam contrahere positivè nolit; quia cognatio illa ex ordinatione Ecclesiæ resultat ex ipso actu illo exercito instar cæremoniæ sacræ, & nullo modo dependet à voluntate exercentis, sicut & in aliis impedimentis affinitatis, criminis. Secus si non habuisset animum exercendi munus patrini; tunc enim reverà non esset patrinus, etsi sic fingendo graviter peccaret, cùm Ecclesia requirat patrinum, utique verum sub gravi obligatione, ut bene notat Tambur. cit. *c. 4. §. 3. num. 3.* Hac ergò intentione secluſa, nulla contrahitur cognatio; nec consequenter impedimentum, ut si puer vel puella omnino ignoret, quid tali actione agatur, si quis præcisè teneret, ne infans cadat, vel ut alteri rem gratam faciat, &c. At quid si per errorem leves filium Titii putans esse filium Sempronii amici tui? Te adhuc cognationem contrahere docent *Coninck, Pontius*, alii. At rectius non contrahere (nisi forte habeas intentionem tenendi hunc, quiscunque offeratur) docent Sanchez *l. 7. disp. 58. num. 7.* Bonacin. alii cum Tambur. *eodem c. 4. §. 4. num. 4.* Ratio est: quia per cognationem illam inducitur obligatio, eáque satis gravis ad suscептum: at non potuit contrahere obligationem adhuc, quem tenuit, sed ignoravit, & alium putavit; cùm nihil sit volitum, nisi cognitum.

II. Quandò contra præscriptum Trident. 94 plures duobus assignantur, aut duo viri vel duæ fœminæ, & omnes admittuntur à Parocho, illi soli evadunt patrini, & cognati spirituales, qui intra numerum permissum à Tridentino primi tangunt, ac suscipiunt infantem, utpotè primus vir, vel prima mulier, aut primus vir & mulier tantùm, reliqui nihil agunt. Ex communi Suarez *hic quæst. 67. art. 8.* Sanchez cit. *disp. 57. num. 14.* Dicastil. cit *disp. 7. num. 286.* Quòd si admissi omnes tangant simul; tunc juxtà *Suarez* cit. nullus contrahit cognationem spiritualem; quia resistit Tridentinum. At juxtà *Sanchez. Dicastil.* cit. & alios, omnes contrahunt cognationem spiritualem; quia Concilium solùm videtur prohibere talem concursum, non irritare actum. Utrumque probabile. Certò autem non contrahunt eo casu, nisi quos designatos à parentibus admisit Parochus, sicut nec illi, quos ultrà designatos à parentibus ipse Parochus designasset: certò autem illi, quos in defectu parentum Parochus designat. Omnia ex communi latè Sanchez cit. *num. 15.*

III. Requiritur omninò ad hanc cognatio- 95 nem tactus physicus infantis seu baptizandi (itémque confirmandi) & non sufficit sola assistentia: quin imò requiritur, ut quis vel actu teneat infantem, dum super ipsum aqua effunditur, vel certè immediatè accipiat è manu ipsius baptizantis, uti contra *Sotum, Lopex, Sa*, & alios solâ assistentiâ contentos; apud *Sanchez* cit. docet communis DD. cum eodem Sanchez, *l. 7. disp. 56.* & certum testatur Perez *disp. 29. Sect. 4.* Nam sacri Canones, ipsummet Trident. semper utuntur his verbis: *tangendi, levandi de sacro fonte, tenendi, suscipiendi* &c. quæ certè tactum physicum, non assistentiam solam important: Et quidem tactum immediatum, ut proindè non fiat patrinus vel patrina ille vel illa, cui tradit infantem is, qui prior immediatè à baptizante accepit. Uti docent *Sanchez, Pontius, Perez, Bonacin.* eosque secutus *Dicastil.* suprà, in specie exprimens commatrem non contrahere cognationem spiritualem, quando suscipit infantem de manibus compatris, qui prior acceperat à baptizante; quia non censetur suscipere ex Baptismo; atque ita in contingentia

Universidad de Deusto
Biblioteca

facti expresè declaravit sacra Congregatio S. Officii apud Gallemart. ad Trident. *Sess.* 24. c. 2. & describit Gobat *tract. 2. seu Alphab. baptizant. cas. 17. n.* 539. excipiens tamen, nisi consuetudine antiqua in aliqua Diœcesi (prout testatur de Constantiensi) oppositum introductum esset.

96 IV. Potest quis patrini munus obire etiam per vicarium, substitutum seu Procuratorem, vel legatum, juxta receptam & notissimam praxin; & tùm ipse principalis patrinus per alium baptizatum vel confirmatum tenens cognationem spiritualem & impedimentum matrimonii cum baptizato vel confirmato, ejúsque parente contrahit. Uti contra *Navar. Sanchez*, ac plures alios apud ipsos, docet jam communis DD. quos citant, & sequuntur Layman *part. 4. c. 8. num. 5.* Pontius *l. 9. de Matrimon. c. 3. num. 10.* Perez *disp. 19. sect. 7.* Tambur. *De baptismo l. 2. c. 4. §. 4. num. 8.* Gobat. *tract. 2. Alphab. baptizant. cas. 17. num. 546.* fertúrque sæpiùs declaratum à sacra Congregatione Cardinalium.

Ratio est; quia generalis ista consuetudo in Ecclesia notissima habet vim declarandi legem, & regulam illam juris *in 6. Qui fecit per alium, est perindè, ac si faciat per se ipsum*: At verò substitutus, Procurator &c. tenens, hanc cognationem & impedimentum minimè contrahit; quia is non suo, sed alterius nomine tenens verus patrinus non fit, sed solùm veri patrini officio fungitur. Uti contrà *Sotum, Toletum, Rodriq.* & alios docet jam communissima DD. meique citati omnes: idque expresè declaratum est à S. Congregatione Cardinalium, apud Pontium & Barbosam *De offic. Paroch, c.* 18. *num.* 15.

Quid si ergò ego rogatus, ut suscipiam è fonte
97 baptismali infantem Titii, dicam, me susceturum; sed pœnitens dicti rogo meum vicinum velit esse patrinus, me libenter daturum sumptus, qui solent fieri ratione talis actûs: isque acceptat, & præstat libenter? eróne ego patrinus? ℟. Non eris; quia alter non tuo, aut Procuratoris nomine, sed jam suo proprio nomine infantem suscipit, etsi tuo rogatu. Accipe unum & alterum casum.

98 Ordinarius patrinus, qui solet omnes meos liberos suscipere, non est domi: ideóque postulatur à me vicarius pro ipso ordinario susceptore sed nesciente alium esse sui vice seu nomine postulatum patrinum. Uter hîc erit patrinus & cognationem spiritualem contrahet? ℟. Neuter. non vicarius ille substitutus; quia defuit illi intentio tenendi suo nomine, & alioquin substitutus cognationem non contrahit, ut dictum est. Non ordinarius meus, quia supponitur nulla fuisse ab ipso facta substitutio; nec tacita hic præsumptio locum habet; quia agitur de onere & obligatione, quam nullus præsumitur sibi velle imponere.

Rursus, Titius advocatus à parentibus, ut esset patrinus Cajæ, dignitatem acceptat, & ad Ecclesiam cum cæteris vadit, ibi comparet Fridericus Legionarius Titii, cui hic urbanitatis causâ cedit, permittitque, ut puellam teneat, & è fonte levet. Post sedecim annos Titius Cajam vult ducere, & quærit, an impedimento laboret. Fuit negativa resolutio; non enim per invitationem aut acceptationem contrahitur cognatio spiritualis, sed per levationem ex fonte. In hoc ergò casu non Titius sed Fridericus contraxit cognationem spiritualem. *Hic casus fuit ita resolutus in nostra (Pragensi) Consistorio, me Eminentissimi Cardinalis ab Haracb vices gerente*, sic refert Joannes Caramuel *in sua Theologia, num. 553.* Cui omninò acquiesco; Titius enim non fuit patrinus, quia nec levavit ipse infantem: nec Fridericus ejus superior egit procuratorem: Quia verò Fridericus eum verè tenuit Parocho consentiente & approbante, liberaliter sine dubio præsumpto consensu parentis cum agatur de favore parentis; nihil obest, quo minus dicatur evasisse verus patrinus. Hæc exempli causâ pro luce afferenda, ad similes casus solvendos.

§. XIV.
CRIMEN.

99 IMpedimentum criminis est scelerata quædam conjunctio, qua conjux adhuc vivente suo comparte cum alio vel alia de matrimonio ineundo cum crimine aliquo conspirat, propter quam sceleslam conspirationem cum tali crimine oritur impedimentum dirimens matrimonium inter illas personas sic criminosè conspirantes; & hinc dictum impedimentum criminis. Idque rationabilissimè, ut nimirùm videntur talia crimina, cædes, adulteria inter conjuges, dum hoc modo delinquentibus auferatur spes inter sese contrahendi. Triplex autem vel potiùs quatruplex reperitur in jure ejusmodi crimen, & inde impedimentum dirimens matrimonii: *primum*: solum homicidium: *secundum*: homicidium cum adulterio: *tertium*: solum adulterium cum promissione matrimonii in futurum post mortem conjugis: aut (charitatis gratiâ rectè aliqui quartum crimen computant) cum actuali contractu matrimonii de præsenti, utique invalido. Concilium Trident. aliud crimen addidit, quoad matrimoniû dirimit, scilicèt raptum; sed jam hoc comodiùs sub classe *consensus insufficientis* computavimus; cùm mens Concilii eo decreto fuerit, non tam punire raptorem, quam prospicere libertati matrimonii ac consensus voluntarii respectu puellarum.

Primum Crimen.

Solum Homicidium, scilicèt uxoricidium vel maricidium.

100 QUandò quis occidit uxorem suam, vel maritum alterius (aut contrà maritum suum vel uxorem alterius) ex prævia conspiratione cum illa vel illo: seu quandò ambo machinantur mortem, vel conspirant in mortem uxoris vel mariti, cum intentione, ut illa peremptâ, inter

inter se matrimonium contrahant, effectu secuto est impedimentum dirimens matrimonium inter illos homicidas conspirantes tantùm. Omnes Claro jure, *c. si quis vivente. 31. quæst. 1. c. laudabilem de convers. infidel.* & alibi. Ratio jam indicata est. Conditiones requisitas ad impedimentum incurrendum jam satis expressas breviter explico.

I. Quandò quis occidit vel interficit *effectu secuto*. Non sufficit sola quæcunque attentatio vel machinatio mortis: non vulneratio gravis, mutilatio: intoxicatio si mors re ipsa non sequatur, ut clarè significatur juribus citatis; nam verba legum præsertim pœnalium, debent intelligi cum effectu. *c. relatum de clerico non residente.* Perindè autem est, sive quis occidat physicè per se ipsum, ferro, veneno, veneficio, sive per alium moraliter occidat jussione, consilio, suasu, consensu prævio in occisionem suo nomine vel in sui gratiam faciendam, prout manifestè colligitur ex utroque loco juris allegati, non autem sufficere ratihabitionem, dicam mox.

II. *Uxorem suam vel alterius*; perinde enim est, sive occidas tu ipse physicè vel moraliter, sive alter vel altera, tuo consensu vel conspiratione, occidat tuam uxorem, jam enim ambo machinatis mortem uxoris mutua conspiratione. Idémque perinde est, sive vir occidat uxorem, sive uxor, ut æquè frequens, per se vel complicem occidat maritum. Nam sic *c. si quis vivente. &c. laudabilem* in primo casu, expresè sermo est de occisione mariti. Et contrà paucos docet communissima DD. cum Sanchez *l. 7. disp.* 78. Layman cit. c. 10. *num.* 4. optimeque defendit Dicastillus.

101 III. *Ex prævia conspiratione*, scilicèt cum scitu, consensu, consilio, auxilio, vel qualibet cooperatione alterius. Quare si unus tantùm vel una, sine conspiratione, consensu vel scitu alterius, occidit conjugem, si nihil aliud addatur non nascetur impedimentum, sed superstites poterunt validè matrimonium contrahere, juxta communem DD. apud citatos, & colligitur, ex eodem *c. laudabilem de convers. infidelium.* Et nota: *ex prævia conspiratione*; minimè enim sufficit sola ratihabitio occisionis tuo nomine vel in tui gratiam jam factæ ab altero vel vel altera etiam complice; quia sola ratihabitione hoc impedimentum contrahi, nullo jure exprimitur; neque enim ratihabitio est machinatio mortis, quam jura requirunt, nec præbet occasionem cædis, quàm jure detestantur; sed mortem vel cædem jam factam supponit. Communissima DD. & citati omnes.

102 IV. *Ex intentione contrahendi matrimonium cum illo vel illa.* Ad hoc impedimentum contrahendum necessariò requiritur, ut conspiratio illa in mortem conjugis, ac mortis machinatio fiat ex, vel cum intentione contrahendi matrimonium cum illa ipsa vel illo complice, Communissima cum Sanchez *disp.* 78. *num.* 13. Layman. c. 10. *num.* 4. *Pontius*, *Perez* cit. Et patet ex intentione legis, quæ per hanc pœnam & impedimentum intendit, impedire, ne qui vel quæ cupiditate alieni matrimonii occidat propriam, vel alienam conjugem. Quare imprimis, qui alio fine vel motivo, quàm ut matrimonium contrahant, v. g. ex odio, vindicta, vel ne deprehensi in adulterio à marito occidantur, aut de adulterio accusari possint, &c. conjugem communi conspiratione occiderunt, hoc impedimentum non contraherent, uti cum Navar. *l. 4. consil. 1. c. de eo qui duxit.* docet communis DD. ac citati omnes. Item si Titius v. g. suasu vel cooperatione Cajæ occidat uxorem suam, ut ducere possit, non ipsam Cajam, sed aliam quamcunque, vel determinatam hanc Semproniam sceleris ignaram, nihil impedietur Titius, quin postea possit ducere utramlibet, sive Cajam sive Semproniam, modò cum neutra earum ante mortem conjugis mœchatus sit (tunc enim nasceretur secundum crimen) uti ex *Coninck* & aliis resolvit *Layman* c. 10. *num.* 2. quia non occidit ex intentione contrahendi cum complice seu conspirante. Necesse tamen est, eam intentionem contrahendi cum ipsa complice, fuisse alteri parti manifestatam alioquin non poterit esse conspiratio ex intentione ineundi matrimonium. Sufficit tamen sola intentio seu voluntas contrahendi, neque requiritur promissio, seu ut fides data sit de matrimonio ineundo inter ipsos, prout expresè deciditur. c. *super hoc* eodem titulo. *De eo qui duxit.*

Tandem in hoc primo crimine, quando ambo machinati sunt mortem conjugis, non requiritur adulterium; cum juxta jura allegata satis sit dicta mutua conspiratio cum occisione secuta; si autem accedat & adulterium, erit crimen mixtum ex primo & secundo, eóque ipso difficilioris dispensationis, & ideò in supplicatione necessariò explicandum. Declaro hoc crimen uno & altero exemplo authentico.

Jovius uxorem suam adulteram & adulterum 103
odit, & per insidias occidere parat; adulter & adultera id rescientes absque intentione contrahendi matrimonium, illius mortem machinati sunt, & secretò occiderunt, posteà matrimonium contraxerunt in facie Ecclesiæ. Quæritur: an teneat? ℟. rectè Navar. cit. *Consil.* 1. tenuisse; *idcircò, quòd ex narratione facti clarum fit, interfectionem illam nequaquàm provenisse ex intentione contrahendi inter se post mortem occisi.* Sic Doctor Navarrus.

Hortensia juncta matrimonio cum Petro, perpetravit adulterium cum Achille, qui gerebat inimicitas cum Petro, & Hortensia quoq; Petrû oderat; quòd ab illo duriter haberetur; ineunt consilium, ut eum interficiant, quod & factum est, primâ quidem intentione ulciscendi, quia oderant, secundariâ contrahendi simul; vel saltem de hac dubitant. Quæritur, an ortum sit impedimentum dirimens: & quid faciendum, si contraxerunt? Hic sceleratus casus his verbis propositus fuit Leonardo Lessio *in Auctor. v.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matrimonium caſ. 10. atque ita ſapienter reſolvit. 1. Fuiſſe ortum impedimentum, ſi ſaltem ſecundaria intentio fuit poſtea contrahere; quia jura ſimpliciter requirunt intentionem illam contrahendi, nec uſquam exprimunt, intentionem illam contrahendi debere eſſe primariam. 2. Si dubitent, an habuerint eam intentionem ſecundariam, debere eos abſtinere à matrimonio, eò quòd contracturis debet mortaliter conſtare, non ſubeſſe impedimentum, alioquin exponerent in ſe periculum fornicationis; atque eo caſu in foro externo omnino præſumptionem eſſe, adfuiſſe talem intentionem: atqui in foro externo ſtatur præſumptione, quandò non conſtat de oppoſita veritate.

Secundum Crimen.

Homicidium cum adulterio.

104 QUandò ſolus adulter, comiſſo adulterio, occidit ſuam uxorem (aut contra ſola adultera ſuum maritum) absq; conſpiratione cum complice, ex intentione tamen perveniendi ad matrimonium cum adultera vel adultero, naſcitur impedimentum criminis dirimens matrimonium contrahendum inter adulteros. Omnes. Conſtat ex *c. Super hoc. c. Significavit nobis. De eo qui duxit.* Idque etiam locum habere, ſi adultera ſola ſimili intentione occidat maritum, patet ex ſuprà cit. *c. Si quis vivente.* 31. *quæſt.* 1.

105 Ad impedimentum ergò hoc contrahendum non ſufficit ſola occiſio uxoris vel mariti, ſed requiritur etiam adulterium commiſſum ante occiſionem actualem conjugis; ſive deindè adulterium antecedat, ſive ſubſequatur machinationem mortis conjugis, dummodò vivente adhuc conjuge. Communis. *Sanchez*, *Pontius*, *Layman*, alii citati. Ut ſi venenum propinaſti uxori vel marito, aut mandaſti ſicario, ut occidat Bertam uxorem tuam, & poſt illud mandatum vel propinationem ante mortem Bertæ commiſiſti adulterium cum Caja, conſurget impedimentum: non autem conſurgeret, ſi cum eadem Caja peccaſſes primùm poſt mortem Bertæ; tunc enim non potuit ampliùs fieri adulterium: jura autem requirunt occaſionem cum adulterio. Communis apud citatos. Item rurſus requiritur, ut occiſio conjugis fiat ex intentione perveniendi ad matrimonium cum adultera, ut colligitur ex motivo juris initio allegati, docéntque DD. communiter, Theologi, Juriſtæ, Summiſtæ. Quarè, ſi occiſio vel machinatio mortis uxoris vel mariti fieret ex alio motivo v.g. liberiùs cum hac aliáve peccandi, vel aliam quamcunque fœminam ducendi, non inducetur impedimentum inter adulteros. Advertit tamen benè Sanchez *cit. num.* 19. hanc intentionem ſemper præſumi in foro externo, quoties occiſor vult contrahere cum ea, cum qua commiſit adulterium; ideóque idipſum etiam præſumi debet in foro interno in dubio, quandò non conſtat oppoſita veritas, ut paulò ſuprà indicavi. Non tamen neceſſe eſt, ut hæc intentio occiſoris matrimonii contrahendi ſit manifeſtata adulteræ cum qua intendit contrahere ut contra Pontium & alios rectè docet Averſa hic *quæſt.* 18. *Sect.* 4. cum Tambur. *tract.* 1. §. 2. *num.* 3. Quia in hoc ſecundo crimine non requiritur conſpiratio duorum, ſicut in primo crimine præcedente. Quale autem in hoc & ſequentibus criminibus intervenire debeat adulterium, dicam mox infra *num.* 4.

Tertium Crimen.

Adulterium ſolum cum promiſſione matrimonii de futuro.

QUandò adulter & adultera, ſive ante ſive 106
poſt adulterium commiſſum promittunt & fidem dant de matrimonio poſt mortem conjugis contrahendo, eſt impedimentum dirimens matrimonium inter illos contrahentes. Ex communi Sententia, ex plurimis ſacris Textibus, *c. Relatum* 1. *quæſt.* 1. *c. propoſitum. c. Ex litterarũ. c. Significaſti. c. Veniens. &c. De eo, qui duxit.* Ratio rurſus ſemper eadem, nè ſcilicèt ob promiſſionem factam matrimonii contrahendi captetur occaſio machinandi mortem alterius conjugis, inter adulteros. Vides jam in hoc tertio crimine non requiri occiſionem vel machinationẽ mortis, ſed ſufficere adulterium: cum promiſſione matrimonii. Vides etiam, non ſufficere ſolum adulteriũ, alioquin omnes adulteri vel adulteræ invalidè contraherent ſecundas nuptias: Sicut neq; ſufficit ſola promiſſio futuri matrimonii poſt mortem conjugis, quippè quæ per ſe loquendo, ſpectato jure naturæ illicita non eſt: attamen per accidens, quia tales promiſſiones ſolent eſſe cauſæ multorum malorum; ideo meritò *c. Finali*, *De eo, qui duxit.* graviter delinquere dicuntur, eísque pœnitentia injungi præcipitur, qui matrimonio legati promittunt alteri matrimonium poſt mortem conjugis. Et meritò Parochi ejuſmodi promiſſionem factam audientes ſuſpicantur, & inquirunt de ulteriori malo. Itaque

I. Ad hoc impedimentum requiritur & ſuf- 107
ficit adulterium ſimul cum promiſſione futuri matrimonii, ſive adulterium ſit commiſſum ante, ſive poſt promiſſionem ſeu fidem datam, uti expreſsè habetur eodem *c. Finali* Neque requiritur, ut unum fiat intuitu alterius per modum pacti conditionati, v. g. dicendo: promitto me ducturum te, mortua conjuge mea vel tuo, ſi feceris poteſtatem corporis; hoc enim nullibi exprimitur, ſed ſufficit, cum adulterio ante vel poſt fieri promiſſionem matrimonii, eámq; promiſſionem ante adulterium non eſſe revocatam, ſi enim revocata anteà ſit, jam non erit adulterium cum promiſſione, adeóque nullum ampliùs impedimentum; at verò ſi promiſſio facta poſt adulterium, etſi ante mortem conjugis revocata ſit, impedimentum jam ante contractum per adulterium cum promiſſione, utique permanebit, ut ex communi rectè notat Sanchez cit. *num.* 7. Bonacin. hic *quæſt.* 3. *propoſit.* 2. alii paſſim. Hinc ulteriùs,

II. Re-

108 II. Requiritur, ut promiſſio & adulterium vivente eodem conjuge facta ſint. Unde ſi fides data ſit ſub eodem matrimonio, atque adulterium commiſſum ſub alio matrimonio poſteriori: aut contra adulterium comiſſum ſub priori promiſſio autem facta ſub poſteriori matrimonio, non erit impedimentum; quia per poſterius aliud matrimonium diſſoluta eſt connexio adulterii & promiſſionis. Ex communi Sanchez *l.* 7. *diſp.* 79. Coninck, alii cum Layman *c.* 10. *num.* 4. At quid ſi Titius & Berta bona fide putantes Cajam Titii uxorem jam eſſe mortuam, ſic invicem promiſerunt matrimonium; deindè certè cognoſcunt eam adhuc vivere, & nihilominùs committunt adulterium? Incurruntne hoc impedimentum dirimens? Affirmant ſimpliciter *Averſa* & *Perez.* apud Tamb, hic *c.* 6. §. 3. *num.* 11. Sed rectius ſic diſtinguentem: Si Titius & Berta poſt cognitam vitam Cajæ commiſerunt adulterium ex vi promiſſionis priùs factæ, cum ſpe futuri matrimonii, adhuc ſine dubio exſurgit impedimentum; quia ſic perſeverat promiſſio facta, & quidem jam ſub mala fide, quæ ante erat ſub bona fide.

At verò ſi cognitâ Cajæ vitâ nihil ampliùs moveantur promiſſione priùs facta, quam jam tanquam impoſſibilem factam ceſſaſſe & exſpiraſſe apprehendunt; quia nimirum vivente Caja matrimonio jungi non poſſunt, & tamen committunt adulterium, non contrahent hoc impedimentum; quia ſic adulterium hoc non eſt amplius conjunctum cum promiſſione anteà facta, quod valdè notandum. Hæc ſatis de ſimutare adulterii & promiſſionis: breviter nunc videndum, qualis promiſſio & quale adulterium requiratur ad hoc impedimentum eligendo Sententias mitiores pro liberatione eorum.

109 III. Requiritur ad promiſſionem matrimonii, ut ſit ſeria ſeu utrinque ſeriò & ex animo facta, ab altera parte acceptata, & abſoluta. Non ergò incurritur impedimentum 1. Si promiſſio ex utraque vel una ſaltem parte fictè fieret. Layman cit. *c.* 10. *num.* 4. *Bonacin. Henriq, Diana*, alii, contra *Sanchez*, *Perez*, *Dicaſtil.* & alios. 2. Si promiſſio, etſi ſeriò facta ab una parte, ab altera parte acceptata non ſit. Communiſſima cum Sanchez *diſp.* 79. *Layman*, aliis. Quid ſi altera pars taceat? Cenſebitúrne conſentire & acceptare, ſicque impedimentum contrahi? Negat *Sanchez* cit. Quia ſumus, ait, in re nociva ob impedimentum contrahendum. Affirmat *Coninck* cum aliis; quia ſumus, ait, in re favorabili, nam matrimonium apprehenditur ab iis ut bonum. Utrumque probabile cenſet Tambur. cit. *c.* 6. §. 3. *num.* 7. Et ego, niſi de conſenſu conſtet, in mitiorem ſententiam inclino. 3. Si promiſſio fiat conditionatè conditione ante mortem conjugis non impleta, ut ſi dicas adulteræ: promitto de ducere, ſi pater meus profectus fuerit: & ante mortem uxoris pater non proficiſcatur, non orietur impedimentum. Sic (contra *Sanchez* & alios,) *Coninck, Layman, Perez diſp.* 33. *Sect.* 4. Tambur cit. *num.* 4. alii. Ratio eſt; quia promiſſio conditionenataante conditionẽimpletã non eſt ſimpliciter promiſſio aut fides data, quã requirunt ſacri Canones. 4. Probabiliter etiam requiritur ultra promiſſionem acceptatam abſolutam, etiam repromiſſio viciſſim facta ab altera parte, ſeu promiſſio mutua, ſicut ſi contrahere attentarent matrimonium de præſenti in crimine ſequenti requiritur mutua promiſſio & repromiſſio. Ita poſt *Henriq. Layman num.* 4. Etſi probabiliùs neget cum pluribus Sanchez *diſp.* 79. *num.* 20. Sed ſatis ſit probabiles opiniones hujus impedimenti inſinuaſſe, ſi curioſus es, vel caſu urgeris, lege citatos.

IV. Ad contrahendum hoc impedimentum 110
requiritur adulterium verum & formale ex utraque parte ſeu utrique parti cognitum & perfectè conſummatum cum immiſſione ſeminis intrà vas naturale. Communis DD. ac citati omnes. Non ergò incurritur hoc impedimentum imprimis, ſi neutra, vel altera pars neſciat ſe committere adulterium, ut ſi puella neſciat hunc virum eſſe matrimonio ligatum, aut ignoret ejus uxorem adhuc vivere etſi ignorantiâ craſsâ. *Sanchez, Coninck, Layman, Perez*, alii paſſim. Et conſtat expreſsè c. *Propoſitum. De eo, qui duxit.* infra deſcribendo. Et aliàs Canones requirunt ſcientiam. Deindè, ſi reipſa non ſit adulterium, ſed tantùm formaliter per conſcientiam erroneam, ut ſi Titius & Berta putent conjugem alterius adhuc vivere, cùm tamen revera jam obierit: aut putent, eſſe verum matrimonium illud prius, cùm tamen revera ob impedimentum occultum nullum ſit. Nam univerſaliter ſemper requiritur matrimonium prius fuiſſe validum, etſi tantummodò ratum, aut divortio diſſolutum. Ut notat Sanchez *diſp.* 78. in fine. Communis apud Tambur. cit. §. 2. *num.* 6. Denique non contrahitur impedimentum ob quoscunque tactus & actus impudicos, etiam pollutiones invicem procuratas, etiam copulam inchoatam, &c. Eodem prorsùs modo, quo ſuprà dictum de copula requiſita ad contrahendum impedimentum affinitatis, hic per omnia applicanda. Ratio omnium eſt; qui jura in re odioſa ſunt ſtrictè interpretanda; ergo in caſu noſtro non ſunt intelligenda, niſi in adulterio perfecto, abſoluto, & utrinque conſumato, &c.

Crimen quartum.

Adulterium ſolum cum alio matrimonio contracto.

QUandò adulter vel adultera commiſſo a- 111
dulterio inſuper contrahunt, vel potius contrahere (utiq; invalide) attentant matrimonium per verba de præſenti, ſtatim naſcitur inter eos impedimentum dirimens, ut deindè, etiam mortua uxore adulteri, vel marito adulteræ, matrimonium validè contrahere nunquàm poſſint. *Omnes* Conſtat variis Capitibus eodem titulo: *De eo, qui duxit.* Et ratio eadem à fortiori; ſi enim ob excludendam oc-

Universidad de Deusto
Biblioteca

casionem machinandi mortem conjugis ex sola promissione matrimonii cum adulterio nascitur impedimentum dirimens, multò magis nascetur ex consensu de præsenti cum simili adulterio.

Intellige rursús eadem ratione de adulterio vero formali ex utraq; parte perfectè consumato, juxta dicta in crimine præcedent. *N. IV.* Declarat authentica sententia Alexandri III. c. *1. de eo, qui duxit.* Sic loquitur: *Propositum est nobis quòd quidam vir uxorem habens, sibi aliam hujusmodi rei insciam copulaverit, sed prima mortua discedere nititur à secunda. Sed licèt in Canonibus habeatur, ut nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maximè, cui fidem dederat uxore sua vivente: vel quæ machinata sit in mortem uxoris; quia tamen præfata mulier erat insci a, quòd ille aliam haberet uxorem viventem; nec dignum est, ut præfatus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet. Consultationi tuæ taliter respondemus: quòd nisi mulier divortium petat, ad petitionem viri non sunt aliquatenus separandi.* Sic Pontifex, compendio confirmans ferè omnia dicta.

112 At, quid si tales putantes conjugem jam esse mortuam vel mortuum, bona fide contraxerunt matrimonium, postea verò cognitò conjugem adhuc vivere, committunt, vel pergunt committere adulteria, idque quasi ex vi prioris contractus? Accipe responsum Doctoris Navar. ad similem casum sibi propositum, *consil. 3.* in eundem titulum: *de eo, qui duxit.* Antonius vivente priori uxore, motus rumore mortis ejus, quæ degebat longè distans ab eo, contraxit cum Berta ignorante Antonium habuisse uxorem, de cujus morte nihil certi constaret: quæ Berta etiam, postquàm deindè cognovit vivere uxorem Antonii, perrexit facere Antonio potestatem sui corporis. Nunc verò sepulta priori sua uxore, & superstite secunda, quærit Antonius: quid sibi faciendum?

Respondet sapienter Navar. 1. Non posse illos convivere, nisi eliciant novum consensum, quandoquidem matrimonium non valuit vivente prima uxore. 2. Licèt novum consensum eliciant, attamen fore illicitum ac irritum, nisi accedat dispensatio Pontificis; quandoquidem Berta perrexit carnaliter adhærere Antonio, etiam postquàm cognovit, vivere adhuc uxorem Antonii. 3. Antonium teneri ducere Bertam volentem; quia illam ab initio decepit, utique non contracturam, si cognovisset, esse incertum: an viveret prior uxor. 4. Addit, illam renovatione consensûs debere fieri coram Parocho & testibus; esto jam præcesserit in facie Ecclesiæ matrimonium illud invalidum. Sed de hoc quarto alibi mitiùs.

Quo jure inductum hoc impedimentum?

113 Certè non jure naturæ vel divino. Ut patet in Davide, qui post adulterium & occisionem Uriæ duxit ejus uxorem Bethsabeam: sed solo Jure Ecclesiastico, locis hactenùs allegatis. Undè si duo infideles commisissent tale crimen, posteà validè contraherent. Quòd si tamen tale crimen committatur à duobus, quorum unus est fidelis, alter infidelis, non poterit hic alteri post Baptismum jungi matrimonio. Ut certum est apud omnes. Et expresè deciditur. *c. 1. de convers. infidel.* Etsi enim ibi sit casus de certa criminis specie, tamen perindè est etiam de aliis speciebus criminis. Ut notat ibidem Glossa. Ratio est; quia tunc impedimentum ab Ecclesia statutum directè in fidelem, redundat etiam in infidelem. Etenim ad invalidè contrahendum matrimonium satis supérque est, quòd alter ex contrahentibus impedimento dirimente alligatus sit. Uti contingit in impedimento voti solemnis in Professione, &c. quod quamvis in altero tantùm reperiatur, matrimonium tamen reddit irritum. Ut ex communi docet Sanchez, *disp.* 78.

Tandem nota semel pro semper, impedimentum hoc criminis tantùm dirimere matrimonium contrahendum inter ipsosmet criminosos, qui tale crimen homicidii vel adulterii commiserunt: non item dirimere matrimonium contrahendum cum aliis; imò hodie neque impedire quidem; quamvis hæc ipsa & alia nonnulla crimina jure veteri erant impedimentum impediens seu prohibens matrimonium omne aliud contrahendum, de quo brevi posteà. 114

Supponimus autem semper, sicut generaliter ad incurrendum quodvis impedimentum dirimens, ita & hoc criminis impedimentum, non requiri scientiam talis impedimenti, nec excusare ignorantiam, quod tali crimine contrahatur impedimentum dirimens, & matrimonium fiat nullum; quia etiam hoc impedimentum ab Ecclesia inductum est non præcisè in pœnam delicti, sed principaliter ad absterrendos homines, ne spe matrimonii crimina committant prout unanimiter supponunt DD. universi suo loco allegandi; neque ullus hactenus DD. in dubium revocavit. Novissimè Diana *part. 13. resol. 51.* pro oppositа sententia citat *Baucyum*: *Baucyus* autem id ex se non asserens citat *Paludani* antiquam sententiam obsoletam, adeòque hodie nullam probabilitatem afferentem; quia tamen nec *Diana*, nec *Baucyus* ulla nota afficiunt oppositam sententiam *Paludini*, ideò ego cum P. Gobat hic *cas. 10. num. 202.* non verer illos, qui bona fide contraxerunt adstricti impedimento criminis relinquere in bona fide.

CLASSIS IV.

Impedimentorum.

NIMIA DISTANTIA.

Continet duo vel tria ultima impedimenta: *Cultus disparitas: impotentia*, sub qua etiam comprehenditur impedimentum ætatis.

SUMMARIA.

115. *Matrimonium fidelis cum infideli seu non baptizato nullum est.*

117. *Valida autem sunt matrimonia Catholicorum cum hæreticis regulariter.*

118. *Illicita tamen mortaliter per se loquendo.*

120. *Et prorsus impia cum promissione relinquendi partem prolium in fide hæretica.*

121 *Impotentia coeundi,*

123. *Quando censeatur adesse, & unde oriatur?*

124. *Si perpetua sit & incurabilis licitè ac antecedens,*

125. *Dirimit Matrimonium contrahendum tantùm.*

126. *Quid in dubio, an sit perpetua, nec ne?*

127. *Impotentia superveniens non dissolvit matrimonium semel contractum.*

128 *Nulla impotentia temporalis tantùm etiam antecedens dirimit.*

130. *Impotentia ætatis jure naturæ dirimit solum inter contrahentes ante sufficientem usum rationis.*

131. *Jure verò ecclesiastico dirimit inter impuberes, masculum scil. ante 14. & famellam ante 12. annum impletum.*

132. *Nisi malitia suppleat ætatem.*

134. *Quoad impotentiam sexûs mixti, seu matrimonia hermaphroditorum ponuntur quatuor casus, usque ad n. 139.*

§. XV.

CULTUS DISPARITAS.

115 Hoc est: Diversitas Religionis, sed illius solius, quæ est inter fidelem & infidelem, seu baptizatum, & non baptizatum est impedimentum dirimens matrimonium inter illos. Omnium DD. consensu. Id tamen non jure naturali aut divino (quidquid nonnulli sine solida ratione dicant apud *Sanchez* citandum) sed solo Ecclesiastico, eòque non scripto; non enim invenies Canonem qui clarè indicet hanc annullationem. Ut latè disputat Sanchez *l. 7. disp. 71.* sed consuetudinario, consuetudine & perpetuo usu Ecclesiæ approbante. Ut post *Sanchez* & alios communiter, benè probat Perez *disp. 36. sect. 1. num. 4.* addens tamen, provenire ex Traditione Apostolica.

116 Certissimum autem est apud omnes, tale matrimonium esse illicitum jure naturali ac divino, in lege veteri sæpè gravissimè prohibitum: ac etiam in nova: *2. ad Corinth. 6. Nolite Ducere jugum cum infidelibus.* Idque ob periculum perversionis in malæ educationis. Sed de his plura dicere nihil opus vel utile. De hæreticis autem dixi primo Præcepto; *Cùm de communicatione Catholicor. cum hæret.* Ne tamen hoc loco mancus sim, reddo compendio

Matrimonia Catholicorum cum hæreticis.

117 Hæc secundùm leges Ecclesiæ inita valida sunt, saltem regulariter. Communissima Theologorum (adversus nonnullos Canonistas) & certa sententia, adeò ut Bellarmin. *l. 2. de concil. c. 4.* expresè dicat, esse errorem in fide, si quis asserat, matrimonium catholici cum hæretica esse invalidum. Et ratio est; quia nec naturalis, nec divina, nec Ecclesiastica lex, secluso alio impedimento dirimente, irritat ejusmodi conjugia: neque obstat, quòd hæreticus non credat matrimonium esse Sacramentum; nam aut ratio Sacramenti inter baptizatos non potest separari à contractu legitimo matrimonii, ut multi docent: aut certè regulariter hæretici re ipsa non separant cum habent generalem intentionem contrahendi matrimonium more christiano seu à Christo ordinato in vera Ecclesia. Quanquàm negari non possit, esse tam perversos hæreticos, qui simpliciter nolint contrahere cum Sacramento vel indissolubiliter: quo casu matrimonium utique esset nullum; quare dixi *regulariter.*

II. Illicita mortaliter sunt illa matrimonia, ut 118
per se loquendo peccent mortaliter catholici ineuntes matrimonia cum hæreticis: & maximè catholicæ nubentes hæreticis. Ita communis DD. Catholicorum omnium, & nominatim mox citand. N. III. & IV. Ratio multiplex est. 1. Quia communicant cum hæreticis in rebus sacris. 2. Quia ministrant Sacramenta indigno; quia conjuges sunt hic ministri Sacramenti. 3. Exponunt se, præsertim mulieres, periculo apostasiæ. 4. Quia tacitè vel expresè solent promittere, se positivè permissuros, ut dimidia pars liberorum educetur in Religione acatholica. 5. Deniq; quia valdè est credibile, multa ex iis matrimoniis esse jure divino irrita; sicut jam insinuavi. Unde Concilium generale Chalcedonense *can.* 13. & Agathense *can* 67. apud Gratian. *c. non oportet. 28. quæst. 1.* interdicit talia conjugia.

Hinc rectè infert Perez *disput. 36. sect. 2. num. 1.* certum esse, jure naturali, divino & ecclesiastico esse irrita per se loquendo sponsalia catholicæ cum hæretico; quia promissio de re turpi non potest non esse turpis.

III. Illi etiam catholici vel catholicæ per se 119
loquendo peccant mortaliter, qui in Urbibus aut pagis mixtæ religionis contrahunt cum hæreticis. *Valentia. Bellarmin Serarius. Coninck. Lessius* alii citati, Tanner *tomo 4. disp. 8. quæst. 4. num. 99.* Perez cit. *disp. 36. sect. 2.* Busenbaum *l. 2. tract. 3.* Jacob Marchant. *in candelab. tract. 8. lect. 5.* Gobat. *casu 9. num. 218.* alii, (contra Azorium *part. 1. l. 8. c. 11.* Sanchez *l. 7.* disp. 72. consentiente Laymanno *c. 14. num. 2.* si nullum subsit periculum subversionis,) Ratio invicta est, quia illa commixtio non evertit, sed potiùs firmat rationes num. præcedenti allatas: ergò per se non sunt licita illa connubia, nisi exclusis omnibus illis malis & periculis, adsit insuper gravis causa, videlicèt spes sopiendi graves discordias, convertendi conjugem ad fidem: &, ut addit *Lessius*, si puella nequeat inter catholicos reperire conjugem paris conditionis. Porrò quia Germani DD. *Tanner.* & *Layman.* item*que Marchantius* Belga rectissimè testantur, oriri communiter majora mala inde, quàm bona; idcircò reor esse rarum casum, quo sint à parte rei & in individuo licita hæc connubia: meritòque *Tanner.* & Gobat cit. monent Dominos Parochos, ut quoad possunt, se opponant talibus conjugiis, nec assistant, nisi susceptis ex justa causa & sine morali periculo subversionis: nunquam autem; planè nunquam illis, quibus sponsi addunt pactum impium sequens.

IV. Prorsùs impia & nullo modo vel casu 120
licita sunt macrimonia, quibus conjux catholicus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſicus promittit apertè vel occultè ſe relicturum partem liberorum ſine cultura veræ religionis. Ita docent Navar. *l.* 1. *conſil.* 1. *quæſt.* 25. *num.* 63. Coninck, *diſp.* 31. *dub.* 4. Leſſius *in auct. v. hæreticorum cum catholicis converſatio. c.* 33. Tanner cit. Layman cit. *tract.* 10. *part.* 4. *c.* 14. *num.* 3. Dicaſtil. *diſp.* 7. *num.* 705. Marchant cit. *Lect.* 15. Manuale Parochor. *part.* 2. *c.* 7. *num.* 5. Perez de matrimonio *diſp.* 36. *ſect.* 2. Gobat cit *num.* 221. rationem benè dat Layman cit. *Illud porrò apud omnes in confeſſo eſt, ſi matrimonio catholici cum hæretica pactum adjiciatur ut liberorum alii, puta maſculi patrem fidelem; fœmellæ verò matrem hæreticam ſequantur, impium & irritum eſſe: quandoquidem ad utrumque pertinet cura liberos ſuos omnes in vera fide ac religione educandi.* Perez autem cit. ſic loquitur. *De pactis verò, quæ in iſtis conjugiis quandoque ineuntur, ut quidam ex filiis naſcituris fidei catholicæ alii hæreſi adhæreant, certum eſt, eſſe prorsùs impia & irrita, tum contra jus eccleſiaſticum. c. ex litteris. de converſ. infidel. tum contra jus divinum; quoniam parvulis uſu rationis carentibus cura parentum miniſtrare & præbere debet remedia ad ſalutem neceſſaria, adeoquo filii parvuli inſtruendi ſunt in fide & Religione catholica.* Sic Perez nemine contradicente. Et tandem, neque Deus auctor naturæ, nec Chriſtus auctor Sacramenti inſtituit matrimonium ad educandos filios diabolo. ſed Deo.

Obſervat tamen ſapienter & ſingulariter Tanner. cit. *num.* 91. in caſu, quo matrimonium catholicæ cum hæretico licitum eſt, multùmque commodi & momenti habiturum eſt ad publicum bonum promovendum, nec tamen via aut ratio ſuppetit, qua à marito impetret liberam facultatem univerſam prolem ad catholicæ Religionis cultum educandum, non videtur illicitum adjicere cautionem aut exceptionem, ut ſaltem aliqua pars liberorum, nihil impediente marito, in catholica Religione inſormetur nil interim quoad cæteros liberos præjudicando juri catholicæ matris, quæ tenetur pro viribus filios omnes in vera Religione inſtruere. Ita *Tanner.* ita *Gobat;* ita ego: & quidni tu quoque? Hinc ſumes reſolutionem ad ſequentem caſum. Petrus zeloſus Parochus quærit in confeſſione ex muliere, quam ignorat nuptam eſſe viro acatholico, utrum liberos piè & chriſtianè educet? reſpondet illa, filias quidem ita educo, ſed filios viro relinquo; quia ſic mos eſt in hac patria. Quæritur, an Parochus licitè abſolvat talem mulierem? ℟. Licitè, & illicite. Licitè: ſi mulier dicat, maritum ita invigilare perverſioni liberorum, & hos ita pertinaciter adhærere inſtitutioni paternæ, ut ſuâ operâ nihil aliud effectura ſit, quam graves diſſenſiones, evaſuras in verba.

Illicitè: ſi probabilis ſpes appareat alicujus frugis; peccat quidem illa mulier ex erronea conſcientia, ſi ideò abſtineat ab educatione catholica liberorum, quòd in contractu matrimoniali ſpoponderit, ſe abſtenturam; nam (inquit Ulpianus *l.* generaliter. ff. de verbis obligator.) *generaliter novimus. turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti.* Ceſſabit tamen peccatum, ſi mulier ob cauſam aliam modò ſindicatam abſtineat.

§. XVI.

IMPOTENTIA.

IMpotentia coeundi ſeu exercendi copulam carnalem perfectam perpetua præcedens dirimit matrimonium contrahendum, non diſſolvit contractum ſuperveniens, etiam perpetua. Eſt certiſſima apud omnes. Et conſtat toto titulo: *De frigidis & maleficiatis, in* 4. *Decretal. &* 33. *quæſt.* 1. *in Decreto.* Ratio eſt; quia contractus matrimonii eſſentialiter includit obligationem dandi inter ſe corpus ad copulam carnalem: atque juxta regulas juris: *Impoſſibiliũ nulla eſt obligatio.* Et: *Inhabilis ad ſolvendum, eſt etiam inhabilis ad promittendum*: ergò talis perpetua impotentia cœundi eſt impedimentum dirimens ſeu irritans & annullans matrimoniũ, Idque non tantùm jure Eccleſiaſtico, ſed etiam jure divino & naturali, itaque ex natura rei; nam de jure naturæ eſt, ut non poſſis tradere poteſtatem tui corporis ad actum impoſſibilem. Quarè ſive ſcias, ſive neſcias tuam impotentiam, ſi tamen verè impotens ſis, impedimento affectus es. Jam termini parùm verecundi. eceſſariò tamen explicandi ſunt. 121

I. Impotentia coeundi,

NAm impotentia generandi tantùm, ſeu ſterilitas nullum matrimonio affert impedimentum; nunquid enim negabis, ſanctos Zachariam & Eliſabeth fuiſſe veros conjuges? Communiſſima. Et latè Sanchez *l.* 7. *diſp.* 79. *num.* 24. Ratio; quia jam adeſt poteſtas ad actum principalem immediatum, ſcilicèt perficiendi copulam, etiamſi deſit quaſi per accidens effectus copulæ, ſcilicèt proles; adeòque licet tunc non poſſit haberi finis principalis matrimonii, qui eſt prolis generatio, habetur tamen finis ſecundarius, qui eſt remedium concupiſcentiæ; nam propterea poteſt maritus commiſceri uxori jam prægnanti vel partui vicinæ, quamvis ſinè novo effectu copulæ. An peccet, qui ſciens & volens ducit ſterilem, ut ſine effectu prolis, tantùm libidine fruatur. Alibi videbimus *cum de debito.* 122

Petes tamen incidenter. Si mulier potens quidem ſit ad actum conjugalem, nec infæcunda, tamen cum ſuo vitæ periculo vel cum prolis morte ſeu cum abortu ſemper pariat v. g. vidua jam experta. An validè & licitè rursùs contrahet matrimonium? ℟. Certò valebit; quia jam potens eſt ad id, quod eſſentialiter requiritur. Certò etiam illicitè, ſi hoc faciat neſciente novo marito; quia illi magnum damnum infert, dum in re tam gravi eum decipit; ipſa autem ſciente, nequaquàm peccabit ex hoc capite, quia ſcienti & conſentienti non facit injuriam. At verò ex alio

alio capite propter periculum & damnum, quod ſibi ipſi & proli cauſat, peccare mortaliter cenſet Boſſius apud Tambur. cit. *tract.* 1. *c.* 13. §. 2. *num.* 12. Nec excuſari poſſe à fine, remedium adhibendi tentationibus concupiſcentiæ; eas enim aliis mediis, orationibus, mortificationibus cum Dei Gratia ſuperari poſſe. Verùm tunc non peccaturam, ſi marito ſciente nubat, æquè probabiliter docent citati, & nos in ſimili, *cum de debito.* Sanchez *diſp.* 120. quia non facit in juriam nec proli nec ſibi. Non proli; quia melius eſt aliquanto tandem tempore eſſe, quam nunquam eſſe, non ſibi, quia durum eſt negare mulieri remedium matrimonii à Chriſto Domino ad eum finem inſtitutum: & eam compellere ad remedium mortificationis duræ & extraordinariæ; nam neque infirmum, ut vitam ſervet, obligamus ad remedium admodùm difficile conquirendum ac ſuſtinendum.

II. Exercendi copulam perfectam.

123 SCilicet cum emiſſione ſeminis intra vas naturale ſufficienter ad generationem. Impotentia ergò hæc certò adeſt, quandò ex his tribus aliquid deeſt: potentia penetrandi vaſis: potentia emittendi verum ſemen; potentia illud immittendi intra vas. Adeóq; ex parte virorum ex multiplici capite oriri poteſt, utpotè primò; quia eunchus; 2. quia naturâ frigidus verò ſemine omninò caret, aut ſufficiens ad generationem non affert; 3. quia nimis calidus naturâ, ut ſemper totum ſemen effundat, priusquàm aperiatur vas naturale; 4. quia naturæ nimis debilis, membrum ad copulam ſufficienter non erigit; 5. quia membro nimis brevi, aut contrà nimis graſſo vel improportionato: atque etiamſi in his non ſit impotens reſpectu omnium, modò ſit impotens reſpectu hujus certæ perſonæ, cum qua actum perfectum copulæ exercere nunquã poſſit, erit impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, adeoq; diſſolvens nulliter contractum cum illa certa perſona; etſi non impediatur ab omni alio matrimonio, ſed aliam ſibi proportionatam ducere poſſit: quo caſu dicitur, *impotentia reſpectiva.* Cùm autem eſt impotens reſpectu omnium, dicitur *impotentia abſoluta.* Ex parte fœminæ plerumq; obſtat arctitudo tantùm, aut abſoluta, aut reſpectiva, reſpectu talis viri. Unde generaliter à communitur contingentibus in jure impotentes, viri quidem vocantur *frigidi*, fœminæ *arctæ.* Et pro certo notat Sanchez *l.* 9. *diſp.* 7. quòd licèt mulier non poſſit unquam retinere ſemen, nihilominùs ſubſiſtit matrimonium; quia antequam fiat expulſio, copula jam perfecta fuit. Et hinc eunuchi, ſpadones utroq; teſticulo carentes, cùm ex Medicorum omnium ſententia verum ſemen emittere nequeant, invalidè contrahunt matrimonium. Communiſſima. Uti declaravit Sixtus V. apud Sanchez *diſp.* 92. & *Perez diſp.* 37. At verò, qui alioquin ſanis & integris virilibus uno tantum teſticulo caret. certum eſt, eſſe potentem ad verum ſemen emittendum, ideóq; etiam ad matrimonium contrahendum.

Senes decrepiti, ita debiles ut nunquàm poſſint actum conjugalem conſummare, invalidè contrahunt matrimonium; quia jam ejuſmodi potentia eſſet in futurum perpetua. Communis DD. cum Sanchez *diſp.* 92. *num.* 70. Bonacina *hic quæſt.* 3. *propoſit.* 13. Contra tamen, etiam hos ſenes validè contrahere, docet *Henriq.* apud *Bonacin.* cit. eò quòd illa ſit impotentia per accidens, cùm ſemper retineant anteà habitam potentiam ſuam intrinſecam ſeminandi. Opinionem hanc multi ſequuntur RR. ſaltem poſt factum: ut ejuſmodi connubia jam contracta tanquam invalida diſſolvi non debeant, duñodò poſt triennalem experientiam deinceps caſtè vivant, juxtà dicenda inferiùs. Et ego in contingentia facti conſultus ſemel tantùm ſic fieri permiſi. Certum autem eſt quantumvis ſenes & decrepitos validè contrahere matrimonium, ſi per medicamenta vel qualitatem ciborum poſſint fieri ſufficientes ad copulam conjugalem; eo ipſo enim impotentia erit temporalis tantùm. Inſuper Pontius apud Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 75. etiam poſt Bullam Sixti V. docet ſpadones, ſenes & quoſq; impotentes poſſe contrahere matrimonium cum impedimenti conſciis, non ad uſum matrimonii, ſed ad ſocietatẽ vitæ & caſtè vivendum per modum fratris & ſororis. Quam ſententiam probabilem cenſet, & latè defendit *Diana* cit. Verùm eam acriter impugnant alii DD. communiſſimè, & oppoſitam ſententiam negativam Sanchez *l.* 9. *diſp.* 97. vocant certiſſimam Dicaſtil. *diſp.* 7. *dub.* 43. omninò veram: Tanner. *diſp.* 9. *quæſt.* 4, *num.* 136. certum: Perez *diſp.* 37. *Sect.* 4. communem ſenſum totius ſcholæ, idémque ſentiunt *Hurtadus* cum Tambur. cit. §. 2. *num.* 4. Gobat. *caſ.* 13. *num.* 547. & præter rationes latè videndas apud citatos ſufficit Bulla Sixti V. nam abſolutè definit: impotentiam eſſe impedimentum dirimens matrimonium, & nihil diſtinxit quoad hunc vel illum uſum.

III. Perpetua.

PErinde eſt, quòd hæc impotentia copulæ perpetua oriatur ex cauſis naturalibus, ut in exemplis allatis, ſive ex maleficio per magicas incantationes, dummodò talis ſit, ut neque medicinâ, neque ordinariis Eccleſiæ exorciſmis tolli unquam licite poſſit. Eſto 1. tolle poſſit per medium valdè difficile & periculoſum vitæ vel gravis morbi, v. g. arctitudo fœminæ per inciſionem periculoſam, &c. adhuc cenſetur impotentia incurabilis, ut nec mulier teneatur pati, nec vir eventum inciſionis exſpectare, ſed petita ſolutione matrimonii tanquam irriti conjux potens ad alias nuptias licitè tranſire poteſt. Ut ex communi latè probat Sanchez *l.* 7. *diſp.* 93. *num.* 20. 2. Eſtò etiam impotentia illa tolli poſſit per media illicita v. g. incantationem magicam; vel maleficium ligaminis alio 124

Universidad de Deusto
Biblioteca

novo maleficio, &c. adhuc censetur incurabilis; quia quod jure (seu licitè) non possumus, absolutè non posse censemur. 3. Esto etiam per miraculum tolli possit, adhuc tamen naturaliter manet impotentia perpetua & dirimens; unde si conjux cum perpetua impotentia contrahens, postea per miraculum sanetur, nihilominus matrimonium semel irritè contractum, irritum manet, neque convalesceret, nisi novo consensu privatim contrahant. Omnia ex communi *Sanchez* cit. *Layman. c. 11.* alii passim. Aliud est, si impotentia maleficiata sanetur ordinariis Ecclesiæ exorcismis vel mediis spiritualibus, tunc enim sanitas non censetur miraculosa, quippè medio ordinario procurata, & hoc ipso constat impotentiam non fuisse perpetuam, sed temporalem, quippe ordinario medio curabilem; ideóque matrimonium ab initio valuisse. Ut colligitur ex *c. Ultimo. 33. quæst. 1.* & *c. Fraternitatis. De frigidis.*

Denique licèt constitutus in mortis periculo valdè matrimonium contrahat, & quandoque etiam licitè, utpotè ducendo concubinam ad effectum meretricium emendandum, vel ad prolem legitimandam; quia talis habet potentiam exercendi copulam, etsi hic & nunc per accidens impeditam. Communis DD. cum Sanchez *l. 7. disp. 105.* Tamen si in tali, ex vi morbi vel aliundè potentia generativa totaliter destructa vel perpetuò impedita fuisset, ut nullo medio ordinario reparari posset, simpliciter talis homo impotens censebitur, & ineptus ad matrimonium contrahendum, & sic contractum etsi is posteà convalescat & diutius vivat, irritum erit & nullum. Ut rectè monet Coninck *disp. 21. dub. 7.* & ex eo Layman cit. *c. 11. num. 4.*

IV. Dirimit matrimonium contrahendum. tantùm.

125 IMpotentia ejusmodi perpetua antecedens matrimonium, quæ scilicet jam existebat eo tempore, quo matrimonium contrahebatur, dirimit matrimonium contrahendum. Ideóque quamprimum constat medicorum vel matronarum judicio matrimonium cum impotentia perpetua contractum esse, statim separandi sunt conjuges putatitii, potenti libertas aliter contrahendi permittenda. Insuper in dubio: utrum impotentia fuerit revera contracta ante matrimonium, vel posteà secuta? ex communiori probabilius docent Abbas in cit. *c. Fraternitatis.* & Layman. *c. 11. num. 6.* præsumendum esse, quòd impotentia antecesserit; si enim nunquàm copula exercere potuit, & nullis indiciis constet, quandò impotentia contracta sit, præsumi potest jam ante matrimonium exstitisse, ideoque fuisse illud irritum. Idque ego cum Gobat *cas. 18. num.* 432. verum credo, si impotentia provenit ex causis naturalibus; at verò si provenit ex maleficio, res valdè perplexa & minimè tuta est, ut separentur tales conjuges. Ut fatetur Dicastil. *disp. 7. dub. 49.* adhuc tamen concedens, posse in dubio præsumi jam præcessisse, eòquòd hoc malum soleat immitti in eum finem, ut matrimonium dissolvatur. Sed hoc ipsum valdè incertum est, quin potiùs videntur eo maleficio conjuges velle perpetuò affligere malefici homines. Hoc ultimum solatium potest esse confessariis notandum, quòd nobiles DD. afferant matrimonium dirimi per impedimentum superveniens matrimonio rato tantùm, sed nondum consummato, quale semper erit in proposito; nam post consummationem nihil ampliùs dirimere certum est apud omnes. Insuper aliqua adnotanda sunt pro praxi non infrequentis.

I. Cum constat quidem impotentiam fuisse 126
antecedentem, at dubium est, vel non satis constat, an ea impotentia perpetua sit, vel temporalis, non licet statim dirimere matrimonium, sed utendum est privilegio juris *c. Laudabilem. De frigidis & maleficiis.* Quo conceditur ipsis trienne spatium ad experiendum, quo sine emendatione elapso, tandem separandi sunt, datâ licentiâ conjugi potenti ad alias nuptias transeundi, Authoritate tamen Ecclesiæ ob scandala vel pericula & varia mala evitanda. Quòd si tamen fraternæ charitatis vinculo constricti ut frater & soror cohabitare consentiant, abstinentes ab omni carnis copula & impudicitia, id quidem eis jure permissum, sed sæpè non consultum est ob periculum incontinentiæ ex parte conjugis potentis.

II. Matrimonium semel ratum, licèt nun- 127
quàm consummatum, nulla posteà superveniente impotentia dirimitur, ut significatur *c. Hi. qui 32. quæst. 7.* Et quoad matrimonium consummatum certissimum est: quoad ratum omninò communis DD. cum D. *Bonavent. Scoto, Richardo*, aliis *in 4. d. 34.* & Sanchez *l. 7. disp.* 102. Ratio est; quia potestas semel data superveniente impedimento usûs, non irritatur; at in matrimonio rato jam data est potestas: ergò, &c. Attamen iis conjugibus, quibus post matrimonium impedimentum advenit, liciti sunt tactus & oscula ad declarandum affectum conjugalem vel ad sedandam non nihil concupiscentiam, dummodò absit periculum pollutionis, etiam ligatis semper illicitæ. Imò quamdiu probabilis spes supereest copulam aliquandò perficiendi, concessum est talibus copulam conari, etsi præter intentionem pollutio seu effusio totius seminis extra vas contingat. Ut ex communi docet Navar. *c. 22. num. 60. Sanchez. Layman.* cit. Insuper, nondum quidem legi, sed vir magnus, in praxi versatissimus mihi consulenti respondit. Quòd si ex tali impedimento superveniente; v.g. si uxor post puerperium destructa & arcta facta sit, & absq; periculo secari nequeat, si saltem pars seminis subintrare possit, posse se excitare applicando, etsi maior pars seminis effundatur, dummodò aliquid intret, prout regulariter sit attrahente matrice; sic enim in sequenti puerperio fortè remedium invenietur.

III. Nul-

128 III. Nulla impotentia corporalis tantùm etiam antecedens dirimit matrimonium, nisi jure Ecclesiastico in ætate impuberi, de quo mox infrà. Ita omnes, teste Sanchez *l. 7. disp. 92. num. 5.* Sic enim definitum est *c. fraternitatis.* eodem titulo: Neq; enim de ratione matrimonii est, ut possit semper haberi copula perfecta, sed, ut aliquando. Quid si autem laborans impotentia temporali nihil dicat de hoc vitio alteri parti, an non sufficiat hæc deceptio ad dissolvendum matrimonium? R. Esse rem dubiam. Sufficere negat *Sanchez* cit. Concedit *Sot. Henriq.* cit. alii apud ipsum. Utere Sententiâ pro re nata. Cæterùm quandò impotentia habendi copulam tolli potest sine periculo mortis vel gravis morbi, tenetur impotens admittere remedia naturalia v. g. mulier arcta incisionem non periculosam medicorum judicio. *Sanchez, Ponacin.* alii communiter; quia hoc est necessarium ad copulam, cujus potestatem transtulit in maritum. At quid si nolit pati incisionem, valebitne matrimonium? Res rursus dubia. *Bonacin.* ex communi dicit valere; at valere negat Basilius Pontius *de Matrimonio l. 7. c. 62.* cum Diana *part. 3. tract. 4 resol. 201.* ideóque mulierem compellendam ad incisionem non periculosam. Rursùs utere iterùm sententiâ pro re nata.

129 IV. Dictum est jam conjuges impotentiâ laborantes, non propriâ, sed judicis Ecclesiastici authoritate separari debere ob fraudes, scandala aliáq; incommoda evitanda. At quid si postea comperiatur fuisse erratum in judicio, prout non rarò evenit? R. reintegrandum erit illud priùs matrimonium (nisi conjux alter non sinè sceleri alteri adhæserit; tunc enim ad cohabitationem tori conjux inocens admittere non tenetur, sed jure repellere potest. Ut habetur eodem *c. Fraternitatis. eodem titulo.*) Adeóq; aliud posterius matrimonium quodcunque, etiam de licentia judicis Ecclesiastici contractum dissolvendum est. Prout dicitur famosissimo illo casu latè descripto *c. Litteræ, De frigidis.* Pro declaratione & confirmatione dictorum describo compendio.

Mulier O nupsit Viro P. cum quo multos annos morata non potuit ab ipso propter arctitudinem carnaliter cognosci; quare præmissis probationibus arctitudinis; quas jam pridem expressi, celebratum fuit divortium. Eo celebrato mulier O emisit suasu Episcopi Altisiodorensis Ordinarii sui votum continentiæ perpetuæ. Vir P. cupiens fieri pater duxit aliam uxorem; contigit autem posteà, quòd mulier invenit, qui seras hujusmodi reseravit, & abjiciens continentiam, quam promiserat, supernupsit viro G. Interrogatus Innocentius III. rescripsit: Hæc secunda posteriora matrimonia esse dissolvenda, & redeundum ad primum, nisi hunc reditû impediret vel votum solemne mulieris, vel fornicatio viri. Ad hoc impotentiæ impedimentum reducuntur alia duo, ætatis impuberis, & Sexûs mixti. Expedio strictim non tam pro praxi, quæ certè rara est, quam ob vexamina non tantùm in ordine ad matrimonium, sed etiam ad sacros Ordines, & Professionem Religionis; præsertim quoad hermaphroditos.

V. Impotentia ætatis.

Jure naturæ quidem impedimentum dirimens matrimonium esset tantùm ætas indiscreta, seu illa ætas impubes, quæ est destituta usu rationis sufficientis ad hunc contractum, præsertim nunc sacramentalem ineundum, prout infrà de sponsalibus declarabitur, Adeò ut spectato solo jure naturæ etiam impuberes usum rationis consecuti validè matrimonium contrahant etsi defacto adhuc impotentes sint, cum eorum impotentia naturalis & temporalis sit, non perpetua. Undè inter infideles, si cætera non desint, valeret ejusmodi matrimoniũ impuberum, nimirum tanquàm exercendum tempore suo. 130

II. Jure autem Ecclesiastico ætas impubes, 131
scilicet masculi ante decimum quartum, & fœmellæ ante duodecimum annum impletum tanquàm inhabilium ad matrimonium contrahendum declaratorum, est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, nisi ob urgentissimam causam dispensatio fiat à solo summo Pontifice. *c. Continebatur, c. Attestabatur. c. Ubi. c. Ultimo De Desponsatione impuberum.* Et communissima DD. Ratio est; quòd Ecclesia pro inconvenienti habeat matrimonium contrahi ab iis, qui nondum pubertatem & generandi potentiam assecuti sunt: atqui pubertas & generandi potentia plerumq; prædicta ætate masculi & fœmellæ contingit; ergò ea tantùm ætate, non ante matrimonium contrahere possunt, cósque sic posse justè decretum est. Quare secluśa dispensatione peccare mortaliter impuberes matrimonium contrahentes, docent multi apud Sanchez cit. *disp. 7.* Ipse tamen cum aliis æquè probabiliter negat; quia ejusmodi matrimonia videntur dissimulare sacri Canones, & illa interpretantur valere tanquam sponsalia de futuro; ut *sect. sequent.* indè cabimus.

III. Excipit ipsum jus casum, *quo malitia sup-* 132
plet ætatem; si nimirùm certis indiciis ostendatur, puerum & puellam ante dictam ætatem & usum rationis ad eum contractum ineundum sufficientem, & etiam pubertatem seu copulæ carnalis potentiam assecutos esse; tunc enim à matrimonio repellendi non sunt. Ut habetur *c. de illis. 2.* & *c. Ultimò De desponsatione impuberum.* Certè D. Gregor. *l. 4. Dialogor. c. 19.* narrat, suo tempore puerum novem annorum nutricem suam imprægnasse. Quo casu de licentia Episcopi ob gravem & urgentissimam causam (ait Sanchez *l. 7. disp. 120.*) & validum & licitum erit ejusmodi matrimonium impuberis? ait verò sine licentiâ Episcopi & sine justè causa contrahens matrimonium, etsi validè contrahat, peccare tamen mortaliter, post *Navar. Sylvestrum* & alios indicat Sanchez ibidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

num. 2. Quia jam sit verum matrimonium, quod Ecclesia fieri graviter prohibet ob illud impubertatis tempus, nisi ob gravem causam legitimè approbatum utique ab Episcopo.

133 IV. Econtra si contingat masculum vel fœmellam etiam post prædictam pubertatis ætatem ob naturæ imbecillitatem inhabiles esse ad usum matrimonii, tunc plena pubertatis ætas exspectanda est, quæ secundùm jura contingere censetur masculus decimo octavo, fœmellis decimo quarto anno sive ad contrahendum, sive jam contracto, ad consummandum matrimonium. Et deinceps conceditur spatium triennii ad experiendum, utrùm impotentia perpetua sit, nec ne. Ut cum communi docet Sanchez cit. cum Coninck *disp. 31. dub. 7. num.* 84. Layman. *c. 12. num.* 2. Qui omnes rectè admonent, universim consultum non esse, ut in tenera & adhuc infirma ætate puer cum fœmella copuletur, eo quòd matres in partu periclitari, & proles infirmæ nasci soleant.

VI. Impotentia sexûs mixti. Matrimonia hermaphroditorum.

134 CErtum apud omnes, eum, qui habet duplicem sexum, & secundum unum est impotens, non posse contrahere, nisi secundùm sexum, quo est potens: & nullo modo, si neutro sexu sit potens, sicut &, si nullum perfectum sexum habet, raro non tamen nunquam viso monstro. Jam quoad reliqua pono quatuor casus.

135 I. Quidam habet duos sexus, & in utroque potens est, sed inæqualiter. Quid juris? R. si, quidem prævaleat sexus fœmineus, reputanda est mulier. Unde non potest validè Ordines suscipere, nec profiteri in Religione virorum, nec uxorem ducere, sed bene nubere marito. *Omnes.* Tambur. *c. 13. §. 2. num. 27.* merito etiam non concederet talem fieri monialem propter illam aliqualem potentiam sexûs masculini. Si verò prævaleat sexus masculinus, mas reputabitur, & ut talis matrimonium inire potest, non profiteri in Religione Monialium nec nubere viro, validè tamen suscipere sacros Ordines, sed illicitè; quia ut monstrosus irregularis est. De quo alibi.

137 II. Quidam post probationem Medicorum & matronarum peritarum secundùm utrumque sexum est æqualiter potens: quid juris? R. Hic matrimonium contrahere potest secundum illum sexum, quem elegerit, quo electo peccabit mortaliter, si fortè alio uti velit. Imò Parochus hujus matrimonio assistere non debet, nisi is dictam electionem coram judice ecclesiastico faciat, eámq; sub juramento. Sanchez *l. 7. disp.* 106. Pontius *l. 7, c. 65. num. 8.* Unde si mortua conjuge, viduus remaneat, licèt validè contraheret secundum alium sexum, electionem factam mutando, peccaret tamen mortaliter contra juramentum, imò etiam secluso juramento, secundùm *Sanchez*, & alios; quod tamen ultimum negat *Hurtadus* apud Tambur. *cit num. 29.* in fine. Hinc duos hermaphroditos æqualiter potentes in utroque sexu non posse ad usum promiscuum utriusque sexûs, hoc est, modò masculinum, modò fœmineum, nec licitè, nec validè contrahere matrimonium, benè probat Perez *disp. 37. sect. 15*, quia illa essent quasi duo matrimonia, quod videtur abhorrere ab ipsa natura rationali ob majorem, rationem, majoráque incommoda. Talis æqualiter potens in utroque sexu nec mulierum, nec virorum Religionem ingredi valet, nec Ordines validè vel licitè suscipere potest. Ut latè prosequitur *Sanchez cit.*

III. Quædam conjugata incipit esse vir prorumpente natura in sexum masculinum. Quid juris? R. Si maneat in illa etiam sexus fœmineus, validum fuit matrimonium, ipsáque tenetur hunc sexum in usum matrimonii retinere; si verò non remaneat, matrimonium ab initio nullum fuit, & nunc esset invalidum; quia sexus ille fœmineus, in quo contraxit, non erat perpetuus, alioquin ineptus ad matrimonium illud. Non erat perpetuus, quia latebit in illa sexus virilis saltem in dispositione corporis, qui suo tempore jam erupit; sola ergò bona fide hactenus potuit uti matrimonio.

Ob similem rationem rectè docet Lugo *resp. moral. l. 1. dub. 31.* cum Diana *part. 5. tract. 14. resol.* 40. monialem, quæ erupit in marem, nulliter professam fuisse, atque adeò è Monasterio educendam, & minimè cogendam ad professionem emittendam in Religione virorum; quia nec ipsa profitens habuit intentionem profitendi, nisi apud Moniales, nec aliter illam acceptavit Prælatus, nisi ut fœminam. Quidquid aliqui dixerint apud eundem Lugo, qui in casu contingente talem cogere volebant ad profitendum in Religiosorum Monasterio.

138 IV. Quidam conjugatus incepit esse fœmina, subtrahente natura instrumentum genitale. Quid juris? Respondet *Cardinalis de Lugo cit.* tantam mutationem evenire non posse, si tamen contingat, matrimonium quidem fuisse validum, sed statim mutato sexu dissolvi vinculum dicti matrimonii; quia matrimonium constare nequit inter duas fœminas, nec inter duos mares. Verùm Tamburino. cit. *num. 35.* certè & mihi valdè difficile videtur concedere, matrimonii vinculum ante mortem alterius utriusvis dissolvi; cùm omnes Scripturæ, Patres, & Theologi clament, matrimonium consummatum non nisi morte dissolvi. Melius ergò dicitur, quod modò in simili dictum anteà: hoc matrimonium fuisse ab initio invalidum; quia sexus, sub quo contractum fuit matrimonium, & consequenter habilitas personalis ad matrimonium non erat perpetua, latente in corporali dispositione sexu alio, qui deinde apparuit. Propter eandem rationem, si quis talis professus in Religione virorum sic varietur in fœminam, nulliter professus fuisset, nec esset cogendus, ut profiteatur apud Moniales. Ut dictum in simili suprà. At quid si quispiam jam initiatus Sacerdos simili ratione mutetur in fœminam? Respondet idem *de Lugo*: ipsum fuisse verum Sacerdotem, & Sacerdotis characterem per ejusmodi mutationem non amittere; invalidè tamen impositorum consecraturum, vel absoluturum à peccatis, sicut inquit, anima Sacerdotis extra corpus characterem servat, cùm tamen non possit valide conficere; quia exercitium Ordinis conceditur compositio humano virili, non verò soli animæ, nec consequenter tali novæ fœminæ, sic *Lugo*. Sed tu cogita.

SUBSECTIUNCULA.

De Impedimentis impedientibus tantùm;

QUæ nimirum non irritant vel annullant, sed prohibent tantùm, & illicita reddunt matrimonia. Antiquo jure fuerunt varia infra indicanda. Omnia modò vigentia adhuc comprehendimus hoc versu: *Votum, interdictum, feriæ, sponsalia, crimen.*

SUMMARIUM.

139. *Votum simplex impedimentum impediens tantùm.*
140. *Est quadruplex scil. votum castitatis integræ: Religionis ingrediendæ & profitendæ; suscipiendi SS. Ordines; & cœlibatûs.*
141. *Debent tamen esse vota perfecta.*
142. *An & quando peccet contrahens contra tale votum conditionatum tantùm?*
143. *Qualiter impediant Interdictum* 144. *feria* 145. *sponsalia.* 146. *crimen?*

I. Votum.

139 VOtum simplex castitatis impedit matrimonium contrahendum, non autem dirimit ratum, vel consummatum. Omnes, constat liquido jure *c. Meminimus. 1. Consuluit. c. Rursus. Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt. c.* rursùs si habet. *Rursus quidam votum castitatis emittens juravit, se posteà aliquam puellam ducturum in uxorem. Undeà fraternitate tua requisiti arbitramur, quòd, cùm simplex votum apud Deum non minus obliget, quam solemne, pro eo, quòd juravit temerè pœnitentiam agat, & votum, quod Deo fecit, studeat observare. Quòd si, postquam præstitit hujusmodi juramentum, ad nuptias motu proprio convolasset, cùm matrimonium contrahendum impediat votum simplex, non tamen dirimat contractum, nihil ambiguitatis habet quæstio fraternitatis tuæ.* Sic Pontifex. Ratio est; quia talis vovens peccat quidam contra virtutem Religionis contrahendo matrimonium incompatibile cum promissione sua facta Deo, attamen quia tali promissione actu & solemni Deo se non tradit, nec coram facie Ecclesiæ statum mutâsse censetur, prout fit in voto solemni, ideò non invalidat contractum matrimonium, quo solemniter coram facie Ecclesiæ se tradit homini.

Quatruplex est ejusmodi votum simplex: Ipsum votum castitatis seu continentiæ integræ perpetuæ; votum Religionis ingrediendæ &
140 profitendæ; votum suscipiendi sacros Ordines; & votum Cœlibatûs non ducendi uxorem, non nubendi, &c. Omnia matrimonium impediunt, ac mortaliter illicitum reddunt, ipso naturali ac divino jure, cùm scriptum sit: *Vovete & reddite.* Attamen grandis inter hæc notanda disparitas: nam contrahens cum voto simplici castitatis vel continentiæ, non tantùm peccat ipso facto matrimonium contrahendo, sed etiam posteà toties, quoties debitum conjugale exigendo, quamvis alteri petenti reddere possit & teneatur; quia ille vovendo Deo castitatem privavit se jure petendi actum conjugii, quamvis alterum jure suo petendi debitum privare non potuerit. De quo rursùs *c. sequenti. Cum De debito.* At verò post votum ingrediendi vel profitendi Religionem, vel sacrum Ordinem suscipiendi, matrimonium contrahens, tunc quidem peccat mortaliter contra promissionem factam Deo de bono majori incompatibili cum matrimonio, ad cujus scilicèt boni executionem sic contrahendo impotentem se reddit; non tamen peccat posteà, sed licitè debitum conjugale & petere & reddere potest; quia non habet votum de ipsa castitate, sed tantùm votum de vovenda castitate, seu votum assumendi statum, in cujus assumptione ipsa vovetur castitas, à cujus voti impletione nunc impeditus est, donec matrimonium solvatur. Quo circà soluto matrimonio uterque voto suo simpliciter obligatus manet, si nimirum adhuc sit idoneus Religioni aut sacris Ordinibus. Communis DD. cum Navar. *l. 3. Consil. 17. De voto.* Sanchez *l. 9. disp. 33. num. 14.* Layman cit. *part. 4. c. 3.*

Vota tamen prædicta, ut impediant, & illi- 141
cita reddant matrimonia, debent habere omnes conditiones validi & obligatorii voti, certè non hic, sed alibi suo loco explicandas: & singulariter, ut sint emissa deliberatè, ac liberrimè & cum intentione vera promittendi & se se obligandi Deo, non per modum simplicis propositi. *Deliberatè* quidem cum plena advertentia ad materiam & obligationem voti, secluso errore & ignorantia circa substantiam vel circumstantiam per se intentam, aut aliam, quàm si quis præsciviisset, vovere noluisset. *Liberè* autem, secluso omni metu injustè incusso ad extorquendum tale votum, & siquidem sit metu gravi injustè extortum votū certò non obligat; & irritum est, saltem jure Ecclesiastico. *c. 1. De his, quæ vi.* Atque probabilissimè etiam jure naturæ, cum Deus ejusmodi votum non acceptet; quia acceptando videtur approbare injuriam extorquentis. Quidquid sit, nobis sufficiat meminisse leges, 117. *ff. De Regulis Juris. Nihil consensui tam contrarium, quàm vis & metus, quem comprobare contra bonos mores est.* Quin practicè tua est sententia tenens: Votum ex quocunque metu injusto quantumvis levi esse invalidum propter rationem indicatam. Nam ita contra Sanchez *l. 4. De voto.* & plerosque alios docent permulti graves DD, apud eundem Sanchez & Lessium *l. 2. De justitia. c. 4.* Atque inter ipsos minimè laxus piissimus Doctor Navar *Manuali c. 22. num. 15.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

142 Quid si votum ejusmodi emissum sit conditionatè sub conditione de futuro; peccabitne vovens, si ante impletam conditionem matrimonium contrahat? R. cum Sanchez *eodem l. 4. Moral. c. 22. num. 11.* ita, peccabis, si conditio ponenda non pendeat à tua voluntate, ut si vovisti castitatem servare deinceps, si Deus te hoc anno à gravissimo cruciatûs dolore calculi præservaverit: peccabis, si non elapso anno matrimonium contrahas; quia conditio implenda pendet à voluntate Dei. Non autem peccabis, si votum sit pœnale, vel à tua libera voluntate pendeat, v. g. vovisti servare castitatem, si denuò te inebriaveris, vel fornicatus fueris hoc anno: non peccabis, eodem anno non impleto matrimonium contrahens; quia non teneris exspectare, multò minùs ponere conditionem illam. At quid si jam ductâ uxore, nondum elapso anno, te inebries? Respondet rectè Sanchez cit. *num. 13.* te obligari servare in matrimonio castitatem, æquè ac tenereris, si post emissum votum castitatis absolutum, matrimonium contraxisses; jam enim posita conditione, tuum votum evasit absolutum. Hæc in gratiam juniorum.

II. Interdictum.

143 SEu prohibitio Ecclesiæ, cùm scilicèt Ordinarius, Pastor, Episcopus vel Parochus matrimonia interèa contrahere interdicit ob justam causam. Ut patet ex jure *c. Ultimo De Clandestin. desponsat.* Ubi Parochis præcipitur, si probabilis conjectura impedimenti apparuerit, *eis contractus interdicatur expressè, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis.* Similiter *c. Penultimo. De Sponsa duorum:* Dicitur: *pendente lite de matrimonii valore, interdicendum esse, ne aliud matrimonium contrahant.* Contra tale interdictum ergò peccarent mortaliter sponsi matrimonium contrahentes & consummantes; si nimirùm causa interdicti gravis sit utpote jam dictum dubium de impedimento vel valore matrimonii, gravissimæ dissensiones parentum, vel cognatorum, sponsorum &c. Secùs, si causa interdicti exigui momenti sit. Ut notat Tannerus *tomo 4. disp. 9. quæst. 4. num. 33.* Quem vide. Huc spectat interdictum juris communis, ne sponsi matrimonium contrahant absque præmissa trina denuntiatione, alioquin peccaturi mortaliter; ut videbimus suo loco: Item aliud interdictum juris quoad excommunicatos, quippè qui privantur usu activo & passivo Sacramentorum: Item huc reducunt alii interdictum commune juris naturæ, ne filii contrahant matrimonium inconsultis vel invitis parentibus: sed de hoc fortè mitiùs Sect. sequenti.

III. Feriæ.

144 SEu tempus sacrarum feriarum, videlicèt ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ inclusivè: & à feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ prohibentur ab Ecclesia fieri nuptiæ solemnes tantùm, utpotè cum solemni benedictione sponsorum ac signis publicæ lætitiæ, solemni scilicèt traductione seu pompa traductionis sponsæ, solemnis convivii, &c. Ex communi Sanchez cit. *disput. 7. num 17.* Quare nullo communi jure interdicitur, ne quis matrimonium eo tempore ineat sine benedictionibus, & solemni illa deductione sponsæ, convivióque moderato. Adeóque nihil aget Parochus adversús Concilium Trident. *Sess. 24. c. 10. De Reformatione Matrimonii.* si tempore Adventûs vel Quadragesimæ assistat matrimonio seu Viduorum, seu etiam Virginum, quo benedictionibus in aliud tempus dilatis, sponsa deducatur cum exigua pompa, moderato convivio, aliisque modestis lætitiæ signis. *Perez, Hurtadus, Marchant.* alii apud *Sanchez. cit.* Certè Congregatio Concilii apud *Galemart.* adl. cit. *c. 10. Trident.* declaravit, posse coram Parocho & testibus illo tempore contrahi, sine tamen sollennitatibus. Attamen Layman cit. *part. 4. c. 15.* monet observandam esse consuetudinem Diœcesis: testatúrque in Bavaria non permitti; ut omissis, vel in aliud tempus dilatis benedictionibus, ineatur matrimonium, nisi necessitas urgeat, ut si miles in periculo mortis constitutus, vel statim discessurus concubinam ducere velit.

IV. *Sponsalia.* Remissivè.

145 SPonsalia semel legitimè contracta cum uno vel una sunt impedimentum impediens ipso jure naturæ, ne licitè matrimonium contrahi possit cum alia vel alio, nisi prior sponsus vel sponsa consentiat, aut justa causa dissolvendi priora sponsalia subsit. De quibus late Sect. sequenti.

V. Crimen.

146 VAria Crimina his versibus comprehensa;
Incestus, Raptus sponsatæ mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat: prohibens hæc conjugium sociandum.

Hæc olim jure antiquo impedimento erant, ne quis talis criminis reus licitè contrahere posset nullum aliud matrimonium amplius. Juribus videndis apud *Sanchez* & alios passim. Verùm hæc omnia modo per diuturnam desuetudinem sublata sunt. Secundum communissimam DD. Sententiam & omnium Ecclesiarum praxin. Adeò ut dicat Navar. *c. 32. num. 56.* se non meminisse totâ vitâ suâ super ejusmodi criminis impedimento dispensationem petitam fuisse.

127 Aliud adhuc impedimentum catechismi seu cognationis spiritualis imperfectæ ortæ inter personam assistentem tantum ad catechismum & cæremonias Baptismi, & baptizatum, modò omninò obsolevit, vel diuturna desuetudine dilectum, vel etiam à Tridentino *sess. 24. de satram. matr. c. 2.* sublatum est; ubi omne spiritualis affinitatis impedimentum abrogatur, præter

ter paternitatem & compaternitatem à nobis jam supra explicatam.

SECTIO II,

De Matrimonii Promissione seu Sponsalibus, ac consensu de futuro.

SUMMARIA.

148. *Sponsalia quid?*
149. *Sunt essentialiter promissio mutua;*
150. *Acceptata,* 151. *cum repromissione.*
153. *Ac vera & seria cum animo promittendi.*
155. *Et se obligandi,* 156. *ac implendi.*
157. *Quid in dubio, an verè, vel fictè promiserit?*
158. *Quàm voluntaria & deliberata, usque ad n.* 162.
162. *Et quàm libera esse debeat hæc promissio? usque ad n.* 165.
166. *Quando & qualis ignorantia, error, vel deceptio seu dolus irritet sponsalia? usque ad n.* 170.
170. *Item quando & qualis metus ea irritet? usque ad n.* 174.
174. *Consensus in sponsalibus debet verbis, vel aliquo signo externo exprimi.*
175. *Quæ verba requirantur, & sufficiant? usque ad n.* 179.
179. *Verba certò sponsalia &* 180. *certò matrimonium significantia quæ?*
183. *Verba dubia examinantur. usque ad n.* 188.
188. *Quænam alia signa sufficiant & arguant sponsalia? usque ad* 192.
192. *Quæ personæ sint habiles ad sponsalia?*
193 *Quæ inhabiles naturaliter?*
194. *Quæ requiratur, & sufficiat ætas? usque ad n.* 198
198. *Invalida sunt sponsalia inter adstrictos impedimento matrimonii.*
201. *Filii familias ipsum matrimonium valide contrahunt.*
202. *Ac etiam sponsalia inscio vel invitis parentibus.*
203. *Nisi ipsum matrimonium non possit licitè contrahi.*
204. *Peccant tamen communiter,* 206. *etiam graviter. si cum indignis sic contrahant.*
208. *Sponsalia heri possunt sub conditione honesta de futuro;*
210. *Quæ licet inducant obligationem suspensam,*
211. *Habent tamen vim irritandi alia sponsalia postea inita cum alia.*
213. *Et conditione impleta statim transeunt in absoluta.*
214. *Qualiter & quando valeant sponsalia sub conditione: si Papa dispensaverit impedimento? usque ad n.* 218.
218. *Item facta sub conditione, si Pater consenserit?*
222. *Ac sub conditione impossibili, vel turpi? usque ad n.* 226.

148 SPonsalia alia dicuntur de præsenti, & sunt ipsum matrimonium ratum nondum consummatum. Et sponsi de præsenti dicuntur ipsi contrahentes matrimonium, antequàm consumment. Quo sensu dicitur *Matth. 1. Cùm esset desponsata Mater Jesus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utro habens de Spiritu sancto* Et tamen *eodem c.* vocatur ab Angelo Maria uxor: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Alia sunt sponsalia de futuro, & definiuntur *c. Nostrates.* Caus. 30. *quæst. 5. Promissio mutua futurarum nuptiarum.* Et sponsi de futuro dicuntur, qui sibi mutuò promiserunt futuras nuptias seu matrimonium contrahendum: Et hæc est propria acceptio sponsalium & sponsorum, de quibus in hac Sectione.

ASSERTIO I.

SPonsalia rectè definiuntur: *Promissio mutua futurarum nuptiarum seu matrimonii futuri.* Ut proindè valida sint & obligatoria, has requirunt conditiones: 1. *ut sint promissio mutua:* 2. *Vera ac seria:* 3. *Voluntaria ac libera, maximè ab errore & metu:* 4. *Signo externo sufficienti expressa:* 5. *Inter personas habiles ad contrahendum:* 6. *Et ut statim obligent, absoluta non conditionata.* Causas dissolvendi sponsalia explicabo seorsum in subsectione. Explico more solito per §§. & numeros.

§. I.

Promissio mutua.

PRomissio quatruplici modo considerari po- 149
test: 1. Ut est interna, menteque concepta, aut etiam jam exteriùs significata, nec dum tamen alteri parti insinuata: 2. Ut jam insinuata alteri, qui tamen nondum illam acceptavit: 3. Ut alteri insinuata & acceptata, sed non sub mutua repromissione, v. g. puella acceptavit quidem promissionem matrimonii sibi à te factam, at non repromisit matrimonium ex parte sua. Atque hactenùs his tribus actibus stantibus promissio matrimonii dicitur adhuc gratuita seu gratis facta; quia obligatio est ex una parte tantùm, ejus nimirum qui sponte promisit. 4. Promissio considerari potest, ut mente concepta, alteri insinuata; ab eodem acceptata, & per ejus repromissionem confirmata: & sic tandem erit promissio mutua, consurgétque perfectus contractus ultrò citroque obligans, adeóque certò utriusque consensum continens, Atque hac ratione ad sponsalia valida & obligatoria dicimus requiri *promissionem mutuam*, omnes hos quatuor actus necessariò includentem. De primo & secundo necessario quidem, sed non sufficiente, nec stultus dubitare potest; de tertio & quarto breviter ostendo.

II. Necessariò requiritur, ut promissio ma- 150
trimonii mente concepta & alteri insinuata, sit acceptata ab altera parte, cui facta est; cùm promissio etsi insinuata alteri, tamen nondum acceptata nullum pariat obligationem, semperque revocare possit, etiamsi juramento firmata fuisset, cùm juramentum tanquam accessorium sequatur naturam & conditiones actûs, cui adjungitur. Ut ex communissima sententia traditum habes *De contractibus. p. 6. Decal. c. 2. sect. 2. n. 41.*

Hoc solum hic curiosè quæri posset: an ad hoc sufficiat acceptatio patris tutoris vel curatoris, sicut in aliis promissionibus. Ex g. Titius dicat patri: promitto Titiæ filiæ tuæ, vel tibi loco ejus matrimonium, hàncque promissionem acceptat pater. Poteritne Titius promissionem suam revocare, antequàm resciat & acceptet Titia? Negat Sanchez *l. 1. disp. 26.* ex communi ratione in aliis promissionibus. Affirmat Castro Palaus apud Gobat *tract. 10. cas. 1. num. 21.* ex eo, quòd acceptatio tantæ rei videatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

deatur esse actio integrè personalis: Tu si tibi casus contingat, consule DD. istos; mihi non vacat immorari tam rarò contingentibus.

151 III. Neque sufficit promissionem esse datam ad sponsalia, sed necessario requiritur repromissio alterius partis, adeòque promissio mutua simpliciter. *Omnes.* Constat ex definitione sponsalium data. Et expressiùs, *L. 1. ff. de sponsal.* Ubi definiuntur sponsalia: *Futurarum nuptiarum repromissio.* Ratio est; quia sponsalia non numerantur inter simplices promissiones, sed inter contractus perfectos oneroſos, qui ultrò citròque obligationem pariunt. Quare si Cajus animo contrahendi sponsalia dicat Titiæ: promitto tibi matrimonium; & hæc acceptet dicendo: placet, accepto hanc tuam promissionem, sed sine animo repromittendi, ac se vicissim obligandi, non censetur contractus sponsalium celebratus: neque verum est, non posse dari seriam acceptionē sine repromissione (ut volunt *Vasquez Pontius, alii*) Et benè tetsatat *Hurtadus* apud Tambur. *hic tract. 3. c. 1. §. 1.* Quare tunc nec Titius nec Caja obligabitur in conscientiæ foro. Layman. *l. 5. tract. 10. part. 1. c. 1. num. 2.* Certè non Cajus, quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum; Titia autem nihil repromittens, sed solùm acceptans non voluit se obligare, sed tantùm Cajum sibi obligatum habere. Neque Cajus indè obligatur, quia verba contrahentium intelligenda sunt secundum naturam contractus: atqui sponsaliorum contractus naturâ suâ reciprocus est; & sponsionem non continet simplicem, sed conditionatam: promitto, si & tu promiseris. Undè est commune DD. effatum: *sponsalium contractus claudicare non potest.* Id est: ex una tantùm parte contrahentium obligare.

IV. Dices ergóne Cajus seriò promittens
122 matrimonium Titiæ acceptanti, non tenebitur eam sic volentem ducere? R. Ita, non tenetur, si promisit [ut signanter dixi) *animo contrahendi sponsalia;* adeóque dependenter ab ejus promissione reciproca, ut modò ostensum est. At verò si absque animo modò contrahendi sponsalia, adeóque independenter ab ejus repromissione absolutè, & liberaliter promisit Titiæ, se ducturum ipsam, si quandò ei placuerit, eáque hanc promissionem acceptet, nihil vicissim repromittens; jam solus Cajus obligabitur, sed promissione non sponsalitia, sed gratuita tantùm & contractu claudicante, sicut, si promittis Cajo, te tanto pretio ipsi venditurum equum, cùm ei libuetit, obligaberis gratuita promissione, nondum tamen erit contractus onerosus venditionis & emptionis, antequàm alter de pretio vicissim promittat. Ut benè explicant Sanchez *disp. 5. num. 12.* Layman cit. *num. 2.* At dubium est, an Cajus voluerit promittere animo contrahendi sponsalia, ac dependenter à repromissione; an verò gratuitò & liberaliter? R. Censendum esse, promisisse dependenter; quia in obscuris, adeo que etiam in dubiis, inspiciendum est, ac præsumendum id, quod plerumque fieri solet uti nos utriusque Juris Regulæ docent; solent autem plerumque tam mares, quàm fœminæ, non aliter se per hujusmodi promissionem obligare, quàm dependenter à reciproca repromissione; regulariter enim non repromittit quis alteri matrimonium sine spe aut sine conditione, quòd alter & ipse se obliget ad idem optatum matrimonium. Uti cum aliis benè advertunt Bonacina. *hic quæst. 1. Proposit. 1. num. 7. Tambur. cit. c. 1. §. 1. num. 4.*

Jam prædicendis deinceps graviter recolenda & hùc reducenda erunt latè dicta de repromissionibus in communi; generalia tamen breviter applicabo, specialia verò fuseliter exponam.

§. II.

Vera & seria.

153 AD valida sponsalia essentialiter requiritur promisio vera & seria, scilicèt cum animo & vera voluntate promittendi & se obligandi; ad licita autem tantùm, etiam requiritur animus adimplendi promissum. *Omnes.* Ubi rursùs nota: Fictè promittentem variè se posse habere: 1. Exteriùs solùm verba promissionis proferendo, absque omni animo interno: 2. Cum animo quidem promittendi, sed (stultè) cum animo non se obligandi: 3. Animo promittendi, sed abstrahendo, nec volendo, nec nolendo se obligare: 4. Cum animo promittendi & se obligandi, at non animo implendi. Jam pono resolutiones.

154 I. Si quis oretenùs verè alteri promittat matrimonium, sed absque omni animo se obligandi, seu promittendi, seu cum animo positivo non promittendi, non obligandi se, sponsalia certò nulla erunt, sicut nulla est & ficta tantum promissio, etiamsi juramentum addatur ad ejusmodi fictā promissionem, seu potiùs falsum perjurium. Communissima cum Sanchez *l. 1. d. 10.* Ratio est; quia ad sponsalia requiritur promissio & obligatio dans promissario jus justitiæ ad futuras nuptias; ficta autem & simulata promissio simpliciter non est promissio, neque ex tali ficta promissione ulla oritur obligatio justitiæ per se secluso alio damno, in foro conscientiæ; neque vacat gravi deceptione & mortali peccato, Ut ex professo iterum dicam *c. sequenti, cum D. peccatis sponsorum.* Ais: ergóne semper peccat mortaliter fictè promittens alteri matrimonium? Ita semper, si fictè promittat in contractu sponsalium oneroso erigendo & admittendo alterius repromissionem seriam; quia iniquè adigit alterum partem ad faciendum aliquid grave, ad quod ipse non tenetur, eámque in re gravi dicipit; nam ideò altera putat, se obligari alteri ad matrimonium, & ut talem se gerit, quia supponit tuam obligationem, quam non habes. Secùs dicendum, si fictè promittas matrimonium alteri merè liberaliter & ex parte tua tantùm, scilicet non exigendo, ut altera pars repromittat; sic

sic enim per se loquendo, secluso alio damno, peccas solùm venialiter: quia admittis mendacium nemini noxium. Ex communi Sanchez *disp. 9. num. 3.*

155 II. *Et se obligandi.* Sponsalia, omnisque seria promissio essentialiter includit animum se obligandi, cum impossibile sit à seria promissione separare obligationem; quia eà præcisè differt promissio à simplici proposito, quòd hoc sit voluntas aliquid faciendi in futurum, sed absque obligatione, non tanquàm debitum: illa verò sit fidei obligatio ad aliquid præstandum in futurum tanquam debitum ex obligatione. Quare si sponsus vel sponsa promittat matrimonium, & habeat positivam voluntatem sese non obligandi, fallitur, & fallit, dum ait, se promittere, ipsáque sponsalia adhuc nulla sunt, sine obligatione; at non sine peccato gravi. Ut supra per omnia. Vide de hoc optimè Perez *disp. 1. sect. 6.* At quid si quis promittat matrimonium præscindens omninò ab animo se obligandi, scilicet nec volens, nec nolens se obligare? R. cum distinctione · Aut enim talis scit, quid sit promittere nuptias, aut saltem promittit juxta morem communem, quo alii solent contrahere sponsalia, nimirum iis induci obligationem implendi (idemq; est de ipso matrimonio, de voto, etiam solemni, de alio quovis contractu) jam verè contrahit sponsalia, obligatúrque stare promissis; jam enim implicitè se voluit obligare, sciens talem promissionem inducere obligationem. Ut alibi explicatum. Aut talis præscindens promissor non scivit, eam promissionem afferre obligationem, neque voluit facere, quod alij faciunt; & sic non contrahit vera sponsalia, cùm nec implicitè nec explicitè voluerit se obligare. Supponimus autem semper, hunc simplicianum bona fide processisse, nam si mala fide, ut alteram partem deciperet, sic abstractè se habuit, recidit in eum doctrina tota de fictè promittente. *num. præcedenti.*

III. *Et implendi* animus requiritur, saltem ut
156 licita sint sponsalia. Qui ergò verbis promittit matrimonium alteri serio animo promittendi & se obligandi, at sine animo implendi, aut cum animo serio non implendi promissum: imprimis adhuc vera & valida contrahit sponsalia; quia adest vera promissio essentialiter consistens in voluntate se obligandi tantum, non in voluntate implendi, minùs in ipsa impletione; adeoque obligatus manet ad futurum matrimonium Comunis cum Sanchez *disp. 9. num. 2.* deindè talis patenter peccat mortaliter in contractu sponsalium; quia habet animum non implendi, ad quod se graviter obligat: & si juramentum addit, etiam perjurus est, ut in priori casu.

Dico autem: *in contractu sponsalium.* Hic enim rursùs adhibenda prior distinctio, nam si quis extra sponsalium contractum & secluſa reciproca promissione alterius, solum ex parte sua & merè liberaliter promitteret sic alteri matrimonium cum voluntate quidem se obligandi, at simul cum voluntate non implendi, per se solùm peccaret venialiter contra virtutem fidelitatis, nisi quis expresè ex justitia, vel graviter se obligare intendisset, juxta dicta suo loco.

157 IV. Tandem si omnibus expensis dubium sit: an quis verè promiserit, an verè contraxerit sponsalia: an verè fictè vel joco tantùm, &c. In foro saltem conscientiæ nulla erit obligatio; quia melior est conditio certæ libertatis, quæ à dubia promissione vinci non potest. At verò quandò constat de promissione facta, & solùm dubium est: an quis habuerit animum se obligandi, quandò contraxit sponsalia, & matrimonium promisit. Sanchez quidem cit. *num 12.* aliique communiùs docent, talem obligari; quia possidet promissio, quam certò fecit. At nos cum aliis suo loco docuimus, talem probabilissimè in foro conscientiæ non obligari; quia revera hic non possidet promissio; nam dubitatur de aliquo essentialiter requisito ad veram promissionem, scilicet de voluntate se obligandi: quamdiù enim dubia est voluntas se obligandi, tamdiu non potest esse certum, veram promissionem esse factam.

§. III.

Voluntaria ac libera, maximè ab errore & metu.

I. Voluntaria.

158 PRomissio ad valida sponsalia utrinque requisita necessariò debet esse voluntaria & deliberata deliberatione plena (illâ scilicèt, quâ intellectus sine errore vel ignorantia apprehendit rem, & sufficienter advertit, qualis sit, bona, an mala. Ut benè explicat præ aliis Sanchez *l. 1. disp. 8. num. 2. & 5.*) qualis scilicet & quanta requiritur ad peccandum mortaliter. Sic omnes passim. Ratio est; quia cùm promissio hæc sit de re magni momenti, futuro scilicèt matrimonio, meritò ex natura rei exigitur tanta deliberatio & advertentia rationis, quanta requiritur ad votum; & cùm utraque promissio inducat obligationem sub mortali, meritò ad utramq; requiritur deliberatio perfecta, qualis requiritur ad peccandum mortaliter.

159 II. At nónne quandoq; major requiritur deliberatio ad sponsalia, quam ad peccatum mortale; quandoquidem illa promissio non solùm involvit præsentia, sed etiam futura, & utraq; etiam non semper satis nota? Affirmat *Bonacin.* Negat *Fagundez.* apud Gobat *hic cas. 1. num. 22.* Sed negari non potest respectu aliquorum sponsalium, quandò non omnia satis constant, sæpe requiri diligenriuslexamen, adeóque diuturniorem deliberationem, ut valida sint, cùm ob defectum talis examinis sæpè deprehendatur defectus, ob quem sponsalia sint invalida. At ubi non est ericulum talis defectus, certè nan requiritur major deliberatio ad sponsalia, quàm ad peccatum mortale.

160 III. Certò ergo valida sponsalia, sicut & validum matrimonium contrahi non possunt à

Universidad de Deusto
Biblioteca

carente perfecto usu rationis, etiamsi septennio sit major: neque à furioso; neque à plenè ebrio; neque à vehementissimè passionato ira vel cupiditate aut simili passione usum rationis perturbante, ita ut impediat advertentiam requisitam alias ad peccandum mortaliter, quod certè erit rarissimum. Communis DD. *Sanchez, Pontius, Hurtadus.* alii cum Tambur. *l. 3. c. 2. §. 1. num. 2.* Quando ergò homines libidinosi & vehementi libidinis passione, ex intentione vel sub conditione copulæ carnalis promittunt fœminis matrimonium, communiter præsumendum est, adfuisse de liberationem perfectam & sufficientem ad sponsalia valida. *Ratio est*; quia ea ipsa promissione sub conditione vel ex intentione copulæ illicitæ verè & formaliter peccant; vix enim è viginti unum reperies, qui non agnoscat, se tunc peccare, & sine dubio debere confiteri illam promissionem & intentionem sceleſtam, etiamsi fortè copula non secuta fuisset, v.g. ob resistentiam fœminæ: ergò habuit deliberationem perfectam, & cognitionem suæ malitiæ, & consequenter etiam sui actus, quid, cui, & cur promitteret; neque enim major requiritur animi deliberatio & libertas ab æstu libidinis ad obligandum se promittendo mulieri, quàm ad obligandum se, peccando, diabolo. Quod valdè notandum, & dextrè à confitentibus expiscandum.

161 IV. Dixi tamen: *communiter* ita esse præsumendum: fallit enim hæc præsumptio, quando illæ personæ sunt tam imparis conditionis, aut promittens ita prius abhorreat ab illa muliere, ut extra illum furorem libidinis, certò nunquàm eam fuerit ducturus. Nam inter indicia, quibus in dubio præsumimus; nos non præbuisse consensum perfectum, sed imperfectum & semiplenum tantùm, tentationi vel cogitationi malæ unum est, quandò scimus nos ante illam tentationem semper constanter abhorruisse à peccato tali. Ut benè docet Sanchez *l. 1. moral. c. 1. n. 20.* Et ego alibi. Fallit etiam hæc præsumptio communis in prorsùs extraordinario æstu libidinis, idque maximè, quando promissio facta fuit tempore ipsius copulæ durantis, quam ex Medicorum sensu comitari solet aliqua transiens phrenesis. Quia ergò in foro Sacramentali idem testis est & reus; Judex autem tenetur sententiam ferre juxta testium depositionē, ideo Confessarius tunc debebit stare assertioni negantis, se tunc fuisse sibi præsentem quoad hunc actum promissionis, si ita constanter negat, postquàm Confessarius probè examinavit, an revera tunc non cogitarit, quid & quantum promitteret. Et certè pœnitentes non rarò solent confiteri, se tempore copulæ cum sua vel aliena hæc vel illa cogitasse, dixisse, &c. Si ergò tunc ad alia potuit advertere, cur non præsumamus rursùs etiam advertisse ad hanc promissionem? Vide de hoc etiam in ordine ad forum externum optimè differentem Gobat cit. *à num. 25.*

II. Et Libera.

I. COntractus sponsalium tum suaptè natu- 162
râ, tum ex juris dispositione magnam in promittendo animi libertatem, atque spontaneum & non illiberalem consensum requirit, quod & ipsum nomen indicat; nam dicta sunt sponsalia a spondendo, id est, spontè promittere. *Ratio est*; quia sponsalia sunt via & præparatio ad matrimonium; quare sicut omnia jura matrimonii libertatem requirunt, & defendunt, cùm alioquin infelices exitus sequi soleant, (ut habetur c. *requisivit de Sponsal.*) ita & sponsaliorum. Et hinc. Ad retinendam libertatem matrimonii statutum est *L. Ultima C. de sponsal. & c. Gemma. eodem titulo.* Ut sponsalium contractui adjici non possit pœna solvenda à sponso, ejúsve parentibus vel cognatis, si per eos steterit, quò minùs nuptiæ sequantur. Id tamen solùm locum habere, si quis justa ex causa à sponsaliorum contractu resilierit; non verò, si injustè ac perfidè resiliat, contra communiorem, cum pluribus benè docet Layman cit. *tract. 10. part. 1. c. 1. num. 8.* Cùm nulla in matrimonio fovenda sit libertas ad peccandum. Certè ad eum finem etiam jure statutum est, ut arrhæ pignoris loco traditæ à resiliente sponso vel sponsa (dummodò major sit viginti quinque annis) duplicatæ, imò etiam in pœnam triplicatæ vel quatruplicatæ, non tamen ultra stipulari possint; si verò justa resiliendi causa subsit, sufficiat reddere arrhas, quod tamen sine dubio rationem pœnæ habet; quidquid conentur aliqui disparitatē adferre.

II. Ob eandem rationem etiam pactum lu- 163
crativum sponsalibus ab altero contrahente adjectum tanquam jure invalidum rescindi debet. *L. Si ita stipulatus. §. Si tibi. ff. De Verbor. Obligation.* Ubi dicitur: *Si tibi nupsero, decem dare spondes? causâ cognitâ denegandam actionem puto.* Ratio est; quia non ut par est, mutuo spontaneo amore, sed ex libidine & turpi quæstu matrimonia tali modo comparari censentur: quare promissio tanquam contra bonos mores rescinditur. Ex communi Sanchez *l. 1. disp. 23. num. 3.* Layman cit. *num. 9.* Duæ tamen hic limitationes notandæ sunt.

III. Valet ejusmodi promissio, si turpitudinis 164
præsumptio cesset, ut si promittatur nomine dotis vel donationis propter nuptias, vel ob inæqualitatem personarum ad compensandam nobilitatem, juventutem, pulchritudinem, &c. v. g. Vir ignobilis aut senex aliquid promittit puellæ nobili, juveni, pulchræ, &c. ad compensationem nobilitatis, juventutis, &c. juxta c. *De illis. De condition. appositis.*

IV. Ulterius tantum irrita est illa promissio, 165
si fiat, ab ipso contrahente, secùs si fiat ab alio quocunque: ut si Cajus Titiæ promittit vel legat mille, si cum Sempronio contrahat: talis enim non turpis quæstus, sed liberalis promissio seu donatio sub conditione honesta censetur, per quam neque libertas matrimonii auferetur, cùm non agatur de pœna damni, cujus metu aliquis ad

ad contrahendum contra voluntatem induci possit; sed solum de acquirendo lucro, per quod aliquis ad matrimonium allicitur; nam dicitur *L. Titio ff De Condit. & Demonstr. Aliud est eligendi matrimonii pœnæ metu libertatem auferri; aliud ad matrimonium certa lege invitari.*

III. Maxime ab errore.

166 I. REgula hic duplex sit. *Prima*: Omnis ignorantia, error, deceptio seu dolus sufficiens ad irritandum seu dirimendum contractum matrimonii, nimirum versans circa ipsam personam, conditionem servilem, aut aliam qualitatem per se intentam aut in personam redundantem (juxta dicta *in impedimento Erroris*) sine dubio etiam sufficit ad irritanda sponsalia, secundùm *Omnes*. Ratio est; quia longè faciliùs dissolvuntur sponsalia de futuro, quàm matrimonii de præsenti, cujus scilicèt fortius, & sacratus est vinculum, quàm sponsaliorum; sequuntur enim multò graviora incomoda ex dissolutione matrimonii, quàm sponsaliorum de futuro: ergò &c.

167 II. Regula *altera*: Ignorantia, error vel deceptio circa qualitates vel circumstantias sponsi vel sponsæ, si tales sint, quæ sufficerent ad rescindenda sponsalia, si post illa contracta primùm supervenirent, (potissimæ enumerabuntur *in sub sect. §. 4.*) saltem dant jus ad rescindenda sponsalia per ejusmodi deceptionem, errorem vel ignorantiam contracta. *Communis DD.* Ratio est; quia jure paria sunt: non esse, & non apparere: aliquid supervenire, & præcedens ignorari. Ut ex *L. 77. ff. De contrahen. emption.* benè observat Lessius *l. 2. De Justitia c. 42. dub. 7.* Et infrà plenius declarabitur.

Nota autem hic, ignorantiam propriè dici, cùm sponsus v.g. solùm ignorat talem qualitatem sponsæ v.g. esse corruptam, morbidam, &c. nihil cogitans de opposito. Error propriè dicitur, cùm sponsus non solùm ignorat aliquid tale, sed etiam actu positivo falsò credit & existimat v. g. esse virginem, esse sanam &c. Deceptio, fraus vel dolus dicitur, cùm quis sic erroneè credit, & existimat ab alio falsò persuasus ac deceptus, sive ab ipsomet contrahente altero, sive ab alio tertio. Omnis ejusmodi ignorantia, error vel deceptio potest esse vel antecedens & dans causam contractui, cùm scilicèt quis ideo contrahit, quia ignorat, vel decipitur, alioquin si veritatem nosset, nequaquàm contracturus: Aut incidens & concomitans tantùm, & non dans causam contrahendi, cùm scilicèt etiam absente ignorantia vel deceptione, & veritate cognita, tamen contraheres. Jam porrò.

III. Quandò deceptio seu dolus antecedens
168 & dans causam contractui est ex parte contrahentis, cùm scilicèt ipse sponsus v. g. decipit sponsam in ejusmodi qualitate, sicq; deceptam ad consensum inducit, ipso facto nulla esse & irrita sponsalia, probabiliter sustinet *Aversa* apud Tambur. *tract. 3. c. 2. §. 1. num. 5.* Negant autem longè verius, & valere ab initio ejusmodi sponsalia docent *Lessius. Coninck* apud eundem, alii, & professo optimè Perez *disp. 10. Sect. 1.* Dicastil. *disp. 1. dub. 40. num. 610.* Gobat. *Cas. 9. num. 382.* Ratio sufficiens est; quia neque jure naturæ vel divino, neque jure civili, aut Canonico pronuntiatur invalidus talis contractus. Certè autem omnium consensu debilissima sunt ejusmodi sponsalia, ut facilèa parte decepta, etiam propria authoritate, rescindi possint: ut in Subsectione videbimus. Quid autem referat nosse, an talia sponsalia valida vel invalida sint: & ad quid tunc sponsus seu pars decipiens teneatur, in simili mox dicam *num. sequenti.*

IV. Communissimo autem DD. consensu 169
valida sunt sponsalia, attamen ea de causa justè rescindenda: 1. Quandò deceptio vel dolus etiam antecedens non est ab altera parte contrahente, sed, eâ inscià ab alio tertio aliquo. 2. Quandò sponsus vel sponsa a nullo alio, sed propria ignorantia, errore vel imprudentia semet decepisset. 3. Quandò deceptio, error vel ignorantia non antecedens, sed incidens vel concomitans tantùm non dat causam contractui. 4. Quòd si de hoc dubium sit, an scilicèt quis verè contraxerit propter tales qualitates circa quas fuit deceptus, vel erravit; posse se tenere tanquam inductum ad contractum ex illo dolo vel errore, benè resolvit Tambur. cit. *num. 10.* Plura circà hæc *num. sequenti.*

IV. Et à metu seu coactione.

I. REgula generalis est. Omnis metus suffi- 190
ciens ad dirimendum matrimonium (nimirum verè gravis absolutè vel respectivè, injustè incussus ad extorquendum ipsum actum; juxta dicta supra de impedimento *Vis*) etiam sufficientissimus est ad irritanda seu rescindenda sponsalia. Hoc tamen inter hæc discrimen est: Quòd, ut videmus, Jus Canonicum expressè irritet matrimonium ex gravi & injusto metu contractum: non item ullibi expressè sponsalia. Attamen 1. Valdè probabile est, id, quod jure statutum est de metu irritante ipsum matrimonium, esse quoque intelligendum à fortiori de metu respectu sponsalium, cùm hæc sint via ad illud: uti docent *Sotus*, aliisque congestis Sanchez *l. 4. disp. 19. num. 3.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 378.* Tambur. cit. §. *2. num. 3.* & valdè probabile censet. Tanner. *hic tomo 4. disp. 8. quæst. 1. num. 14.* Quamvis ipse cum pluribus oppositum teneat. Et videtur colligi ex c. *Ex litteris. De Desponsat. impuber. 2.* Omnes contractus, adeòque etiam sponsaliorum, ac matrimonium maximè, metu gravi & injusto extortos ipse in jure naturali esse irritos ac nullos, ex probabilissima plurium sententia docui c. *2. Decal part. 1. Sect. 4. §. 3. n. 56.* Eoq; nòd implicare videatur, in re tanti momenti aliquem sibi per injuriam comparare jus justitiæ in alterum. 3. Tandem certissimò possunt rescindi ad libitum partis metum passæ: idque etiamsi ejusmodi meticulosa sponsalia essent juramento firmata; siquidem non sit opus relaxatione juramenti, cùm juramentum non possit esse vinculum ini-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quitatis. Ex communi Sanchez *disp. 21. num. 3. Diana, Tanner. cit.*

171 II. Certò autem non irritat sponsalia (sicut nec matrimonium suprà suo loco) 1. Metus quicunq; non incussus ab extrinseca causa libera, sed ab intrinseco assumptus, etsi terrente causa naturali. 2. Metus etiam gravis & injustè incussus quidem, sed non ad extorquendum ipsa sponsalia, sed ad aliud, v. g. Si, ut carcerem effugias, spondeas matrimonium filiæ custodis. 3. Metus etiam gravis ad extorquendum sponsalia incussus, sed justè, à lege vel Judice, &c. 4. Metus injustè etiam incussus ad extorquendum sponsalia, sed levis solùm consideratis circumstantiis personarum. Hæc omnia generatim explicata habes *l. c. §. 2.* Eadem enim quoad hæc est ratio sponsaliorum & martimonii; & insuper quamvis *Bonacinæ* & aliorum probabili opinione, metus gravis justè incussus redderet invalidum matrimonium; quippe quod ex se indissolubile omninò perfectam requirit libertatem, tamen id dici non debebit de sponsalibus, quæ ex se indissolubilia non sunt, & ex causis supervenientibus rescindi possunt.

III. Sponsalia metu levi injusto extorta, etsi
172 sint valida, attamen infirma, & etiam propria authoritate metû passi irritabilia. Cùm aliis Sanchez *disp. 19. num. 6.* Cùm enim altera pars in conscientia teneatur relaxare fidem hoc metu extortam, poterit ipse vim passus pari modo in conscientia resumere fidem à se datam; idque etiamsi sponsalia juramento firmata sint: Sed certè nunc prius obtenta juramenti relaxatione: prout *disp. 21. num. 4.* meritò notat Sanchez. In foro autem externo non dari actionem talem levem metum passo, apud omnes in confesso est.

Hic non abs repetes: Si in dictis casibus sponsalia valida, tamen ob metum vel deceptionem tam facilè rescindi possunt in conscientia, & etiam arbitrio & authoritate propria personæ metum passæ vel deceptæ: Quid ergò interest quoad praxin scire, an sponsalia sint valida, nec ne? R. Multum per omnem modum; nam si sponsalia jure sint valida, quàmvis statim rescindenda, imprimis parient impedimentum publicæ honestatis, ut una pars non possit contrahere matrimonium cum alterius consanguineis in primo gradu, quod impedimentum non parerent, si sint invalide. Deindè si valida sint, conferunt jus ad oscula, amplexus & tactus non impudicos, in communi saltem & probabili sententia, donec rescindantur; secus si ab initio fuerunt invalida. Et insuper.

173 IV. Si pars contrahens injustum metum passa, aut in priori casu ab altero contrahente, vel, eo conscio, ab alio tertio decepta justè potens resilire, nihilominùs velit matrimonium contrahere; ad quid obligabitur metum incutiens vel decipiens? R. Siquidem sponsalia fuerunt valida, liquidum erit, ipsum obligari stare contractui, & matrimonium inire. Si verò sponsalia fuerunt invalida, ut in casibus utrobique primo loco positis, utpotè ex errore circa personam, &c. vel ex metu gravi injustè incusso ad extorquendum; iterum liquidum erit, cum non obligari ad nuptias ex vi sponsaliorum ex justitia, cùm ea supponantur esse nulla. At nunquid saltem obligabitur vi promissionis factæ ex fidelitate? (Eadem est quæstio in simili de ipso matrimonio, eadémque debet esse responsio.) Affirmativam tenet *Aversa* apud Tambur. cit. *num. 12.* Negativam *Sanchez l. 4. disp. 15. n. 6.* Ratio potissima est; quia in contractu oneroso naturâ suâ ex utroq; parte obligatorio, ut servetur æqualitas, vel utraque pars obligata manere debet vel neutra: cùm ergò certum sit, non obligari partem, quæ metum passa vel decepta est, ideo nec obligata manebit altera. Intellige semper *per se loquendo*. Nam certum est apud omnes, talem obligari ad resarciendû omnia damna fortè indè secuta parti metum passæ vel deceptæ, & maximè, si sponsa violata, aut etiam imprægnata sit, quæ damna, quandò aliter resarciri non possunt, utiq; tenebitur ad nuptias per accidens qui metum incussit, vel decepit. Prout de ficto promissore dicam infrà, *Cum de peccatis sponsorum.*

§. IV.

Externo signo certa expressa.

CErtum est in sponsalibus, sicut & in matri- 174
monio, verbis vel signo aliquo debere exprimi promissionem seu consensum & voluntatem internam sese obligandi. *Ratio est*; quia nulla promissio obligat; nisi acceptetur: & specialiter, promissio onerosa sponsalium ac matrimonii non obligat, nisi dependenter à repromissione: atqui nemo acceptabit tuam promissionem, minùs repromittet tibi, nisi cognoscat; nec cognosceret, nisi ei intimetur; neque ei intimari potest, nisi per verba vel signa externa: ergò, &c. At quid si Berta dicat Bartholo: Quamprimum tu in animo tuo dixeris: promitto me ducturum Bertam: ergo illa tua interna verba habebo pro acceptatis, & ex nunc me tibi vicissim obligo in eum eventum? R. Si Bartholus dicat, vel significet, se sic esse contentum, nascentur vera sponsalia, ut primum seriò in suo animo dixerit: promitto me ducturum Bertam; jam enim satis in antecessu manifestavit suam intentionem. Ita P. Gobat. *hic tract. 10. cas. 2. num. 4.* Qualiter autem valeat votum seu promissio interna ipsi Deo facta de ineundo matrimonio etiam cum certa persona, Deo volente, videbitur suo loco; interim videre potes apud eundem Gobat ibidem *num. 42.* & rursùs *cas. 10. num. 461.*

Jam verò qualia debent esse verba vel signa sufficientia ad sponsalia. Pono prius aliquas regulas communes, deindè specialia ad praxin magis utilia ac communia selecta.

I. Regulæ communes.

REquiruntur, & sufficiunt illa verba, quæ 175
hic & nunc sufficienter inducant mentem internam; Seu, ut latiùs exprimit Tambur. *tract. 3. c. 2. num. 1.* Quæcunque verba, signa, scriptura, nutus, &c. quibus sponsus, & sponsa determinatæ personæ significant promissionem reciprocam de futuris nuptiis, sive signa ejusmodi sint ex propria significatione, sive ex consuetudine, sive ex propria voluntate sponsorum, sive quocunque alio modo dummodò, ut dixi, sponsus & sponsa inter se significent, intelligántque promissionem, sufficiunt ad constituenda sponsalia; cum enim sponsalia sint merus contractus civilis, satis sunt ea verba vel signa quæ internum consensum, se seque obligandi intentionem sufficienter exprimunt. Meritò igitur Sanchez *l. 1. De Matrimon. disp. 18. num. 2.* ait apud Indos illa verba: Sepeliam te, quandò morieris: parere vera sponsalia; quamvis enim non ex se, tamen ex usu illius Regionis iis animus spondendi matrimonium explicatur. Et hinc est

176 II. Quandò sponsus v. g. seu primus in contrahendo dixit verba certò significantia promissionem matrimonii, secundùm eundem sensum debent intelligi verba sequentis seu respondentis, etsi de se generalia, dubia, æquivoca, nisi clarè contrarium explicetur; adeóque si sequens respondeat: volo, consentio, annuo, placet, &c. jam vera nascentur sponsalia. Ita cum aliis Sanchez cit. *num. 4.* Idem dicendum, si post tractatum de sponsalibus addant sponsi: placet, sit ita, &c. Num ex circumstantiis satis prædictus animus exprimitur. Ex communi Tambur. cit. *num. 2.*

177 III. In foro conscientiæ principaliter attenditur intentio. Adeóque, sicut quandò constat adfuisse intentionem spondendi inter sponsos satis cognitam per talia verba vel signa: quamvis ex se non sufficienter explicativa promissionis, vera censentur sponsalia, & obligationem in conscientia inducunt; ita econtrà, qualiacunque signa vel verba sint; non inducent sponsalia, obligationémque in conscientia, per se loquendo, nisi iis usus verè consenserit in sponsalia aut matrimoninm, sicut enim nuptias non concubitus sed consensus facit. *L. Nuptias ff. De regulis juris;* ita sponsalia non locutio sed consensus facit. Unde qualiacunque signa adhibita sint, si tamen iis usus vel usa ignoraverit, iis significari talem consensum vel promissionem, nulla erunt sponsalia, & si probare posset quis vel quæ, se ignorâsse illam significationem, judex non poterit compellere ad matrimonium, judice Gobat cit. *num. 7.*

178 IV. In foro autem externo principaliter attenduntur verba. Quare judex Ecclesiasticus, cui intentio spondentium interna constare non potest, debet judicare secundùm verba vel signa intellecta, secundùm communem modum loquendi. Ut expressè habetur *c. Ex litteris. 1. De sponsal.* Et secundùm communem modum loquendi in tali loco, ubi sponsalia contracta sunt. *L. Semper in stipulat. ff. De regulis juris.* Quarè si verba mutuam promissionem significant ex se vel circumstantiis, pronuntiabit sponsalia valida: Si non significant, pronuntiabit invalida: Si verò dubia sit significatio, seu verba sint ita dubia ut ex iis non possit probabiliter conjici mens utentium, pronuntiabit potiùs pro libertate illius, qui usus est, quàm pro valore sponsalium. Uti (contra Tanner. *disp. 8. dub. 1. num. 10.* Tambur cit. §. *3. num. 6.* aliósque non paucos) veriùs docent cum aliis Perez hic *disp. 4. Sect. 1. num. 5.* Diana *part. 10. tract. 13. resol. 19.* Gobat cit. *num. 73.* Ratio est; quia standum est pro libertate possidentis illam, nisi jus aliquid in contrarium statuat, sed hic jus nihil contrarium statuit quoad sponsalia: ergò, &c. Statuitur quidem *c. Funali. De Sententia & re judicata.* ac alibi: docéntque DD. communissimè cum Sanchez *l. 1. disp. 18. num. 5.* in dubio favendum esse valori matrimonii. Ab hoc tamen non valet argumentatio ad sponsalia: neque verùm est universaliter: (ut volunt DD. oppositæ sententiæ) quæ statuuntur in causa matrimonii, statui hoc ipso in sponsalibus; cùm grandis sit disparitas, ut jam supra innui, & iterum dicam infra de sponsalibus conditionatis. Et optimè probat Gobat cit. *à num. 71.*

II. Verba certa.

VErba certò significantia sponsalia sunt: 179
promitto tibi matrimonium, & ego tibi promitto me ducturum te: promitto, me obligo, do tibi fidem meam, quòd te ducam sub fide mea te ducam: habeas me; infidus sim, sim nequam, nisi te ducam; & his similia. Item *accipiam te: ducam te: deinceps, posthac, cras te ducam* &c. Nam licèt hæc & similia verba futuri temporis expressè non significent promissionem potiùs, quàm propositum (& certè ea verba: contraham tecum matrimonium: solùm significare propositum, censet Tanner. cit. *num. 10.*) attamen significant promissionem implicitè ex usu communissimo loquendi. Uti authoritate plurium confirmat Sanchez *disp. 18. num. 12.* Et certissimè similiter, si alteri stipulanti seu promissionem exigenti, v. g. puellæ nolenti consentire, nisi promittas matrimonium, ita respondeas. Item si unus dicat, accipio te in uxorem, & altera respondeat: ego te accipiam in virum, &c. adhuc constitui sponsalia, rectè censet Tambur. cit. §. 3. *num. 16.* consentiente Gobat *n. 49.* Nam licèt illud sponsi: accipio te: significet de præsenti, ut per ea verba videatur matrimonium constitui; tamen illa expressio sponsæ respondentis per futurum: *accipiam*: ostendit consensum esse de futuro: ideóque constituuntur sponsalia, & non matrimonium.

II. Verba certò non sponsalia, sed matrimo- 180
nium significantia sunt: *1. accipio te in meam.* Hæc verba pro genuina forma matrimonii ponuntur, *c. ultimo de sponsal.* Sub auditur enim: in uxorem meam, in maritum, &c. *2. Habeo te in uxorem. 3. Jam, ex nunc reputo te in*

Universidad de Deusto
Biblioteca

uxorem: ex nunc, vel post hac: ab hoc tempore: item: *semper, omnibus diebus vitæ habebo, tenebo te pro uxore, tractabo te ut uxorem, providebo tibi ut uxori; ex nunc, post hac eris mea uxor.* Nam licèt ea verba futuri temporis: *mea eris, providebo tibi ut uxori &c.* ex se significent & constituant tantùm sponsalia, quatenùs tamen additur ejusmodi particula: *ex nunc, semper, &c.* jam important etiam consensum de præsenti, adeóque verum matrimonium. Ut notat Tambur. *ibidem num. 28.*

181 III. Quandò impuberes matrimonium contrahere intendentes utuntur verbis certis de præsenti, licèt ob ætatis & maturitatis defectum verum matrimonium non sit, censeri tamen vera sponsalia debent, qualia impuberes contrahere possunt. Ut habetur expressè. *c. Finali. de desponsat. impuber. & c. unico eodem titulo in 6.* ubi ratio datur; quia mens contrahentium sit; *si actus non valet secundùm omnia, valere tamen debet, quatenùs potest.* Quam regulam interpretans Covaruvias *in epitome p. 1. c. 3.* veram esse dicit, si id, quod fieri potest, includatur in eo, quod sit; atqui sponsalia satis manifestè includuntur in matrimonio, tanquàm imperfectum & inchoatum in perfecto Layman. cit. *num. 17.* Excipiendum tamen, nisi prædicti expressè excluserint sponsalia v. g. contrahimus matrimonium, quòd si hoc non valeat, nolumus obligare ut sponsalia. Et hinc consequenter valdè probabiliter.

IV. Quando etiam puberos utentes verbis de
182 præsenti, clam sine Parocho & testibus intendunt matrimonium contrahere, etsi post Tridentinum non valeat matrimonium, valere tamen ut sponsalia de futuro, docent gravissimi DD. *Veracrux, Henriquez, Corduba, Rebellus, eòsque citans Layman. num. 17. aliiq.* Ratio est, quia ex una parte adest eadem ratio, quæ suprà; Ex alia autem parte Concilium Tridentinum solùm anullavit matrimonium clandestinum, non autem sponsalia clandestina, cùm ad horum valorē nulla solemnitas requiratur, prout etiam declaravit sacra Congregatio apud Tambur. cit. §. 4. *num. 1. Decretum Tridentinum quod statuit, ut matrimonium fiat coram Parocho & testibus, non habet locum in sponsalibus.* Contrariam tamen negativam docent communiùs DD. Navar. *l. 4. consil. 1. de clandestina desponsatione.* Sanchez *l. 1. c. 20.* pluribúsque relatis Diana. *part. 3. tract. 4. resol. 298.* Tambutinus ibidem *num. 6. & 9.* Gobat *cas. 2. num. 78.* Ratio præcipua est; quia Concil. Trident. *sess. 24. c. 1. de reformat. matrimon.* loquens de clandestinè contrahentibus, expressè ait: ac sic contrahendum eos sacra Synodus *omninò inhabiles reddit. Omninò* dicit, id est: omni ex parte, ut proindè excludatur ratio suprà data de impuberibus. Sed certè facilè respondetur; sub intelligendam esse vocem: *matrimonium*, quæ proximè antecessit. Fatetur tamen Layman cit. propter authoritatem DD. sponsum, qui matrimonium clandestinum irritè contraxit; in nullo foro cogi posse, ut in futurum contrahat, nisi ad hoc se expressè obligarit, ut si contractus non valeat tanquàm matrimonium, valere debeat eo modo, quo potest, scilicet ut sponsalia, sicut notavit Sanchez *ibidem num. 6.*

III. Verba dubia.

TAlia plurima congesta & examinata videre 183
potes latissimè apud Sanchez à *disp. 18.* & strictiùs Tambur. cit. *c. 3.* & Gobat *cas. 2.* Sed quia pleraque parum faciunt ad praxin in nostris partibus, ideò seligo aliqua magis germanizantia.

I. *Mea eris, meus eris.* Secundùm *Sylvestrum & Rodriqu.* constituunt matrimonium; 184
at secundùm *Sanchez, Hurtadum, Tambur.* solùm sponsalia, nisi addatur *ex nunc*, vel *posthac* eris mea, &c. Sic enim constituere matrimonium, jam suprà insinuatum est. Similiter dubia est forma, *volo te habere uxorem.* Hæc autem: *volo contrahere tecum: volo, placet te ducere:* secundum *Sanchez* ibidem *num. 24.* & plures apud ipsum, constituit sponsalia: sed rectiùs Gobat germanus *num. 56.* censet iis verbis solis nihil effici in Germania, nisi accedat alia actio, v. g. stipulatio manuum, exhibitio arrhæ, propinatio poculi, &c.

II. *Non aliam ducam nisi te vel præter te.* 185
Sanchez *cit. Coninck*, alii cum Layman. *hic. c. 1. num. 2.* censent non constituere sponsalia; sed sensum esse solùm exclusivum sic: promitto me cum nulla contracturum, excipio autem te, tecúmque non nego me contracturum, sed neque etiam affirmo; neque indè sequitur me affirmare, ac proindè ea formula solum inducit obligationem conditionatam, hanc ducendi, si aliquam ducere velim: Aut disjunctivam vel hanc ducendi, vel nullam, cujus utriuslibet electio erit penes promittentem. Contrà tamen multi sentiunt, & sensum eorum verborum non solùm exclusivum, sed etiam assertivum censent, sicut in hac propositione: Nullus potest consecrare, nisi Sacerdos. Sed prior sensus videtur in praxi receptus, ut notat Tambur. *num. 60.*

III. *Promitto tibi amorem, & fidelitatem,* 186
Dubia formula est, cum amor & fidelitas in aliis etiam rebus servari possit, quàm in promissione matrimonii: si tamen accederet traditio arrhæ, aut copula secuta esset, post hanc formulam meritò judicaretur, per hoc factum declarari dubia illa verba, & explicari in sensu promissionis sponsalitiæ. Gobat. *num. 65.* Et universaliter: si post mentionem factam de matrimonio, aut quomodocunq; dubiam promissionem, seu verba dubia vel signa sequatur copula, censetur facta animo sponsalitio, adeóque sponsalia contracta.

IV. *Propino tibi ad matrimonium*, dixit Pe- 187
trus Apolloniæ; respondit hæc: *Deus benedicat tibi.* Erúntne sic sponsalia censenda inita? Certè nisi constet, vel appareat, Petrum fuisse jocatum, sed seriò locutum, & maximè si præcessit

sit tractatio vel mentio aliqua nubendi, respondet Gobat. *conf. 1. num. 32.* in foro externo pronuntiandum, quòd sic; etenim illa phrasis: propino tibi ad matrimonium, ad emptionem, ad communiationem, seriò prolata significat à Germanis serium animum nubendi, emendi, &c. Et si altera pars respondeat benedicens poculum, censetur consentire in rem petitam, alioquin certó alia locutura. Certè vix erit reperire puellam, quæ, si abhorret à tali matrimonio, eo casu non esset mox dictura, jam non esse tempus agere de matrimonio: aut certè resse sponsura cum tali reformatione vultûs, oculorum, vocis, &c. ut omnes præsentes advertere possint ab ea non cogitari seriò de matrimonio à propinante oblato. Illud verò indubitatum, si Apollonia propinatum poculum ac refusum acceptasset, & mox ebibisset, nullo signo contrarium mentem ostendens, se scilicèt non bibere in signum matrimonii, fuisse compellendam nubere Petro quia ejusmodi actio Germanis est clarum & certum signum consensûs in rem, quam petit propinans. Lege totum illum casum primum apud Gobat. *tract. 10. Illaudati moris* appellatum.

IV. Signa alia.

188 NOn solùm verbis, sed aliis etiam actionibus constituuntur sponsalia, sed verè non sine verbis vel tractatione prædicenti aliqua de matrimonio.

I. Porrigendo. acceptando & complectendo invicem manus, sed certè non sine verbis, ut si juvenis dicat: en habes meam manum in signum, quòd velim te habere sponsam, & puella mox etiam porrigat manum, etsi nihil dicendo. Secùs si ille apprehendat manum puellæ, & tum primum dicat: accipio te in meam sponsam; illa autem nec retrahat manum, nec contradicat; tunc enim non fore signum sufficiens repromissionis, nec consequenter fieri sponsalia, cum pluribus docet Sanchez *disp. 22. num. 6.* Contrà tamen fieri sponsalia, contendunt *Pontius*, aliisque citatis Perez *disp. 4. sect. 6.*

189 II. Porrigendo & in digitum immittendo annulum (quod DD. subarrhationem dicunt) in signum fidei & promissionis, quam sibi dant sponsi de futuris nuptiis, adeóque etiam non sine aliqua tractatione vel mentione prævia de futuris nuptiis. Utsi juvenis dicat & tradat annulum puellæ: do tibi hunc annulum ad matrimonium: illáque acceptet nihil contradicendo, habebitur ejus taciturnitas pro expressa acceptatione, & consequenter repromissione. Ex communi *Sanchez cit.*

III. Mittendo & acceptando alia munera juxtà morem sponsorum, præcedente scilicèt tractatione aliqua de matrimonio, seu ut loquitur
190 Sanchez cit. *num. 5.* quandò habito tractatu de matrimonio contrahendo, misit sponsus arrhas, ocalia, aut nomine sponsalium pecunias; acceptavitque puella, censetur consensisse in sponsalia. Seu ut ait Gobat *num. 69.* Qua dò præcesserunt, vel comitantur verba, actiones vel circumstantiæ, ob quas meritò censeatur, illam missitationem & acceptationem haberi pro consensu in matrimonium de futuro.

IV. Taciturnitas aut non contradictio præ- 191
sentis filii aut filiæ, tunc solùm est signum positivi consensus, quando parentes (item Tutor vel alius potestatem habens) dicunt: hanc nostram filiam damus tibi, vel tuo filio in sponsam. Secùs, si alius sic dicat sub cujus potestate non est constituta puella; hi enim carent potestate & authoritate exprimendi aliorum consensum. Juxtà communem DD. cum Sanchez *l. 1. disp. 23. & 24.* & Tambur. cit. *num. 35.* contra *Pontium.* ac Dianam *part. 3. tract. 4. resol. 730.* Tandem si filius absens, vel infans postèa fiat præsens vel adultus, quandó à parentibus resciunt promissionem pro ipsis factam de matrimonio, & ipsi vel illæ taceant eo ipso sponsalia iniri, ex communi notat *Tambur.* ibidem cum *Coninck.* Idque multò magis, si ratificent per verba vel per cohabitationem, visitationem, vel oscula & amplexus, per appellationem sponsæ, &c. Sic enim est clara sponsaliorum approbatio. Prout deciditur in jure *c. unico de desponsat. impuber. in 6. decretal.*

§. V.

Inter personas habiles.

GEneraliter: omnes illi & feré soli sunt ha- 192
biles ad sponsalia contrahenda, qui possunt validè & licitè inire matrimonium; & consequenter omnes illi & feré soli sunt inhabiles ad sponsalia, qui nequeunt sine peccato celebrare nuptias, quantùm est de jure naturæ. Veritas hujus dicti, similiter & ratio, cur dixerim *feré soli*, &, *quantùm est de jure naturæ*, patebit ex dicendis in particulari.

I. Inhabiles naturaliter.

PRæter infantes amentes, plenè ebrios, om- 193
nèsque deliberationis incapaces, ex dictis §. 2. etiam cæcus, surdus, & mutus simul est inhabilis ad sponsalia & matrimonium. Juxtà communem DD. cum Sanchez. *l. 1. disp. 8. num. 30.* Ratio est; quia saltem moraliter loquendo est impossibile, ut qui simul cæcus, surdus, & mutus est, vel à se ipso, vel ab alio discat requisita ad matrimonium; quarè omninò repellenda esset, quæ tali vellet nubere. Eadem ratione talem insensatum hominem etiam incapacem esse professionis religiosæ, ex communi rectè docent Diana *part. 5. tract. 6. resol. 24.* Pollizarius *Manuali Regula. tract. 3. c. 2.* Neque talem obstringi præcepto audiendi Sacrum contra multos, cum multis bene probat Gobat *Alphabet. Sacrum audientium.* Secùs dicendum de eo, qui solùm uno ex his defectibus laborat: itemque de illo, qui est mutus & surdus simul, modò non sit cæcus, nam talis potest edoceri necessaria ad obligationem, actùmque conjugalem. Sanchez cit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cit. *num.* 32. Tanner. *disp. 8. quæst. 1. num.* 32. addens absolutè & physicè loquendo, nihil obstare, quin etiam cæcus, surdus, & mutus adeò perspicacis sit ingenii, ut rationem matrimonii satis intelligat, ideòque uxorem ducere valeat. Sed moralia sectamur, non physica.

II. Ætas. impuberes.

194 ÆTas sufficiens ad contrahenda sponsalia est ætas rationis seu anni discretionis; & jure Ecclesiastico quidem requiritur septennium completum, adeò, ut ante eam ætatem completam tam mas, quam fœmina inhabiles sint ad sponsalia contrahenda, eaque contracta invalida. *c. Literas. c. Accessit. c. Ac dissolvendum. De desponsat impuber, & c. unico eodem titulo in 6.* Ratio est; quòd ea fermè ætate & non anteà rationis ac liberii arbitri usum consequantur, ut voluntariam in se obligationem suscipere possint. Quarè si certis indiciis ostendatur, defectum ætatis supplere malitiam, & præcocis ingenii prudentiam, valida sponsalia, etiam ante septimum ætatis annum completum censeri debent: sicut è contrà invalida censeri debent sponsalia etiam post septennium contracta, si sufficientem rationis usum tunc defuisse ostendatur. Ita contra multos alios communior DD. cum Sanchez *l. 1. disp. 16. num. 14.* Layman. *c. 1. num. 16.* Pontius *l. 12. c. 5.* Ratio est; quia cùm de veritate constat præsumptio cedere debet, atque adeò jura præscribunt, & requirunt ad sponsalia septennium completum, quia tunc præsumitur, & non antea usus rationis; sicut præscribunt annos pubertatis pro matrimonio; quia tunc, & non anteà præsumitur potentia generandi: ergò &c. Sicut si constet ante annos pubertatis præscriptos adesse potentiam generandi, valet matrimonium ex suprà dictis: sic si ante annum septimum constat adfuisse usum rationis, valebunt sponsalia. Tandem sponsalia: quæ ob rationis defectum seu utriusque, seu alterius contrahentium irrita fuerunt, superveniente rationis discretione per ratificationem expressam vel tacitam (adeóque etiam copulam) convalescere, juribus allegatis benè explicant & probant Sanchez. *num. 5.* Layman. *num. 16.*

195 II. Sponsalia post ætatis discretionem ab utroque vel alterutro impubere celebrata, valida sunt, sed non omninò firma, sed suspensa. Valida quidem & rata sunt quia nullo jure certa major ætas requiritur, sicut requiritur pro ipso matrimonio ætas pubertatis, cum ad matrimonium, quod est ex se indissolubile, maturiori opus sit judicio, quàm ad sponsalia, quæ ex multis causis rescindi possunt. Unde & talia sponsalia impuberum inducunt impedimentum publicæ honestatis. *c. Literas. c. Accusat. c. Continebatur. De desponsat. impuber.* Et durante eadem ætate impuberi à sponsalibus resilire non possunt. *c. De illis eodem titul.* De quo fusè Sanchez *l. 1. disp. 51.* Ratio hujus ordinationis fuit, ne in eo infirmæ ætatis judicio imprudens effet mutatio.

196 III. Non omninò firma, sed suspensa sunt ejusmodi sponsalia impuberum; quia quamprimùm impubes annos pubertatis assecutus fuit, datur ei optio vel resiliendi, vel sponsalia ratificandi expressè vel tacitè. Citato *c. De illis. &c. Anobis. eodem titulo.* At quid si impuberes illi sponsalia prius firmarunt juramento? Adhuc posse resilire, contra Sanchez, alios multos, cum aliis multis docet *Pontius* apud Tamburinum approbantem, *tract. 3. c. 5. §. 1. num. 17.* Eo quòd juramentum sequatur naturam actûs, cui adjungitur, nisi à jure contrarium ordinatum fuerit. Excipit tamen Layman. *num. 17.* si impuberes pubertati jam propinqui sponsalia juramento confirmarint, tunc adepta pubertate, resiliri non posse. Juxta cit. *c. ex Litteris. De sponsal.*

197 IV. Pubes autem jam, qui cum impubere contraxit, neque ante, neque post hujus pubertatem resilire potest, nisi alter quoque pubes factus dissolutioni consentiat. Quia hæc facultas valendi se solo dissolvere sponsalia, concessa est duntaxat impuberi pubertatem assecuto in favorem & valet privilegium ætatis teneræ, in qua inita sponsalia meritò non debent esse tam firma, ut ad eorum dissolutionem non sufficiat ejusdem dissensus maturo pubertatis tempore habitus. Nihil ergò de hoc privilegio participat, si pubes jam sponsalia iniit cum impubere. Communis apud citatos omnes. Tandem generalis exceptio hic ponitur *cit. Anobis.* Nisi sponsi ante legitimam ætatem, pubertatis se carnaliter cognoverint, tunc enim spectato jure antiquo ipsum matrimonium consummatum censetur; jure autem novo Concilii Trident. clandestina matrimonia annullantis, sponsalia completa: siquidem Canonico Jure pubes censetur, qui generare potest, etsi annorum numerum legitimum non expleverit. *c. Puberes eodem titulo. &c. ultimo De eo, qui cognovit consanguineam.* Deniq; si impuberes tentent contrahere matrimonium per verba de præsenti, etsi non valeat ut matrimonium, valere tamen ut sponsalia, jam per occasionem dixi §. 3. *n. 181.*

III. Impedimentis matrimonii adstricti.

198 INvalida sine dubio sunt sponsalia eorum, qui nunquàm possunt validè vel licitè contrahere matrimonium ob impedimentum. Nam pactum turpe vel rei turpis aut impossibilis facto nullam obligationem inducit. Textus *c. super eo. De transaction.* Et, *cùm quid prohibetur, prohibetur omne id, per quod ad illud pervenitur:* per sponsalia autem debet perveniri ad matrimonium: ergò.

199 Et hinc invalida sunt sponsalia simpliciter & absolutè contracta inter personas laborantes impedimento dirimente vel impediente matrimonium: adeò, ut omne impedimentum matrimonii & dirimens & impediens tantùm, re-

cit.

spectu sponsaliorum sit dirimens. Communissima. *Coninck. Tanner.* alii. Ratio jam dicta est; nam tales nequeunt sine peccato promittere matrimonium, cum nequeant illo impedimento durante conjuges fieri. Dixi autem: *sponsalia simpliciter & absolutè contracta;* ita ut promissio absoluta simpliciter referatur ad quodcunque tempus, etiam præsens, quo durat impedimentum. Secùs, si sponsalia essent conditionata, aut expressè referantur ad tempus futurum, quo cessabit impedimentum. Ut mox videbis in exemplo.

200 Titus & Berta consanguinei in secundo gradu simpliciter contrahunt sponsalia. Certo nulla sunt, cùm sint omninò inhabiles secundùm præsentem statum; nullus quippè potest promittere & obligare se ad id, quod ex se non potest ponere: sed hi ob impedimentum dirimens (quod ex se non possunt tollere) non possunt matrimonium contrahere: ergò nec promittere absolutè & simpliciter. At verò, si promissio vel sit conditionata, utpotè dicendo: spondeo tibi matrimonium, si Papa dispensaverit: vel promissio referatur ad tempus futurum, quo cessabit impedimentum v.g. dicendo; nunc spondeo tibi nuptias contrahendas post obtentam dispensationem. Jam valida & licita fieri sponsalia notat etiam Sanchez *l. 5. d. 5. num. 16.* Tambur cit. *num. 5.*

Titius voto castitatis obstrictus (quod est impediens tantùm) ita simpliciter contrahi sponsalia cum Berta. Rursùs certò irrita sunt; quia promissio etiam jurata faciendi rem malam nulla est: at Titius voto dicto ligatus per sponsalia promittit violare votum castitatis, utique rem malam: ergò &c. Jam limita rursùs ut suprà.

At Titius eo voto ligatus seria promissione matrimonii debitè acceptata, adeóque tanquam sponsalibus contractis veris persuasùm corrupit virginem. Annon valebit talis promissio? R. Non valebit, si fuit virgo conscia ejus voti, debet enim sibi imputare, quòd consenserit in copulam. Ex communi Perez *dist. 5. sect. 1.* Gobat. *cas* 1. num. 10. Insuper esto, quòd non fuerit conscia adhuc non valebit promissio. Si Titius possit compensare damnum puellæ, utpotè infamiam, difficultatem alteri nubendi, &c. nisi ipse eam ducat, jam per accidens tenebitur eam ducere, non quidem titulo promissionis, utpotè de re illicita nulliter factæ, sed titulo justitiæ ad compensandum damnum injustè illatum virgini deceptæ; eò quòd votum non obliget, quandò nequit observari sine injustitia vel injuria alterius. Juxta Communissimam DD. Quare talis in matrimonio contracto posteà tenebitur quidem reddere debitum, sed petere non poterit, cùm quoad possit, teneatur servare votum sine injuria conjugis. Ut iterùm videbimus suo loco, *cùm De debito.*

IV. Filiifamilias.

Quoad matrimonium ipsum.

201 FIlliifamilias valdè contrahunt ipsum matrimonium etiam insciis, & quomodo libet justè vel injustè invitis parentibus, etsi, justè invitis, graviter peccare possint. Certissimum apud omnes. Quin Concilium Trident. *Sess. 24. c. 1. De reformat. matrimon.* anathemate percellit eos, qui affirmant, matrimonium à filiisfamilias sine consensu parentum contractum irritum esse, & parentes id ratum vel irritum facere posse (Leges autem civiles ad filiæ matrimonium patris consensum tanquàm necessarium requirentes, vel solùm ad honestatem seu æquitatem referendæ sunt, vel certè Canonico Jure correctæ sunt) Ratio est; quia in electione statûs & maximè matrimonii filii ipso jure naturæ omninò liberi sunt, ac nemini subjiciuntur: atque, ut loquitur D. Thomas 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5. in iis, quæ ad corporis sustentationem ac prolis generationem pertinent, omnes homines pares sunt; adeóque nec filios quidem in his duobus parentibus subjacere. Hujus autem specialis ratio est; quia cùm homo per matrimonium subjiciatur perpetuæ servituti, æquissimum est, ut hac in re sit plenus juris sui. Item quia conjugum exigit perpetuam societatem mutuo amore conglutinatam; amor autem debet ipsonte nasci, non imperari; quod enim quis non elegit, non diligit Textus *c. Præsens.* 20. *quæst.* 3. Quare Urbanus. II. *c. De neptis. 31. quæst. 2.* decernit. *Nec possunt parentes filios cogere certo conjugio sociari* (elegantem afferens rationem) *quorum enim unum corpus est, debet esse & animus.*

Atque ob eandem causam fit, ut irrita sit etiam desponsatio, quam pater facit nomine filii vel filiæ, puberis vel impuberis absque ejus consensu expresso vel tacito aut subsecuta expressa vel tacita ratificatione, jam suprà insinuata. Sed neque communiter filii tenentur stare sponsalibus ipsorum nomine à parentibus contractis. Ex communi Sanchez *l. 1. disp. 23. num. 3.* Layman. *part. 1. hic c. 1. num. 12.* alii omnes. Qualiter autem peccent filii invitis parentibus matrimonium contrahentes, docetur ex professo in quarto Præcepto Decalogi: necessaria dabo mox N. III. & IV. His quoad matrimonii necessariò prælibatis, jam

Quoad sponsalia.

202 II. FIlliifamilias etiam validè contrahunt sponsalia insciis vel invitis parentibus, nisi ipsum matrimonium non possit licitè contrahi. *Communis* apud citatos & citandos. Ratio est; quia ex una parte sponsalia tam debent esse libera, quam ipsum matrimonium. Et certè quisquis habet tam clarum & certum jus ducendi quamlibet non laborantem impedimento, quàm emendi domum, agrum, vestem, &c. Ergò sicut valet emptio domus, agri, vestis, &c. etsi repugnent pater & mater in iis circumstantiis, quibus ea emptio non repugnat pietati, charitati, &c. ita etiam valebunt sponsalia, nisi similis virtus mandet abstinere à tali matrimonio. Quare sicut sponsi ex talibus sponsalibus obligantur, & fidem servare tenentur, & in utroque foro ad servandam fidem compelli solent; ita parentes

Universidad de Deusto
Biblioteca

eos quoad hoc impedire non poterunt : quin graviter peccarent, si filium impedire, vel disuadere conentur id, ad quod sub mortali obligatur Ut ex communi notat Layman cit. *num. 14. à medio.*

203 Ex altera autem parte, quia non valet nec obligat promissio, quæ versatur circa rem illicitam, invalida quoque erunt sponsalia circa matrimonium, quod licitè non possit contrahi, quandò nimirùm pietas, charitas, justitia vel similis virtus clarè prohibet nuptias tales, vel cum tali : utpotè, si matrimonium, quod filius vel filia inire cogitat, & spopondit, est in probrum parentum, in dedecus familiæ ob inæqualitatem sponsorum, vel similem causam: si indè oriantur gravia scandala, discordiæ, rixæ, &c. inter sponsorum parentes vel consanguineos : si ipsorum parentum gravis & diuturna offensio, indignatio, tristitia, &c. secutura sit. Ex communi Sanchez *l. 1. disp. 14. Layman.* cit. alii. Cùm enim tale matrimonium, utpote pietati charitati, aut etiam justitiæ repugnans, sine peccato contrahi non possit, ideò neque validè per sponsalia promitti potuit, ac proindè illud parentes impedire possunt & debent, etiam implorata ad hoc judicis authoritate, ad cujus officium pertinet cavere, ne talia matrimonia ineantur, ex quibus scandala vel infelices exitus sequi soleant : idque non solùm antè, sed etiam post contracta sponsalia, quippè, ut dixi, invalida : ut locum habeat regula juris *in 6. In malis promissis fidem non expedit servare.* Et cum *Navar. Sanchez*, aliis notat Layman. *eodem c. 14. propè finem.*

204 III. Filiifamilias communiter peccant, si insciis & inconsultis parentibus, matrimonium vel sponsalia contrahant; adeóque talia sponsalia, etsi valida, communiter tamen sunt illicita. In his terminis consentiunt omnes. Liberi enim, præsertim filiæ debent parentibus id honoris, ut eos consulant in re tanti momenti. Accedit, quòd usu receptum sit, ut parentes judicent se contemni, si hic prætereantur ; adeoque dum prætereuntur, datur ipsis occasio gravis offensæ, & peccatorum, non sine peccato scandali. Ratio autem sumitur ex patria potestate, cui jure naturæ impositum est, ut nuptui tradant filios & filias : idque eis apertè tradunt sacri Textus. Uti *Ecclesiastici 7. Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam.* & Apostolus 1. *ad Corinth. 7.* expressè docet, à parentibus tradendas esse filias nuptui : idque palàm demonstrant exempla Patriarcharum in sacra Scriptura, *Genes. 41. & 48.* Et confirmat Jus Canonicum variis locis. Ex quibus omnibus satis rigidè loquuntur DD. & peccare tunc filium mortaliter communiter asserunt *Navar. Henriq. Molina, Lopez*, aliisque congestis Sanchez *l. 4. disp. 23. à num. 9.* & sequitur Gobat. *num. 102.* Et sine dubio verum est per accidens, si nimirùm filii vel filiæ prævideant, se parentibus daturos occasionem gravis & diuturnæ offensæ, aliorúmque peccatorum. At verò per se loquendo, profectò tantam obligationem nec allata convincunt, nec ratio urget ; aut enim dignè contrahere volunt, aut indignè, aut dubiè ? Si dignè contrahere volunt, parentes non potuerunt justè contradicere ; & si contradicant, filii non tenentur obedire. Ut quid ergò tantum peccati mortalis onus requirendi consensum, si eis tandem consilium patris respuere conceditur ?

Si in dubio, consilio opus sit, an non poterunt petere ab alio prudentiori, & sic non egerent paterno ? ad quid ergò obligatio sub mortali ? si indignè contrahere voluint, ac per hoc peccare, si sub mortali obligamus ipsos ad patris consilium postulandum, an non regulariter eos conjiciemus in pericula rixarum, cùm certum sit, patrem contradicturum ; quia agitur de suæ familiæ dedecore : idque maximè, si filius in arrepto proposito contra patris consilium constans supponatur. Et certè contra solum consilium patris, filium in proposito licitè perstare posse, fatetur *Sanchez cit.* An non ergò satius erit, curare ut ignoret pater, quàm ut consultus noscat, & ejus authoritas coràm despiciatur. Cœterùm certum est ex Concilio Trident. *Sess. 24. c. 1. de reformat. matrimon.* si parentes sint injustè impedituri matrimonium, aut subsit alia justa causa occultandi matrimonium, licere filiis utrumque contractum inire insciis, & inconsultis parentibus. Ut benè notat Perez *disp. 18.*

IV. Filios ac filias similiter peccare mortaliter, si consultis licet, sed invitis, dissentientibus ac contradicentibus parentibus sponsalia ac matrimonium cum indignis ineant. Est communis & sine dubio probabilior sententia DD. *Navar. Sotus, Lopez. Rodriqu. Corduba*, aliique cum Sanchez cit. *num. 9.* Bellarmin. *l. 1. hic c. 19.* Et sine dubio verissima est sententia, quandò ultra parentum involuntarium, alia gravia mala suprà indicata sequuntur, utpotè scandala publica, grave dedecus parentum ac familiæ, dissensiones, rixæ, &c. si connubium ipsis filiis damnosum sit ; tunc enim peccare eos mortaliter, saltem contra charitatem & pietatem, nimis certum. Quo modo peccavit Esau *Gen. 16.* cùm quadragenarius accepit uxores de filiabus Chanaan cum gravi offensione Isaac & Rebeccæ parentum.

Et quia ejusmodi mala regulariter concurrunt, cùm filii invitis parentibus indignè contrahunt, ideò hæc sententia in praxi regulariter vera est. At verò secluſis illis aliis malis ratione solius involuntarii, dissensionis vel contradictionis parentum, non peccare mortaliter filios, si etiam indignè contrahant, utpotè : si filius ducat indignam, vel filia nubat indigno, &c. Probabilissimũ est, & post *Henriq. Ledesmam.* & alios, tenet *Sanchez cit.* cum Gobat. *n. 103* : Ratio fundamentalis jam N. 1. data est ; quia nimirùm in electione statûs & maximè matrimoni, filii ipso jure naturæ omninò liberi sunt, & nulli, ne parentibus

205

206

tibus quidem suis, subjecti sunt : ergò quamvis tales etiam invitis parentibus indignè contrahentes valde inconvenienter agant, & à veniali irreverentiæ saltem culpa excusari non possint ; at peccati mortalis diram necessitatem iis imponi, naturalis eorum libertas sanè probabilissimè non permittit. A fortiori ergò certum explorátumque sit, si filii invitis parentibus ineunt matrimonium cum dignis, & alioquin nullum sequatur incommodum, non peccabunt mortaliter, imò nevenialiter quidem, si priùs à parentibus modestè facultatem petierint, etsi nequaquam impetrârint. Ratio semper eadem, & tenet communis DD. cum Sanchez *l. 4. disp. 12. num. 4.* Et universaliter, quoties parentes injustè contrariantur, filiosque privare moliuntur sperato bono, ac matrimonio sibi utili ac honesto, sufficere eis, reverenter assensum petiisse, de cætero sui juris esse, obedire non teneri, adeóq; nec peccare matrimonium ineundo parentibus invitis, nec consequenter ob id justè puniri posse, omnes consentiunt cum *Navarro*, Toleto. *num. 5. c. 1.* Tandem, an filii vel filiæ invitis parentibus nubentes possint exhæreditari, dixi alibi, *cùm de testamentis.* Et videre potes apud *Molinam, Sanchez, Layman. cit.*

§. IV.

Absoluta non conditionata.

207 PRomissio absoluta seu consensus absolutus absque conditione in futurum relatâ requiritur ad sponsalia simpliciter dicta & statim obligantia : qualis etiam æquivalenter est promissio vel consensus sub conditione de præsenti vel præterti subsistente. Ut si Titiæ spondeas matrimonium, si pater mortuus est, si virgo, vel catholica sit, &c. conditione subsistente, eo ipso fit promissio absoluta, & vera sponsalia, perindè ac si absolutè & sine conditione facta fuissent ; eadem ratione per omnia, sicut dicetur *sect. sequenti*, de matrimonio conditionato. Solùm ergò de sponsalibus conditionatis sub conditione de futuro aliqua specialia, & insuper aliqua sponsalibus & matrimonia communia, breviter explicanda sunt.

I. Conditio honesta de futuro.

208 I. FAs est sponsalibus addere conditiones quasvis possibiles & honestas, seu bonis moribus non repugnantes, (non item impossibiles seu turpes, de quibus infrà seorsim) etiam in tempus futurum relatas. Ut, si spondeas matrimonium Titiæ, si tantam dotem attulerit, si tuus vel illius pater consenserit. *Omne.* Nam, ut dicitur *L. in transactionibus ff. de pactis Quisque rei suæ modum ponere potest* : ergo etiam conditionem contractui, quem liberè iniit. Attamen ejusmodi sponsalia seu promissio sub conditione seu futuro ante eventum conditionis simpliciter non sunt vera sponsalia, cum pro eo tempore, quo nondum posita est conditio ; potens etiam non poni, deficiat perfectus & absolutus consensus. Hinc fit, quod ex talibus sponsalibus ante impletam conditionem non inducatur impedimentum publicæ honestatis. Ut habetur expressè *c. 1. de sponsal. in 6.* & latè videre potes apud Sanchez *l. 5. disp. 5. num. 22.* & Dianam *part. 11. tract. 2. resol. 68.* Nec talibus sponsis conceduntur oscula & amplexus &c. aliis veris sponsis concedi solita ; quia isti pro illo tempore veri sponsi non sunt.

At nonne etiam sponsalia impuberum suspensa sunt, & tamen ex iis ipso jure inducitur impedimentum publicæ honestatis, ut videmus : iisque conceduntur oscula & amplexus &c. cur non idẽ sit in sponsalibus conditionatis ? R. Ideò non idem ; quia sponsalia impuberum sunt vera sponsalia, etsi cum libertate post pubertatem resiliendi ; sponsalia autem conditionata non sunt vera sponsalia, sed simpliciter suspensa usque ad eventum conditionis. Quod maximè clarum est, quandò sponsi impedimento dirimente affecti contrahunt cum conditione : *Si Papa dispensaverit.* 209

II. Sponsalia conditionata de futuro obligationem tamen suspensam inducunt, qua uterque sponsus bona fide tenetur exspectare eventum conditionis, ita ut si neuter fuit in causa, quin conditio ponatur, ea non impleta uterque liber sit sua sponsione. Idiotæ sciunt, si sponsalia contracta sunt sub conditione : *si pater consenserit* ; cadere omnem obligationem, si non consentiat, sed dissentiat pater. At verò, quandò alterutrer impedit, quominùs impleatur conditio, impediens manet obligatus servare fidem, conditione etiam non impleta. Ex communi docet Tanner. *disp. 8. quæst. 1. num. 66.* Nam ipso jure divino naturali recepta est regula juris 162. *ff. de regulis juris. In Jure civili receptum est, quoties per eum, cujus interest conditionem non impleri stat, quo minùs conditio impleatur, perindè esse, ac si impleta esset. Perindè*, scilicèt respectu impedientis conditionis impletionem, nam alter manet liber, donec impleatur. Imò, quia conatus impedientis conditionem est quædam renuntiatio ac factio fidei datæ, ideò alter, si velit, liberè resilire potest. Ut benè observat Gobat. *cas. 6. n. 273.* 210

III. Sponsalia sub conditione contracta habent vim irritandi alia sponsalia etiam sub conditione posteà inita cum alia persona, non tantùm, quandò conditio posteriorem post conditionem priorum sponsalium jam, vel omninò non impletam, sed etiam si conditio posteriorum ante conditionem priorum impleatur. Hoc est : Cùm aliquis cum duabus contraxit sponsalia sub conditione relata in futurum, v. g. cum prima : *si pater consenserit* ; cum secunda : *si officium obtinuerit.* Prior desponsatio manebit in suo robore, eique standum erit, quandocunque ei conditio apposita evenerit seu priùs, seu posteriùs, seu simul cum conditione posteriorum sponsalium. Ita contra Sanchez cum multis, 211

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum aliis multis Coninck *disp. 21. dub. 1.* Layman *l. 5. §. 10. part. 2. c. 7. num. 6.* Ratio est, quia priori desponsationi per posteriorem præjudicari non poterit; nam juxta regulam 21. *in 6. Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Quarè posterior desponsatio nec licitè nec validè fieri poterit, nisi in eventum, si contingat, priorem desponsationem dissolvi.

212 At contrà, si quis matrimonium contraxit cum duabus, illud tantùm validum erit, cujus conditio prius completur. Ratio disparitatis est; quia matrimonium (non item sponsalia) pendet à continuatione voluntatis, ideóque si consensus semel revocatus sit per aliud matrimonium contractum, etsi injustè, ampliùs perfici non potest eveniente conditione. Quarè matrimonium aliud purè contractum vel eventu conditionis purificatum præjudicatio priori matrimonio conditionato, cujus conditio adhuc pendet. At, quid si utriusque matrimonii simul impleatur conditio? Neutrum matrimonium perfici, censent Sanchez *disp. 8. quæst. 3.* Layman. *num. 6.* Perez, alii. Quin incertitudo vitiat matrimonium. *c. Ex litteris. De sponsal.* contrà prius perfici contendit *Pontius*: posterius perfici vult *Ledesm.* Ego primæ Sententiæ acquiesco.

213 IV. Sponsalia conditionato de futuro quandò impleta est conditio sub qua facta est promissio, statim purificata transeunt in absoluta: idque sine ullo novo consensu elicito, adeò, ut jam neuter sponsus quæat resilire. Ex communiori *Sanchez, Layman cit. num. 2.* Perez *disp. 12. sect. 1.* Gobat cit. *num. 274.* Sumitur per contrarium sensum ex *c. unico. De Sponsal. in 6.* Ratio est; quia pro illo tempore sponsi jam voluerunt obligare: ad quid ergò novus consensus necessarius? Et patebit à fortiori ex dicendis *sect. sequenti.* De matrimonio conditionato. Et mox specialiùs *num. sequenti.* Tandem quandò post

214 promissionem factam sub conditione futura sponsus cognoscit carnaliter sponsam, etsi nondum impleta sit illa conditio, tamen perfici, & absoluta evadere sponsalia, contrà *Sanchez*, & alios, plurimus allegatis docent Menochius *l. 3. De præsumpt. num. 8.* Perez *disp. 12. Sect. 4.* Ratio datur; quia credibile non est, ullam fœminam usum sui corporis concessuram, nisi sub spe absoluta & determinata matrimonii futuri: nec vir ab ea copulam exigeret, nisi animo eam in sponsam absolutè & determinatè sumendi. Cui Sententiæ stylum Curiæ Augustanæ, Constantiensis & Ratisbonensis suffragari testatur Gobat

215 *num. 278.* Et ego cum ipso consentio. Illud verò certum, sponsalia etiam ante eventum conditionis fieri absoluta, quandò sponsi à conditione recedunt, non alter, quam si conditio ab initio non fuisset apposita. Ut etiam observat noster Herincx, *num. 8. in fine.*

Jam restant speciales aliquot conditiones explicandæ.

II. *Si Papa dispensaverit.*

I. PEr se loquendo non peccant consanguinei vel alio impedimento dirimente ligati, si matrimonium spondeant sub conditione Papalis dispensationis, dummodò impedimentum sit juris humani, ut in eo dispensari possit & soleat. Communis cum Sanchez *l. 5. disp. 5. num. 16.* Layman. *num. 4.* Ratio est; quia talis promissio versatur circa rem licitam, scilicet matrimonium contrahendum post datam dispensationem: neque appositio illius conditionis: *Si Papa dispensaverit;* ex se continent ullam turpitudinem: imò apponi vel saltem sub intelligi debet ab omnibus, qui obnoxii tali impedimento faciunt seriam sponsionem matrimonii. Quarè regulam tradunt DD. apud Layman. cit. *Paria sunt, aliquid disponere in tempore habili, vel in tempore inhabili, si effectus conferatur in tempus habile.* Et, vice versa: *Sicut non licet disponere in tempore inhabili, ita nec in tempore habili, si effectus conferatur in tempus inhabile.*

II. Talis, promissio reciproca matrimonii sub conditione: *Si Papa dispensaverit*; inducit veram obligationem sponsaliorum sub conditione, quam proindè sponsus exspectare, eamque eveniente scilicèt impetrata dispensatione, nuptias contrahere tenetur: nec una pars, renuente altera, resilire potest. Ita (contra plurimos infrà citandos) plurimi DD. præsertim RR. quos referunt & sequuntur Sanchez cit. *disp. 5. num. 12.* Coninck. *disp. 29. num. 35.* Layman. *num. 4.* Perez *disp. 16. sect. 1. Herinx cit. Dicastil, Castro Palao,* alii cum Gobat *cas. 9. num. 162.* testante oppositam Sententiam repugnari praxi tribunalium hujus temporis. Ratio est eadem, quæ suprà. Cùm enim hæc mutua promissio sit circa objectum honestum, & oppositio hujus conditionis nullo modo sit turpis, non est ratio, cur non oriatur obligatio quidem ex justitia, & post impetratam dispensationem sponsalia valeant, sicuti valent alia sponsalia sub aliis honestis conditionibus contracta. Ad eum modum, inquit *Layman*, quo etiã Episcopus obligatur voto transeundi ad Religionem edito sub conditione: *Si Papa dispensaverit, vel licentiam dederit.* Quarè sicut hoc casu Episcopus vi voti sui tenetur petere dispensationem; ita ut sponsus in nostro casu, ad quem id maximè pertinere videtur, plerúmque se tacitè obligat ad dispensationem perendum; quia qui promittit finem, censetur etiam promittere media, sine quibus finis obtineri non potest. Sic *Layman*, post Sanchez cit. *num. 36.* & alius: Ac verum putat Gobat, *num. 164.* si sponsa velit facere dimidiam partem sumptuum. Et semper supponitur, si subsit justa causa dispensandi.

III. Promissio mutua sub ista conditione *fa-* 216
cta post impetratam dispensationem purificata, transit in absoluta sponsalia & simpliciter obligantia, nullo requisito novo consensu, æquè ac sponsalia, aliáve pacta sub alia conditione honesta

sta in futurum facta. Ita cum aliis Sanchez cit. *l. 5. disp. 5. num. 12.* innumerósque citans Pasqualigus apud Tambur. *tract. 3. c. 3. §. 2. num. 10.* Ratio rursùs est; quia ex una parte promissio est de re honesta & possibili: & ex altera parte contrahens vel promittens sub ista conditione, jam se voluit obligare pro isto tempore, quo dispensatio impetrata fuerit: ergò nullo requisito novo consensu jam absolutè sponsalia obligant simpliciter, sic ut una pars, invitâ alterâ, resilire, & consequenter alia sponsalia valida contrahere non possit, quin etiam sponsalia fortè ante impetratam dispensationem cum alia persona non impedita, absoluta contracta, post impetratam dispensationem invalida remanebunt: & cum illa illicitè, etsi adhuc validè matrimonium contraheretur.

217 IV. Contrarium tamen per omnia, nimirùm: sponsalia inter personas impeditas sub illa conditione: *Si Papa dispensaverit*, contracta simpliciter esse invalida, & etiam post impetratam dispensationem, nullam inducere obligationem, sic ut utervis contrahens possit licitè resilire & cum alia contrahere, nisi post impetratam dispensationem accedat novus consensus vel ratificatio, docent gravissimi DD, *Abbas, Victoria, Sotus, Navar. Veracrux, Henriqu.* apud *Laymau* cit. & plurimis citatis. Rota variis Decisionibus apud Dianam *part. 6. in fine.* Propter quas Decisiones censet Gobat *cit. cas. 6. num. 164. in fine*, non esse quemquàm metu ullius pœnæ facilè cogendum ad ducendam illam quocunque impedimento irrettiam, cui sub illa conditione dispensationis Papalis matrimonium promisit. Fundamentum potissimum est, quòd illi impediti ante dispensationem sint inhabiles ad contrahendum matrimonium: ergò etiam ad validè promittendum illud. Neque hi AA. agnoscere volunt regulam illam mox ante n. 214. in fine traditam.

III. *Si Pater consenserit.*

218 SPonsio matrimonialis, sponsalia, ac ipsum matrimonium contracta sub conditione: Si *pater meus; vel tuus consenserit*, omnium consensu obligant verificata conditione, si nimirum pater, re intellecta, statim consentiat; non autem obligant, & deficit conditio, si rogatus pater ita firmiter dissentiat, ut præsumi non possit, nec spes sit intra breve tempus prudentis arbitrio, consensum ejus obtineri posse, ait recte *Castro Palaus* apud Tambur. *c. 5. §. 4. num. 20.* At, quid si pater 1. initio consentiat, posteà verò contradicat; aut contrà 2. Primò dissentiat, posteà verò consentiat? Quid 3. si taceat? Quid 4. si interim mortuus sit, priusquam ejus consensus exploratus fuerit? Adhuc teneri promissionem, docent multi. In nullo dicto casu teneri, docent etiam multi apud Sanchez *disp. 7.* Perez *disp. 16. sect. 11.* Dicastil *disp. 5. dub. 14.* Tu in praxi sequere illos, ex quorum opinione minora incommoda oriuntur, nisi de intentione contrahentium aliud certò constet, quæ ante omnia inquirenda est, ut providè monet Gobat *cas. 4. n. 167.*

II. Regulariter sub ista conditione contra- 219
hentes solent esse solliciti, non tam ut pater positivè consentiat quàm ne contradicat cum indignatione, ne scilicèt filius vel filia patrem offendat, si fortè matrimonium spondeat, vel contrahat sine ejus præscitu & consensu. Quare, nisi de mente contrahentium aliter vel aliud constet, regulariter censebitur impleta conditio, & promissio obligare, quoties pater non contradicit; utpotè 1. si ante consensum exploratum jam est mortuus, certè non contradicet, nec indignabitur. 2. Si taceat sine displicentiæ vel indignationis signo, scilicèt nec contradicens, nec etiam positivè vel apertè consentiens. 3. Quandò primò quidem dissentit & contradicit attamen post breve tempus, v. g. cras consentit; sicut & in præcedenti casu censetur impleta conditio: *si Papa dispensaverit*: tametsi primæ vel secundæ petitioni non acquiescat, posteà tamen dispensationem concesserit. *Tambur. & Gobat. cit. 4.* Denique si à principio quidem consentit, & posteà inter simile breve tempus contradicat, certè non censebitur impleta conditio; quia illa brevi secuta repugnantia absolutum priorem patris consensum fuisse moraliter non ostendit. Tambur. *num. 18.*

III. At quid de illa formula conditionata, 220
qua non rarò utuntur puellæ dicentes: *nubam tibi, si Deo placuerit?* R. sensum communem esse: si re benè considerata deprehendam, esse expediens ad animæ meæ salutem, &c. nubam tibi. Quare, si talis puella deprehendat, esse sibi ad salutem conducibilius vel manere cælibē, vel nubere alteri, erit omninò libera à promissione sua. Ut rectè opinatur Gobat. cit. *num. 169.* referens, duorum DD. Juris consultorum judicio nullam promissionem sponsalitiam illis verbis contineri quoad forum externum. Videre tamen potes de hac formula disputantes Sanchez. *l. 5. disp. 7.* Dicastil. *disp. 5. dub. 2.*

IV. Quid item de hac simili conditione: *Te* 221
ducam, tibi nubam, si Deus ita disposuerit, vulgò: Wann es GOtt schicken wird? R. Idem *Gobat*, esse explicandam vel eodem sensu, quo superiùs; vel sic: Te ducam; si Deo dirigente mihi commodum fuerit. Ideóque per has formulas non constituuntur sponsalia absoluta, nisi ea aliter declarentur per alios actionem vel dictorum modos, juxta dicta §. 3.

IV. *Conditio impossibilis & turpis.*

SPonsalia sub conditione de futuro impossi- 222
bili, vel inhonesta, turpi, seu bonis moribus repugnante (v. g. Te ducam, si cras uno palmo creveris: te ducam si copiam corporis feceris si fidem Papisticam negaveris) esse valida, & ejusmodi conditionem impossibilem, vel turpem debere haberi pro non adjecta: ac proindè in dubio, an sit serio vel joco apposita talis conditio, debere præsumi, esse adjectam joco, ac proinde nihil obesse valori sponsalium, etsi non purificetur, sed sponsalia perindè manere, ac si

Universidad de Deusto
Biblioteca

non fuisset appositа talis conditio: docent sanè plenique & Canonistæ, & Theologi, quos longo catalogo recitatos sequitur Sanchez *l. 5. disp. 17.* Dicastil. *disp. 5. dub. 18.* Escobar. *Theologia Morali l. 25. dub. 206.* addens *ab hac receptissima sententia recedere, piaculum ducerem.* At non ducemus nos. Ratio tota consistit in hoc Enthymemate: *c. Finali. De conditionibus appositis*, expressè decernitur, conditiones impossibiles & turpes adjectas matrimonio habendas esse pro non adjectis contractui sponsalitio; quandoquidem hic contractus est via ad matrimonium. Verùm contrarium non sine ratione docent *Rebellus, Castro palaus, Pontius*, Herincx hic *quæst. 1. disp. 1. num. 9.* ac optimè Gobat. *eodem cas. 4. à num. 151.* Cum quibus distinctè dico

223 II. Conditiones impossibiles & turpes in sponsalibus simpliciter non sunt habendæ pro non adjectis, sed standum est pro intentione contrahentium. *Ratio est*; quia hæ conditiones non rejiciuntur ex natura rei in contractibus; quin imò ex natura rei conditio impossibilis contractui adjecta, illum vitiat; turpis verò obligationem suspendit: Ut mox dicetur. Neque rejiciuntur ex jure positivo. *c. Finali cit.* Quippè quod solùm loquitur de contractu matrimoniali. Et nimis infirma est consequentia & extensio ad contractum sponsalitium. Ut optimè probant *Pontius & Gobat cit.* Nam lex correctiva communis consuetudinis, & restrictiva juris naturalis non est ultrà proprietatem verborum extendenda ad materiam essentialiter diversam cum diminutione libertatis matrimonii, toties à sacris Canonibus propugnatæ: Sed hoc facit illa illatio: ergò nulla. Deinde quæ, quot vel quanta statuunt jura de matrimonio (ut de indissolubilitate, clandestinitate, ætate, tempore, sanctitate, &c.) quæ nunquàm extenduntur ad sponsalia? Et insuper illud ipsum *c. Finale.* solùm loquitur, quoad præsumptionem fori externi, quando est dubium utrùm conditio fuerit seriò vel joco appositа. Ut Sect. sequenti videbimus. Quarè, quod *c. Nuper. De bigamis* dicitur: *In matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attenditur*: id ipsum multò magis attendi debet in sponsalibus.

224 III. Omni ergò jure sponsalia contracta, sub conditione impossibili seriò posita, nulla sunt: contracta verò sub conditione turpi, non obligant quidem, sed rescindenda sunt ante effectum vel eventum conditionis; cùm implicet, aliquem obligari ad aliquid illicitum: sed solùm post completam conditionem, etsi cum scelere, oritur obligatio ad implendum promissum, scilicèt matrimonium contrahendum. Ita DD. citt. Ratio jam dicta est; Cùm enim jus positivum quoad sponsalia nihil speciale constituat, ut dictum est; manebunt illa, sicut alia pacta vel promissa sub conditione impossibili vel turpi, in suo valore, vel nullitate naturali, modo indicato.

225 IV. In dubio, an conditio impossibilis seriò vel joco adjecta sit, pro sumendum est, esse seriò adjectam: & pro adjecta habenda est: ideóque sponsalia sub conditione impossibili vel turpi non impletâ, esse irrita & nulla. Ratio est: quia juxta regulam utriusque Juris: *In dubiis inspiciendum* (adeóque præsumendum) *est quod plerumque fieri solet*: atqui saltem hac ætate, in Germania, maximè plerumque fieri sole: ut adjectio conditionis impossibilis indicet dissensum in sponsalia: cùm enim contractui dajicimus conditionem impossibilem, plerumque volumus indicare, nos nullo modo velle contrahere. Ut, si Cajus dicat Titiæ inopi puellæ: Certò te accipiam in uxorem, si pro dote attuleris millionem auri, Regnum Hispaniæ, &c. Contrà verò quandò homines adjiciunt conditionem turpem ipsis sponsalibus, solent seriò apponere & velle, ut consensus suus ac promissio omninò dependeat ab eventu talis conditionis; quandò enim tam multi (prô dolor) dicunt: Ducam te, si à Religione Papistica defeceris; plerumque indicare volunt: se omninò velle illas ducere, sed non, nisi impleta illa turpi & scelestа conditione omninò serio volitа; adeóque ea non impleta, nolle ducere: & sic conditione non impleta, rursùs sponsalia erunt nulla. Denique spectato jure naturali universaliter debetquis in dubio haberi potiùs ¡ro libero, quàm pro obligato.

SUBSECTIO.

De Causis justis dissolvendi sponsalia.

SUMMARIUM.

226. *Quis possit dispensare vel solvere sponsalia?*
227. *Si adsit justa causa certa sufficiens, non requiritur dispensatio.*
230. *Secus, si causa sit dubia.*
231. *Causa sufficientes solvendi sponsalia sunt,*
232. *I. Mutuus consensus, quo dissolvuntur sponsalia.*
234 *Etiam jurata.*
235. *Saltem valide non tamen semper licitè.*
237. *II. Recessus unius à sponsalibus.*
238. *III. Dilatio nimia matrimonii ultra tempus vel terminum prafixum.*
239. *Quid si nullus prafixus sit?*
240. *IV. Absentia sponsi: qua & quando censeatur illa solvere?*
245. *V. Religionis professio, & ingressus; qualiter solvant.*
249. *VI. Votum Religionis ingrediendæ; qualiter solvat?*
253. *VII. Ordo sacer, ejusque votum: qualiter?*
257. *VIII. Votum simplex castitatis seu continentiæ perpetuæ.*
258. *Hoc tamen probabilius invitâ alterâ parte, nec licite emittitur, nec solvit sponsalia.*
259. *Esto non simpliciter invalidum sit tale votum.*
261. *IX. Matrimonium aliud contractum contra priora sponsalia.*
263. *Quod tamen probabiliter illa non omninò extinguit.*
265. *Sponsalia autem priora legitime contracta, non dissolvuntur per alia sponsalia sequentia cum alia.*
267. *Licet hæc posteriora sint publice celebrata.*
268. *Habeantq; copulam annexam, ac*
269. *Sint juramento firmata.*
270. *For-*

270. *X. Fornicatio sponsæ vel sponsi.*
272. *Etiam, si sponsa vi oppressa sit, vel*
273. *Oscula, amplexus, & actus impudicos admittat ab alio: non tamen contra.*
274. *XI. Impedimentum superveniens, quando & qualiter sponsos liberet à sponsalibus?*
279. *XII. Alia mutationes notabiles particulares facta, vel patefacta quando solvant?*
280. *V. g. In bonis animæ.*
281. *In bonis corporis.*
282. *In bonis fortunæ.*
283. *Et si, jam ante sponsalia jam extiterint, & post primum patefiant.*
286. *An & quando sponsus vel sponsa laborans aliquo defectu occulto teneatur illum manifestare?*

226 HAs variè enumerant varii, octo aliqui, alii decem, vel duodecim, etiam septendecim, sed omnes reducuntur ad tria capita, quæ sunt, 1. *Superioris legitima dispensatio. 2. Mutuus contrahentium consensus. 1. Et notabilis mutatio accidens ex parte alterius utrius sponsorum*; quas mutationes memoriæ causâ ad illa tria capita recolligam, Præmitto verbulum de dispensatione.

I. Dispensatio.

227 I. QUandó sponsalia valida sunt jurata seu firmata juramento neque Pontifex potest dispensare sine causâ gravissima bonum commune concernente. *Communissima*, Sanchez *l. 3. moral. c. 21.* Lugo, *l. 1. Respons. moral. dub. 44. n. 3.* Nam jus acquisitum alteri firmatùmque juramento nequit etiam à summo Pontifice auferri, nisi ob gravissimam, bonóque publico necessariam causam.

II. Si sponsalia valida, non fuerunt firmata ju-
228 ramento, ob causam verè justam & gravem utiq; poterit dispensare Pontifex; at non potest Episcopus; nam generatim Episcopus nequit dispensare in casu, quo jus est acquisitum alteri tertio; talis enim potestas est penes solum supremũ Principem. Et nominatim quoad præsentem materiam videtur hæc dispensatio Episcopo interdicta. *c. ex literis 2. de sponsal. & matrimon.* lege *Sanchez cit.*

III. Hæc dispensatio solùm locum habet,
229 quandò sponsalia validè contracta adhuc valent, & altera pars nondùm remittit suum jus, quod habet in alteram; subest tamen aliqua causa, quæ suadeat dissolutionem; neque enim quisquam absque rationabili causa potest alteri auferre jus suum; quando autem adest certa causa sufficiens ad dissolvenda sponsalia (quales infrà enumerabuntur) certè nulla requiritur dispensatio, sed neque authoritas vel sententia judicis; sed partes propria authoritate resilire possunt per se loquendo, secluso scilicèt scandalo: quod tamen scandalum cessat, si sponsalia fuerunt occulta, aut causa resiliendi notoria: aut contra, sponsalia quidem sunt publica, causa tamen occulta, ut coram judice probari non possit; tunc enim frustrà imploraretur authoritas judicis: ergò pars gravata utatur jure suo & authoritate privata. Communis DD. cum Sanchez *l. 1. de matrim. disp. 69. & 71.* Herincx *disp. 1. num. 53.* Gobat *cas. 9. num. 377.* quos vide, si placet.

IV. At verò, quando causa resiliendi dubia 230
& controversa est cùm scilicèt dubitatur de existentia, vel sufficientia causæ ad resiliendum, omninò ad Episcopum spectare debet di judicare & sententiam ferre ob probabile periculum injustitiæ, dum spoliatur alter in dubio jure sibi acquisito. Communis cùm *Sanchez l.* c. Imò in puro dubio post inquisitionem perseverante, ne quidem in foro externo per sententiam Judicis potest fieri dissolutio; fieret enim injuria parti possidenti jus aliàs certum ex sponsalibus certis. Ut præter alios notat Herincx cit. *num. 53. in fine.*

Jam ergò causæ justæ ex parte sponsorum suf- 231
ficientes ad dissolvenda sponsalia explicandæ sunt: & certè paucis explicare non possum.

§. I.

PRIMA CAUSA.

Consensus mutuus, & annexa.

SPonsalia puberum etiam jurata validè saltem 232
dissolvuntur mutuo libero consensu contrahentium. *Omnes*, Ratio est; quia omnis contractus naturâ suâ solubilis (qualis est etiam sponsalitius; minimè verò matrimonialis propter Sacramentum annexum) sicut ex mutuo consensu paciscentium nascitur, ita & per eundem mutuum consensum dissolvitur, juxta notissimam regulam utriusque Juris: *Canonici 1. in 5. decretal. Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Et civilis: *36. ff. de regulis juris: nihil tam naturale est quàm eo genere quidquam dissolvi, quo colligatùm est.* Hæc causa pro frequenti praxi confessariorum latiùs explicanda simúlque ad hanc tres aliæ causæ reducendæ. Dixi itaque

I. *Sponsalia puberum.* Nam sponsalia im- 233
puberum non quidem antè, sed post pubertatem à pubere facto etiam invita altera parte, posse dissolvi, jam per occasionem dixi *supran. 196.*

II. *Etiam juramento firmata.* Communissi- 234
ma. *Abbas*, & Canonistæ communiter *in c. 2. de sponsal.* Ratio est: quia juramentum tanquàm quid accessorium sequitur naturam actûs, cui apponitur; sponsalibus autem sicut & cæteris contractibus & pactis semper hæc conditio adjuncta vel imbibita est, ut obligent, nisi remissa fuerint: ergò hanc conditionem etiam sequitur juramentum contractui firmando appositum. Idque non solùm verum est, quando juramentum contractui vel promissioni adjunctum est principaliter in favorem alterius partis, scilicèt ad præstandum alteri parti majorem securitatem; tunc enim clarum est alteram partem, sicut potest cedere juri sibi acquisito ex promissione alterius nuda; ita etiam posse cedere juri acquisito ex promissione jurata: cadente enim promissione cadit & juramentum; cùm non entis nullæ sint qualitates. Sed etiam verum est, quandò tale juramentum pium, aut etiam votum principaliter fierit in honorem Dei: ut, si quis

potens

Universidad de Deusto
Biblioteca

potens haberet opulentam puellam, eâ relictâ, ex pietate juret vel voveat ducere hanc honestam puellam pauperem nupturientem & non valentem reperire virum. Adhuc illam puellam posse obligationem remittere, & sponsalia sic contracta mutuo consensu dissolvi contrà quidem *D. Thomam*, multósq; alios apud *Sanchez & Dianam* mox citandos probabilissimè, & practicè tutò ducent alii communiter, Suarez *l. 2. de juramento c. 39.* Sanchez *l. 3. moral. c. 20. num. 6.* Perez, Dicastil, aliisq; citatis Diana *part. 9. tractat. 7. resol. ultima.* Ratio est; quia adhuc tale juramentu pium vel votum semper intelligitur factū cum conditione imbibita: promitto, juro, voveo ducere, si altera pars velit, vel nisi altera pars remittat. Notantissimè autem dixi:

235 III. *Validè saltem dissolvuntur*: certè non omninò licitè dissolvi sponsalia, videtur significare facer Textus sic *c. 2. de sponsal.* Ubi Innocentius III. inquit: *Videtur, quòd instar eorum, qui societatem fidei interpositione contrahunt, & posteà eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.* Et rursùs: *Hi, qui de ineundo matrimonio purè & sine conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & omnibus modis inducendi, ut præstitam fidem observent.* Sic Pontifex. Audisti: *tolerari posse*, ne deteriùs contingat: &: *omnibus modis inducendi sunt*: ergò ex se illicitum est, ita dissolvere sponsalia. Responsio communis est: Papam solùm significare; id passim fieri non debere ad vitandam speciem mali, quòd homines putent, sic fidem datam vel juramentum violari. Melius & textui conformius respondet Layman cit. *c. 2. n. 1.* propè finem: Pontificem ita dixisse in casu, qui valdè frequenter accidere solet, ut unus sponsorum v. g. fœmina cupiat sibi fidem servari, sed alter omnibus modis renuat, cupiátque sponsalium remissionem fieri, eò quòd abhorreat à muliere; tunc sanè commonendus, & omnibus modis inducendus est, ut præstitam fidem servet; sin autem bonus exitus non speretur, toleranda est dissolutio, nè deterius contingat: quæ scilicèt dissolutio ex parte mulieris non sit mera voluntate, nec sine admixtione involuntarii, adeóq; nec sine gravi peccato viri; quod tamen permittitur non approbando, sed tolerando, ut majora *l* incommoda evitentur. Nihilominùs ego assentio Patri Gobat *cas. 6. num. 47.* Delinquere venialiter, qui absq; omni rationabili causa remittunt sibi mutuo jus illud sacrum sponsaliorum, eúmq; videri comunem sensum hominum culpam aliquam timentium, si absque rationabili causa resiliant. Quare, quando nulla adest rationabilis causa dissolvendi sponsalia, præsertim jurata, & maximè juramento executuro firmata, eam dissolutionem sponsis omninò dissuadeant confessarii. Et confirmat casu tristis eventus *num. 255.*

236 IV. Mutuo *libero* consensu; debet scilicèt dissolutio fieri utriusq; partis libero consensu absq; fraude vel metu aliquo injustè incusso, alioquin non valeret, ut notant DD. comuniter, etiam *Layman* cit. Tanner *quæst. 8. dub. 8.* Est enim remissio juris hujus & cujusvis speciei quædam donationis, quæ essentialiter debet esse liberalis & libera. Quamvis autem nullo jure naturali vel positivo communi habeatur prohibitum, ne sponsi mutuo consensu per se absque authoritate vel consensu Episcopi dissolvant sponsalia; notat tamen Layman cit. *c. 2. n. 1. in fine*, & alii, esse consuetudinem multarum Diœcesum, ut ea dissolutio non permittatur nisi causâ priùs ad Episcopum delatâ. Tandem per se loquendo, non delinquit sponsus vel sponsa, si alteri absq; justa causa petendi relaxationem promissionis non concedat, nisi post stipulationem de dando reciproco aliquo pecuniario munere seu compensatione. Ut notat Gobat *num. 265.* Et clarum est, de compensandis expensis vel damnis fortè secutis. At verò, si alteri sponsorum suppetit justa causa & legitima ratio recedenti à sponsalibus, non potest alter quidquam exigere pro consensu in illum recessum; sicut enim par non est, ut quis rem suam emat, ita nec justè potest esse pactio pecuniaria de usu proprii juris, ait *Gobat cit.* Nunc specialia aliqua addenda sunt.

I. Recessus unius.

237 QUandò unus sponsorum, quamvis injustè & cum peccato recedit vel resilit à sponsalibus, jam alter quoque, si velit, & ipse ex se & sine officio Judicis poterit justè resilire. Ratio est; quia juxta legem, *cùm proponendo C. de pactis* frangentis fidem fides servanda non est. Et sic etiam dissolutio sponsalium erit ex mutuo consensu. Ex communi Tambur *tract. 3. c. 5. §. 1. num. 2.* Potest autem recessus iste unius à sponsalibus duplici modo fieri: 1. explicitè, cùm scilicet quis expressis verbis negat velle ad matrimonium procedere. 2. Implicitè & interpretativè, quando scilicet ita se gerit sponsus, ut ipso facto sponsalia & matrimonium recusare censeatur: & certè tunc alter relictus justè abnuere, & sic sponsalia resolvere poterit. Et hoc implicito modo recedit quis in plerisque casibus sequentibus, ut patebit: sed specialiter ob nimiam dilationem, vel ob profectionem in regionem aliam: quæ seorsim duæ causæ dissolvendi sponsalia numerari solent, & hic commodè explicandæ.

II. Dilatio nimia.

238 QUi differt inire matrimonium ultrà tempus vel terminum in sponsalibus præfixum, censetur à sponsalibus resilire, sic ut altera quoque pars justè resilire, & ad alia vota se transferre possit. Communis DD. ex *c. sicut de sponsal. & matrimon.* Ubi tamen pro pleniori intellectu ita distinguendum est. Si terminus præfixus fuit ad finiendam obligationem, sic, ut nisi intra tale tempus v. g. usque ad Pascha nuptiæ sequantur, resilire liceat: tunc clarū est, post illud tempus elapsum promittentem liberari. Si verò tempus vel terminus statutus sit non ad finiendam, sed ad statuendam seu exequendam, & non differendam obligationem, ita ut dilator deinceps censeatur in mora culpabili, & tunc post elapsum illud tempus, Pascha v.g. contractus claudicet, & pars, quæ parata erat, seu per quam non stetit, quin nuptiæ stato tempore sequerentur, posteà ob culpabilem alterius moram justè resilire poterit. Et hoc significatur cit. *c. sicut*: ubi jubetur quidam puniri, quòd relictis prioribus sponsalibus ad aliud matrimonium convolarit, addita exceptione: nisi fortè terminum præfixit, & per eum non stetit, quin ad præfixum tempus matrimonium consummaret. Altera autem pars, quæ parata non erat, seu per quam stetit, ne nuptiæ stato tempore fierent, obligata manet adhuc, si alteri contrahere libeat: ut post *Coninck* & alios rectè resolvit Layman cit. *c. 2. num. 17.* Ratio discriminis est; quia si tempus adjiciatur causâ obligationis finiendæ, una tantùm est obligatio, eáque non absoluta, sed adstricta certo tempori v.g. usque ad Pascha, quo tempore transacto cessare debet. Si verò terminus vel tempus adjiciatur, vel præfigatur ad statuendam vel exequendam obligationem; duplex est obligatio: Prima nuptias celebrandi: Secunda tali tempore celebrandi. Unde licèt hæc secunda obligatio violetur, & ob eam violationem altera pars justè resiliat, manet tamen prior obligatio absoluta & principalis, scilicèt nuptias celebrandi, si quidem altera pars adhuc velit.

239 Quod si denique nullus terminus nuptiis celebrandis præfixus fuit, incumbit utiq; obligatio contrahendi illo tempore, quo altera pars rationabiliter exigit: ut ex communi docet Sanchez *disp.* 28. Nam juxta legem *14. ff. de regulis juris*: in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.

Quandò ergò una parte volente nuptias celebrare, alia culpabiliter nolit, censebitur resilire, ut & altera resilire possit: si verò tunc impedita rationabiliter non possit, tenebitur certè altera pars exspectare aliquanto tempore prudentis arbitrio determinando, consideratis circumstantiis: hinc quidem necessitatis illius, qui differt: illinc autem damni, molestiæ, periculi incontinentiæ alterius exspectantis. Ut benè monet Tambur. cit. §. 1. *c. 1. num. 7.* & rectè monet Gobat *num. 58.* ut Parochi & Confessarii moneant sponsos, ut non diu differant matrimonium, quandò timetur interim periculum peccandi. In praxi nimis notum est, prout etiam declaravit Congregatio Cardinalium in Tridentino *Sess. 24. c. 1. de reformat. matrimonii.*

III. Absentia sponsi.

240 SI sponsus post sponsalia, insciâ, vel invitâ sponsâ (idem à fortiori esset in opposito, si sponsa insscio vel invito sponso) in terras longinquas se transferat, ut brevi non rediturus censeatur, censetur renuntiare sponsalibus, & sponsa acquirere libertatem cum alio contrahendi. Communissima, ex claro textu, *c. de illis. de*

sponsal. & matrimon. Ubi Alexander III. ita rescribit Archiepiscopo Panormitano. *De illis autem, qui præstito juramento promittunt, se aliquas mulieres ducturos & posteà, eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes: hoc tibi volumus innotescere, quòd liberum erit mulieribus ipsis (si non est amplius in facto processum) ad alia se vota transferre*, &c. Sic Textus loquens de sponsalibus juratis, à fortiori sine dubio etiam intelligendus de sponsalibus nudis, non juratis: & semper supponendo, si una pars sine licentia alterius, seu insciâ seu invitâ alterâ parte, aliò migraverit. Jam descendendo ad casus particulares, ita breviter resolvendum.

I. Si Sponsus in aliam terram, domicilium 241
mutaturus, se transferat sine licentia sponsæ, hoc ipso hæc à sponsalibus libera evadit: & hic tantùm videtur casus decisus in textu allegato; nam *dimittere terram: & ad alias partes se transferre*, mutationem domicilii significare censetur. Ratio autem est partim; quia ita discedens, ut domicilium relinquat censetur renuntiare sponsalibus: partim, quòd sponsa de futuro virum aliò commigrantem vel vagabundum sequi non cogatur, cùm ad eum eventum se non obligare censeatur.

II. Si Sponsus ob causam necessariam aliò 242
profisicci, & diutiùs abesse cogatur deinceps reversurus sponsa exspectare debet donec justum ejus impedimentum cesset: ut habetur *L. sæpè ff. de sponsal.* Quæ constitutio, cùm maximam æquitatem habeat, non videtur correcta Jure Canonico allegato: ut post Sylvestrum & alios docet Layman *num. 13.* nisi fortè aliter conventum fuisset, aut periculum incontinentiæ, vel alia necessitas ad contrahendum matrimonium aliud urgeat; tunc enim gravis mutatio accidit, ad quam sponsa se voluisse obligare, non censetur.

III. Si Sponsus ob causam voluntariam, ju- 243
stam tamen, discesserit, (v. g. ad bellum justum, ad studia, ad negotiationem, &c.) tunc secundùm jus civile sponsa exspectare debet biennio, si intra Provinciam: triennio, si extra Provinciam missus sit, vel moretur. *L. 2. C. de sponsal.* & *L. 2. C. de repudiis.* Sic enim has leges conciliant Glossa & DD. *Sylvester*, *Henricus Canisius*, alii cum Layman cit. *num. 14.* addentes, neque has leges esse correctas citato Jure Canonico, cùm hunc casum disertè non exprimat: attamen Judicem Ecclesiasticum illud tempus moderare posse breviorem terminum constituendo & significando sponso, intra quem teneatur redire; alioquin sponsam liberam fore.

IV. Attamen *Henriqu. Roderiqu.* aliisq; ci- 244
tatis Sanchez *l. 1. de matrimon. disp. 54.* & Tambur. §. *1. c. 1. num. 9.* docent absolutè standum esse Jure canonico in utroque foro, quod absolutè concedit sponsæ ad alia vota se conferre, quandò sponsus aliò se confert saltem ex voluntaria, justa quidem, sed non necessaria causa. Exspectandum tamen tunc erit aliquanto tempore

Universidad de Deusto
Biblioteca

prudentis arbitrio, consideratis circumstantiis, ut paulò superiùs: expressi idque in praxi observari vidi.

IV. Conditio non purificata, remissivè.

AD eundem mutuum consensum meritò reduci debet casus, quo conditio sponsalibus utriusque consensu adjecta, sine utriusvis causa non fuit impletai Prout explicatum habes *supra n. 210.*

§. II.

ALTERA CAUSA GENERALIS.

Mutatio Notabilis.

Ex parte alterius, vel utriusque sponsorum.

Mutationes Sacræ.

I. Religionis Professio & ingressus,

245 I. PEr Professionem solemnem Religionis approbatæ solvuntur sponsalia simpliciter ex utraque parte, scilicet & sponsi professi, cùm professio seu votum solemne sit impedimentum dirimens matrimonium contrahendum: & alterius in sæculo remanentis, ut eo ipso liber, vel libera sit, aliúdq; matrimonium spondere ac inire possit. *Omnes.* Ratio clara est; quia cùm ipsum matrimonium ratum, seu sponsalia de præsenti ita solvantur per Professionem; expressè *c. Ex publico. De conversi. Conjugatorum*: multò magis ita solventur sponsalia de futuro. Idémq; dicunt de votis biennii Societatis, quæ ipsa verum Religiosum efficiunt. Excipiendum semper: nisi talis professio fieret in fraudem & damnum alterius, v. g. sponsæ spe matrimonii jam violatæ vel etiam imprægnatæ, quod damnum, aliter, quàm matrimonio inito, reparari non possit; quia tunc Professio esset nulla tam in ratione voti respectu Dei, quia esset de re illicita ex circumstantiis: quàm in ratione contractus respectu Religionis quæ talem professionem admittere non vult, nec velle potest, quippe contra justitiam & jus strictum sponsæ damnificatæ, cùm eo casu supponatur, necessarium esse matrimonium ad reparandam infamiam sponsæ violatæ ad legitimandam prolem fortè jam conceptam vel natam.

246 II. Sponsus vel sponsa post sponsalia inita per se loquendo, & secluso damno alterius semper potest licitè ingredi Religionem, cùm id etiam sponsis de præsenti in matrimonio rato liberum sit; idque etiam si sponsalia fuissent juramento firmata, Communissima cum Sanchez *disp. 46.* Ratio jam sæpè inculcata est; quia juramentum sequitur naturam actûs, cui adjicitur: atqui in contractu sponsaliorum etiam de præsenti, ex dispositione juris semper intelligitur tacita conditio: *Nisi Religionem ingrediar*: ideóq; etiam intelligi debet in sponsalibus juratis, ac ipso juramento appositio. Non ergò talis juratus sponsus vel sponsa ad servandum juramentum Religionis tenetur prius contrahere matrimonium, & deindè ingredi Religionem: ut vult *Aversa*: & consilium esse indicat *Scotus*: hoc enim videtur illusorium, & plerumque ingratum vel etiam damnosum alteri, præsertim sponsæ, quæ certè nunquam contraheret cum viro hunc animum habente. Adde & sponso periculosum, quia exponeret se periculo commixtionis. Nec obstat textus c. Commissum. de sponsal. *Tutius est ei religione juramenti servata prius contrahere, & postea, si elegerit, ad Religionem migrare.* Sic ibi. Nam solùm id dicitur *Tutius*: idq; in casu, quo instat tempus matrimonii contrahendi, & is nondum plenè resolutus adhuc deliberat de ingressu Religionis tunc enim præstat satisfacere juramento, bimestri adhuc ad deliberandum remanente: ut patet ex illis verbis: *& postea, si elegerit*, &c. Et certè debet indicare sponsæ suum propositum, & si ipsa desideret, prius contrahere (prout interdum per accidens posset conducere ad consulendum famæ sponsæ, anteà nimis familiaris vel etiam volatæ, vel ad legitimandam prolem) tunc contrahat, aliàs non.

III. Eo ipso, quo unus sponsorum ingredi- 247
tur Religionem vel Novitiatum, solvuntur sponsalia ex parte remanentis, ut is à promissione liber, si velit, aliud matrimonium spondere & inire possit. Ita contra varios negantes communis DD. *Sylvester, Sotus, Navar. Henriqu. Rodriqu* alii cum Sanchez *disp. 42.* Coninck. *disp. 23. dub. 3.* Layman. *c. 2. num. 3.* Tambur. *§. 2. num. 5.* Ratio est; quia sponsus vel sponsa ingrediendo Religionem ipso facto significat, se mutnasse voluntatem & sponsalibus renuntiare, ideóque relinquit sponsam liberam. Si ergò & ipsa quoque recedat, & contenta sit, jam erunt sponsalia dissoluta mutuo consensu. Quin, etiamsi sponsus (idem semper est in oppositio casu de sponsa) ficto animo ingrediatur Religionem sine animo permanendi, sed solum se liberandi à contractu, adhuc remanens in sæculo poterit licitè recedere; quia semper sit notabilis mutatio & eventus, ad quem alter sponsorum se obligasse non censetur; nam imprimis remanens deberet expectare finem Novitiatûs, donec scilicèt alter vel profiteatur, vel egrediatur: deindè deberet & nubere ei, qui fuit monachus: & specialiter deberet nubere ei, qui ipsam decepit, fictè Religionem ingrediendo. Ita post alios *Tambur. cit.*

IV. Ipso tamen ingressu Religionis non sol- 248
vuntur sponsalia ex parte ingredientis, nimirùm sponsus vel sponsa ingrediens Novitiatum, ipso ingressu non liberatur, sed si alter sponsus vel sponsa expectare velit, & defactò expectet, & ingressus, non secuta Professione, egrediatur, non est dubium, eum obligari, & cogendum esse, ut sponsaliorum anteà datam fidem servet alteri volenti, & hucusque expectanti. Juxtà DD. cit. Ratio est præter alias: quia ingressus in Novitiatum tantùm non solvit sponsalia ex natura sua, cùm Novitius possit egredi, & sponsalia

sola implere: & certò ob damnum sponsæ reparandum etiam egredi teneatur: Non etiam ex jure positivo aliquo; nam quod à jure professioni concessum est ob eminentiorem perpetuum statum assumptum, minimè debet extendi ad Novitiatum in materia onerosa, & juri alterius præjudicante.

II. Votum Religionis ingrediendæ.

249 I. CErtum apud omnes, per se loquendo sponsum vel sponsam post sponsalia contracta licitè emittere votum ingrediendi ac profitendi Religionem; cùm enim sponsus licitè & rectè quamcunque Religionem ingredi ac profiteri possit, licitè quoque eadem vovere ac Deo promittere poterit. Dico autem: *per se loquendo*; semper enim excipiendum: *secluso damno alterius sponsorum*: ut, si sponsa v. g. gravem infamiam passura sit: si spe matrimonii jam cognita vel imprægnata sit, &c. tunc enim votum Religionis, sicut & castitatis, in gravem injuriam & damnum sponsæ cedens, utpotè de re mala ex circumstantiis, Deo gratum & obligatorium esse non potest. Prout in simili de ipso voto solemni Professionis suprà notatum.

250 II. Certum quoque videtur, voto Religionis ingrediendæ & profitendæ emisso ab uno sponsorum solvi sponsalia ex parte alterius, qui non vovit, ut si velit, possit recedere à sponsalibus; quia (ut modò in simili dictum) alter per prædictum votum jam renuntiat sponsalibus; adeòq; si pars contenta sit, jam pro dissolutione sponsalium adest mutuus consensus, & sic ambo liberi.

251 III. Eo voto simpliciter solvi sponsalia ab utraque parte etiam ipsius voventis, seu velit, seu nolit altera pars, post alios pro certo habent Layman. *num. 4.* Gobat *num. 314.* Eo quòd promissio matrimonii tacitè involvat conditionem seu exceptionem: *Nisi elegero statum perfectiorem.* Confirmat *Layman.* Sicut se habet matrimonium ratum ad sponsalia, ita proportionaliter se habet professio religiosa ad votum Religionis profitendæ: ergò sicut matrimonium ratum solvitur simpliciter per professionem solemnem, ex Jure allegato, sic etiam sponsalia solvi debent per votum Religionis profitendæ.

252 IV. Contrà tamen eo voto non ita simpliciter solvi sponsalia ex parte voventis- omninò verius docent *Castro, Palaus*, eúmque secutus Tambur. *l. 2. num. 7.* Adeò, ut sponsus, qui sic vovet Religionem, si in nulla fortè recipiatur, seu quoquo modo à Religione liber egrediatur, debebit stare sponsalibus initis, si alter, qui remansit in sæculo, adhuc sic velit. Eadem prorsùs ratione, qua surpà de ingrediente Religionem dictum est; nam exceptio illa jure concessa promissioni matrimonii intelligitur solum in ordine ad ipsum statum perfectiorem Religionis in effectu: non ergò extendenda est solùm ejus votum vel actualem ingressum. Aliqua notanda ponam infrà, §. 4. *in fine.*

III. Ordo Sacer, ejúsque votum.

I. SUsceptio Ordinis Sacri, cùm sit impedi- 253
mentum dirimens matrimonii contrahendi, quidni etiam dissolvat sponsalia actu contracta? Juxta communem DD. cum Sanchez *l. 1. disp. 47.* aliisque citatis Perez *disp. 6. Sect. 7.* dicens, esse certum. Et non dubium, Tambur. *c. 5. §. 3.* Etsi contrarium sentiant *Paludanus*, aliósque (sed malè Sanchez) citatus Tanner. *hic disp. 8. tract. 4. quæst. 1.* Et certè, quod suprà de Professione solemni, hicà fortiori excipiendum est: nisi susceptio Sacri Ordinis fieret in fraudem & damnum sponsæ jam violatæ, vel etiam imprægnatæ, &c. Tunc enim licèt adhuc valeret sacer Ordo; at certe non valeret, nec obligaret votum solemne castitatis annexum, quippe versans contrà jus sponsæ. Quare per se loquendo tali, deposita toga Clericali, matrimonium ineundum erit, nisi mali eventus timerentur ex tali copulatione, aut Magistratus Ecclesiasticus aliter disponat. Secluso autem tali damno, certè in judicio non audietur sponsa contra sponsum, qui, eâ invitâ sacros Ordines v. g. Subdiaconatum suscepit, nisi ad interesse compensandum. Ut observat etiam Gobat *cas 8. num. 919. in fine.* Magis controversa sunt, quæ sequuntur.

II. Sponsum post sponsalia etiam licitè su- 254
scipere sacros Ordines, insciâ vel invitâ sponsa docent communiùs & probabiliùs DD. *Layman.* suprà *Pontius, Adversa*, alii cum Tambur. cit. §. 3. *num.* 1. Probabile censente: & probabilius Gobat *num. 310.* Eo quòd sponsalibus ea conditio annexa videatur: *Nisi statum perfectiorem elegero*; atqui etiam status sacri Ordinis est æquè perfectus, ac Professioni æqui pollens. Contrà verò illicitè & quidem mortaliter mihi æquè probabiliter docent *Sanchez cit. Coninck, Rebellus, Hortadus*, alii cum *Perez*; quia Ordini sacro, etsi statum perfectum contineat, non conceditur à jure dirimere matrimonium, aut sponsalia, sicut conceditur statui Religioso.

III. Votum suscipiendi sacros Ordines etiam 255
dissolvere sponsalia, consequenter negant *Sanchez*, aliique citati, negantes sacrum Ordinem licitè susci pi à sponso, insciâ vel invitâ sponsâ; adeoque tale votum valere. Rursùs tamen probabile censent alii docentes, & licitè suscipi sacros ordines à sponso, idque votum valere. Expressè *Sotus, Henriqu. Bonacina, Dicastil.* apud *Gobat cit.* Ratio debet esse eadem, sed infirma, quæ suprà. Sed de hoc rursùs in simili de voto Castitatis.

IV. Ordines minores tandem non dissolvere 256
sponsalia, cùm illi statum nuptiis incompossibilem non constituant, nimis clarũ est; attamen, si sponsus insciâ vel invitâ sponsâ minores Ordines suscipit, solvi sponsalia ex parte sponsæ: contrâ *Sanchez cit.* rectiùs docent Tanner. cit. *num. 53.* & Gobat. *num. 321.* Reverà enim videtur sponsus remittere sponsæ jus suum in illam, quandò se curat tonderi in Clericum, sicut si

Universidad de Deusto
Biblioteca

voveret suscipere sacros Ordines, etsi votum illud non liberet sponsum. Adde, quòd communiter nollent puellæ contrahere cum illo, quem scirent in Clericum attondendum.

IV. Votum simplex castitatis, seu continentiæ perpetuæ.

257 HOc votum & licitè emitti à sponsis, & per illud sponsalia simpliciter dissolvi, etiam invitâ alterâ parte, docent gravissimi DD. S. Thomas *in 4. d. 38. quæst. unica. art. 3. Cajetanus, Sotus, Henriqu. Suarez. Vasquez, Bonacin. Pontius*, aliisque citatis Aversa *h. c. quæst. 7. sect. 2.* Gobat *num. 312.* Et probabile censet Tambur. *c. 5. §. 4.* Provide tamen monens, hanc Sententiam habere locum solùm in vero voto ob cultum Dei & animæ salutem syncerè facto; secùs, si ob odium sponsæ, vel quid simile in fraudem fieret: Item habere locum ferè in foro conscientiæ tantùm; nam in foro externo vix credet Judex, te verè ob votum sponsalia deserere. Consentit Layman. *c. 2. num. 7.* sponsum vel sponsam in conscientia tutum esse, si syncero animo amplectendi statum perfectiorem continentiæ, propriâ authoritate recedat à sponsalibus, præsertim clàm celebratis; nam cùm publica celebrata fuerunt, vix sine sponsæ infamia, multorum querelis, rixis, &c. poterit vovens propria authoritate recedere, &, si ad forum externum hæc causa deferatur, Judex Ecclesiasticus sponsum post sponsalia se votum continentiæ emisisse affirmantem compellere solet ad viam tutiorem, videlicèt, ut vel sponsaliorum fidem servet, vel intra certum præfixum tempus vel terminum Religionem aliquam ingrediatur; quamvis etiam contentus esse possit sacri Ordinis susceptione: ut ex *Sylvestro, Soto. Henriqu.* citt. docet Layman l. c. Ratio tota hujus piæ sententiæ rursùs est, quòd sponsalibus ea tacita conditio inesse censeatur: *Nisi statum perfectiorem continentiæ amplecti voluero;* atqui per votum hoc assumit statum matrimonio perfectiorem, & quidem valdè perfectum & Deo gratum: ergò, &c. Allegatur etiam argumentum. *c. Pervenit. De jurejurando. Promissum non infringit, qui in melius commutat.* Sed inefficaciter, nam sermo ibi est de voto Deo facto, non de promissione facta homini. Ut suo loco declaratur.

II. Illud votum à sponsis nec licitè emitti, 258 nec invita alterâ parte per illud sponsalia dissolvi, longè probabilius & mihi planè verè docent Canonistæ *in c. cit. Paludanus, Sylvester, Navar.* aliisque cumulatis Sanchez *l. 1 disp. 46.* Coninck cit. *dub. 3.* Layman. *num. 6.* Aversa suprà Herincx *disp. 1. quæst. 4. num. 38.* Et colligitur patenter ex *c. Veniens. Qui Clerici vel voventes.* Ubi mulieri, quæ post sponsalia votum continentiæ emiserat, & idcirco sponsus ad alias nuptias transiit, pœnitentia gemina injungitur, tum propter fidem violatam: tum propter votum, à quo cupiebat liberari, ut cum alio posset contrahere. *Ratio* primi est; quia sponso per sponsalia verum jus acquisitum est; cui quidem nunc renuntiavit: ergò non debet censeri grata DEO promissio, quatenùs cum alterius injuria vel etiam damno conjuncta est: ut si quis voveat DEO equum, quem alteri promiserat, vel donarat, non valet votum quatenus est injuriosum illi alteri. *Ratio* secundi est; quia quantum est de jure naturæ ad tollendam obligationem justitiæ (qualis est sponsalium) non sufficit quæcunque major perfectio alterius operis vel statûs, nisi id jure naturæ concedatur, & ab Ecclesia ita declaratur; adeóque nulli promissioni humanæ censeri debet innexa illa conditio: *Nisi statum perfectiorem elegero* nisi jura sic declarent: atqui ex dispositione juris, declarationeque Ecclesiæ id clarè solùm constat de Professione Religiosa, ejusque consequenter voti simplici; nullibi autem id videmus concedi voto simplici castitatis, aut etiam Ordinis sacri suscipiendi, ut suprà jam innui, & hùc remisi.) Cùm ergò privilegia & concussiones, quatenùs cum alterius præjudicio conjuncta sunt, strictæ interpretationis esse debeant, non debet illa concessio & velut privilegium Religiosi statûs extendi ad solum votum simplex castitatis, aut etiam Ordinis sacri suscipiendi.

III. Non tamen simpliciter invalidum est vo- 259 tum continentiæ post sponsalia emissum à sponso vel sponsa, sed inprimis 1. Valet ad hoc, ut, si obligatio remissa sit ab altera parte (prout certè justè remittere & resilire potest; cùm alter emittens tale votum censeatur renuntiare sponsalibus: & votum castitatis non modicam afferat mutationem in sponso, utpotè, qui debitum nunquàm petere poterit, quod comparti præsertim fœminæ foret valdè grave) votum à vovente servari debeat. 2. Et, si post illud votum matrimonium seu licitè seu illicitè contraxit, vovens à petitione debiti abstinere debebit, donec ab Episcopo vel Privilegiato dispensetur. 3. Dissoluto matrimonio rursus suum votum integrè servare debet. 4. Sicut & is, qui Religionem ingredi vel Ordines sacros suscipere ante vel post sponsalia vovit, & postea licitè vel illicitè matrimonium contraxit, soluto matrimonio, post mortem conjugis, adhuc tenetur, si adhuc idoneus sit, Religionem ingredi vel Ordines sacros suscipere. Expressè *c. Veniens. c. Quidam c. Placet. De Conversation. Conjugator.* Ibi. *Licèt votum usquequaque non voluerit, eatenus tamen obligatorium fuit, quatenus se poterat obligare.* Ex communi late Sanchez cit. *num. 15.* Attamen neque is, qui post sponsalia simplex continentiæ votum emisit, neque is, qui ante sponsalia edito continentiæ voto matrimonium, utique illicitè, contraxit, & nondum consummavit, obligatus est ad Religionis Professionem; quia hanc non vovit: continentiam autem, quam vovit, medio adeò difficili non tenetur servare: ut contrà *Sylvestrum, Navar.* alios non paucos plus æquò rigidos docent meritò Sanchez *disp. 46. difficul. 2.* Less. *l. 2. De Justitia c. 41. num. 52.* Coninck *dub. 3.* Layman. *num. 9.*

260 IV. Generatim loquendo tenetur vovens (seu votum continentiæ emiserit, seu Religionis ingrediendæ, seu sacri Ordinis suscipiendi: seu defactò sacros Ordines suscipiat, vel Religionem ingrediatur,) quandò ex voti executione secutum est aliquod damnum sponsæ v. g. quia expensas in sponsalibus facit, aut in præparatione ad nuptias separatas &c. eidem illud refarcire; etenim nequit suum bonum spirituale prosequi cum vero & reali damno alterius. Ita cum aliis *Sanchez* cit. Layman eodem *c. 2. num. 8.* benè colligens ex jure. *L. Si pecuniam. ff. De Condi. ction. causa data, &c.* Ubi dicitur. *Si cui pecuniam dederis, ut Capuam iret, licèt antequam is iret, integrum sit pœnitere, & pecuniam repetere: si tamen is expensas fecerit, vel aliud damnum incurrit, indemnem servandum esse.* Sic ergò, qui sponsalia contraxit, licèt antequam per nuptias contractus impletus sit, jura licentiam dent sponso resiliendi per Professionem Religionis, aut sacri Ordinis susceptionem, ejúsve vel continentiæ votum in probabili sententia; interim tamen requirere videntur jura, ut pars altera indemnis servetur; siquidem, ut paulò ante dixi, ejusmodi concessiones valdè alteri præjudiciosæ strictæ interpretationis esse debeant.

§. III.

Mutationes Notabiles non Sacræ.

I. Matrimonium aliud contractum.

261 CErtum est apud omnes: prioribus sponsalibus de futuro derogare posteriora sponsalia de præsenti: seu ipsum matrimonium ratum cum alio vel alia contractum: idque matrimonium, quantum est ex hoc capite, esse validum. Expressè *c. Sicut ex literis. c. Si inter virum. De sponsal. &c. 1. De sponsa duorum.* Ratio est; quia contractus matrimonii fortioris vinculi est, quippè corporum traditionem continens, quæ in sponsalibus non est; Quemadmodum, si quis hodie equum vendidit, sed nondum tradidit huic; cras verò vendit, simúlque tradit alteri, etsi injustè, rata tamen est venditio posterior ipso jure. *L. Quoties. ff. De rei vendicatione.* Ita prorsùs in proposito, Regula 54. *juris. Qui prior tempore, potior jure:* locum habet inter eos, qui simili vel æquali jure vel titulo gaudent.

262 II. Dixi autem: *Quantum est ex hoc capite;* Cùm sponsalia priora tantum sint impedimentum impediens, non autem dirimens matrimonii alterius; quòd si tamen aliud matrimonium contractum esset invalidè, aliundè ex alio impedimento dirimente, non videtur contrahens à sua priori obligatione liberari, cùm ex sua iniquitate non debeat reportare commodum; tamen prior sponsa etiam tunc liberatur, si velit; quia alter tentando aliud matrimonium fregit fidem suam, & tacitè ipso facto juri suo renuntiâsse censetur. Ut præter alios rectè observat Herincx *num. 40. disp. 4.* Insuper.

III. Satis probabile est, si Titius contra fidem 263 priorum sponsalium cum Berta v. g. matrimonium conrraxit cum Caja; per hoc matrimonium non omninò extingui priora sponsalia, (prout post alios docent Sanchez *l. 1. disp. 82.* Layman. *c. 2. num. 22.* Dicastil. *disp. 1. dub. 37.*) sed suspendi potiùs tantùm & sopiri interim pro tempore, quò illud matrimonium durat; adeóque si contingat hanc uxorem Cajam mori (idémque esset, si Religionem legitimè profiteretur) ante priorem sponsam Bertam, Titius adhuc priori sponsæ obligatus manet, si ipsa adhuc in proposito permaneat, nec obligationem antea (prout semper potuit) remisit, vel satisfacta fuit. Ita cum pluribus Coninck *disp. 23. dub. 4. Aversa cit. Castro-Palao*, aliisque citatis Tambur. *c. 5. §. 5. num. 3.* Herinx cit. *num. 42.* Ratio est; quia licet verum sit secundùm jura, quòd obligatio semel extincta nunquàm revivisçat (prout allegant *Sanchez, Layman cit.*) Attamen obligationem illam priorum sponsaliorum extinctam esse, gravis asseritur, cùm extinctio illa nec jure positivo statuatur, nec oriatur ex jure naturæ: Non jure positivo; nam Textus illi initio allegati solùm declarant matrimonium sic initum validum manere velut fortius vinculum, adeóque ei cedere debere prius debilius vinculum sponsaliorum, quòd verissimum est; an verò omninò extinguatur, vel solùm interea suspendatur prius vinculum; nulla jure definiunt: Non etiam ex jure naturæ; nam jura naturæ nemo debet privari jure suo sine sua culpa: & certè Titius non debet ex iniquitate commodum reportare, & habere in suo arbitrio, ut ab obligatione contracta pro libitu suo se eximat. Deindè impedimentum hoc matrimonii non est perpetuum, sicut professio solemnis & Ordo sacer, sed tantùm durans ad vitam conjugis, nec aliter potens dissolvere priora sponsalia, quàm quatenùs cum illis erat incompatibile, quâ proindè incompatibilitate sublatâ per mortem conjugis, omninò reviviscet prius vinculum & obligatio; eâdem prorsùs ratione, quâ, si quis, post votum simplex castitatis emissum, matrimonium contraxit, post mortem conjugis quamprimùm votum integrè reviviscit.

IV. Frigida meritò Tamburino & mihi vide- 264 tur disparitas data à *Sanchez cit.* Quòd votum sit diversæ rationis à matrimonio, & ideò per illud suspendi, non extingui; sponsalia autem esse ejusdem rationis cum matrimonio, ideóque per illud extingui. Quid enim hæc disparitas ad rem facit? si utrobique promissio ante facta urget? Et contrà directè statuitur exemplum surprà allegatum: Si rem in solidum duobus vendidisti, prius v. g. Petro, & posteà Paulo, & huic tradidisti, rata manet posterior venditio ex jure allegato. At, si res vendita rursùs ad te

Universidad de Deusto
Biblioteca

te perveniat: cui dubium erit, te obligatum manere, & cogi posse ad rem illam Petro primo emptiori tradendam, si ei danteà non satisfeciſti; ideóque priorem obligationem non fuisse extinctam, licèt sit ejusdem omninò rationis cum altera, æquè, imò magis, quam sit obligatio sponsalium cum obligatione matrimonii. Quæ jam disparitas?

II. Sponsalia alia.

265 CErtum rursùs est, sponsalia legitimè contracta cum una non dissolvi per sponsalia posteà contracta cum alia, (etsi hæc præbeant priori sponso vel sponsæ justam causam resiliendi, & rescindendi sponsalia ob rationem sæpè datam;) sed sponsalia posteriora contra fidem priorem contracta omni jure, omniúmque consensu esse irrita & nulla; eo quòd una res obligata uni non possit promitti alteri: & hic propriè locum habeat Regula juris: *Qui prior est tempore, potior est jure.* Et ratio clarissima; quia omnis promissio de re illicita irrita est & nulla; atqui posteriora sponsalia sunt de re illicita, scilicèt de matrimonio contra fidē priorum sponsalium contrahendo; cùm sponsalia priùs cum alia vel alio legitimè contracta ipso jure naturæ sint impedimentum impediens seu prohibens matrimonium cum alia: ergò. Jam ulterius extende & dic:

266 I. Irrita sunt posteriora sponsalia, etiamsi jurata seu juramento firmata sint. Communissima. Ex *c. Sicut. De sponsal & matrimon.* Ratio est, quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis, ut jura loquuntur; sponsalia autem posteriora iniquam promissionem continent: ergò juramento firmari non possunt:

II. Eadem irrita manent, etiamsi priora sponsalia clam inita, posteriora autem solemniter v.g. coram Parocho & testibus celebrata sint, per seloquendo; quia actui nulli de se, sicut non juramentum, ita multò minùs solemnitas ulla robur addere potest. Per accidens autem, si sponsus intelligat sibi & priori sponsæ omni probatione destitutus, etiam oblato juramento, fidem in Consistorio non habendam, sed pœnis vel censuris compellendum ad posteriora sponsalia cum majori suo ac prioris sponsæ infamatione ac incommodo, secundis sponsalibus standum erit; debebit enim prior sponsa omninò esse contenta & juri suo cedere, (saltem pro durante illo matrimonio, juxta paulò antè dicta.) Sic rectè cum aliis Sanchez *disp. 49.* & ex eo *Layman cit.*

268 III. Eadem irrita manent, etiamsi non priora, sed posteriora copulam annexam habeant; idque non solùm, quandò posterior sponsa sub promissione matrimonii defforata conscia fuit priorum sponsalium contractorum: tunc enim delicti particeps in neutro foro esset audienda, secundùm omnes: sed etiam, quandò fuit insciа priorum sponsalium. Ita (contra *Coninck, Pontium, Castro. Palaum* apud Tambur. cit. §. 5. *num. 9.*) *Sotus, Henriqu. Rodriqu.* aliisque citatis *Sanchez, Layman, Herincx l. c.* Ratio est, quia etiam copula non addit robur actui de se nulli; cùm ergò jus priorum sponsalium non possit tolli per secunda sponsalia injustè inita & prorsùs nulla, neque etiam tolli poterit per adjunctam copulam. Intellige autem rursùs: *Per se loquendo;* nam per accidens in casu, cùm ex violatione priorum sponsalium nullum vel exiguum incommodum evenrurum sit priori sponsæ; secundæ autem sponsæ, quæ copulam admisit, vel etiam imprægnata fuit spe promissi matrimonii, grave damnum infamiæ & vilitatis timeatur, tunc obligatio justitiæ ad avertendum damnum secundæ sponsæ deceptæ (quod, ut supponitur alia ratione averti non potest, nisi eam ducendo,) utpote gravior præferenda erit obligationi priorum sponsalium, juxta receptam Regulam apud Sylvestrum *v. Sponsalia num. 7.* Si *duo vincula disparis potentiæ incompossibilia contrahuntur, fortius repellit minus forte.* Atque omninò æquitas ac charitas postulat ut eo casu prior sponsa obligationem remittat: Potestque juxta *Sanchez cit,* judex interpellatus tunc compellere ad contrahendum cum posteriori; nam propterea etiam ex communiori sententia, si quis post votum simplex Castitatis Deo factum, sub promissione matrimonii defloravit honestā puellam, debebit interim, postposito voto, puellam ducere etiam Deo Benignissimo Creditore obligationem Religionis ad se postponente obligationis ad ducendam Bertam; quia si tunc talem intentionem habuit, validè contraxit pro tempore illo futuro. Sic rectè Tambur. cit. *num. 22.* Addens ex *Aversa*: talem intentionem conditionatam habuisse præsumendum esse in dubio; quia alioquin deberent præsumi deliquisse contra priora sponsalia, absolutè contrahendo cum alia; quod mihi non displicet.

Item intellige totum hunc casum secundùm jus novum Concilii Trident annullantis omnia matrimonia clandestina; nam secundum jus antiquum, quo valebant matrimonia clandestina, si sponsus sponsam cognoscat, censetur id facere non affectu fornicario vel meretricio, sed affectu maritali, adeóque ipso facto matrimoniū clam ratum facere & consummare velle. *c. Is, qui finem. De sponsal.* Et tunc casus coincidit cum præcedenti. 269

IV. Invalida manent illa posteriora sponsalia etiam jurata, etiamsi prior sponsa (vel in oppositio casu sponsus) jam diem suum obierit, vel Religionem professa sit, vel liberè volens à sponsalibus recesserit. Ita aliàs oppositi, at in hoc concordes *Sanchez & Pontius* citati, *Layman. Castro. Palao*, alii cum Tambur. *c. 5. §. 5. num. 19.* Quia illa nova sponsalia etiam jurata à principio non valuerunt, ex dictis: atqui juxtà notissimam Regulam Juris 18: *in 6. Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit:* ergò ea absolutè facta, neque posteà per mortem vel cessionem prioris sponsæ convalescere possunt, consequenter sponsus liber manebit. Dico cautè: *absolutè facta;* nam si posteriora sponsalia Titius conditionatè sic iniisset cum Berta: Ego promitto tibi conjugium, si sortè Catharina sponsa mea moriatur, vel remittat promissionem sibi à me factam; tunc utique valida fuisset promissio conditionata, & mortuâ vel juri suo cedente Catharinâ, obligaretur Titius

III. Sponsæ vel sponsi fornicatio.

I. 270 FOrnicatio unius seu sponsi seu sponsæ dirimit sponsalia ex parte innocentis, ut recedere possit, si velit; si nolit, pars nocens obligata manet, ne ex iniquitate lucrum reportet. Expressè. *c. Quemadmodum. De jurejurando.* Ubi duplex ratio datur: 1. quia sponsus ex conditione matrimonium promisisse censetur: *si & alter contra fidem sponsaliorum non egerit;* nam alioquin frangenti fidem, fides servanda non est. 2. Quæcunque causa ad divortium sufficit, ea multò magis sufficit ad sponsalia solvenda: nam *turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.* Sed fornicatio conjugis est justa causa divortii: ergò & fornicatio alterius sponsorum est justa causa solvendi sponsalia ex parte innocentis. Atque quoad hoc pares sunt sponsus & sponsa, cùm aquè fidem frangant, & se suspectos reddant, ne etiam posteà matrimonium violent. Ex communi Layman cit. *c. 2. num. 10.* Aliquæ tamen disparitates inter sponsum & sponsam assignantur à DD. Nam

271 II. Si uterque sponsus post sponsalia fornicatus sit; non compensatur delictum delicto, sed adhuc sponsus fornicarius repudiare potest sponsam fornicariam; nam etsi uterque fidem æquè violarit, tamen delicta pari turpitudine non censentur, sed fœdior, ipsique sponso detestabilior est incontinentia fœminæ: quàm viri, comuni omnium hominum æstimatione. Accedit in fœmina periculum alienæ prolis. Communis DD. cum Sanchez *l. 1. disp. 55. Coninck,* aliisque citatis Layman *num. 12.*

Nec obstat quòd *c. Intelleximus. De adulterio*, dicitur: *Paria fornicationis delicta inter conjuges mutua compensatione tolli;* nam sponsalium solutio facilius permittitur ob quamlibèt scilicet notabilem rerum mutationem: non item facilè divortium matrimonii. Extendit Menochius apud Gobat *cas. 8. num 329.* ad casum, quo adest sola præsumptio paratæ fornicationis, ut si sponsa frequentet domum illius, cum quo scit sponsus eam peccâsse ante sponsalia.

272 III. Etiam, si sponsa post sponsalia fuisset vi oppressa, meritò repudiatur. Sicut colligitur ex *c. Raptor. 27. quæst. 2.* & docet comunior DD. *Sylvester, Navar.* alii cum Sanchez cit. *num. 7.* Coninck *num. 5.* Layman. *num. 11. in fine,* Tambur §. *6. num. 2.* Ratio est; quia etiam sic sponsa notabiliter fit vilior ut ab ea sponsus meritò abhorreat: etenim probro vertitur viro fœminam sic violatam ducere, non absque periculo fortem alienam prolem alendi. Accedit quòd rarissimus sit casus, quo fœmina absque omni consensu & culpa vim patiatur. Ut alibi dicemus. Quòd si tamen apertè constaret, oppressionem sponsæ absq; omni ejus culpa accidisse, v. g. in somno præsertim medicato, *Sanchez & Layman.* citt. probabiliter censent, sponsum resilire non posse, cùm exindè sponsa tam magnum dedecus non contrahat. Secùs rursùs esset in oppositio, si sponsus eâ violentiâ cogeretur aliquam cognoscere invitus (quod tamen posse fieri cum *Toleto & Tamburino* ego non credo) quia tunc nec sponsus fidem frangeret, quia ageret coactus, vel potiùs pateretur tantùm, nec sponsæ probrosum esset tali viro nubere: non ita, si sponsus cogeretur sodomiticè pati, idque non occultum maneret; tunc enim ob maximum probrum sponsam posse resilire, docet *Castro-Palaus* apud *Tamburin. cit.*

IV. Si sponsa post sponsalia, oscula, amplexus ac tactus impudicos ab altero viro admittat, 273
possunt rescindi sponsalia; quia censetur vivere impudicè, à quo proindè meritò vir abhorrere incipit. Rursùs non vice versa, ob sola sponsi oscula vel tactus impudicos alterius fœminæ, sponsa resilire potest; quia non propterea viro aliqua impudicæ vitæ infamia apud homines aspergi solet. Sanchez *disp. 55. num. 5.* Coninck *disp. 23. dub. 7. num. 56.* limitans tamen, *nisi sint tactus frequentes ut indicent propensum valdè sponsi in alteram animum, ut merito timeri possit, nè minùs sit æmaturus sponsam, aut fidem non servaturus.* Sic Coninck.

Dicta de fornicatione carnali extendenda sunt ad fornicationem spiritualem per hæresin & apostasiam; justa enim resilit sponsus, & maximè sponsa, si novit alterum post sponsalia à fide defecisse, seu in hæresin incidisse: idq; non tantùm in locis, ubi hæresis non tolerata reddit hominem infamem valdè: ut in Italia, Hispania, &c. sed etiam in Germania, & locis, ubi hæretici tolerati ac Catholicis admixti sunt; est enim valdè gravis mutatio: & nimis grave est, cogi sponsam catholicam ad nubendum homini diversæ, falsæque sectæ, quem tamen ipsa ut catholicum in sponsum elegerat: ait Tamburinus rectè §. *6. c. 5. tract. 3. num. 5. in fine.*

IV. Impedimentum superveniens.

POst sponsalia contracta possunt supervenire 274
impedimenta matrimonii, aut impedimenta tantùm, ut sunt vota simplicia castitatis, Religionis ingrediendæ, Sacri Ordinis suscipiendi, alia sponsalia: aut dirimentia, ut Professio Religionis, Sacri Ordinis susceptio, de quibus jam latis est dictum. Item posset supervenire cognatio spiritualis, vel legalis, sed casu rarissimo; sæpius autem, quàm par est, supervenit impedimentum affinitatis carnalis, ut, si sponsus Titiæ fornicetur cum ejus consanguinea intaa secundum gradum, v.g. cum ejus sorore, matre, matertera, ideóque habet impedi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dimentum dirimens matrimonium contrahendum cum ipsa sua sponsa, & consequenter non poterit procedi ad matrimonium de præsenti, nisi priùs impetrata dispensatione. De hoc alióve simili casu paucis sic accipe.

275 I. Certum est eo casu sponsam liberari, & posse sponsum repellere duplici titulo: & fornicationis, juxta supra dicta: & impedimenti contracti: quia apponens impedimentum dirimens facit matrimonium jure impossibile, scilicet illicitum & invalidum; sponsa ergò habet sufficientem causam resiliendi, & volendi se conformare juri matrimonium illud prohibenti. Idem per omnia esset in casu oppositio de sponsa.

276 II. Sponsus eo casu non liberatur à sponsalibus, sed volente sponsa, obligatur ad procurandam dispensationem, atque ad matrimonium de præsenti contrahendum. Ex communi Tambur. §. 7. *num.* 1. Ratio est; quia ex una parte sponsus non debet ex iniquitate lucrũ reportare, Ex altera autem parte de jure naturæ est, ut, qui causa est impedimenti circa rem promissam alteri, debeat illud tollere.

277 III. Eo casu dispensatio impetranda est sumptibus solius sponsi, ordinariis tamen & moderatis, & nullo modo sumptibus sponsæ. *Communis* apud citatos. Ratio patet: quia solus ipse & quidem injustè fuit causa, ob quam necessariò ista dispensatio impetranda esset. Dico tamen: *sumptibus ordinariis, & mediocribus*; quia obligatio orta ex sponsalibus solùm urget sponsum ad ponenda media ordinaria, & non valdè difficilia, quibus impleri possit matrimonium: non item ad extraordinaria & valdè difficilia ex vi sponsalium præcisè & per se; nam

278 IV. Si eo casu sponsa vi sponsalium fuit violata vel imprægnata, unde damnum grave pateretur vel infamiam, nisi matrimonium sequatur, sponsus, qui scienter impedimentum apposuit: adhuc obligatur procurare dispensationem, etiam magnis sumptibus statui suo proportionatis, etsi non nimis magnis, quibus à statũ cadere deberet. Tambur. cit. §. 7. *in fine.* Idque etiam non ex ratione sponsalium præcisè, sed ex ratione injustæ damnificationis, cujus contra jus sponsæ causa fuit sponsus fornicando cum consanguinea; nam qui est causa damni contra justitiam, tenetur illud compensare, quantum moraliter potest, citrà notabiliter majus damnum proprium. Juxta dicta in materia de restitutione. Dixi rursùs: *qui scienter impedimentum apposuit*, quandò nimirùm sponsus fornicans cum consanguinea sponsæ suæ, scivit, vel advertit, sic impedimentum contrahi, tunc enim solùm liberè dedit causam damno ex impedimento sponsæ exorto; damnificationi autem liberæ & culpabili satisfaciendum est. Secùs, quandò tunc non scivit vel non advertit impedimentum contrahi; tunc enim liberè non damnificaverit: damnificatio autem non libera & involuntaria non inducit obligationem compensationis: adeóque jam sponsus non tenebitur procurare dispensationem expensis magnis extraordinariis, ex ratione damnificationis injustæ, sed benè adhuc expensis moderatis & ordinariis ex ratione contractûs sponsalium, juxta dicta *N. II.* & *III.* Prout rectè advertit Hurtadus apud Tambur cit. *num.* 10.

§. IV.

Mutationes aliæ notabiles particulares factæ vel patefactæ.

279 GEneralis hic esto Regula. *Quoties post contracta sponsalia superaccidit aliquid, quod eorum executionem, scilicèt matrimonii contractum & usum reddit notabiliter difficiliorem: quòdque, si initio fuisset, cordatum hominem similis conditionis, meritò ab illis sponsalibus avertisset & absteruisset: toties cessat obligatio illius, ut is, etiam nolente altera parte, resilire justè possit, cui matrimonium redditur difficilius:* Sic in terminis Tambur. *hic tract. 3. c. 5. §. 8. num.* 1. Et in re ipsa communissima DD. Sanchez *l. 1. De matrimonio disp. 62.* Coninck *disp. 23, dub. 8.* Tanner. *tom. 4. disp. 8. quæst. 1. num. 69.* Layman c. 2. *num. 18.* & *19.* alii innumeri apud ipsos. Ratio est; quia intentio spondentis non præsumitur, se extendisse ad talem casum valdè difficilem non prævisum, qui quemvis hominem prudentem à promissione absterruisset. Quare sponsalibus seu matrimonii promissionibus, quæ suaptè natura & Ecclesiæ praxi magnam animi libertatem & promptitudinem postulant, ea tacita conditio inesse semper censetur: *Si res in eo statu permaneat:* Seu *si notabilis rerum mutatio non fiat.* Nec refert, etiamsi sponsalia jurata fuerint; quia juramentum sortitur naturam & conditiones actûs, cui adjicitur. c. *Quemadmodum. De jurejurando.* Et jam toties inculcatum.

Ad cognoscendum autem: Utrum intentio spondentis saltem virtualis ad talem casum seu eventum se extenderit, nec ne, examinari debet sponsus: v. g. Si eo tempore, quo sponsæ matrimonium promisisti, aliquis tibi proposuisset: Sed: quid, si quid tale eveniat? An non responsurus fuisses: non esse tibi animum ad talem casum obligationem tuam extendere? Et hujus asseverationi etiam in externo foro credendum erit, præsertim jurato, si consideratis circumstantiis, probabilis ei fides haberi possit, Ut optimè probat Layman. *num.* 18.

Jam vides in hac generali regula fundari omnes causas dissolvendi sponsalia hactenus explicatas: nimirum notabilem ejusmodi mutationem ex parte unius vel alterius sponsorum. Reliquæ mutationes multùm variæ (ut ad aliquem ordinem redigamus) accidere possunt in bonis vel animæ, vel corporis, vel fortunarum: quæ strictim procuramus.

I. In

In bonis animæ.

280 I. SI quis ex sponsis gravi infamia maculetur si sponsus aleator, ebriosus, &c. evadat: si asper moribus, & admodùm severus; potest alter recedere, etiam post jurata sponsalia. Communissima. *Sanchez, Layman, Tambur. cit.* Ratio sumitur ex regula; quia cum tali certè ab initio noluisset contrahere.

II. Rursùs, si graves inimicitiæ ortæ fuerint inter sponsorum parentes, dissolvi possunt sponsalia ex utraque parte. Quòd si inter ipsos sponsos gravis inimicitia fuerit exorta, possunt quidem utrinque recedere; sed qui causam dedit inimicitiæ, obligatur priùs omnia moralia & ordinaria media adhibere ad pacem inducendam; quia alioquin erit injusta causa dissolutionis.

III. Universaliter, quandò est vel advenit timor, rationabilis tamen, ne malum exitum nuptiæ sortiuntur. v.g. Titius desponsavit Bertam, nescientibus, vel etiam scientibus utriusque parentibus; unde tamen factum est, ut ex utraque parte parentes obstinatè contradicant, timeatúrque gravis discordia inter illos, vel eosdem sponsos, poterit alter, etiam altero invito, se ad aliud matrimonium convertere; quia ex tanta oppositione facilè est oriri inimicitas, incommodá gravia; & inter ipsos sponsos nuptos perpetuas rixas & dissensiones. Ex communi Sanchez mox citandus, Tambur. *hic tract. 3. c. 1. num. 7.*

IV. Monet tamen providè Sanchez *l. 1. disp. 14. num.* 3. Ut cautè in hoc procedas confessarie, nam sæpè jactantur minæ, opponuntur pericula, applicantur alia mala, quæ tamen experientia mox ostendit vana esse, & statim inito matrimonio deferviisse.

II. In Bonis corporis.

I. SI sponsus vel sponsa incidit in gravem 281 morbum, paralysin, lepram, morbum gallicum, epilepsiam, aliúmve incurabilem morbum: si amittat oculos, aures, nares, si fiat claudus, mancus, &c. justè alter recedere à sponsalibus potest. Hæc enim, sicut retardent à sponsalibus contrahendis, sic excusant à contractis etiam juratis; quia nimis grave esset, hoc perpetuò velle in consorte pati: poterit ergò is recedere ab hoc contractu sponsalium ex se dissolubili; certè autem non à matrimonio jam contracto de præsenti, quod ex se est indissolubile. *Omnes*, quos sciam. Adde aliqua specialioria.

II. Etiam vehemens suspicio morbi gallici causam dat dictæ dissolutionis sponso sano. Uti cum aliis docet Pontius *l. 12. c. 17. num. 4.* Addit Tambur. cit. §. 8. *num.* 4. idem esse de suspicione cujuscunque infirmitatis gravis incurabilis, ob paritatem rationis.

III. Oris gravisolentia, cui arte medica subveniri nequeat, meritò numeratur inter morbos valentes dissolvere sponsalia; quia illam in tam arcta conjunctione tolerare, nimis esset onerosum. Ita communis cum Sanchez *l. 1. disp. 57. num.* 2. approbante *Pontio cit.*

IV. Quidsi sponsa tempore sponsalium pulcherrima, deindè notabiliter deformis evadat: Etiam propter hanc mutationem sponsum posse licitè resilire, docent gravissimi DD. *Castro-Palao, Hurtadus*, eósq; sequens Tambur *num. 6.* Ratio est; quia in materia matrimonii admodùm æstimatur apud homines pulchritudo.

III. In Bonis fortunarum.

I. SI sponsa dotem adferre nequeat, aut is, qui 282 promisit, dare nolit, sponsum justè recedere posse, luce clarius est; est enim dotis promissio conditio, sub quâ fiunt sponsalia: ergò ea deficiente, etiam sine culpa promittentis, cessat promissio, quamvis jurata: ait Tambur cit. *num. 8.*

II. Huc spectat, si alterutera pars sit exhæreditanda, aut rationabiliter timeatur, alterum ex sponsis fore exhæreditandum alter licitè resilire poterit. Ut cum aliis notat Pontius cit. c. 17. *num. 8.* Ratio est: quia alias is se immitteret in periculum sustinendæ paupertatis. Addit meritò Tambur. cit. *num. 10.* Propter paritatem rationis idem esse, si adsit similis rationabilis metus de futura paupertate fortè alteri ex quavis alia causa proventurâ.

III. Non tantùm si una tantùm pars gravissima bonorum jacturã patiatur atq; in inopiam notabilem incidat, altera ob tantã mutationem justè resilit: secundùm omnes: sed etiam, si uterq; in paupertatem incidat, v. g. tempore belli, uterq; justè recederet à sponsalibus, quia tantò difficilius sustinere poterunt onera matrimonii, ut hic dari non possit compensatio paupertatis unius cum paupertate alterius. Ita cum *Bonacin.* & aliis *Tambur.* cit. *num. 11.* Etsi contradicant *Rebellus & Pontius*, l. c. sed minus probabiliter.

IV. Quid si alter ex sponsis ex inopinato valdè locuples fiat, delata v. g. ex improviso ingenti hæreditate: poteritne relictâ sponsâ jam impare quoad opes, aliam sibi opibus parem, meliúsque dotatam procurare? Negant rotundè *Sanchez, Coninck*, alii, eósq; citans Castro-Palao *hic disp. 1. punct. 28. num.* 5. Ratio bona est; quia si sponsa tua deterior non est facta, iniquum est, eam suo jure privare. Concedunt tamen alli cum Hurtado *disp. 2. de matrimon. diff. 25.* Distinguit Perez *disp. 9 sect. 11.* licere, si non accepit illam ob speciositatem: non item, si præcipuè ob formæ præstantiam illam desponsit. Inter has sententias interponat quis judicium me sapientior, ajo meritò cum Tambur. *num. 15*, & Gobat *num. 340.* Primam tamen urgerem, nisi (certè rationabilissimè) timerem malum matrimonii successum, & sponsam ab insolescente sponso ditiore malè tractandam. Quare consulerem sponsæ, dissolutioni non multùm repugnare, pro sine dubio liberaliori compensatione vel remuneratione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IV. Prædictæ causæ latentes, posteà patefactæ.

283 I. ETiam quandò aliqua ex hactenùs enumeratis causis, v.g. violata pudicitia in sponsa, magna sævitia, ebrietates in sponso, aut in alterutro morbus contagiosus vel incurabilis, grande æs alienum, paupertas, infamia, &c. jam reipsa extiterunt tempore sponsaliorum, sed latebant, aut invincibiliter ignorabantur ab altera parte contrahente, ita quidem, ut si non ignorata, seu cognita fuisset talis causa nequaquam alter matrimonium spopondisset; eà posteà cognitâ, adhuc est jus dissolvendi sponsalia etiam jurata. Communissima DD. quos congerunt & sequuntur Sanchez *l.* 1. *disp. 63.* Coninck *disp. 23. dub.* 8. Layman. c. 2. *num.* 19. Tambur. cit. §. 9. *num.* 1. & latè Gobat *cas. 8. à num 295.* Ratio est; quia, cum sponsaliorum tempore defectus non apparebat, perindè erat, ac si non esset (& ideò, quia ignorantia illa erat solùm circa qualitates personæ, sponsalia tunc erant valida, ut jam suprà §. 9.) cùm verò posteà apparere incipit defectus talis, perindè est, acsi de novo adveniat, & existat; nam, sicut paria censentur: non esse, & non apparere (in moralibus, non physicis) *Arg. L. Fundi. ff. de contract. empt.* ita etiam idem erit; aliquid supervenire, & præcedere, sed anteà ignorari. Ut inter alios observat Lessius *l.* 2. *de justitia c. 42. dub.* 1.

II. Addidi, & in præcedentibus semper supposui extensionem ad sponsalia *etiam jurata*;
284 nam, ut toties inculcatum, juramentum additum promissioni sequitur ejus naturam & conditiones: & licèt augeat obligationem intensivè, additâ novâ obligatione ex virtute Religionis; non tamen (ut simplices imaginantur) auget extensivè, neque obligationem extendit ad ullos alios casus vel circumstantias, nisi ad quas se extenderet ipsa promissio nuda & nullo juramento vestita, quod valdè notandum. Quarè, si sponsus v.g. dicat: fateor quidem me sanctè, etiam sub juramento promisisse matrimonium huic Bertæ, sed nequaquam putabam, adeo esse inopem, ut nunc deprehendo: si autem id habuissem compertum, nemo me adduxisset ad dandam ei fidem matrimonialem. Quando, inquam, sponsus ita loquitur syncerè, non tenetur in conscientia ducere Bertam: ut apertè deducitur ex regula tradita, & communi DD. consensu. In foro autem & judicio externo tenebitur hujus suæ mentis indicia vel testimonia adferre, ut judex consideratis circumstantiis prudenter credere possit & debeat. Ut in simili notavi superiùs quoad causas de novo advenientes.

III. Excipiendum autem per omnem modum: nisi post talem causam aut superveniem-
285 tem aut de novo cognitam, sponsalia antea valida, ratificaveris, aut expressis verbis aut ipso facto, & præsertim copula carnali. Quare si sponsus v.g. cognitâ causâ recedendi à sponsalibus, nihilominùs sponsam carnaliter cognoscat, censebitur tacitè renuntiare juri suo, atque sponsalia ratificare: quando quidem etiam sponsa non, nisi sub tali conditione, in copulam consentire censenda est: ideóque non audiendus sponsus si posteà resilire velit; nisi fortè accessisset animo fornicario & expreso, non ratificandi sponsalia; tunc enim contra Sanchez *l.* 1. *disp. 66. num.* 3. rectiùs docet *Hurtadus* cum Tambur. cit. §. 9. *num.* 4. in foro conscientiæ non ratificare, nec cedere juri suo: & sic adhuc dissolvere posse sponsalia, nisi aliàs ratione damni illati ad illa ratificanda teneretur.

IV. Jam restat quæstio difficilis & maximè 286
practica. Utrùm sponsus vel sponsa laborans aliquo defectu occulto, qui cognitus averteret compartem à sponsalibus & matrimonio contrahendis, possit, eo tacito, contrahere: atque post contractum sponsalitium etiam compellere ignorantem, ut stet fide data ad matrimonium contrahendum? R. cum necessariis distinctionibus. 1. Quandò defectus repugnat substantiæ matrimonii, aut continent impedimentum dirimens, quantùmvis etiam probrosum vel diffamatorium, utique aut est manifestandus, aut à contractu abstinendum: nimis certum apud omnes. 2. Etiam manifestandus est defectus, (aut à matrimonio abstinendum) qui noxius futurus est alteri parti: & generaliter: qui matrimonium redditurus est notabiliter difficiliùs. Sic (contra Sanchez *l.* 1. *disp. 86. Hurtad. Dicastil. Escob.* alios non paucos) verius docent *Turrianus, Coninck, Pontius* aliisque citatis Perez *disp.* 11. *sect.* 11. Castro-Palaus *disp.* 30. *punct.* 30. *num.* 5. Gobat *cas. 9. num.* 367. Ratio est; quia contra justitiam delinquit, qui mercem aut inutilem aut verè noxiam vendit ignoranti hæc vitia: juxta dicta suo loco. Idem est in proposito.

Deindè defectus isti, si non manifestentur, & posteà appareant, ut fieri solet, sponsalia quidem justè dissolventur cum majori confusione: matrimonium verò ipsum contractum malos sortietur exitus, qui meritò parti dolosæ imputabuntur. Exempla ponunt morbum, lepram, morbum gallicum vel alium contagiosum, mores perditos sine animo emendandi, infamiam ex genere, vel ex delicto, & certò etiam, si sponsa vel fœmina jam sit imprægnata ab alio; quid enim magis nocivum posset esse matrimonio futuro? 4. Non autem est obligatio manifestandi seu ante seu post sponsalia defectus non ita noxios, nec facientes matrimonium notabiliter difficilius, etsi reddunt minùs commodum vel minùs appetibile: cujusmodi sunt: fornicatio etiam sponsæ antecedens vel subsequens sponsalia; deformitas, ignotabilitas, paupertas, infamia, &c. cùm tamen contrarium ab omnibus credatur. Sic DD. cit. omnes. *Ratio est*; quia recepto communi usu, etiam in contractu emptionis, non consuevêre aperiri leviores defectus mercis, & debet sibi imputare altera pars, quod non instituerit accuratiorem inquisitionem. 4. Sponsus vel sponsa laborans simili defectu non noxio, modò specificato, potest, per se loquendo, alteram partem ignaram compellere adstandum datæ fide, nuptiasque contrahendas. Omnes supra citati utriusque sententiæ. *Ratio est*; quia si pars vitiosa contraxit sponsalia sine ullo peccato injustitiæ in sponsum: ergò acquisivit jus ad matrimonium: ergò jure coget sponsum, ut servet fidem.

SECTIO III.

De Matrimonio Legitimo, ut contractus est, ac consensus de præsenti.

SUMMARIUM.

288. *Matrimonium propriè sumitur pro contractu, & pro vinculo.*
289. *Quid utroque modò?*
290. *Ad matrimonium ut contractus est, requiritur 1. consensus mutuus obligatorius.*
291. *Qualis sufficiat, ut validè? &*
295. *Qualis ut licitè contrahant?*
299. *II. Verus, serius, voluntarius, & liber, ac*
300. *Absolutus, & proprius contrahentium tantùm.*
301. *Quem nemo.* 302. *Nisi DEUS supplere potest.*
305. *IV. Externus per verba, vel signa de præsenti expressus.*
306. *An necessari per verba?*
308. *Quibus verbis, vel signis?*
309. *Quo ordine?* 310. *Quæ simulitate? usque ad n.* 315.
316. *Quando subest impedimentum dirimens contrahens latens, matrimonium nullum est.*
317. *Valet verò quando solùm dubitatur tale subesse, revera tamen non subest.*
318. *Quando autem certò putant subesse, ego non subsit, probabilius nullum est.*
320. *Matrimonium etiam contrahi potest inter absentes per epistolam.*
321. *Vel per procuratorem. Qualiter? usque ad n.* 326.

287 I. IN Matrimonio quatuor considerenda occurrunt: 1. Est contractus actualis, quo personæ legitimæ consentiunt, séque obligant ad mutam traditionem corporum in ordine ad prolem generandam: qua ratione dicitur matrimonium legitimum: & de hoc modò nobis sermo. 2. Est ratio Sacramenti ex divini institutione huic contractui superaddita, eúmque elevans ad conferendam gratiam sanctificantem, & dignè significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia, & verbi Divini cum Natura humana: qua ratione dicitur matrimonium ratum: & de hoc agemus seorsim *sect.* 4. 3. Est status permanens ac vinculum perpetuum post illam actualem ac transeuntem contractum legitimum & inter fideles etiam tatum remanens cum consequentibus obligationibus, servandi fidem reddendi debitum, cohibitandi, prolem educandi, &c. quæ dicuntur bona matrimonii. 4. Est ipsa copula maritalis, à qua tandem dicitur matrimonium consummatum, & unde quoque indissolubile quoad vinculum evadit: ut amplius patebit suo loco. Et hinc

II. Matrimonium propriè loquendo, etiam
288 in sacris Conciliis, accipitur duobus modis: 1, Pro contractu: 2. Pro vinculo seu statu permanente. Sic enim Trident. *Sess.* 24. *Can* 1. definiens Matrimonium esse Sacramentum: utique loquitur de contractu matrimonii. Et in Concilio Florent. Eugenius IV. *in Decreto Fidei.* dicens. Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Quemadmodum & Sancti Patres ac DD. passim dicentes: Matrimonium esse ex se indissolubile, esse perpetuum, esse effectum mutui consensûs, &c. intelligitur de vinculo: Quo etiâ sensu matrimoniũ dicitur propriissimè *Conjugium*; eò quòd vir & mulier communi ac perpetuo jugo subdantur. Hinc ergò sunt tã diversæ matrimonii definitiones. Unam initio Tractatûs attulimus ex Marchant, utrinq; & contractum, Sacramentũ, & vinculum benè explicantem, sed longiusculum. Tu rogatus, quid sit, seu in quo consistat matrimoniũ, ut lapere te quoq; ostendas, ne respondeas sine distinctione, & dic, ut sequitur ex Scoto *in 4. d.* 24. communiter recepto.

III. Matrimonium ut contractus, *est maris* 289
ac fœminæ mutua translatio corporum pro usu perpetuo ad procreandam prolem debitè educandam. Matrimonium ut vinculum seu status, *est vinculum indissolubile inter marem & fœminam ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta ad procreandam prolem, debitè educandam.* Sic Scotus. Bervius: *est maris & fœminæ conjunctio individuam vitæ societatem retinens.* De hoc vinculo nihil specialiter dicendum occurrit, præter dicenda de matrimonii indissolubilitate. *Sect. sequent.* Meritò tamen quæres: Quidnam sit, seu in quo consistat illud vinculum seu perpetua conjunctio? R. Re ipsa nihil aliud esse, quàm meram denominationem extrinsecam ex præterito contractu desumptam, vi cujus contrahentes manent inter se colligati cum quodam dominio & subjectione ad invicem. Ut contra alios laboriosè, sed frustrà multiplicantes entia, rectè docent DD. communius, inter quos Tambur. *hic tract. 4. c. 1. in fine.* & noster Herincx *disp. 2. quæst. 1.* Jam ergò videndum, qualis requiratur, & esse debeat consensus requisitus ad hoc matrimonium legitimum, ut contractus est.

ASSERTIO I.

AD matrimonium legitimum requiritur consensus mutuus obligatorius tradendi & acceptandi invicem corpora in ordine ad generandum prolem, verus & serius, voluntarius, liber & absolutus, proprius contrahentium tantùm, externus per verba vel signa de præsenti expressus inter personas habiles, non necessariò præsentes, sed satis per Procuratorem vel epistolam. Est tota certa, & patebit explicatione.

§. I.

Consensus mutuus obligatorius.

QUo nimirùm vir & fœmina liberè consen- 290
tiunt tradere & acceptare sibi invicem jus in suum corpus in ordine ad generationem prolis, uterque se obligando ad fidem servandam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ut scilicet alteri petenti tantùm, & nulli alii corporis usus concedatur, idque in perpetuum durante vita amborum. Prout emphaticè explicat Apostolus 1. *Corinth.* 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro*: rationem dans: *Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir; Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Est ergo matrimonium contractus maximè onerosus constans mutuo consensu obligatorio invicem tradendo & acceptando jus & obligationem sui corporis, quo nimirùm & vir tradendo jus sui corporis se obligat mulieri ad eum usum, eóque ipso ejus reciprocam traditionem & obligationem acceptare volens: & fœmina vicissim tradendo jus sui corporis se obligat viro, eoque ipso acceptat traditionem & obligationem sibi factam; quamvis enim singuli sponsi non plus dicant, quàm v. g. *accipio te in meam uxorem*: *accipio te in meum maritum*; attamen eo ipso uterque, dum ejusmodi verba proferunt, significant etiam, se acceptare alterius traditionem & consensum, vel jam præstitum à sponso more solito prius loquente, vel jam jam præstandum à sponso posterius loquente. Jam ergò ulterius, & meritò explicandum, circa quæ objecta versari debeat consensus & intentio contrahentium ad hoc, ut validè & licitè contrahant.

Ut validè contrahant.

291 SUfficit sine dubio consensus implicitus & generalis contrahendi matrimonium more aliorum fidelium: seu velle contrahere eo modo, quo alii fideles contrahunt, quo Ecclesia ordinavit, quo DEUS, vel Christus instituit, &c. etiamsi contrahens de obligationibus essentialibus matrimonii in particulari nihil cogitet, neque expressè se ad tale aliquid obligare intendat, dummodò etiam nullam talem obligationem positivè excludat. Certum apud omnes ex communi doctrina in aliis Sacramentis & contractibus.

292 II. Sufficientissimus etiam est consensus explicitus in obligationem aliquam etiam unam, essentialem, utpotè in prædictam traditionem corporum, in aliquod ex tribus bonis matrimonii, fidei, prolis, Sacramenti, utpotè ad servandam fidem conjugi, debitum reddendum ad generandam prolem, ad perpetuam vitæ societatem: Etiam unam, inquam, etsi de reliquis obligationibus nihil cogitet, positivé tamen etiâ nullam excludat; eo ipso enim adhuc implicitè vult & intendit etiam reliquas obligationes & bona matrimonii, adeóque adhuc totam substantiam matrimouii ponit. Communis DD. cum Sanchez *l.* 2. *disp.* 29.

293 III. Validum manet matrimonium, si contrahens consentiat in prædictas matrimonii obligationes omnes, vel aliquam modo prædicto, velut in actu primo etiamsi positivè excluderet actum secundum, & executionem ejusmodi obligationis, v. g. fidem aliquandò non servandi, debitum non reddendi, prolem non generandi. *Communissima.* Ratio est; quia de essentia matrimonii tantùm est traditio corporum & ipsæ prædictæ obligationes in actu primo, non autem ipsa executio seu impletio, ac tactus secundus earum obligationum est de essentia. Ut in simili dictum suprà de sponsalibus. Quemadmodùm ergò vero & valido voto potes te obligare ad servandam castitatem, etsi animum (certè scelestum) habeas, eam obligationem quandoque non observandi: sic validè contrahis matrimonium, si consentias & intendas ejusmodi obligationes subire ad servandam fidem, prolem generandam; quia jam ponis totam substantiam matrimonii, etsi similem scelestum animum habeas non observandi, fidem subinde violandi, Quin ipsam copulam actualem certis conditionibus etiam licitè excludere posses. Exemplo Beatissimæ Virginis Mariæ. Sed de hoc necessariò iterùm in Subsectione de matrimonio conditionato.

IV. Quòd si verò ejusmodi obligationem 294
ipsam, omnem, aut unicam excluderes, v. g. solam statûs perpetuitatem, aut solam fidem servandam; jam invalidè contrahes matrimonium; quia omnem aut quamlibet istarum obligationum excludendo non ponis, sed tollis & destruis otam substantiam matrimonii, juxtà notum illud D. Dionysi: *Bonum est ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Vide latiùs Sanchez cit. Perez *disp.* 13. *Sect.* 5. Tambur. *tract.* 4. *c.* 2. §. 3.

Ut licitè contrahant.

I. SUfficit similiter, ut consentias & intendas 295
explicitè vel implicitè finem aliquem matrimonio proprium & intrinsecum, etiam unicum, cæteros non excludendo positivè: aut primarium, uti est proles generanda, fides servanda, perpetua societas: aut secundarium, uti est remedium concupiscentiæ, habere conjunctionem ac communionem auxiliorum, consiliorum, &c. Ratio est; quia sic semper te conformas institutioni matrimonii: nec est: unde culpa oriri possit.

II. Hos fines essentiales ac proprios matri- 296
monii positivè excludendo contrahens matrimonium principaliter ob alium finem extrinsecum, v. g. ad obtinendas divitias, ob solam libidinem explendam, &c. omnium consensu mortale est; quia redderet matrimonium nullum. Ut ex modò dictis patet.

III. Retento autem saltem implicitè, seu po- 297
sitivè non excluso fine proprio matrimonii, contrahens matrimonium ob fines extraneos & in institutione matrimonii non inclusos, utpote obtinendi divitias, voluptates, bonum nomen, honestam familiam, & similia, ex communi quidem sententia, peccat attamen non mortaliter. Sanchez *l.* 2. *disp.* 29. Layman. *tract.* 10. *part.* 4. *c.* 2. Tambur. cit. §. 3. *num.* 11. alii apud ipsos. Ratio est; quia licèt non sit magna deordinatio, cùm implicitò remaneant fines debiti, aliqua tamen adest deordinatio, cùm explicitè intenditur finis extrinsecus & alienus à finibus, ob quos institutum est matrimonium.

298 IV. Attamen certè probabilis est etiam sententia excludens omne, etiam veniale peccatũ. Ita cum aliis Coninck. *disp.* 25. *dub.* 2. Castro-Palao *disp.* 2. *De sponsal. punct.* 10. Pontius. l. 1. *c.* 21. *num.* 13. & probabilem judicat ipse Tambur. *num.* 13. Ratio est; Vel enim hi externi fines ex se honesti sunt, & bonitatem moralem habent, ut esset pax Reipublicæ, concordia consanguineorum, familiæ nobilis conservatio, fornicatio vitanda, &c. Aut sunt ex se indifferentes, qualis est finis divitiarum, honoris, voluptatis non peccaminosæ: utrobique nulla apparet culpa; quæ enim culpa est, honesto medio, quale est matrimonium, velle acquirere illud, quod ex se vel honestum itidem est, vel saltem indifferens & minimè inhonestum? Certè culpæ non condemnabis Sacerdotem, qui, alioquin non celebraturus, celebrat hodie Sacrum, quia stipendium bonum offertur, illius lucri capiendi gratiâ, modò remaneat & non excludatur intentio principalis sacrificandi in honorem Dei, quam semper remanere supponimus. Ita ergò est in casu nostro. Vides quàm probabiliter. Sed de hoc rursùs in simili *c. sequent. Cùm de fine debito ipsius copulæ conjugalis.*

§. II.

Verus & serius, voluntarius ac liber, remissivè.

299 I. VErus & serius, seclusâ scilicèt fictione: eadem prorsùs ratione, qua Sectione præcedenti dictum de promissione seria & ficta sponsalium. In specie autem qualiter peccet, & ad quid obligetur fictè contrahens matrimonium, dicetur *c. sequent. cùm de peccatis conjugum in contractu matrimonii.*

II. Voluntarius, cum plena scilicèt deliberatione, & rationis advertentia: eâdem similiter per omnia ratione, qua suprà de sponsalibus.

III. Ac liber: Inprimis ab omni errore, deceptione, dolo: juxtà satis dicta de impedimento *Erroris.*

IV. Liber, etiam à metu & coactione: juxta dicta de impedimento *Vis.*

§. III.

Absolutus & proprius contrahentium tantùm.

300 I. COnsensus, ut actuale matrimonium constituat, necessariò debet esse absolutus & independens à conditione in futurum. Ut proindè malè aliqui non distinguant inter matrimonium conditionatum, & consensum conditionatum: nam (ut optimè explicat Sanchez *l.* 1. *disp.* 1. *num.* 5.) consensus quidem in matrimonium potest esse conditionatus; matrimonium verò nequaquàm; quia nimirùm, quandò consensus de præsenti conditionatus est pendens à conditione in futurum, nullum adhuc est matrimonium, sed potiùs rationem sponsalium obtinet; at posteà quandò posità & purificatâ conditione consensus prius conditionatus transit in absolutum, jam primùm fit matrimonium. Vides ergò, quomodò matrimonium nunquàm sit, nisi absolutum, quanquàm DD. passim & nos subindè utamur hac voce: *Matrimonium conditionatum*: intelligentes nimirùm, matrmonium nondum perfectum. De consensu autem conditionato matrimonii ob plures tricas necessariò agam seorsim in Subsectione.

II. Certum est ad matrimonium requiri, ut 301
validum sit, consensum proprium ipsorum contrahentium, ut suppleri non possit ulla potestate, nisi divina, adeò ut neque supremus Princeps sæcularis vel Ecclesiasticus possit alicui dare jus utendi corpore alterius ad prolem generandam sine proprio utentium consensu; sed ad summum in certo casu per mandatum aliquos ugere potest ad matrimonium contrahendum, & consequenter ad præbendum consensum proprium, quo deficiente, re ipsa nihil fiet, etsi verba adsint, & millies repetantur. Communissima DD. Sanchez *l.* 2. *disp.* 26. & bene Herincx *disp.* 3. *Sect.* 1. *num.* 1. Ratio est; quia soli contrahentes habent potestatem suorum corporum ad tradendum eorum dominium ac potestatem in usum conjugalem: Neque ex ullo capite constat, Reipublicæ, aut Principi concessam esse hanc potestatem independenter à consensu contrahentium: Neque id expediebat bono communi, nam perpetua vitæ societas, mutua conjugum charitas, indissolubilitas, aliáve matrimonii onera omninò exigunt, ut nemini imponantur, nisi consentienti.

III. Dixi: *Nisi divinâ*: nam Deus supremus 302
Dominus omnium corporum & bonorum ac jurium posset duobus tradere dominium & potestatem mutuam in corpora ad usum conjugalem (Et fortè sic egit Oseæ 1.) juxta communissimam DD. cum *Sanchez* l. c. Atque adeò posset Deus per se inducere verum vinculum matrimonii seu matrimonium verum quoad vinculum; quandoquidem illud vinculum nihil aliud sit, quàm perpetua obligatio conjugum inter se consequens ex traditione potestatis mutuæ in corpora: undecunque oriatur illa traditio & potestas, sive ex proprio contractu, sive ex alia causa. Ut contra *Sanchez cit.* & alios, cum aliis benè probat Herincx cit. *num.* 2. Nam etsi consensus conjugum sit de essentia matrimonii, in quantum est contractus, qui in ipso mutuo consensu formaliter consistit, non tamen est de essentia matrimonii quoad vinculum, seu ipsius vinculi matrimonialis; sed est causa efficiens illius, quam proindè supplendo potest Deus per se inducere illud vinculum matrimonii, etsi non possit per se facere, ut sit contractus matrimonii absque proprio consensu, cùm hoc manifestam involvat contradictionem, illud verò minimè.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed satis datum inutili speculationi, cùm controversia possit esse de modo loquendi.

303 IV. Solus tandem consensus contrahentium seu conjugum tantùm requiritur, & sufficit, & non requiritur ullus consensus aliorum, etiam parentum. Certum de fide, contra Lutherum & varios hæreticos, apud Bellarmin. *l. 1. de matrimon. c. 19.* Constat ex *c. sufficiat 27. quæst. 2.* Ubi Nicolaus Papa ait: *sufficiat secundùm leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur, qui consensus, si in nuptiis solus fortè defuerit, cætera omnia, etiam cum coitu, celebrata frustrantur.* Et Concil. Trident. *sess. 24. c. 1. de reformat. matrimon.* anathemate ferit eos, qui falsò affirmant, matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse. Rationem jam dedi per occasionem suprà in particulari de sponsalibus §. 1. N. IV. Ubi etiam dixi: an & qualiter peccent filii familias inscii vel invitis parentibus sponsalia, vel matrimonium contrahentes. Dices cum hæreticis. Nónne *c. aliter 30. quæst. 5.* dicit Evaristus Papa? *Aliter legitimum non sit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam potestatem habere videntur, & a quibus custodiatur, uxor petatur, & à parentibus & propinquis sponsetur,* R. Sine dubio non intelligi de matrimonio legitimo quoad essentiam & valorem; cùm eodem tenore subdat Papa: *& suo tempore Sacedotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus benedicatur: & biduo vel triduo orationibus vacant:* aliásque conditiones addit, ut stultum sit credere (certè nunquam credent hæretici) sine iis conjugiũ esse irritum; intelligit ergò matrimonium legitimum secundum legales cæremonias & solennitates tunc in more positas, de quibus & aliis videre potes latè Bellarminum *cit. c. 20.*

§. IV.

Externus per verba vel signa de præsenti expressus.

305 AD validum matrimonium, tum ut contractus humanus, tum maximè ut Sacramentum est, utique necessariò requiritur consensus non tantùm internus, sed etiam externus per verba vel signa sufficienter expressus: cum & contractus humanus mutuæ traditionis & acceptationis necessariò requirat manifestationem externam, ut nimis clarum est, & supra de sponsalibus probatum: & Sacramentum huic contractui ex institutione divina superadditum essentialiter debeat esse signum sensibile; hujus autem Sacramenti pars essentialis est expressio mutui consensûs, traditionis, & acceptationis corporum. Ut proindè Sanchez *l. 2. disp. 30.* & Tambur. *tract. 4. c. 3. num. 1.* cum aliis meritò censeant, sine utriusque consensu externo non posse consistere matrimonium etiamsi Deus utriusque consensum internum utrique revelaret. Eóque sensu necessariò intelligendi sunt sacri Canones, quandò de solo consensu loquuntur: ut *c. cum locum de sponsal. & matrimon.* Dicitur: matrimonium contrahi solo consensu: subintellige, expresso per signa. Ut patet ex contextu. Et alibi sæpiùs. Et specialiter *c. Tuæ Fraternitati de sponsal.* dicitur: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum: sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam: verba consensum exprimentia de præsenti.* Intellige, quòd Ecclesia requirat, ut consensus, qui alioquin etiam per nutus posset declarari non potest, exprimatur per verba, ut certiùs Ecclesiæ constet. Et hinc in particulari quæritur:

I. An necessario per verba?

306 QUantum ad valorem, certum est, non requiri verba, sed validè posse contrahi matrimonium per signa vel nutus, non tantùm à non valentibus loqui, de quibus expresè declarant Canones. *c. cùm apud. c. Tua. de sponsal.* Sed etiam à loqui valentibus. Ut cum sexcentis AA. allegatis latè probat Sanchez cit. *l. 2.* ac alii passim: & apertè significat Concilium Florent. suprà cit. dicens: *Matrimonium regulariter effici per mutuum consensum per verba de præsenti.* Notas? *regulariter*: non ergò semper & necessariò. Ratio est; quia Christus hoc Sacramentum instituit per modum contractûs. seu potiùs contractui rationem Sacramenti addidit; at qualibet contractus signo impleri potest: ergò.

307 Quantùm ad licitum verò ex suprà cit. *c. Tuæ Fraternitati de sponsal.* & usu Ecclesiæ non admittentis nutus in potente loqui, *Rodriq. Petrus Ledesma, Sylvius*, eósque citans Aversa *hic quæst. 3.* colligunt obligationem sub mortali exprimendi consensum per verba invalentibus loqui. Sanchez cit. *disp. 31. num. 10.* in secùs faciente culpam venialem agnoscit. Tandem per se loquendo (secluso scandalo aut periculo dubitandi de valore ex quo per accidens possit oriri obligatio & culpa gravis) nullam obligationem & culpam agnoscunt, Pontius *l. 2. c. 7. n. 14.* Castro-Palao. *disp. 2. de matrimon. punct. 7. num. 5.* Herincx. *disp. 3. quæst. 3. num. 1.* Tambur. *c. 3. num. 4.* Sed Ecclesiæ consuetudinem observandam omnes monent.

II. Quibus verbis vel signis?

308 *Regula sit*, Illa verba requiruntur & sufficiunt, quæ certò & clarè in his circumstantiis significant, vel exprimunt consensum internum præsentem traditionis mutuæ corporum ad usum conjugalẽ. Plures formulas per occasionẽ dedi de sponsalib⁹ §. 4. plurimas habent *Sanchez, Perez.* alii: sed piget his imorari, cum hac ætate in matrimoniis contrahendis in facie Ecclesiæ, seu coram Parocho & Testibus non tolerentur signa ambigua seu litibus obnoxia; quin in Ritual bus exprimuntur certæ verborum formulæ certò significantes consensum. Communis jam ubique receptus mos est, ut Paro-

Parocho seu Sacerdote assistente ac interrogante ex sponsò primùm: utrùm hanc præsentem N. velit liberè ex institutione Christi accipere in uxorem, deindè ex sponsa: an præsentem N. similiter liberè velit accipere in maritum? singulis ad quæstionem respondentibus: *ita Domine.* (Adeò ut forma hujus contractus & Sacramenti consistat in duobus verbulis: *ita Domine.*) Deindè subjungit Sacerdos *Matrimonium per vos contractum secundùm ordinem Sanctæ Matris Ecclesiæ, ego authoritate, quâ in hac parte fungor, ratifico, confirmo, & benedico in Nomine Patris, & Filii, & spiritûs Sancti, Amen.*

III. Quo Ordine?

309 SImilis jam in praxi supervacua quæstio est: quisnam sponsorum priùs interrogandus, ut prædictum consensum externum præbeat, vir, an mulier? certè *Covarruvias* censet, honestum esse, ut prius fœmina. *Sanchez* cum aliis honestiùs censet, ut prius vir, qui est & erit caput mulieris: consentiente Rituali Romano: de cætero insinuans, observandam esse consuetudinem cujusque Ecclesiæ.

IV. Qua simultate?

310 I. CErtum est, non requiri necessariò simultatem physicam, seu ut simul statim in continenti uterq; contrahens proferat consensum suum. Ut nimis clarum est, quandò contrahitur inter absentes per epistolam vel procuratorem. Sed sufficit simultas moralis, ut unus proferat post alterum, quamdiu durat seu revocatus non est consensus prolatus prioris; cujus proindè intentio principaliter attendenda est. Communissima: ac pluribus congestis Sanchez *l. 2. disp. 22.* Meique Omnes. Ratio est: quia nec ratio contractus, nec consequenter ratiò Sacramenti contractui huic superaddita majorem simultatem exigit ullo jure veteri, vel novo: sed neque Concilium Tridentinum requirens præsentiam Parochi & testium quidquam innovat quoad simultatem: Nam & in aliis contractibus nonnullis jura requirunt præsentiam Notarii & testium, sed indè non infertur necessitatis simultanei consensûs contrahentium: adhibeatur ergò Parochus cum testibus, quandò altera pars consensum suum exprimet. Jam verò meritò urges: Quantum possit intercedere tempus inter consensum prolatum unius & alterius, ut matrimonium validè contrahatur? Jam dixi: principaliter attendendam esse intentionem prioris contrahentis: & ideò

II. Quando matrimonium contrahitur inter
311 præsentes, maximè jure novo in præsentia Parochi & testium, præsumitur prior consensisse sub conditione: Si & altera pars modò statim, consentiat; adeoque velle, ut altera pars statim, durante saltem hoc eodem congressu, consensum suum præbeat, quâ tunc non consentiente, non censebitur manere suspensus prior consensus, sed exspirasse, nisi is aliter exprimeret, & spatium diutius permitteret. Similiter & quando contrahitur inter absentes per Procuratorem vel epistolam, necessariò durabit consensus prioris: quantum tempus humano modo intercedere debet & solet, usque dum ad alium locum perveniat epistola vel Procurator, & comodè conveniri possit altera pars, ut cum debita solemnitate adjungat suum consensum: neq; præsumitur prior perseverare in consensu ultra ad longum tempus, aut intendisse, ut altera pars post habitam notitiam possit ultra ad annos usq; differre suum consensum; quarè & tunc post notabilem moram alterius partis censebitur consensus prioris exspirâsse, nisi similiter aliud expresserit, & se ulteriùs exspectare velle significaverit: quo casu nisi certum tempus assignasset, v. g. intra annum vel tot menses, nullum taxandum erit tempus, sed quocunque tempore posteà altera parte cum debita solemnitate consentiente, matrimonium validè contrahetur, consensu prioris nunquam revocato. Ita post *Navar.* & alios Hurtadus *hic disp. 3. §. 8.* Tambur *c. 3. num. 10.* Herincx *disp. 3. c. 3. num. 16.*

III. Ratio dictorum est; quia ex una parte æ- 312
quum non est quòd prior contrahens debeat exspectare alterius consensum ad quodcunque ei libitum tempus: ergò si alter non exprimat, censendus est velle, & alteram partem consentire aut statim nunc præsentem, aut statim post notitiam & opportunitatem habitam, absentem: & non ulteriùs consensum suum extendere. Ex altera autem parte matrimonium est Sacramentum additum contractui humano ac civili, qualis semper subsistit, si non revocato consensu ab altero alter quocunque tempore consentit: ergò si prior consentiens nullum tempus alteri ad consentiendum determinavit, neq; ipse suum consensum interim revocavit, quocunque tempore alter posteà consentit, matrimonium subsistet, nec erit, unde certum tempus taxari debeat. Gratis ergò & divinatoriè taxant septennium *Sotus*, biennium *Henriqu.* annum *Ledesma*: Scrupulosè autem Sanchez cit. *disp. 32. num. 7.* relinquit prudentis arbitrio consideratis circumstantiis particularibus; cùm sæpissimè timoratus dubitaret, an circumstantiæ benè & omnes expensæ essent. Ut benè notat Tambur. cit. *num. 10. in fine.*

IV. Dixi, & intellige semper: *quamdiu du-* 313
raverit, seu non revocatus fuerit prioris consensus. Censetur autem non durare, sed revocari consensus aut explicitè, ut, si positivè incipiat dissentire, & dicat, se ampliùs nolle: aut implicitè vel indirectè, ut, si interim per verba de præsenti contrahat cum alia, vel si transeat tempus præfixum, pro quo fortè consensit. Addit etiam Layman: Si altera parte nolente statim consentire, prior consentiens affirmet, se nunc consensum revocâsse, ipsi credendum esse; quia, ut dictum, nisi contrarium constet, præsumitur consensisse sub dicta conditione; Si & alter statim consensum præbeat.

Potest

Universidad de Deusto
Biblioteca

314 Potest autem prior consentiens suum consensum revocare semper quousque alterius partis consensum prolatum perceperit, postèa nequaquam. Ratio est; quia quandò sponsus v. g. dixit sponsæ: *accipio te in meam uxorem*: necessariò subintellexit, simúlque significavit: se simul acceptare velle consensum, quem datura esset sponsa; neque enim matrimonium consistere potest sine tali acceptatione, ut ex dictis patet: ergò quamprimum sponsa suum consensum expressit, v. g. dicens: *Et ego te accipio in meum maritum*: vel interrogta à Parocho dicat: *Ita Domine.* jam purificata est conditio sub qua se obligavit, adeóque matrimonium simpliciter perfectum est: ergò frustrà dicet posteà: revoco meum, vel non accepto tuum consensum. Prout lepidè alicubi contigisse narrat *Gobat cit.* Si tamen ponamus casum quo verba sponsæ tam tardè venirent ad aures sponsi, ut antequam ea audiret, ipse diceret: renuo, vel non accepto tuum consensum; utique non valeret matrimonium; quia, ut dixi, sponsus potuit revocare priorem voluntatem tandiu, quamdiù non manifestatur ipsi consensus sponsæ. Sed hæc sunt omninò extraordinaria & vix possibilia. Refert & meritò metaphysicum hunc casum vocat Cardinal. de Lugo *Respons. Moral. l. 1. dub. 42.*

§. V.

Inter personas habiles.

315 CErtè personæ habiles ad validè & licitè contrahendum matrimonium sunt mas & fœmina nullo dirimente vel impediente impedimento matrimonii obstricti juxta dicta *sect. 1. totâ*: Aut per dispensationem legitimam habilitati, de qua suo loco. Solùm hic quæri potest, & quidem utilissimè: An valeat matrimonium, quandò ignoratur, dubitatur, vel falsò putatur adesse impedimentum dirimens? Do breves Resolutiunculas.

316 I. Certissimum est quando reverâ subest impedimentum aliquod dirimens, quantumvis ignoratum ab uno, vel utroque contrahente, ignorantiâ etiam invincibili seu juris (v. g. quòd copula habita cum una inducat affinitatè & impedimentum contrahendi cum alia ejusdem consanguinea) Aut facti, ut, quòd conjux prior mortuus putatus, adhuc vivat, &c. matrimonium esse nullum. Communissima DD. cum Sanchez *l. 7. disp. 17.* Coninck. *dub. 27. num. 13.* Perez *disp. 39. sect. 4.* alii passim (excepto uno vel altero etiam quoad impedimentum criminis, pœnam sapiens, ut suò loco notatum) Ratio est; quia ignorantia, etsi excuset à peccato contra legem prohibentem tantùm, cùm nihil possit esse peccatum, nisi volitum, adeóque necessariò quoad malitiam seu prohibitionem prægnitum: minimè tamen tollit inhabilitatem ad agendum, ac nullitatem actûs per leges irritantes seu inhabilitantes inductam, cum etiâ ignorans possit fieri inhabilis ad contrahendum. Notum est ex materia de legibus. Et hinc videmus quotidie dispensari cum iis qui occulto laborantes impedimento ignari & bona fide contraxerunt: & post notitiam impedimenti, donec obtineant dispensationem, jubentur abstinere à copula maritali simpliciter, ut videbimus.

At quid si post dispensationem obtentam à confessario v. g. sed illis nondum communicatam, illi iterum consentiant? validúmne erit matrimonium? R. Cùm distinctione: manere invalidum, si absolutè consenserunt; quia sic solùm ratificant consensum priorem, qui cum fuerit nullus, consequenter & ipsa ratificatio nulla erit. Validum autem evadat matrimonium, si consenserunt sub conditione: si dispensatio jam impetrata sit. Ut ex alibi dictis nosse debes.

II. Quandò reverà nullum subest impedimentum, contrahens, tamen uterque vel alteruter dubitat, vel suspicatur, an non inter ipsos sit impedimentum v. g. affinitatis, consanguinitatis; sed postèa certò cognoverunt, nullum fuisse impedimentum; certum videtur, matrimonium esse validum. Communis DD. cum Sanchez *l. 2. disp. 33.* Castro-Palao Hurtad. alii cum Tambur. *tract. 24. c. 2. num. 2.* Ratio est; quia tales dubitantes vel suspicantes tantùm de impedimento contraxerunt quasi sub conditione: si possumus, si sumus habiles; at jam poterunt, jam habiles erant: ergò jam absolutus, atque adeò efficax erat consensus. 317

III. Quandò contrahens uterque vel alteruter omninò certò sibi persuadet, adesse impedimentum dirimens ejúsq; vim agnoscit, cum tamen reverà nullum sit, matrimonium simpliciter erit nullum. Ita post alios Tambur. cit. c. 2. §. 2. *num. 13.* Herincx *disp. 6. quæst. 3. num. 25.* Ratio est; quia qui firmiter credit, laborare se impedimento dirimente, non potest absolutè & efficaciter consentire in matrimonium, nam impossibilium apprehensorum nulla esse potest efficacia voluntatis seu efficax voluntas: & quod ut impossibile apprehenditur, non potest quis efficacitèr velle. Nec talis consentit sub conditione: *Si fortè possum, si fortè sum habilis: si fortè impedimentum non adest*, &c. Nam sic jam non firmiter putaret, adesse impedimentum, sed dubitaret solùm, adeóque essemus in casu numeri præcedentis. 318 319

IV. Contrà tamen matrimonium valere, docet *Covarruvias*, alii cum *sanchez cit.* probante variis rationibus solutis à *Tambur. cit.* Et sapienter advertit noster *Herincx cit.* Posse fieri, ut falsò putantes se esse consanguineos v. g. simul tamen suspicentur, fortè non esse in tam arcto gradu, qui matrimonium dirimat: aut falsò pro certo putantes, priorem conjugem adhuc vivere, simul cogitent, posse esse; quòd jam obierit: aut certè ipsi vim impedimenti dirimentis non benè penetrent &c. tales poterunt habere intentionem sufficientem contrahendi validum matrimonium, scilicèt: conditionatam vel restrictam: *si possum, in quantum possum, si nihil obstet, si nullum adsit impedimentum, aut faciendi, quidquid possum*, &c. Et sic, si non adsit impedimentum, validum erit matrimonium; attamen adhuc mortaliter illicitum propter conscientiam practicè dubiam in materia gravis peccati.

§. VI.

Non necessariò præsentes: Sed satis per Epistolam.

320 CErtum est apud omnes, sicut cæteros contractus civiles, ita etiam matrimonii sacramentalem contractum posse celebrari inter absentes per epistolam. Habetur expressè in jure civili, *L. mulierem ff. De ritu nuptiarum. & L. sufficit. ff. De sponsal.* Praxin, servatâ formâ Tridentini, describit Castro-Palaus *hic disp. 2. punct. 9.* his verbis: *Debet traditio & acceptatio utriusque contrahentis coram eodem Parocho & testibus fieri, aliàs non possent testari de matrimonio; id verò fit, si scribas Mariæ: Te ipsum ei in maritum tradere, eámque in uxorem ex tunc accipere: ipsaque acceptas litteras legens coram Parocho & testibus affirmet, se etiam tibi tradere & traditionem à te factam acceptare. En tibi mutua traditio & acceptatio utriusque contrahentis fit coram Parocho & testibus; existimo tamen, necessarium esse, quòd Parochus & testes agnoscant tuas litteras ut sciant, cujus traditionem mulier acceptet: ut notavit Coninck.* Sic Castro-Palaus. Ais: qui sic per epistolam (idémque qui per procuratorem) contrahit matrimonium, ignorat an alter sit benè dispositus ad Sacramentum, ejusque effectum suscipiendum ergò exponit se periculo cooperandi cum peccato alterius, si fortè sit in statu peccati. R. Negando consequentiam; Cum enim quilibet sit existimandus bonus, nisi contrarium constet; poterit alius morali certitudine præsumere, alium esse benè dispositum.

Vel per Procuratorem.

321 CErtum quoque est & magis usitatum, maximè inter Principes & Magnates matrimonium validè & licitè contrahi per procuratorem: estque expressum in jure Canonico c. *Finali. De Procuratoribus.* Et latissimè tractant Sanchez *l. 2. disp. 12.* Martinus Perez. *De matrimon. disp. 15. sect. 7.* Dicastil. *disp. 2. dub. 15.* alii, ex quibus summariè curiosulè accipe sequentia.

322 I. Substantia contractûs & Sacramenti matrimonii per Procuratorem initi consistit in duplici actu; & Principalis, & Procuratoris. Primus est actus Principalis constituentis procuratorem ac mandantis ipsi, suo nomine contrahere matrimonium cum tali certa personâ: aut etiâ generaliter consentientis in illam personam, quam Procurator electurus est; quia sic adhuc est ad certam personam. Ut ex *Coninck, Aversâ* & communi notat Tambur. cit. c. 4. §. 1. *num. 2.* Secundus est actus Procuratoris exequentis ac consensum Principalis ejus nomine exprimentis coram Parocho & testibus, quod ministerium est essentialiter perfectivum contractûs, adeò, ut tunc consensus conjugalis integretur partim ex mandato Principalis, partim ex ministerio Procuratoris; non tamen ideò Procurator est minister Sacramenti (quare neque ad hoc debet esse in statu gratiæ, imò neque requiritur sexûs diversitas, quin possit fœmina nomine viri contrahere cum fœmina. Ut notant *Sanchez Coninck* citati) quia non agit nomine suo, sed nomine Principalis mandantis, quin principaliter mediante Procuratore profert & adhibet consensum, ideóque ejus simpliciter censetur esse actus; juxta notam regulam: *Quod quis per alium facit, per se facere censetur.* Quare etiam in hoc tantùm actu executivo Procuratoris, juxtà formam Tridentini, debet adhiberi præsentia Parochi & testium, non verò, quandò datur mandatum Procuratori: juxta communem & veram sententiam *Sanchez, Coninck, Castro-Palai, l. c.* Ratio est; quia Tridentinum requirit præsentiam Parochi & testium, quando contrahitur matrimonium, ut ut illi testari possit de jam contracto nihil vero disponit de mandato ad contrahendum: atqui matrimonium contrahitur, quandò Procurator nomine alterius præbet consensum, suscipitque consensum alterius: non verò quandò constituitur Procurator ad illud. Addunt *Sanchez* & ex eo *Tamb. cit.* Parochum & testes non obligari ad videndum litteras mandati; ipsi enim solùm testes esse debent de ipso consensu matrimonii facto à Procuratore, qui sit de facto legitimus, non verò ut legitimus cognitus ab ipsis.

II. Forma contrahendi per Procuratorem talis præscribitur à Dicastillo *hic num. 146.* Ego nomine talis N. contraho tecum matrimonium; aut; nomine Petri accipio te uxorem: aut: Petrus per me accipit te in uxorem, vel contrahit tecum matrimonium. Respondebit fœmina: & ego tecum tanquam Procuratore Petri matrimonium contraho: vel: per te tanquam Procuratorem contraho matrimonium cum Petro: accipio Petrum in maritum, &c. (idem omninò est in opposito casu, si fœmina per Procuratorem contrahit matrimonium cum viro.) Et en tibi jam matrimonium perfectum & rarum. Sed neque omninò ridendus videtur bonus ille vir, qui in solemni convivio coram aliis sanctam ejus innocentiam ridentibus dixit: Principem suum per Procuratorem matrimonium consummare. Nam in Germania matrimonio rato per Procuratorem celebrato additur cæremonia utilis ad aliqua jura, aliquo modo adumbrans consummationem matrimonii: ut videlicèt præsentibus aliis decumbant in uno lecto nova nupta & Procurator, illa integrè vestita ille non modò vestitus, sed etiam toto corpore cataphractus, quâ nimirùm cæremoniâ significare videntur, adeò firmum velle esse matrimonium contractum ad certa jura, acsi defacto jam esset consummatum. 323

III. Principalis ergò contrahens post man- 432

Universidad de Deusto
Biblioteca

datum datum Procuratori contrahendi cum aliqua (vel aliquo) necessariò debet perseverare in suo consensu usque ad excutionem mandati, ad hoc ut matrimonium contrahatur; nam si interea, antequam Procurator officium impleat, is consensum suum revocet sive expresè sive implicitè v.g. contrahendo cum alia per se vel per alium Procuratorem constitutum; & nihilominùs Procurator hujus revocationis inscius (multò magis conscius) nomine ejus contrahat, matrimonium erit nullum; quia essentiale contractui matrimonii est, adesse consensum utriusque; nunc autem jam unus consensus deficit. Nec refert, quòd alii contractus politici validè fiant per Procuratorem vel mandatarium revocatum, quandò revocatio nec Procuratori, nec parti alteri innotuit. Juxtâ *L. si mandatum ff. mandati.* Et alibi. Nam Respub. lica vel Ecclesia supplere possunt consensum contrahentium circa res temporales & politicas; unde pro quiete & bono publico supplent in dicto casu: at verò circa matrimonium supplere consensum nequeunt, cùm consensus proprius conjugis sit de essentia matrimonii, sine quo per nullam authoritatem matrimonium consistere potest. Ut paulò suprà audivisti. Notat tamen *Castro-Palaus* cum Tambur cit. *num.* 8. si post consensum datum Procuratori, dissentias quidem, sed deindè iterum, priusquam Procurator nomine tuo contrahat, consentias, validum foret matrimonium; quia tunc in contractu jam adest consensus. At, quid si constituisti Procuratorem fictè & non vero animo: sed posteà eo tempore, quo Procurator nomine tuo contrahit, verùm consensum habeas: validúmne tunc fiet tuum matrimonium? Validum pronuntiat Sanchez cit. *disp. 11. num. 13.* quia jam adest consensus requisitus. Sed rectius validum negat Coninck *disp. 24. dub. 9. num. 72.* Ratio urgens est; quia cum prima constitutio Procuratoris fuerit nulla ex defectu tui consensûs, is non potuit matrimonium contrahere, ut verus Procurator tuus & tuo nomine: ergò nulliter contraxit. Ergò parùm juvat, quòd posteà longè distans consenseris; oportebat enim de novo Procuratorem legitimè constituere ad tuum consensum exprimendum.

325 IV. Principalis contrahens, cùm ipse sit minister, & suscipiens Sacramentum hoc, debet esse in statu gratiæ, non quidem necessariò eo tempore, quo Procuratorem constituit, vel epistolam scribit, sed eo, quo verisimile est sorore, ut Procurator nomine ipsius contrahat, quóve epistola legatur. Procurator autem ipse non peccat, si, dum contrahit matrimonium, est in statu peccati mortalis; quia nec recipit in se Sacramentum, nec nomine suo ministrat. Denique rectissimè monet Sanchez *disp.* 120. *num.* 31. optimè facturos contrahentes per Procuratorem vel epistolam, si deindè per se ipsos iterum contrahant, ut certius sit matrimonium, si fortè illegitimum quid intercurrerit: nec timeas (inquit) de iteratione, quæ licèt in aliis Sacramentis manente eadem materia, prohibeatur, non tamen prohibeatur in Sacramento matrimonii, quia hoc fundatur in ratione contractûs civilis, qui iterari potest & solet. Sic *Sanchez.* Ubi tamen nota, non semper fieri Sacramentum, quoties renovatur consensus, sed solùm, quandò primò ritè perficitur contractus, si anteà propter aliquem defectum legitimè perfectus non fuit.

SUBSECTIO.

De Consensu conditionato.

SUMMARIUM.

326. *Possunt quidem, rarò tamen admitti debent matrimonia sub conditione, præsertim de futuro.*
327. *Matrimonium contractum sub conditione de præsenti vel præterito, statim valet, si conditio vera est; & statim nullum est, si conditio falsa.*
329. *Nec eo uti possunt, donec conditio existere cognoscatur.*
331. *Matrimonium sub conditione de futuro honesto & possibili initium*
332. *Suspenditur usque ad conditionis eventum.*
333. *Qua posita statim perficitur, sine novo consensu.*
334. *Et sine nova assistentia Parochi, & testium.*
335. *Exceptio.*
336. *Conditio de futuro turpis vel impossibilis, an & quando irritet? usque ad n. 341.*
341. *Irritat conditio turpis repugnans substantiæ matrimonij.*
342. *Ejúsque triplici bono, fidei, prolis, & Sacramenti.*
343. *An valeat, si contrahant cum pacto vel conditione nunquam generandi?*

326 NUllo quidem juris textu prohibentur matrimonia conditionata, scilicèt inita sub conditione sive de præsenti vel præterito, sive de futuro, dummodò non turpi, impossibili vel repugnante substantiæ matrimonii. Imò Urbanus III. *c. super eo de condition. appositis*, expresè dicit: *Canonicis institutionibus non improbari contractum, quo quidam in quandam mulierem consensit* (id est contraxit de præsenti. *Glossa, Fagnanus*, alii ibidem,) *si pater ejus suum præstaret consensum,* Quare Navar. *Consil. 1. de condition. appos.* Dicastil. alii, videntur approbare potiùs, quàm improbare conditiones in matrimonio. Sed meritò Tambur. *tract. 4. c. 5. §. 10.* & Gobat *cas. 5. num. 138.* censent & monent, à Parocho non esse admittendas in matrimoniis conditiones, præsertim de futuro, nisi ob raram & urgentissimam causam; sed si alicujus conditionis impleto ad matrimonium expectanda sit, v. g. ut sponsus obtineat libertatem, officium, &c. exspectetur, antequam illud per verba de præsenti celebretur. Ratio est multiplex; 1. Quia ejusmodi conditionum adjecto repugnant mori patrio. 2. Quia facilè tales conditionate contrahentes sibi persuadebunt, valére matrimonium ante eventum vel notitiam conditionis appositæ, & faciant ante tempus, quæ faciunt veri conjuges. 3. Quia cùm juxtà probabilissimam sententiam à nobis admittendam illo ipso momento, quo impletur conditio in matrimonio posita, illud convalescat absq; novo consensu, & novâ præsentiâ Parochi & testium, fiet sæpissimè ut matrimonii Sacramentum conficiatur, dum alter vel uterque conjugum est in statu peccati, mortalis in ebrietate, aut nefcio, quibus, occupatus, insigni Sacramenti irreverentia. 4. Ex istis conditionibus non subsistentibus, vel non impletis possunt oriri gravia incommoda; scandala, dissensiones, &c. Ut consideranti patet, & infra notabitur. Quia tamen posset subindè esse ratio urgens contrahendi matrimonium sub aliqua conditione, & reverà contrahentes aliquando tales conditiones occultè apponunt in contrahendo matrimonio: pro pleniori intellectu ejus naturæ, & non inutili notitia confessarii agam de his stricte, de quibus latissimè Sanchez *l. 5. toto De Matrimon. Perez, Dicastil.* Alii.

§. I.

Conditio de præsenti vel præterito.

327 I. MAtrimonium contractum sub conditione relata in præsens vel præteritum (v.g. conttaho tecum, si filia Titii es, si legitima, si virgo: Si navis advenit, si pater mortuus est, &c. statim valet, si conditio vera est: & statim nullum est, si conditio falsa est. Certum apud omnes. Habetur variis textibus juris, apud Layman *tract. 10. part. 2. c. 7. num. 1.* Ratio est; quia contractus quilibet ex conventium voluntate legem & conditiones accipit: si ergò ea sit contrahentium voluntas, ut, si hoc existat, stipulatio rata sit, si hoc non existat, stipulatio irrita sit; ita statim erit, sicut inter se conveniunt. Quare *L. institutis. ff. De conditionibus* dicitur: *Quòd nulla sit conditio, quæ in præteritum confertur vel in præsens;* quia nimirùm nonsuspendit actum, sed facit, ut statim valeat, vel non valeat.

328 II. Neque verò interest, quod contrahentes, vel unus eorum ignoret conditionem appositam subsistere. Ut contra *Coninck* & alios, ex communi notat Layman cit. cum *Hurtado* & aliis. Et expresè habetur *L. Cùm ad præsens. ff. De rebus creditis. Stipulatio tenet, quamvis teneare contrahentes conditionem ignorent.* Quarè si contraxisti cum puella: Si nobilis sit; aut illa tecum: Si officium à Rege habes: & conditio subsistat, jam ratum & validum erit matrimonium, etsi tu nondum ejus nobilitatem: neque illa tuum officium cognoscat; quia non contraxistis sub conditione nobilitatis cognitæ vel officii cogniti, sed sub conditione nobilitatis, vel officii, si existat.

329 III. Quàmvis autem conditio de præterito vel præsenti non suspendat matrimonium quoad esse vel valorem: ut dictum est, sicut suspendit conditio de futuro,) suspendit tamen quoad usum licitum, quousq; conditio existere cognoscatur; licèt enim matrimonium sub tali conditione initum reverà perfectum jam sit, si tunc subsistat conditio, sub qua est initum: nno tamen est permissus ejus usus, donec cognoscatur addesse illa conditio; quia alioquin exponent se periculo fornicationis, si forte conditio non subsistat, & ideò matrimonium nullum sit.

Hic incidenter observa. Specialis illa conditio: *Si virgo es*: involvit hanc de futuro: *Si te reperero Virginem*: & duplicem sensum habere potest: 1. Si post diligentem inquisitionem, aut factam à Matronis inspectionem, cognovero te esse virginem. 2. Si in primo concubitu tecum, te deprehendero virginem esse. Primò sensu licita est ea conditio, ac proindè virginitatis defectus impedit valorem matrimonii. Secundò sensu turpis est conditio; quia provocat sponsam ad faciendam potestatem seu corporis, priusquàm sit verum matrimonium: ergò habenda pro non adjecta, aut si seriò adjecta fuit, contractus rescindendus erit.

IV. Si conditio talis de præsenti vel præterito 303
reverà non subsistat, irritum manet matrimonium & ratum & consummatum, v.g. Titius serio dixit Semproniæ: *Si virgo es, te duco uxorem; si virgo non sis, nullo esto matrimonium nostrum.* Post contractum & consummatum matrimonium, deprehenditur Sempronia non fuisse virgo, sed ab alio corrupta. Siquidem Titius permansit constanter in voluntate non habendi Sempronian in uxorem, si deprehendatur non esse virgo, sanè licèt ante illam deprehensionem centies fuisset commixtus cum illa, nullum seu ratum seu consummatum extitisset matrimonium, sed post illas tot copulas potuisset illam repudiare, si posteà cognovisset certò, fuisse corruptam ab alio. Juxta Communissimam DD. Et in casu facto benè resolvit Prosper Fagnanus *in c. Si conditiones. De Condition. Appos.* Cosmus coram Parocho & testibus contraxit matrimonium cum Anna: *Anna, si es legitima, duco te in uxorem.* Deindè matrimonium cum illa consummavit, ac prolem inde suscepit; posteà compertum est, Annam non fuisse legitimam. Quæsitum est primò: An illud matrimonium fuerit ab initio nullum ob defectum conditionis? Secundò: an non fuerit validatum per copulam multiplicem subsequentem? Et rectè respondet ad primam quæstionem affirmativè; quandóquidem ex verbis Cosmi apparebat, ipsius consensum verè pendere à veritate adjectæ conditionis. Ad secundam quæstionem respondet negativè; eo quòd copulam exercuerit potiùs ex constanti falsa opinione, quòd Anna esset legitima, quàm ex animo habendi illam pro uxore, etiam casu, quo fortè non esset legitima. Sic *ille*, asserens esse omnium consensum. Aliud tamen dicendum fuisset, si Cosmus post cognitum defectum Natalium, adhuc copulatus fuisset carnaliter Annæ; tunc enim jura præsumerent, eum recessisse à conditione priùs opposita, ejúsq; consensum desiisse, pendere à legitimatione uxoris; ideò tunc matrimonium convaluisset, suppositâ sententiâ, quòd matrimonium invalidè contractum coram

Universidad de Deusto
Biblioteca

Parocho & testibus possit revalidari sine nova assistentia Parochi ac testium. De quo *cap. sequent.* Ut benè notat Gobat *cas. 5. num. 142.* & rursùs: *tract. 9. cas. 5. num. 138.* rectè rursùs inculcans, Parochum non debere extra casum magnæ necessitatis assistere matrimoniis conditionatis, nec permittere, ut contractui matrimonii conditiones apponantur. En quàm ingentia mala poterant oriri ex casu proposito, postquam cognovit Cosmus (vel suprà Titius,) se fuisse tam turpiter deceptum: & quid si, ut jure poterat, repudiasset illam tot mortalibus notam Notham? dixi autem: *Post cognitum defectum*; quamdiu enim defectum non cognoscit, non præsumitur recedere à conditione de præsenti vel præterito per copulam carnalem, ut dictum est. Sed benè tunc præsumitur recedere à conditione apposita relata in futurum: ut mox dicam §. *sequent.* & in simili dixi suprà, De Sponsalibus conditionatis.

§. II.

Conditio de futuro honesta & possibilis.

331 MAtrimonium contractum sub conditione honesta ac possibili in futurum relata v.g. *accipio te, si pater tuus consenserit: si mille florenos in dotem dederit* &c. suspenditur usq; ad conditionis eventum; eâ verò eveniente statim perficitur matrimonium absque novo requisito contrahentium consensu: itemque absque novo assistentia Parochi & testium. Excepto: Si inhabiles ob impedimentum dirimens contraxissent sub conditione: *Si Papa dispensaverit.* ita DD. citandi. Explico particulatim.

I. *Suspenditur usque ad conditionis eventum.*
332 Omnes. Et expresè habetur *c. super eo. De Condition. Appos.* Ratio est; quia conditio propriè dicta, & in futurum relata suspendit actum, cui apponitur. Ut habetur utroque jure: & Canonico; *c. cit. Super eo.* &c. *De illis. eodem*: & Civili: *L. Si ita stipulatus ff. De Verbor. obligation.* Quod tamen intelligi debet, si conditio apponatur in ipso contractu; si enim contractus jam semel absoluto consensu perfectus sit, conditio deindè illi apponi non potest. *L. 4. De donationibus.* Et quamvis alii contractus absolutè initi postea novâ stipulatione per mutuum consensum sub conditione infirmari possint; ut nisi hoc fiat, vel hoc feceris; donatio vel venditio rescindi possit: Secùs tamen est in matrimonio, quod semel validè nulla voluntate contraria dissolvitur. Sicut notavit Sanchez *l. 5. disp. 6. num. 4.* Insuper nota duo: Unum: Si in tali casu sponsi ante adventum conditionis alio absoluto consensu de præsenti contrahant, aut carnaliter conjungantur, statim sit matrimonium ratum; quia censentur recessisse à conditione antea in futurum relata. Prout respondit Alexander III. cit. *c. de illis.* Et habetur etiam *c. Per tuis. De condition. Appos.* Etenim in dubio semper præsumitur sponsus v. g. affectu maritali, non autem fornicario accedere ad sponsam: ideóq; recedere à conditione de futuro anteà appositâ, & jam velle eam habere pro non appositâ. Alterum est: Qui sub conditione de futuro duxit unam, ante eventum illius conditionis, injustè quidem, validè tamen contrahit matrimonium absolutè & indissolubiliter cum alia. Ita quandò quis duas duxit sub conditione, valebit matrimoniū illius, cujus conditio priùs est impleta. Sanchez *l. 4. disp. 8.* Dicastil. *disp. 5. dub. 8.* Gobat. *tract. 50. cas. 12, num. 472.* Ut contra alios alibi indicatum est.

II. *Eveniente conditione statim perficitur matrimonium, nullo requisito novo contrahentium consensu.* 333 Ita communis Canonistarum in *cit. c. Super eo.* Glossa. Innocent. *Hostiensis; Abbas* alii cum Navar. *c. 22. num. 63.* & *Consil. 1. De conditior. appos.* & ex Theologis *Paludanus, Petrus Sotus*, aliisque congestis Sanchez cit. *l. 5. disp. 8.* Coninck *disp. 29. dub. 1.* Layman *tract. 10. l. 5. part. 2. c. 7. num. 2.* Cardinal de Lugo *De pœnitent. disp. 13. Sect. 5.* Gapsi. Hurtad. *hic disp. 7. diff. 3.* Dicastil. *disp. 5. dub. 6. num. 69.* Castro-palaus *disp. 2. punct. 11. §. 2.* Perez *disp. 16. Sect. 13.* fusè, aliis apud ipsos. Ratio potissima est; quia ita declarârunt authenticè Pius V. & Clemens VIII. Teste locupletissimo Prospero Fagnano *in idem c. super eo.* Ubi per extensum refert illas Declarationes, ac testatur ita servari in Curia Romana. Et probatur receptissimo axiomate: Quòd consensus conditionatus positâ conditione, transeat in absolutum. Ut habetur *L. Potior. ff. Qui potiores in pignore.* & *L. Hæc venditio. ff. De contrahend. emption.* Ibi: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio.* Quandò ergò dicis: accipio te in uxorem, si pater consenserit: perindè est, acsi dicas: jam verè habeo voluntatem & consensum habendi te in uxorem; at nolo, ut effectus hujus consensûs existat, priusquàm pater consentiat; volo autem jam & omninò consentio, ut quamprimum ipse consenserit, sis absolutè mea uxor: Ergò posita conditione absq; novo consensu jam absolutè uxor erit. Confirmat *Layman* cit. Sicut se habet consensus de futuro ad contractum sponsaliorum, ita se habet consensus de præsenti ad contractum matrimonii: atqui omnes fatentur, & constat ex *c. Unico. De sponsal. in 6.* consensum de futuro conditionatum, (v. g. accipiam te, si pater mille florenos in dotem dederit) eveniente conditione sine novo consensu purificari & effici sponsalia absoluta: ergò etiam fateri debemus, consensum de præsenti conditionatum, (accipio te nunc in uxorem, si pater mille florenos dederit,) posita conditione transire in matrimonium purum & absolutum.

Contrarium tamen, ac novum consensum requiri, docet sanè communior Theologorum Sententia *D. Thomas, Pontius, Diana*, alii cum Tambur. *Tract. 4. §. 4. num. 5.* Decisio Rotæ apud Dianam parte 6. in calice. Quorum rationes benè dissolvunt *Sanchez, Layman, Perez, alii cit.* quos curiosus videre potest, mihi non vacat immorari.

334 III. *Absque novâ assistentiâ Parochi & testiū;* Quando nimirum matrimonium sub conditione in futurum relata jam celebratum est coram Parocho & testibus, nihil opus est, ut posteà, eveniente conditione, de novo adhibeatur Parochus cum testibus. Ita cum aliis Sanchez cit. *disp. 8. num. 24.* & fusissimè disputans, tandem inclinans in hanc sententiam *Dicastill. cit.* Ratio pro interim sufficiens est; quia probabilissima, omninò tuta & praxi recepta sententia infrà suo loco astruenda est: Quandò matrimonium coram Parocho & testibus omninò fictè vel aliundè invalide contractum fuit, & posteà, deposita fictione vel dispensatione impetrata, novo consensu revalidatur, non requiritur necessariò nova assistentia Parochi & testium: ergò neque in nostro casu, quandò matrimonium priùs sub conditione contractum fuit. Contrarium tamen docent *Ledesma, Coninck, Bonacina, Hurtad.* alii cum Perez cit. *Sect. 14.* & ut probabiliorem tenet Layman cit. *num. 3.* Ratio non contemnenda est; quia Parochus & testes à concilio requiruntur, ut intelligant matrimonium verè & substantialiter contractum esse, & sic de eo in foro externo, ad multa vitanda incommoda, testari possint; sed nisi intersint eventui seu impletioni conditionis, aut saltem â contrahentibus audiant, conditionem appositam impletam esse, vel defacto subsistere, reverà nesciunt, utrum matrimonium verè & substantialiter contractum sit: nec consequenter de eo contracto in foro externo testificare possunt, sed tantùm de contractu inchoato, adhuc in futurum pendente & solubili: ergò, &c. Sed *R.* Negando majorem, pro omni eventu, ob instantiam positam à nobis, cùm sæpè neque ipsi contrahentes, minùs assistentes scire possint, an matrimonium verè & substantialiter contractum sit, ob impedimentum latens. Sufficit ergò ad intentum principale Concilii, Parochum & testes testificare posse matrimonium coram se & non clandestinè, quoquo tandem modo, contractum esse, dummodò patenter non nullo.

335 IV. Exceptio: Si inhabiles ob impedimentum dirimens, ad contrahendum contraxissent sub conditione: *Si Papa dispensaverit.* Tunc enim ea dispensatione impetrata, probabilius est sola sponsalia purificari; matrimonium autem certò ratum fieri debere per novum consensum coram Parocho & testibus. Ita cum aliis Layman cit. *num. 5.* Prima pars probatur; quia desponsatio facta per verba de præsenti sub conditione possibili in futurum relatâ. v. g. *si Papa dispensaverit*: habet saltem vim desponsationis conditionalis de futuro: ergo sicut sponsalia de futuro sub conditione dispensationis Papalis, ea eveniente purificantur: ita etiam eadem desponsatio sub eadem conditione facta per verba de præsenti, ea eveniente purificari debet. Secunda pars est ferè communis, teste Navarro. *l. 4. consil. 14. de sponsal.* & Layman. cit. (contra tamen *Sanchez, Coninck*, alios non paucos) Ratio est à *Layman* benè data: quòd nunquam præsumendum sit, mentem Pontificis dispensantis esse, ut matrimonium præterito tempore contractum valeat, sed, ut post collatam dispensationem præmissis denuntiationibus in facie Ecclesiæ contrahere liceat: sicut apertè colligitur ex Bullis & Rescriptis Pontificum.

§. III.

Conditio de futuro turpis vel impossibilis.

DE his ita statuit Gregorius IX. c. Finali 336
de condition. appos. *Si conditiones contrà substantiam conjugii inferantur, puta, si alter dicat alteri: contrabo tecum, si generationem prolis evites; vel donec inveniam honore vel facultatibus digniorem.; aut: si pro quæstu adulterandam te tradas,* &c. *matrimonialis contractus, quantumvis favorabilis, caret effectu, licèt aliæ conditiones appositæ in matrimonio turpes vel impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Sic textus Pontificis sanè difficilis & multùm intricans Doctores. De his aliis conditionibus turpibus vel impossibilibus nunc dicam; de illis verò substantiæ matrimonii repugnantibus dicam seorsim §. *sequent.*

I. Quando certò constat conditionem tur- 337
pem vel impossibilem, sive secundùm naturam; uti: duco te, si cœlum digito tangas, si dotem tanquam montem aureum afferas: sive secundùm mores, (nam jura etiam conditionem turpem seu inhonestam, impossibilem vocant, eo quòd impossibile judicari debeat, hominem honestum velle facere quod turpe est, uti duco te, si patrem occidas, si fidem neges, &c.) adjectam esse matrimonio aut sine animo contrahendi, sed per jocum indicantem animum alienum à contrahendo, ut certè solent adjici conditiones illæ secundùm naturam impossibiles. Aut conditio turpis adjecta sit cum serio animo volendi exspectare eventum illius & nolendi contrahere, nisi talis turpis conditio ponatur; certum est, matrimonium fore nullum in foro interno, imo & externo, si probari possit, adeóque conditionem talem tunc non haberi pro non adjecta, sed præsumptionem juris tunc cedere veritati. Ita mox citandi. Ratio solida & clara est; quia consensus matrimonii totus quantus pendet à voluntate contrahentium, ut Ecclesia consensum ad substantiam matrimonii requisitum supplere nequaquam possit: nec potest efficere, ut subsistat matrimonium sine vero consensu. Ut omnes fateri debent: atqui conditio propriè dicta & suspensiva actûs, si impossibilis vel turpis sit, ab initio statim vitiat conrractum, ut expresè habetur variis textibus juris apud Layman cit. *c. 7. num. 11.* Et in proposito primo modo, ut supponitur, nullus adest consensus, secundo autem modo adest quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem consensus conditionatus de futuro, sed cum conditione impossibili vel turpi: eóque ipso nullus & minimè obligatorius; cùm implicet nasci obligationem ad aliquid turpe vel inhonestum: ergo nec tunc subsistit matrimonium, nisi post impletam conditionem turpem: sicque rursus non habetur pro non adjecta.

338 II. Ecclesia tamen & Pontifex cit. *c. Finali* definiunt, conditiones illas turpes vel impossibiles substantiæ matrimonii non repugnantes, in favorem ejusdem matrimonii haberi pro non adjectis præsumptivè & regulariter pro foro maximè externo; cùm enim in foro maximè externo regulariter nesciatur intentio contrahentiũ. an scilicèt contrahens adhibuerit illam conditionem turpem vel impossibilem sine animo contrahendi, vel joco ostendente animum alienum à contrahendo; an verò potiùs cum vero animo contrahendi solùm adjicerit per merum jocum, facetiam vel ignorantiam; Ecclesia præsumit hoc posteriùs, quod est in favorem valoris matrimonii, & consequenter validum pronuntiat tale matrimonium, & conditionem illam turpem vel impossibilem habet, quasi non adjecta fuisset. Ita DD. satis communiter, Coninck *disp. 29. num. 42.* asiisque citatis Perez *disp. 16. §. 5. num. 8.* Hurtad. *disp. 7. diff. 10.* Tambur. *tract. 4. c. 5. §. 5. num. 78.* Etsi contra longè communiorem. An verò hæc præsumptio etiam in sponsalibus locum habeat, dictum est suo loco negativè.

339 III. Layman. autem cit. *c. 7. num. 11.* subtiliùs & magis decorè sic explicat: favorem hunc in eo consistere, quòd in dubio: an conditio turpis vel impossibilis adjecta sit tanquam conditio propriè dicta & suspensiva actûs (quæ à principio statim vitiat contractum, ut dictum.) an verò tanquam modus non suspensivus: id posterius præsumi debeat, ut proindè matrimonium statim validum censeatur, conditio autem non habeatur tanquam non adjecta. In hoc enim modus differt à conditione propriè dicta & suspensiva actûs, quòd modus adjectus contractui, eum non suspendat, sed statim valeat contractus, attamen cum tali modo vel onere implendo ab alio: ut si dicas: duco te, si prius fidem neges: est conditio propriè dicta & suspensiva actûs usque ad eventum conditionis; si verò dicas: duco te, ut tamen è ad veram fidem convertas: est modus non suspensivus; statim enim valet matrimonium, tamen cum onere sponsæ, ut oportunè se convertat. Nunc autem modus impossibilis sive secundùm naturam, sive secundùm mores, seu turpis adjectus contractui, non vitiat illum, sed pro non adjecto habetur. Ut si dicas: dono vel lego tibi equum, ut cœlum tangas, ut hæreticus fias, &c. Ut ex communi docet Molina, aliisque citatis Sanchez *l. 5. disp. 19.* qui modus mihi valde placet.

340 IV. Dicta autem regula: quòd conditio impropriè dicta seu modus non suspensivus, si impossibilis vel turpis sit, pro non adjecto habendus sit, limitari debet ex citato jure, *c. Finali De condition. appos.* Nisi ejusmodi turpis vel impossibilis modus seu conditio repugnet substantiæ matrimonii (vel alterius contractus) ut in exemplis à Pontifice allatis: duco te, si generationem prolis evites; si te adulterandam exponas. Hæ enim formulæ non significant conditionem propriè dictam & suspensivam matrimonii, usque dum ista fiant (certè ante matrimonium contractum non poterit se prostituere adulterandam, nec generationem prolis evitare) sed significant modum, quem contrahens post matrimonium contractum observari velit, ut ex *Molina* benè notant Layman cit. num. 11. §. 9. & Herincx *hic disp. 3. quæst. 5, num. 36.* Et de his seorsim sit

§. IV.

Conditio turpis repugnans substantiæ Matrimonii.

341 I. Si ergò talis conditio vel potiùs modus repugnans substantiæ matrimonii, ejúsve triplici bono quoad ipsam obligationem, adjiciatur matrimonio: Ut si dicas: Te duco, si in te non transferam dominium mei corporis ad usum conjugalem: aut (ut pulchrè specificavit Pontifex in textu allegato. *c. Finali §. præcedenti in initio cit.*) contraho tecum: si generationem prolis evites: repugnans bono prolis: vel donec inveniam aliam ditiorem, &c. Ecce repugnans bono Sacramenti, scilicèt perpetuitati & indissolubilitati: vel si pro quæstu adulterandam te tradas: Ecce repugnans bono fidei conjugalis. Tale matrimonium, quantumvis hoc alioquin favorabile sit, vitiatum ac nullum definivit Pontifex l. c. non tanquam novum jus condens, sed quod est de jure naturæ declarans; quia non potest matrimonium subsistere sine suis essentialibus: & quia id commune est omnibus contractibus, dum contrahens inter contrahendum vult obligare ad quidquam repugnans ipsi substantiæ contractûs, satis significat se non habere animum verè celebrandi talem contractum: nam sine voluntate contractus non efficitur. Dixi autem notantissimè: *Quoad ipsam obligationem.* Nam notandum per maximè

342 II. Bona illa matrimonii, fidei, prolis, & Sacramenti possunt spectari dupliciter: 1. quoad obligationem velut in radice & actu primo: 2. quoad actum secundum seu executionem. Sumpta quoad obligationem seu actum primum seu ipsam obligationem mutuam servandi fidem tori, jus debiti, & perpetuam societatem sunt vel ipsa substantia matrimonii, si sumatur matrimonium & vinculum: aut si matrimonium accipiatur pro actuali contractu & Sacramento, sunt velut proprietates inseparabiles & effectus matrimonii. At verò eadem tria bona quoad actum secundum & executionem (scilicèt actualis observatio fidei, redditio debiti, perpetua societas, non sunt utique de substantia matrimonii, sed omninò separabilia, & sæpè

sæpè separantur, nec ea separatio potest obesse ejus valori. Si ergò contractui matrimonii apponas conditionem seu modum sic, ut ipsam prædictam aliquam obligationem excludas, irritum reddis matrimonium, ob rationem datam; si verò solùm excludas actum secundum seu actualem observationem talis obligationis, obligatione retentâ, nihil officies valori matrimonii. Exemplis cape: Validè contrahis matrimonium cum expressa intentione sæpè adulterandi, aut uxorem pro quæstu prostituendi, aut à conjuge sine justa causa te separandi, aut aliam, ea vivente, priori scilicet, ducendi, generationem prolis impediendi, abortum procurandi, natam prolem enecandi, &c. Quia in his & similibus solùm excludis dicta bona matrimonii quoad actum secundum. At contrà invalidè contrahis matrimonium, si talia, talémque pessimam voluntatem tuam in ipsum pactum matrimonii deducas, ac ea conditione modo ac pacto velis contrahere matrimonium, ut talia fiant, ac velut fieri fas sit; sic enim ipsam obligationem substantialem matrimonii excludis ejúsque essentiam evertis. Hinc rectè resolvit Layman cit. *c. 7. num. 9.* Calviniſtam credentem, ob conjugis adulterium fas esse matrimonium dissolvere, si contrahat ea intentione, si uxor v. g. fidem matrimonii violaverit, eâ repudiatâ aliam ducendi; quia hæc impia & hæretica intentio in pactum non deducitur, illud matrimonium nihilominùs validum & indissolubile esse: secùs utique, si id etiam in pactum deduceretur.

343 III. Omnes unanimiter consentiunt conditiones ita repugnantes bono fidei & Sacramenti in exemplis allatis & similibus adjectas matrimonio, illud vitiare & irritum reddere. At verò quoad bonum prolis non ita consentiunt, sed aliqui sic distinguunt: Matrimonium certò irritari, quando ei opponitur pactum vel conditio evitandi generationem modo positivo & illicito; ut, si deberet evitari generatio per media sumpta procurando sterilitatem, aut abortum fœtûs concepti, nunquam immittendo semen intra vas, necando vel non educando prolem susceptam, &c. Hæc enim positivè repugnant bono prolis: At verò non irritari, quandò apponitur eadem conditio evitandi generationem prolis negativè tantùm & licitò modo: utpotè nunquam matrimonio utendo quod utique est licitum. Ita expressè Perez *disp. 16. sect. 7.* & re ipsa *Paludanus, Vasquez, Rebel, Coninck, Hurtad.* apud eundem *Perez*, Tambur. *hic tract. 4. c. 5. §. 8* absolutè docentes validè contrahi matrimonium cum conditione honesta, videlicet ut neuter ab altero debitum petat sed continentiam perpetuam servet aut voveat aut Religionem ingrediatur: & dant bonas rationes: 1. quia essentia matrimonii consistit in mutuo dominio corporum in usum generationis, cum quo dominio consistere potest obligatio non utendi corpore ad hunc finem; cùm jus utendi sit separabile à domino directo. 2. Conjuges non sunt absolutè obligati ad usum conjugii, nisi sub conditione: nisi Religionem ingredi nolint: ergò jus utendi matrimonio, obligatióque reddendi debitũ non est de substantia illius. 3. Conjuges, permanente substantia, substantialique vinculo matrimonii, possunt abdicare jus utendi matrimonio per votum continentiæ mutuo consensu editum: ergò idem possunt facere in ipso matrimonii contractu. 4. Principaliter hæc Sententia planissimè ad cujuscunque captum explicat & salvat quo pacto Beatissima Virgo, etsi voto castitatis adstricta & ab omni cogitatione de usu matrimonii alienissima potuerit tamen contrahere matrimonium & effici verissima sponsa & uxor virginei sponsi ac mariti Josephi. Ut etiam observat Gobat cas. *13. num. 267.* nihil tamen audens definire: Neque ego audeo, sed maneo in distinctione data *N. II.* & dico porrò,

344 IV. Valet sine dubio matrimonium, si quis contrahat cum intentione, eo nunquam utendi petendo aut reddendo; cùm de essentia contractûs matrimonii non sit consensus in usum & copulam ipsam, sed in jus & obligationem tantùm, ut supra dictum. Non autem valet matrimonium, si ei conditio vel pactum apponatur, quo jus & potestas matrimonii, ad ejus usum impeditur vel tollitur: v. g. accipio te eo pacto, ut in perpetuâ continentia vivamus; ut nunquàm à me conjugii debitum petas; vel, ut tibi exigenti reddere non teneàr, &c. Ita communis DD. cum D. Thoma *in 4. disp. 28. quæst. unicâ art. 4. ad 3.* D. Bovent. *ibidem quæst. ultimâ. Richard. Adrian.* aliisque congestis Sanchez *l. 5. disp. 11.* Layman cit. *num. 9.* Ratio est; quia talis conditio vel pactio quantumvis honesta & sancta revera tamen repugnat substantiæ matrimonii, cùm substantia matrimonii, quàm maximè consistat in jure utendi, & obligatione præstandi corpus conjugi ad usum conjugalem: atqui hoc jus ac obligatio tollitur dictis pactis seu conditionibus. Neque urgent rationes oppositæ piæ Sententiæ, Ad primam respondetur: Licèt in rebus plerisq; separari possit dominium directum à jure utendi vel fruendi tali re; at nihil simile est in matrimonio, sed totum dominium reale, quod per matrimonium acquiritur in corpora, nihil aliud est, quàm illud ipsum jus utendi corpore conjugis ad usum generationis; ergò non separabis idem à se ipso. Ad *2. &.* negando consequentiam; quia per matrimonium absolutè omninò contrahitur obligatio carnalis conjunctionis ac debiti reddendi non obstante conditione, quæ ei de jure inest, puta: *nisi Religionem profiteri malit*: aut: *nisi fidem datam adulterio viones.* Nec est in contrahentium potestate adjicere alias pro libitu. Ad 3. negatur iterum consequentia, quia id commune est omni contractui, ut apponi non possit ipsi contractui aliquid ejus substantiæ seu naturæ repugnans, licèt posteà poni possit per modum novi contractûs aliquid tale priori ex parte repugnans. Ut

bene

Universidad de Deusto
Biblioteca

bene docet Sanchez *l. 5. disp. 19. num. 5. & 12.* ita & matrimonio à principio apponi non potest conditio ejus substantiæ repugnans; quia sic fieret contractus essentialiter, & non fieret; potest tamen postea apponi per novam pactionem aliquid honestum matrimonii contractui ex parte repugnans, utpotè mutua pactio continendi ad tempus, vel in perpetuum, permanente interim vinculo matrimonii quoad alia, ut potè mutuam cohabitationem, prolem jam susceptam educandam, fidem servandam, ut cum alia persona carnalis copula non habeatur. Ut rectè Layman *num. 9.* Ad 4. R. Etiam seclusâ illâ Sententiâ planè & optimè salvari Sacratissimum Matrimonium Matris JESU MARIÆ & JOSEPHI prima parte nostri dicti; consensit enim Beatissima Virgo in traditionem corporis sui quoad potestatem, obligationem & actum primum: adeóque quantum erat ex parte contractus matrimonialis, omninò obligata fuit Josepho ad reddendum debitum conjugale, si ipse exigeret; eóque ipso illa confusè & indirectè consenserat in copulam, si exigeretur: quod omninò sufficiens erat ad plenam essentiam contractûs matrimonialis. Nunquàm autem consensit in ipsam copulam directè & simpliciter, quippe & voto Castitatis adstricta, & certâ Dei revelatione edocta, Josephum ejus debitum nunquàm exácturum, sed suam virginitatem certò & tutè conservatum iri. Ideò enim ex Angelo tantæ Prolis conceptionem annuntiante quæsivit: *quomodò fiet illud, quoniam virum non cognosco.* Quare Castissima Virgo à voti sui violatione secura, volente & præcipiente Deo, in conjugium consensit, sed in ejus actualem usum simpliciter & directè consensit nunquàm. Quâ de re Gratianus *toto C. Beata. 27. quæst. 2.* Magister *in 4. d. 30. & ibidem D. Thomas, Scotus, Durandus, Henriqu.* alii ac latè & optimè Suarez, *part. 3. tomo 2. disp. 7. sect. 1.* Vasquez. *part. 3. tomo 2. disp. 127. c. 6. num. 8.* Perez *disp. 13. sect. 8.*

374. *Necesse non est, ut adsit voluntariè;*
375. *Aut ad id vocati, vel rogati, modo intelligant, quid agatur.*
377. *Tres denuntiationes præmittendæ sunt,*
378. *Ex præcepto tantùm.*
379. *Conscius alicujus impedimenti inter sponsos tenetur illud manifestare sub mortali per se loquendo.*
380. *Qualiter & cui id intimandum?*
382. *Solvitur casus.*
383. *Effectus hujus Sacramenti est gratia sanctificans.*
384. *Et triplex bonum essentiale Matrimonii, Fidei, Proli & indissolubilitatis.*

SECTIO IV.

De Matrimonio rato ut Sacramentum est ejùsque solemnitate & indissolubilitate.

SUMMARIUM.

346. *Matrimonium ut Sacramentum quid?*
350. *Materia ejus sunt corpora, & forma verba contrahentium.*
354. *Ministri sunt ipsimet contrahentes.*
356. *An ratio Sacramenti valide possit separari à contractu à fidelibus?*
358. *Ad valorem requiritur assistentia Parochi, & duorum vel trium testium.*
359. *Quales Parochus requiratur?*
360. *An hic intelligatur:*
363. *Quis alius de licentia Parochi assistere possit?*
365. *Quæ licentia ad id sufficiat?*
366. *An etiam per vim vel metum exorta?*
367. *Licentia Parochi etiam necessaria est Confessario pro copulando moribundo.*
368. *Quales requirantur testes? &*
373. *Qualis præsentia Parochi & testium?*

ASSERTIO.

MAtrimonium in lege nova inter fideles seu baptizatos est Sacramentum à Christo institutum. Materia sunt corpora conjugum mutuò tradenda. Forma sunt verba contrahentium consensum legitimum exprimentia. Ministri proprie sunt ipsi contrahentes. Solemnitas jure novo requisita ad valorem est præsentia Parochi proprii, & duorum vel trium testium præmissis de præcepto tribus denuntiationibus. Effectus est gratia sanctificans, & triplex bonum essentiale, scilicèt fidei, prolis, & Sacramenti indissolubilitatis. Est tota partim certa de fide, partim Communis DD. ut patebit. 345

§. I.

Est Sacramentum à Christo institutum.

CErtum de fide. Definitum in variis Concilis, & novissimè in Tridentino sess. 4. can. 1. *Si quis dixerit matrimonium non esse verè ac propriè unum ex septem Sacramentis Legis Evangelicæ à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum: neque gratiam conferre: anathema sit.* Et quamvis (ut varii contendunt) id claro Scripturæ textu convinci non posset, sufficere omninò debet traditio Ecclesiæ, de qua testatur Tridentinum *ibidem c. 1.* dicens: *Cùm igitur matrimonium Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, meritò inter nova Legis Sacramenta enumerandi, Sancti Patres Nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.* Sic Concilium addens, id innuere Apostolum mox citandum. 346

Probatur communiter. 1. Ex Apostolo *ad Ephes. 5.* Ubi cum dixisset: *viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Mox subjungit de matrimonio: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Hæc Apostolus. Cùm igitur Christus instituerit, ut per matrimonium propter unionem & mutuam conjugum dilectionem significaretur spiritualis unio, & dilectio, quæ est inter Christum & Ecclesiam convenienter sequitur, etiam eum instituisse, ut matrimonium contrahentibus spiritualis gratia conferatur, sine qua recta & debita animorum conjunctio consistere nequit. 2. Christus etiam *Matth. 5. & 19.* matrimonium ad primævam originem revocans, unius cum una perpetuum & indissolubile corporum ac animorum vinculum præcepit, repetens verba *Genes. 2. Erunt duo in carne una: quod*

quod Deus conjunxit, homo non separet. Esset autem jugum in nova lege (semper persistendi cum conjuge etiam sterili, morbida, &c.) valdè grave, nisi idem Christus Dominus gratiæ promissionem annexuisset ad onera matrimonii sustinenda, mutuum amorem fovendum, concupiscentiæ fomitem mitigandum, liberos in culti Dei educandos, &c. 3. Apostolus *1. ad Corinth. 7.* permittit in certo casu dissolutionem matrimonii fidelis cum infideli; ut infrà patebit. Sed fidelibus ita loquitur: *Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit* (ex quacunque causa) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Hujus autem discriminis causa assignari non posse videtur, nisi quòd matrimonium fidelium ratione Sacramenti majorem ex Christi institutione firmitatem obtineat. 4. Accedit consensus antiquorum Sanctorum Patrum apud *Bellarmin. Layman*, alios passim. At, quandónam Christus hoc Sacramentum instituit, seu quando matrimonii contractum elevavit ad dignitatem Sacramenti? R. cum Scoto *in 4. d. 26. num. 13. Sanchez* hic, & aliis communiùs: id verisimiliùs fecisse tunc, quando dixit *Matth. 19. Quòd Deus conjunxit, homo non separet.* Quia ibi Christus renovat matrimonii indissolubilitatem, ideoque congruebat, ut simul adderet rationem Sacramenti. Certè in Evangelio locus opportunior non reperitur. Nunc aliqui termini explicandi sunt.

347 I. Dixi: *in lege nova*: etsi enim matrimonium ex prima sui institutione per formationem unius viraginis Evæ de corpore Adami, cui à Deo desponsata fuit, figura fuerit & sacrum signum Verbi Incarnati, ipsique desponsatæ Ecclesiæ unius Sanctæ, ut significatur *c. Gaudemus de divortio.* non tamen fuit signum efficax gratiæ sanctificantis ex opere operato, adeóque neque Sacramentum propriè dictum: juxta communissimam Sententiam DD. ac Sanctorum Patrum. Nam *gratia & veritas per JESUM Christum facta est*, Joann. 1. Et supra dixit Tridentinum. *Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratiâ præstare.* Et Concilium Florentinum, matrimoniũ numerans inter Sacramenta novæ Legis docet, hæc differre à veteribus, quòd vetera non conferant gratiam.

348 II. Dixi: *inter fideles*, quod etiam notavit D. Augustin. *de fide & operibus c. 7.* dicens: *In civitate Domini in monte sancto ejus, in Ecclesia nuptiarum non solùm vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.* Ratio est; quia infideles non baptizati, qui fidem Christi per Baptismum professi non sunt, nullius omninò Sacramenti capaces esse possunt. Sed dubitatur: an, si fideles per dispensationem cum infideli v. g. catechumena contrahat matrimonium, adhuc sit sacramentum ex parte fidelis? Negant *Henriqu. Angles. Sanchez*, alii communiter cum Layman *tract. 10. part. 2. c. 2.* & certum putat Castro-Palaus *disp. 2. punct. 2. hic*; eò quòd contractus matrimonii inter virum & fœminam unicus sit, & unum Sacramentum, significans unam conjunctionem Christi cum Ecclesia, ideóque utraq; persona sacramenti particeps esse debeat; quemadmodum & utraque persona ad contrahendum habilis esse debet. Affirmant autem *Sotus, Cajetanus, Euckius, Aversa*: eósque sequens Herinx *disp. 2. quæst. 2. num. 14.* eo quòd adhuc sit verus contractus matrimonii subjectatus in persona capaci sacramenti & gratiæ. 349

III. Dixi: matrimonium novæ Legis inter fideles esse sacramentum *indistinctè*, adeóque etiam matrimonium contractum inter absentes per Procuratorem vel epistolam: juxta communem DD. apud citatos (contra *Cajetanum, Sylvestrum*, alios citt.) Ratio est; quia secundùm Conciliorum indefinitam doctrinam, Christus matrimonium fidelium evexit ad dignitatem Sacramenti: matrimonium autem initum per Procuratorem vel epistolam inter absentes, sicut & inter præsentes per nutus vel signa, est verum matrimonium: nec est apparens aliqua ratio, ob quam sit excipiendum à doctrina indefinita Conciliorum. Ais: Ergóne tunc absenti etiam dormienti confertur effectus Sacramenti? R. Omninò, si non adsit obex; sicut sensibus destituto confertur effectus extremæ unctionis. Unde debet contrahens conari, ut sit in statu gratiæ pro tempore, quo prudenter putat perficiendum fore contractum & Sacramentum cum absente: quòd si negligat, ex tunc peccabit ratione periculi, cui Sacramentum quod suum effectum exponit. Ut præter alios benè notat Herinx cit. *num. 15. in fine.*

IV. Molestior quæstio: an in matrimonio fidelium ratio Sacramenti possit validè separari vel excludi à contractu per intentionem contrahentium? commodiùs expedietur §. *3. cùm de ministris.*

§. II.

Materia sunt corpora mutuò tradenda, forma sunt verba contrahentium consensum legitimum exprimentia.

I. ITa communiter & probabilior Sententia 350
DD. S. *Antoninus, Paludan, Sotus, Adrian. Covarruv. Vasqu.* eosque sequens Layman. *c. 2. num. 3.* Basil. *Pontius*, aliisque citatis Herincx *disp. 2. quæst. 3. tract. ultimo, num. 21.* Ratio est; quia Christus contractui matrimonii naturâ suâ invariabili solùm addidit dignitatem Sacramenti: ergo materia Sacramenti hujus meritò censetur eadem, quæ materia contractûs: sed contractûs matrimonialis materia utique sunt corpora contrahentium mutuò tradenda, (sicut materia cujuslibet contractûs dicitur illa res, de qua contractus constituitur.) Forma autem contractûs hujus est consensus sensibiliter expressus: ergò, &c. Deinde negari non potest, quòd conjuges mutua unione copulati sunt externum sacrum symbolum spiritualis perpetuæ conjunctionis inter

Universidad de Deusto
Biblioteca

inter Christum & Ecclesiam : ergo sunt pars Sacramenti, & utique materialis. Verba autem, quibus hæc ipsa maris & fœminæ conjunctio expressè significatur, & inducitur, sunt pars Sacramenti formalis. Nec obstat, quòd corpora contrahentium non sint materia, *ex qua* compositionis seu pars ipsius contractûs matrimonialis ac Sacramentalis, sed solùm materia *circa quam* versetur contractûs ; siquidem eadem corpora, superveniente verborum conventione, mox incipiunt esse ; & permanent sacrum materiale symbolum & gratiæ sanctificantis in fieri, & spiritualis conjunctionis Christi & Ecclesiæ in fieri & facto esse semper : quemadmodum in artefactis lignum v. g. est materia circa quam artis fabrilis ; inductâ autem forma statuæ v. g. incipit esse, & permanet materia *ex qua*. Declaro amplius.

351 II. Matrimonium ergò est Sacramentum non tantùm in fieri, seu cum fit, (sicut Baptismus, Confirmatio &c. quæ in actione transeunte consistunt) sed etiam est Sacramentum in facto esse, seu factum permanens, sicut Eucharistia : ac propterea sicut Sacramentum Eucharistiæ in fieri præter formam consecrationis non habet materiam ex qua, sed tantùm materiam *circa quam*, panem & vinum, quorum species virtute consecrationis permanentes & Christum continentes, fiunt & permanent materia *ex qua* Sacramenti Eucharistiæ, & materiale symbolum refectionis spiritualis, ita in Sacramento matrimonii, quatenùs est in fieri, non est opus assignare materiam *ex qua* compositionis, sed corpora contrahentium, quæ tunc sunt materia *circa quam* contractûs ex vi verborum conventionis mutuæ, in contractu matrimoniali mox fiunt, & permanent materia *ex qua* Sacramenti, & sacrum materiale symbolum, & gratiæ sanctificantis in fieri, & conjunctionis Christi cum Ecclesia in fieri, & facto esse : & accedente copula matrimoniali, etiam unius Verbi Divini cum natura humana. Ut alibi notatum. Utrum autem Sacramentum matrimonii simpliciter debeat dici Sacramentum in fieri, vel in facto esse? Quæstio esset de nomine : Placet distinguere : Quatenus præcisè est signum practicum efficax gratiæ sanctificantis matrimonialis, est Sacramentum in fieri : quatenùs verò simul est Sacramentum mysticum seu sacrum signum conjunctionis spiritualis Christi cum Ecclesia aut Verbi Divini cum natura humana, est Sacramentum in facto esse ac permanens.

352 III. Nec obstat, quod in aliis Sacramentis materia Sacramenti distinguatur à ministro & suscipiente ; nam & in aliis Sacramentis Minister & suscipiens distinguuntur ; non sic necessariò in matrimonio : Et ratio est ; quia cùm matrimonii Sacramentum fundatum sit in contractu humano naturali, mirum non est, habere multa specialia ; quæ in aliis Sacramentis non reperiuntur : & quia contractus ille matrimonii fit à viro & fœmina per mutuum traditionem suorum propriorum corporum, minimè debet esse inconveniens, quòd sub diverso respectu sint suscipientes, & ministri, & Materia Sacramenti. Ministri sunt, quatenùs verbis expressis dant inter se mutuam corporum potestatem. Suscipientes Sacramentum sunt, quatenùs potestatem inter se acceptant, & accipiunt. Materia denique circa quam sunt corpora mutuò tradenda & acceptanda : eoque ipso rectè dicenda materia Sacramenti *ex qua*, quatenùs accedente consensu mutuo per verba expressa Sacramentum matrimonii componunt.

353 IV. Hic modus explicandi hoc Sacramentum tanquam cæteris expeditior mihi semper placuit : & certè nulla alia ratione meliùs & expeditiùs explicari potest materia & forma matrimonii inter tot sententias DD. conantium assignari materiam & formam hujus Sacramenti in fieri. Decem numerat Aversa *sect. 9. quæst. 3.* Sex autem Sanchez *l. 2. disp. 5. num. 6.* hanc approbans : verba scilicèt contrahentium esse sibi invicem materiam & formam : Materia sunt, quatenùs exprimunt consensum mutuæ traditionis corporum : forma autem sunt eadem verba, quatenùs exprimunt consensum mutuæ acceptationis eorundem corporum traditorum ; traditio enim per illa signa vel verba expressa & sensibilis facta, cùm sit inchoatus & imperfectus adhuc contractus, habet se per modum materiæ determinabilis & perfectibilis : Acceptatio autem similiter facta sensibiils per verba, habet se ut forma perficiens & complens contractum. Sic *Sotus, Angles, Rodriqu. Bellarmin. Suarez, Coninck*, alii cum *Sanchez. l. c.* & sequuntur Tambur. *tract. 5. c. 1. in fine.* Gobat. *cas. 10. num. 292.* & sibi non displicere fatetur Layman cit. *n. 4.* Neque mihi omninò displicet, si modo capere possem. 1. Quomodò sic salvetur dictum universale Concilii Florentini ? *Sacramenta constare rebus velut materia, & verbis velut forma.* 2. Certè in aliis contractibus traditio non dicitur materia, & acceptatio forma. 3. Sic ad summum esset distinctio rationis inter materiam & formam hujus Sacramenti, cùm mutua traditio re ipsa sit mutua acceptatio, & eo ipso, i isdémque verbis, quibus significat quis se tradere corpus suum alteri, etiam significat se acceptare traditionem mutuam alterius ; sicut econtra eo ipso quo alter significat se acceptare corpus alterius, etiam significat se vicissim tradere suum corpus. 4. Denique vix potest intelligi, nedum esse, mutua traditio sine mutua acceptatione : & utrumque æquè primò constituit essentiam matrimonii : quomodò ergò unum sit materia respectu alterius, alterum forma in composito per accidens & artificiali? Fateor me non satis capere : vide, an capias tu.

§. III.

§. III.

Ministri proprii sunt ipsi contrahentes.

354 I. EST jam certa & communissima Sententia DD. cum Sanchez *l. 2. disp. 6.* Bellarmino *l. 1. De Matrimon. c. 6. & sequentibus* : temerarium censente contrariam sententiam : *Melchioris Cani, Estii, Sylvestri.* & quorundam aliorum existimantium, Ministrum esse Sacerdotem, & ejusdem verba formam ; verba autem contrahentium esse materiam (Qui proindè sine Ministro Sacerdote contrahentes conficiant contractum civilem tantùm, & non Sacramentum Matrimonii.) Ratio à priori est ; quia Christus instituit hoc Sacramentum juxtà naturam ipsius contractûs, addiditque rationem Sacramenti ipsi naturali contractui matrimonii : & Concilia absolutè definientia matrimonium esse Sacramentum, non plus requirunt ad substantiam Sacramenti, quàm requiratur ad veritatem contractûs matrimonii : & specialiter Concilium Florentinum in Decreto unionis singulis Sacramentis essentiam & Ministrum accuratè assignans, cùm dixisset : *septimum est Sacramentum Matrimonii* : Subdit : *Causa efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* in quo totam essentiam & ministerium ponit : ergò idem debet esse Minister Sacramenti Matrimonii, qui est Minister seu causa efficiens contractûs : atqui Ministri, qui efficiunt contractum, sine dubio sunt ipsi contrahentes, seu qui contrahunt, & obligationem in se mutuam suscipiunt : ergò iidem quoque sunt Ministri Sacramenti : & certè ille est Minister cujuslibet Sacramenti, qui profert verborum formam, quibus Sacramentum conficitur : atqui ipsi contrahentes proferunt (sive immediate per se, sive mediatè per Procuratorem, &c.) verborum formam, ut suprà ostensum : ergò illi tantum sunt Ministri proprii hujus Sacramenti. Parochus ergò seu Sacerdos assistens cum testibus, etsi impropriè & accidentaliter Minister doci possit, quatenus confirmat, ratámque habet illam contrahentium traditionem & acceptationem (quo sensu ex præscripto Concilii Tridentini dicit : *Ego vos conjungo, &c.* id est : Ego vos conjunctos declaro, confirmo, benedico nomine & Authoritate Ecclesiæ, &c.) Attamen simpliciter & propriè minister Sacramenti nullo modo dici potest ; nam & olim matrimonia sine Parocho contracta fuerunt valida : ut omnes fatentur : & adhuc modò sunt valida in locis, ubi non est receptum Concilium Tridentinum, vel in locis hæreticorum, in quibus nullus est Parochus, vel non datur ad eum tutus accessus ; non potest autem confici Sacramentum sine suo proprio Ministro. Ejus ergò, sicut & testium præsentia & assistentia solùm requiritur tanquam conditio necessaria ad valorem Sacramenti : neque is profert formam necessariam Sacramenti ; sed etiamsi nihil omninò diceret, imò etsi positivè contradiceret, adhuc validum foret matrimonium : ut patebit. Neque requiritur in eo aliqua intentio, nec status gratiæ ad assistendum.

355 II. Nec obstat, vel absurdum videri debet, quòd hoc Sacramentum ob specialem rationem contractûs exigat duplicem Ministrum partialem ; & Laicos & fœminas esse Ministros hujus Sacramenti, idque absque alia cæremonia sacra ; sicut non est absurdum contractum Matrimonii à Christo esse elevatum ad dignitatem Sacramenti ; & sic elevatus, à Christo, & debita intentione celebratus, nam & ipse est cæremonia Sacra. At, inquis, si contrahentes sunt Ministri, debebunt habere intentionē non solùm contrahendi matrimonium, sed etiam conficiendi Sacramentum : hanc plerique non habent, quia de hoc nihil sciunt, vel certè non cogitant : ergo, &c. ℟. Illos sufficienter habere hanc intentionem virtualem, saltem implicitam & confusam dum volunt matrimonium inire more Christiano, seu facere, quod fideles faciunt ; quod omninò sufficit, sicut & in aliis Sacramentis : Si tamen alicui de esset intentio sufficiens ad confectionem Sacramenti certè non subsisteret Sacramentum : An verò adhuc tunc subsisteret matrimonium in ratione contractûs, mox audies inferius. Ais iterum : Si contrahentes sunt ministri simul & suscipientes hujus Sacramenti : ergò si in statu peccati mortalis contrahant, bis peccabunt mortaliter, imò ter, si alteri quoque existenti in mortali hoc Sacramentum ministret. ℟. Fortè sic ; Nam 1. certum est, peccare mortaliter ex eo, quòd in malo statu suscipiant, cùm matrimonium sit Sacramentum vivorum ; omne autem Sacramentum vivorum præsupponat statum gratiæ, quæ ipsa est vita spiritualis animæ. 2. *Navarrus*, certè & alii apud *Sanchez*, citatum putant, etiam peccare mortaliter ex eo, quòd indignè ministrent, quippè qui conficiant, & conferant hoc Sacramentum ex officio, & ad hoc deputati. Sed hoc negat communis DD. cum Sanchez *l. 2. disp. 6. num. 4.* & nos alibi. Quia conjuges, etsi sint ministri ad hoc deputati, non tamen sunt ministri specialiter consecrati ad hoc Sacramentum administrandum ; etsi fatendum sit, opinionem Navarri esse admodùm probabilem. 3. Etiam scienter alteri indigno ministrans, si ejus peccatum facilè impedire posset, peccare, sine causa cooperando peccato alterius. Res nota est ex materia de Charitate & scandalo. Tandem ex hoc ipso, quòd contrahentes sint ministri hujus Sacramenti.

356 III. Hìc incidit quæstio difficilis : An inter fideles per intentionem contrahentium possit ratio Sacramenti validè separari à contractu matrimonii, sic, ut fidelis possit validè inire matrimonium solùm ut contractum, non verò ut Sacramentum est ? Duæ sunt oppositæ sententiæ gravissimorum utrinque DD. Prima sententia simpliciter negat : Ita *Suarez, Coninck*, & plurimis congestis Sanchez *l. 2. disp. 10.* Tanner. *disp. 8. quæst. 5. dub. 5.* Layman. *tr. 10. part. 2. c. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

num. 2. Lugo. *disp. 14. De Pœnitent. num. 42.* Bonacina *quæst 2. De Matrimon. Propos. 5.* Basil. Pontius *l. 1. c. 9. num. 3.* & mordicus Aversa *hic. quæst. 1. Sect. 5.* dicens: *decere constans esse quòd non.* Ratio (an potiùs conjectura) datur. Quòd Christus Dominus ita contractui connexuerit rationem Sacramenti, ut, quàmvis positio contractûs pendeat à voluntate fidelium, eo tamen posito, non pendeat à voluntate fidelium ratio Sacramenti, sed eo ipso, quòd contractus ejusmodi legitimè ponatur, statim ex Christi institutione ei adhæret ratio Sacramenti. Quare infert Layman: *Quicunque ex baptizatis verè matrimonium contrahere volunt, etiam virtualiter Sacramentum accipere volunt, contra verò, si nollent, absolutè loquendo. Sacramentum suscipere, consequens esset, ut neque matrimonium contrahere intenderunt: ideóque contractus irritus esset. Ut Sanchez notavit cit. Dico: Si absolutè nolent. Propter hæreticos, qui nolunt suscipere Sacramentum ex hypothesi erroris speculativi, quo falsò existimant, non esse Sacramentum; interim volentes matrimonium contrahere, sicut fideles solent, & in Ecclesia Christi consuetum est.* Hæc Layman sapienter. Huic sententiæ libens accederem, si firmiori rationi inniteretur. Altera sententia affirmat simpliciter, id validè fieri posse, etsi minimè licitè. Ita *Durand. Victoria, Cajetanus, Vasqu. Rebellus,* aliisque congestis Perez *Disp. 19. Sect. 10.* fusè Hurtad. *Disp. 3. De Matrimon. diff. 10.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 255.* Dicastil. *dub. 19. disp. 2.* Tambur. *tract. 5. c. 1. num. 6.* & probabiliorem censent Herincx *disp. 2. quæst. 2. num. 17.* cum Gobat *tract. 9. cas. 11. num. 228.* Ratio solidior est, quia illa inseparabilitas nullo solido fundamento nititur; mutatio enim non præsumitur, sed probari debet; esse autem valdè à Christo mutatus contractus matrimonii, si in veteri Lege potuit validè celebrari sine Sacramento, in novo autem Lege non posset: Neque Christus sua institutione annullavit contractum alias validum, sed ei in natura sua invariato solum addidit dignitatem Sacramenti: Cum ergò cujuscunque Sacramenti confectio pendeat ab intentione ministri volentis illud conficere: sicut posset quis (etsi illicitè) abluere puerum & formam Baptismi proferre, nolens tamen illum defacto baptizare: quo casu certè nullum Sacramentum conficeretur: ita sanè poterit quis velle contractum matrimonii inire simpliciter validum eo modo, quo olim Abraham cum Sara, Cicero cum Terentia, & tamen nolle conficere vel accipere Sacramentum. Quo casu contractus civilis fuit validus, nullum tamen erit Sacramentum: atque testatur Pontius cit. id observari ab Inquisitoribus cum Christianis judaizantibus in Portugalia ac Lusitania, qui solent priùs secretò contrahere, ut posteà coram Parocho certiùs rationem Sacramenti excludant, quorum tamen sic contrahentium matrimonium nunquam invalidum judicat. Fateor hanc sententiam priori esse probabiliorem. Jam quoad praxim, & de facto.

IV. Certum est primò: Non posse licitè sic 357
separari à contractu matrimonii rationem Sacramenti à Christo instituti, sed peccare mortaliter fideles baptizatos, si velint matrimonium contrahere separando rationem Sacramenti: æquè ac si quis abluens infantem seriò proferret formam, nolens tamen conficere Sacramentum. Juxta communissimam DD. apud citt. Ratio est; quia utroque casu irritatur, & falsificatur actio Sacramentalis à Christo instituta. Et Christus contractum matrimonii elevans ad dignitatem Sacramenti sine dubio sic voluit matrimonium contrahi à fidelibus. Constat denique ex communi sensu, usúque fidelium, ipsiúsque Ecclesiæ, quæ idcircò in contractu requirit statum gratiæ. Certum est 2. Catholicos non separare; nam ex Catechismo norunt, matrimonium esse *Sacramentum*, & monentur à Parochis, ut se confessione præmissa præparent ad nuptias, tanquàm ad *Sacramentum* suscipiendum. 3. Certùm etiam videtur, plerumque non separare hæreticos, qui non credunt matrimonium esse Sacramentum, & proindè etiam dicunt, se nihil velle habere negotii cum Papistico *Sacramento* in suo matrimonio contrahendo. Nihilominùs tamen plerósque eorum re ipsa recipere *Sacramentum*, si nullum aliud impedimentum intervenerit, indicatur Layman modò supra, & cum aliis benè probat Perez *disp. 19. Sect. 3. num. 3.* & Gobat *cas. 11. & num. 234.* Ratio sumitur ex communi doctrina de Sacramentis in genere; quia error privatus, quo quis existimat, matrimonium non esse Sacramentum, & ideò intendit non facere Sacramentum, nihil planè obstat Sacramento, dummodò is habeat intentionem generalem faciendi eo modo, quo Christus instituit vel fieri voluit, quo vera Ecclesia, vel veri fideles faciunt &c. Atqui certum est, plerósque hæreticos, Lutheranos, Calvinistas, Zvvinglianos habere illam intentionem generalem, scilicèt contrahendi matrimonium more Christiano, quo Christus instituit, quo suos fideles contrahere voluit: ut experientia potuit in omnibus ad fidem Catholicam conversis; & palàm profitentur plerique interrogati: ergò re ipsâ, generali hac intentione prævalente privatæ erroneæ intentioni, non separant, sed verum Sacramentum conficiunt, & suscipiunt. 4. Probabilissimum tamen est; hæreticos etiam quandoque re ipsa separare: nam præter id, quod de Christianis judaizantibus Pontifex suprà, & Dicastillus testati sunt, certè nonnulli hæretici sunt ita profani, impii, & rerum divinarum contemptores, ut licèt scirent, Christum præcepisse, ut matrimonium non ineatur, nisi cum intentione Sacramenti, hoc tamen præceptum non curarent, sicut multa alia, & præsertim, si sibi persuaderent, rationem Sacramenti in matrimonio esse radicem indissolubilitatis, multi mallent fidem permutare, judaica superstitione, vel turcica impietate, quàm matrimonium contrahere indissolubiliter.

Quid ergò sentiendum de tali matrimonio cum exclusione Sacramenti contracto? Doctores primæ sententiæ dicent, matrimonium simpliciter esse nullum. At secundæ sententiæ Doctores concedent, esse contractum validum civilem, saltem si indissolubilitatem non excsudat. Sed de hoc iterum aliquid in Subjectione.

§. IV.

Solemnitas ad valorem requisita est assistentia Parochi & duorum vel trium Testium.

358 TExtus Concilii Tridentini annullantis matrimonia clandestina, & ad validè contrahendum requirentis præsentiam Parochi & Testium jam *Sect. 1. §. 5.* recitatus & explicatus est quoad necessitatem: Jam porrò explicandus quoad qualitates ejusdem Parochi & Testium.

I. Qualis Parochus requiritur?

359 PArochus assistens matrimonio valido debet esse proprius, vel utriusque, vel saltem unius sponsorum; adeòque quandò sponsus vel sponsa spectant ad diversas Parochias, poterunt contrahere in utralibet coram illius Parocho, secundum communissimam DD. & notam Declarationem Cardinalium. Quòd si Parochus sponsi v. g. assistat in Parochia sponsæ sine licentia illius Parochi valet quidem actus, ac matrimonium, secundùm communem DD. At ex Decreto Pii V. apud Tanner, *hic disp. 8. quæst. 3. num. 116.* puniendus est. Sicut & puniendus est (& secundùm Tannerum ibidem *num 120.* suspensionem incurrit Parochus, si utrumque sponsum suum Parochianum in aliena Parochia sine ejusdem Parochi licentia copulet. Attamen adhuc valere matrimonium, (contra Navar. nimis rigidè negantem cum quibusdam sequacibus) rectè affirmat communis DD. *Henriqu. Rodriqu.* aliisq;. citt. Sanchez *l. 3. disp. 19.* Layman *part. 2. c. 4. num. 3. in fine. Perez, Dicastil. Barbosa, num. 429.* Ratio est: quia Concilium tantùm requirit præsentiam Parochi, quæ jam habetur: neque enim hic agitur de jurisdictione contentiosa. Is verò, qui sponsos alienæ Parochiæ sine licentia proprii Parochi copulat, præterquàm, quòd matrimonium nullum sit, tamdiu suspensus est ab officio & beneficio Parochiali, donec absolvatur ab Episcopo Parochi, cujus jus invasit. Sic enim expresè decernit Tridentinum *Sess. 24. c. 11. De Reformat. Matrimon.* At, si Religiosus sit incurrétne etiam excommunicationem Clementinæ, *De Privilegiis 2.?* R. Probabilissimè, quòd non; quia illam excommunicationem à Concilio Tridentino fuisse commutatam in suspensionem dictam, declaravit Congregatio Cardinalium, teste *Gallemart.* ad illum locum. Et certè ab utraque excusat omnis ignorantia etiam crassa; nam & Clementina excommunicat, & Tridentinum suspendit illos solos, *qui præsumpserint, vel ausi fuerint* copulare sponsos alienæ Parochiæ, adeóque scientiam & malam fidem in eis requirunt. *Sanchez, Perez, Barbosa,* alii communiter, & DD. *De censuris.*

II. Proprius Parochus utique intelligitur re- 360
spectu propriorum Parochianorum tantùm, qui nimirum in sua Parochia aut domicilium habeant, perpetuæ scilicèt habitationis, aut quasi domicilium, scilicèt majori vel saltem æquali anni parte ibi habitantes. Juxta dicta in simili de Sacramento Pœnitentiæ. Quarè non validè assistet matrimonio illorum Parochus, qui in sua Parochia minori parte anni, uno aut duobus mensibus, negotii vel recreationis causâ commoratur. Minus, si solùm pertranseat aut uno vel altero die subsistat: ut contra *Pontium* & alios nimis laxè loquentes docet communis DD. & ex professo Lugo *Respons. moral. l. 1. dub. 37.* Tambur *tract. 6. c. 2. §. 5. num. 11.* Ratio est, quia respectu istorum nullo sensu potest dici proprius Parochus. Vagabundorum autem, qui nullum alibi domicilium habent, matrimonio validè assistit Parochus loci, ubi degunt; imò secundùm Sanchez & Pontium quilibet Parochus; at non licitè, nisi priùs ab Ordinario loci licentiam obtineat. Sic enim Tridentinum *Sess. 24. c. 6. De Reformat. matrimon.* præcipit Parochis, nè vagorum matrimoniis intersint, nisi diligentem inquisitionem, fecerint ne scilicèt, impedimentum subsit,) & re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerit. Sic ibi. Cæterùm vagabundos ad hunc effectum censent DD. sponsos, etiamsi unus tantum eorum vagus sit: aut si suum domicilium reliquerit animo alibi domicilium figendi, etsi nondùm eò pervenerint.

III. Proprius Parochus sponsorum intelligi- 361
tur non tantùm immediatus & propriè dictus Parochus eorundem Parochiæ, sed etiam mediatus ac Superior eorum Ecclesiasticus pastor; etenim etiam proprius Episcopus vel alius Episcopali jurisdictione præditus, ejusdémq; in Spiritualibus Vicarius Generalis: Item Legatus Sedis Apostolicæ in sua Provincia, ad quam destinatus est: ac denique in omnium fidelium matrimoniis Summus Pontifex assistere, & assistendi licentiam dare potest; siquidem hi omnes nomine Ordinarii Pastoris veniunt, quibus addi debet Capitulum Sede vacante, cùm succedat in jurisdictione Episcopi: ut ex jure & communi observat Layman cit. *c. 4. num. 5. in fine.* Item intelligitur Parochi vel Parochiæ Vicarius, etiam temporalis vel ad nutum amovibilis ut contra Pontium ac alios, cum plurimis docet Sanchez *l. 3. disp. 21.* Diana *part. 12. tract. 3. resol. 35.* Item Sacerdos non quidem verus Parochus, sed per errorem communem cum titulo colorato pro vero Parocho habitus: juxta dicta De Pœnitent. ex communissima DD. Item verus Parochus, etsi non Sacerdos, matrimonio suorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

assistere, & alteri Sacerdoti assistendi licentiam dare potest: juxta communem DD. cum Sanchez *l. 3. disp.* 20. Layman *c. 4. num. 4.* & expresè Cardinalium Declaratio apud Dianam *part. 12. tract. 3. resol.* 32. imò etiamsi nullo sacro Ordine initiatus vel insignitus adhuc esset. Tambur. *disp.* 8. *quæst. 3. num.* 175. Barbosa *De Parocho num.* 60. Quia Concilium loquitur absolutè de Parocho.

362 IV. Valida est assistentia etiamsi Parochus sit ab administratione interdictus, suspensus, excommunicatus, etiam non toleratus, v. g. notorius percussor Clerici, modò non sit actualiter depositus vel privatus, sed Beneficii ac titulum, possessionémque Beneficii parochiani retineat. Communissima cum Sanchez *disp. 12. num. 4.* Coninck *disp. 27. num. 7.* Layman *c. 4. num. 5.* Ratio est; quia assistentia hæc non est actus jurisdictionis vel administrationis, cùm etiam ab invito vel coacto validè præstari possit; sed est actus testimonii ex juris dispositione ad matrimonii substantiam requisitus: quamdiu ergo verus Parochus manet, matrimonio assistere aut authoritatem præbere poterit; jam enim contrahitur matrimonium præsente Parocho, servatâ proprietate verborum Tridentini, quæ utpote correctoria, strictè interpretanda sunt. Quin adhuc validè assistet matrimonio Parochus, licèt Episcopus & justa ex causa interdixerit eam assistentiam respectu hujus aut illius matrimonii: non solum si interdixit simplici prohibitione, sed etiam si cum clausula irritante talem assistentiam; quia Episcopus non potest restringere, vel tollere potestatem jure communi Concilii Tridentini concessam Parochis. Ita cum aliis Sanchez *l. 3. disp. 32. num.* 2. Lugo *l. 1. Resp. moral dub. 45.* referens, Congregationem Cardinalium monuisse quendam Episcopum, ut revocet suum edictum, quo edicebat, ut si Parochus assisteret matrimoniis occultis domesticis, sine præviis denuntiationibus, contractis, assistentia & matrimonia essent invalida; quia nimirùm tale præceptum dare non potuit; hoc enim esset condere novum impedimentum dirimens matrimonia, quod non cadit sub potestate Episcopi.

At Parochus talis interdictus, suspensus, excommunicatus, non toleratus poteritne etiam alteri Sacerdoti licentiam assistendi dare? Nec validè, nec licitè dare, docent *Ledesma*, *Henriqu. Coninck*, plurésque citans Sanchez *l. 3. disp. 21. num. 7.* Layman cit. *num. 5.* Ratio est; quia dare alteri licentiam, qua alius alioquin non idoneus, idoneus reddatur ad actûs legitimum valorem, videtur esse actus & exercitium jurisdictionis, (etsi non pauci negent apud Dianam cit. *resol. 33.*) Et consequenter etiam Parochus non censuratus, attamen interdictus ab Episcopo cum clausula irritante, ne aliis licentiam assistendi tribuat, nec validè, nec licitè eam licentiam tribuere poterit: ut cum aliis resolvit Diana cit. *tract. 5. resol. 32.* Etsi de hoc subdubitet Tamb. cit. *c. 2. §. 3. num. 22.*

II. Quis alius ex licentia Parochi.

I. CErte solus alius Sacerdos de licentia pro- 363
prii Parochi, (etsi hic ipse Sacerdos non sit; supra) validè matrimonio assistere potest: juxta clara verba Tridentini: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi licentia*, &c. Certè etiam omnis Sacerdos validè assistet, etiam non approbatus, suspensus, excommunicatus, irregularis, &c. eadem ratione à fortiori, quâ suprà de Parocho dictum. Quare, si ipse Parochus excommunicatus non sit, validè saltem semper poterit substituere alium Sacerdotem, etiam excommunicatum, quamvis non toleratum, v. g. notorium percussorem Clerici; quin & licitè in causa necessitatis si Parochus ipse infirmus, vel tempore pestis assistere non possit, nec alium Sacerdotem, quam talem habere possit: ut ex *Chapeaville* notat Layman cit. *num. 5. post medium.*

II. Licentia hæc assistendi voce vel scripto à 364
Parocho, cæterisque prædictis dari potest vel particulariter ad hoc certum matrimonium vel generaliter ad matrimonia quævis. Hanc generalem licentiam dare censetur, si dicat Parochus Sacerdoti v. g. do tibi licentiam administrandi omnia Sacramenta in mea Parochia; quia impropriè, saltem hæc assistentia Sacerdotis est administratio Sacramenti matrimonii. Ita ex declaratione Cardinalium *Coninck. Pontius*, *Castro-Palaus*, eósque citans Diana *part. 11. tract. 3. resol. 32.* etsi de hoc dubitet *Aversa*, & rotundè negat *Hurtad.* apud Tambur. cit. §. *5. num. 5.* requirens licentiam generalem exercendi officium Parochi. At poteritne Sacerdos v. g. hanc generalem à Parocho acceptam licentiam assistendi matrimonio alteri subdelegare, ut alicui matrimonio assistat? Concedunt multi & multi negant. *Diana* proximè cit. distinguit: posse in absentia Parochi: non verò posse in præsentia; quia in absentia est delegatus ad universalitatem causæ; non verò in præsentia Parochi. Consentit Gobat *num. 487. in fine.* Nec ego dissentio.

III. Non sufficere tacitam licentiam vel præ- 365
sumptionem de ratihabitione futura, omnes clamant ob rationem datam in simili, in materia de Pœnitentia. Sufficere autem tacitam de præsenti licentiam habitam scilicet per tolerantiam Parochi videntis, & non prohibentis, cùm posset, docet communis DD. *Sanchez*, *Pontius*, *Castro-Palaus*, & probabiliùs censet Tambur. cit. *num. 5.* At simpliciter negant *Menoch. Henriq. Barbos.* ac Tanner. cit. *num. 120.* Et certè non sufficere tacitam illam licentiam, sed exigi commissionem generalem ministrandi omnia Sacramenta, vel si hæc non adsit, specialem & expressam, declaravit S. Congregatio Cardinalium: ut testatur Fagnanus, *in c. quòd nobis, de desponsi. impuber.* Porrò, quamvis Parochus vel Ordinarius reverà licentiam dederit antequam tamen ea Sacerdoti innotuit, hic invalidè assistet; quia eam non habet, donec eam acce-

acceptet: acceptare autem legitimè non potest, dum eam datam esse ignorat. At, si dictus Sacerdos per nuntium petit à Parocho vel Vicario Generali licentiam assistendi certo matrimonio, validè ea utetur, quamprimùm concessa est, etsi eam concessam nondum intellexerit; quia per illum nuntium jam illam acceptavit. Sanchez *l. 3. disp. 37.* Coninck, *Barbosa*, *Castro-Palaus* apud Tambur. cit. *num. 7.* & Gobat. *num. 190.* contra *Pontium*, *Perez* & Dianam. cit. *resol. 32.* Certè autem, antequam resciat licentiam petitam esse concessam, non assistet licitè; quia semper est periculum, ne licentiâ nondum fortè datâ matrimonium fiat invalidum. Ut benè notat *Tambur* ibidem.

366 IV. Sufficit licentia per vim vel metum extorta; eo quòd probabiliter non sit actus jurisdictionis, secundùm *Sanchez* & alios. Aut; quia verius est, jurisdictionem metu exortam valere. *Castro-Palaus*, *Diana*, *Tambur.* citt. Idem dicendum, si ficto & non vero animo dedit licentiam Parochus; nam adest tunc titulus coloratus, scilicèt licentia externè data, & communis error putantium vero animo datâ esse licentiam. Sanchez cit. *disp. 32. a num. 60.* Aversa, alii cum Tambur. §. 2. *c. 3. num. 16.* Insuper sufficit licentia extorta per dolum versantem solùm circa causam impulsivam: ut si falsò dicas tuo Parocho: meus Princeps vel Dominus Comes rogat te, ut des mihi licentiam contrahendi coram tuo Capellano. Sanchez *l. 3. disp. 39. num. 14. Diana, Perez, Tambur.* cit. alii communiter teste Gobat *num. 489.* At quid si Parochus post licentiam legitimè datam moriatur? R. cum distinctione: si quidém licentia data sit ad assistendum alicui certo matrimonio & mors parochi nota sit, invalidè assistet Sacerdos ille; quia delegatio data ad certum casum exspirat morte concedentis; si autem mors Parochi non dum nota sit, adhuc validè assistet ob titulum coloratum & errorem communem. Simpliciter autem non exspirat tua licentia generatim data assistendi matrimoniis quibusvis. Ita Lugo *Responsi. moral. l. 1. dub. 35.* post Sanchez *l. 3. disp. 28. a num. 64.*

367 Petes hic incidenter: An licentia proprii Parochi etiam necessaria sit confessario v. g. pro moribundo, ut matrimonio sibi jungat concubinam occultam ad emendandum affectum concubinarium, ad legitimandam prolem, &c. R. Omninó quòd sic; nam decretum illud Tridentini, ubi publicatum & receptum est, ita obligat, ut ne quidem in extremo agone, aut etiam intentato mortis metu possit validè contrahi sine Parocho (ejúsve licentiâ) & testibus ob quamcunque causam: juxta communissimam DD. cum Sanchez cit. ac fusè probat Barbosa *de Parocho part. 2. c. 21. num. 31.* Ratio est; quia verba Tridentini sunt valdè clara & universalia, & inhabilitas ad contrahendum inducta per legem non tollitur per metum cujuscunq; mali. Oppositum tamen probabile censent *Veracrux*, *Vega*, alii apud Castro-Palaum *de sponsi. disp. 2. part. 13. §. 8.* & resolutè docet *Amicus* apud Dianam *part. 10. tract. 13. resol. 15.* latè defendens, posse sine Parocho contrahi tunc singulariter à concubinario moribundo, quando, nisi per matrimonium legitimetur proles prius suscepta in concubinatu, Titii concubinarii hæreditas devolveretur ad hæreticos. Item posse clandestinè contrahi, quandò quis minetur tibi mortem, nisi contrahas, & mox consummes matrimonium; eó quod non videatur verosimile, Concilium Tridentinum ejusmodi casus urgentissimæ necessitatis suo decreto voluisse comprehendere, Ego cum *Diana* ibidem, & Gobat *cas. 18. num. 477* remitto decisionem utriusq; casûs judicio habentium jus definiendi. Vide ergo Confessarie in casu occurrente; ut tutiora & securiora sequaris, quoad potes.

III. Quales testes,

I. EAdem, ac tanta necessitate, quâ ad va- 368
lorem matrimonii requiritur præsentia Parochi proprii, aut alterius Sacerdotis de ejus licentia etiam requiritur præsentia duorum vel trium testium, ex claro Textu Tridentini sæpè allegati, *Sess. 24. c. De Reformat. matrim.* Cæterum ab eadem S. Synodo non præscribuntur ullæ certæ qualitates eorum testium, neque ullum genus hominum repellitur à testimonio hic dicendo, Et hinc communissimo Theologorum ac Canonistarum consensu

II. Testes idonei pro matrimonii valore repu- 369
tandi sunt omnes homines, quos jus naturale nõ arcet; hoc autem non arcet à testimonio dicendo, nisi illum, de quo certum, vel probabile, vel prudens timor est, quòd non sit daturus, vel dare non possit verum testimonium: uti sunt ebrii, amentes, infantes, aut certè homo nullius fidei; ut si quis in judicio perjurium comisit, nec probatur, se emendasse. *c. Parvuli. 22. quæst. 5.* Contrà ergò.

III. Testes idonei reputandi & admittendi 370
sunt quicunq; dare possunt, daturiq; creduntur verum testimonium, etiamsi in aliis comerciis humanis jure commu. i repellantur à testando: utpotè etiam pueri impuberes, fœminæ consanguinei, affines, parentes, liberi, servi, infames, excomunicati, infideles, &c. Comunissima DD. cum Sanchez *l. 3. disp. 41.* Coninck. *disp. 27. dub. 4.* Layman. *c. 4. num. 6.* Ratio jam indicata est; quia constitutio Tridentini juris veteris correctiva non est extendenda ultrà proprietatẽ verborum, quæ simpliciter testes, nullas autem qualitates testium exigit. Accedit, quòd authoritas Parochi suppleat aliorum testiũ defectum, præsertim accedente contrahentium eum eligentium consensu, quo etiam in aliis comerciis testes alioquin repellendi admitti possunt. Ut notant *Layman.* cit. & alii. Et hinc ulteriùs

IV. Si de matrimonii valore postea in judicio 371
lis moveatur ordinariè sufficere tales testes ad rei gestæ fidem faciendam, cùm ad eum finem primò adhibiti & admissi sint, meritò docet San-

chez

Universidad de Deusto
Biblioteca

chez cit. *num. 6.* & Layman *num. 6. in fine.* Dico tamen *ordinariè*; nam ad probandum matrimonii contracti nullitatem, ut illud dissolvi, seu invalidum pronuntiari possit, testes requiri omni exceptione majores, rectè monent DD. passim.

372 Quoad pœnas Parochi & testium ut statuit Tridentinum *Sess. 24. c. 1.* De reformat. Matrimonii. *Sacra synodus Parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero* (utpotè uno vel nullo) *& testes, qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerunt; nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit.* Hæc Concilium. Per hujus pœnæ arbitriæ ab Ordinario infligendæ sententiam sublatas esse pœnas graviores juris antiqui: utpotè suspensionem triennalem (*c. Finali. De Clandest. desponsat.*) latam in Sacerdotem sine aliis testibus assistentem matrimonio, censet Sanchez *l. 3. disp. 48.* cum Gasp. Hurtado *disp. 10. diff. 10.* Rationem dante; quia, quandò lege nova imponitur mitior pœna quàm erat imposita lege antiqua, cessat antiqua, & tacitè à lege nova videtur auferri. Sic ille. Sed contradicit cum aliis Barbosa. *De potest. Episcop. allegat. 32. num. 162.*

IV. Qualis præsentia Parochi & Testium?

373 I. REquiritur præsentia Parochi & testium moralis ex parte intellectûs, ut ipsi nimirùm intelligant & actualiter advertant; quid agatur, ideoque testificari possint, matrimonium utriusque consensu contractum esse. Omnes. Arg. L. 209. De verbor. significat. *Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat; itaque si furiosus aut insanus sit, vel dormiens: itèmque plenè ebrius, non videtur coram eo fecisse.* Hæc ibi. Idem dicendum de eo, qui corpore præsens est physicè vel materialiter tantùm, sed omninò nihil advertit, quid agatur. Sanchez cit. *disp. 39. num. 5.* Idèmque: si sponsus vel sponsa facie cooperta, nè quidem ex voce certò cognoscatur à Parocho vel testibus; sic enim non potuerunt de hoc matrimonio testari, ideóque nullum erit. Tambur. *hic tract. 6. c. 2. §. 3. num. 6.* Et dixi notandum: *actu advertant*; Non sufficit enim advertentia vel attentio virtualis tantùm, ut si Parochus vel testis accedat animo advertendi quidem, deindè verò propter mentis distractionem vel occupationes alias actu non advertat; cùm sine advertentiâ vel attentione actuali ad ipsum actum veri testes de facto alieno esse non possint, estò talis attentio virtualis sufficiat in aliis Sacramentis, in Horis Canonicis, &c. Attamen satis est, licèt ipse Parochus vel testis non intelligat ipsos loquentes, modò hi per fidelem interpretem declarent præsenti Parocho & testibus suam voluntatem; nam utique interpres fidelis præsentis est æque sufficiens, ac Procurator absentis. Ita contra *Pontium* & alios, *Perez*, *Hurtad.* aliisque citatis fusè Diana *part. 10. tract. 13. resol. 17.* Gobat. 490.

II. Non requiritur præsentia moralis etiam ex parte voluntatis, ut nempe nimirum Parochus & testes voluntariè adsint, seu velint adesse, percipere, testificari, &c. dummodò revera adsint, percipiant, & verè testificari possint; nam, ut cit. *L. Reus.* pergit Jurisconsultus Florentinus: *Scire autem testis, non autem velle debet.* Nam etiam invito eo rectè fit, quod jussum est, adeoque Parochus & testes validè matrimonio assistent, etiam vi vel metu, dolo vel fraude adlocum contractûs adductus, vel in eo retentus sit, etiamsi planè invitus sit. Ex communi Sanchez cit. *disp. 39.* Coninck. *disp. 27. num. 24.* Pontius *l. 5. c. 21. num. 6.* Barbosa *De Parocho part. 2. c. 21. num. 47. Diana parte 1. tract. 3. resol. 32.* Tambur in. *c. 2. §. 3. dub. 9.* Gobat *cas. 18. num. 491.* Et quidem adeò invitus, ut claudat aures & oculos, ne quicquàm audiat, vel videat, dummodò interim verè percipiat, quæ aguntur. Secùs utique esset, si ita conetur & affectet non percipere, ut revera non percipiat, dum actu contrahitur matrimonium. *Sanchez, Diana, Barbosa, Tambur. Gobat.* Quâ ratione intelligenda declaratio Cardinalium: *Non valere matrimonium, si non intellexit Parochus, nisi Parochus affectasset non intelligere.* Subaudi: ita, ut tamen revera intellexerit. Ut contrà *Pontium & Sanchez* benè probat, & defendit, *Gobat* l. c. Ratio omnium est; quia, quamvis ex parte voluntatis sit repugnantia, dummodò adsit sufficiens advertentia ex parte intellectûs, adest totum, quod requirit Tridentinum,

III. Nec requiritur, ut Parochus, aliive testes 375
ad id vocati vel rogati sint, sed sufficit, si casu interveniant matrimonii contractui, v. g. convivii, confabulationis vel alterius negotii causâ, nam *Arg. L. 11. ff. De testibus. Adfidem rei gestæ faciendam etiam non rogatus testis intelligitur.* Adeòque nulla alia formalis adhibitio Parochi vel testium requiritur, quam ut contrahatur coram eis sufficienter cognoscentibus, quid agatur, vel dicatur. Sanchez cit. *num. 11.* Layman, *num. 6. Hurtad. Adversa, Tambur.* aliique plurimi cum *Diana & Barbosa* l. c. Etsi contrà sentiant *Pontius & Fagnanus* adferentes Declarationem Cardinalium in contrarium, de qua tamen nobis authenticè non constat. Certè *Aversa & Tambur.* explicant, Congregationem loqui, quandò ex tali casuali præsentia & transitu non potest benè percipi, quid agatur.

IV. Validè assistit matrimonio Parochus, 376
etiamsi nihil omninò loquatur, nec proferat illa verba à Tridentino vel Rituali præscripta; cùm nulla verba Parochi sint de essentia matrimonii. Ex dictis suprà. Eaque verba omittendo, per se loquendo, solum venialiter peccare, contrà *Rebell.* docent *Sanchez, Tanner.* alii cum Gobat *num. 492.* Addit denique Layman. cit. *c. 2. num. 7.* Parochum Catholicum etiam licitè assistere matrimoniis hæreticorum in sua Parochia degentium, cùm id ei non vetetur, nec ratione communicationis cum hæreticis, cùm ii sint tolerati: nec ratione reverentiæ Sacramenti, quod ii indignè suscipiunt, cùm ipse non sit minister, sed assistens tantùm & testis: nec infrequens est, quòd assistat matrimoniis indispositorum. Certè nimis difficile foret, ipsis negare facultatem contrahendi, aut cogere, ut contrahant coram ministro hæretico, qui nullam jurisdictionem habet. Quidquid contrasentiat *Tanner.* apud Gobat. *n. 438.*

§. V.

Præmissis de Præcepto tribus denuntiationibus.

377 TExtus Concilii Tridentini *Sess. 24. c. 1. De reformat. matrimon.* sic habet. *Sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit* (Sacra Synodus) *ut imposterùm antequam matrimonia contrahantur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus Festis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos matrimonium contrahendum sit: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur. Ubi Parochus, viro & muliere interrogatis & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum. Quod si aliquandò probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantùm fiat, vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur, deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsint, impedimenta, faciliùs detegantur, nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur; quod illius prudentia & judicio sacra Synodus relinquit.* Hactenus Concilium. Ubi aliqua pro necessaria notitia Confessarii notanda sunt.

378 I. Denuntiationes istæ non sunt de substantia seu valore matrimonii, ita ut si omittantur, irritum matrimonium censeri debeat. Ut contra *Menochium* & duos alios JCtos, docent omnes Theologi, ac Canonistæ communissimè; Cùm nec ipsum Tridentinum, nec ab eo allegatum Lateranense Concilium id ullo verbo significet: sed sunt tantùm de necessitate præcepti, ut absque gravi & mortali peccato omitti non possint, cùm materia præcepti, gravissimi momenti sit, ne scilicèt matrimonia invalida contrahantur. Excepto tamen: nisi ob gravem & urgentem causam Episcopus dispenset, & in casu necessitatis urgentis, cum Episcopus adiri non potest, ipse Parochus dictas denuntiationes omittere potest & debet. Ut uno casu expresso (eadem est ratio de similibus) indicat ipsum Concilium, & ex communi docent Sanchez *l. 3. disp. 10. num. 27.* Layman. cit. *tract. 10. c. 4. num. 11.* Cæterum quamvis tam Concilium Tridentinum, quàm Lateranense cit. *c. ultimo. De Clandestina desponsat.* intenderit, quòd denuntiationes ab utriusque contrahentium proprio Parocho fiant, si illi ad diversas Parochias spectent: ut docent communissimè DD. cum Sanchez *disp. 6.* Addit tamen Layman cit. *num. 10.* non debere damnari consuetudinem, quæ adhuc hodiè in quibusdam Ecclesiis viget, ut denuntiationes fiant duntaxat in Parochia unius sponsi, in qua nuptiæ celebrandæ sunt; multùm enim valet consuetudo in his, quæ ex jure positivo proveniunt, præsertim in proposito non satis declarato.

379

II. Denuntiationes istæ sunt velut quâsi edictum Episcopale, quo præcipitur fidelibus, ut si noverint aliquod impedimentum, sive dirimens: ut consanguinitatem, affinitatem, &c. sive impediens tantùm: ut votum simplex Castitatis, vel sponsalia cum alio vel alia contracta &c. illud Parocho manifestent. Quare conscius alicujus impedimenti inter sponsos, per se loquendo, tenetur illud manifestare sub mortali. *Omnes.* Tum propter divinum Præceptum de impedendo peccato proximi: tùm propter reverentiâ Sacramenti. Tùm propter hoc ipsum præceptũ Ecclesiasticum ob gravem finem graviter obligans. Idque non tantum certissimò verum est, quandò sponsi conscii impedimenti volunt malitiosè contrahere: ut fatentur omnes: aut licèt ipsi ignari sint impedimenti, sed periculum subest, quòd postèa manifestetur illud; sed etiam verum est, quandò ipsi ignorant impedimentum, & non est periculum, illud postèa manifestandi; cùm etiam materialis irreverentia Sacramenti; & materiale peccatum proximi sit impediendum, quandò facilè potest: juxta communem DD. apud citatos, etsi tunc probabiliter negent *Pontius, Perez, Barbosa, Burghaber* apud Gob. *cas. 13. num. 532.* Quòd si autem malitiosè contrahere vellent, certum est, debere manifestari, etiamsi impedimentum oriatur ex delicto gravi, sitque notum uni soli, etiamsi illud nosset sub secreto natural: eitiamsi prius fuisset præstitum juramentum de non pandendo; quippè quia nec secretum naturale, nec juramentum obligat cum tanto incommodo animæ, & bonorum aliorum. Vide *Burghaber centuria 2. cas. 108.* Sed de hoc mox iterum.

III. Testis volens manifestare impedimentum 380
conjunctum cum infamia, utpotè ortum ex gravi delicto sponsi vel sponsæ, debet, servato ordine charitatis & correctionis fraternæ, prius monere obnoxium illi impedimento solùm, ut desistat à cogitato matrimonio, alioquin se suæ conscientiæ satisfacturum in eo denuntiando. Huic admonitioni etiam repetitæ coram uno bono viro, vel bonâ fœminâ, maximè coram parentibus, si non acquiescat ille reus vel rea illa, jam omninò servandum erit præceptum Christi, *dic Ecclesiæ:* & quidem, ut jam innnui, debet dicere Ecclesiæ seu Parocho, etiamsi illud impedimen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dimentū infamatorium nosset sub secreto naturali, juraſſetque se non manifeſtaturum. Juxta communem DD. Sanchez. *l. 3. diſp. 13. num. 6.* Perez. *diſp. 43. ſect. 6. num. 8.* Dicaſtil. *diſp. 3. dub. 28. num. 299.* Gobat. *caſ. 13. num. 536.* Tandem omninò ceſſabit obligatio manifeſtandi impedimentum, inprimis quando ex revelatione imminet grave malum revelanti ſive aliundè, ſive ex ſe v.g. in delicto complici; non enim tenemur cum gravi noſtro incommodo promovere correctionem proximi, vel impedire ejus peccatum. *Omnes.* Deindè quando timetur grave ſcandalum ex revelatione. Ex communi Sanchez. cit. *num. 9.* Addit Gobat. *num. 536.* idem dicendum, quando ind imminet grave damnum alteri innocenti in honore, fama, fortunana, vel vita. Ratio communis eſt; quia neque lex charitatis, neque reverentia Sacramenti, neque præceptum Superioris poteſt obligare ad tale incommodum; quandoquidem non ſint facienda mala, ut eveniant bona. *Ad Rom. 5.* Declarabo mox uno & altero caſu inferiùs.

381 IV. Denique & ipſemet ſponſus vel ſponſa ſcienter laborans aliquo impedimento, etiamſi non interrogetur, tenetur aut manifeſtare ſuum impedimentum, eſtò conjunctum cum infamia: aut deſiſtere à propoſito contrahendi; quia tenetur nō peccare; ſingulariter autem tenebitur aperirè; vel à matrimonio deſiſtere, ſi interrogetur à Parocho: an laboret impedimento? communiſſima cum Sanchez *diſp. 14.* alii paſſim. Ratio eſt; quia licèt interrogatus non teneatur reſpondere, quando ob ſuam veram reſponſionem eſſet puniendus, cùm nimis difficile foret, ſe ipſum accuſare in ordine ad pœnam; attamen quando interrogatio fit ſolùm in ordine ad evitandum peccatum, ut fit in propoſito, adeſt obligatio reſpondendi ſyncere: ſicut tenetur ſyncerè reſpondere irregularis petens ſuſcipi ad Ordines. Ais: quid ergò agendum ſponſo vel ſponſæ, quando nec impedimentum ſuum poteſt manifeſtare ſine graviſſima ſua infamia, aut etiam periculo vitæ ex una parte, nec ex altera parte poteſt deſiſtere à matrimonio ſine æquali graviſſimo diſcrimine vel incommodo? reſponſionem habes *ſect. 1. §. 3. In impedimento vis. à n. 23.*

382 Pro cautela confeſſarie cape hunc caſum. Anna dicit ad Confeſſarium: Urſula deſponſata eſt Petro, & jam facta eſt prima denuntiatio, ſed Margareta juncta Urſulæ in ſecundo gradu conſanguinitatis mihi ob certam cauſam ſub ſummo ſecreto faſſa eſt, eſſe ſe carnaliter cognitam à ſponſo Petro non ignaro cognationis. Teneorne nihilominùs obedire Parocho præcipienti manifeſtationem cognitorum impedimentorum? Reſpondit Confeſſarius: teneris. An rectè? Reſponderet meritò Gobat eodem *num. 537.* non rectè: erraſſe turpiter; graviſſimè enim peccaſſet Margareta, ſi manifeſtaſſet crimen Urſulæ; utpotè, quæ planè erat innocens in ordine ad illud matrimonium. Quare nec ipſa Margareta tenebatur directè vel indirectè manifeſtare ſuum crimen; tenebatur tamen Anna illam ſub alio prætextu dehortari ab illo matrimonio, ſi aliunde haberet Urſula juſtam cauſam recedendi: ſecùs, ſi non juſtam. Sic *Gobat* ibidem; *num. 538.* Rectè reſolvens, non fuiſſe obligatam, ſcelus ſuum nefandum manifeſtare, ſceleratam illam, quæ filium ſuum cum ejusdem & ſuâ filiâ contrahere matrimonium permiſit, erſi ægerrimè; cùm alia ratio non ſuppeteret impediendi inceſtuoſiſſimas nuptias, niſi prodendo ſuum nefandum flagitium; nam certè lex naturalis charitatis de correctione fraterna ſe ad hoc non extendit; inauditum verò eſt, quod lex vel præceptum humanum comprehendat tam tragicos, cruentos & pudendos caſus.

§. VI.

Effectus eſt Gratia ſanctificans, & triplex bonum eſſentiale matrimonii, Fidei, Prolis, & Sacramenti indiſſolubilitatis.

I. MAtrimonium eo ipſo, quo §. 1. probatum eſt, eſſe verum Sacramentum novæ Legis, etiam probatum manet ejus effectum principalem eſſe Gratiam ſanctificantem, & jus ad gratias actuales pro tempore & occaſione conferendas ad debitè & fructuosè obeunda munia & ſufferenda onera matrimonii: Idque maximè, cùm matrimonium ſit Sacramentum etiam in facto eſſe, perpetuò repræſentans conjunctionem ſpiritualem Chriſti cum Eccleſia; Verbi Divini cum natura humana. Nec de hoc effectu aliquid dicendum ſpecialiter ſupereſt, præter generatim dicta de effectu Sacramentorum in genere *p. 1. c. 1. Sect. 3.* 383

II. Matrimonii porrò (quatenùs contractus & Sacramentum eſt) effectus numerantur illa tria bona eſſentialia matrimonio, quatenùs vinculum eſt (ſi nimirùm accipianter quoad obligationem & actum primum.) ſcilicèt Fidei, Prolis, & Sacramenti, quæ eleganter explicat. D. Auguſt. *l. 9. ſuper Geneſin* dicens: *In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altero concumbatur: In prole, ut amanter ſuſcipiatur, benignè nutriatur, Religioſè educetur: In Sacramento, ut conjugium non ſeparetur, & dimiſſus vel dimiſſa, ne cauſâ quidem prolis, alteri conjungatur.* Sic ſanctus. Vide etiam Layman. *tract. 10. part. 3. in initio.* 384

III. Bonum ergò Fidei conſiſtit in obligatione ſervandi fidem tori conjugi, cùm petit; & ſoli conjugi. De quo ex profeſſo *c. ſequent. ſect. 3. & 4.* Bonum prolis conſiſtit in obligatione ſuſcipiendi, nutriendi & educandi prolem. De quo aliàs in quarto Præcepto; neceſſaria tamen indicabo infrà *cùm de debito, in fine.* Bonum Sacramenti conſiſtit in indiſſolubilitate matrimonii vivente utroque conjuge, ſeu, ut loquuntur jura, in perpetua vitæ ſocietate; hac enim velut Sacramento ac ſacro ſigno vel ſymbolo repræſentant matrimonium, & conjuges indiſſolubilem conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, & verbi Divini cum natura humana. Et de hoc breviter hac ultima Subſectione. 385

IV. Præ-

386 IV. Prænotandum autem eſt, duplicem eſſe modum diſſolvendi matrimonium, quoad vinculum, & quoad torum. Quoad vinculum dicitur diſſolvi matrimonium, quandò nexus & obligatio inter conjuges ſimpliciter tollitur, ut verè deſinant eſſe conjuges, & utrinque liberi evadant, ac ſi nunquam conjugati fuiſſent, reſtituunturque in eum ſtatum, quem antè nuptias habuerunt; perinde acſi uterque mortuus revocaretur ad vitam, poſſet uterque convolare ad aliud matrimonium. Diſſolutio autem quoad torum dicitur, quando manente vero conjugio quoad vinculum, ſolùm liberatur conjux obligatione debitum conjugale reddendi, cohabitandi, cæteráque officia conjugalia præſtandi, ſeu, quandò ſaltem acquirit verum jus negandi debitum, & cætera prædicta, ſicut fieri per adulterium, dicemus *c. ſequent. in fine.*

SUBSECTIO.

De indiſſolubilitate & diſſolubilitate Matrimonii.

SUMMARIA.

388. *Jure divino, 389. ac etiam jure naturæ.*
390. *Saltem inchoative, ind. iſſolubile eſt omne matrimonium, legitimum, ratum, conſummatum.*
391. *Adeoque etiam matrimonia hæreticorum aut indiſſolubilia ſunt, aut nulla.*
392. *Matrimonium infidelium, etiam conſummatum, ſolvitur per unius converſi & baptizati aliud matrimonium contractum.*
396. *Matrimonium fidelium* ratum *tantùm ſolvitur per profeſſionem Religionis.*
398. *Etiam poſt multos annos (ubi 399. dl privilegio primi bimeſtris.)*
401. *Ac etiam per diſpenſationem Pontificis.*
402. *Solvuntur fundamenta contraria.*
404. *Matrimonium verò conſummatum fidelium eſt ſimpliciter indiſſolubile. 405. quoad vinculum.*
407. *Eſt tamen ſolubile quoad torum*
408. *I. Per Profeſſionem Religionis mutuo conſenſu, vel de licentia alterius factam.*
411. *II. Per ſuſceptionem Ordinis ſacri.*
412. *III. Per votum ſimplex caſtitatis mutuo conſenſu emiſſum &*
413. *IV. Per electionem continentiæ.*

ASSERTIO.

387 MAtrimonium omne, legitimum, ratum, conſummatum ex primævâ ſui inſtitutione jure divino eſt indiſſolubile; adeóque etiam hæreticorum matrimonia aut indiſſolubilia ſunt aut veriùs nulla, & meri concubinatus. *Matrimonium legitimum infidelium etiam conſummatum ſolubile eſt per unius conjuges converſi ac baptizati aliud matrimonium contractum. Matrimonium ratum fidelium etiam ſolvitur per Profeſſionem Religionis approbatæ, & ob cauſam urgentiſſimam etiam per diſpenſationem Pontificis. Matrimonium conſummatum verò fidelium ſimpliciter indiſſolubile eſt quoad vinculum ſed benè ſolubile quoad torū per divortiū, ſive ob crimen, ſive ob majorem vitæ perfectionem* Hæc Aſſertio magna parte ſpeculativa eſt & controverſa; explico quantùm ſatis eſt.

§. I.

Ex primæva ſui inſtitutione jure divino eſt indiſſolubile.

ITa expreſsè Concil. Trident. *ſeſſ. 24. In doctrina de Sacramento Matrimonii*, probans ex verbis Adami Gen. 2. & Matth. 19, *Matrimonii perpetuum indiſſolubilémque nexum primus humani generis parens divini ſpiritus inſtinctu pronunciavit, cùm dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo Patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne unâ, &c.* Et poſtea ejusdem nexus firmitatem ab Adamo tantùm antea pronunciatam confirmavit Chriſtus *Matt. 19.* dicens: *Itaq; jam non ſunt duo, ſed una caro; quod ergò Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et ibidem replicantibus Judæis libellum repudii à Moyſe permiſſum reſpondit Chriſtus: *Moyſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras; ab initio autem non fuit ſic, &c.* Ubi Chriſtus manifeſtè oſtendit, matrimonium à primâ ſui inſtitutione fuiſſe indiſſolubile, ac deinceps etiam in Lege Evangelica idem obſervandum eſſe, excluſo omninò illo libello repudii Moyſaico. *Deuteronomii. 14.* 388

II. Inſuper matrimonium quo dcunque legitimum, etiam infidelium; ipſo jure naturæ eſſe indiſſolubile docent permulti DD. *Sot. Vaſquez, Rebel. Pontius, Bellarmin. Hurtad. Caſtro. Palaus, Leander*, eósque citans *Tamburinus.* Ratio potiſſimùm eſt: quia certum eſt; naturaliter illicitum eſſe concubitum vagum, & comunicationem virorum & uxorum indifferenter; cùm id repugnet fini principali matrimonii, ſcilicèt ſuſceptioni, educationi prolis: ergò certum debet eſſe matrimonium naturâ ſuâ eſſe indiſſolubile; ſi enim naturâ ſuâ eſſet ſolubile, ſicut cæteri contractus mutuo conſenſu, paſſim poſſent relinqui viri & mulieres, aliis matrimoniis, ductis: sicque re ipſa admitteretur communicatio virorum & uxorum: quæ jure & lumine naturæ negatur ab omnibus etiam Ethnicis. Contrà tamen matrimonium non eſſe ita naturâ ſuâ indiſſolubile, ut ejus diſſolutio juri naturali repugnet, docent alii probabilius, Sanchez *l. 2. diſp. 13.* Coninck. *diſp. 26. dub. 2.* Layman. *tract. 19. part. 3. num. 2.* Ratio eſt; quia, ſpectato jure naturali præcisè, veriſſimè nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quidpiam reſolvere, quo colligatum eſt. *Regula 33. ff. De regulis juris.* Neq; ulla adſertur ratio, cur nō etiam matrimonii contractus, perindè ac alii, ſpectato jure naturali præcisè, per mutuum juſtū conſenſum diſſolvi poſſit, niſi quòd talis diſſolutio repugnet fini matrimonii & bono prolis, ut dictum eſt: atque hæc ratio non oſtendit ſolutionem matrimonii per ſe intrinſecè eſſe malam, ſed ſolùm ratione adjuncti, quod ſæpiſſimè abeſt, ut ſi proles jam perfectè educata ſit, aut ob uxoris ſenium vel ſterilitatē nulla ſpes generandæ prolis ſuperſit: Quo caſu ſolutio matrimonii magis cōferret ad bonum prolis, ejúsque generationem cum alia conjuge, quàm repugnet. Tandem ſi 389

Universidad de Deusto
Biblioteca

indissolubilitas matrimonii esset de jure naturæ strictè, non potuisset in ea dispensare Deus, permittendo libellum repudii in Lege Moysaica, de quo suprà mentio.

390 III. Placet sententia media ejusdem *Sanchez, Coninck, Perez, Herincx*, aliorum: Indissolubilitatē matrimonii fundari inchoativè in jure naturali, ac ipsâ naturâ matrimonii spectatâ in ordine ad debitā prolis susceptionem & educationem, quæ certè excludit concubitus vagos, & exigit aliquā indissolubilitatē matrimonii, ut saltem pro libitu & propria authoritate contrahentiū, & absque urgente causa dissolvi non possit. Omnimoda autē indissolubilitas matrimonii præsertim consumati fidelium pro omni casu completè & formaliter esse à jure divino positivo N. l. allegato: idque magni Sacramenti seu magni Mysterii causâ, propter futuram Verbi Divini Incarnationem, quā tunc ab Adamo prophetico Spiritu revelatam esse, significat Apostolus *ad Eph. 5.* & docent D. Augustinus *l. 9. De Genesi, ad litter. c. 19.* alii sancti Patres. Nota hic, quòd hæc indissolubilitas dicatur bonū Sacramenti: & matrimoniū fidelium esse ratum, seu indissolubile ratione Sacramenti triplici sensu intelligi posse: 1. Ratione Sacramenti mystici, scilicèt quatenus Matrimoniū est sacrum Mysteriū repræsentativū conjunctionis Verbi Divini cum natura humana & Ecclesia: 2. Ratione Sacramenti propriè dicti, ut est signum Gratiæ sanctificantis ipsius matrimonii; nam indissolubilitatem matrimonii inter fideles oriri ex ipso Sacramento à Christo matrimonio annexo, est communis sensus, & docent *Innocent. Lopez* alii apud *Sanchez cit.* & pleriq; RR. inter quos *Aversa & Marchant.* noster. 3. Ratione Sacramenti Baptismi; nam majorem illā, & omnimodā indissolubilitatem matrimonii fideliū oriri ex Sacramento Baptismi, expressè significat c. *Quanto. De divortio. Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum, ut etiam postquàm consumatū est, nullo casu dissolvi possit, inter fideles autē verū & ratū existit, quia Sacramentum fidei, id est Baptismi quod semel admissum efficit conjugii Sacramentū, ut ipsum in conjugibus, illo durante, perduret.* Hæc ibi.

391 IV. Quamvis ergo matrimonium etiam legitimum seu ratū tantum fidelium ex ipso mutuo consensu & pacto (maximè accedente ratione Sacramenti) sive ex natura sua, sive ex primæva institutione Dei contineat individuā vitæ societatem & indissolubilitatem aliquam super alios contractus; majorem tamen firmitatem, & inter baptizatos omnimodam indissolubilitatē ex eadem Dei ordinatione obtinet per actualem ejus usum ad consumationem copulæ carnalis, quâ tandem fiunt una caro vir & mulier. Ut significat Christus *Matth. 19. Itaque jam non sunt duo, sed una caro: Quod ergò Deus conjunxit, homo non separet.* Cujus ratio mystica jam toties insinuata traditur c. *Debitum. De bigamis.* Quia per matrimonium legitimū vel ratum tantum significatur conjunctio Christi vel Verbi cum Ecclesia vel anima fideli, per directionem Charitatis & Gratiæ tantùm: quæ unio non fit omninò firma, sed in singulis saltem membris solubilis per peccatum mortale. Per matrimonium autem consummatum, factâ unitate carnis, repræsentatur conjunctio Verbi Divini cum natura humana per unionem hypostaticam assumpta, quæ ex eadem ordinatione Divina omninò est indissolubilis. Et hinc non est mirum, si dicemus, matrimonium ratum quandoque dissolvi posse, consummatum verò nunquam inter fideles baptizatos, atq; adeo etiam inter hæreticos.

Quare dixi per parenthesin, *matrimonia hæreticorum aut indissolubilia esse, aut nulla, & meros concubinatus.* Ut latè probat Gobat. *tract. 10. cas. 19.* Et Ratio est; quia omne matrimonium baptizatorum est per se loquendo Sacramentum & indissolubile: ut clarè dicit Pontifex cit. c. *Quanto De divortiis.* Aut ergò hæretici habent generalem intentionem contrahendi matrimonium more fidelium & Christianorū, sicut Deus & Christus instituit ac ordinavit, & tunc erunt Sacramenta & indissolubilia, non obstante errore privato, quo non credunt, & non intendunt Sacramentum & contractū indissolubilem conficere: consequenter tunc non erunt solùm contractus politici, quia ratio Sacramenti tollit illam civilitatem, & confert sacrationem, ut sic dicam: Aut expressè intendunt solùm contrahere civiliter & dissolubiliter positivè excludendo nō tantùm rationem Sacramenti (quæ casu adhuc maneret contractus indissolubilis inter baptizatos in nostra sententia *suprà*) sed etiam indissolubilitatem; & tunc contractus matrimonii inter baptizatos simpliciter nullus erit, cùm indissolubilitas sit conditio essentialis matrimonii fidelium saltem consummati: & consequenter erit concubinatus tantùm. Fateor tamen, probabilem esse Sententiam multorum RR. etiam nostri Marchant. *Tribunal. tomo 3. seu specul. tract. 1. tit. 2.* Matrimonia hæreticorum esse contractus civiles dissolubiles, atque per conversionem ad fidem eo modo solvendos, quo mox dicemus de matrimoniis infidelium. Quem videre potes, sed junge ei Gobat *in Appendice 15. 16. 17.*

§. II.

Matrimonium infidelium etiam consummatum, dissolubile est per unius conversi & baptizati aliud matrimonium contractum.

392 QUandò duorum conjugum infidelium non baptizatorum, conversus alter ad fidem baptizatur, non dirimitur hoc ipso matrimonium prius validum; nam per *Sacramentum Baptismi non solvuntur conjugia, sed crimina dimittuntur*: inquit Innocentius III. c. *Gaudemus. De divortiis.*

393 II. Attamen si conjuge uno ad fidem converso, alter sponte recedat, aut cohabitare nolit sine fidei contumelia, blasphemiâ Divini Numinis, periculo subversionis, inductione ad peccatum, concessum est fideli converso aliud matri-

monium contrahere; quo contracto prius matrimonium penitùs dissolvatur. Prout diserte definit idem Innocentius III. c. *Quanto Eodem.* Ex claro Textu Apostoli 1. Ad Corinth. 7. *Quòd si infidelis discedit, discedat; non enim servituti* (id est jugo matrimonii prioris) *subjectus est frater & soror in hujusmodi.*

394 III. Quòd si ambo conjuges infideles ad fidem convertantur, & baptizentur, eorum matrimonium, quod antea ratum & indissolubile omninò non erat, per ipsum Baptismum efficitur ratum, & omninò indissolubile post consummationem æquè, ac fidelium. Sed nunquid etiam efficitur Sacramentum? Affirmant cum S. *Thoma* & plurimis congestis Sanchez *l. 2. disp. 9.* Coninck. *disp. 24. dub. 2.* Layman. *tract. 10. part. 2. cap. 3. num. 6.* Rationem dant; quia eo ipso, quòd conversi post Baptismum consentiunt porrò cohabitare, eumque consensum quocunque signo declarant, contractum præcedentem matrimonii confirmant, & ratificant, ipsiq; modò incipiunt esse de novo sacrum symbolum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, adeoq; etiam congruum est, ut tunc potiantur gratia sanctificante. Negat autem mordicus noster Herincx *hic disp. 2. quæst. 2. num. 19.* eo quòd Christus dignitatem Sacramenti annexuerit ipsi contractui seu actuali contractioni & inductioni vinculi matrimonialis, non verò innovationi seu perseverantiæ ejusdem Sacramenti matrimonii; quamobrem etiam matrimonium fidelium, qui contrahentes exclusissent rationem Sacramenti, non transiret in Sacramentum posteà, si conjuges illi pœnitentiâ ducti innovarent consensum cum intentione Sacramenti: ait idem ibidem. Tu crede, quod placet.

395 IV. Si infideles ante Baptismum contraxerunt matrimonium cum impedimento dirimento solo jure Ecclesiastico, ut consanguinitatis, affinitatis, &c. post eorum conversionem ac Baptismum, verum & ratum censeri debet; quia in infidelitate contrahentes Canonicis constitutionibus non adstringebantur. Expressè cit. c. *gaudemus.* Secùs, si impedimentum fuissent juris naturalis vel divini, v. g. consanguinitatis in primo gradu, ligamen, &c. Quid si ergò infidelis Turca v. g. anteà plures uxores habuit, vel adhuc omnes retinena, vel prioribus repudiatis aliam tenet? Responsio clara est: post Baptismum retinendam esse, quam prima vice validè duxit. Hæc quoad infidelium matrimonia, cùm in nostris partibus praxis rarissima sit, obiter insanuêsse sat sit, latè videre potes apud suprà citatos *Sanchez, Layman,* & alios.

§. III.

Matrimonium ratum fidelium solvitur per Professionem Religionis approbatæ, ac Dispensationem Pontificis.

396 I. SOlvi per professionem, certum est de fide, definitum in Concil. Trident. Sess. 24. *Can. 6. Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solemnem professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.* Idemque decernitur variis Sacris Canonibus. c. *Decreta Legalia 27. quæst. 2. Extrav. antiquæ De voto. c. 2. c. Ex publico c. Ex parte &c. De conversat. conjugat.* Quo autem jure solemnis Professio solvat matrimonium, controversum est. Communis sententia est, solvere jure divino, & privilegio à Christo tradito per Ecclesiam. Ita Scotus *4. d. 31. quæst. unicâ num. 4* Herincx *disp. 4. num. 5.* & plurimis citatis Sanchez *l. c.* Pontius suprà, Tambur. *c. 5. tract. 6. num. 4.* Eò quòd nullum exsteret jus, quod primò hoc statuat: sed Pontifices locis allegatis potius supponunt, & declarant, tale matrimonium per professionem solemnem solvi, utique jure aliquo altiori. Contrà tamen solvere solo jure Ecclesiastico, seu sola Ecclesiæ authoritate, quam per antiquissimam Traditionem acepimus, æquè probabiliter docent alii, *Henriq. Medina, Lessius, Coninck,* eósque citans Layman. c. *6. num. 3.* Eadem ratione; quâ matrimonium contrahendum dirimere diximus *Sect. 1. §. 6.*

397 II. Professio solemnis penitus dissolvit matrimonium ratum quoad vinculum, ità ut ea emissâ (quam proindè exspectare debet) conjux in sæculo remanens libere posit ad alia vota transire. Et insuper, si professus talis anteà conjux à summo Pontifice dispensetur à suis votis solemnibus, & egrediatur ex Religione, poterit quamcunque eligere pro suo novo matrimonio: idque verum est, etiamsi uterque conjux Religionem assumpsisset, & deinde similiter dispensati poterunt cum aliis quibuscunque matrimonio copulari. Ratio clara est; quia jam ruptum fuit prius vinculum: idque etiam ex communi sententia, ex institutione Christi Domini. Atque hinc ulteriùs fit, ut talis Religiosus antea conjux peccet contra castitatem: peccat quidem sacrilegè contra votum, non tamen committit adulterium, cùm jam matrimonium, vinculo soluto, nullum sit. Pari modo contrà castitatem sacrilegè peccabit, si copuletur cum ea ipsa, cum qua antea contraxerat matrimonium ratum; quia, dissoluto vinculo, illa sua ampliùs non est. Secùs dicemus, quandò quis post matrimonium consummatum per divotium professionem emittit; quia tunc non solvitur matrimonium quoad vinculum.

398 III. Professio solemnis solvit matrimonium ratum nondum consummatum; quocunq; tempore, etiam post multos annos: & hinc in favorem Religionis, simulque ne alter conjux nimiâ exspectatione gravetur, c. *Ex publico* secundùm comminutissimam DD. interpretationem, conjugi de ingressu Religionis ante consummationem deliberanti duorum mensium spatium conceditur, intrà quod vel Religionis propositum exequatur, interim liber ab obligatione reddendi debitum: quo spatio elapso, si adhuc debitum quacunque causa, quantumvis injustè, conjugi neget, adhuc, altero invito, Re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ligionem ingredi potérit ante consummationem. Ut cum Glossa, & aliis docent Sanchez *disp. 24. num. 27.* Layman. *c. 6. num. 7.* Insuper, si intrà illud tempus à jure concessum maritus conjugem deliberantem de Religionis ingressu per vim opprimat (mortali peccato, secundùm Sanchez. *disp. 22. num. 15.*) etsi jam matrimonium indissolubile factum sit quoad vinculum, quippè per veram copulam consummatum, nihilominùs probabilius est, posse uxorem coactam adhuc Religionem ingredi, & inter viduas vel conjugatas profiteri: qui nemo sine sua culpa, nedùm per injuriam alterius, jure suo privari debet. *Rodriqu. Ledesma*, alii cum Sanchez. *disp. 22. num. 6.* Layman. *§. 2. Pontius. Hurtad. Aversa*, cum Tambur. *cit. §. 3. num. 5.* At, quid tunc erit de altero conjuge, qui ad copulam coegit? R. Ipsum nec posse matrimonium novum inire, nec Religionem profiteri. Ratio est; quia cùm remaneat vinculum, non liberatur conjux ab obligatione matrimonii, quam liberationem ideò concedimus coactæ, quia non debuit ob injuriam alterius suo jure privari: quod non militat in cogente.

399 IV. Privilegium dictum primi bimestris matrimonii, negandi debitum probabilius conceditur solùm conjugi cogitanti, deliberanti, aut jam volenti Religionem ingredi, adeò, ut conjux nolens ingredi Religionem etiam primo bimestri debitum conjugi petenti negare non possit; cùm sacri Canones non restringat, nec possint restringere jus conjugi per matrimonium acquisitum ad petendum debitum, nisi in casu, quo alter conjux Religionem ingredi cogitat, vel deliberat, aut defacto vult: ergò nec nos amplius restingere debemus. *Navar. Angelus, Coninck*, alii cum Layman cit. *num. 3.* Contrahum tamen, nimirùm conjugem etiam actu nihil cogitantem de Religione ingrediendâ, tamen primo bimestri posse negare debitum, satis probabiliter docent plures alii cum Sanchez *l. 2. disp. 24. quæst. 5.* Pontius *l. 6. c. 1* Tambur. cit. §. 3. *num. 4.* Ratio datur; quia qui noluit à principio vel priori mense animum Religioni adjicere, poterit forsan, Deo vocante, postea per mensem posteriorem: ergò habet jus custodiendi aptitudinem ad Religionem, adeóque consummationem matrimonii differendi.

Inquires adhuc aliqua curiosule: 1. Quid si talis matrimonio rato tantùm ligatus eligat Religionem ideò tantùm, quia ei displicet uxor, vel potius nova nupta, ut eâ se expediat? R. Tambur. *ibidem num. 18.* videtur hic licitè jure suo uti posse. 2. Quid si notabile damnum indè immineat nuptæ utpotè quæ difficillimè alterum virum invenire poterit? R. in simili Sanchez cit. *num. 27.* & ex eo *Tambur cit.* adhuc videtur vir uti posse jure suo, quæ enim charitas illum obligat cum notabili suo damno ad fœminæ commoda procuranda; neque irrogatur injuria fœminæ, quia etiam ipsa parem habet potestatem: & sub hac implicita conditione uterque contraxit matrimonium: ut quousque non fuerit consummatum, possit alter ad Religionem profici. 3. Licebitne etiam mihi contrahere matrimonium per verba de præsenti cum certo animo non consummandi, sed ad Religionem sine consensu conjugis transeundi? R. Certè regulariter licere nequaquam, idque sub mortali. Ex communi Sanchez *l. 1. de matrimon. disp. 43. n. 7. & 12. Coninck. Hurtado, Aversa*, alii cum Tambur. cit. *§. 2. num. 15.* Ratio est; 1. Quia regulariter fit injuria uxori; & quia cogetur exspectare, donec tu profiteàris; & quia tuâ causâ frustrà fuerunt expensæ factæ à tua sponsa. 2. Quia si tu fortè non profiteàris, cogerur uxor cum suo dedecore te habere conjugem excucullatum. 3. Quia das ansam non paucis suspicandi, ipsam à te propter aliquid vitium fuisse derelictam. 4. Quia si fortè ideò vis contrahere cum animo transeundi ad Religionem, quia votum emiseras castitatis, te exponis evidenti periculo consummandi matrimonium, adeóque votum violandi. Dixi autem *regulariter*; Nam in aliquo raro casu magnæ necessitatis peccatum non esset; quia necessitas tanta vincere posset incommoda illa, quæ modò dicta sunt. Exemplum ponit Sanchez. *ibidem*: Si illa matrimonii contractio tibi esset medium necessarium. ut posses ad Religionem transgredi v. g. si esses in carcere inclusus, nec aliud medium evadendi occurreret, nisi cum illo animo matrimonium conrrahere. Sed facessant tam raræ praxes. Jam.

Quid de Dispensatione Pontificis?

400 I. MAtrimonium ratum quoad vinculum solvi posse authoritate Ecclesiæ seu per dispensationem Pontificiam, negant rotundè & sanè probabilissimè gravissimi DD. quos longo catalogo recitat Sanchez infrà citandus, & acriter *Pontius, Mercatius*, alii RR. apud *Dianam* citandum, Herincx quoque noster hic *disp. 4. quæst. 1. num. 8.* Fundamenta minimè contemnenda latè proponunt DD. citt. Potissima sunt: 1. Christus *Matth. 19.* apertissimè dicit: *quod Deus conjunxit, homo non separet. 2.* Matrimonium ratum lege divina indissolubile est: sed Pontifex non potest dispensare in lege divina. *c. sunt quidam & sequentibus 25. quæst. 1. 3.* Ecclesia vel Pontifex non potest mutare Sacramenta: matrimonium autem ratum ex institutione Christi est Sacramentum: ergò, &c. 4. Matrimonium ratum non nisi accidentaliter differt à consummato: ergo si Ecclesiæ authoritate solvi potest matrimonium ratum, poterit etiam solvi consummatum, quod est falsissimum, & hæreticum: ut patebit §. *sequent.* Addunt, aliquos Pontifices hanc sententiam secutos eam dispensationem negasse, ut Innocentius III. Adrianus VI. & Pius V. Sed hoc nihil urget, cum ex

ex alia causa potuerint moveri ad negandam dispensationem, quàm ex defectu potestatis agnito, & longè plures Pontifices eam dispensationem concesserunt.

401 II. Contra tamen matrimonium ratum ob causam urgentissimam per dispensationem Pontificis dissolvi posse, jam videtur omnino negari non posse. Docent Canonistæ communiter in cit. *c. Expublico.* Et Theologi communius. *Navar. Sylvester, Medina, Heuriq. Bellarmin. Suarez*, aliisque congestis Sanchez *l. 2. disp. 14. num. 3.* Layman. *c. 5. num. 4. Tanner., Perez, Dicastil.* Tambur. *c. 6. num. 4.* Diana *part. 8. tract. 1. resol. 62.* & rursùs: *tract. 3. resol. 47.* ubi nominat septem summos Pontifices, qui eum triginta ita dispensaverint. Et novissimè *Innocentius X.* post tam longas acrésque inter Theologos disceptationes de hac potestate, fuit eâ usus erga vulgarem opificem, quidem nullius gratia suffultum: ut fidelissimè ad longum refert Gobat *cas. 18. num. 676. & num. 691.* meritò censens, jam absque contumelia Sedis Apostolicæ non posse defendi sententiam oppositam. Ratio ergo potissimùm sumitur à posteriori: factum est: ergò fieri potest. Et quis audebit affirmare, per tot Pontifices, & toties factum esse nulliter? A priori verò; quia certum est, Christum sic posse dispensare in mātrimonio rato: ergo eandem potestatem potuit Ecclesiæ, & Vicario suo Pontifici communicare; quoniam ergo videmus Ecclesiam per tot Pontificum seriem ea potestate esse usam, tenendum omninò est, eam ipsi à Christo defacto fuisse & esse communicatam æquè, ac potestatem dispenianti in votis, juramentis, imò & ipsa professione solemni, secundùm communem, etiam Adversariorum, sententiam. Atque hinc sic confirmo hanc sententiam cum Layman. cit. ex vulgato illo: *si possum vincere vincentem te, possum etiam vincere te*: ergo si Ecclesiæ authoritate & dispensatione potest solvi & velut evinci vinculum professionis religiosæ, per quam ipsam solvitur, & verè devincitur vinculum matrimonii rati, à fortiori sequitur, eadem Ecclesiæ authoritate matrimonium ratum posse dissolvi.

402 III. Non convincunt rationes oppositæ Sententiæ. Ad 1. R. illa verba Christi: *quod Deus conjunxit, &c.* intellexisse de matrimonio consummato; immediatè enim præmiserat: *itaque jam non sunt duo, sed una caro*: & indè intulit: *quod* ergo *Deus conjunxit, homo non separet.* Sicut ea verba interpretatur Alexander VII. cit. *c. Ex publico finali.* Ad 2. Concedo mai. & distinguo min. Papa non potest dispensare in lege divina, directè & propria authoritate, concedo min. Non potest dispensare indirectè vel authoritate & potestate à Christo sibi communicatâ, nego min. & consequentiam, Non ergo Papa dispensat in lege divina matrimonii, sed potestate sibi à Christo collatâ (ibi: *quæcunque solveris super terram, &c.*) solvit seu remittit vinculum matrimonii rati, quo vinculo soluto cessat obligare lex divina, quæ jubet vinculum matrimonii perpetuò consistere, præterquàm si suâ ipsius, aut Ecclesiæ authoritate dissolvatur. Ad 3. Similiter dist. mai. & consequentiam; Ecclesia enim non mutat Sacramentum matrimonii directè per se, sed tantum indirectè & per accidens, quatenus dissoluto contractu, in quo fundatur ratio Sacramenti, vir & mulier cessante esse sacrum symbolum. Ad 4. negatur consequentia; nam consummatio matrimonii est quædam perfectio ejus integralis, quæ secundum Christi institutionem sacri mysterii causâ majorem & ultimam ei indissolubilitatem tribuit. Ut §. 1. dictum. Quarè non sequitur, si matrimonium ratum solvi possit, etiam posse consummatum. Plura videre potest, qui vult, apud *Sanchez, Perez, Bellarmin, Dianam. l. c,*

IV. Dixi autem: *ob causam urgentissimam*; 403
nam ex comuni DD. sententia mihi cum Tambur. *tract. 5. c. 6. §. 1. num. 9.* omninò certum est, tam ad validam, quàm ad licitam dispensationem in matrimonio rato, æque, ac in votis requiri justam & gravem causam, qualis, teste Sanchez *l. 2. disp. 6.* ferè omnium consensu est. 1. Si gravia damna vel perpetuæ discordiæ, rixæque inter conjuges, conjunctósque prudenter timendæ sint. 2. Si matrimonio rato supervenit impotentia perpetua; item lepra, aliúsve morbus incurabilis, undè mutua cohabitatio nimis difficilis foret. 3. Magna inæqualitas inter virum & fœminam, saltem undè matrimonium difficile reddatur. 4. Si vir necessarius vel maximè conveniens bono publico eligatur in Episcopum, quæ latiùs videre potes apud citatos. Non ergò audiendus Henriqu. *l. 2. de matrimonio c. 8. num. 11.* cum quibusdam aliis asserens: ad hoc, ut Pontifex validè dispenset, nullam requiri causam, quia Christus circa hoc omnem authoritatem concessit Pontifici, ne relinqueretur locus perplexitati. Tu cogita, si Pontifex fias, an practicare debeas, vel velis.

§. IV.

Consummatum matrimonium fidelium simpliciter indissolubile est quoad vinculum.

404 I. CErtum apud omnes Catholicos. Ratio est; quia ex una parte matrimonium omne fidelium, maximè consummatum tum naturâ suâ, tum ex ordinatione divina, tum ratione Sacramenti tripliciter est indissolubile, ut §. 1. ostensum. Ex altera autem parte, ex nullo capite apparet, Christum Dominum dedisse Ecclesiæ potestatem dissolvendi matrimonium consummatum; imò ex antiquissima perpetua traditione constat, ejus vinculum esse in omni casu indissolubile, nisi per mortem alterius conjugis; ut Ecclesia semper prædicavit, & perspicuè docet Apostolus; *Ad Corinth. 7. & ad Rom. 7.*

405 II. Specialiter matrimonium consumma-
tum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum non posse dissolvi quoad vinculum propter fornicationem alterius conjugis seu adulterium, definitum est ab Ecclesia in Concilio Tridentino *Sess. 24. Can. 7.* Nam generaliter dicit Apostolus *1. ad Corinth. 7.* iis, qui matrimonio juncti sunt: ***Præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discendere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat, &c.*** Et infrà: ***alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, &c.*** In quæ verba meritò D. August. l. 2. de adulterio conjugum ait: ***Hæc verba Apostoli toties repetita totius inculcata vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt: nullius viri posterioris uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit; esse autem desinit uxor prioris si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii qui dimissam duxerit, etiã ob causam fornicationis.*** Sic Augustinus. Idipsum docent alii Sancti Patres, maximè D. ***Chrysostomus Basilius, Hieronymus, Ambrosius,*** & varia Concilia apud Bellarminum *l. 1. de matrimon. c. 16.*

406 III. Contra objicitur illud Christi *Matth. 19. Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & alteram duxit, mœchatur:* ergò à contrario sensu, qui dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, non mœchatur: ergo ob fornicationem uxoris (eadémque ratione viri) potest solvi matrimonium quoad vinculum. Atque ita senserunt quidam Catholici, ***Cajetanus, Catharinus,*** & ante ipsos ***Erasmus,*** subjicientes tamen se judicio Ecclesiæ: & defacto sic docent & practicant Græci Schismatici & Hæretici nostri temporis Lutherani, & Calvinistæ. ℟. negando utramque consequentiam; Christus enim eo loco solum concedit viro ob fornicationem uxoris divortium ac dimissionem quoad torum. Ut præter alios latè ostendit Cornelius à Lapide ad eum locum *Matth. 6. vers. 10.* Nam & Christus immediatè antea ex natura & prima institutione matrimonii probaverat, matrimonium planè esse indissolubile, & universaliter dixit: ***quod Deus conjunxit, homo non separet:*** quomodò ergo statim dicat, posse dissolvi quoad vinculum ob fornicationem, tam frequenti casu? & apud alios Evangelistas, Marcum, & Lucam, rursus, omissa hac exceptione, Christus simpliciter dicit Marc. 10. ***Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & uxor si dimiserit virum suum & alteri nupserit, mœchatur.*** Eadem ferè verba habet *Luc. 16.* Cur autem apud Matthæum illa exceptio ponatur; rationem videre potes apud Cornelium à Lapide citatum.

IV. Hic velut proprio loco explicandum esset, in quonam consistat matrimonii consummatio, sed hoc satis explicatum habes *sect. 1.* ***cùm de impedimento affinitatis:*** ut varecundum sit repetere, hoc solo notato: longè verius esse, ad consummationem matrimonii in ordine ad suos effectus non requiri seminationem fœminæ. Jam restat videre, qualiter matrimonium consummatum sit.

I. Solubile quoad torum.

I. DIvortium seu solutio matrimonii quoad torum tantùm, duobus titulis justè & sanctè fieri potest. 1. Justè fit ob crimen & principaliter adulterii, quippe quod per se ac directè fidei conjugali repugnat, de quo *c. sequent. sect. 4. 2.* Sanctè fit ob majorem vitæ perfectionem: idque quatrupliciter, per Professionem Religionis; per susceptum Ordinem sacrum; per votum continentiæ; per electionem continentiæ. De quibus hic pauculis, cùm hoc tempore sint raræ praxes. 407

II. Solvitur matrimonium consummatum quoad torum tantùm, quando uterque conjugum Religionem ingreditur, ac profitetur, vel uno ingrediente de licentiâ alterius, alter uxor v. g. in sæculo remanens votum continentiæ perpetuæ edat, atque ea ætat sit, ut extra probabile periculum incontinentiæ esse videatur. Habetur in Concil. Agathensi *c. 16.* & in jure *c. 1. c. cùm sit c. conjugatus. c. uxoratus de convers. conjugat.* & sumitur ex verbis Christi Matth. 19. ***Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem &c.*** 408

III. Quòd si remanens in sæculo nolit uti- 409
que non sine peccato, cùm dando licentiam se adid tacitè obligarit) ingredi Religionem, cùm sit juvenis, aut vovere continentiam, cùm sit senex, professio quidem alterius valida erit, remanens tamen in sæculo ad Religionem, vel votum cogi non poterit; imò si in periculo incontinentiæ versetur, debebit Episcopus conjugem professum uxori periclitanti restituere ad reddendum debitum tantùm; nam petere non poterit, & mortua uxore vel votum continentiæ tandem emittendæ, statim ad suam Religionem reverti debebit. Omnia ex jure & communi, Sanchez *l. 7. tract. 10. part. 3. c. 5.* Pontius *l. 9. c. 12. alii passim.*

IV. Quòd si tandem conjux sine consensu 410
alterius conjugis professus est, professio irrita est. Ut expressè habetur *c. quidam eodem titulo &c. Accedens. eodem.* & communis DD. cùm Sanchez *disp. 35.* Layman. *num. 4.* Unde talis nulliter professus ab uxore revocari poterit, imò & propria authoritate (amoto prudenter scandalo) ad conjugem reverti poterit, & debebit: id etiam requirit justitia debiti conjugalis: neque mortua conjuge ad Religionem nulliter professam reverti obligabitur; uti respondit Pontifex *c. quidam. eodem.* Addens tamen, talem invita conjuge nulliter professum, illâ mortuâ, alias nuptias contrahere non posse, & consequenter, nec ea vivente debitum petere. Ratio est; quia præsumptio est, quòd vovens voluerit se obligare eo modo, quo potuit: atqui maritus invita

invita uxore, se obligare nolluit ad hæc duo: & non petere debitum, & post mortem continentiam servare, quæ ambo includuntur in professione; ideò præsumptio juris est, quòd saltem hæc duo promittere voluerit maritus, si ejus professio valeret, quæ tamen præsumptio in conscientiæ foro veritati cedere debet, si revera non fuit animus vovendi castitatem, nisi dependenter à Religione: & certè ex communi more emittendi professionem, semper intendit profitens vovere castitatem Religioni annexam tantùm. Ut benè notant Layman. *num. 4. in fine.* Pontius *l. 9. c. 11. num. 4.* etsi strictius loquatur *Sanchez cit.* cum Diana *part. 6. tract. 7. num. 51.*

II. Per susceptionem Ordinis Sacri.

411 SImiliter solvitur matrimonium quoad torum, quando maritus de licentia & consensu libero uxoris sacros Ordines suscipit, validè & licitissimè. Ut habetur iisdem juribus suprà allegatis: iisdem tamen etiam servatis conditionibus, nimirùm ut uxor & ipsa priùs Religionem profiteatur, aut si sit senex & de incontinentia non suspecta, emittat votum simplex castitatis: quod licèt simplex votum sit, tamen hoc habet peculiare, ut, si ipsa post mortem conjugis jàm ordinati aliud matrimonium contrahat, in validè contrahat; eo quòd Ordini Sacro ea debeatur reverentia, ad quem licentiam dedit (etsi secùs sit, si dedit licentiam ad professionem Religionis) Ita communissima cum Sanchez *l. 7. disp. 30.* Azor *part. 1. l. 3. c. 14.* affirmat, esse omnium, etsi perneget Pontius l. 7. c. 25. asserens par esse utrumque votum, & neutrum matrimonium dirimere. Illud autem speciale Decretum est: *c. sane. De conservat. conjugator:* Ut conjugatus ad Episcopalem dignitatem non assumatur, nisi uxor Religionem ingredi consentiat. De quo Sanchez *disp. 41.* Layman *num. 6.* alii.

Rursus, si uxor, marito jam ordinato, Religionem ingredi, aut votum castitatis emittere nolit, Sanchez. *l. 7. disp. 39. num. 13* censet, debere cogi ad votum, cùm ad hoc emittendum se obligarit, dando liberè liceatiam, ut ad sacros Ordines ascendat. Castro-Palaus autem cum Tambur. *tract. 7. c. 4. §. 2.* negat posse cogi; cùm nemo unquam invitus cogi possit ad vovendum castitatem; sed debere ei suum virum restitui, ut suprè de professione dictum.

Denique si sine licentia uxoris sacros Ordines suscepit, etsi validè susceperit, attamen peccavit mortaliter, & incurrit suspensionem juris seu irregularitatem. *Extrav. antiqu. De voto.* Unde neque in Ordine suscepto ministrare, neque ad altiores Ordines promoveri, neq; Beneficium vel officium Ecclesiasticum obtinere poterit. Unde ulterius à conjuge revocari, & revocatus redire, ac debitum reddere, non tamen petere poterit ob annexum sacro Ordini votum castitatis; at non revocatus redire non tenetur: posse tamen redire æquè ac suprà nulliter professos, docent citati; cùm par sit ratio, quamvis enim illa professio sit nulla, hic verò Ordo sit validus eadè tamen est obligatio reddendi debitum uxori, idémque jus uxoris iniquè violatum.

III. Votum simplex castitatis.

LIcitè & sanctè matrimonium quoad torum 412
solvunt, si ambo conjuges mutuo consensu castitatem voveant: cujus rei commendata exempla plurima reperire est apud sanctos Patres & Historicos sacros; Quamvis propter incontinentiæ periculum consultum non sit conjugibus continentiam vovere, nisi præmissâ maturâ deliberatione & longâ probatione, quòd facilè continere ambo possint, atque post editum votum toro seu lecto eos separari omninò oportet: quia non benè concubat ignis cum stipula. Putant aliqui olim per votum simplex castitatis etiam solutum fuisse matrimonium ratum quoad vinculum, exemplo S. Theclæ, S. Alexii, & aliorum; sed dicendum, illos suam compartem deseruisse ex speciali instinctu Spiritus sancti. Ut dicit Innocentius III. *c. Ex parte. eodem titulo.*

IV. Per electionem continentiæ.

SI conjuges, ut melius Deo serviant, vel ne- 413
proles supra facultates eorum multiplicetur, mutuo consensu in perpetuum vel ad certum tempus toro se separent, nullo edito voto, licita est ejusmodi separatio, dummodò ex simili causa justa, non ex odio vel ira fiat. Ut notat Layman cit. *c. 7. num. 1.* Quamdiu incontinentiæ periculum alteri non imminet, sicut colligitur ex Apostolo, 1. *ad Corinth. 7. Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram.*

Petes tandem incidenter: Quid si quis ritè uxoratus, deindè ob impedimentum impotentiæ perpetuæ creditæ Professionem emisit, vel sacros Ordines suscepit, & postèa appareat, eum esse potentem: Quid faciet? Redirène poterit, & debebit ad uxorem: ℟. Diana *part. 11. tract. 5. resol. 7.* & Tambur cit. *§. 3. in fine.* posse & debere redire; quia prævalet validitas matrimonii, nii ritè susceptæ. Lege curiosè Dianam ibidem multa huc facientia latè prosequentem.

CAPUT II.

De Obligatione & Peccatis Sponsorum & Conjugum.

SECTIO I.

De Peccatis Sponsorum.

SUMMARIA.

415. *Mortaliter peccat promittens sponsalia vicèd.*
416. *Vel fraudulenter.*
417. *Non tamen obligatur.*
418. *Per se loquendo & in foro conscientiæ.*
419. *Qui verò ritè contraxit sponsalia, tenetur sub mortali ad contrahendum matrimonium.*
420. *Tempore ab ipsis præscripto.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

421. *Ad quod censuris cogi debet injustè resilire volens.*
422. *Sponsi cum aliis peccant gravius;*
426. *Cum se invicem autem leviùs.*
427. *Mortaliter tamen exercendo copulam.*
428. *Vel morosè delectando de ea ut præsenti sensibiliter.*
429. *Aut tactibus valdè impudicis.*
420. *Non item, si tactus non sint ità impudici.*

ASSERTIO.

414 SPonsus vel sponsa peccat mortaliter, *si 1. aut fictè vel fraudulenter promittat: aut 2. ipsa sponsalia ritè contracta absq; dispensatione, vel justa causa violet;* aut 3. *stantibus sponsalibus fornicetur, cum aliis quidem gravius (& probabilissimè speciali malitia ex parte sponsa saltem necessario in confessione explicandâ.)* 4. *Cum invicem sponsus & sponsa, leviùs cæteris; mortaliter tamen contra sextum Præceptum delinquunt æquè, ac saluti: illis tamen plus aliquid licere debet quoad oscula, amplexus, ac tactus ex objecto vel intentione non impudicos.* Tota communis. Priores duæ partes satis constare debent ex latè, sed sparsim dictis *c. præcedent. Sect. 2 per totam*, quæ in commodum confessarii breviter recolligo.

§. I.

Si fictè vel fraudulenter promittant.

415 I. FIctè quidem: ut, si verbis tantùm absque animo & intentione promittendi seu se obligandi, aut promissum implendi ille vel ista promittat, peccare mortaliter, cùm alterum decipiat in re gravi, apud omnes in confesso est; intellige tamen: in ipso sponsalium contractu oneroso alterius repromissionem & obligationem exigendo, & admittendo; nam si extra contractum sponsalium merè liberaliter quis alteri matrimonium fictè promitteret, probabiliùs est, per se loquendo, seclusò nimirùm alio damno vel incommodo, solùm peccare veniali mendacio. suprà *Sect. 2. §. 2.*

416 II. *Fraudulenter*: Si se in re gravi pertinente ad eum contractum decipiant, ut, si sponsus falsò jactet opes, officium, artem, &c. Sponsa dotem, nobilitatem, &c. Unde posteà matrimonium reddatur notabiliter difficilius, aliáque incommoda sequantur parti deceptæ, imò sæpe & ipsi parti decipienti, peccare mortaliter contra justitiam, aut saltem contra charitatem ergà proximum, vel se ipsum, ex se clarum est. Quare, re adhuc integrâ; omninò veritas aperienda, aut à contractu abstinendum erit: juxtà dictâ eâdem *Sect. 2. in Subsect. §. 4.*

417 III. Qui vel quæ omninò fictò animo sponsalia iniit, per se in conscientia non obligatur ad nuptias contrahendas (nisi ad summum ex virtute fidelitatis externæ tantùm, quâ homo tenetur dictis suis conformare facta, certè non graviter obligante) Ita contra *Navar. Ledesma, Vasquez*, alios non paucos, probiliùs docent *Veracrux, Molina*, aliisque citt. Sanchez *disp. 11. quæst. 1.* Layman. *l. 5. tract. 10. part. 1. c. 1. n. 10.* Hurtad. Aversa. Tambur. *tract. 3. c. 1 §. 4. num. 8.* Ratio est; quia si promissioni consensus defuit, promissio simpliciter nulla fuit, ideóque inde nulla, per se loquendo, in foro conscientiæ potuit oriri obligatio. Et licèt deceptor peccaverit contra justitiam, quia tamen, ut supponimus, deceptio nullius damni causa fuit, non etiam apparet aliquid, quod sit restituendum; cùm pro injuria mera, seclusò damno, nulla debeatur restitutio in foro conscientiæ, sed tantùm satisfactio ex charitate, aut punitio ex justitia vindicativa per sententiam judicis tantùm. De quo alibi.

418 IV. Dixi: *Per se loquendo*: & *in foro conscientiæ*; nam per accidens, quando damnum sponsæ ex ficta promissione proveniens aliter compensari non potest, quod tamen secundùm justitiæ æquitatem compensare tenetur deceptor, obligabitur sanè, deposita simulatione, verè consentire, & deceptam ducere: utpotè, si sponsa alioquin gravem infamiam passura sit: aut si ficta promissione nuptiarum deceptam eam ad copulam deduxerit, vel etiam imprægnaverit; quia mulier corporis sui copiam faciendo contractum innominatum instituit: do tibi corporis copiam ea lege, ut posteà mecum matrimonium contrahas; adeóque si mulier promissionem impleat: alter acceptare non potest, nisi ex naturali æquitate & justitia contrahendo obligationem implendi promissum, quamvis anteà fictum in se, ad quod in omni foro compelli potest & debet. Vides jam tunc fictò promissore incumbere duplicem obligationem, verè contrahendi, & damni injustè illati compensandi, quod aliter compensari non posse supponitur.

§. II.

Aut sponsalia ritè contracta absque dispensatione vel justâ causâ violent.

419 TEnetur quis per se loquendo inire matrimonium, cum qua syncerè valideq. e contraxit sponsalia. Omnes, cum D. Thoma & Scoto *in 4. d. 27.* & expressè decernit jus Canonicum *c. Ex litteris 2. & c. Requisivit. De sponsal.* Ratio est; quia omnis contractus maximè onerosus de re gravi obligat sub mortali ex justitiæ virtute: sed sponsalia non sunt simplex promissio, sed verus contractus onerosus ultro citróque obligans ex justitiâ, adeóque sub mortali, utpotè in re tam gravi & tantæ obligationis maximè capaci: ergò sponsus vel sponsa sub mortali obligatur in conscientia ad contrahendas nuptias, quamdiu alter incontractu persistit, sive deindè sponsalia celebrata sint solemniter cum testibus & cæremoniis, sive privatim inter solos, quamvis in ordine ad forum externum requiratur probatio per testes vel indicia, aut in defectum probationis juramentum, si deferatur. Nota rursus hic sermonem esse de ipso contractu sponsalium cum repromissione mutua peracto; nam si merè liberaliter promisisti alteri matrimonium, non petendo ejus repromissionem, jam suprà admisimus, esse probabile, te solùm venialiter delinquere resiliendo, etiam sine justa causa; nam juxta communem sententiam DD. Virtus fidelitatis perindè ac veracitatis per se solùm obligat sub veniali. Vide dicta de promissionibus. *Tr. 6. Decal. c. 2. Sect. 2.*

At nunquid sponsi expressa voluntate contrahendo sponsalia poterunt se obligare sub veniali tantùm? Negat *Vasquez*, eique subscribens Pontius *l. 2. c. 12.* Eo quòd contractus sponsalium ex natura sua obliget graviter. Concedit autem Sanchez *l. 1. disp 9. num. 6.* Eo quòd tota obligatio pendeat à voluntate contrahentium. Sed rectè cum *Aversa* advertit Tambur cit. *c. 1 §. 2. num. 3.* Tunc illa non esse in rigore sponsalia; hæc enim rigorosam & certam obligationem futuri matrimonii continere debent, concedunt enim sponsis ex probabili sententia amplexus & oscula, & inducunt impedimentum publicæ honestatis, qui effectus certè supponunt, sponsos habere jus rigorosum ad futurum matrimonium, adeóque obligationem gravem ad nuptias, nisi quid rationabile oberit, contrahendas.

420 II. Tenentur jam sponsi matrimonium inire tempore ab ipsis præscripto, nisi una pars liberaliter admittat dilationem, aut justa causa excuset; quia virtus fidelitatis ac justitiæ extendit suam obligationem ad omnes circumstantias promissas. Quòd si nullum tempus contrahendis nuptiis præfixerunt, tenebitur quivis sub mortali contrahere, quandò alter, consideratis circumstantiis id rationabiliter exigit. Ita cum aliis Sanchez. *l. 1. disp. 28.* quem tuetur Diana *part 3. tract. 4.* resol. 245. Pontius autem *l. 12. c. 6.* contendit, obligari sub mortali contrahere statim, quando opportunè & commodè matrimonium contrahi potest; nam juxta jura in omnibus obligationibus, quibus dies non opponitur, præsenti debetur. Sed facilè has Sententias conciliamus, si dicamus: obligari quidem statim; quia natura promissionis ea est, ut servetur, quamprimùm moraliter & humano modo servari potest: At excusari ejusmodi sponsos, quoties alter non requirit, cum possit; quia tunc censetur remittere, & non curare de dilatione. Vide dicta suo loco. Cæterùm Congregatio Cardinalium apud Gallemart ad Trident. *Sess. 24. c. 1.* sic providè statuit: *Monendi sunt sponsi, ut factis sponsalibus quamprimùm contrahant matrimonium per verba de præsenti coram Parocho & testibus, ne sponsæ stupri periculum subeant*: Certè dilatio matrimonii inter sponsos præbet occasionem efficacem infinitarum turpitudinum. Ut, prò dolor! experiuntur confessarii

421 III. Judex Ecclesiasticus potest, & tenetur, per se loquendo, censuris Ecclesiasticis compellere ad standum matrimonio illum, qui stare recusat sine exceptione legitima seu justa causa resiliendi, si alter jus petat, non modò, quando sponsalia sunt firmata juramento: juxta claros Textus juris cit. sed etiam, quando non fuerunt roborata juramento. Ut contra *Angles, Armil. Sotum*, alios docent DD. communiter, Sanchez *l. 1. disp. 21.* Coninck. *disp. 22. num. 6.* Tanner *disp. 8. num. 37.* Gobat. *cas. 4, num. 123.* Sic enim loqsitur Pontifex cit. *c. Ex litteris*: *Quatenùs si hoc* (scilicèt sponsum contra juramentum suum velle ad alia vota migrare, relictâ priori sponsâ,) *tibi constiterit, eum moneas, & si non acquieverit, Ecclesiasticâ censurâ compellas, ut ipsam in uxorem accipiat.* Et ratio est; quia judicis est compellere quemvis ad standum legitimo contractui, si jus petatur. At sponsus v. g. quantumvis anathemate percussus pergit contumaciter injustè repudiare sponsam: quid aget judex? Quid sponsa? R. Ad evitandum majus malum & pessimum matrimonii successum, judex debebit à censura absolvere etiam non petentem: & sponsa, si sapit, debet esse contenta, salvo jure petendi compensationem omnium damnorum emergentium ex hac dissolutione. Sanchez cit. *num. 8.* Tanner cit. *disp. 8. quæst. 1. dub. 3. num. 36.* & benè Gobat cit. *num. 228.* alii apud ipsos. Etenim cit. *c. Requisivit.* sic respondet Lucius Papa: *Requisivit à Nobis Tua Fraternitas, qua censura mulier compelli debeat, quæ, jurejurandi religione neglecta, nubere renuit ei, cui se nupturam interposito juramento firmavit: Ad hoc taliter respondemus: Quòd, cùm libera debeant esse matrimonia, monenda est priùs, quàm cogenda, cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Sic Pontifex, aut tò *potiùs* accipiens pro tò *priùs*, aut pro tò *cogenda* intelligens *coactionem exactissimam* pertinacis, cum prævisò difficili matrimonii successu: juxta modò dicta. Ut proindè hoc Capitulum nullo modo repugnet citato *c. Ex litteris.* Prout varii explicant apud Sanchez cit. *num. 28.* Vide de hac re satis bene & practicè differentem P. Gobat cit.

422 IV. Quando sponsus vel sponsa contra fidem priorum sponsalium contraxit cum alio vel alia, secunda sponsalia omni jure sunt irrita: secundum omnes; etsi per accidens quandoque secunda sponsalia prævalere debeant. Ut expressò *c. præcedent. Sect. 2. §. 3.* & ibidem *subsect. tota* habes justas causas dissolvendi sponsalia explicatas satis.

§. III.

Cum aliis peccant gravius cæteris,

423 SPonsi scilicet vel sponsæ (constantibus sponsalibus) fornicatio cum alia vel alio, etsi non si propriè adulterium, addit tamen peccato mortali fornicationis circumstantiam speciem mutantem, probabiliùs gravem & in confessione necessario explicandam, saltem ex parte sponsæ fornicatiæ.

I. Non esse propriè adulterium, est consensus DD. & plurimis citatis probat Sanchez *l. 1. disp. 2. num. 2.* Layman. *part. 1. c. 1. num. 6.* Quia adulterium definitur in jure: *violatio alieni tori*: at fornicatio sponsi vel sponsæ cum aliis, aut aliorum cum sponsa vel sponso, non est violatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

alieni tori; nam sponsis de futuro ante matrimonium ratum de præsenti minimè competit jus tori, quamvis enim jam habeant jus inchoatum & jus ad rem seu ad corpus præ aliis, nondum tamen habent jus completum & in re atque ad ipsam copulam: ergò non est propriè adulterium, & consequenter filii inde nati non spurii, sed naturales censentur, per subsequens matrimonium omni jure legitimandi.

II. Addere fornicationi simplici circumstantiam aliquam speciem mutantem, per se patet; est enim duplex malitia, una fornicationis contra continentiam, altera fractorum sponsaliorum contra justitiam, violando scilicèt jus inchoatum & ad rem tam sponso, quàm sponsæ per sponsalia acquisitum: ergò accedit circumstantia speciem mutans, scilicet violati, etsi nondum perfecti, tamen inchoati juris & justitiæ; eámque communi DD. sensu probabilissimè æstimatam gravem, ideòque in confessione explicandam; etsi alios probabiliter oppositum sentire, alibi notatum sit.

424 III. Hanc circumstantiam tam ex parte sponsi, quam sponsæ esse explicandam, & ab ipsimet, & ab aliis cum ipsis fornicantibus, docent gravissimi DD. *Scotus, Lopez, Ledesma*, & alii apud mox citandos; quod nimirum uterque sponsus per sponsalia par in alterutrum jus acquisierit, adeòque utriusque violatio par sit injuria, & consequenter utraque, vel neutra, gravis & in confessione explicanda. At contra.

425 IV. Eatnque circumstantiam ex parte solius sponsæ violatæ necessariò explicandam esse in confessione, cum plurimis docet Sanchez *num.* 6. Ratio est; quia licèt sponso vel sponsæ par sit utrinque jus, non tamen censetur par utrinque injuria ex violatione illius juris; nam ex parte sponsi fornicantis communi prudentum æstimationi censetur injuria levis, adeòque ut talis non excedat limites peccati venialis, consequenter in confessione necessariò explicanda non erit, nisi fortè suâ culpâ evulgata sit cum dedecore & offensa gravi sponsæ, quæ fortè ideò resilire debebit. Ut notat *Layman cit.* Ad verò ex parte sponsæ fornicantis per se censetur longè gravior injuria illata sponso, non tantum communi prudentum ac omnium hominum æstimatione, sed etiam ipsius juris, adeò ut Leges *ff. Ad legem Juliam. De adulterio.* concedant actionem contra sponsam adulterantem: idque non tantùm ratione longè majoris turpitudinis in fœmina violata, quàm in viro, sed etiam ob gravius periculum alterius injustitiæ; sponsa enim fornicando exponit se periculo concipiendi prolem, à sponso maritò postea, credente esse suam, alendam.

§. IV.

Cum se invicem autem leviùs, mortaliter tamen contra sextum Præceptum delinquunt.

426 SPonsi scilicèt & sponsæ de futuro contra sextum Præceptum luxuriâ & impudicitiâ cum invicem peccant mortaliter eodem modò, quantum ad speciem peccati, non tamen quoad intensionem peccati, id est, non tam graviter, ac soluti; quia nimirum habent jus inchoatum, & ad rem ad invicem per sponsalia, etsi nondum completum, & in re ad ipsam copulam; utroque autem jure carent soluti.

I. Peccant ergo mortaliter sponsi de futuro, 427 inprimis exercendo ipsam copulam carnalem ante matrimonium ratum de præsenti, quo primo fit traditio corporum, & acquiritur jus utrinque ad copulam; secundùm omnes. Est enim adhuc accessus ad non suam per traditionem, etsi sit ad suam per promissionem tantùm. Quidam moderni nimium extenuant dicentes, id esse levissimum inter mortalia, & gravissimum inter venialia. Sed nimium satis est, esse levissimum mortale, ideòque reddere obnoxium æternæ damnationi.

II. Peccant mortaliter voluntariè delectando 428 morosè de copulâ futurâ cogitata ut præsenti, delectatione sensibili venereâ, maximè cum commotione spirituum ad generationem fervientium. *Omnes.* Sicut enim ipsa copula & ejus delectatio pro præsenti est eis mortaliter illicita, ita & actualis delectatio præsens de tali copula cogitata eis illicita mortaliter est. Cæterùm, ubi alibi notavimus, aliud est consensus & complacentia in copulam cogitatam ut præsentem, & delectationem actualem venereum ex tali copula cogitata actu in apetitu sensitivo & partibus venereis consequentem; quod & sponsis de futuro, & viduis de præteritò mortaliter illicitum, & solis conjugibus licitum est. Aliud est consensus & complacentia in copulam cogitatam ut futuram & delectationem venereum ex tali copula futura aliquando consecuturam; quod sponsis illicitum non est; cùm enim ex ipsis sponsalibus contractis velut jure inchoato talis copula & delectatio sit aliquando futura, non debent de ea contristari, vel eam avertari, sed licitè in eam consentire, complacere, vel gaudere de ea possunt, cùm nihil aliud sit, quàm gaudere de spe boni futuri, quæ spes præsens & licita est. Ita cum plurimis Sanchez *l. 4. disp.* 47. Diana *part. 3. tract. 5. resol. 2.* Jacobus Marchant. *Ref. fol. Pastor. tract. 8. c. 1. in fine.*

III. Insuper peccant mortaliter tactibus im- 429 pudicis sive ex objecto, ut circa partes verendas, sive ex intentione tangentis, utpote se vel alteram provocandi ad libidinem, copulam, pollutionem, aut delectationem venereum: sive ex adjuncto periculo actus vel consensus in copulam, pollutionem, delectationem venereum, &c. Quia tales tactus impudici sunt proximæ dispositiones ad copulam, ac proinde illis solis licent, quibus licet ipsa copula, quibus autem copulam non licet sub mortali, ut sponsis, mortaliter illiciti sunt. Communissima Navar. *c. 16. num. 13.* Sanchez *l. 1. disp. 46. num. 51.* rectè inferentes, sponsos de futuro non permittendos commorari solos ob periculum libidinum.

IV

430 IV. Tactus non ita impudici ex objecto, intentione, vel periculo libidinis, sicut & oscula, amplexus, aspectus, colloquia inter sponsos ex sponsalibus cohonestantur, aut saltem à mortali excusantur, etsi conjuncti sint cum delectatione sensibili ex ipsis tactibus, osculis, amplexibus præcisè proveniente. Ita Navar. *c. 14. num 18. & c. 16. num. 12.* aliisq; plurimis congestis Sanchez cit. *num.* 47. Layman *l. 4. sect. 4. num. 11.* Diana *part. 2. tract. 17. resol. 6.* Ratio est; quia sicut matrimonium ratum conferendo jus ad copulam cohonestat ipsam copulam, ita sponsalia de futuro, cùm sint quoddam matrimonii initium, & jus quoddam inchoatum, tribuunt & cohonestant ejusmodi tactus, oscula, amplexus, &c. non impudicos, tanquam dispositionem & præparationes ad futurum matrimonium, Et liquidem fiant ejusmodi tactus, oscula, amplexus, aspectus, colloquia inter sponsus solummodò in signum benevolentiæ, ad fovendum mutuum amorem in ordine ad futurum matrimonium, aut honestæ civilitatis gratiâ secundùm morem patriæ, omninò licita erunt & sine culpa, omnium ferè consensu; quia finis est honestus: si verò intendatur delectatio illa sensibilis ex ipsis talibus tactibus, osculis, &c. proveniens (dummodò absit semper delectatio morosa venerea, ejusque, vel ulterioris libidinis periculum, scilicet pollutionis vel copulæ) erunt peccata venialia, excusantibus sponsalibus, etsi in solutis sint mortalia. Ita Navar. Sanch. *l. c.* Cajetan. Lopez, alii apud eundem Sanchez *num.* 48. Addit. Tambur *l. 7. Decal. c. 3. §. 5. num. 61.* quòd, si sponsus v.g. est in ea occasione, ut plane inurbanus haberetur, nisi exerceret ejusmodi non impudicos tactus & oscula, amplexus vel colloquia non obscœna, possit ea exercere, etiam cum prævisо periculo polutionis, secluso tamen consensu ac periculo consensûs in illum; quia jam adest rationabilis causa, & sponsus dat operam rei licitæ. De quibus omnibus latius suo loco. Tandem sermo fuit de sponsis propriè dictis per sponsalia valida & absolutè contracta; nam illis, qui sibi sponsalia solùm promiserunt, aut qui sponsalia contraxerunt invalida, aut contraxerunt sub conditione in futurum, v. g. si parentes consenserint: si Papa dispensaverit, &c. minimè licita sunt illa etiam non impudica amoris signa, quæ sponsis veris concessimus; isti autem nondum sunt sponsi. Vide Sanchez *l. 5. de matrimonio. disp. 5. à num. 38.* Dianam *part. 4. tract. 4.*

SECTIO II.

De peccatis Conjugum in contractu matrimonii, ejusq; invalidi revalidatione.

SUMMARIA.

431. *Fictè contrahens matrimonium peccat mortaliter.*
432. *Et in foro externo compellitur ad verè contrahendum.*
433. *Nisi adsit legitima exceptio.*
434. *Casus difficilis.*
435. *Contrahens scienter cum impedimento quocunque peccat mortaliter.*
436. *Peccato sacrilegii.*
440. *Sicut & alii ad sit contrahendum scienter inducentes, & cooperantes.*
443. *Instructiones Confessarii valde notandæ, quando in confessionali cognoscuntur, matrimonium esse invalidum* usque ad n. 447.
447. *Si matrimonium est invalidum ex defectu consensus utriusque contrahentis, sufficit hunc solùm renovare consensum verum.*
449. *Probabiliter interne tantùm.*
451. *Matrimonium invalidum ex impedimento revalidatur per dispensationem.*
452. *In quo jure ordinario dispensat solus Pontifex.*
453. *Quando dispensare possit Episcopus?*
455. *Quid agendum Confessario vel Parocho, si immediatè ante nuptias jam jam celebrandas in aliquo contrahente invenerit impedimentum occultum?*
456. *Habita dispensatione necessariò requiritur etiam novus consensus.*
457. *Et quidem utriusque, internus & externus.*
458. *An impedimentum & nullitas matrimonii debeat alteri parti ignoranti manifestari?*
461. *An requiratur etiam nova solemnitas, seu præsentia Parochi & testium?* usque ad n. 448.

ASSERTIO II.

PEccant mortaliter & sacrilegè conjuges, si aut fictè matrimonium contrahant, aut scienter & voluntariè cum impedimento quocunque: certò quidem sacrilegio, si cum impedimento impediente tantum, saltem ut suscipientes: & verùm etiam sacrilegio ut ministri, si cum impedimento dirimente quocunque seu juris divini & naturalis seu juris positivi & Ecclesiastici, addita sæpe specialiori malitia ex motivo impedimenti præter nullitatem talis matrimonii, necessariò postea aut dissolvendi, aut revalidandi per suppletionem, aut impetrata dispensatione, per renovationem consensus. Hæc Assertio magni momenti acuratè explicanda est.

§. I.

Peccat mortaliter, si aut fictè matrimonium contrahant.

431 I. SI nimirùm contrahens simulatum animum habeat absque vero interno consensu in matrimonium, certum est apud omnes, peccare mortaliter, per se loquendo, secluso nimirum specialiter metu gravi injustè incusso ad extorquendum matrimonium. Juxta dicta in Impedimento *vis.* Et quidem dupliciter: 1. Sacrilegio contra reverentiam Sacramenti; cùm ipsi contrahentes sint ministri hujus Sacramenti: omnis autem minister falsò absq; intentione adhibens signa Sacramentorum, peccant sacrilegio: ergò &c. Communis DD. Layman *tract. 11. p. 2 c. 4. num. 1.* De hoc vide Parte 1. c. 3. *num. 163.* ubi dixi, rationem malitiæ sacrilegæ ejus, qui invalidè conficit Sacramentum, desumi non ex irreverentia ipsius Sacramenti (cum tunc nullum conficiatur Sacramentum: & non entis nullæ sint qualitates.) sed ex irreverentia adversùs ipsum Authorem Sacramentorum DEUM ac CHRISTUM. Nam etiam fictè contrahens matrimonium exhibet signa Sacramentalia in iis circumstantiis, in quibus ex institutione Divina deberent hominem sanctificare: Talis autem sua

Universidad de Deusto
Biblioteca

fictione facit, ut non possit hominem sanctificare, utique gravi irreverentiâ & quasi illusione Christi Institutoris Sacramentorum. 2. Peccato injustitiæ ac injuriæ, quam alteri parti bona fide contrahenti infert in re gravissima: eâque de causa obligatus manet ad compensandum omna damna, quæ indè conjugi putatitiæ accidunt, quæ compensatio plerumque secundùm æquitatem fieri nequit aliâ ratione, quàm ut, depositâ simulatione, verum habeat animum & elicito consensu matrimonium ratificet; nam ut infra dicemus, quando matrimonium est invalidum ex defectu solius consensûs interni, ratificatur eo solo, quòd consensus verus accedat, dummodò alter contrahens suum consensum actu vel virtute retineat. Qua de re latissimè Sanch. *l.* 2.

432 II. Ficto animo absq; consensu interno matrimonium contrahens, etsi matrimonium omni jure irritum sit; cùm sine consensu non subsistat contractus matrimonii. c. *sufficiat* 27. *quæst.* 2. & c. *cùm locum. De sponsal.* fictus autem consensus non est consensus, & ideò is in foro conscientiæ per se non obligetur ad verè contrahendum, nisi per accidens, ratione damni: nihilominus tamen in foro externo præsumitur esse Sacramentum, & fictus compellitur ad verè contrahendum & cohibitandum, ita ut neque juranti credatur adversus ea, quæ anteà asseverâvit, se nimirùm fictè tantùm contraxisse; cùm juxtà legitimas Sanctiones, *Nimis indignum sit, ut quod sua quisq; voce dilucide protestatus est, proprio valeat testimonio infirmare*, donec nimirùm deceptor sub declarationis clarissima indicia edat, quæ Ecclesiasticus judex sufficere arbitretur ad fidem contrariam dictis prioribus habendam. Ratio disparitatis est, & assignatur à D. Thoma, aliisque communiter. In foro judiciali creditur homini contrà se, & non pro se simpliciter asserenti: in foro autem pœnitentiæ creditur homini pro se & contra se. Unde quantumvis etiam juratò asserenti, se consensu simulato contraxisse, alter conjux credere non tenetur, imò nec potest eo fine, ut à vinculo conjugii liber præsumatur, & ad aliud matrimonium transire liceat. Communis DD. citati omnes.

433 III. Casus tamen aliqui enumerantur à DD quibus talis deceptor ad matrimonium non obligatur: 1. Si decepta provirgine falsò se jactabat; nam deceptio deceptione tollitur, & velut compensatur. 2. Si deceptor in longè eminentiori statu positus sit; dummodò spe matrimonii copula non interesserit, aliâ tamen factâ justâ compensatione. 3. Quandò decepta, deceptione cognitâ, aliam compensationem sponte recipit. 4. Si deceptor aliud posteà matrimonium vero consensu contraxit, cui omninò stare tenetur, factâ tamen debitâ compensatione priori deceptæ sponsæ. Ex communi *Layman.* l. c.

434 IV. At, quid si hoc casu judex Ecclesiasticus deceptorem censuris cogat ad prius matrimonium fictè contractum, cùm priorem fictionem probare non possit, & asserenti, etiam juranti credi non debeat: & posteriùs matrimonium invalidum judicetur? Difficillimus casus. Resp. D. Thomas *Supplement. 3. part. quæst.* 85. Layman cit. *part.* 2. *c.* 6. *in fine*, alii communiter: Quòd si is nulla alia ratione effugere possit, quin, desertâ posteriori legitima conjuge, ad priorem putatitiâ redeat, posse quidem & debere illi aliquamdiu cohabitare, ut Ecclesiæ præcepto satisfaciat, potiùs tamen quidvis pati, & etiam excommunicationis sententiam in foro externo sustinere debet, (nam in foro conscientiæ coram Deo non incurrit) quàm in copulam consentiat; esset enim verum adulterium per se intrinsecè malum, quod neque Ecclesia, neque alius quicunque præcipere potest: & neque vitandæ mortis causâ licere potest.

At rursus, quid si secunda uxor interim aliud matrimonium in eat? Resp. Salvari bona fide, & ignorantia invincibili, quousque veritas de dubitate prioris & valore alterius matrimonii pareat. De quo plura in simili inferius.

§. II.

Aut scienter & voluntariè cum impedimento quocunque.

435 MOrtaliter certò peccant scientes & voluntariè contrahentes matrimonium cum impedimento quocunq; seu dirimente, seu impediente tantùm. Ita omnes, teste Perez *disp.* 22. *sect.* 2. & 3. Ratio patet; quia in re gravi & magni momenti contraveniunt præcepto, aut naturali vel divino, ut saltem Ecclesiastico; singula enim impedimenta continent gravem materiam, gravémque inobedientiam fundant: ut patet discurrenti per singula. Jam verò qualiter ejusmodi contrahentes in specie peccent, breviter explicandum erit.

436 I. Contrahens matrimonium cum impedimento impediente tantùm, certò committit sacrilegium, saltem quatenùs suscipiens est verum & validum Sacramentum matrimonii: quemadmodùm quilibet in statu peccati mortalis suscipiens Sacramentum vivorum mortali sacrilegio delinquit, ponendo obicem effectui Sacramentali, scilicet gratiæ sanctificanti. Attamen, quatenus sic contrahens minister est, in mortali alteri Sacramentum matrimonii ministrans in communi & recepta jam sententia, non peccare mortaliter; cùm ad hoc ministerium specialiter consecratius non sit: posse tamen peccare mortaliter, quatenùs alteri simili impedimento obstricto, aut aliàs in mortali existenti hoc Sacramentum scienter ministrat, tanquam cooperans peccato alterius, cùm id facilè impedire posset; jam per occasionem innui supra, cùm de Ministro Sacramenti hujus. Insuper autem talis peccat speciali peccato contra virtutem, ex cujus motivo inductum est impedimentum, utpotè contrà virtutem Religionis, si contrahit obstrictus voto simplici Castitatis, aut cum impedimento sacri temporis seu feriarum: contra virtutem justitiæ, si cum impedimento sponsalium. contrà virtutem obedientiæ, si cum impedimento interdicti. Tandem contrahendo tantùm, non item posteà consumando, peccare contrahentem cum impedimentis impedientibus tantùm (excepto: si voto simplici castitatis obstrictus sit) jam inducatum est suprà, cùm de impedimentis impedientibus: exque professo magis explicandum erit infrà, *sect. sequent.* ubi de peccatis conjugum in usu.

437 II. Contrahens scienter & voluntariè cum impedimento dirimente quocunq; seu juris naturalis, seu divini, seu Ecclesiastici tantùm, certò quidem peccas mortaliter ob rationem generalem initio datam: certò tamen etiam non peccat sacrilegio, quatenùs suscipiens est; cum nullum tunc Sacramentum suscipiatur, ne fiat: insuper neque peccare sacrilegio, quatenùs Minister est invalidè ministrans, docent gravissimi DD. ac ipse Sanchez *l.* 7. *disp.* 5. Hurtad. *disp.* 2. *diff.* 3. Perez *disp.* 21. *sect.* Dicastil. 12. *disp.* 7. *dub.* 2. Diana *part.* 3. *tractat.* 4. *resol.* 297. alii apud istos: & probabile censent Tambur. *tract.* 1. *c.* 17. *num.* 9. Gobat *cit. num.* 60. Ratio est; quia sic contrahens directè solùm irritat, & annullat contractum naturalem ac civilem matrimonii, quo deficiente, consequent r etiam deficit ratio Sacramenti: quia ergò sic contrahentes nihil efficiunt, cui ex institutione Christi annexa sit ratio Sacramenti, quippe quæ soli contractui legitimo annexa fuit, nulla hìc apparet indigna tractatio Sacramenti, adeóque nec ullum sacrilegium, per se loquendo. Et hanc sententiam & rationem & nos admisimus per accidens, quandò matrimonium gravi & injusto metu extortum, etiam cum alio impedimento dirimente, dummodò absit intentio consummandi: cùm de impedimento *vis*. At per se loquendo, secluso tali metu, non placet, nec placuit unquàm.

438 III. Verius omninò est contrahentem cum impedimento dirimente peccare sacrilegio contra reverentiam Sacramenti. Ita Cajetanus, aliisque cit. Coninck. *hic disp.* 30. *dub.* 2. Layman. *tract.* 10. *part.* 4. *c.* 1. *num.* 5. Pluresque congerens Aversa *quæst.* 9. *sect.* 5. Ratio est; quia fideles, quando contrahunt matrimonium cum impedimento dirimente, sciunt se irritum reddere non solùm contractum matrimonii civilem, sed etiam ipsum Sacramentum illi contractui à Christo Domino annexum, estò indirectè tantùm irritetur Sacramentum; atqui seclusâ justâ causâ urgente, utpotè metu gravis & injusti mali excusante, etiam indirectè irritare Sacramentum, meritò gravis irreverentia Sacramenti, adeòque sacrilegium censetur (An tu à mortali sacrilegio excusabis illum, qui vinum consecrandum nimiâ aquâ admixtâ ineptam consecrationis materiam redderet, etsi validè indirectè tunc irritaret Sacramentum?) Certè tales contrahentes ad velandum scelestum suum contractum ritibus ac nomine Sacramenti abuntur, non sine gravi injuria ac irreverentia; ait Layman loc. cit. Insuper tales contrahentes cum impedimento dirimente, animo consummandi illud, specialiter peccant contra illas virtutes, quarum motivo inductum est tale impedimentum dirimens: ut omnes observant: v. g. contra virtutem Religionis, si contrahas cum impedimento voti solemnis, vel sacri Ordinis: contra justitiam, si cum impedimento ligaminis; contrà virtutem pietatis, seu reverentiam sanguini debitam, si cum impedimento consanguinitatis, affinitatis, &c. Si cum impotentia perpetua, certè vis peccare contra naturam meris impudicitiis: & sic de cæteris; ubi nulla specialis virtus violatur, manebit generalis malitia inobedientiæ. Vide *sect. sequent. §. 1.* regulam tradendam de ipsa talium contrahentium copula. Ubi rectissimè monet noster Herincx cit. *disp.* 6. *quæst.* 3. *n.* 26. hìc non committi unicum tantùm numero peccatum volendi semel consummare matrimonium nulliter contractum, peccando contra castitatem, aut aliam virtutem annexam, sed potiùs esse peccatum multiplex, saltem virtualiter, quatenùs volunt sic in statu quasi continuo peccati perseverare: sicut qui proponerat vivere in concubinatu: & reverà nihil erunt istæ consummationes matrimonii nulliter contracti, nisi concubinatus & fornicationes continuæ simplices & qualificatæ. Juxta regulam modò promissam *sect. sequent.* tradendam.

439 IV. Dixi autem semper: *scienter & voluntariè* contrahentes cum impedimento dirimente: secùs enim est, si ex ignorantia invincibili & inculpabili, ac bona fide sic contrahant, licèt enim etiam sic contractum matrimonium maneat irritum & nullum, non tamen manet peccatum; cum ignorantia talis omne voluntarium; adeóque omne etiam peccatum tollat. Qualiter autem etiam metus gravis & injustè incussus, voluntarium saltem minuens excutiet à peccato; dictum est satis suo loco de impedimento *vis*. Minimè autem à dictis peccatis excusat ignorantia culpabilis & vincibilis, præsertim crassa & affectata impedimenti; aut si quis cum dubio latentis impedimenti contrahat, quo casu exponendo se voluntariè periculo annullandi Sacramentum, eo ipso peccat mortaliter: ut apud omnes in confesso est. Attamen si ejusmodi dubitans, an laboret aliquo impedimento matrimonii, post diligentem inquisitionem veritatis, hanc deprehendere non possit (etsi contra communissimum sensum DD.) adhuc licitè contrahere, docent Joannes Sanchez *selectar. disp.* 45. *num.* 44. & ex professo Caramuel apud Dianam *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 95. Tambur *l.* 1. *Decal. c.* 3. *§.* 3. *V. Dispensat.* Consentitq; Gobat. *hic cas.* 1. *n.* 62. Eo quòd ipsi faveat privilegium possessionis, & verè se habet sicut is, qui similiter dubitat de legirimis natalibus: quem nihilominùs licitè posse ordinari, cum aliis ostendit idem Gobat *Alphab. Ordinand. cas.* 11, *num.* 435. At, inquis, sponsa

talis

Universidad de Deusto
Biblioteca

talis ſponſi graviter decipitur; nec enim vellet nubere tali dubitantio, ſi id noſſet. 8. Ergò debet eam de ſuo dubio priòs informare, & tunc adhuc conſentientem non decipit.

440 Corollarium. Tandem in dictis caſibus omnium impedimentorum, ſicut ipſi contrahentes, ita alii ad contrahendum ſcienter inducentes, cooperantes, aut, cum poſſent & deberent, non impedientes, (utpote Parochi, Confeſſarii, parentes, conſanguinei, quilibet conſcii impedimentorum, præſertim poſt denuntiationes ad eum finem impediendi matrimonia nulla præcipuè factæ: juxta dicta ſupra ſuo loco,) Poccant mortaliter eadem ratione & ſpecie malitiæ, ejusdem enim malitiæ eſt peccare, ad peccandum inducere, cooperati, aut, cùm poſſis & debeas, non non impedire. Ex omnium ſententia in materia de ſcandalo.

441 Petes: quam pœnam incurrant contrahentes cum impedimento dirimente? R. Generalem pro omnibus nullam eſſe ſtatutam in jure, ſed in ſpecie ita ſtatuit Pontifex *Clementinâ unicâ. De conſanguinit. & affinitat.* his verbis: *Eos, qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis & affinitatis conſtitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonium non verentur: nec non religioſos. & moniales, & clericos in ſacris conſtitutos matrimonium contrahentes, excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubjacere.* Sic Pontifex. Ubi nota quatuor: 1. Excommunicationem illam non eſſe reſervatam, ideòq; à quolibet confeſſario abſolvi poſſe. 2. Quia Pontifex expreſsè dicit: *qui ſcienter, &c.* ideo ab hac ex communicatione incurrendâ excuſat omnis ignorantia, etiam culpabilis, craſſa, & facti juris hujus. 3. Quia hæc conſtitutio de aliis impedimentis non meminit, præter conſanguinitatem, affinitatem & votum ſolemne, ideo ex nota illa Regula, quòd *odioſa reſtringenda ſint*, ad alia impedimenta extendi nequaquam debet. Ut ex communi obſervat Averſa *hic quæſt. 7. ſect. 5. 4.* Addit rectè Pontius *hic 7. diſp. 45.* neque hac ex communicatione affici eos, qui vinculo cognationis ſpiritualis vel legalis obſtricti matrimonium inter ſe contrahunt; qui conſtitutio ſolùm meminit conſanguinitatis & affinitatis.

§. III.

Præter nullitatem talis matrimonii neceſſariò poſtea aut diſſolvendi, aut revalidandi.

442 HOc nimis certum ex dictis; qui enim contraxerunt cum impedimento dirimente, re ipſa conjuges non ſunt, ſed merò ſoluti: ideòque, ſi copulam exerceant, meri & veri fornicarii & concubinarii. Nullum ergo hic datur medium, niſi ſeparatio, aut revalidatio, niſi in raro caſu per modum fratris & ſororis cohabitent: & ſiquidem impedimentum ac nullitas matrimonii notoria ſint, Epiſcopiis, eorumque Conſiliariis Eccleſiaſticis cura relinquenda eſt: nec ſe immiſcere debet confeſſarius: at verò, ſi occulta & in foro conſcientiæ tantùm ad confeſſionale allata: hoc opus, hic labor, hic ſudor confeſſariis! in horum gratiam ex multa lectione & longa praxi pono priùs aliquot inſtructiones, deinde §§. ſequentibus dabo praxin revalidandi ejusmodi matrimonia.

I. Ante omnia confeſſarius ſciat, & attendat, 443
ex quo capite matrimonium ſit invalidum; quale ſit impedimentum: cujus juris: an diſpenſabile, nec ne; matrimonium enim poteſt eſſe invalidum ex duplici capite: 1. Ex defectu ſolius conſenſus alterius, vel utriusque contrahentis: utpotè, ſi conſenſus fuit fictus, ſi ex metu gravi & injuſto extortus, ſi ex errore circa ſubſtantiam, vel qualitatem conditionis ſervilis: huc ergo ſpectant impedimenta erroris, conditionis, vis, & quandoque raptûs: & hæc propriè non ſunt diſpenſabilia, ſed per novum liberum conſenſum ſupplebilia per ipſos contrahentes: ut §. *ſequent.* patebit. 2. Poteſt eſſe invalidum matrimonium, non ex defectu conſensûs, qui abundè adeſt, ſed ex defectu habilitatis perſonalis ex alio impedimento dirimente à jure inducto ob aliam juſtam cauſam: utpote ob indecentiam copulæ, ob punitionem criminis, ob tuendam libertatem matrimonii, &c. Et hæc aut ſunt juris naturalis vel divini, aut juris poſitivi vel Eccleſiaſtici tantùm. Juris naturalis vel divini, adeòque indiſpenſabilia, impedimenta ſunt: 1. Impotentia perpetua, item ætas indiſcreta: de his nulla difficultas in praxi. 2. Conſanguinitas in primo gradu recto & transverſo: & hic caſus rarus, non tamen omninò nullus, unus jam bis inſanuatus eſt: 3. Ligamen ſeu vita alterius prioris conjugis: & hic caſus ſatis frequens, præſertim iſtis temporibus bellicis. 4. Votum ſolemne profeſſionis ac ſacros Ordini adjunctum, ſaltem impediens, & ſecundum multos etiam dirimens jure divino naturali: & hic caſus quidem frequens in apoſtatis reverſis: ſed nullius difficultatis, in confeſſionali, ne audiendi quidem, niſi ſeparati. Additur cultûs diſparitas: ſed nullius praxis, certè nullius difficultatis. Juris poſitivi & Eccleſiaſtici tantùm, ideóque diſpenſabilia (jure ordinario à Pontifice, & per accidens, certis conditionibus infra inſinuandis, etiam ab Epiſcopo,) ſunt reliqua omnia: utpote 1. Omnis conſanguinitas ultra primum gradum, & ſecundum multos, etiam in primo gradu transverſo. 2. Omnis omninò affinitas ex quacunque copula. 3. Omnis omninò cognatio ſpiritualis & legalis. 4. Omne crimen, & publica honeſtas, & jure novo raptus, & clandeſtinitas.

II. Confeſſarius deprehenſo impedimento 444
quocunque & cujusvis juris, mox advertat, an conjux pœnitens ſit in bona fide, ſeu ignorantia invincibili & inculpabili ſui impedimenti, ſi enim bona fide contraxit, & adhuc perſeverat in bona fide & ignorantia invincibili ſui impedimenti ac nullitatis matrimonii, eſtò alioquin

ſciat defectum v. g. copulam cum conſanguinea conjugis antea habitam, dummodò ignoret, ob id matrimonium ſuum nullum eſſe, regulariter in ſua bona fide relinquendus eſt; regulariter enim advertit confeſſarius ſuam informationem obfuturum potiùs, quàm profuturam, talem ſcilicèt, etiam informatum, tamen conjugem putatitiam non derelicturum, cum illa peccaturum, aut ſi derelinquat, oritura graviſſima ſcandala, alia incommoda & difficultates, maximè circa proles jam ſuſceptas: eo caſu poteſt & debet confeſſarius prudenter diſſimulare: juxta illud D. Auguſtini relatum c. 7. De pœniteentia, d. 7. *Si ſcirem tibi non prodeſſe, non monerem, non terrerem, &c.* Et communem DD. cum Sanchez *l. 2. diſp. 38 num. 8.* Addente: ſi opus ſit, etiam poſſe talem obligationem debiti docere. Ratio eſt; quia ex duobus malis minus eſt eligendum: minus autem malum eſt fornicari materialiter tantùm in bona fide conjugii, quàm acceptâ informatione imprudenti formaliter peccare, continuâ perplexitate, aut alia graviora mala oriri: ergo ſilendo permitte potius peccare materialiter, quàm formaliter, aliáve graviſſima mala incurrere: Idque maximè verum eſt, quando impedimentum eſt juris naturalis ſeu divini, ideóque indiſpenſabile. Sic enim legitur, D. Carolum Borromæum, habito Concilio Eccleſiaſtico, reliquiſſe in bona fide Nobilem illum, qui matrimonium contraxerat cum propria & ſorore & filia ex propria matre damnatiſſimo inceſtu ſuſcepta, poſtquàm nefandum nefas mater ipſi ſanctiſſimo Archiepiſcopo confeſſa fuit. Attamen etiam ſæpè locum habere debet, quando impedimentum eſt juris poſitivi & diſpenſabile, diſpenſatióque impetrari poſſit; nam reſtat magna difficultas plerumque, & delicatum periculum in renovando novo & abſoluto conſenſu, quando unus tantùm conjugum nullitatis matrimonii conſcius factus, cautam nullitatis ſine infamiæ periculo & incommodo prodere non poteſt: ut videbis infrà, & miraberis: Idque maximè, ſi conjuges non admodùm bene concordent; quid ſi alter conjux ex petitione novi conſenſûs nullitatem matrimonii olfaciens de novo conſentire nollet? Ut alicubi factum ſcio. Quin etiam, ſi pœnitens conſcius nullitatis matrimonii facilè apprehendat, ſe debitum exigere non poſſe, invincibiliter tamen putet, ſe alteri bona fide exigenti reddere debere; eadem ratione tace, diſſimula confeſſarie, præſertim ſi fœminæ ſint, quibus debitum negare difficile & periculoſum eſt, donec impetrata diſpenſatione, de revalidando matrimonii contractu ipſos inſtruas.

445 III. Quando verò pœnitens non eſt in bona fide, ſed vel conſcius ſui impedimenti & nullitatis matrimonii, aut de eo rationabiliter dubitans, aut illius ignorantia vincibili & culpabili laborans, quippè de eo ſuſpicans vel anxius, tamen ex deſidia vel malitia negligit inquirere veritatem, omninò tenebitur confeſſa-

rius de veritate informare; quia alioquin eſſet in malo ſtatu & incapax abſolutionis: Sicut univerſaliter tenetur veritatem aperire, quando pœnitens ipſemet de impedimento vel valore matrimonii ſui dubius vel anxius ipſum conſulit aut interrogat; tunc enim diſſimulatio veritatis eſſet approbatio falſitatis, & longè plus malî tunc timeri debet ex diſſimulatione, quàm ex aperta manifeſtatione veritatis, præſertim quando impedimentum eſt aliis quibusdam notum. Quare Confeſſarius vel Parochus rotundè dicat, laborare eos impedimento, matrimonium eſſe nullum, atque inde abſtinendum eſſe ab omni matrimoniali uſu, non tantùm ipsâ copulâ, ſed omni etiam actu impudico ſolutis illicito, cùm reverà ſoluti ſint. Quòd ſi ergò conjux pœnitens non ſit jam in bona fide, ſed, ut dictum, conſcius vel certior factus de nullitate ſui matrimonii, jam inſpiciendum erit, cujus juris ſit impedimentum dirimens: Si impedimentum annullans matrimonium ſit juris naturalis vel divini, ideóque indiſpenſabile humanitùs, v. g. Ligaminis, vivente adhuc altero conjuge. Hîc eſt miſeria cum aceto. Inducendi, imò cogendi ſunt, ut omni poſſibili modo vel prætextu ſeparentur, aut fugâ occultâ, quæ viro facilior, fœminæ difficillima, aut ingreſſione Religionis, ſervatis ſervandis, aut divortii ſub alio titulo, ſi adſit, procuratione. Quòd ſi nihil horum ſuccederet, & moraliter omninò impoſsibilis videatur ſeparatio ob graviſsima indè oritura damna pericula, ſcandala, ipſique ſeriò promittant, & ſubindè (valdè tamen circumſpectè, & conſulente confeſſario) etiam jurent, vel voveant continentiam perfectam ab omni copula & impudicitia, quæ ſolutis illicita, ut dictum, tandem cohabitare permittantur tanquàm frater & ſoror; & quoad fieri poteſt, non tantùm lecto, ſed etiam loco de noctu ſeparati. Ut omnes monent. Sed quæſo te, in eadem domo, in eadem camera, & ſubindè, ob inopiam, in eodem lecto, an unquam extra præſentiſsimum periculum præſertim ſi adhuc non ſenes expertæ voluptati valdè affecti ſint? Nihil hîc remedii præter gratiam divinam implorandam & impetrandam piis mediis & devotionibus, ſingulariter ad ſanctiſsimos Virgineos Conjuges, MARIAM & JOSEPH, aliósque ſanctos, qui in vero conjugio virginitatem ſpontè ſervârunt: Ut Dixi Henrici cum Cunegunde, Elzearii cum Delphina, &c. Quæ prudens confeſſarius ſuggeret: horrent pili, dum recordor vexationis, quam in ſimili ſemel habui per ſexennium.

IV. Quòd ſi denique impedimentum juris 446
poſitivis & Eccleſiaſtici: adeóque diſpenſabile ſit ſive deinde conjuges defacto jam ſint in bona vel mala fide, perindè eſt; jam ſolùm inquirere & advertere debet confeſſarius, an à principio bona vel mala fide matrimonium contraxerint cum impedimento dirimente, an ſcilicèt, quando contraxerunt, vel inculpatè ignoraverint, vel jam ſciverit, adeſſe impedimentum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dirimens, & matrimonium foro invalidum. Quando uterq; conjux mala fide matrimonium contraxit, non ignarus scilicèt impedimenti & nullitatis matrimonii: Iterùm est miseria priori propè par; vix enim est spes impetrandæ dispensationis, Pontifex enim dispensare non solet, nisi admodùm difficulter; Episcopus autem dispensare tunc non potest, in communi sententia, & ubique (quantum mihi aliquotiès experto constat) receptâ praxi: ergò res recidit in miseriam præcedentem, eodem ferè modo dijudicandam, ut suprà. Tandem ergò, quando uterque vel saltem unus conjugum bona fide contraxit ignarus scilicèt impedimenti & nullitatis matrimonii, etsi fortè non ignarus causæ, v. g. copulæ cum consanguinea conjugis anteà habitæ (ut jam N. I. insinuavi.) jam confessarius cum pœnitente gaudeat de remedio, & sciat Episcopum dispensare posse, positis certis conditionibus infra exponendis: ergò si separari nolint, vel non possint ob incommoda suprà indicata, prout reverà ordinariè non possunt; inprimis eis interdicat omnem omninò matrimonii usum tam petendo, quàm reddendo interea, donec impetretur dispensatio, quam ab Ordinario plerumque ipse confessarius, suppressis veris nominibus personarum, aliisque peregrinis substitutis, procurare & impetrare debebit, ac denique impetratâ dispensatione curare, ut renovato consensu matrimonium revalidetur: juxta dicenda infrà ordine suo.

§. IV

PRAXIS.
Revalidandi matrimonium invalidum.

Matrimonium invalidum ex defectu consensûs tantùm. *Per consensus suppletionem.*

447 QUando matrimonium fuit invalidum ex defectu solius consensûs, utpotè ficti, vel revocati, vel metu injusto extorti, aut ex errore circa substantiam vel qualitatem conditionis; nulla requiritur dispensatio, sed ipsi contrahentes novo vero ac libero consensu elicito matrimonium revalidare possunt, & post fictionem etiam debent, cum sine consensu essentia matrimonii non subsistat, circa quem consensum supplendum, sic accipe. Si defectus consensûs fuit ex utraque parte contrahentium, cùm scilicèt ambo fictè, meticulosè vel erronicè contraxerunt, certum est apud omnes, debere ex utraque parte suppleri novo vero ac libero consensu non tantùm interno, sed etiam externo per verba vel signa de præsenti expresso, & invicem manifestato, ut matrimonii contractus & Sacramentum convalescat. Omnes. Sanchez. *l. 2. disp. 32. num. 15.* Pontius *l. 4. c. 24.* Ratio clara est; cùm enim consensus utriusque planè nullus fuerit, & nè ex parte quidem fuerit matrimonium inchoatum, necessariò requiritur utriusque novus & verus consensus externus sensibilis, ut matrimonii contractus & Sacramentum sensibile convalescat. Atque idipsum esse necessarium, quando defectus consensûs fuit ex parte unius tantùm contrahentium, docent multi DD. *Lessius, Pontius, Hurtad. Aversa*, apud probabile censentem Tambur. *tract. 4. c. 7. §. 1. n 2.* Atque ita respondisse Clementem VIII. Pontificem, refert Comitolus *l. 1. Respons. Moral. c. 120* Ratio potissima est; quia quando unus contrahens fictè vel coactè vel erronicè consentit, eo ipso etiam alterius, quantumvis verus & serius, consensus nullus est & invalidus; nam tradit suum corpus, & acceptat alterius corpus cum inhibita conditione: si & alter consentiat, tradat & acceptet: neque potest valere traditio unius, nisi adsit acceptatio alterius: neque acceptatio unius valere potest, nisi adsit alterius traditio; ut sanè manifestum est: atqui in proposito alter verè non consentit, nihil tradit, nihil acceptat: ergò etiam alterius consensus nullus est, nulla traditio, nulla acceptatio: ergo utrumque de novo verum consensum elicere & exteriùs manifestare oportet, & insuper ad eum finem alter, qui priùs fictè & coactè consensit, alterum de suo ficto vel coacto consensu certiorem reddere debebit, ut scilicèt is de novo consentiat. Ratio minimè spernenda: sententia omninò probabilis, sed non placet practicè. Itaque dico:

II. Quandò defectus consensûs ficti, coacti, 448 erronei est ex parte unius tantùm contrahentis, sufficit hunc solùm suppiere & renovare suum consensum verum liberum, dummodò alter, qui verò consenserat, interea suum consensum non revocarit. Ita communis DD. D. *Thomas D. Bonaventura Richard. Paludanus, Scotus, Angles, Gabriel, Navar.* aliisque citt. *Sanchez l. c.* Layman. *tr. 10. part. 2. c. 6. num. 1.* Item *Bonacina, Filius, Diana*, omnesque citans Bossius De *matrimon. c. 2. num. 28.* Herincx. *disp. 3. quæst 7. n. 41.*

Ratio est; quia altera pars præstitit legitimum consensum circa materiam habilem, atque in eo moraliter & habitualiter perseverat, imò vi illius persistit in possessione alterius compartis tanquam rei suæ, suæ uxoris, sui mariti: ergò accedente novo alterius partis consensu verum matrimonium efficitur. Nec urget ratio sententiæ contrariæ; falsum enim est, consensum contrahentium ferri in alterutrum, atque in valorem matrimonii, pro tempore præsenti tantùm, & non pro tempore futuro, si pro præsenti non subsisteret, quasi contrahens dicat semper: *consentio, trado me, accepto te*, sed *præcisè si & tu nunc consentias, te tradas, me acceptes, & non ultrà*: ubi enim hoc scriptum? sed consensus simpliciter fertur in tempus præsens cum perseverantia usque in finem, seu donec revocetur: in proposito autem non revocatur consensus, cùm vi illius contrahens accipiat possessionem corporis alterius, & in eo perseveret:

veret: ut modò dixi. Quarè consensus alterius partis à principio seriò & liberè contrahentis ad se intrinsecè fuit omninò validus, vera traditio & vera acceptatio pro quocunque tempore, quo alterius compartis etiam verus consensus, vera traditio & acceptatio accederet: & solùm extrinsecè quoad effectum fuit invalidus vel potiùs suspensus, quamdiu altera pars verum & liberum consensum non præbuit, quo proindè libero consensu præstito, simpliciter in verum matrimonium convalescit: quemadmodum venditio domûs v. g. invalida ob defectum interni consensûs ex una parte, hoc solo accedente, convalescit, secundùm omnes: Et similiter professio defectu interni consensûs in professente irrita, solo alterius consensu innovato ratificatur, etsi non accedat novus consensus Prælati vel Capituli, ob eandem nimirùm rationem. Ex communi *Sanchez, Herincx, cit.* & latè Cardinalis Lugo *Respons. moral. l. 3. dub. 2. §. 16.* quidquid contrà communem contendat *Pontius.* Minùs urget allata responsio Clementis VIII. cùm de eo responso nec constet authenticè, nec datum fuit, nisi tanquam à Doctore privato sequente, quod tutius est; nam similiter ibidem requirit, ut de novo adhibeatur Parochus cum testibus, cujus tamen oppositum in casu defectûs occulti declaravit Pius V. ut videbimus loco citato.

449 III. Insuper quandò una tantùm pars fictè vel coactè vel erroneè consensit, probabiliter sufficit, illam solùm consensum internum revocare, nec opus est etiam exterùs manifestare. Ita cum pluribus Sanchez *cit disp: 22. num: 9.* Layman *part. 4. c. 14.* in fine. Bossius *cit. num. 42.* (Quemadmodum eodem Sanchez *num. 14.* & Bossio *num. 42*, docente: solus internus consensus innovatus sufficit in persona capaci, quæ anteà fictè vel erroneè: aut coactè professionem emisit, Religione seriò acceptante) *Ratio est*; quia hic solus novus consensus internus cum illo antiquo ficto vel coacta sufficienter manifestato, sufficienter sensibilis est, & aliis innotescit: ergò durante adhuc & non revocato consensu serio & externo alterius partis, sufficienter constituit matrimonii contractum & Sacramentum. Contrà tamen, novum illum consensum debere necessariò exprimi externo novo signo sensibili, mihi probabilius cum aliis docet Pontius *l. 4. c. 25.* allegans rursus responsum Clementis VIII. Ratio bona est; Quod signum debeat esse expressivum consensûs interni; non autem exprimatur consensus internos novus per signum tamdiu antecedens: ergò. Advertit tamen Herinex cit. *quæst. 6. in fine*: ad hoc signum expressivum sufficere quogcumque signum vel actum, quo quis alterum tanquam conjugem tractat, & habet, & specialiter, ipsam copulam conjugalem habitam affectu maritali, seu animo invicem habendi in conjugem. Idémque dicendum proportionaliter de professione.

450 IV. Universaliter, sive defectus consensûs ficti, coacti, erronei fuerit ex parte unius, sive utriusque ad hoc, ut novo libero ac voluntario consensu sepositâ scilicet fictione, metu, vel errore matrimonium convalescat, necessarium est, ut de novo consentiens seu ratificans sciat prius matrimonium fuisse nullum, aut de eo dubitet, aut certè consensum de præsenti adhibeat, quo velit contrahere simpliciter, etiam si prior contractus matrimonii (itemque professionis, vel quivis alius) fuisset nullus. Ut latiùs patebit infra in simili. Denique an innovatio consensûs debeat fieri coram Parocho & testibus generatim dicetur *§. ultimo*: quo supposito, consentiunt D. D. matrimonium antea ficte, coactè, vel erroneè contractum sufficienter revalidari per ipsam copulam affectu maritali liberè & voluntariè exercitam. Sed controversum est, an matrimonium ex metu injusto irritè contractum revalidetur, seu ratificetur per copulam injustè extortam affectu tamen maritali non meritricio præstitam, vel admissam: Negant probabilius *Sanchez cit. Coninck Pontius*, alii plures apud Aversam *q. 4. de matrim.* Herincx *q. 6 n. 1.* Ratio est; quia qui cogitur agere prædictam copulam, eandem diminutionem liberatis patitur, quam qui cogitur ad contractum matrimonii per verba de præsenti: ergo pari modo ipsi fit injuria, & consequenter matrimonium hoc, utpote adhuc per metum extortum, invalidum erit. Adde, quia alioquin non fuisset satis provisum liberati matrimonii. Affirmant vero non pauciores cum ipso *Aversâ* citato, & probabile censent ipse *Sanchez & Coninck* Rationem dant, quia durum videtur eum, cui metus incutitur ad habendam copulam, obligare, ut non possit consentire sponte in matrimonium illud, ut sic effugiat peccatum, eundémque poni à pia Matre Ecclesia in tam duro bivio, ut ipse vel peccet mortaliter, vel patiatur grave damnum per metum intentatum. Hoc voluisse Ecclesiam, non est præsumendum. Dicendum ergo Ecclesiam solum fuisse providere matrimonii libertati, quando ipsum per verba de præsenti contrahitur; & meritò, quia tunc periculum coactionis frequenter occurrit; nihil autem curare, quando ratificatur per copulam, quia casus hujus coactionis rarissimus est.

§. V.

Matrimonium invalidum ex inhabilitate personarum, ob aliud impedimentum: *per dispensationem.*

QUando matrimonium contractum invalidum fuit, non ob defectum consensûs, sed 451 ob inhabilitatem personarum ex alio impedimento jure indicto, ex parte contrahentium minimè supplebili, supposito semper impedimentum illud esse juris positivi Ecclesiastici, adeoque dispensabile potestate humanâ; tunc utique ad revalidandum matrimonium ante omnia requiritur legitima dispensatio, quâ impedimentum illud tollatur, & facultas de novo con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

trahendi per renovationem consensûs concedatur: de hac dispensatione modò paucis. De renovatione consensûs §. seq.

452 I. Solus summus Pontifex dispensat jure ordinario in omni impedimento jure Ecclesiastico inducto, seu dirimente, seu impediente, tam ante, quàm post contractum matrimonii. Est omnium, & ratio patet ex terminis. Episcopus autem jure ordinario dispensare non potest in ullo impedimento dirimente neque ad contrahendum, neque post contractum per se loquendo (quòd possit per accidens, dicam mox) Cùm inferior non dispenset in lege Superioris. Quoad impedientia tantùm similiter certum est Episcopum non posse dispensare in voto perfecto & absoluto castitatis integræ ac perpetuæ, ac Religionis ingrediendæ, cum hæc sint expressè reservata summo Pontifici, sed bene in voto non nubendi, Ordines sacros suscipiendi; neque in sponsalibus, præsertim juratis, sed bene in aliis. Ex communi sent. Sanchez. *l. 7. d. 17.* Leyman. *tract. 10. c. 4. num 15.*

453 II. Episcopus tamen per accidens pro solo foro conscientiæ in impedimentis solo iure Ecclesiastico matrimonium dirimentibus post jam contractum matrimonium dispensat, si hæ quatuor adsint conditiones. 1. Si adsit gravissima necessitas. 2. Si hæc necessitas ita urgeat, ut non sit tempus, vel facultas adeundi Romam & Pontificem, vel ejus delegatum valentem dispensare. 3. Si impedimentum sit occultum, id est, fortè notum tribus aut quatuor, non tamen majori parti viciniæ. 4. Si matrimonium sit contractum bona fide. Est communissima, & praxi receptissima sententia Doctorum, quos vasto cathalogo refert; & sequitur Sanchez *l. 1. dem atrim. d. 14. num. 3.* Layman *supra.* Dicastil. *dub. 4.* Barbosa. *de offic. & Potestate Episcoporum allegat. 31.* Perez. *d. 44. §. 6.* pronuntians hanc sententiam debere haberi pro omninò certa. Ratio ducitur ex præsumpta mente & benignitate Pontificis, qui in tanta necessitate rectè præsumitur nolle ita sibi in damnum fidelium reservare dispensationem, ut eam tunc non possit Episcopus concedere, etenim omnes Leges conditæ sunt ad bonum commune: multi autem essent destituti necessario remedio, si Episcopus non posset dispensare, quando adsunt dictæ conditiones, circa quas aliqua breviter nota.

454 III. Necessitas sufficienter urgens censetur, quandò conjuges nequeunt absque gravi incommodo, vel scandalo separari, &, si inseparati maneant, versantur in periculo incontinentiæ, donec Papa, vel delegatus dispenset. Ut ex communi bene explicat Diana *p. 11. tract. 8. Resol. 3.* Censetur autem non posse adire Pontificem, vel ejus Delegatum, quandò obstat eorum vel paupertas, vel debilitas, vel nimia distantia. Bona autem fide debet esse contractum matrimonium saltem ex parte unius contrahentis, si saltem alter conjugum bona fide contraxit, laborans scilcet ingnorantiâ juris, vel facti sive inculpabili, sive etiam culpabili, ut ex Trid. *sess. 24. de reform. Matrim.* bene Probat Perez *loc. cit.* Quin *Henriq. Dicastill.* & alii quidam apud *Dianam cit.* putant, etiamsi utrinque mala fides intercesserit, posse tamen in valdè magna & urgente necessitate Episcopum dispensare, & hinc hanc gratiam impertiti misellis. Tentare juvat, mihi saltem non succesit. Certò autem excipiendi sunt ii, qui contraxerunt scienter in gradibus prohibitis, aut ignoranter quidem, sed non præmissis denuntiationibus, hoc enim separari & spe dispensationis carere debere decernit expressè Trid. *Sess. 24. c. 5.* Item quandò matrimonium contractum esset invalide ex dispensatione subreptitia Pontificis, non posse amplius dispensare Episcopum, cum aliis monet Diana *part. 4. tract. 7. resol. 40.* 455

IV. Insuper in raro & urgentissimo casu (certè longè rarius occurrente) etiam ante initum contractum matrimonii, & ad contrahendum Episcopus potest uti illa facultate dispensandi ob eandem, quæ suprà, rationem. Itaprimus omnium docuit Sanchez *l. 2. disp. 30. n. 7.* quem postea catervatim secuti sunt Recentiores, *Reginald. Castropalaus. Bonac. Perez, Barbosa. Filliuc. Pontius Præpositus. Tamburin.* & cum his etiam Diana *p. 11. tract. 3 Resol. 30.* ita benè scribens: Episcopus potest ex causa maximè urgente dispensare in impedimento dirimente etiam ante contractum matrimonium, si omnibus tentatis dispensatio judicetur necessaria ad vitandam gravem infamiam, vel grave scandalum: quia summa necessitas, cui aliter occurrè non potest, eam facultatem tribuit Episcopo ex tacita summi Pontificis licentia. Declaro rem practicè casu valdè practico ab eodem Sanchez. disp. 14. proposito. *Accedit mulier manè confessura, & reperitur habens impedimentum dirimens, cujus detectio infamiam notabilem induceret, & sunt omnia jam parata ad nuptias vesperi celebrandus: & tentatis omnibus mediis, nulla evadendi via reperitur, sed suspicio vehemens oritur alicujus criminis detecti in confessione si fœmina abstinere velit à nuptiis, aut differre, donec Pontificia dispensatio obtineatur.* Sic Sanchez ibi bene probans eo casu urgentissimæ necessitatis Episcopum posse dispensare. At si non pateat recursus ad Episcopum, quid confessarius aget? Si quidem videret pœnitentem laborare errore vel ignorantia præsertim invincibili, iterum taceat, dissimulet, & bonâ potiùs fide, quàm conscientiâ consternatâ agere sinat. Ita cum Navarro *in c si quis autem de pœnitent. disp. 7. n. 73.* optimè docet idem Sanchez *disp. 38. n. 6. post medium.* At verò si advertat pœnitentem duci errore vel ignorantiâ vincibili, rationabiliter dubitare, & suspicari de impedimento latente, & maximè si etiam interroget, ac consilium petat. Ex hactenùs dictis, & communi doctrina 1. veritas omninò aperienda est: 2. permittenda est contrahere cum intentione faciendi, quantum potest, si nihil obstet &c. 3. simpliciter interdicenda est consummatio matrimonii tam reddendo, quam petendo: 4. præterendendum privilegium primi bimestris. Interea vel Româ dispensatio procurari poterit; sed crede mihi, experientia docuit, hoc ultimum moderno tempore plerumque esse difficile, & periculosæ praxis. O quàm invisum, & ad audiendum grave est novis maritis privilegium istud! imò plerisque vix auditum. Quid ergò? Ecce eo casu Episcopum dispensare posse jam audivisti ex *Sanchez*, & aliis; si ergo mora suppetat, surge, curre, adjuva sororem tuam in tanto periculo trepidantem. Si mora desit, induc, ut ex tempore voveat Deo servare castitatem, aut primo triduo juxta monitum Archangeli Raphaëlis Tobiæ juniori datum, aut in raro casu, primis novem diebus in honorem novem mensium, quibus Deipara Virgo Deo gravis fuit; vel aliquid simile sanctæ intentionis. Quid ni consensum saltem permissivum à novo marito nova nupta facilè eblandiatur? Utinam non sæpè eblandirentur multa graviora, sed inquiora! Interea impetratâ dispensatione, suavis quoque modus esse poterit renovandi consensum. Quòd si tibi his omnibus non satisfaciam, consule me sapientiores.

§. IV.

Per renovationem consensus.

456 ADrevalidandum matrimonium inter inhabiles ratione impedimenti invalidè) contractum, certum est, non sufficere solam dispensationem, seu ablationem impedimenti & rehabilitationem personarum; sed necessario adhibendum esse novum consensum, adeò, ut in hoc etiam Papa nequeat dispensare: cùm implicet matrimonium validum subsistere sine vero & valido consensu: prior autem consensus inter personas adhuc inhabiles nullius erat valoris: ergo post habilitationem vel dispensationem debet poni novus consensus conficiens matrimonium. Jam vivendum, qualiter hoc casu debeat fieri novus consensus. Res delicata est, & salebrosa.

457 I. Res est facilis praxis, quando uterq; conjux impedimenti, ac nullitatis, matrimonii est conscius, vel facilè conscius fieri potest sine timore alicujus incommodi. Hi enim facillimè validare poterunt matrimonium novo consensu, verbo vel facto declarato, seu quocunq; signo declarante mutuum consensum matrimonii, ut si affectu maritali cohabitare pergant, copulam maritalem petant, & reddat animo habendi invicem in conjugem (secluso scilicet decreto Trident. de. quo mox infra.) loquimur de valore, nam quoad licitum ob reverentiam Sacramenti tunc primùm perficiendi, sine dubio monendi sunt, ut per verba de præsenti reverenter contrahant. Contrà autem certum est, quando ambo contrahentes nullitatem matrimonii ignorant, quacunq; habitâ dispensatione, non posse eos matrimonium revalidare, seu ratificare novo consensu: cùm enim nihil sit volitum, nisi cognitum, non possunt velle matrimonium antea nullum (sicut & Professionis, vel aliud votum) facere de novo validum, nisi sciant, vel saltem dubitent, aut certè supponant antea fuisse nullum, atq; ita intendant contrahere, ut, etiamsi antea esset nullum, tamen modò contrahere velint. Communissima cum Navarro *c. 22. manual. num. 47.* Layman. *c. 14. n. 3.* Sanchez & alij, Rursus certum videtur non sufficere hic consensum novum unius tantùm conjugis, qui solus impedimenti, ac nullitatis est conscius, sed requiri utriusque jam per dispensationem habilis effecti novum consensum internum & externum, sicut requiritur alias ad matrimonium de novo contrahendum. Ratio clara est: quia totus antecedens contractus quoad totum actum internum & externum nullus fuit, & invalidus, utpote factus inter personas inhabiles: & utrinque traditio & acceptatio inhabilium. Alia fuit ratio supra, quando matrimonium fuit invalidum ex defectu consensûs unius tantum partis, altera parte seriò, liberè & legitimè consentiente. Jam tandem, quòd si una tantùm pars conscia sit impedimenti, & nullitatis matrimonii, & insuper non expediat id alteri parti innotescere. Hic rodus, hìc salta. Tres reperi sententias, & breviter, ac fideliter proponam.

458 II. Sententia communis & tutissima est, ad revalitandum matrimonium post impetratam dispensationem omninò necessariò requiri, ut impedimentum ac nullitas matrimonii utriquo parti aliquo modo innotescat, adeoque conscius alteri ignoranti saltim generatim, vel sub dubio significet defectum aliquem matrimonii, non necessariò ipsam causam nullitatis, vel impedimentum in specie, secundùm omnes; v. g. dicendo, timeo vel suscipior ex causa aliqua non valuisse inter nos matrimonium, ideo rogo te ad pacandam meam conscientiam, ut quantùm opus est, in matrimonium de novo consentiamus: & sic uterque consentiat; matrimonium contrahere legitimè intendat, & exprimat. Ita expressè Scotus *in 4. d. 35. q. 1. n. 5.* Richard. Palud. Navar. *c. 22. n. 17.* pluresque congerens Sanchez *l. 2. disp. 36. n. 3.* Coninck. *disp. 24. dub. 10.* Pontius *l. 4. c. 25. Castro-Palaus, Hurtad. Comitolus. Aversa.* Eosque citans & mordicus tenens Tamburin. *tract 4. c. 7. §. 4.* Ratio sanè urgens videtur: quia nullus potest efficaciter velle de novo contrahere matrimonium, nisi sciat, aut saltem supponat antea non esse validè contractum; quarè nisi ignarus agnoscat aliquo modo nullitatem matrimonii prioris, non poterit esse novus consensus efficax de matrimonio de novo contrahendo, cùm talis credat & supponat suum matrimonium jam esse legitimè contractum; sed solum erit approbatio, vel confirmatio prioris matrimonii, & voluntas perseverandi in illo; quæ sine dubio

Universidad de Deusto
Biblioteca

non sufficit ad novum matrimonii contractum, quin imò cum illi consensu potest stare actualis voluntas nequaquam modò contrahendi, si sciret prius matrimonium esse nullum, ut aliquando apparuit. Solum ergò vult in tali matrimonio falsò putato permanere, aut ad summum significat, quòd *vellet* de novo contrahere, si antea matrimonium contractum non fuisset; quod rursus utique insufficiens est, cùm *velleitates* inefficaces ac conditionatæ nihil ponant in re. Quarè meritò fatetur *Layman* mox citandus, hunc modum tanquam securissimum omninò tenendum, si sine incommodo, periculo infamiæ, &c. adhiberi possit, quando nimirum conscius nullitatis sine gravissimo incommodo, periculo infamiæ, divortii, scandali, alterusque mali compartem de nullitate matrimonii præfato modo certiorem facere potest.

459 III. Altera sententia est, requiri quidem omninò utriusque consensum novum expresè, sed non esse necesse, ut ullo modo alteri ignoranti indicetur impedimentum seu nullitas matrimonii, sed sufficere, ut conscius pro sua consolatione, vel conscientiæ quiete obtineat ab altera comparte, ut de novo consentiat. Sic *Cajetan. Sotus, Veracrux, Ledesma, Henriquez, Rodriquez*, alii apud *Sanchez itat.* Layman. *citat. n. 5. Filliuc. Bonacina*, alii moderni; atque hanc sententiam probabilem censent ipse Sanchez *citat. n. 2. Castro Pal.* quando gravia incommoda immineant, si compars fieret conscia impedimenti: ut indicatum. Ratio hujus sententiæ est: quia conjuges tunc jam sunt habiles ad matrimonium per dispensationem effecti; ergo si utraque pars consentiat de novo, habetur totum, quod requirit essentia matrimonii. Ego cum Patre Herincz *hic disp. 6. q. 3. n. 33.* pro certo credo, quod absolutè possit revalidari matrimonium etiam ab inscio nullitatis, dumodò novus consensus sit de præsenti & absolutus cum hac expressa intentione, quod etiamsi non valeret matrimonium antea factum, velit nunc de novo facere; sine dubio enim non sufficeret consensus conditionatus imperfectus, seu velleitas tantùm, ut jam supra innui. Sed absolutè de præsenti dicat etiam si non sit matrimonium, nunc tecum contraho, nunc te accipio. Quare conscius nullitatis, postquam nactus cômmodam occasionem in signum amoris alteri dicat: ego etsi necdum essem conjugatus, sed matrimonium nullum esset inter me & te, vellem tamen te habere in conjugem, & ex nunc te volo & accipio, &c. rogant compartem, ut in signum amoris idipsum dicat. Similiter loquitur Layman citatus *n.* 5. si maritus v. g. impetratâ occultâ dispensatione super impedimento non putet expedire, ut uxor resciat, potest eam oblatâ opportunâ occasione interrogare, an tali ipsum amore prosequatur, ut jam etiam in maritum ipsum accipere consentiat, perinde ac si ab eo libera esset? Sic ille. **Hoc autem facto non** apparet ratio dubitandi de valore novi matrimonij, & certè plus non probant DD. priores sententiæ. At, quid si nulla appareat spes impetrandi tam benevolum à comparte responsum? horresco recordans responsi eo casu semel à viro dati uxori. **Ich muß dich wol haben / hätte ich dich nit / wolt daß dich alle Teuffel hätten.**

IV. Tertia sententia est: sufficere, ut solus 460
conscius impedimenti de novo censensum exprimat per aliquem actum externum sive verbis, sive factis v. g. per copulam affectu maritali habitam, nec esse necesse, ut altera pars impedimenti ignara ullo modo moneatur vel de nullitate matrimonii, vel de novo consensu eliciendo: nam ipsâ v. g. reddente copulam ab altero petitam, jam adest, ajunt, sufficiens ejus consensus, & quidem externus, ideoque conjunctus cum petitione alterius animo revalidandi matrimonium facta sufficienter novum contractum matrimonii constituere poterit. Ita *Barth. Ledesma*, & alii, quos refert Sanchez citatus *disp. 36. n. 2.* Et quando non est spes absq; gravi incommodo obtinendi novum consensum alterius expressum, eam sententiam in praxi tutam censent ipse Sanchez *citatus n.* 9. Bonacin. *de matrimonio q. 2. proposit. 9. n. 7.* Castro-pal. *sup. n. 4.* Gobat. *Theolog. Juridico morali c. 37. n. 143.* & alii. Ego, quamvis hanc sententiam speculativè, & re ipsâ omninò falsam credam, tamen ob authoritatem AA. tanquàm practicè probabilis poterit confessario servire pro ultimo remedio, quando nullum apparet medium meliori modo juxta primam vel secundam sententiam renovandi consensum mutuum matrimonialem. Ego ad has angustias nunquam redactus sum, sed in casibus plus æquò frequentibus, aut inveni securiorem modum contrahendi, aut ignaros sui impedimenti, cùm adverti non esse satis benè concordes, dissimulans in bona fide reliqui; juxta dicta *§. 4. N. II.* Et jam vides, quàm meritò ibi dixerim, ejusmodi ignaros esse relinquendos in bona fide sæpè, etiamsi impedimentum sit juris positivi, ac dispensatio facilè impetrari possit, eo, quòd plerumque sit magna difficultas in renovando novo, & certò sufficiente consensu ad revalidandum matrimonium, ut modò satis audisti. Quare prudentissimè notat Gobat, citatus *n. 128.* monetque confessarium, ut priusquam pronuntiet matrimonium esse invalidum, interroget, an alioquin se conjuges putatitii mutuò syncerè ament, an verò sæpius rixentur, an uxor putatitia habeat magnam parentelam, nec ne, an facilè possit ejus consortio carnali carêre? Et his ac similibus consideratis tandem dicat, vel non dicat, matrimonium esse invalidum, tali modo revalidandum &c.

§. VII.

An etiam per novam solemnitatem?

PEr novam, dico: nam si matrimonium fuit 461
invalidum ex defectu ipsius solemnitatis, quia scilicet clandestinè sine Parocho & duobus testibus

testibus contractum in locis ubi Tridentinum promulgatum & receptum est, postea debere ab utroque conjuge renovato consensu revalidari coram Parocho & testibus, nimis clarum est. Quæstio ergo est in casu, quando matrimonium contractum semel fuit cum debita solemnitate coram Parocho & testibus, sed invalidè, sive ob defectum consensûs sive ob defectum habilitatis ex alio impedimento dirimente quocunque, quando postea sublato impedimento, renovato consensu revalidatur, debeant rursus adhiberi Parochus & testes? Quæstio sanè gravissimi momenti. Dico sequentia.

462 I. Certum est, quando impedimentum publicum fuit, & ad forum contentiosum deductum: itemque si periculum sit, ne in foro externo, vel in facie Ecclesiæ impedimentum aliquando innotescat, vel saltem duobus testibus probari possit, debere consensum renovari ad matrimonium de novo renovandum coram Parocho & testibus. Omnes Sanchez *l. 3. disp. 37. num. 11.* Layman. citatus *p. 4. c. 14. n. 4.* Ratio manifesta est: quia illud matrimonium, quod constat, vel probari potest esse nullum, nec in se fuit validum, nec in facie Ecclesiæ præsumptum: ergo ut convalescat, necessaria est juxta Tridentini formam, præsentia Parochi & testium, qui apud Ecclesiam testari & probare possunt, esse matrimonium validum contractum. Addunt *Henriquez, Ledesma, alii*, & post ipsos *Sanchez*, & *Layman* citatus, item dicendum, quando impedimentum alioquin occultum, tamen solus prior Parochus extra confessionem, vel unus testium cognitum habuit: quia non poterunt authoritatem & testimonium matrimonio præbere, quod sciebant esse nullum. Verùm id rectiùs negant Coninck *disp. 24. dub. 10.* Tamburin. *citatus §. 2. n. 10.* Herincx *disp. 5. §. 3. n. 31.* Ratio est: quia ex una parte unus tantùm testis non facit impedimentum probabile in fore externo sufficienter ad dissolutionem matrimonii, ut constat *c. pro eo, &c. à nobis. De testibus.* Et ex alia parte Parochus & testes illi apti sunt ad testificandum matrimonium contractum secundùm formam ab Ecclesia præscriptam: quod certè, non obstante unius cognitione contrariâ, satis testificari possunt: neq; ipsi debent esse testes validitatis matrimonii, ut scilicet testes testentur matrimonium à parte rei esse validè contractum, quod ipsi scire non possunt, sed solùm debent esse testes contractûs matrimonii, scilicet matrimonium secundùm formam ab Ecclesia præscriptam esse contractum.

463 II. Quæstio ergo tota difficillima est, an quando impedimentum omninò occultum fuit, ita scilicet ut in foro externo per duos saltem testes non singulares probari non possit, estò tres vel quatuor singulariter aut ex relatione alterius, aut ipsius unius conjugis confessione cognitum habeant: (tunc enim adhuc censebitur impedimentum occultum, quia tota illorum testium authoritas reducitur ad relationem, vel confessionem unius v. g. conjugis; ut ex Jure, & communi notat Sanchez *citatus n. 12.*) eo impedimento sublato, debeat matrimonium innovari rursus solemniter coram Parocho & testibus? Ita affirmant gravissimi DD. quos congerunt, & sequuntur validissimus omnium Basilius Pontius *l. 5. c. 6. de matrim. ax. 6.* Paulus Comitolus *resp. moral. l. 1. q. 120.* Ratio est: quia Concilium Tridentinum statuit pro forma substantiali contractûs matrimonii præsentiam Parochi & testium: atqui forma tunc adhiberi debet, quando actus producitur in suo esse (ut optimè probat Baldus *in Leg. observari q. 5. ff. de officio proconsulis*) Tunc autem producitur matrimonium in suo esse, quando innovatur consensus: ergò tunc debet adesse forma inducta à Tridentino, scilicet præsentia Parochi & testium. Refertur etiam ita respondisse de muliere, quæ fictè consenserat Clementem VIII. esse scilicet necessarium novum consensum utriusque coram Parocho & testibus, admonito prius marito de matrimonii nullitate: sed ad vitandum scandalum Sanctitas sua dispensat ut secretò inter se contrahant, renovato consensu. Refertur etiam sic declarâsse Congregatio Cardinalium. Sic etiam Rotam Romanam sæpe (Lugo ait, *semper*) ita decidisse.

III. Contra tamen, quando matrimonium 464
invalidè contractum est coram Parocho & testibus ob defectum consensûs, vel aliud impedimentum occultum, necesse non est Parochum & testes iterum adhibere, sed ipsi conjuges per novum consensum modis suprà explicatis, matrimonium validum efficere possunt. Ita jam communior DD. Navar *manual. c. 22. num 70. & l. 4. consil. 14. Petrus Ledesma, Corduba, Henriquez*, aliisque congestis Sanchez *l. 2. disp. 27. num. 3.* Layman citatus *c. 14. num. 4. Coninck, Bonacina, Diana*, aliique, quos citat & sequitur Bosius *hic. c. 2. num. 8.* Et noster Herincx *disp. 5. quæst. 3. num. 30.* Ratio sufficiens est; quia tota ratio, quæ movit Concilium Tridentinum ad cassanda matrimonia clandestina, est, ut impediantur nimirum grandia peccata, & incommoda, quæ ex iis oriri plerumque solent: in nostro casu penitùs cessat, quin potiùs è contrario incommoda & scandala gravissima sæpissimè sequerentur, si matrimonia, quæ publicè valida habebantur, iterum coram Parocho & testibus celebrari oporteret: ergò meritò rationabilissimè colligimus Concilium Tridentinum decreto illo, quatenus tam prohibitorium, quàm cessatorium est matrimonii clandestini, nequaquàm comprehendisse casum illum, quo matrimonium occultè invalidum revalidari debet; sed solùm voluisse semel adhiberi solemnitates, ut constet Ecclesiæ de contractu matrimonii, quantùm constare potest & debet, ne quandò malitiosè dissolvi possint matrimonia, quod in nostro casu etiam fit, cùm enim impedimentum occultum non possit Ecclesiæ probari, non est via dissolvendi matrimonium, quod ex præsum-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sumptione Ecclesiæ erat validum. Adde 1. Quod Concilium Trid. utinum, ut ex contextu patet, solùm intendat irritare matrimonium clandestinum, quod anteà jam erat prohibitum: at nullibi apparet priùs fuisse prohibitam occultam ratificationem matrimonii priùs in facie Ecclesiæ contracti, sed invalidi ob occultum impedimentum. 2. Ita declarâsse Pium V. teste Navarro *citato c. 3. 24. n. 70.* Ita declarâsse Congregationem Cardinalium teste locuplete Barbosa in Remissionibus in Tridentinum *sess. 24. c. 1. De reformatione matrimonii.* 4. Ita quoque decidisse Rotam Romanam apud Bossium citatum *n. 7.*

465 IV. Vides, & miraris utramque sententiam ad se advocare Pontificem, Cardinales, & Rotam: sed certè pro neutra parte convincunt ejusmodi testimonia: Tum. 1. quia de iis non constat nobis authenticè. Tum 2. quia Pontifex potuit ita respondere ut privatus Doctor tutiora sequens, non autem docere ex cathedra: Tum 3. quia cum utraque sententia sit probabilis, pro re nata modò unam, modo aliam sententiam Patres illi sequuntur: Tum 4. maximè, quia modò supponunt, vel timent publicationem, vel periculum publicationis talis impedimenti, modò non timeur, Quare utraque sententia est verè probabilis: prior quidem tutior, hæc verò nostra longè probabilior. In praxi tamen placet judicium Tamburini citati *c. 7. §. 3. n. 8.* in hæc verba: Sanum nihilominus est consilium advocare Parochum, testésque, quantum fieri potest, in revalidatione dicti matrimonii, ut litibus de nullitate matrimonii aditus præcludatur. Quando autem subest aliquod periculum, si Parochus advocetur, opportunum remedium est, ut confessarios obtineat ab eodem Parocho licentiam (quam certè dare graviter obligatur) assistendi, quâ obtentâ adhibitis duebus fidissimis testibus in solitario cubiculo matrimonium revalidetur. Si neque hoc facilè fieri possit, tuto amplectitur secundam sententiam, nam reverà hæc hodie communiter à doctis & piis viris in praxin deducitur, eâmq; in praxi servari testatur Seraphin. decis. 96. Hæc Tamburinus sapienter,

466 Petes laudem. Quid si Pontifex vel sacra Pœnitentiaria in Brevi, vel Rescripto alicujus dispensationis concessæ ad revalidandum matrimonium contractum cum occulto impedimento, apponat more solito hæc vel similia verba: *Sitta est, cum eis dispensa, ut inter se publicè & servatâ formâ Tridentini contrahant*: necessariùmne erit, ut id fiat coram Parocho & testibus? Respondet *Sanchez*, non esse necessarium, quamvis enim (ait) non possit tunc delegatus dispensare, ut occultè celebretur matrimonium, tamen potest dispensare in impedimento, quo per dispensationem sublato jam ex doctrina data poterunt conjuges inter se solos matrimonium celebrare. Verum huic responsioni totis viribus se opponit *Gutierez*: Eo quòd Pontifex iis verbis det formam delegato, ut non possit dispensare, nisi servatâ dispositione Tridentini; ergò si illam non adhibeat, nihil efficit delegatus. Sed propugnat Sanchezium Pontius *c. 2. n. 2.* Formam à Tridentino impositam esse, ut semel illa præsentia Parochi & testium adsit, quando scilicet in facie Ecclesiæ fit contractus; cùm igitur in casu nostro tunc adfuerit præsentia Parochi & testium, satis superque servata est forma requisita à Tridentino.

SECTIO III.

De peccatis conjugum in usu matrimonii & debito conjugali.

SUMMARIA.

467. *Conjugum obligationes*
470. *Nec petere, nec reddere possunt debitum sive utrasque*
471. *Sive una tantùm pars physicè,*
473. *Vel moraliter certò sciat matrimonium esse nullum.*
474. *Quid in dubio de valore?*
475. *An reddere & petere possit habens impedimentum impediens tantùm?*
476. *V. g. votum continentiæ, ante, 477. vel post nuptias.*
478. *Ac etiam post matrimonium jam consummatum, emissum.*
480. *Quid si impedimentum matrimonio superveniat? v. g. affinitas ex incestu cum consanguinea uxoris;*
481. *Vel cognatio spiritualis ex baptismo,*
482. *Aut professio Religionis, vel susceptio sacri Ordinis,*
483. *Tria Confessarijs valde notanda circa impeditos vel privatos jure petendi.*
484. *An & quando copula inter tales habita contrahat speciales malitias?*
486. *Licitè utantur conjugio ad finem generationis,*
487. *Et ad vitandam incontinentiam.*
488. *Ex mera verò libidine & voluptate utentes peccant venialiter.*
490. *Quis modus servandus in usu conjugij usq; ad n. 494*
494. *Quo loco & tempore licitè fiat?*
495. *Quæ accessoria, & dispositiva licita sint in ipso usu?*
496. *Quando notabiliter & mortaliter excedunt per actus & tactus impudicos?*
551. *Quando tactus, amplexus &c. inter conjuges sint, vel non sint peccatum?*
504. *Et an eis liceant etiam, dum copula ab extrinseco est impedita, interrupta, vel illicita?*
505. *An & qualiter eis licita sit delectatio morosa venerea sensibilis ex copula tantùm cogitatâ, impeditâ, vel altero absente?*

467 COnjuges contracto legitimo matrimonio simul contrahunt multiplicem obligationem; & generatim quadruplicem: 1. Martii & uxoris mutuam. 2. Mariti ad uxorem. 3. Uxoris ad maritum. 4. Utriusque ad prolem. 1. Obligationes mutuæ uxoris & mariti sunt redditio conjugalis debiti: fides intemerata tori, charitatis & individua vitæ societas. De his hoc & sequenti §. 2. Obligationes propriæ mariti ad uxorem sunt: uxoris sustentatio, institutio, protectio. 3. Obligationes propriæ uxoris ad maritum sunt iterum tres: Obedientia, reverentia, liberorū & familiæ gubernatio sibi competens. 4. Obligationes mariti & uxoris communes ad prolem sunt tres: dilectio, educatio corporalis, & spiritualis. In his omnibus peccant conjuges gravius vel levius juxta rationem materiæ, verum non contra continentiam, & sextum præceptum, sed contra pietatum & quartum Decalogi præceptum: ubi de obligatione hac &

& peccatis oppositis sufficienter expressa sunt. Sed lege utilissimè tam pro cathedra, quàm confessionali par nobile fratrum Petrum Marchant. part. *3. Tribun. seu spec. Theol. tom. 3. Tract. 1. tit. 12. toto.* Et Jacob Marchant. *in suo horto pastorum in quartum præceptum.* Item David à Mauden in suis doctissimis Commentariis de 10. præceptis, & de Tobia. Hic ergò propriè restant explicandæ obligationes mutuæ conjugum quoad debitum, torum, & societatem.

ASSERTIO.

468 COnjuges debitum conjugale licitè, honestè, imo & meritoriè exercere, petere, & reddere possunt, *dummodò fiat debito jure: debito fine: debito modo & circumstantiis: & intra terminos honestatis naturalis.* Alioquin peccabunt etiam sæpè mortaliter & gravissimè. Hæc partim est de fide, ut constabit Assert. sequenti, partim est communissima DD. ut constabit; nulla proin alia probatione, sed multâ indigens explicatione quatuor conditionum in Assert. positarum.

§. I.

Debito jure.

EX valido scilicet matrimonii contractu, secluso omni impedimento vel dirimente, vel impediente usum matrimonii; pro quibus discernendis quatuor pono regulas.

PRIMA REGULA.

Quoad impedimentum dirimens.

469 COnjuges conscii impedimenti ac nullitatis matrimonii, sive à principio mala fide, utpotè scientes, vel practicè dubitantes cum impedimento dirimente uterque, vel alteruter contraxerit; sive, licèt à principio uterque vel alteruter bonâ fide contraxerit, adhibitâ scilicet debitâ diligentiâ, & servatis servandis, posteà tamen de impedimento, & nullitate matrimonii certiores fiunt, vel practicè dubitant, peccant mortaliter toties, quoties copulam petendo vel reddendo, vel alia impudica solutis mortaliter illicita exercendo, respectivè, solo scilicet illo conjuge, qui in bona fide & ignorantiâ invincibili impedimenti fuit, & mansit, à peccato excusato. Declaro particulatim.

I. Quando uterque conjux novit certò matrimonium esse nullum, nimis clarum est, utrumque peccare mortaliter & reddendo & petendo debitum, quia jam evidens est esse meram fornicationem, quæ est intrinsecè mala, nullo casu licita, ut neque certa mortis formidine excusari queat. Juxta communissimam DD. ut suo loco videbimus. At verò quandò unus conjugum optima fide, sinceriſſimè, & penitùs pro certò sibi persuadet, matrimonium esse validum, alteri autem soli constat, esse nullum. Multi quidem graves viri olim censuerunt hunc posse reddere debitum citrà peccatum mortale saltem. 1. Aliqui, si urgeatur metu mortis: quam sententiam *Sanchez* citatus vocat falsissimam. 2. Alii apud Dianam *citat.* si talis, præsertim fœmina, si nul mortis, & gravissimæ infamiæ metu urgeatur: posse se quasi passivè habere, semel & iterùm usque ad dispensationem omnibus modis festinandam. 3. Alii, si cogatur metu magistratus Ecclesiastici ignorantis impedimentum illud, tunc enim Episcopum dispensare ex commissa potestate, siquidem impedimentum sit juris Ecclesiastici. 4. Alii absolutè concedere videntur. Saltem fatendum est, posse hic dari ignorantiam invincibilem, & pœnitentem à Confessario in bona fide posse relinqui, ut jam *Sect. præcedenti §. 3. in fine* notavi. Sed absolutè loquendo.

II. Quandò uni conjugum certò & planè 471
physicè constat matrimonium esse nullum, quia liquidò novit adesse impedimentum dirimens, quantumvis altera pars bonâ fide indubitanter matrimonium valere putet, & debitum urgeat, nullo casu potest licitè reddere debitum & potiùs omnia perferenda sunt, quàm debitum reddendum. Communissima DD. apud & cum Sanchez *lib. 2. disp. 31.* Bonacina *de matrim. Propos. 4. n. 17.* Tañer *Tom. 4. d. sp. 8. quæst. 6. n. 34.* Perez *disp. 53. Sect. 1. tota.* Castro-Palaus, dicastill. alii cum Gobat. *cas. 16. n. 638.* Herincx *disp. 6. n. 39.* Atq; ita expressè declarat Innocentius III. *c. Inquisitioni. De sententia Excommunicationis.* Ubi consultus de tali respondit: *Debet potiùs sententiam excommunicationis humiliter sustinere, quàm per commercium carnale cooperari peccato mortali.* Sic Pontifex: Quâ sententia definitū est, quòd illa traditio sit intrinsecè mala, sempérque illicita, ut rectè notat *Perez* citatus. Ratio invicta est: quia fornicatio est intrinsecè mala, sempérque illicita; atqui non potest negari, quin tunc admittatur propriè & Theologicè dicta fornicatio, cùm reverà soluti sint, & non conjuges: quamvis enim pars ignara impedimenti, & in bona fide persistens debitum licitè exigat, excusante ignorantiâ invincibili nullitatis, non tamen exigit validè, sic ut alter impedimenti conscius reddere possit, vel debeat: putat quidem pars ignara se habere jus petendi; sed illam reverà non habere jus certò constat parti impedimenti conscię, quare consentiens in copulam non consentit in debitum conjugii, sed in crimen fornicationis. Idque proin verum est, sive juris naturalis, vel divini, sive Ecclesiastici tantùm sit impedimentum annullans matrimoniū; cùm utroque æquè reddatur nullum. Et falsissimum est Ecclesiam per judicem Ecclesiasticum compellentem talem ad matrimonii consummationem, dispensare in impedimento occulto, quod pars conscia probare non potest: nam proceditur secundùm allegata & probata, supponendo, non faciendo matrimonium. Undè si posteà impedimentum detegeretur, & probaretur, Ecclesia eos separaret, & liberos declararet: ut

470

Universidad de Deusto
Biblioteca

optimè observat *Herincx* loco citato: censura autè tunc lata non obligat in conscientia & coram Deo, sed solùm in externis debet se talis habere pro excommunicato ad evitandum scandalũ, & ob bonum commune. Quid de cætero tali agendum sit, jam nosse debes ex dictis *Sect. præcedenti. §. 4.*

472 III. Sententia hæc vera est; etsi talis compulsus ad reddendum debitum non sit physicè, sed tantùm moraliter certus, matrimonium esse nullũ, id est, quando ita de eo moraliter certus est, ut prudenter non possit dubitare, oppositum esse probabile, ut si tres testes omni exceptione majores jurati dixissent, uxorem esse intrà quartum gradum junctam marito, & nullus alius auderet contrarium asserere; cùm enim talis nequeat dubitare, quin matrimonium sit nullum, consequenter dubitare nequit, quin redditio sit illicita. *Perez, Dicastill.* & alii cum Gobat *citato n. 646.* At verò quando solùm opinatur probabiliter matrimoniũ esse nullum ex aliquo impedimento, non obstante ea opinione, tenetur reddere conjugi, qui bona fide contraxit, & debitum exigit, donec ita certus fiat, ut parùm aut nihil dubii remaneat. Communis apud citatos. Nam supra citato *c. inquisitioni* expresè dicit Pontifex: *Si habet conscientiam de credulitate, probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta, reddere debet.* At nunquid tunc etiam poterit petere non obstante opinione probabili de impedimento v.g. vitâ prioris conjugis? Respondetur, si simul etiam probabiliter opinetur, vel credat non subesse; v. g. priorem conjugem jam obiisse ob rationes utrinque probabiles, poterit etiam petere. Ita cum aliis Sanch. *lib. 9. disp. 14* & alii cum Gobat *n. 642.* Quia non apparet ratio, cur ex opinione speculativa de valore matrimonii ac nullitate impedimenti nequeat inferre probabilem resolutionem practicam de licita tam petitione, quàm redditione. At verò quandò ita habet probabilem opinionem de nullitate matrimonii, ut nulla probabilitas, sed tantùm sit dubiũ, suspicio vel formido de valore, non poterit petere quousq; veritatem inquirat. Sanchez *disp. 45. Dicastill. Gobat*, & alii.

474 IV. Quando occurrit dubium de valore matrimonii, ex alibi generatim dictis ita breviter resolvendum est. 1. Quando uterque, vel alter conjugum bona fide contraxit matrimonium, & postea incipit dubitare de impedimento latente vel valore, inprimis tenetur adhibere diligentiam moralem & exactam cognoscendi veritatem, interim abstinens necessariò omni matrimonii usu: sufficienti autem adhibitâ diligentiâ, si veritas deprehendi non possit, & dubium perseveret, jam non tantùm reddere, secundùm omnes, sed etiam petere debitum licitè possit, secundùm communem DD. cum citato *Sanchez, Perez*, &c. Ratio est: quia stat possessio pro valore matrimonii bona fide contracti, juxta receptũ illud: *Dubium superveniens bonæ fidei possessori obesse non debet*; quare in omnibus contractibus, si oborto dubio, nequeat quis deprehendere rem non esse suam, liberrimè utitur re bonâ fide possidere cœptâ. Cur non sit idem in matrimonio? 2. Quando uterque malâ fide contraxit matrimonium scientes vel credentes subesse impedimentum dirimens, etsi superveniat postea dubium de valore matrimonii, nimis clarum est, neutrum posse petere, nec reddere. Sanch. citatus *lib. 2. disp. 43.* alii omnes: Idémq; dicendum, quando contraxerunt à principio cum dubio de valore matrimonii (saltem absque præmissa diligenti inquisitione veritatis) Vide dicta *Sect. 2. §. 2.* N. IV. Ratio est; quia possessio malâ fide cœpta nullum tribuit jus in dubio: atqui mala fide contractus initur, vel possessio inchoatur in eo, qui ab initio dubitat, an contrahendi vel possessionem capiendi jus habeat: ergò, &c. Quare tales, & contrahendo Sacramentum periculo nullitatis exponentes; & posteà petendo, & reddendo debitum, vel copulam, toties, quoties peccant mortaliter, quia semper se exponunt periculo fornicationis. 3. Quando unus tantùm dubitat de valore matrimonii, sive, quia ab initio mala fide contraxit, sive quia in dubio superveniente diligentiam inquirendi veritatem non adhibet, ipse solus debitum petere non potest ob rationem modò dictam, sed tenetur reddere alteri nõ dubitanti, & bona fide petenti; quia hîc bonâ fide utitur jure suo, quo per alterius dubium privari non potest, nec debet: Idq; saltem post consummatum matrimonium; nam primo bimestri, si non sit consummatum matrimonium, non adest talis obligatio reddẽdi, juxta dicta suo loco.

REGULA II.

Quoad impedimenta impedientia tantùm: & specialiter, votum.

475 COnjuges, qui contraxerunt cum impedimento impediente vel prohibente tantùm, non prohibentur, sed licitè exercent copulam, duobus tantùm casibus exceptis. 1. Si interdictum sit contrahere ob examen faciendum de impedimento dirimente dubio, peccant petendo, & reddendo, donec causa decidatur, & ipsis constet, nullum esse impedimentum; alioquin enim practicè dubii exponerent se periculo fornicationis. 2. Quando conjux emisit votum simplex castitatis, seu continentiæ, quo voto directè excluditur actus conjugalis: ubi accuratè ita distinguendum & resolvendum est.

476 I. Si votum continentiæ perpetuæ editum est ante matrimonium contractum, tenetur vovens servare tantùm, quantùm potest sine præjudicio conjugis: nimirùm ut durante matrimonio debitum non petat, etsi petenti semper reddere teneatur: nam conjux non obligatur ad petendum debitum, sed tantùm ad reddendum. Expresè *c. Sidicat. 33. q. 5.* Undè si contingat alterum conjugem incestum cum illius consanguinea, vel adulterium committere, debet innocens suum votum (nisi dispensatum sit) perfectè

fectè servare, etiam non reddendo, quia tunc sine injuria conjugis potest. Uti ex communi docent Lessius *Lib. 2. c. 41. n. 53.* Layman *hic part. 3. c. 1. n. 10.* Diana *supra*, alii apud ipsos. Soluto verò matrimonio, etiamsi antea in petendo debito ab Episcopo vel privilegiato dispensatum fuerit, rursùs continentia integra servanda erit, neque ad alias nuptias transire licebit sine expressa Summi Pontificis dispensatione, cui votum illud semper reservatum est. Prout latius docetur in materia de votis.

477 II. Si votum editum fuit post nuptias, ac matrimonium ratum ante consummationem, siquidem vovens scivit, se aliter votum suum exequi non posse, quàm ingrediendo Religionem, censetur se ad id obligâsse, & tenetur Religionem ingredi: qui enim promittit finem, implicitè etiam promittit medium unicum necessarium ad eum finem, si id intelligit: unicum autem medium exequendi votum continentiæ simpliciter habet conjux, ut ante consummationem ingrediatur Religionem: ergò tunc vovendo absolutam continentiam ad id se obligâsse censetur. Secùs est, si vovens hoc non intellexit, sed putavit se in matrimonio posse continentiam servare, vel putavit alterum conjugem consensurum, tunc enim solùm tenetur abstinere à petendo, reddere autem cogitur, ut in priori casu. Ex communi *Coninck, Layman*, alii passim.

478 III. Si votum à conjuge editum fuit post matrimonium jam consummatum, rursùs distinguendum est, an factum sit sine, vel cum consensu; vel approbativo, vel permissivo tantùm, alterius conjugis? Si votum emissum absque omni consensu, sed nesciente vel contradicente altero conjuge, censetur se obligâsse in quantum potuit sine ejus præjudicio, ut scilicet à petendo abstineat, &, si ab obligatione reddendi liberetur per adulterium, incestum, & maximè mortem conjugis, in continentia perpetua maneat. Si verò votum editum sit cum pleno positivo & approbativo consensu conjugis juri suo renuntiare volentis. (& maximè si emissum ab ambobus mutuo consensu per modum mutuæ conventionis.) tunc omninò obligatur, ut neque petere, neque reddere unquam liceat sub mortali; secundum omnes. Secùs si votũ emissum sit cum consensu permissivo tantùm alterius conjugis, scilicet permittentis solùm alterum vovere, sed salvo jure suo, tunc enim huic juri suo non renuntianti vovens reddere debitum obligatus manebit. Quin etiamsi absolutè prius consenserit, posteà tamen pœniteat de concessione, & maximè si in gravi incontinentiæ periculo versetur, votum alterius quoad reddendum obligare cessabit, quatenùs majoris boni impeditivum est. Ut contrà alios cum aliis docet Sanchez *Lib. 9. disp. 7.* Sed tutiùs longè esse super eâ re dispensationem petere, rectè monet Layman. *citat. c. 1. n. 14.* ad finem.

479 IV. Qui vovit ingredi Religionem, aut sacros Ordines suscipere, jam alibi dictum, peccare quidem mortaliter contrahendo matrimonium; at post contractum posse licitè reddere, & petere; sed intellige tunc, & adde nunc, saltem post primam consummationem. Etenim probabilissimum est eum, qui vovit Religionem ingredi peccare, mortaliter primâ consummatione, non tantùm petendo, de quo vix dubitari potest, sed etiam reddendo, maxime intrà primum bimestre. *Ratio est*: quia quamdiù intrà primum bimestre matrimonium manet duntaxat ratum, certò habet jus ingrediendi Religionem, neque ab altera parte compelli potest ad copulam: per consummationem autem reddit primùm sui voti executionẽ impossibilem: Atqui culpabiliter reddere sibi impossibilem executionem voti, vel cujusvis obligationis sub mortali, mortale est; ergò, &c. Ita cum *D. Thoma* suo tempore communis DD. Et etiamnùm docent multi RR. *Coton. Dicastil.* apud Gobat. *Tract. 9. casu 1. n. 59.* Herincx *disp. 6. q. 2. n. 17.* Post consummationem autem factâ jam impossibili impletione sui voti, licitè & validè deinceps poterit petere & reddere debitum, donec conjuge moriente, aut adulterante, aut Religionem ingrediendi consentiente, &c. ipse votum suum debitè exequatur, sicut obligatur. Verùm quamvis hæc doctrina tempore D. Thomæ communis fuerit, attamen posteriores Theologi tanto numero apud Dianam *parte 11. tract. 5. resol. 4.* consentientem tali absolutè concedunt licentiam liberè consummandi reddendo debitum, ut sentiam cum Gobat *tract. 10. casu 16. num. 629.* tali à confessario absque scrupulo peccati gravis posse permitti redditionem debiti etiam primâ vice petenti, maximè post primum bimestre, imò & intrà, & simpliciter, uti cum multis contrà multos expresè docet Tannerus *Disp. 8. quæst. 6. n. 56.*

REGULA III.

Quoad impedimentum matrimonio superveniens.

480 IMpedimentum dirimens matrimonium contrahendum post contractum matrimonio superveniens privat jure petendi debitum, ut scilicèt nec validè, nec licitè petere possit, petendóque peccet mortaliter, etsi innocenti conjugi teneatur reddere. *Omnes.* Hujusmodi autem impedimenta matrimonio supervenientia tantùm possunt esse sequentia. 1. Affinitas contracta cum proprio conjuge, ex incestu cum consanguinea ejusdem conjugis in primo & secundo gradu tantùm, claro jure, privat jure & facultate petendi debitum, sic ut nec validè, nec licitè sub mortali possit petere debitum; attamen parti innocenti reddere tenetur. De quo jam satis dictum *c. 1 sect. 1. cum de impedimento affinitatis.* Dico autẽ *incestus*; nam adulteriũ solùm non incestuosum non privat jure petendi debitum, nisi quatenus

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenus conjux innocens sciens adulterium commissum, ei debitum justè negare potest; quare adulter vel adultera semper licitè petet debitum saltem rogando, solùm validè & obligatoriè non poterit exigere, quando adulterium conjugi innocenti apertum est, ut mox indicabo. Dico etiam *incestuosus cum consanguinea conjugis*, non enim jure petendi debitum privatur is, qui peccavit cum affine tantùm propriæ conjugis, cùm iste sit impropriè incestus, & nimis impropriè contrahatur affinitas cum propriâ uxore, quippe quam, si non esset uxor, adhuc ducere posset. Ut contra nostrum *Rodriquez* docet communis DD. cum *Sanch cit.*

481 II. Cognatio spiritualis contracta cum conjuge ex Baptismo vel susceptione propriæ communis prolis, etiam privat jure & facultate petendi debitum secundùm longe probabiliorem sententiam apud *Sanchez.* mox citandum. At certè æquè probabiliter, vel probabiliùs negant alii jam satis communiter. *Durand. Cajet. Suarez*, aliisque congestis ipse Sanch. *l. 9. disp. 26. Coninck, Hurtad. Dicastill.* ac totis viribus Perez. *disp. 26. sect. 6.* Herincx *disp. 7. q. 2. n. 10.* Ratio sufficientissima est, quòd hoc nullo claro jure ostendi possit; absque claro autem jure non est asserenda tam gravis pœna. Quare ego cum Gobat citato *casu 5. n. 615.* etiam secluso privilegio, tutò sequerer in praxi hanc sententiam.

482 III. Professio Religionis & susceptio sacri Ordinis post matrimonium contractum, vel etiam consummatum qualiter valeant, & non valeant, & si non valeant, qualiter impediant petitionem debiti, satis dictum est. *c. 1. §. ult.* Similiter quoad impedimenta impedientia tantùm, matrimonio tantùm supervenire potest votum simplex continentiæ, Religionis ingrediendæ, vel sacri Ordinis suscipiendi, de quibus etiam satis est dictum.

483 IV. Circa prædicta omnia pro praxi nota adhuc tria confessarie. *Primum.* Quovis impedimento obstrictus ac jure vel facultate petendi debitum privatus conjux v. g. incestuosus; aut voto continentiæ adstrictus; si intelligat ex eo, quod nunquam petat debitum, matrimonium conjugi, præsertim uxori, fieri onerosum, utpote vel quia præ verecundia ita petere non audet; vel quia in periculo incontinentiæ versatur; vel his seclusis, quia malè de ipso suspicatura sit, poterit in gratiam conjugis se ad debitum modestè insinuare. Ita communis. *Sotus Ledesma*, aliisque citatis Sanchez *l. 9. disp. 7.* Layman, & alii citati. Ratio est: quia neque impedimenta inducta ab Ecclesia, neque ipsa vota obligant cum tanto rigore vel impedimento majoris boni; id verò tutissimè fiet per modum interrogationis; an non placeat, &c. quòd sit respondeat conjux modo imperativo, res salva est; tunc enim hæc petens, ipse potius reddens erit: at si ipsa non respondeat, sed vicissim interroget, cur ego non faciam more solito? facilè respondetur, se non amplius oblectari multum, ipsi tantùm gratificari velle. *Alterum est*; certum esse, quòd ignorantia & facti & juris seu legis privantis jure petendi debitum excuset ignorantem legem privantem hoc jure, ut eo non privetur. Ex communi Laym. *tract. 10. parte 4. c. 8. n. 8. Tertium est*: cum privatis jure petendi debitum, sive propter incestum, sive propter simplex votum castitatis dispensare posse confessarios Mendicantium à suis Provincialibus deputatos, per privilegia non tantum *vivæ vocis oraculis* (quæ per Tridentinum revocata novimus) sed etiam per veras Bullas seu Brevia concessa, ut bene probat præter alios Quintanaduennas *singularium tract. 9. singulari 2. an. 6.* atq; ibidem *singulari 11.* observat, eosdem Mendicantes, quandoquidem pollent hac facultate, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ posse eos dispensare, etiam cum absentibus. Ac proin (ait Gobat *cit. n. 604.*) si Parochus scribat tali Religioso: peto reverentiam vestram, ut dispensetcum NN. in petitione debiti: etit res salva, cùm confessarius rescripserit: *dispenso.* Dummodò subsit justa causa, quæ vix potest deesse. Quod valdè nota.

REGULA IV.

Quoad speciem peccati.

484 COpula habita inter personas, quarum matrimonium ob impedimentum non subsistit, vel aliàs jure petendi debitum privatæ, sunt, tunc accipit specialem malitiam necessariò in confessione explicandam, quando impedimentum jure Divino vel Ecclesiastico inductum fuit præcipuè propter ipsam copulam tanquam specialem indecentiam & deformitatem habentem inter tales personas contra aliquam virtutem specialem, aut *Religionis*, ut videre est in impedimento voti solemnis; sive ordinis, cultûs disparitatis; aut *pietatis ac reverentiæ* erga sanguine junctos, ut in impedimento consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis ac legalis; aut contra virtutem *justitiæ*, ut in impedimento ligaminis, &c. In his enim præter peccatum mortale fornicationis contra virtutem continentiæ, copula illa accipit specialem speciem malitiæ contra illam aliam virtutem, utpote sacrilegii, incestûs, adulterii, &c. utiq; necessariò explicandam in confessione. Secùs verò se res habet, quando impedimentum matrimonii inductum fuit, non propter specialem indecentiam copulæ carnalis inter tales personas, sed ob aliam causam, utpote ob criminis punitionem, ob matrimonii libertatem tuendam, &c. ut videre licet in impedimento criminis, raptûs, metûs, &c. Quo casu si quis cum muliere tanquam conjuge conjungatur, solùm simplicem fornicationem committit, perinde ac alii soluti: nisi facerent fortè id in contemptum Ecclesiæ, aut formali non obediendi intentione, tunc enim & contrahendo, & utendo matrimonio committerent speciale peccatum inobedientiæ formalis,

malis, semper & in omni materia mortale. Ita communissima. Sanchez *lib. 7. disp. 5. n. 7.* Coninck. *citat. dub. 2. in fine.* Layman. *citatum c. 1. n. 6.* Et præ aliis optimè *Perez*, omnia impedimenta sigillatim percurrens. *disp. 27. Sect. 2.*

§. II.

Debito fine.

485 QUo fine, quáve intentione contrahendum sit matrimonium, ut non peccetur, jam dictum est *c. 1. sect. 3.* Jam videndum est, quo fine, vel intentione matrimonio utendum, seu copula conjugalis exercenda sit, ut honestè, vel saltem licitè absque peccato fiat. Pono iterum quatuor velut regulas.

486 *Prima.* Licitum & sanctum est conjugio uti ad finem generationis prolis, ad evitandam incontinentiam in comparte, aut ad satisfactionem sui debiti. *Omnes.* Ratio clara est, quia generatio prolis est finis principalis matrimonii, & actus matrimonialis, ideóque semper licitè & sanctè intenditur; quam rectam matrimonii intentionem ab Angelo edoctus exprimit Tobias junior *Tob. 8.* dicens: *Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Vitare autem *incontinentiam* est finis matrimonii secundarius, & respectu compartis debitus est ex charitate: *satisfacere autem debito* postulato obligatur conjux ex justitia & bono fidei matrimonialis.

487 *Secunda.* Licitum est conjugi etiam conjugio uti ad evitandam incontinentiam in se ipso tantùm, idque etiam absque intentione formali prolis generandæ, utpote, quia ob senectûtem, vel sterilitatem non est spes generandi prolem, vel quia jam imprægnata uxor ultra concipere nequit, &c. Idque etiam si conjuges ob paupertatem; vel similem causam non malam optent non concipi, non generari, multiplicari prolem. Ita contra *D. Thomam* & *D. Bonavent.* aliósque veteres non paucos *in 4. disp. 31.* communis DD. cum Navarro *disp. 16. n. 32. Sanchez, Laym.* alii passim. Ratio est; quia matrimonium post lapsum hominis à Deo ordinatum est in remedium concupiscentiæ, ut indicat Apostolus *1. ad Corinth. 7. Propter fornicationem unusquisq; uxorem habeat* &c. Et post: *revertimini in id ipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram.* Nec admittenda est limitatio aliquorum apud Sanchez *l. 9 disp. 9.* tunc solùm licitum esse matrimonio uti propter evitandam incontinentiam, quando alia remedia carnis coërcendæ non sufficere videntur: Cùm enim ipsum matrimonium institutum sit in remedium incontinentiæ, ejúsq; actus de se honestus sit: cur alia remedia præferri deberent? esset reverà hoc materia infinitorum scrupulorum & anxietatum conjugibus, præsertim, qui sine spe prolis, utpote conjuge sterili, vel jam prægnante, copulantur, si semper examinare deberent, an aliis mediis v. g. orationibus, jejuniis, &c. concupiscentiæ suæ mederi possint. Ut bene notat Layman hic *part. 3. tract. 4. n. 2. in fine.*

488 *Tertia.* Conjugio uti solius libidinis vel voluptatis exercendæ gratiâ, est peccatum veniale. Ita expressè S. Augustin. *l. de bono conjug. c. 6.* dicens: *conjugalis concubitus generandi causâ non habet culpam, concupiscentiæ verò satiandæ tantùm cum conjuge, venialem.* Estque communiss. DD. cum D. Thoma, D. Bonavent. Scoto *in 4. d. 31* aliisq; congestis Sanchez *l. 9. disp. 11.* quidquid aliqui cum Diana ab omni peccato, modò improbabiliter, excusare conentur: est enim inter propositiones novissimè Innocentio XI. damnatas etiam hæc, ordine 9. *Opus conjugii ob solam voluptatẽ exercitum omni penitus careret culpâ, ac defectu veniali.* Ratio est; quia est inversio ordinis à natura inditi; voluptas enim venerea indita est à natura ad acuendam ipsam operationem naturalem & promptiorem reddendam: ergo contra ordinem naturæ pugnat, qui operationẽ ad delectationem refert, cùm delectatio amplectenda sit propter operationẽ: idémq; est in cibo, potu, somno. Contingitque sæpe in eo peccari mortaliter, quando in ea voluptate ultimũ finem constituunt, seu propter illam legem Dei transgredi parati sunt, quo sensu archangelus Raphaël dixit Tobiæ juniori. *Tob. 6. Hi qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos.*

489 *Quarta.* Secluså intentione generandi prolem, vel evitandi incontinentiam, cujus periculum non adest, conjugio uti solius corporalis sanitatis causâ, esse culpam venialem in petente, docent DD. satis multi cum S. Thoma cit. *dist. 31. q. 2. a. 2. ad 4.* eò quòd sit piorum hominum persuasio copulam conjugalem non vacare culpâ, nisi referatur ad bonum fidei prolis. Verùm id longè probabiliùs negant, & omni culpâ liberant jam alii. Communissima cum *Sanchez & Layman* citatis, cùm enim matrimonium præcipuè institutum sit ad propagationem speciei, videtur etiam secundariò institutum ad conservationem individui generantis, cùm species nisi salvis individuis propagari non possit. De his plura curiosa apud citatos.

§. III.

Debito modo, & circumstantiis.

REGULA I.

490 MOdus essentialis copulæ utpote principaliter ad generationem prolis ordinatæ est, ut fiat cum immissione & retentione seminis intra vas naturale. *Ratio* patet; quia alioquin, nisi recipiatur, & retineatur ibi semen, impossibilis erit generatio: ideóque peccatum contra naturam. Peccant ergò mortaliter & gravissimè

Universidad de Deusto
Biblioteca

conjuges toties, quoties se polluentes (De hoc specialiùs §. seq.) seu voluntariè abruptâ copulâ semen extrà effundentes; uxores ad hoc cooperantes, consentientes, vel semen jam receptum ejicientes, quacunque de causa fiat, sive paupertatis, ne multiplicetur proles, sive infirmitatis vitandæ, sive etiam periculo mortis, in partu v. g. evitandæ. Certum apud omnes. Sanchez *Lib. 9. disp. 17. n. 19.* alij passim: addente Dicastillo apud Gobat. *n. 590.* etiam minimam deliberatam effusionem seminis extrà vas esse mortale crimen. *Ratio* clara est; quia omnis voluntaria effusio seminis extra vas est intrinsecè mala, & peccatum contrà naturam, quippe directè excludens finem principalem conjugij, & copulæ carnalis, scilicet generationem prolis, ac proin nullo fine, nullâ causâ necessitatis cohonestari potest. Undè etiam in fornicatione inter solutos est circumstantia mutans speciem necessariò in confessione explicanda; est enim tunc inchoata fornicatio, & completa mollities, nisi ipsos ignorantia excuset, prout reverà plerumque ignorant, atque id exprimunt quasi pro minuendo suo peccato; quarè cautus sit confessarius in interrogando. Intelligendum est semper: *si voluntariè fiat*, & ex proposito ad impediendam generationẽ, vel ob aliam quamvis causam. Secùs est 1. Si præter intentionem accidat utpote ex festinatione, ex metu, ob senium, ob indispositionem alterius partis. Adde etiam, ex malitia solius alterius Partis, etsi enim uxor sciat maritum solere copulam abrumpere, & semen effundere, non tamen peccat nec petendo, nec reddendo, dummodò ipsa non consentiat, nec cooperetur: quia non sequitur ex actione uxoris, sed præcisè ex malitia viri. 2. Si fiat ob impotentiam aliquam corporalem quamdiù probabilis spes supereſt copulam debitè perficiendi: tamdiù enim licebit eis conari ad copulam; quamvis præter intentionem sæpius contingat maritũ semen extrà vas effundere, donec omninò desperetur de copula perficienda, juxtà dicta *c. 1. n. 127. de impedimento impotentiæ.* De hoc latè Sanchez *citat. disp. 17. n. 23.* addens: quamvis, ubi non constat impotentiam esse perpetuam, sibi vir persuadeat fore, ut illa vice, quâ congreditur, intrà vas non possit seminare, posse tamen depositâ conscientiâ accedere ad uxorem. Et *n. 26.* addit: ab omnibus admitti judicium Cajetani, qui censuit quemdam maritum, qui toto biennio nequiverat seminare intra vas, at elapso sexennio potuit, non deliquisse illis sex annis conando habere perfectam, sicut priùs habuerat, copulam, eo quòd semper probabiliter speraret se habiturum illam. 3. Insuper cessante omni periculo pollutionis in utroque conjuge, conjuges mutuo consensu inchoatam copulam abrumpentes, ne proles generetur, sive ob inopiam, sivè ob aliam causam, non peccare mortaliter, docent DD. satis communiter, *Cajetanus, Paludanus, Armil. Sa,* aliisq; congestis Sanchez *Lib. 9. disp. 19. Layman* citatus. Qui id etiam ab omni culpa excusant, quando justa causa subest v. g. ob paupertatem, ne multiplicentur proles ex una parte, ex altera verò parte ad sedandam aliqualiter concupiscentiam, & incontinentiam vitandam. *Ratio est*; quia vasis illa fœmineæ penetratio absque seminatione, & pollutionis periculo reputatur instar tactuum partium pudendarum, qui inter conjuges permissi sunt. Si autem fœmina jam seminavit, aut ad id excitata sit, lethaliter delinquit maritus, datâ operâ desistens ante suam seminationem, ut meritò advertit Sanchez *ibid. n. 4.* Atqui in totum sanè probabiliter contradicunt Sylvester, Henriquez, aliique citati. 4. Diana *parte 3. resolut. 37.* sic scribit: *quidam inchoat copulam cum uxore, & posteà ob morbi periculum de ejus consensu se retrahebat, verùm ex hoc aliquando sequebatur pollutio, quæsitũ à me fuit, an talis actus esset licitus? Respondi affirmativè.* Sic iste, quem vide. De hoc iterùm §. sequenti.

REGULA. II.

MOdus copulæ conveniens, & sanum est consilium, ut conjuges curent, ut simul utriusq; semen effundatur, eò quòd id multùm conducere ad prolificandum doceant Medici; quare tardiori ad seminandum permittendum, imò consulendum est, ut antè concubitum tactibus excitetur ad venerem, ut sic possit in ipso concubitu simul seminare: ejus tamen rei nulla est necessitas vel obligatio: Quare dum vir semen effundit, non tenetur fœminæ seminationem exspectare: neq; culpæ saltem lethalis reus erit vir priùs tactibus incitans venerem, sciens se ob id citiùs fœminâ seminare. Ita cum alijs Sanchez *citat. disp. 17. n. 8. 9. 10. & 11.* Addens *n. 12.* ubi vir semine intrà vas recepto, membrum virile extraxit, licet fœminæ, quæ nondum effudit, tactibus se excitare, donec & ipsa seminet, quia hæc provocatio est actûs conjugalis perfectio & consummatio. Confirmatur, quia aliàs maximo & evidentissimo periculo admittendi peccata mortalia esset exposita fœmina. Hæc vitâ & moribus verè virgineus, sed doctrinâ Physicus Sanchez, cui subscribunt expressè Bonacina *de matrim. q. 4. part. 6. n. 14.* Perez *disp. 94. Sect. 8.* Basilius Pontius *l. 10. c. 11.* Dicastil. *disp. 9. dub. 7. n. 51.* Diana *parte 2. tract. 17. resol. 31.* (testans ita sentire Lessium) Gobat *cas. 15. n. 591.* meritò reprehendens Stephanum de S. Paulo scribentem oppositam sententiam esse omnium communiter. Certè hæc doctrina mihi non rarò fuit necessaria in confessionali. Similiter autem è contra, neque etiam uxorem peccare, si viro usum vasis concedat, ipsa verò animum ad alia convertat, ne concitetur ad seminationem, & sic impediatur generatio prolis ob suprà dictam aliquam justã causam docent ibidem Sanchez *n. 5.* Perez *Sect. 8. Dicastil, Escobar*, alij cum Diana, *part. 5. tract. 14. resolut. 38.* Gobat. *n. 592.*

RE-

REGULA III.

492 MOdus copulæ licitæ necessariò requirit situm corporum aptum ad semen intrà vas infundendum & retinendum. Situs naturalis ordinarius copulæ est jacendo, viro incubo & fœminâ succubâ copulari. Hic enim modus est aptissimus ad seminis virilis effusionem, intrà vas immissionem, & retentionem: à quo modo, quò magis deviat situs, eo magis adversabitur naturæ. *Prima* & modica deviatio est jacendo à latere vel stando copulari: hic jam non æquè tuta est seminis in vase receptio & retentio: certò tamen tuta satis. 2. Etiam deviatio est præposterè à tergo copulari more pecudum: hic jam etiam est periculum effusionis, attamen sanè non certum, nec ordinariè, cùm eo situ fœmina semen integrum & recipere & retinere, si velit, regulariter possit. 3. Et deterrima deviatio est, conversim viro succubo & fœminâ incuba copulari: ubi præter periculum gravius effusionis seminis, etiam conditio personæ naturalis variatur, est enim naturale viro agere, & fœminæ pati: eo autem modo potiùs vir patitur, & fœmina agit. Istis ergò modis innaturalibus, præsertim secundo & tertio, copulari peccatum mortale censent DD. gravissimi bono numero citati à Sanchez *Lib. 9. disp. 16.*

493 Verùm communis jam & longè probabilior est sententia DD. cum ipso *Sanchez* ibidem, *Layman, Perez*, alij citati. Nimirùm: Quocunq; dictorum modorum copulari servato vase naturali, & secluso certo periculo effusionis seminis, etiam solius voluptatis gratiâ, absq; alia justa causa non esse peccatum mortale (sed certè crassum veniale) ut valdè increpandi sint ita sine necessitate copulantes. *Ratio est*; quia est sanè abusus, & inversio ordinis naturæ, adeóq; culpa vacare non potens. Attamen certè inter conjuges non potest rationabiliter damnari peccati mortalis, tum quia versatur tantùm circà accidentalia copulæ, cùm substantialia omnia serventur, utpote vas debitum, immissio & retentio seminis, ut supponitur; tum quia ex nullo dictorum modorum etiam tertio est certum periculum effusionis seminis extrà vas: quia semen non recipitur per vas in matricem per infusionem, vel descensum, sed per attractionem virtute naturali attractiva seminis, ut demonstrant Medici. Quare quando viri confitentur, se ita præposterè congressos cum uxoribus, non est opus communiter quærere, utrum effuderint semen extrà vas, sed potiùs eis dicendum, ut abstineant à tali concubitu, eò quòd multi sapientes eum concubitum damnent peccati mortalis; tametsi alij plures sapientes sentiant clementiùs; quod addi etiam quandoque potest, ut parcant conscientiæ & pudori uxorum, quæ fortè credent, id continere crimen mortale; & tamen fortassis præ verecundia non confitebuntur, prout experientiâ compererunt confessarij. Cæterùm apud omnes constans est, mortaliter delinquere conjuges, si ita varient situm cum prævisо periculo effusionis seminis; aut si ob peculiarem corporis dispositionem, aut morbum fieri soleat, ut uno ex illis innaturalibus modis concumbendi effundatur semen, aut denique (saltem ex conscientia erronea.) Si ex intentione ita congrediantur v. g. stando, &c. ut ea ratione proles non nascatur, sicut enim mortale est actu, & re ipsâ positivè impedire generationem per concubitum innaturalem; ita & mortale est velle sic eam impedire, etsi erroneè & falsò credentes ita impediri. Contrà verò si secluso prædicto periculo ob justam causam fiat variatio situs (v. g. Quia uxori prægnanti timetur periculum, si incumbatur ventri, vel quia vir debilis membrum ea ratione meliùs stabilit, &c.) omni culpâ vacabit præposterè coire servato debito vase, ut notant DD. citati. Nullo tamen casu licebit copulam inchoare extrà vas naturale. Ut §. sequenti patebit.

REGULA. IV.

MOdus licitus copulæ requirit eas circumstantias temporis, loci &c. quibus copula terminos legis & honestatis naturalis non excedat, ut nimirùm fiat loco & tempore secreto, & non prohibito. Locum secretum esse oportere ipsa naturalis verecundia dictat: & ne in loco sacro fiat, lex Ecclesiæ prohibet sub mortali, extrà tamen casum urgentis necessitatis, ut si conjuges diu deberent esse inclusi in loco sacro, vel tempore belli in desertis Ecclesijs habitare cogerentur, ut docetur in materia de sacrilegijs, & nos aliquid c. sequenti. Tempus etiam secretum, & nocturnum eadem naturalis verecundia suadet, sed non obligat, ut rarò in circumstantia temporis peccetur. Aliqua tamen ex dictis notanda sunt. 1. Conjuges post matrimonium ratum primo bimestri liberos esse ab obligatione reddendi debitum, jam suprà audivisti satis. 2. Concil. Trid. *Sess. 24. c. 1. De reformat. matrimonij*, hortatur conjuges, ut ante benedictionem sacerdotalem à proprio Parocho, vel altero de ejusdem vel Ordinarij licentiâ collatâ, in eadem domo non habitent, nec matrimonium consumment. Cùm autem illa vocula *hortatur*, consilium potiùs, quàm præceptum significet, ideò probabilis est sententia Navarri *c. 2. n. 38.* ac aliorum cum Layman *lib. 5. tract. 10. parte 2. c. 4. n. 12.* nullam culpam esse per se loquendo, secluso contemptu vel scandalo, si conjuges ante benedictionem matrimonium consument, licèt alij communiter culpam venialem agnoscant, faventque Sanchez *lib. 3. disp. 12.* latè de hoc agens. 494

Convenientissimũ & decentissimum est pro antiquissima & sanctissima consuetudine eo die, quo recipienda vel recepta est sacrosancta Eucharistia, abstinere à debito conjugali petendo. Ita omnes SS. PP. & DD. Hieron. in Apologia ad Damasum: *illorũ*, inquit, *conscientiam convenio*,

Universidad de Deusto
Biblioteca

venio, qui eodem die post coitum communicant &c. Quam quidem consuetudinem Legis vim obtinuisse, ut saltem sub veniali obliget, venialiterque peccent conjuges, eodem die post copulam ad Eucharistiam accedentes, docent multi graves DD. apud Sanchez *lib. 9. disp. 13. n. 2.* Et mordicus noster Marchant *Tribunal. tom. 3. seu specul. p. 3. tract. 1. tit. 12. quæst. 4 § 4.* Verùm comunis est sententia DD. quos latè citat, & sequitur Sanchez *ibidem num. 5.* eúmque secuti RR. omnes: quòd si debitum petatur, & reddatur recto fine, & sine omni alia culpa, nulla erit culpa eo die ad Eucharistiam accedere, quia actus ille de se est bonus & honestus: imò meritorius, & carnalis voluptas admixta propter bonum finem licitæ copulæ purificatur; quòd si verò copula conjugalis petatur, & reddatur ex mera nimia concupiscentia; & voluptatis capiendæ causâ, saltè plerumq; erit culpa venialis, eo die Eucharistiam sumere ob magnam indecentiam & disconvenientiam ad Sacramentum puritatis. Excepto tamen, nisi justa causa excuset, & indecentiam cohonestet; utpotè quia est magnum festum, in quo valde deceat communicare; vel nisi quis communicet, alii pravè judicabunt, vel scandalizabuntur; vel quia quis speciali præparatione & devotione indecentiam illam suppleat. Lege latè Sanchez citatum *disp. 13. tota.* Eâdem ratione dicendum de copula habita post Eucharistiam eo die sumpta: Et quæ de culpa dicta, intelligenda sunt ex parte petentis maximè, nam reddens ipsâ obligatione suâ à tali culpa excusatur.

§. iV.

Et intrà terminos honestatis naturalis.

495 VErè certa est regula communiter assignata: conjugibus in usu matrimonii una cum ipsa copula licere etiam accessoria, seu omnia ad eum usum copulámque carnalem dispositiva, corde, ore, opere; ut sunt affectiones carnales, imaginationes, delectationes morosæ, aspectus, sermones venerei, amplexus, oscula, tactus &c. intrà terminos honestatis naturalis: adeò ut tunc certò peccent mortaliter, si limites honestatis naturalis notabiliter excedant, aliàs non. Sic omnes fatentur, & in terminis rectè proponit noster Marchant. *tom. 2. tract. 7. titulo 2. in appendice.* Ratio est; quia tota illa indulgentia conjugibus data est, & tantùm dari potuit ab auctore naturæ intrà terminos honestatis naturalis, & concubitûs humani rationalis, seu quatenùs illa secundùm naturam, & rectam rationem ad naturalem humanum & ordinarium concubitum ordinantur. Hos limites quò quis magis egreditur, eò magis ad peccatum contrà naturam accedet, utpote mollitici, sodomiæ &c. Eóque graviùs peccabit mortaliter. Vera & certa sunt hæc omnia. At at undè sciam in particulari, vel alteri exponam excedi, vel non excedi notabiliter terminos honestatis naturalis, ideóque peccari mortaliter, nec ne? Perquare eleganter D. Ambros. *lib. De Patriarchis*, relatus *c. nemo sibi 32. quæst. 4.* dicit: nec hoc solùm est adulterium peccare cum aliena conjuge, sed omne, quod non habet potestatem conjugii &c. ac proin ea circumstantia tanquam speciem mutans scilicet copulæ sodomiticæ cum propria conjuge necessariò est in confessione explicanda. Lege Sanchez *l. 9. disp. 18.* satis teutonicum.

Navarrus quidem Concil. *7. de pœnitent. & remission.* satis apertè excusat à mortali matrimonium, qui volens legitimè copulari uxori, sed quò se excitet, & majoris voluptatis captandæ gratiâ, inchoat cum ea copulam sodomiticam in vase præposstero cum intentione ibi, sed in vase naturali consummandi. At contrà esse certò peccatum mortale sodomiæ inchoatæ cum viris doctissimis à te consultis meritò docet Sanchez *cit. disp. 17. n. 5.* aliisque citatis sequitur Diana *part. 2. tract. 17. resol. 37.*

498 II. At cur dixisti: *in vase innaturali quocunque?* Urges me & te erubescere; non tamen frustrà quæris confessarie: dicam in aurem. Etsi forte non sodomia propriè, certè species innominata, & infanda luxuria est (de qua generatim fortè c. sequenti) Et mortalissimum nefas, si conjuges etiam ore coëant usque ad seminationem. Quis putâsset fieri posse, & quidem sæpè? Eadem species infanda inchoata, & mortale peccatum erit meritò, membrum pudendum ori uxoris immittere & delectari morosè &c. Attamen simpliciter oscular, lambere, obiter solùm ore excipere has partes inter conjuges à mortali excusant Filiuc. *tract. 20. c. 9. n. 195.* Jacob. Marchant. ad 6. Præceptum. Consentit Diana *part. 4. tract. 4. resolut. 221.* Ita scribens: *Væ ea conjugatis, si vera esset opinio Paludani, Sylvestri, Roariquez, docentium esse mortale, si conjuges inter se tangant, & osculentur pudenda propter solam impuritatem!* Et ipse Sanchez cit. *Disp. 17. n. 5.* Sic scribit: *Quòd si vir in superficie tantùm vasis præposteri uxoris fricaret sua verenda, vel in os ejus intromitteret, cessante omni pollutionis periculo, non crederem esse mortale.* Possunt hæ sententiæ servire confessario post factum, sed ante factum nullo modo consulendæ, quin imò graviter reprehendendi sunt talia factitantes.

499 III. Certissimum quoque est peccare mortaliter conjuges, quando vel seorsim, vel invicem se pollunt, seu tangunt cum pollutione seu effusione seminis extra vas directè volita & intenta. *Omnes.* cùm id repugnet castitati conjugali, ac fini principali feminis, & matrimonii: neque mollities naturæ contraria per conjugium cohonestari possit: & insuper ex communi sensu DD. pollutio voluntaria conjugatorum (eadem ratione, quâ supra sodomia) habet malitiam specialem, quasi adulterii formalis contra fidem conjugii, quæ scilicet prohibet omnem usum carnis extra limites conjugii, & obligat, ut uterque servet alteri corpus suum: & confirmat illud D. Ambrosius supra allegatus. *Non video tamen* (ait noster Herinex *disp. 7. de matrim. q. 4. n. 21.*) *efficacem istius sententiæ rationem, varios etiam deprehendi pœnitentes, qui non apprehendebant specialem malitiam ex parte conjugii in pollutione, credentes fidem conjugii per hoc non frangi.* Sic ille: cui post factum acquiesco, sed in futurum communem DD. sententiam inculco.

IV. Peccant insuper mortaliter conjuges, 500
quando delectantur morosè, exercent tactus, oscula, amplexus, aspectus, colloquia venerea cum prævisio periculo pollutionis, seu seminationis extra vas, etsi directè eam non intendant: nec subsit periculum consensûs directi in illam, sit talia fiant solius voluptatis gratiâ, & nulla alia subsit justa causa exercendi tales tactus vel actus, prout apud omnes in confesso est, quod enim directè velle mortaliter illicitum est, etiam indirectè causare illicitum manet, nisi causa justa illam actionem excuset. Non ergo semper in conjuge petente, multò minùs in reddente mortales sunt illi tactus & actus, facti cum prævisio periculo pollutionis in se, vel in altero conjuge, quando nec ea est intentia in se, nec adest periculum consensûs directi in illam, sed solùm quando fiunt absque legitima causa excusante, quæ inter conjuges possunt esse variæ: & inter illas legitimam causam excusantem à mortali, censent Sanch. *lib. 9. disp. 49. n. 37.* Perez *disp. 45.* manifestationem & conservationem mutui amoris, præsertim ex parte reddentis: & consentit Gobat *cas. 17. de matrimon. num. 667.* Quando alioquin unus conjux alteri esset suspectus de exiguo amore, unde facilè nascerentur sinistri affectus: & ibidem resolvit casum valde & frequenter practicum *n. 668.*

Titia uxor juvenis, jovialis & calidi genii, maritum habet jam jam septuagenarium, aliquot tamen ex ipsa liberorum patrem, attamen jam senio confectum, omninò impotentem; amant tamen invicem. Maritus amans, quia aliter non potest, rem tactibus agit, Titia patitur, & inde polluitur semel, bis, ter: anxia rogat opem, hinc Deum & peccatum timet: illinc maritum amat, carnis stimulos patitur peracres. Quæritur, an nihil, vel quid remedii supersit? Respondet *Gobat* his omninò verbis. Respondeo ex jam dictis, cùm illi tactus videantur practicari ordinarie sine pollutione, tametsi hæc quandoque sequatur præter directam utriusque intentionem, cùm deinde appareat fieri non ex mera libidine, sed ad testandum, fovendúmque amorem conjugalem, qui cæteroquin facilè frigescit in tam impari conjugio, ideo ex sententia Sanchez & Fillucii non videri delinquere mortaliter illis tactibus. Confirmo authoritate Dianæ, qui absolutè & sine limitatione respondit consultus, non peccare conjuges, qui in signum amoris conjugalis se amplectuntur, quamvis prævideatur secutura pollutio, quia affectus conjugalis est sufficiens causa talem actum excusans. Sic testatur ipse *part. 6. tract. 6. resol.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

27. Hactenus *Gobat.* Confirmat hic casus valde frequens judicium Ovidii:

Si qua voles aptè nubere, nubè pari.

REGULA SECUNDA.

501 I. INtra terminos dictos honestatis naturalis affectus carnalis, sermones venerei, oscula, amplexus & tactus quicunque inter conjuges, dum fiunt vel ad præparandum & excitandum invicem ad copulam, vel ad contestandum, aut fovendum amorem conjugalem omni culpa vacant. *Omnes.* Ratio est: quia cui concessus est finis, etiam concessa sunt media ordinata ad illum finem; finis autem conjugum est amor & copula; utriusque media sunt illa prædicta: ergo. Ex communi Sanchez *lib. 9. disp. 44.* Quòd si verò ejusmodi fiant, & referantur ad majorem voluptatem in ipsa copula captandam, ad summum sunt culpa venialis; quia referuntur ad actum solùm venialiter malum; nam & ipsa copula solius voluptatis captandæ gratiâ exercita tantùm venialis est, ut paulò supra dictum. Communis cum Sanchez *citato n. 9.*

502 II. Insuper etiamsi ejusmodi actus & tactus fiant ad solam voluptatem in ipsismet captandam absque ordine, vel animo perveniendi ad ipsam copulam, non excedit culpam venialem, uti contra D. *Antonin. Palud. in Sylvest. Margarit. Rodriquez*, alios non paucos, ex comuni DD. plurimis citatis docet Sanchez *lib. 9. disp. 44. n. 12.* sic scribens: *procul dubio dicendum est solùm esse culpam venialem tactus inter conjuges ob solam voluptatem captandam absque animo perveniendi ad copulam.* Sic ille. Sequuntur Layman *l. 1. tr. 3. c. 6. num. 12. Perez, Dicast. ill.* alii RR. cum *Diana* paulò supra citato, Gobat. *cas. 17. n. 650.* Ratio est; quia voluptas illa venerea non quæritur extra matrimonium, sed in actu suâpte naturâ ordinato ad matrimonium: atque ad id nihil deest, nisi circumstantia debiti finis, scilicet copulæ perficiendæ, quo defectu non redditur culpa plus, quàm venialis; nam juxta regulam moralem alibi traditam: *excessus seu inordinatus usus rei alias licitæ, non est nisi venialis culpa*: conjugibus autem illi tactus & actus alias licent ad finem copulæ: ergo excessus & inordinatus usus absque debito fine, non erit nisi culpa venialis; intelligè semper juxta prædicta: nisi fierent cum prævisio certo periculo pollutionis, saltem quando ipsâ copulâ illud periculum impediri non posset v. g. in loco publico. De quo latè Sanchez *disp. 49. à num. 39.* Et hæc de tactu conjugum ad invicem. Jam seorsim.

503 III. Quando conjux non animo copulandi, sed solius voluptatis capiendi gratiâ se ipsum tangit libidinosè (nimirum cum commotione venerea spirituum generationi servientium) esse solùm culpam venialem absolutè docent Sanchez citat. *num. 6.* & Perez *sect. 2. num. 6.* Et consentiunt *Vasquez, Castro-Palau, Dicast. ill.* apud & cum Gobat citat. *num. 658.* cum addito: quando certò abest periculum pollutionis, utpote, quia habet uxorem ad latus, vel propè in secreto, & (quod semper supponendum) sine imaginatione alienarum personarum. Ratio est; quia revera talis actus est indifferens ad actum conjugalem, & fornicarium: ergo si exerceatur ab habente jus & proximam potentiam ad copulam conjugalem, meritò dicetur naturâ suâ referri ad copulam illam, ideóque saltem à mortali excusari.

IV. Certò tamen peccatum mortale est, quando conjux absente conjuge sic libidinosè tangit se ipsum. Ita contra *Sanchez* citatum communissima DD. *Armilla, Vasquez*, alii apud Layman citat. *n. 12. in fine*, plurimisque citatis. Diana *part. 3. tract. 4. resol. 215. & parte 9. tract. 8. resol. 31. & 34.* Ratio est: quia conjux non habet jus in proprium corpus ad usum venereum, nisi tantùm per accidens, ut hic & nunc possit copulari cum conjuge: ergo extra casum & finem copulandi cum conjuge, tactus libidinosus sui ipsius conjugi per se est illicitus, quippe proximè ordinatus ad pollutionem, ideóque ex genere suo peccatum mortale; & certè incipiens talem tactum cum intentione delectationis venereæ captandæ exponit se nimio periculo pollutionis, cùm, absente conjuge, desit facultas copulæ conjugalis. Equidem cum Gobat citato *n. 660.* valdè timeo, ne paucissimi sint, qui non fateantur se ferè semper pollui, quando etiam sine intentione pollutionis procurandæ cœperunt se tangere ob voluptatem veneream absente uxore. Dicta de tactibus conjugum intelligenda similiter de aspectibus, & verbis turpibus; nisi quod aspectus & verba non sint ita incitativa ad pollutionem, sicut tactus.

REGULA TERTIA.

504 ETiam quando conjugibus legitimis ab extrinseco esset impedita, interdicta vel illicita copula, adhuc tamen citra peccatum mortale licent ipsis affectus carnales, sermones, oscula, amplexus, &c. solius voluptatis causâ, & citra periculum pollutionis; exceptis duobus casibus, nimirum si dubitetur de valore matrimonii, & si votum continentiæ esset emissum. Ita (contra multos) ex communi Sanchez *citat. disp. 44. an. 19.* quem sequuntur *Layman*, alii RR. passim. Ratio est: Quia tunc inter conjuges legitimos suâpte naturâ est licitus usus matrimonii, & solùm per accidens impeditur ab extrinseco, v. g. ab impedimento impotentiæ superveniente matrimonio legitimo, quod tamen non impedit cætera, alias conjugibus licita sine mortali. Item si sit periculum abortûs prolis, vel salutis conjugis tempore puerperii, vel ultimæ prægnationis, &c. copula solùm prohibetur ab extrinseco ex virtute charitatis, & pietatis, quibus tamen non adversantur cætera conjugibus sine mortali licita. Item si conjux contraxit impedimentum affinitatis cum conjuge, copula solùm prohibetur in pœnam ab extrinseco præcepto Ecclesiæ: quod præceptum, cùm sit pœnale & strictè interpretandum, non debet extendi ultra copulam ad delectationes, tactus, &c. conjugibus aliàs sine mortali licita. *Dico semper sine mortali.* In his enim omnibus peccant venialiter ob defectum debiti finis, scilicet ipsius copulæ, quæ eis impedita, vel interdicta est, nisi id fiat ad amorem conjugalem contestandum, vel fovendum. Secùs verò dicendum, & mortaliter peccare conjuges talia exercentes in casibus exceptis. 1. Quando dubitatur practicè de valore matrimonii, cùm enim solum ipsum matrimonium illa omnia cohonestet, & à mortali excusset, quamdiu dubium est matrimonium, dubia etiam erit honestas, vel excusatio illorum tactum & actum, & consequenter durante eo dubio illos exercentes exponunt se periculo peccati mortalis impudicitiæ, eóque ipso mortaliter peccant. 2. Quando ab uno vel utroque conjuge votum continentiæ perfectæ emissum est; quia vovens absolutè castitatem, tenetur abstinere ab omnibus, quæ adversantur castitati, salvo solùm jure alterius, qui non vovit: ergo sicut talis cogitur abstinere à petendo debito, & solùm potest, & tenetur reddere petenti, ita etiam cogitur abstinere ab omni carnali ac venerea delectatione tactu & actu, nisi quatenus tenetur uxori petenti reddere debitum. Quòd si autem solùm vovisset non petere debitum, cætera ipsi licita manebunt, sicut modò in superioribus dictum est.

REGULA QUARTA.

505 EAdem ratione juxta prædicta citra mortalem saltem culpam, licita est conjugibus delectatio morosa venerea, seu voluntaria admissio, approbatio, ac velut fruitio delectationis venereæ exsurgentis in partibus verecundis ex commotione spirituum generationi servientium, ex copula conjugali tantum cogitata, etiam altero conjuge absente, vel aliàs ipsâ copulâ impeditâ vel prohibitâ, seclusis semper tribus prædictis, periculo pollutionis, dubio de matrimonii valore, & voto castitatis. Communis DD. Navar. *manual. c. 16. n. 22. Sanchez, Coninck, Layman, Perez*, alii passim. Ratio est: quia talis est delectatio, quale est objectum: sed hujus delectationis objectum nimirum ipsa copula conjugalis conjugibus de se semper est licita, estò hic & nunc per accidens sit impedita: ergo & delectatio de illa habita: siquidem ad eam copulam ordinetur, simpliciter licita erit; aliàs tanquam actus inutilis & destitutus debito fine, scilicet copulæ perficiendæ, cujus illa delectatio velut inchoatio est, culpam venialem excedere non poterit, cùm delectatio illa extra copulam licèt, non tamen extra matrimonium, quæratur. Item dicendum tametsi à delectatione consurgat, ut plerumque solet, commotio membri verendi. Sanchez *disp. 44.* Perez, alii cum Gobat *n. 654.* Quia matrimonium excusans à mortali delectationem sensitivæ partis, excusat quoque commotionem illam connaturaliter ex illa consequentem. Communis DD. *Vasquez, alii.* Loquimur autem semper de delectatione ex copula conjugali cogitata, nimirum inter ipsos conjuges. Nam apud omnes in confesso est: peccare mortaliter conjugem, dùm, etsi in actu conjugali cum proprio conjuge, imaginatur sibi aliam personam, virum vel fœminam carnaliter dilectam; hoc est, sive efficaciter desiderando eam hic & nunc habere suppositam pro copula loco conjugis; sive morosè solùm delectando se in imaginatione alterius personæ, quasi hic pro propria conjuge præsentis: priùs enim est verum mentale adulterium; alterum est delectatio morosa de objecto mortaliter malo & illicito hìc & nunc. Communissima cum Sanchez *lib. 9. disp. 17. num. 6.* Layman, alii. Dicunt autem *carnaliter dilectam*: nam si imaginatio & delectatio coeuntis cum propria conjuge versaretur solùm circa aliam personam, virum vel fœminam, non sic carnaliter dilectam in re turpi, sed solùm, ut naturaliter delectantem ob naturalem pulchritudinem seu formam amabilem, eâdem omninò ratione, qua etiam oblectare formosa statua, vel imago affabrè picta posset, idque ad honestum finem, ut sic facilius se provocet ad seminationem, vel ut uxor formosiorè prolem concipiat. Quas ob causas si conjuges in lecti tecto formosas imagines fœminæ vel pueri pingere solent, per se loquendo nullam culpam lethalem rectè agnovit *Sanchez* citatus: etsi fateatur rem plenam periculi, & minimè consulendam vel permittendam, potiùs permittendæ imagines, sed certè profanæ, non sacræ ob gravissimum irreverentiæ periculum, quamvis nec ipsas permittere velit Diana *part. 11. tract. 8. resolut. 35.* eò quòd semper subsit periculi, ne tempore coitûs intuendo illas imaginentur sibi alias personas, & sese objectent copulâ cum iis imaginatâ. Verùm durum est niti contrà torrentem consuetudinis jam ubique receptæ & toleratæ.

SUBSECTIO.

De obligatione debiti conjugalis.

SUMMARIUM.

506. *Conjux obligatur sub mortali reddere debitum.*
507. *I. Conjugi petenti* ferio.
508. *II. Et petenti* juste (*ubi quando possit juste negari.*)
512. *III. Ac petenti* rationabiliter. *Unde*
513. *Non tenetur reddere petenti in ebrietate, furore, amentia.*
514. *Vel quoties timet periculum mortis, aut gravis morbi.*
515. *Vel periculum mortis, abortus, monstrositatis &c. prolis.*
516. *An liceat negare, ne proles multiplicentur?*
517. *IV. Petenti* licitè. *Ubi quando petatur illicitè.*

ASSERTIO.

506 *CONjux sub mortali obligatur reddere debitum conjugi petenti ferio juste, rationabiliter, ac licitè, saltem ex parte copulæ, adeò ut istis, circumstantiis concurrentibus, injustè negans peccet mortaliter, toties, quoties.* Certissima apud omnes. *Ratio* obligationis est juris naturalis: quia ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipso legitimo, rato ac Sacramentali matrimonii contactu, quo fit utrimque mutua traditio & acceptatio corporum ad eum usum, essentialiter oritur obligatio reddendi corpus ad eum usum juste & rationabiliter petenti. Undè non tantùm monet, sed præcipit Apostolus 1. ad Corinth. 7. *Uxori vir debitum reddat similiter & uxor viro:* reddensque rationem: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Et ostendens Apostolus eam obligationem reddendi debitum esse ex Justitia, ejus negationem fraudem appellans subdit: *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterùm revertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram.* Undè ex communi rectè inferunt Gobat. *cas 16. n. 69.* Et Marchant supra *cit. tract. 12. q. 4. §. 1.* peccare semper mortaliter conjugem, negantem debitum rationabiliter petenti, etsi in petente nullum esset periculum incontinentiæ; sed gravius longè, si negent, quando advertunt in petente grave incontinentiæ periculum, quo casu non tantùm contrà Justitiam, sed specialiter etiam contrà charitatem delinquunt. Et rectè monet Layman. *Lib. 5. tract. 10. part. 3. c. 1.* quòd confessarii, quando advertunt defectum circà hoc, debeant pœnitentes admonere. Insuper inferunt DD. citati. nominatim Sanchez *lib. 9. disp. 3.* Coninck. *disp. 34.* Dicast. *disp. 9. dub. 19.* peccare contrà justitiam conjugem, qui ad reddendum debitum reddit se impotentem, aut jejuniis, aut voluntariis pollutionibus, aut qui longam voluntariam peregrinationem suscipiunt absque consensu alterius, maximè si huic immineat periculum incontinentiæ. Jam verò conditiones ad hanc tantam obligationem requisitæ explicandæ sunt.

§. I.

Petenti seriò.

507 NImirum exprèsè & instanter, ut constet maritum v. g. seriò velle exigere debitum tanquàm debitum, vel econtrà uxor, &c. Ubi Perez *cit at. disp. 50. n. 3.* Sic scribit: *Excusatur conjux à culpa gravi, quando alter petit copulam non tanquam debitam, sed tanquàm benevolè & amicè, uti res alias debitas solemus ab invicem petere, non animo obligandi.* Sic ille. Non ergò peccat conjux conjugi debitum semel tantùm, & obiter, vel implicitè petenti, etiam sine alia causa modestè denegando, tergiversando, excusando, prece vel suasu avertendo petentem, si videatur non admodùm ægrè laturus. Communis. *Sanchez* suprà, Layman *part. 3. c. 1. n. 1.* Excipiendi sunt casus. 1. Si intelligat conjugem tergiversationem talem valdè ægrè laturum, tunc enim constare debet, eum seriò petere debitum. 2. Etiamsi sciat conjugem non adeò seriò & rigorosè debitum exigere, advertat tamen ex privatione debiti conjugalis eum periculo incontinentiæ exponi, utroque casu negans pertinaciter, peccat mortaliter. Communissima cum Sanchez *Lib. 9. disp. 2. n. 19. 3.* Si conjux advertat conjugem semel tantùm vel obiter petentem non audere præ verecundia sæpiùs & expresè petere, peccabit mortaliter non reddendo, quia jam constat eam seriò petere. Ex communi Sanchez *ibidem.* Diana *parte 5. tract. 14. resol. 36. 4.* Certissimè autem peccat mortaliter uxor, quando ex indignatione, vindictâ, invidia, contemptu mariti, negat ipsi usum corporis, aut non acquiescit, nisi post rixas, vel magna cum difficultate. Tanner *hic disp. 8. q. 9. n. 25.* testans ita omnes sentire. Longè autem frequentiùs peccant mariti, si negent uxoribus illud maritale commercium petentibus, cum enim pleræque præ verecundia non audeant expresè & instanter petere, censendi sunt mariti offendere DEUM mortaliter, quandò uxoribus se se insinuantibus nolunt obsequi, nisi fortè experti sint eas præter morem esse inverecundas, &c.

§. II.

Petenti justè.

QUando nimirùm petens jure petendi gaudet, eóque legitimè privatus non est. Generaliter ergò conjux non tenetur reddere, nec peccat negando debitum quando alter conjux jure petendi debitum privatus est, quod fit per incestum, vel adulterium. Communissima cum Sanchez *Lib. 9. disp. 6.* Layman. *citatus c. 1. n. 14.* Ratio patet: quia ubi cessat jus petendi, consequenter cessat obligatio reddendi: atqui conjux incestuosus in pœnam criminis amittit jus petendi debitum, ut sæpè repetitur in Jure, & explicatum habes supra *à n. 71. de impedimento Affinitatis*, quæ revide, & adde: postquam incestuosus dispensationem super petendo debito impetravit: quam jure ordinario Episcopus, & ex privilegio Mendicantes conferunt; tunc jus exigendi debitum planè recuperat, & conjux innocens reddere tenetur. Ut omnes notant cum Sanch. *lib. 9. n. 10.* Jam verò qualiter per adulterium amittatur jus petendi, & alter conjux liberetur ab obligatione reddendi debitum pro longè frequentiori praxi accuratiùs explicandum est. 508

I. Conjux innocens certè potest negare debitum adultero velut jure naturæ, quia frangenti fidem, fides meritò non servatur. *Omnes.* Et colligitur apertè exc. 5. & 19. Matthæi. Dummodò tamen adulterium commissum ipsi innocenti certò, vel non levibus conjecturis cognitum sit, nam si dubitet tantùm, vel suspicetur, aut solùm leves, vel probabiles essent conjecturæ, negare debitum non posset; quia nemo est spoliandus certo jure suo, quod possidet, propter dubitationem, vel probabilitatè oppositam. Ut docetur in materia de Justitia. Et dicto semper: *Conjux innocens:* Nam si & alter sit adulter, jam negare debitum licitè non potest, quia jam injuriæ adulterii 509

rij sibi invicem compensatæ sunt, & ut loquuntur Legistæ, *sunt ejusdem farinæ.*

II. Conjux adulter amittit jus petendi debi- 510
tum non simpliciter, ut nec valide, nec licitè petere possit (sicut si commisisset incestum cum consanguinea conjugis in primo vel secundo gradu) semper enim adulter licitè petit, & conjux licitè reddit debitum, secundùm omnes, sed solùm sic amittit jus, ut non possit validè & obligatoriè petere, ita ut conjux innocens reddere teneatur; cùm, ut modò dictum, ei justè denegare possit. Nam jure petendi non privatur adulter nisi per voluntatem & quasi sententiam uxoris, vel conjugis innocentis, quæ hic obtinet quasi locum Judicis. Interim certum est, posse ei etiam injuriam factam remittere, & debitum reddere, atque postquàm semel remisit conjux innocens, jam non poterit ei amplius debitum negare vi prioris adulterij jam remissi. Secùs, si novum accessisset, quia injuria semel remissa revivisce re nequit, & dare jus negandi, juxta communem DD. Sanchez *lib. 10. disp. 10.* Layman *lib. 5. parte 3. c. 1. n. 1.* Tamburin. *cit. c. 3. §. 3. n. 7. in fine.*

III. Conjux adulter & validè & licitè potest 511
exigere debitum, hoc est, non tantùm ut licitum, sed etiam ut jure sibi debitum, quamdiù conjux innocens propter ignorantiam nihil excipit, vel sponte sua nihil excipiens reddere paratus est. Ita contra *Navar. Henriqu.* nostrum *Alphonsum à Castro* alius apud *Sanch. & Layman*, communis jam DD. *Caietan. Sotus*, Coninck. alii cum Sanchez *lib. 10. disp. 68. n. 4.* Ratio est; quia quòd adulter privetur jure petendi debitum propter adulterium, pœna quædam est, ad quam se ipsum adulter condemnare, vel sibi ipsi infligere non tenetur, nemine agente vel excipiente contrà ipsum, sed, ut modò dixi, per voluntatem, & quasi sententiam conjugis innocentis ea pœna infligenda est adultero. Accedit, quòd conjux adulter, maximè vir, plerumque non possit abstinere à debito petendo modò prius solito, quin in criminis suspicionem veniat apud alterum conjugem, vel alia mala oriantur; quod valdè notent confessarii, ne oppositam nimis rigidam sententiam antiquorum Casistarum secuti, pœniten tes adulteros gravius illaqueent. Exempla nov & subindè etiam tragica. Quin etiam, si conjux adulter advertat, quod conjux innocens adulterium suum certò compertum non habeat, sed levibus tantùm suspicionibus inducta se à debito reddendo subtrahat, eam ad debitum reddendum etiam compellere poterit: ut rectè infert Layman *ibid. n. 4. in fine.* nam, ut suprà dictum, conjux innocens non potest exceptione adulterii eam pœnam infligere negando debitum, nisi de crimine eâ pœnâ digno, scilicet adulterio commisso, non levibus conjecturis constiterit. At verò si conjux innocens certò cognitum habet adulterium alterius, utpote si in flagranti deprehendit, tunc compelli non poterit ad debitum, quamvis in foro externo probare non possit. Ut notat Sanch. *lib. 10. disp. 10. n. 8.* Layman *cit at. in fine.* Intellige autem semper, nisi conjux innocens post cognitum certò adulterium alterius conjugis semel remisisset, quæ remissio potest fieri aut expresè verbis, aut implicitè & factis: Ut si conjux innocens tamen sponte & nulla necessitate urgente eidem debitum reddat, vel ab eo petat, si ei corrideat, confabuletur, & alia similia amoris indicia exhibeat adultero, vel adulteræ conjugi, hæc enim seltem in foro externo habentur pro signo omnimodæ remissionis, & consequenter, illis exhibitis, repelletur à Judicibus accusatio, ut notat Sanchez *citatus lib. 10. disp. 14. à n. 6.* At quid in foro conscientiæ? Si conjux innocens sciens adulterium alterius ita sponte ei debitum reddat, vel petat, aliaque signa amoris exhibeat, statimne intelligetur verè remittere, ideò non posse amplius in conscientia negare debitum, vel accusare? (*Sponte autem*, Si enim vi vel metu etiam levi hæc præstet, non est æquum innocentem privari suo jure, sibique præjudicare: *cum nemo in necessariis præsumatur liberalis: L. Rem legat amff. de amittendo Legato.*) Respondetur, conjugem innocentem ea exhibendo triplici modo se posse habere in animo. 1. Animo verè remittendi injuriam, & tunc sine dubio verè remittit, ut non possit amplius negare debitum, vel accusare. 2. Animo nullo modo remittendi, sed sibi suum jus servandi, & tunc cùm verè non remittat, remanebit innocens in suo jure negandi debitum. Sanchez *ibidem n. 21. 3.* Abstrahendo ab utroque, seu non habendo animum expressum aut remittendi, aut non remittendi, quod certè subindè contingit; & tunc putat Sanchez *ibidem*, innocentem non posse amplius negare debitum, vel accusare, quia ea signa amoris tam voluntariè suscepta censentur vera remissio: cui ego acquiesco; etsi subdubitet Tamburin. *c. 1. n. 12. in fine.*

§. III.

Petenti rationabiliter, scilicet cum usu & moderamine rectæ rationis.

ET universaliter sic, ut altera pars debitum 512
absque incommodo rationabiliter reddere possit, neque denegandi, vel se excusandi justam & rationabilem causam habeat, vel ex parte copulæ, vel petentis, vel reddentis, vel prolis: quæ omnia ad certa capita, & quasi regulas summariè reduco.

I. Non ergò peccat conjux negando debi- 513
tum petenti conjugi: inprimis, si is petat in ebrietate, furore, amentia: ut contra *Navar. Sylvest.* & alios docet communis DD. cum *Sanchez, Layman, Diana* citatis. *Ratio est*; quia talis non petit rationabiliter & ut homo; sed potius ut bestia. Limitant tamen DD. quòd si talis ebrius vel amens accessurus esset ad aliam, si talis ebrius vel amens accessurus esset ad aliam, vel si polluturus, teneretur per accidens, & ex charitate saltem reddere ob impediendà mala indè emergentia. Item non tenetur reddere, si

Universidad de Deusto
Biblioteca

conjux petat nimis frequenter & importunè v. g. si ter de noctu petenti reddatur, quartâ vice negetur: ut notat Glossa *in caput Quoniam. distinct. 31.* Rodriquez, alii cum Layman *citato c. 1. n. 1.* Item non peccat, si solum parvo tempore differatur: ut si petenti de die neget redditurus noctu, nisi adverteret periculum incontinentiæ in alio: quia censetur parvitas materiæ excusans saltem à mortali. Ex communi *Diana parte 1. tract. 5. resolut. 14.* Eâdem ratione, si conjux valdè raro petit debitum v. g. in mense quater, & quintâ vice negetur. *Sanchez & Layman* citati censent parvitatem materiæ, nisi constet conjugem tunc seriò petere, aut versari in periculo incontinentiæ. Item si conjux petat indebito modo, sive ex parte copulæ v. g. in præpostero situ: sive ex parte circumstantiarum loci & temporis, juxta dicenda §. sequenti.

514 II. Quoties reddenti timeretur grave periculum salutis corporalis, utpote mortis vel morbi gravis & periculosi, non tenetur reddere. Communissima cum D. Thoma, Scoto, aliis *in 4. dist. 32.* aliisque, quos latè citat, & sequitur Sanchez *l. 9. disp. 24. n. 16.* Layman *cit. c. 1.* & *5. Ratio est*; quia ex naturali interpretatione conjuges in matrimoniali contractu corporis potestatem inter se dant, salvâ suarum personarum incolumitate; imò cùm suorum corporum dominium non habeant, nec possunt licitè eorum usum in tanto periculo mortis, aut gravis infirmitatis permittere, multò minùs præstare, consequenter peccant in tali periculo copulam exercendo, petendo, & reddendo; ergò à fortiori conjux non tenebitur reddere debitum petenti in tali periculo, quia irrationabiliter, injustè, illicitè petit. Periculum autem tale dupliciter imminet. 1. Ex parte petentis, utpote quia peste infectus, leprâ, morbo gallico, vel alio contagioso, & probabiliter certò infecturo laborat, ei petenti non tenetur conjux reddere, estò sit in periculo incontinentiæ, non ex justitia, secundùm omnes, ob rationem datam: neq; ex charitate, ut contrà *Ledesmam, & Rodriquez*, nostrum ex communi docent *Sanchez & Layman* citati: quia ordine & lege charitatis nemo tenetur sui corporis vitam & incolumitatem pro privati hominis peccato vitando exponere, cùm is in necessitate simpliciter positus non sit, sed alia concupiscentiæ remedia adhibere possit: estò, sanctè & laudabiliter ita faceret, atq; etiam aliquandò saltem ex charitate reddere debebit: Ut si morbus contagiosus, gallicus, vel lepræ valdè diuturnus sit, cùm valdè difficile aliquibus sit in perpetua luctâ contrà motus concupiscentiæ perseverare. Quo sensu intelligendus Alexander III. *c. 2. De conjug. leprof.* ita respondens. ***Si virum vel uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano debitum exigat generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum.*** Respondent enim DD. communiter apud Sanchez citatum *disp. 24. num. 17.* Pontificem ita respondisse ex præsumptione, quòd conjugi reddenti debitum propinquum infectionis periculum plerumq; non immineat à leproso, præsertim cùm rarò admodùm fiat, situsque mutatione, ac vestitu periculum caveri possit. 2. Oritur periculum tale ex parte ipsius reddentis, utpote quia morbo laborat v. g. hectica, febri, vel alio, cui valdè noceat coitus: vel ex ipso impetu copulæ gravis infirmitas, vel periculum timeatur. Item si mulier per Medicorum judicium, vel experientiam antecedentis partûs in probabili periculo mortis constituenda sit, si prolem concipere & parere debeat, petenti debitum reddere non tenetur. *Omnes.* At verò, reddere debitum marito, & deinde vel expellere semen receptum, vel sumpto pharmaco conceptionem prolis impedire ad evadendum futurum periculum mortis in partu, simpliciter & mortaliter illicitum est? sicut & in omni alio casu. Communissima DD. imò omnes cum Sanchez *lib. 9. disp. 20. Ratio est*; quia id directè repugnat fini principalissimo & unico matrimonii, & debiti conjugalis. Unde *c. ultimo. De condition. appositis.* Inter conditiones matrimonii substantiæ repugnantes hæc ponitur, *si generationem prolis evites.* Et, semel in aliquo casu concessâ hâc licentiâ fœminis, eâ passim abuterentur cum magno generationis humanæ detrimento; alia longè est ratio de expulsione fœtûs nondum animati ad servandam vitam matris in evidenti periculo mortis, quam licitam esse cum *Sanchez* docent multi; quia fœtus tunc est actualis aggressor vitæ matris, & actualis ac unica causa mortis illius, contrà quam habet mater jus naturale se defendendi, eámque repellendi: at verò fœtus nondum existens, non est actualis aggressor, nec defacto vim infert, sed solùm timetur de eventu futuro, contrà quem proin mater nullum habet jus naturale se defendendi; uti explicant *Sanchez & Layman* citati: nos autem cum communiori infrà c. 4. Sect. 1. utrumque negamus.

III. Quandò ex redditione debiti timetur probabile periculum mortis, abortûs, monstrositatis &c. prolis, tunc nec petere, nec reddere licet, consequenter multò minùs petenti reddere tenebitur conjux absq; necessitate. *Omnes.* Et specialiter tempore menstrui usum conjugalem factum sine necessitate peccati mortalis damnant multi cum D. Bonaventura apud Sanchez *disp. 21. num. 2.* Eo quòd tunc soleant nasci proles miserrimæ ac monstrosæ. Atque tunc temporis conjugem reddendo peccare venialiter post *Henriq. Sylvest. Rebell.* alios docet Bonacina *hic quæst. 4. propos. 6. n. 10.* Communi tamen sententiâ DD. cum Sanchez disp. 21. *num. 8.* petens tunc solùm peccat venialiter, etiamsi certo prævideat periculum prolis vitiosæ, vel monstrosæ generandæ; reddere autem licitè poterit uxor ob importunitatem petentis: eò quòd melius sit prolem vitiosam, monstrosam vel leprosam nasci, quàm omninò non nasci. Attamen tunc non obligari ad reddendum

515

contra

contra *Sanchez* ibidem rectiùs docent supra citati *Sylvest. Henriquez, Bonacina*, ac noster Marchant *Tribun. tom. 3. seu speculi parte 3. tract. 1. tit. 12. quæst. 4. §. 1.* Quja verè irrationabiliter & injustè petitur, quod cum tanto damno petitur; & si labatur alter in incontinentiam, sibi imputet, & impotenti suæ libidini. Secus esset in casu necessitatis; ut quandò conjuges nunquam possent petere vel reddere debitum sine periculo prolis vitiandæ; ut leprosi, vel alio morbo laborantes hæreditario. Similiter quandò est probabile periculum mortis prolis, vel abortûs; ut si uxor sit valdè gravida, & situ communi copula petatur, non tenetur reddere: possunt tamen tunc mutare situm accommodum, ut Assert. præcedenti insinuavi. Tandem si fœmina experta sit se fœtum vivum edere nunquam posse, probabiliter cum multis docet *Sanchez* citat nihilominùs mulierem debitum reddere posse, imò & petere, quia partim eventus incertus est, & Dei beneficio ordinario non impossibilis, adeóque conjuges videntur manere in possessione sui juris & petendi & reddendi debitum, partim quia melius videtur puero, ut existat privatus visione Dei, quàm ut omninò non existat, ut indicat D. Aug. *lib. 5. contrà Julian. c. 8.*

516 IV. Ob inopiam, ne multiplicentur proles, inprimis validum est pactum conjugum eâ de causâ continendi, seu non petendi, nec reddendi debitum: imò & licitum, quamdiù abest periculum incontinentiæ. Ex communi Navarr. *c. 16. num. 39.* Sanchez *lib. 9. disp. 25.* Layman *c. 1. num. 16.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 13.* Possent etiam absolutè ita paciscì, & quidem sanctè & meritoriè, si fiat ob honestum finem; ergò etiam ob eam causam necessitatis, atque stante tali pacto, utique conjux non tenetur reddere, quia injustè contrà pactum redderetur: at verò secluso tali pacto conjugi petenti tale debitum negare ob solam paupertatem, esse mortale docent Navar. *c. 16. num. 25.* Sylvest. alii communiter negantes absolutè multiplicationem prolis excusare à redditione debiti: & expressè Layman *c. 1. num. 16.* Nam cùm hoc casu jure petatur debitum, quia ex una parte multiplicatio prolis spectat ad præcipuum finem matrimonii, estq; magnum bonum ac donum DEI; cujus gratiâ conjugibus perferendum est quodvis incommodum. Ex altera parte autem melius est proli, ut vivat inops, quàm ut omninò non vivat, atque inter Christianos vix eveniet extrema necessitas, cùm in auxilio Dei, *qui volatilia* pascit, & piorum hominum confidere oporteat, non apparet excusatio tam strictæ obligationis; consentit Gobat *cas. 16. num. 24.* Hac etiam ratione confirmans: Aut uxor diù negavit debitum ob illud periculum paupertatis, aut non diu? Si diù: Exponit maritum ingenti periculo incontinentiæ, & sic delinquet mortaliter ex sententia omnium. Si non diù: ergò frustrà concipiet enim probabilissimè primo congressu tanto avidùs semen rapiente matrice, quantò diutiùs caruit illo velut alimento. Quare non memini (ait *ibidem num. 625.*) me unquam impertiisse absolutionem præferenti animum negandi debitum marito seriò petituro ob metum difficultatis in prole enutrienda. *Sic ille. Sic ego.* Quòd si tamen res eo loco esset, ut ob prolis multiplicationem, vel parentes ipsi, vel vivis parentibus liberi in extremam inopiam (casus certè rarus inter Christianos (redigendi essent, omninò fatendum est, ac fatetur *Layman* citatus, debitum justè negari posse. Et quæso te confessarie, an peccati damnabis miseram uxorem, quæ, matito omnia obligurienti, ipsa cum liberis famem & ærumnas tolerans, ne amplius multiplicetur miseranda proles, debitum negat, priusquam se emendet? Quoniam absolutè non improbabilis, & bene consideratis circumstantiis, in praxi tuta videtur sententia opposita, nimirùm ob paupertatem, ne multiplicatâ prole nimia molestia, vel mendicitas sustinenda sit, posse negare debitum, vel sine omni culpa: ut cum *Ledesma*, & aliis vult *Sanchez* citatus, & Diana *part. 9. tract. 7. resol. 3.* vel saltem sine culpa mortali, ut volunt *Sotus, Rodriqu. Sa.* alii apud *Layman* citati. Consultissimum videtur confessario inducere conjuges ad dictum pactum.

§. IV.

Petenti licitè saltem ex parte copulæ.

517 *Licitè*, servatis nimirum omnibus conditionibus Assertione præcedenti explicatis, scilicet ***debito jure: debito fine: debito modo & circumstantiis: atque intra terminos honestatis naturalis.*** Si quidpiam horum desit, plerumq; cessabit obligatio reddendi, quin etiam sæpe licitè reddere non poterit, quando nimirum petitur illicitè ***ex parte copulæ***, seu quando copula petita est illicita per culpam vel circumstantiam tenentem se ex parte copulæ: ut si petatur in loco sacro; cum periculo pollutionis, prolis, conjugis, &c. quia tunc reddens cooperaretur ad peccatum directè. At verò quando copula est illicita ex parte solius petentis, jus tamen petendi retinentis; ut si petat voto castitatis adstrictus, vel petat ex mera lascivia ad aliquem finem malum, &c. conjux, nisi facilè possit avertere, adhuc licitè reddere potest, ac seriò petenti ac jure suo uti volenti, etiam reddere tenetur, juxta communem sententiam apud citatos omnes. Quare non semper in usu matrimonii, seu debito conjugali, quando petere illicitum & peccatum est, etiam reddere peccatum est; sed illicitè petenti, sæpè licitè reddi potest, & quandoq; debet: pro quo dignoscendo ex *Conink, Sanchez*, Layman citat. *c. 1. n. 7.* aliis communiter rursùs pono tres regulas.

518 ***Regula prima.*** Quando petere debitum est tan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantùm culpa venialis, undecunq; reddere debitum nulla est culpa, nisi reddens facillimè avertere posset, utpote si maritus petat debitum cum variatione situs, solius voluptatis gratiâ, aut cum tactibus extraordinariis, uxor nisi facillimè absq; ulla displicentia posset impedire, non peccat reddendo ita debitum, vel tales tactus. *Ratio est*; quia licèt alter ita petendo & copulando peccet venialiter ob defectum debiti finis, & justæ causæ, conjux tamen ita reddendo excusatur à peccato, & culpabili cooperatione ob justam causam & honestum finem, ne scilicet displiceat viro, vel eum offendat; ideóque culpa manet ex parte solius petentis, imò eo casu plerumque obligatur ad reddendum, quia & alter jure suo exigit, & uxor sine peccato reddere potest. Quamvis contra sentiant alij cum *Bonacina* supra citato. Et prudenter monet Gobat *cas. 16. n. 635.* caveat confessarius, ne scrupulum injiciat nobilibus aut valde ingenuis matronis, quandò non parent maritis exigentibus ex mera petulantia, ac stantibus, &c.

519 *Regula secunda.* Quando petere est culpa mortalis, sed culpâ vel circumstantiâ tenente se ex parte solius petentis; utpote, quia petit voto castitatis adstrictus, &c. tunc reddere nulla culpa est. *Ratio est:* quia cùm actus ille ex natura sua non sit illicitus, sed solùm ex culpa vel circumstantia tenente se ex parte petentis, jus tamen petendi retinentis, hinc idem actus ut se tenet ex parte conjugis reddentis, in qua, vel quo non reperitur aliqua culpa, vel circumstantia vitians actum, erit licitus; imò etiam debitus ex justitia: Excepto solo casu, quando conjux petens per culpam suam amisisset jus petendi debitum, utpote per affinitatem contractam per incestum, tunc enim non tenetur reddere, imò cùm commodè avertere possit, saltem ex charitate tenetur non reddere. Absolutè autem posse reddere, contra alios probabiliter docent Sanchez *l. 9. disp. 6. n. 12.* Diana *parte 9. tract. 8. resol. 32.*

520 *Regula tertia.* Quando reddere est peccatum mortale ex culpa, vel circumstantia tenente se ex parte ipsius actûs copulæ, ut si petatur in loco sacro, cum evidenti periculo abortûs, cum incœptione extra vas naturale, &c. tunc etiam reddere est peccatum mortale, nisi ignorantia vel metus incussus excuset à toto, vel à tanto; quia tunc verè & propriè esset cooperari ad peccatum mortale: etenim quando ipse actus de se est illicitus, utpote quia reverentiæ loci sacri, saluti prolis, aut naturali honestati repugnat, tunc eâdem malitiâ, & pravâ circumstantia afficitur & petitio & redditio.

SECTIO. IV.

Peccata conjugum contra matrimonium, nimirum de adulterio, & restitutione inde debitâ.

SUMMARIUM.

521. *Adulterium quid, & quotuplex?*
522. *Adulterium mentale tantùm quale & quotuplex peccatum, & qualiter in confessione explicandum?*
525. *Adulterium formale tantùm quale peccatum?*
528. *Adulterium reale peccatum mortale gravissimum.*
529. *Multiplicis malitiæ, &*
530 *Maximorum damnorum causa.*
531. *Meritò gravissimas trahens pœnas.*

ADulterium definitur communiter, *violatio tori alteni; concubitus illicitus in alieno toro; species luxuriæ, quâ violatur fides tori conjugalis.* Fit tripliciter; aut enim est concubitus conjugati cum conjugatâ; aut conjugati cum solutâ; aut soluti cùm conjugatâ. Pro plena autem notitia in ordine ad confessionem, advertendum, adulterium quatruplex distingui posse. 1. Mentale tantùm, quo solo actu interno violatur fides tori. 2. Formale, quo voluntate cum actu interno violatur fides tori, reverà tamen non cum aliena, explicationem habebis infrà. 3. Materiale tantùm, quo reipsâ cognoscitur aliena, at esse aliena invincibiliter ignoratur, & hoc quoad malitiam non differt à simplici fornicatione, de quo proin nihil hic speciale dicendum est. 4. Reale & simpliciter dictum adulterium, scilicet materiale & formale simul, quando nimirum scienter & voluntariè reipsâ cognoscitur persona ligata: & de hoc nobis sermo est. Præmissâ tamen brevi confessario necessariâ explicatione adulterii mentalis & formalis tantùm. 521

Adulterium mentale tantùm.

QUicunque vel quæcunq; efficaciter proponit, consentit, desiderat, vel concupiscit cognoscere alienam, vel non suam etsi effectu quacunque causâ non secuto. 1. Peccat mortaliter contra nonum Decalogi præceptum: *non concupisces uxorem proximi tui*, quo omnis illicita concupiscentia, & maximè efficax ad alienam, vel non suam prohibetur. 2. Peccat peccato adulterij formalis juxta clara verba Christi Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* 3. Et consequenter tenetur explicare in confessione, & se esse ligatum, si sit, & circumstantias alterius personæ concupitæ, an soluta, vel etiam ligata, consanguinea, affinis, sacra, &c. certum apud omnes. *Ratio est*; quia actus internus efficax sumit suam specificationem à toto actu externo prout à parte rei fieret, vel fieri posset, ideóque totam ejus malitiam ex objecto & circumstantiis participat: quæcunque ergo malitia speciem mutans in actu externo commissa necessariò explicanda est in confessione, etiam erit explicanda in actu interno efficacis propositi, consensûs, vel concupiscentiæ ad alienam. 522

II. Conjugatus (& eadem ratione conjugata) si solùm morosè delectetur de copula cogitata cum altera absque animo complendi, utique peccat mortaliter contra nonum præceptem. Sed numquid etiam peccato adulterii mentalis, adeò ut talis obligetur in confessione explicare se esse conjugatum? Affirmat Vasquez *2. parte tom. 1. disp. 112.* cum aliis. Ratio est; quia fides matrimonii obligat, non solùm corpus, sed etiam mentem ad aliud objectum turpe non collocare: ideóque talis morosè delectans, non tantùm peccat peccato luxuriæ, sed etiam adulterii mentalis: quemadmodum omnium consensu Religiosus, Sacerdos, vel alius voto castitatis adstrictus in confessione delectationis morosæ venereæ tenetur explicare circumstantiam voti, vel statûs sui; quia non solùm contra castitatem, sed etiam verè contra votum, & virtutem Religionis delinquit. Probabilis & sine dubio tutior sententia. Negat verò non improbabiliter Hurtad. apud Tambur. *lib. 10. Decalogi n. 6.* his verbis: Docet Vasquez conjugatum, qui venereè delectatur de fornicatione cum non sua, non tantùm peccare peccato luxuriæ contra castitatem, sed etiam peccato adulterii contra fidem matrimonii. Id tamen difficile, & absque sufficienti fundamento probatum, quia difficile & absque fundamento dicitur in matrimonio præstari fidem conjugi non collocandi mentem in aliam. *Hæc Hurtad.* Sanè probabiliter. Certè absque sufficienti fundamento & urgenti necessitate, aut ratione non est gravandum Sacramentum Pœnitentiæ. Alia est ratio de voto castitatis adstricto: nam vovens castitatem Deo inspectori cordium, sine dubio principaliter vovet, & obligat se ad castitatem etiam internam, sine qua nihil valet externa; at contrahens matrimonium cum homine sine fundamento asseritur ei etiam obligare mentem, ne in aliud objectum libidinosè tendat. 523

524 III. Universaliter conjugatus, vel quis alius delectando morosè de copula cogitata, vel alia turpitudine, peccat mortaliter peccato ejusdem speciei cum peccato cogitato, quoad substantiam ex objecto, secundùm omnes. Sed nunquid etiam quoad circumstantias, ita ut quis in confessione teneatur explicare circumstantias personæ cogitatæ, vel imaginatæ in ejusmodi delectatione venereâ morosâ, an soluta, ligata, consanguinea, sacra? Multi affirmant absolutè, præsertim veteres. Absolutè verò negant alii cum Vasquez *loc. cit.* & cum eo Tamburin. *cit. lib. 10. c. 2. n. 4.* Sed rectiùs ex communi, & receptâ sententiâ apud Azor. *lib. 4. c. 6. q. 3.* Sanch. *lib. 1. moral. c. 2. n. 11.* ita distinguendum est; quando delectatio morosa fertur in objectum secundùm totam ejus malitiam, ita ut ipsæ etiam circumstantiæ directè volitæ & intentæ sint: ut si in proposito delecteris in copula cum consanguinea, sacra, &c. quatenus tales sunt (quod certè rarum) utique necessariò explicandæ in confessione erunt circumstantiæ illæ, non tam ut circumstantiæ, quàm ut objectum partiale. At verò, quando delectatio fertur in objectum, non secundùm totam suam malitiam, sed secundùm partem, vel secundùm ipsum objectum nudum tantum: ut si delecteris de cogitata copula cum

alienâ fœminâ, apprehensâ præcisè ut fœmina, non tua, minimè autem ut alteri nupta, consanguinea, vel sacra est, tunc quia non fortitur totam operis externam malitiam, sed ad speciem simplicis fornicationis, vel impudicitiæ reducitur, circumstantias illas explicare necessarium non est. Ratio fundamentalis data est in materia *de actibus humanis* parte 1. Decal. c. 3. n. 20. Et rursùs supra de Pœnitentia; *cùm de circumstantiis confitendis à n. 405.*

Adulterium formale tantùm.

COmmittitur 1. Cùm quis reverà cognovit suam, tamen credens, vel putans esse alienam, vel non suam. Quo in genere valdè lepida contigisse novimus; & hoc præter mortalem malitiam præterea nihil importat. 2. Cùm quis scienter cognoscit suam, sed imaginando sibi aliam carnaliter dilectam; vel saltem efficaciter affectans, & desiderans loco suæ eam habere; de quo jàm suprà *Assert. 3. Sect. 4.* sufficiens mentio facta. 3. Cùm quis ita impudenter affectans hîc & nunc accedit ad suam, ut omninò etiam accederet, etiamsi esset non sua. 4. Cùm conjuges peccant contrà naturam, aut sodomiâ. Secundùm communem cum Sanchez *lit. 6. disp. 10. n. 4. & 5.* Aut mollitie, ut dum conjuges vel mutuò se polluunt, aut se seorsim. Juxtà dicta supra suo loco. Ratio ibidem data est; quia matrimonium non dat conjugibus facultatem, nisi ad copulam & seminationem aptam generationi; qualis minimè est illa in sodomia vel mollitie. Et deinde sic verissimè dividitur eorum caro contrà fidem matrimonii. 525

Conjuges ergò rei sodomiæ & mollitiei, necessariò accusare se debent, & se esse conjugatos, & factum esse cum propriâ conjuge. Ratio primi patet ex dictis. Ratio secundi est; quia aliàs nunquam explicabunt peccatum à se commissum. At nunquid. 1. Satis esset, hoc scelus ita confiteri: *Peccavi contrà naturam cum conjugata?* Respondetur, non est satis, sed necessariò addendam fuisse propriam conjugem. Sanchez *citat. n. 5. Pontius Castro-Palaus*, alii cum Tambur. *lib. 7. Decalog. c. 3. §. 2.* Ratio est; quia explicares peccatum, quod non commisisti; per illa enim verba: *peccavi contrà naturam cum conjugata*, significares, quòd alius maritus injuriam esset passus. 2. Quid si addam: *Peccavi sic cum conjugata viro consentiente?* non est satis: Quia sic significas injuriam esse factam contrà tuam propriam uxorem, quasi abusus fuisses uxore alterius consentientis, & non tuâ propriâ. 3. Addam ergò: *Peccavi sic cum conjugata uxore mea consentiente?* Nihil est. Sic enim dupliciter decipis confessarium; nam per hæc verba adhuc significas uxorem alterius viri turpitudinem passa esse, & propriæ uxori impingis peccatum, quod non fecit, nimirùm illam consensisse, & cooperatam esse cum peccato uxoris alterius viri. 4. Dicendo apertè: *peccavi contrà naturam cum propria conjuge*: fœdam notam infa- 526

Universidad de Deusto
Biblioteca

miæ apud confessarium injuro uxori meæ? Serveturdoctrina communis, & Regulà data de Pœnitentia, de causis excusantibus ab integritate materiali confessionis. His præmissis, jam ad aliam materiam pergamus, nimirùm adulterium reale, quo scilicèt quis scienter peccat cum aliena & non sua: & econtrà.

Adulterium Reale.

ASSERTIO V.

527 *Adulterium reale est peccatum mortale gravissimum multiplicis malitiæ, & maximorum plerumque vix compensabilium damnorum causa, meritò gravissimas secum trahens pœnas.* Est certum apud omnes.

§. I

Peccatum mortale gravissimum.

528 NAm imprimis ipsum adulterium nominatim solum tanquam damnosissima species luxuriæ expresso nomine prohibetur sexto præcepto Decalogi, naturali, ac positivo: *Non mœchaberis.* Deinde gravitas peccati maximè exaggeratur, & gravissimè damnatur passim in Scripturis utriusque Testamenti. Levit. 2. Deut. 22. & 27. Tob. 31. & latè Proverb. 6. Ecclesiast. 33. 1. ad Corinth. 6. ait Apostolus: *Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum DEI possidebunt.* Alibi passim.

§. II.

Multiplicis Malitiæ.

529 NAm adulterium semper involvit essentialiter duplicem malitiam, unam luxuriæ contrà continentiam, quatenùs acceditur ad non suam; alteram contrà fidem Matrimonii & Justitiam, quatenùs acceditur ad alienam nam quatenùs ligatus peccat contrà fidem datam in Sacramentali contractu matrimonii, quo corpus suum soli conjugi promisit, & tradidit, peccat contrà Justitiam, seu jus corporis sui acquisitum conjugi: juxta illud Apostoli 1. Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir &c.* Quatenùs verò peccatur cum persona ligata, peccatur contrà Justitiam & jus acquisitum tertii, scilicet conjugis alterius personæ ligatæ. Itaque

Gravitatis peccati hujus hi sunt gradus 1. *Gravis*, cùm persona soluta peccat cum ligata: quia præter fornicationem solùm cooperando peccat contrà jus tertii. 2. *Gravior*, cùm persona ligata peccat cum soluta, quia præter fornicationem peccat contra fidem à se datam propriæ conjugi, & quia violat jus acquisitum conjugi in ejus corpus. 3. *Gravissimus*, cùm persona ligata peccat cum ligata, quia præter fornicationem, peccat & contra fidem à se datam conjugi, & contrà jus propriæ conjugis, & contra jus tertii scilicet complicis ligatæ conjugis, ubi præter fornicationem & fidem violatam duplex committitur injustitia & injuria, & in propriam conjugem, & in conjugem complicis adulterantis: quæ duæ injuriæ etsi ejusdem speciei, tamen distinctæ numero necessariò explicandæ sunt in confessione, sicut & peccatum personæ sacræ cum sacra; non enim sufficit simpliciter dicere: commisi adulterium, vel sacrilegium carnale, sed omninò explicandus est status utriusque. Juxtà communissimam DD. & latè Lugo *Sect. 5. n. 38.* Ratio: quia tunc duo sunt commissa peccata, unum in persona propria, alterum cooperando ad peccatum personæ alterius: duo jura violantur in adulterio mutuo, duo corpora DEO sacra profanantur in horribili sacrilegio mutuo. Insuper adulterium committitur à conjugato in omni prorsùs specie luxuriæ saltem externæ non tantùm naturali cum soluta, ligata, consanguinea, sacra, &c. sed etiam contrà naturam, bestialitate, sodomia, mollitie, itémque osculis & tactibus impudicis etiam cum solutis: ideóque talia agens conjugatus vel conjugata tenetur explicare statum matrimonii sui. Communissima DD. Sanchez *Lib. 9. disp. 18. n. 4.* Lugo *loco citato*, Tamburin. *citat. c. 3. §. 1.* Ratio est: quia in his omnibus semper fit injuria conjugi, juxta Apostolum citat. *Vir non habet potestatem corporis sui, &c.* Et econtrà.

§. III.

Maximorum damnorum causa.

530 DAmna denique maxima ex adulterio cum ligata provenientia, & plerumq; incompensabilia sunt; quòd proles inde nata in alienam curam, alimenta, hæreditatem transeat, & irrepat cum maximo damno mariti, & prolium legitimarum; quæ damna, quia ordinariè irreparabilia sunt, ut patebit, in immensum augent malitiam adulterii: quanta enim malitia & injustitia est, voluntariè, & causare talia damna, & simul se præcipitare in impossibilitatem ea compensandi. Quapropter in confessione necessariò distinctè explicanda, & à confessario examinanda sunt illa damna: utpotè 1. An proles indè nata sit, & adhuc vivat. 2. An ex communi re familiari, vel sumptibus innocentis conjugis alatur. 3. An inter liberos, vel hæredes legitimos hæreditatem nacta, vel nactura sit ex bonis paternis vel matrimonialibus ad solos legitimos hæredes pertinentibus. Hæc enim adulterio commissio novam & omninò distinctam speciem injustitiæ, & injuriæ in conjugem innocentem & heredes legitimos superaddunt, atque inducunt gravissimam obligationem. De qua mox.

§. IV.

Meritò gravissimas trahens pœnas.

531 PRæter pœnam Juris naturalis, scilicèt obligationem restitutionis pro damnis ex adulterio consecutis marito, & prolibus legitimis, de quibus statim, Jure positivo variæ pœnæ adulterio decretæ, & jure meritissimo. *Prima pœna* est mors infligenda à Judice adulteræ, non tamen adultero. Sed hæc nihil ad nos. *Secunda Pœna* est quòd dos, vel donata propter nuptias amittantur propter adulterium, de hoc dixi satis cum de contractibus. *Tertia Pœna* est, quòd propter adulterium conjux adulterans privetur jure petendi debitum, ut communiter solemus loqui. Et hæc, quidem ad nos, sed jam satis explicata suprà. *Quarta Pœna* est, quòd propter adulterium possit fieri divortium ad petitionem innocentis. Sed hæc tota spectat ad forum externum, nihil ad confessarium; si tamen nosse velis, nervosè, & optimè tradit Layman *Lib. 5. tract. 10. c. ultimo.*

SUBSECTIO.

De Restitutione ex adulterio debita.

SUMMARIUM.

532. *Quid ex adulterio restituendum.*
533. *I. Pro injuria?*
536. *II. Pro infamia vel dedecore?*
537. *III. Pro damno temporali?*
538. *IV. Pro sumptibus hospitalis?*
539. *Aduiter obligatur ad restitutionem pro damnis marito & liberis legitimis.*
540. *Utpote pro infamia, & alimento prolis sive suaserit.*
541. *Sive non suaserit eam marito supponi.*
543. *Adulter in dubio, sitne proles sua, nec ne? probabiliter adhuc obligatur restituere pro rata dubii.*
544. *Sed æquè probabiliter ad nihil obligatur.*
545. *Aliquid si duo vel plures cum eadem adulterium commiserunt?*
547. *Etiam adultera per se obligatur ad restitutionem.*
548. *Omnium damnorum ex adulterio per se consequentium marito ac filiis legitimis.*
552. *Omni modo commodo, & moraliter possibili.*
553. *Non tenetur regulariter crimen suum manifestare marito, vel proli spuriæ.*
554. *An & quando filius teneatur credere matri asserenti ipsum esse spurium?*
556. *Adultera non tenetur manifestare suum crimen, & prolis illegitimationem. I. quando ipsa compensat.*
557. *II. Quando præsumit id nolle alios.*
558. *III. Quando nihil proderit.*
559. *IV. Nec cum periculo vitæ.*
560. *V. Vel infamiæ suæ majoris.*
562. *VI. Aut cum detrimento propriæ famæ.*
563. *His verò cessantibus tenetur.*
564. *Solvuntur fundamenta contraria.*

QUatuor hic explicanda sunt. 1. Pro quo restituendum? 2. Ad quid obligetur adulter: 3. Ad quid adultera? 4. An hæc aliquando teneatur se prodere propter damna avertenda?

§. I.

Quid, & pro quo restituendum ex adulterio?

532 TItius nobilis & opulentus commisit adulterium cum Caia uxore Sempronii similiter nobilis & divitis viri; eo adulterio natum filium spurium, bonus Sempronius tanquam legitimum filium, & quidem primogenitum statui suo summis sumptibus competentibus educavit, & cum aliis liberis postea natis ei hæreditatem reliquit, & insuper tanquàm primogenito fidei commissum seu præcipuum contulit, posthabito vero suo primogenito, filio, primùm post illum spurium nato. Quæritur, quid, & pro quo teneantur restituere Titius adulter, & Caia adultera tantorum malorum causæ? Generaliter tria hic distingui debent. *Primum* est ipsa injuria per adulterium illata Sempronio ab adultero, & adultera, secluso omni alio damno famæ vel fortunæ: *Secundum* est infamia & dedecus illatum Sempronio cornuto ex adulterio divulgato. *Tertium* est damnum temporale Sempronii in alenda prole spuria, & liberorum legitimorum, in hæreditate ab illo spurio participata & similia. Huc etiam referri debent sumptus hospitalis, si talis proles spuria exposita esset, & in eo educanda. De singulis breviter seorsim.

I. Pro injuria.

533 PRo ipsa sola injuria adulterii secluso omni damno, in honore, fama, vel fortuna, vel bonis temporalibus nihil restituendum est. Ita contrà *Rebell.* & alios RR. apud *Molinam* communissima DD. quos latè citant, & sequuntur *Molina & Lugo.* Ratio communis est: quia obligatio restitutionis non oritur præcisè ex injuria, sed ex damno permanente injustè illato; atqui in proposito supponimus ex adulterio occulto permanente, nulla prole suscepta, vel aliundè educata nullum prorsus oriri damnum in honore, fama; vel bonis temporalibus conjugis vel aliorum liberorum: ipsum autem adulterium in se non est damnum, sed mera injuria transiens, quâ transactâ, nullum remanet damnum: ergò nulla indè restitutiò debita: Quia tamen posset quis contendere ex adulterio semper remanere aliquod damnum, scilicèt maculam aliquam tori conjugalis (etsi occultam) tamen aliquo modo æstimabilem; ideò. Ratio melior est; quia damna illata in uno genere bonorum non debent ex obligatione per restitutionem reparari in alio genere bonorum: undè in communi sententia homicida pro injuria, & damno naturali ipsius occisionis seu mortis hominis, secluso alio damno temporali nihil debet restituere per pecuniam, vel quidvis aliud: cùm ergò injuria adulterii, & qualecunque damnum illud naturale permanens, vel transiens non sit in genere pecuniæ, vel boni temporalis, sed in alio superiori genere bonorum, nimirum circa corpus conjugis, consequens est, quòd adulter non teneatur pecuniis compensare injuriam, vel damnum illud. Adde, quòd opposita sententia sit contrà sensum & praxin omnium fidelium, & confessariorum, qui etiam doctissimi & optimi talem obligationem nunquam agnoverunt.

534 *Dices*: Maritus vir honestus mallet carere centum aureis, quàm pati injuriam adulterii præcisè, secluso omni alio damno in honore, fama, vel pecunia: ergò pro illa injuriâ præcisè est obligatio restituendi æquè, imò major, quam pro furto centum aureorum. *Respondetur* negando

Universidad de Deusto
Biblioteca

gando consequentiam. Nam etiam occidendus mallet carere mille aureis, quam vitâ, & tamen non sequitur tuum illatum: solùm ergò utroque casu sequitur majorem esse injuriam, & graviori pœnâ dignam, quàm sit furtum centum, vel mille aureorum; non potest autem sequi obligatio restituendi propter impotentiam compensandi ad æqualitatem, cùm sint diversa genera bonorum, ut dictum est.

§ 35 *Dices rursùs:* Qui utitur re aliena v.g. equo, invito Domino, tenetur non solùm reddere equum, sed etiam pretium æquivalens pro usu præterito illius equi, vel rei alienæ: ergò similiter, qui usus est uxore aliena, tenetur non solùm uxorem relinquere viro suo, sed etiam aliquid quasi pretium æquivalens dare pro usu corporis. *R. Spondetur* iterùm negando consequentiam & paritatem. Quia usus equi est in eodem genere bonorum cum pecunia, scilicet boni temporalis, fortunæ, atque adeò potest & debet pecuniâ compensari; at verò usus uxoris, sicut & ipsa uxor sunt in alio altiori genere bonorum; quare sicut qui occidit uxorem Sempronii, non tenetur ei pecuniam restituere pro ipsa uxore præcisè secluso alio damno temporali; ita neque ille, qui usum uxoris habuit invito marito: quia hic usus ad aliud bonorum genus spectat, quæ æquivalente pecunia compensari nequeunt. Undè etiamsi maritus sciat adulterium, exigat satisfactionem pecuniæ pro ipso adulterio, certum est adulterum posse recusare, quia id ob speciem lenocinii, pudicitiam vendere, prohibitum est in jure. *L. Transigere Cod. de Transact.* Quòd si tamen adulter loco pœnæ velit satisfacere in pecunia, poterit maritus in conscientia illam accipere & retinere, quia tunc non adesset lenocinium, ut suppono: Leges autem solùm in foro externo illam satisfactionem vetant, ne detur ansa lenociniis, ut bene observat Tamburin. *Lib. 6. Decalog. c. 3. §. 4. n. 2.*

II. Pro infamia, vel dedecore.

§ 36 CErtum est, quòd sicut pro infamia, vel dedecore, quod ex injusta detractione, vel contumelia oritur, compensatio fieri debet per restitutionem, juxta dicta alibi; ita etiam infamia & dedecus, quod maritus patitur ex injuria adulterii, si adulterium ad aliorum notitiam perveniat, si fieri possit, reparari debere ex obligatione Justitiæ. Dico tamen, *si fieri possit*; plerumque enim erit impossibile eam infamiam, vel dedecus miseri cornuti auferre. Dedecus tamen aliquando compensari poterit ab adultero honorando vel elevando ad altiorem gradum, ut videatur nullam, vel modicam honoris jacturam incurrisse. Deinde sermo est tantùm de marito injuriam passo, sed si maritus ipse adulterium commisisset, non videtur ex hoc obligatus ad restituendum uxori, quia hæc ex mariti adulterio nullum dedecus, vel infamiam incurrere communiter existimatur; ait Lugo *Sect. 1. disp. 22.*

III. Pro damno temporali.

§ 37 CErtò restituendum est marito pro expensis, quas facit in aliena prole alenda: Itémque pro iis, quæ pater putatitius tali proli spuriæ donat, & post mortem relinquit hæreditate, fideicommisso, &c. Itémque aliis filiis, vel hæredibus legitimis, juxtà dicenda §. 2. & 3. ac etiam pro iis, quæ consanguinei mariti ejus intuitu donant, vel relinquunt tali proli putatitiæ, aliàs proli legitimo donaturi. Addit Molina *tract. 4. disp. 101.* etiam restituendum esse pro iis, quæ mater plus insumit, vel minùs lucratur bonis communibus; quam aliàs insumptura, vel lucratura fuisset. Verùm hoc nimis rigorosè dictum meritò censet cum aliis Lugo *ibidem n. 3.* nunquid enim si uxor ex culpabili causa ægrotet, & sic minùs lucretur, vel plus insumat, tenebitur postea restituere? nunquid econtra culpabiliter ægrotans maritus? Lege ipsummet, si curiosus es.

IV. Pro sumptibus hospitalis.

§ 38 QUando proles ex adulterio susceptа exponitur alenda in hospitali ad id fundato, saltem quando parentes adulteri divites sunt, & solum ad tegendum crimen suum prolem ita exponunt, etiam ipsi hospitali pro sumptibus alendæ prolis restituendum esse ab iisdem parentibus, docet communis DD. Plurimisque citatis Sanchez *Lib. 1. Consil. c. 5. disp. 64. n. 7.* Azor. *l. 2. tract. 2. c. 5.* loquentes universaliter de exponentibus, prolem sive spuriam, sive legitimam: & in specie de prole adulterina, Molina *citat. disp. 101.* Lugo citatus *Sect. 1. n. 4.* Herincx *disp. 6. q. 7. n. 96.* Ratio est: quia sumptus illi & redditus hospitalis fundati & relicti sunt, ut subveniatur pauperibus; ergò injustè agit, qui cùm dives sit, & possit, ac teneatur filiis alimenta præstare, absque necessitate ingerit, & cogit illum ali ex bonis pauperum; consequenter eos sumptus ex Justitia tenebitur refundere, & certè semper commodè poterit, si non per se ipsum ob metum infamiæ, certè per aliam personam fidelem, aut ipsum confessarium. Quamvis oppositum sentiant, & satis benè suadeant aliqui, quos refert & approbat Diana *part. 2. tract. 6. Miscel. resolut. 40.* Quem vide, non enim libet rei raræ praxis immorari.

§. II.

Obligatio adulteri.

§ 39 CErtum est adulterum, si moraliter certus sit, prolem esse suam ex suo adulterio genitam, obligari ad restitutionem pro damnis consecutis marito & liberis legitimis, modis posteà declarandis, *Communissima* apud mox citandos. Ratio generatim est: quia omnis injustè damnificans proximum tenetur ad restitutionem: sed adulter verè injustè damnificat, & verè injusta causa est damnorum illorum, quando eam injustam actionem exercuit, ex qua suâpte naturâ prolis generatio conjuncta cum damno mariti, & liberorum legitimorum consequi potest, & solet: ergo & ipse tenetur ad restitutionem, seu compensationem illorum damnorum in foro omni, etiam conscientiæ maximè: intellige tamen per se loquendo, nisi scilicet excusetur in toto, vel in parte, sivè quia damnum ab ipsa adultera jam compensatum sit, vel compensandum credatur; sive quòd restitutionem præstare nequeat ob impotentiam, vel physicam vel moralem ob periculum vitæ, gravis dispendii, famæ, &c. juxta causas generales excusantes à restitutione. Et in simili dicam infrà de ipso adultera. In particulari ergo quoad adulterum tria hic certa sunt, duo autem valdè dubia & controversa.

§ 40 I. Certum est, imprimis adulterum debere restituere marito pro infamia vel dedecore ex adulterio diffamato subsecuto, quando ea mala possunt vel in toto, vel in parte reparari, juxta paulò superiùs dicta. 2. Certum est, in integrum debere solvere vel compensare marito alimenta proli adulterinæ, cùm ipse sit verus pater, & ipsi incumbat alere filium. Sed intellige à tertio anno ætatis prolis, nam usque ad tertium ætatis annum, seu in primo triennio ipsa mater sola debet alere filium, ut habetur utroque Jure *c. 2. De convers. Infidel. & L. 9. nec filium, & c. C. De Pat. Potest.* 3. Si adulter suasit adulteræ, ut prolem adulterinam marito supponeret, tanquam ex ipso genitam, & consequenter tanquam suam educandam, certum est apud omnes cum obligari ad compensanda damna indè secuta, & marito in sumptibus & liberis legitimis, vel hæredibus in diminutione hæreditatis, & similibus, quia tunc fuit vera moralis & voluntaria causa illorum damnorum: atque hoc simul cum adultera æquè primò & æquè immediatè, & non solùm secundò loco in defectum adulteræ; quia quando consilium datum est in commodum utriusque, & consultoris, & executoris, uterque tenetur æquè primò pro rata, & singuli in solidum in defectu alterius. Ut ex communi notat Lessius *lib. 2. c. 10. n. 5.* Et ex eo Lugo *disp. 13. Sect. 2. n. 1. in fine.* Tenebitur ergo tunc restituere adulter aut in parte rata, etiam majori, etiam in toto, prout ipsa adultera multùm, parùm, aut nihil ad restitutionem cooperari vel contribuere potuerit: similiter & econtrà dicendum de adultera. Et hæc tria certa sunt.

§ 41 II. Dubium & controversum primum est, an ex adulterio præcisè, quandò adulter post eà adulteræ nihil suasit, nec ullo modo procuravit, quòd proles adulterina marito supponeretur, teneatur tamen saltem ex parte pro rata sua ad restituendum liberis legitimis, vel hæredibus pro damnis, utpotè pro hæreditate diminuta vel ablata, pro majoratu, vel fideicommisso, alióve præcipuo, tali spurio tanquam legitimo collatis? Negavit ante omnes Sotus *lib. 4. de justitia c. 7. a. 2.* Est post eum *Henriq.* Barthol. *à S. Fausto*, & Diana *parte 2. tract. 3. Miscel. resol. 25.* aliique RR. teste Lessio *loco citato* non negante hujus sententiæ probabilitatem. Fundamentum est: quòd tunc adulter non sit causa propria illius damni, sed sola uxor adultera, quæ sola supponit marito prolem alienam pro sua, quod adulter, ut supponimus, nec intendit, nec consulit, nec procurat: ergò sola mater est, quæ damnum infert, ideóque ea sola tenetur reparare. Quemadmodum, si eo casu adultera procuret abortum, non ideò adulter esset causa abortùs, si illum nec suasit, nec procuravit, licèt illius occasionem dederit suâ copulâ adulterinâ: ergò similiter non erit causa illius suppositionis prolis alienæ, si eam nec suasit, nec procuravit; licèt illius occasionem dederit. Item si ego tibi furatus sum tuam suppellectilem, tu verò ad eam compensandam furaris ab alio tertio pecuniam, non ideò ego debeo tertio restituere pecuniam, sed solùm tibi pro tua suppellectili: ita in proposito adulter est quidem reus adulterii, non tamen illius suppositionis, & damnorum, quæ uxor adultera supponendo prolem alienam infert marito, & filiis legitimis: consequenter ille à restitutionis debito immunis erit. Sententia non omninò improbabilis.

§ 42 Sed vera est sententia affirmativa communis DD. quos latè citant, & sequuntur Molin. *tract. 4. disp. 104.* Layman. *lib. 3. Theolog. moral. tract. 3. part. 3. c. 14. n. 4.* Lugo *d. sp. 13. sect. 2. n. 11.* Less. *lib. 2. De Justitia c. 10. dub. 5.* Henrincx *disp. 6. q. 7. n. 93.* Ratio communis est: quia licet mater sit, quæ immediatè supponit prolem illegitimam marito, adulter tamen est causa illius suppositionis & damnorum consequentium, quatenus ipse facto suo conjecit matrem in necessitatem ita faciendi, nè prodat suum delictum: certè enim regulariter saltem non poterit aliter facere: quia tamen aliquando saltem posset non ita supponere, sed extra familiam alere prolem spuriam, quo casu *Vasq. u.* apud Lug. cit. fatetur posse locum habere sententiam Soti. Ratio generalis est: quia adulter etiam est vera, proxima, & immediata causa illorum damnorum sicut & mater adultera, hæc enim non aliter concurrit ad illa damna, nisi quatenus filium illegitimum talem permittit esse in domo, & familia mariti, ut maritus & alij credant esse filium legitimum, sicut reliquos, neq; enim ad hanc causalitatem necesse est, quòd mater positivè dicat, eum esse filium legitimum patris, neque ita dicere solent, sed solùm permittit eum sic domi manere, & decipit maritum ac alios putantes eum esse filium legitimum: atqui eodem modo multò magis concurrit adulter, qui cùm sit verus pater prolis, ipse deberet eam alere, educare, & illius curam habere, eo ipso, quòd filium suum relinquat in aliena domo apud alium putatitium patrem, à quo videt eum pro filio legitimo haberi & educari &c. est causa non minùs, quàm mater illius deceptionis & damnorum consequentium mariti & liberorum legitimorum: ut sanè perpendenti luce meridianâ clariùs apparebit, & latius prosequitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lugo citatus *n. 14.* ergò &c. Diversa est planè ratio in exemplis allatis de abortu, & furto, quia, ut dixi, ad suppositionem prolis concurrit adulter etiam immediatè ponendo eam in utero adulteræ, & tenendo in aliena domo: ad abortum autem nullo modo concurrit immediatè, sed nudam occasionem præbet ipsius liberæ electionis: & furans tibi tuam suppellectilem nullo modo concurrit ad tuum furtum pecuniæ respectu tertii, sed meram occasionem præbet, ex qua liberè eligis furari ab altero tantumdem: Et neuter in necessitatem ita agendi regulariter conjicitur. Quòd si tamen in casu singulari alicui furto auferens sua sciens & volens conjicere in necessitatem furandi alteri tertio, certè etiam injurius eris in illum tertium, ideóque in defectum prioris furis restitutioni obnoxius: quo ipso tamen onere te liberas restituendo tuum primum furtum, de quo alibi latiùs.

543 III. Dubium controversum alterum & difficilius est. Dixeram initio adulterum, *si moraliter certus sit* prolem esse suam, obligari ad restitutionem. Id autem in proposito moraliter certum censetur, quod prudenter ita creditur, ut contrarium nullo modo videatur probabile: talia enim passim humano modo certa dicuntur, ait Less. citatus *lib. 2. c. 10. dub. 6. num. 39.* ab omnibus communiter receptus. Ut si in proposito tempus partûs correspondeat cum tempore conceptionis & adulterii commissi, & tunc maritus fuit absens, vel infirmitate impotens, vel aliàs filios nunquàm genuit, aut aliundè meritò credendum sit adulteræ asserenti se ex adultero concepisse, non ex marito. Quid si ergò adulter non sit ita moraliter certus, prolem esse suam, sed verè & probabiliter dubitet in utramque partem, sitné proles ex se genita, nec ne? Adhuc adulterum obligari ad restitutionem dictorum damnorum saltem pro parte secundùm quantitatem dubii, sanè non improbabiliter docent cum multis Molina *cit. tract. 4. disp. 103.* Layman *citat. c. 14. num. 2.* Fundamenta sunt. 1. Quia licèt ipse adulter dubius sit, an proles sit sua, tamen æquè etiam dubium est, an sit mariti? atqui in dubio uter duorum pater sit prolis, æquitas non patitur, ut unus eorum omnes expensas subeat in ea alenda & educanda, alter verò omninò immunis sit, sed oportet eos contribuere secundùm proportionem dubii, juxta communem sententiam: ergò licèt adulter non sit certus de prole sua, tamen debet esse certus de compensatione damni pro rata sua. 2. Generaliter: quandocunque constat delictum esse admissum, ex quo damnum sequi solet, præsumptio solet esse contrà nocentem, ut ipsi incumbat probatio, nihil ex suo delicto damni evenisse, quod alias suâpte naturâ solet sequi, cùm in dubia causa potiùs favendum sit innocenti, quàm nocenti: at hic constat adulterum commisisse delictum, ex quo tale damnum, scilicèt prolis alienæ suppositio sequi solet: ergo in dubio, an reverà ita sit, debet adulter in conscientia præsumere contrà se, & credere se esse debitorem damni restituendi, saltem secundùm quantitatem dubii. 3. Molina *citat.* ita ferè arguit; quia adulter non est possessor bonæ fidei in tali casu, cui in dubio favendum sit, nam malâ fide apposuit causam, undè damna illa sequi nata erant: nam si quis injustè sagittam projecit, & constat posteà eò loci servum Petri sagittâ interfectum esse, etsi non certum sit, sed dubium, an illâ eâdem sagittâ interfectus sit, non erit æstimandus possessor bonæ fidei, sed obligandus pro quantitate dubii, & veri similitudinis restituere damnum: ergò similiter cùm adulter suo facto causam injustam sufficienter apposuerit ad ea damna, debebit restituere pro quantitate veri similitudinis & dubii. 4. Ergò malè quidam videntur arguere: filius in illo dubio legitimum se reputare potest: ergò & adulter. Negatur enim consequentia, & paritas; quia filio innocenti, & in possessione filiationis legitimæ manenti omni jure debebitur præsumptio, ut habeatur legitimus, quousque demonstretur illegitimus. At verò adultero nocenti, & injustam causam præbenti, undè tale damnum suâpte naturâ sequi solet, nulla debetur præsumptio pro se, sed potiùs contrà se, ut dictum est: ergò &c. Audésne huic sententiæ negare probabilitatem? Ego autem

544 IV. Dico simpliciter: adulter non obligatur ad ullam damni compensationem in dubio, nisi ei moraliter certum sit, eam esse suam prolem Ita *Sot. Navarr.* aliisque congestis *Less. lib. 2. c. 10. dub. 6. n. 39.* Lug. *citat. sect. 2.* Dicast. *tom. 2. tract. 2. de justitia disp. 7. dub. 11.* Tamburin. *lib. 7. Decalog. c. 3. §. 4. n. 3.* Ratio valida optimè traditur à Less. citato his verbis. Quia in dubio melior est conditio possidentis: nemo enim tenetur aliquid solvere & re sua se spoliare, nisi constet se debere. Consentiunt ferè in hoc DD. quamvis enim quidam dicant, illum teneri, quando probabiliter credit esse suam prolem, hoc tamen non est ita generatim intelligendum, sed quando ita credit, ut non habeat rationem dubitandi de contrario. Fieri enim potest, ut quis probabiliter credat esse suam prolem, & etiam probabilitatem habeat non esse, quo casu certum est, non teneri. Hæc Less. *Jam subsumo;* atqui quamdiu adulter non est moraliter certus, sed verè dubium est, an proles sit sua, tamdiu non constat ipsum esse debitorem: & licèt non sit bonæ fidei in ordine ad adulterium, est tamen bonæ fidei in ordine ad bona sua legitimè possessa, nec illis spoliari debet, donec probetur filium esse suum: & insuper in eo dubio adest præsumptio juris, filium esse legitimum; ut constat ex *L. filium ff. de his, qui sunt sui vel alieni juris. L. quia semper ff. de injus invocando.* Et pluribus locis apud Lugo: *citat. n. 17.* Idque generaliter in utroque foro locum habere plurimis relatis docent *Lug. & Less. l. c.* Quia cùm ratione matrimonii filius inve-

niatur in possessione legitimæ filiationis, non debet propter hoc dubium possessione sua privari: ergo etiam adulter eam prolem legitimam mariti, & non spuriam suam, sicque se à restitutione immunem præsumere, & reputare potest. Alioquin certè talis filius dubius melioris conditionis esset, quàm alii filii ejusdem mariti, non dubii; ille enim ratione præsumptionis juris de sua legitima filiatione posset accipere & retinere totam portionem hæreditatis paternæ, & insuper posset recipere partem, quam adulter ei deberet dare propter alimenta pro ratione dubii. Fatendum ergo est, titulum illum, qui sufficit ad hoc, ut filius accipiat portionem integram filii legitimi, sufficere eodem modo ad liberandum adulterum ab obligatione eum alendi etiam ex parte. His benè perceptis liquidò ruunt fundamenta oppositæ sententiæ, quia ex una parte adulter reverà non probatur debitor: & ex altera parte omnis præsumptio contra ipsum ratione adulterii commissi eliditur per contrariam præsumptionem juris, de legitima filiatione prolis; qualis præsumptio contraria certa non adest in *Molina* exemplo de emissa sagitta; ideóque non ad rem.

545 At quid si duo vel plures mœchi eodem ferè tempore commiserant adulterium cum Berta uxore Titii in iis circumstantiis, ut certum sit moraliter ab alterutro, vel uno illorum, prolem esse genitam, non à marito: tenebunturne tunc ambo vel omnes restituere marito & filiis legitimis pro damnis ex prole adulterina supposita marito, pro rata sua parte? Responsio est affirmativa. Communis *Molina, Vasq. alii cum* Lug. *citat. disp. 13. sect. 3. num. 24.* Herinck. *disp. 6. q. 7. n. 19.* Ratio est: quia ex una parte certum est prolem ab uno eorum esse genitam: ex altera autem parte licèt incertum sit, quisnam eorum genuerit, uterque tamen sua actione injusta fuit in causa, ne certus damni auctor agnoscatur, à quo certò compensatio fieri debeat, ideóque uterque certò injuriam & damnum intulerat, utpote vel ob prolem illegitimam, vel ob incertitudinem auctoris, qui solvere teneatur ea damna & consequenter uterque pro rata sua ex ea injusta actione restituere tenebitur; quemadmodum si duo seorsim vel casu sagittas projiciant, quarum una interficit certò servum Petri; licèt ignoretur cujus sagittâ interfectus sit servus, singuli tamen debent compensare illud damnum pro rata & quantitate dubii, quia nimirùm uterque certum damnum intulit, vel occidendo servum, vel causando incertitudinem auctoris damni, & sic privando Petrum jure & facultate exigendi restitutionem ab occisore certo sui servi, quarè uterque debet restituere certam partem pretii. Idem prorsus est in nostro proposito.

§. III.

Obligatio adulteræ.

ASSERTIO.

546 *Adultera per se obligatur ad restitutionem omnium damnorum ex adulterio per se sequentium marito & filiis legitimis, modo commodo & moraliter possibili; regulariter tamen ad ea damna avertenda non tenetur prodere suum delictum, neque marito, neque proli illegitimæ ex adulterio susceptæ.* Est tota communissima. Ratio generalis obligationis manifesta est; quia ipsa adultera est per se immediatè causa, cur maritus & filii legitimi credant, illam esse veram & legitimam prolem, atque idcircò ea damna patiantur. Reliqua explico particulatim.

1. Per se obligatur ad restitutionem.

547 NImirum nisi adsit justa causa excusans, nam sicut in omnibus aliis, ita etiam in hoc casu sine dubio excusat impotentia physica vel moralis, ut si non possit restituere sine periculo mortis, aut infamiæ, alteriúsve gravioris mali, quàm sit damnum inde secutum; de quibus latiùs §. *seq.* Idq; si non omninò ad omittendam, saltem ad differendam restitutionem; quosque talis impotentia, vel pericula durant. Absolutè ab onere restitutionis adulteram liberant duæ causæ. *Prima*, si & ipsa adultera non sit moraliter certa, prolem hanc esse ex adulterio genitam: tunc enim excusabitur à restitutione eâdem ratione, quâ modò §. præcedenti de adultero probatum est. Quamvis autem rarò id mater ignoret, tamen contingit reverà, ut propter vicinitatem copulæ cum adultero & cum marito prorsùs ignoret, vel saltem ambigat, ex quo proles concepta sit. *At quid*, si adultera commissio adulterio (ut reverà solent) de industria citò petat copulam à marito, ut sic incertus evadat conceptus prolis? Responsionem non inveni apud meos AA. respondeo tamen cum distinctione; si ita faciat præcisè ad tegendum suum crimen, ne fortè natâ prole aliquando innotescat, censeo adhuc liberam à restitutione damnorum secutorum: quia ex una parte usa est jure suo, ex alterâ autem parte reverà proles manet dubia. Si verò ita faciat ex directa intentione, ut proles posteà nata marito innocenti supponatur, cum ejus & legitimorum filiorum damno, non possum eam à restitutione damnorum consecutorum liberare; quia reverà jam est voluntaria causa illorum damnorum; imò propè certa, cùm regulariter saltem ex priori præsertim extraordinario libidinoso concubitu proles concipi soleat *Secunda causa* omninò excusans est, si pater, vel liberi legitimi liberè remittant eam obligationem; & res clara est, si remittant expressè cognito jam crimine, & prole adulterinâ: quin etiam sæpè tacitam ejusmodi remissionem potest præsumere mater, & sic se non manifestare, ut §. *seq.* dicam. *Dixi autem si liberè remittant.* Quæ-

dam

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam sic se liberavit: habebat tres filios, quorum unus erat ex adulterio, & quia ab illis nihil sibi timebat, eos ita allocuta est; unus vestrum non est legitimè natus, si eum nominem, ab hæreditate ampla necessariò depelletur, quid vultis faciam? his auditis, timuit quisque sibi, ne spurius nominetur: quare omnes rogârunt matrem, ut sileret; spuriúmque, quicunque ille sit, sibi invicem remittentes, in partem hæreditatis admiserunt. Hoc tamen medium meritò non approbat *Covarruvias* apud Layman cit. *n.42.* quia tunc filij non liberè & spontè, sed timore gravi & metu injusto adacti remiserunt spurio, cum reverà ipsi reliqui duo nullum habeant periculum illegitimitatis. Posset tamen remedium hoc admitti, si omnes verè & ex animo spontè fecissent, non ex metu: idque explicitè declarâssent, ac protestati essent, se non ex metu, sed ex amore ac benevolentia erga matrem, vel erga se se invicem simul in eadem domo educatos remittere velle, remissuros etiam omninò, si scirent, quis esset illegitimus. Uti sapienter admittunt Lugo *citat.* & Tamburin. *§. 4. n. 12. in fine.*

II. Omnium damnorum ex adulterio per se consequentium marito ac filiis legitimis.

548 OMnis enim, qui ponit causam aliquam, dicitur etiam causa effectuum, qui ex illa causa per se oriuntur, seu qui per se connexi sunt cum illa causa posita, non autem omnium effectuum, qui ex illa causa quomodolibet per accidens consequuntur; & possunt esse innumeri nec prævisi, nec prævideri debiti, ut latiùs docetur in materia *de restitutione de injusta damnificatione ex homicidio, &c.* Sic uxor in proposito adultera supponendo filium illegitimum est solùm causa illorum damnorum, quæ illâ suppositione marito & filiis legitimis per se consequuntur, non autem eorum, quæ indè merè per accidens, & quasi fortuitò sequuntur, & consequenter pro illis tantùm, non autem pro istis damnis tenetur uxor adultera. Pro clara resolutione pono claram bipartitiam regulam.

549 I. Adultera tenetur restituere marito & filiis legitimis pro damnis in illis tantùm bonis, quæ filius legitimis debentur, & conferuntur spurio: utpote. 1. Marito pro alimentis & expensis in educanda prole spuria (sed hoc post triennium primùm simul cum adultero, & in defectum hujus in solidum, juxta dicta §. præced.) 2. Filiis legitimis pro diminutione hæreditatis, seu portione hæreditatis collata spurio. Item pro majoratu, fideicommisso, aliáve prærogativa aliàs filio legitimo primogenito conferenda, modò autem collata filio putatitio illegitimo. Itémque hæreditas avi, avunculi, aliorúmque ascendentium vel consanguineorum, quæ debebatur filiis legitimis, & per istum errorem conferuntur, vel occupantur à spurio. Communissima DD. Et latè Lugo citat. *Sect. 3. n. 39.* Ratio data est; quia hæc omnia damna per se connexa sunt, & per se oriuntur ex suppositione prolis adulterinæ. 550

II. Uxor adultera non tenetur restituere filiis legitimis pro his damnis in illis bonis, quæ filiis legitimis non debebantur, & illegitimo conferuntur: ut si consanguineus vel amicus mariti putans hunc esse verum ejus filium, vel alius quicunque illum spurium suum hæredem instituat, aliquid ei leget, vel liberaliter donet, sumptus ad studia, ad nuptias, ad doctoratum tribuat, quod fortè certè non dedisset, imò dedisset vero filio, si veritas constituisset. Hujusmodi enim sunt damna non per se, sed solùm per accidens provenientia veris filiis, quia ad ejusmodi liberales collationes jus nullum habebant. Ita contrà *Molin.* certè in hac re nimis rigidum plurésque sequaces, ex communi Lug. *citat. n. 37.* Tamburin. *c. 3. §. 4. n. 8.*

At quid de ipso filio illegitimo, qui ejusmodi 551 per errorem collata, vel donata liberaliter, recipit sciens, se esse illegitimum? (nam si ignoret bonâ fide excusari omnes scimus) Respondet rectè Lugo *citat. n. 38.* ipsum in rebus majoris momenti debere restituere *ex re accepta*, quoniam error iste causat in donante involuntarium saltem in rebus majoris momenti. Alia est ratio de ipsa matre adultera, quæ non obligatur *ex re accepta*, cùm ipsa nihil acceperit, sed solùm obligaretur propter causam à se positam talis erroris: quæ causa cùm per se non influat in illas donationes, meritò à restitutione excusatur.

III. Omni modo commodo, moraliter possibili.

MAnet ergo adulteræ gravissima obligatio 552 compensandi omnia damna per se consequentia & marito, & filiis legitimis maximè, quantum in se est, quantúmq; omni modo moraliter possibile est: utpote. 1. De bonis suis propriis paraphernalibus, ac liberis, de quibus sine mariti ac legitimæ prolis præjudicio liberè disponere potest, largiendo, legando vel testando marito ac liberis legitimis usq; ad æqualitatem damnorum ratione prolis illegitimæ acceptorũ. De hoc iterum aliquid *§ seq. 2.* Si ejusmodi bona propria non habeat, vel non sufficiant, debet conari supplere aliis modis, utpotè rem familiarem diligentiùs administrando, imminuendo sumptus alioquin concessos in cultu corporis, recreationibus, donationibus, quantùm commodè potest attentâ conditione sui statûs, valetúdinis, &c. Item extraordinariâ diligentiâ adhibitâ, quidquid propriâ industriâ sine detrimento, vel præjudicio familiæ acquirere, & sibi retinere potest, familiæ applicando. Less. *c. 2. n. 47.* 3. Addit Molina *disp. 102. n. 15.* Debere eam etiam occultè accipere de bonis spurii, quæ ad ipsum devenerunt, vel deventura sunt, quantùm tutò poterit, ut ex illis restituat, & occultè compenset iis, qui damnum propter spurium injustè patiuntur. 4. Quòd si prædictis modis, vel similibus parum aut nihil compensare possit adultera, tenebitur hæc, quantùm potest per

persuadere spurio alium statum, religiosum, vel Ecclesiasticum assumere, renuntiatâ hæreditate; aut promovere eum ad aliquod officium vel artem, aut quoquo modo ita accomodare, ut sine hæreditariis bonis filiis seu hæredibus legitimis relictis, honestè vivere possit. *Communissima DD. cum Scoto infrà citando. Molina, Less. Laym. Lug. §. cit. 3. n. 49.* Quamvis quoad Religionem contrà sentiat *Scotus*, eò quòd filius non teneatur ingredi Religionem, quantumvis suasus. Sed contrà. *Ratio est:* quia licet filius quantumvis suasus non teneatur ingredi Religionem, eò quòd ipsi hoc gravissimum onus sit, id tamen filio suadere non est grave onus matri, quare cùm mater debeat reparare illa damna omni modo possibili moraliter, si nimirùm possit absque gravissimo suo onere vel incommodo, non est mirum, quòd ipsa obligetur ad tentandam etiam hanc viam, in qua ipsi non est grave onus, etiam respectu filii, & longè faciliùs respectu filiæ spuriæ, ut observat Lugo *n. 41. in fine.* Quòd si denique nullo dictorum modo compensatio fieri possit, dicimus tandem.

IV. Regulariter ad ea damna avertenda non tenetur adultera suum crimen manifestare, neque marito, neque proli spuriæ.

553 COmmunis DD. *Scot. in 4. dist. 44. S. Anton. Cajetan. Covarruv. Navar. utergue. Vasq. eosq; citans Laym. lib. 3. tract. 3. par. 1. 3. c. 14. n. 1. & plerisq; DD. §. seq. allegandi.* Sumitur satis evidenter *ex c. officii de pœnitent. & remiss.* ubi Pontifex Innocentius consultus respondet, non esse pœnitentiam denegandam fœminæ, quæ finxerat partum, prole alienâ suppositâ, & posteà timens iram mariti noluit rem manifestare; *sicut nec illi denegandaest pœnitentia, quæ ob similem timorem prolem ex adulterio conceptam non vult marito fateri.* Sic ibi: ubi manifestè supponitur, saltem regulariter, non esse tunc obligationem manifestandi: alioquin enim fœmina nolens manifestare non esset capax pœnitentiæ, & absolutionis sacramentalis. Et ineptè diceretur cum aliquibus, quòd ibi non sit sermo de pœnitentia sacramentali, sed pœnitentiâ Ecclesiasticâ externâ & publicâ; quomodo enim Pontifex voluisset talem fœminam agere pœnitentiam publicam pro crimine, quod ita anxiè à marito celare conabatur? *Ratio* autem sufficientissima est; quia talis obligatio regulariter saltem est nimis difficilis, parùm utilis, plus nociva: ergo nulla. Nam secundùm commnem DD. restitutio damnorum in bonis fortunæ ordinariè, seu regulariter facienda non est cum detrimento, vel periculo bonorum altioris ordinis, scilicet famæ, vel vitæ: atqui in proposito adest certum periculum infamiæ adulteræ, imò & prolis spuriæ hactenus legitimæ putatæ; insuper est periculum perpetui odii, divortii, & sæpe etiam vitæ adulteræ; ergo regulariter saltem pro damno illo in bonis fortunæ marito, vel filiis legitimis compensando, vel avertendo, non tenetur se prodere adultera, neque marito, neque proli illegitimæ.

Non quidem ipsi marito ob rationem modò dictam, hoc enim esset periculosissimum, quia sic adultera præter sui infamiam, præcipitaret maritum in pericula iræ, tristitiæ, divortii, homicidii, aut adulteri, aut adulteræ, aut utriusque, adeóque & se ipsam in periculum vitæ præcipitaret: & plerumque est inutile, aut enim non credet maritus adulteræ, quæ fortè eam prolem malè affectat, aut si credat, quomodò poterit eam prodere, hactenùs in foro externo omnium opinione legitimam habitam eam exhæredare? quomodò poterit ad eum finem adulterium uxoris publicare, se ipsum infamiæ & dedecori exponere, opprobrium hominum facere tanquam cornutum? Et innumera similia sequerentur.

Neque etiam proli spuriæ, nam ut rursùs rectè arguit Scotus *cit. n. 38.* aut filius credet marit, aut non credet? si credat, tunc utiq; tenebitur hæreditatem, & similia accepta relinquere, tanquàm jam incipiens esse possessor malæ fidei: at certè non tenebitur cum certo tanto famæ dedecore à familia tanquàm spurius recedere, & hæreditatem relinquere; nec rursus est probabile præsumendum, eum id sponte facturum, quia pauci reperiuntur tam perfecti, ut propter justitiam in foro Dei servandam dimittant magnas possessiones, quas possunt tenere in foro externo. Si verò non crederet, sicut reverà regulariter non tenetur credere, ut mox dicetur, tunc essent duo mala, quia & ipsa esset diffamata, & ipse nihilominùs teneret hæreditatem, sicut priùs, inquit Scotus l. c. *Regulariter* semper dixi. Jam ut videamus in particulari, an aliquandò teneatur adultera proli spuriæ aperire suum crimen, necessariò priùs expedienda est multùm scrupulosa

QUÆSTIO INCIDENS

An, & quandò filius teneatur credere matri asserenti: ipsum esse ex adulterio genitum, illegitimum, spurium.

QUoad forum externum apud omnes Juris- 554 peritos & Canonistas certum est, in hoc non stari dicto matris, nisi liquidis, & indubiis argumentis id probetur, sed semper præsumitur proles legitima, si tempore conceptionis uxor cum marito habitârit, nisi constet eum fuisse impotentem, vel alia ratione prolem esse adulterâ liquidò demonstretur: undè Juristæ veteres irridentjuvenem primogenitum, qui credens Reginæ matri dicenti, quòd ipse conceptus sit non legitimè ex Rege, sed adulterio ex milite, cessit fratri natu minori Regnum.

Quoad forum autem internum conscientiæ aliter docent graves DD. apud Lug. *citat. disp. 13. sect. 3. num. 61. Hostiens. Panormit. Medina*, eósque citans Molina *disp. 101.* dicentes: quandò filius nullam habens rationem dubitandi, id meritò sibi persuadet, eò quòd mater sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

dignissima fide attentâ ejus probitate, timore Dei, amore in eundam filium, & maximè si testetur ipsi in mortis articulo, teneri ei in conscientia filium omninò credere, & hæreditate abstinere. Eodem modo loquuntur *Adrian. Sotus*, eósque sequitur *Vasq.* apud Lug. *citat.* etiamsi filius in judicio publico contradictorio declaratus esset hæres, non tamen posse tunc in conscientia retinere hæreditatem. *Toletus* autem & *Julian.* apud eundem dicunt in alioquo casu teneri filium credere soli matri cum juramento in articulo mortis poll Eucharistiam susceptam. His & similibus probationibus hâc sententiâ in suâ probabilitate relictâ.

555 Dico absolutè: filius vel filia hactenùs in possessione legitimorum natalium perseverans minimè tenetur credere matri fatenti, vel ei etiam juratò asserenti, ipsos esse ex adulterio susceptos, & illegitimè natos, nisi ea liquidis & indubiis argumentis, etiam in foro externo valituris, id ostendat; ut si mater testibus vel alio modo evidenter probet toto tempore conceptus & partus absuisse maritum, fuisse impotentem &c. Ita Glossa in *supra citato c. offic. de pœnit. & rem. ff.* & Canonistæ communiter. *Covarruv. Alphons. à Castro, Sa*, aliíque citt. Lessius *lib. 2. de justitia, c. 10. dub. 7.* Layman. *citat. c. 14. num. 1.* & re ipsâ Lug. *citat. sect. 3. n. 62.* Ratio: quia jure gentium boni communis causâ ad plurimas hominum astutorum fraudes evitandas introductum est, ut nemo unius quantumvis minimè suspecti hominis testimonio credere teneatur in suũ præjudicium præsertim tam grave, ut est in proposito. Undè in simili docet Navarr. *c. 22. num. 82.* Quòd conjux non teneatur credere uni testi quantumvis amico & juratò dicenti, subesse impedimentum matrimonium dirimens, nisi id certis argumentis demonstret. Placet ergò regula tradita à Cardin. *de Lugo* his ferè verbis: Tunc solùm filius tenetur credere in foro conscientiæ, quandò motiva, quæ habet ad credendum, si in foro externo proponerentur & probarentur eodem gradu & modo, quo ipsi probantur, judex propter illa motiva ita proposita illum pronunciaret illegitimum. Quandò verò notitia illorum motivorum cum eodem gradu probationis, quo filio proponuntur, non sufficeret in foro externo ad talem declarationem, neque ad vincendam præsumptionem contrariam, & possessionem legitimitatis, idem credo omninò esse in foro interno. *Ratio est*; quia quoties forum externum non innititur præsumptioni falsæ, sed in eo constant omnia, quæ constant in foro interno, non est, cur recedamus à sententia justa fori externi, imò prudenter illam amplectimur, si ea non discordat à jure naturæ, si omnia etiam motiva in contrarium adducta non sufficiunt, ut judex amoveat filium à possessione filiationis legitimæ, quam habet. Cur eadem motiva absque ullo alio, nec magis clare probata sufficient, ut filius ipse proferat sententiam contrà se, & relinquat filiationem legitimam, quam possidet &c. Quia non est, cur eadem motiva habeant plùs vel minùs efficaciæ in uno foro ad probandum, quàm in alio, si æquè in utroque probentur; poterit ergò tunc filius consulere Advocatos doctos & prudentes per interpositam personam, & tacito suo nomine, ut sciat in conscientia, quid judex externus judicare deberet cum tali & tanta notitia motivorũ: & juxtà id, quòd in foro externo judicandum esset, poterit etiam judicare in foro interno circà obligationem credendi matri in talibus circumstantiis. Hactenùs *Lugo*. Meo judicio sapienter, & sufficienter confessario ad dirigendum pœnitentem in hoc difficillimo casu.

§. IV.

An aliquando saltem teneatur adultera manifestare suum crimen, pro iisque illegitimationem?

PErcurremus priùs in particulari casus, vel modos, in quibus certò aut probabiliter non tenetur ad id adultera, ut tandem appareant casus & circumstantiæ, in quibus tenetur.

I. Non tenetur, quando ipsa compensat.

556 QUandò scilicet mater ex suis propriis bonis, aliisve modis suprà indicatis posset, velletque compensare sufficienter omnia damna marito, filiisque legitimis de se provenientia ex suppositione adulterinæ prolis: Sic enim jam habent filii legitimi æqualiter id, quod accepit spurius, & spurius jam justè retinebit hæreditatem, etiam paternam. Quia jam non habet illam verè à patre putativo, sed à matre, quæ suis bonis facta compensatione à filiis legitimis redemit illam partem hæreditatis, & dedit eam, quasi spurio filio suo.

Nec obstat, quòd spurius natus ex coitu damnato jure communi non possit succedere patri, imò nec matri ex testamento, vel ab intestato: per hoc enim non redditur unquam incapax accipere aliquid à matre per viam donationis, ut bene observat Lug. *citat. num. 36.* revera enim tunc spurius accipit portionem hæreditatis, non tanquam à patre per modum successionis, cujus utique est incapax, sed suscipit à matre per viam donationis tanquam jam sufficienter compensatam filiis legitimis, quibus solis jure necessariò ea portio spurii debebatur. Quod notandum est valde.

II. Non tenetur, quandò præsumit id nolle alios.

557 EXcusatur, adultera à manifestando crimine, quandò prudenter credere potest, maritum id nolle, & potiùs velle pati ea damna, quam manifestari crimen suum cum infamia tanta, ac dedecore tanto: Et sanè nisi aliquid multùm gravi obstet, & damna immodica essent, facile posset præsumere ejusmodi remissionem adultera, & sic nihil manifestare marito, aut filiis legitimis: nam maritus potiùs censetur velle nesciri adulterium conjugis non solùm aliis, sed etiam sibi, ut prudenter notavit *Molina*

lina apud Lug. *num. 58.* & potiùs magna parte facultatum privari, eámque relinquere spurio, quàm rescire adulterium conjugis cum tanto suo dedecore, dolore, periculo invadendi adulterum, vel adulterã. Similiter filii saltem ingenui præsumuntur malle, & revera multi sunt, qui mallent consortem hæreditatis habere filium spurium amittendo aliquid fortunarum, quàm matrem tanta obligatione urgeri, ut propriæ matris crimen detegatur, ex quo etiam non parùm dedecoris in filios redundet, uti prudenter observant *Lugo & Tamburin. citat.* Et hinc ulteriùs infert Lugo ibidem *num. 59.* quandò mater scit, quòd si rem filiis suis manifestaret, aliquem ex ipsis esse illegitimum ex adulterio conceptum, ipsos libenter & sponte sibi invicem remissuros, & spurium, quicunque ille sit, in societatem hæreditatis recepturos in gratiam matris, & eo animo, ut etiamsi certi essent, de persona in particulari, adhuc ei remitterent, posse prudenter matrem ab eo onere se se filiis manifestandi liberare, & omninò tacere; quia tunc certum est, illos multò gratius habituros rem omninò ignorari, quàm re cognitâ debitum remittere, nam re non cognitâ, vitabunt ad minùs dolorem & dedecus illud, quod ex notitia illa habituri essent.

III. Non tenetur, quando nihil proderit.

558 QUandò manifestatio nihil proderit ad damna illa resarcienda: idque, vel quia filius non credet matri, vel licet credat, non restituet, sive quia non potest, sive quia non vult, tunc liberam esse matrem ab obligatione manifestandi se, habendámque tanquam debitricem impotentem restituere, si alia via non suppetat compensandi, docent, & supponunt communissimè DD. quia cessante fine, cessat ratio agendi propter finem, nec tenetur mater se frustra diffamare. Addit Less. *lib. 2. c. 10. dub. 7. num. 50.* non teneri matrem ad manifestandam se, si non sit moraliter certa damni avertendi, quia in dubio, de fructu manifestationis, melior est conditio possidentis suam famam. Addit insuper ipse, & Molina *disp. 102.* tum plerumque non posse adulteram absque peccato crimen suum manifestare; quia absque fructu sperato dat ansam filio peccandi contrà justitiam, si detineat hæreditatem, quandò matri credidit, vel credere tenebatur: atque etiam marito, vel consanguineis, qui excandescerent in odium adulterorum, & alia peccata tali occasione committerentur. Atque hanc communem sententiam omninò veram censet Lugo *cit. disp. 13. sect. 3. num 32.* quandò filius non credet, nec tenetur credere: Sicque manifestatio revera inutilis esset: quoties enim manifestatio mea non prodest ad proximi malum avertendum, non est ille invitus, nec curat, quòd manifestem, vel non manifestem. At verò quandò filius putatur matri crediturus, vel tales sunt circumstantiæ, ut credere teneatur, & si fortè tunc crediturus non sit, tunc teneri matrem filio manifestare veritatem, quandò aliundè non imminet periculum, infamiæ majoris, aut scandali aliorum; cum *Adrian. Paludan. Vasquez*, aliis rectè docet Lug. *ibidem num. 31.* Ratio est; quia revera tunc manifestatio non est inutilis ad compensanda illa damna, si filius credat, vel teneatur credere; etsi enim pro tunc non credat, nec restituet, posteà tamen fortè conscientiâ stimulatus mutabitur, & restituet hæreditatem: atqui mater tenetur ponere omnia media apta ad resarcienda, & non continuanda damna legitimorum filiorum, nisi aliundè sit excusatio (qualis certè non adest, quandò non subest periculum infamiæ gravioris aut scandali inter cognatos aut alios) ergò tunc tenetur mater aperire veritatem filio spurio. Vide latè *Lug. cit.* Sed nondùm habemus casum determinatum particularem, in quo mater teneatur manifestare crimen filio, cùm adsint adhuc causæ excusantes, periculum vitæ, vel infamiæ ipsius matris. Itaque.

IV. Non tenetur cum periculo vitæ.

559 COmmunissima, & verissima sententia DD. non obligat matrem ad manifestandum suum crimen cum periculo vitæ suæ, vel adulteri, vel filii spurii. Ita passim omnes & multis congestis Lugo *num. 42.* Et hoc casu maximè intelligendus Innocentius Papa suprà citat. *c. offic. de pœn. & rem. ff.* Ratio est; quia in extrema necessitate, & periculo ipsius vitæ licet cuivis non solùm non restituere, vel compensare damna illata, sed etiam accipere de bonis aliorum, quantùm opus est ad eam necessitatem sublevandam, ut suo loco dictum; quia nimirùm in extrema necessitate omnia sunt communia, & alii non possunt esse rationabiliter inviti, sibi tunc non restitui, vel res suas alteri extremè necessarias sibi auferri: ergo à fortiori in proposito non erit obligatio adulteræ se manifestandi ob compensanda damna illa cum periculo vitæ suæ, vel alterius: & revera maritus, vel filii legitimi non essent rationabiliter inviti, quòd mater cum tanto suo detrimento non restituat. Ab hac communissima doctrina excipitur unicus & rarissimus casus, quo agitur de successione in regno vel provincia, & filius spurius pro primogenito legitimè habitus successurus esset hæreticus, vel pessimis moribus imbutus, à quo Respublica, vel Ecclesia magnum detrimentum acceptura videatur; filius autem legitimus, cui successio jure debetur bonis motibus præditus Reipublicæ multùm utilis speretur, tunc enim non quidem propter restitutionem hæreditatis, & ex justitia, sed potiùs ex charitate propter damnum commune Reipublicæ avertendum, quod multò plus valet, quam vita unius privatæ personæ, teneretur se mater exponere periculo vitæ, si spes sit impediendi illa damna manifestando proprium adulterium. Quamvis ea obligatio, ut jam innui, & rectè notat Less. *cit. dub. 7. num. 54.* ex charitate

Universidad de Deusto
Biblioteca

potiùs sit, quàm ex justitia commutativa. Unde quando ea manifestatio solùm deserviret ad successionem Regni legitimo hæredi asserendam, seu non impediendam, non tenebitur manifestare se mater cum periculo vitæ, quia vita cujuslibet personæ præponderat quibuscunque bonis temporalibus, ut benè probat *Vasquez* apud Lugo citat. *num. 43. in fine*. Vides rursus hunc casum non spectare huc, sed ad materiam charitatis.

V. Non tenetur cum periculo etiam suæ infamiæ majoris.

560 ETiamsi manifestatio profutura sit ad illa damna compensanda, non tenetur tamen manifestare se adultera cum periculo gravioris suæ infamiæ, quando nimirum infamia, quam mater ex manifestatione incurret, talis ac tanta est, ut multùm præponderet detrimento, quod maritus, vel filii legitimi patiuntur ex suppositione prolis adulterinæ. Ita (contra *Adrian. Hostiens. Paludin.* alios paucos) communissima DD. quos latè citant, & sequuntur Molina *d sp. tr2. num. 10.* Lugo *citatus num. 45.* Et sumitur ex eodem *c. offic.* ubi Pontifex dicit, *non esse negandam pœnitentiam fœminæ nolenti manifestare suum crimen ob timorem mariti*: quod immeritò aliqui restringunt ad solum metum mortis; quia in eo textu nihil dicitur de timore mortis, sed in genere de metu manifestandi crimen marito. Ratio autem constat ex generali doctrina de Restitutione, & causis excusantibus ab illa: Quòd debitor, quandò non potest restituere absque longè majori suo detrimento, præsertim in bono altioris ordinis, ut est in proposito, possit licitè differre, & aliquandò etiam omninò omittere restitutionem, quandò nimirùm illud detrimentum semper occurret: ita est in proposito: ergo &c.

561 *Dices*: non licet furari ad conservandam famam, vel vitandam infamiam, si enim te aliquis vellet justè, vel injustè certò infamare, nisi des illi mille florenos, & ipse non habeas, non licet tibi eos furari ad impediendam eam infamiam: sed idem videtur esse furari, ac non restituere alienum, retentio enim injusta rei alienæ censetur eadem continuata ablatio, adeóque furtum continuatum: ergo mater ob suam infamiam vitandam non liberatur ab obligatione se manifestandi ad compensanda illa damna. *Respondetur. Neg. min.* Quia furari est contrà præceptum negativum, quod obligat semper & pro semper, nisi necessitas, vel alia gravissima causa excuset: non restituere alienum autem actu positivo est contrà præceptum affirmativum tantùm, quod non obligat pro semper, sed certis conditionibus, quando nimirùm restituere quis commodè potest absque graviori suo detrimento, præsertim in bono altioris ordinis, ut est in proposito: Ideóque longè faciliùs excusatur *non restituere*, quam *furari*. Ut benè notant *Molina* & *Lugo* citati & nos alibi suo loco.

VI. Non tenetur absolutè cum detrimento propriæ famæ.

562 ITa satis communis DD. *Scotus sup. Rich. S. Anton. Cajet. Medina, Alphons. à Castro, Covarruv. Navarr. Vasquez*, & ipse *Molina* apud *Lugo citat.* & meus Layman c. 14. Ratio communis est: quòd damna in bonis inferioris ordinis non sint restituenda cum detrimento bonorum altioris ordinis: at in proposito damna, quæ patiuntur filii legitimi, vel maritus ex suppositione prolis adulteræ sunt tantùm in bonis fortunæ; damnum autem adulteræ ex sui manifestatione esset in bono famæ, quod est altioris ordinis secundum omnes: ergò &c. Alia fundamenta mox infrà dissolvam.

563 Hic benè observandum, valdè diversa esse hæc duo, quòd pro detrimento in bono unius ordinis non sit obligatio restituendi in bonis alterius ordinis, quod verissimum est: sic enim in homicidio pro ipso damno naturalis vitæ per se incompensabili non est restituendum in pecunia, &c. juxta communissimam sententiam. Aliud longè est, quòd damnum illatum in bonis unius ordinis non debeat reparari cum detrimento in bonis alterius ordinis, quod in rigore simpliciter falsum est. Ratio disparitatis est; quia in casu primo non potest Justitia consequi suum finem scilicet æqualitatem, ut nimirum habeat læsus idem formaliter, vel æquivalenter, quod ei ablatum est, ut consideranti patet: in secundo verò casu, quando non potest restituere, nisi cum detrimento bonorum alterius etiam altioris ordinis, adhuc potest Justitia consequi suum finem, scilicet æqualitatem, quod læsus recuperet, quod ei ablatum est: ergo differentia illa bonorum per se nihil facit ad excusandam restitutionem, sed recurrendum est ad aliam regulam communem: quòd debitor non debeat restituere cum suo detrimento longè majori pro debito longè minori: quâ ratione verè locum habet excusatio *N. præ ed.* allata. Quandò ergò damnum in bono alterius etiam altioris ordinis non est evidenter majus, quàm tuum damnum ex restitutione secuturum, corruit tota vis argumenti allati à communi sententia. Sit ergo tandem

Conclusio.

Obligatur.

564 QUandocunque ergò ex una parte manifestatio profutura est ad reparanda illa damna marito & filiis legitimis, ex altera autem parte damnum infamiæ, quod adulteræ imminet ex manifestatione sui criminis, nihil vel non multùm præponderat damno filiorum legitimorum, omninò tenetur adultera aperire veritatem non obstante detrimento illo famæ suæ. Ita *Tolet. Sotus, Ledesma, Covarruv. Valentia*, aliisq; citat. Lugo *citat. Sect. 3. n. 45.* Ratio solida est, quia injustè damnificans tenetur resarcire dam-

damnum illatum, quoties sine majori suo damno proprio & detrimento potest: atqui in casu nostro adultera maximè injustè damnificat maritum, & proles legitimas, & quidem manet in continua actuali fraude, qua continuò maritum & cæteros decipit, supponendo illis pro filio legitimo prolem spuriam cum tanto illorum damno: ergò strictissimè obligatur resarcire illa damna omni modo & medio possibili, moraliter saltem, quando potest sine notabiliter graviori damno: ergò ulteriùs tenetur etiam manifestare ad eum finem suum crimen, quando ea manifestatio profutura est, & damnum infamiæ suæ non multum superat damnum mariti & filiorum legitimorum.

564 Nec obstat 1. Quòd damnum ipsius sit in bono altioris ordinis scilicet famæ & honoris. Nihil enim obstat bonum altioris ordinis in prudenti æstimatione æquiparari vel superari à bono inferioris ordinis: Sicut enim parùm auri prudenti æstimatione & adæquatur, & superatur à multo argento; ita & bonum famæ, vel honoris non ita magnum potest adæquari, vel superari à magno bono fortunæ, vel divitiarum: si ergò hoc modo adæquetur, vel superetur fama adulteræ nocentis à bonis fortunæ, quæ liberi legitimi innocentes amittunt causâ adulterij, & prolis spuriæ, non est excusanda mater ab illa obligatione restituendi, & compensandi damna illata, etiam, si ita opus & utile sit, sese manifestando præsertim soli filio spurio credituro.

Nec obstat hic 2. sæpè dictum caput *Officium*. Adulteram non teneri manifestare suum crimen, sed absolvi posse, etsi nolit manifestare ob metum mariti. Id enim intelligi debet de timore justo & recta ratione excusante ab illa obligatione, quando nimirùm timet malum longè præponderans damno aliorum.

565 Nec obstat 3. Illud Proverb. 22. *Melius est bonum nomen, quàm divitiæ multæ.* Nam inter varias explicationes illius textûs, placet plana & facilis explicatio Cardinalis de *Lugo n. 55.* Illa verba intelligi de bono nomine vero, seu vera bona fama fundata scilicet in virtute & justa vita; hæc enim verissimè præstat omnib⁹ divitiis; non autem de bono nomine falso, & ficto, fundato in hominum ignorantia & deceptione, apud quos ideò aliquis bonum nomen habet, quia vitia ejus ignorantur. Et sic est in proposito. Ad hanc enim falsam existimationem bonam adeò diligenter procurandam, & diligendam, non est verosimile sacram Scripturam tam seriò nos adhortari, cum plerumque obtineatur per hypocrisin, nec multùm conducat ad salutem animæ, nisi quatenùs evitaret scandala aliorum.

566 Ex dictis tria mihi certa sunt. 1. Obligari matrem rem filio spurio manifestare, quando non est alia via restituendi & impediendi damna illa, & verosimiliter speratur filium crediturum, vel ex Dei timore, vel ex suatu & precibus matris bonis illis cessurum aut Religionem ingrediendo, aut alio modo; nec est timor ulterioris infamiæ, quia filius apud se rem secretam servaret (ad quid deserviet rem priùs confessario revelare cum licentia eam manifestandi filio sub eodem sigillo; & rursùs eâ de re cùm matre loquendi, &c. ? His enim circumstantiis concurrentibus non est, cur ob modicam illam infamiam apud filium solum excusetur mater, & ideò eam obligationem omnes admittunt, ut fatentur Adversarii, etiam *Vasq.* apud Lug. *citat. n. 6.* Quod idem dicendum esset de obligatione manifestandi se marito jisdem circumstantiis concurrentibus: Sed certè respectu hujus rarò concurrent, & longè difficiliùs, longè majus periculum, ut ex se constat. Caveat hic confessarius, vel Parochus. 2. Idem dicendum, si adultera sit fœmina vilis, & abjectæ conditionis, ut ipsius fama prudentum judicio parvæ sit æstimationis respectu hæreditatis opulentæ, qua filius legitimus privandus esset. 3. Qualis & quantacunque sit mala adultera, si tamen fama illius, vel filii illegitimi jam antea læsa fuit, ut si jam magna suspicio concepta erat, filium ex adulterio esse genitum, tunc matrem ob infamiam non excusari ab obligatione manifestandi suum crimen, si id utile & necessarium sit ad compensanda illa damna: consentiunt ferè omnes, nominatim mei, *Molina, Lessius, Layman, Lugo citati.* Quando enim in ea re jam communiter suspecta erat, & parvi æstimabatur in eo genere, non dicitur propriè & simpliciter amittere famam, quippè quam integrè saltem non habebat. Meritò autem monet *Lugo* ibidem *n. 57.* tunc non sufficere quamlibet suspicionem, vel rumorem circà famam talis personæ, sed debere suspicionem talem esse, ut vulgò jam circà honestatem malè audiat; nam alioquin magna jactura esset ex suspicione quacunque levi, vel rumore incerto in certitudinem propriâ confessione transire. Et de his hactenùs.

CAPUT III.

DE RELIQUIS PECCATIS contrà 6. Præceptum.

DUas præcipuas species, *adulterium, & concubitum innaturalem conjugum*, jam explicatas habes præced. *c. Sect. 3. & 4.* De reliquis 6. erunt Sectiones. 1. *De fornicatione simplici.* 2. *De stupro & raptu.* 3. *De Sacrilegio carnali.* 4. *De Incestu.* 5. *De peccatis contrà naturam*, & speciatim *mollitie.* 6. *De impuditicia interna & externa.*

SECTIO. I.

De fornicatione simplici.

SUMMARIUM.

569. *Fornicatio est peccatum mortale*
570. *Ex natura sua intrinsecè,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

571. *Et indispensabiliter.*
572. *Excusabiliter tamen per ignorantiam invincibilem.*
573. *Specialia ex parte ipsius actus explicandi in confessione.*
574. *Ut si non servatur debitus modus; vel situs.*
575. *Si copula solùm inchoata, non tamen absoluta,*
576. *Licitè potest, & debet abrumpi, etiam cum effusione seminis extra.*
577. *Cum infideli est speciale peccatum contra Religionem.*
578. *Fornicatio ex parte viri an sit gravius & speciale peccatum?*
580. *Quid concubinatus?*
581. *An virgo prima vice peccans committat speciales malitias, vel indecentias?*
582. *An & qualiter deinde peccet amissam Virginitatem futuro marito celans?*
583. *Virgo, æquævis fœmina pro usu corporis licitè recipit mercedem.*
584. *Quid si Virgo fictè promittens hunc usum, prætium, vel munera accipiat?*

568 *Fornicatio* est concubitus naturalis illicitus, quorum scilicèt neuter est aliquo vinculo speciali ligatus sive homini, sive Deo: Ideóque præcisè est contrà virtutem continentiæ, seu Castitatis, & nulli alii virtuti adversatur; est ergò inter tales personas, quæ possent statim matrimonium contrahere, ideóq; proles indè nata non spuria, sed naturalis dicitur, & secutis nuptiis eo ipso legitimatur. Dicam 1. Breviter de hujus malitia, dein commodè addam, & congeram specialia in ordine ad confessionem, sed fornicationi, & aliis speciebus luxuriæ ferè communia.

§. I.
Malitia fornicationis.

569 FOrnicatio est peccatum mortale ex natura sua intrinsecè, & indispensabiliter: attamen excusabiliter per ignorantiam invincibilem. *Communis* DD. ut patebit.

I. *Est peccatum mortale.* Certum de fide *ex Clementina ad nostrum. De Hæreticis.* Et satis constat ex Scripturis Deuteron. *22. Si non est inventa in puella Virginitas, ejicient eam extrà fores patris sui, & lapidibus obruent, quoniam fecit nefas in Israël, ut fornicaretur in domo patris sui.* Et alibi. Apertissimè autè & sæpissimè inculcatur in nova Lege. *Rom. 1.* Fornicatio recensetur inter gravissima peccata Gentilium, propter quæ in reprobum sensum dati sunt. *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, &c.* Ad Ephes. 5. *Omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei.* Ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. Quoniam qui talia agunt, Regnum DEI non consequentur;* Similia habentur *Colloss. 3. Hebræor. 11. &c. Et Apocal. 21.* dicitur: *fornicatoribus pars erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.*

570 II. *Ex natura sua intrinsecè.* Fornicatio nimirùm ex natura sua, & intrinsecè mala est, adeóque ipsâ lege naturali prohibita, & non tantùm lege positiva Divina, vel humana. Ita communissima DD. contra *Durandum, Martin. à Magistris*, & novissimè *Caramuel* apud Tambur. *Lib. 7. c. 1. § 2.* Ratio communiter assignata est; quia naturalis instinctus, etiam brutis animantibus, multò magis hominibus ratione utentibus inditus dictat, opus generationis non esse exercendum extrà fœdus matrimoniale; cùm congrua prolis conceptio, nutritio, educatio necessariò exigat certi parentis curam, cohabitationémque, qui naturæ instinctus est naturalis lex, cùm versetur circà materiam gravissimam, utiq; obligabit sub mortali, ut habet communis DD. *in 4. dist. 33.* Atqui huic naturali instinctui penitùs adversatur fornicatio simplex, quâ proles exponitur manifestò periculo malæ conceptionis & educationis ob incertitudinem, vel malitiam parentis nolentis agnoscere prolem suam; indè enim ad evitandam infamiam tot horrenda remedia impediendi conceptionem vel procurandi abortum; indè infantes exponuntur cum periculo mortis vel pravæ educationis, & sæpè æternæ damnationis; eáque mala sequuntur ex natura actûs fornicationis inter solutos; esto per accidens aliquando absint, & provideatur debita educatio, tamen ipso actu fornicationis prolem tali periculo exposuerunt: ergò fornicatio ex natura suâ intrinsecè mala, ipsâ naturæ lege prohibita, & peccatum mortale est.

571 III. *Et indispensabiliter*, adeò nimirùm fornicatio intrinsecè mala est, ut nec per Divinam dispensationem licitè fieri posset. *Communis* DD. cum D. Bonavent. *in 4. dist. 33. tit. 2. p. 2.* Ratio est; quia fornicatio significat accessum viri ad fœminam non suam, seu cujus potestatem corporis non habet, quo stante repugnat clarè, licitè accedere, ideóq; nec sub omnipotentia DEI cadere potest. Quòd si autem DEUS corporum Dominus, alicujus mulieris potestatem faciat viro, tunc eo ipso accedet ad aliquo modo suam, seu cujus potestatem accepit; undè Deus non dispensavit cum Osea, ut fornicaretur, sed præcepit, ut acciperet mulierem fornicariam, & hoc ipso mandato fecit illam esse ejus uxorem, Propheta utique consentiente, vel fortè DEO ejus consensum supplente, etsi alii, & RR. communiter contrarium sentiant in materia de legibus.

572 IV. *Attamen excusabiliter per ignorantiam invincibilem.* Sicut enim in aliis nonnullis naturæ legibus & peccatis oppositis, ita etiam circà hoc præceptum non fornicandi posse dari ignorantiam invincibilem excusantem, saltem apud Barbaros, & incultos, docent DD. communiter cum *Azor. p. 2. lib. 3. c. 9.* Ratio est; quia id non admodum manifestè deducitur ex primis principiis luminis & Legis Naturalis. Certè ratio à nobis allata *N. II.* id clarè non convincit: adeò ut teste Tambur. *citat. §. 1.* in hac certissima veritate fateri cogamur, dari quidem rationem naturalem id probantem clarè & certò, eam tamen à priori nondùm clarè conceptam esse, prout etiam in aliis pluribus respondere cogimur. Veruntamen ejusmodi ignorantia invincibilis vix locum habere potest apud Christianos, nisi fortè in locis, ubi permissa sunt lupanaria publica & meretrices publicæ; posset enim tunc simplex homo nesciens distinguere inter licitum sine culpa, & permissum sine pœna tantùm, credere, quòd accedere ad tales non sit peccatum, uti experti sunt confessarii talium locorum, & testantur *Filliuc.* & Jacob Marchant. *in 6. Præcepto.*

§. II.
Specialia ex parte ipsius actûs confessionis.

573 I. QUi commisit fornicationem, vel illicitam copulam quamvis, non satis explicat dicendo: se peccâsse contrà castitatem; sed addere debet, se copulam habuisse, ut benè notat Lugo *disp. 16. de Pœnitent. Sect. 5.* Quia aliàs non explicatur malitia propria fornicationis, sed alterius speciei, quæ sine dubio diversa est à malitia quacunq; contra castitatem; Insuper quando frigidus vel Eunuchus cum aliqua peccat, debet fateri se esse talem, uti benè probat Sanchez *Lib. 9. De Matrim. disp. 19. n. 8.* Ratio; quia tunc non solùm adest malitia fornicationis, sed etiam malitia contrà naturam, scilicèt frustratio finis naturalis feminis, quod inutiliter provocatur à frigido, vel Eunucho.

574 II. Quando quis in copula non servat debitum modum & situm naturalem, sed vel stando, jacendo à latere, à tergo brutorum modo, vel viro succubo copulatur, modò servetur vas naturale, non est circumstantia necessariò explicanda in confessione, minùs interroganda à confessario, quia id est accidentale copulæ, & in conjugibus ad summum veniale est, ut suo loco diximus. Vide Sanchez *disp. 29. Sect. 16. n. 3.* Cæterum si ita faciant sive soluti, sive conjugati ex intentione, etsi erronea, ut tali modo, etsi rectè suscepto semine, tamen conceptio prolis impediatur, ea intentio utique mortalis in confessione explicanda erit.

575 III. Qui solùm incipit copulam, sed non absolvit, nec seminat, debet id ipsum explicare, quia licet tunc sit fornicatio inchoata, & in affectu, non est tamen fornicatio re ipsâ; sed est actus impudicus, & extremus impudicitiæ. Ut notat Sanchez *ait sp. 19. n. 1.* Multò magis, qui eandem copulam incipit, & excitatâ jam naturâ resilit, seménque dispergit, explicare debet, quia jam adest duplex malitia, nimirùm fornicatio inchoata & in affectu, & mollities consummata, ut per se patet. Verùm id intelligendum, quando peccans ita facit in peccato perseverans, ac voluptati consentiens: Nam aliàs

576 IV. Quicunque inchoavit fornicariam copulam, vel quamvis illicitam cum aliqua, & licitè potest absque novo peccato, & debet se retrahere, quamvis propter naturæ irritatæ impetum semen sit emittendum extrà vas naturale: imò etiam postquàm persona complex jam seminavit: ita (contrà meum Sanchez *citat. a sp. 19. n. 7.* docentem esse etiam probabile licere, imò teneri fornicantem ad prosequendam & complendam copulam, quandò fœmina jam seminavit, vel inevitabiliter seminabit.) Aversa, aliisque relatis Diana *part. 9. tract. 8. & part. 6. tract. 6. resolut. 37.* Ratio est; quia fornicans omni tempore ante completam fornicationem tenetur desistere, & eam non consummare, cùm omni tempore teneatur desistere à peccato: desistendo autem à copula, desistit à peccato, quòd semper licitum & debitum est; ergò si tunc sequatur pollutio extrà, sequetur ex opere licito, & præter intentionem, consensúmque ipsius: adeóque eo casu censetur pollutio non voluntariè causata, sed permissa tantùm ob justissimam causam desistendi à peccato cœpto fornicationis, vel similis. Nec refert, quòd altera pars seu fœmina jam seminaverit, vel certò seminabit, hoc enim non tollit obligationem desistendi à peccato, & non cosnummandi actum malum.

Cùm fornicans durante copula imaginatur sibi aliam personam, dic eodem modo, & distingue, sicut *c. præced. de conjugato.*

§. III.
Specialia ex parte complicis.

577 I. FIdelis peccans carnaliter cum persona infideli peccat speciali peccato contra Religionem, & reverentiam Sacramenti Baptismi. Ut cum aliis docent Sanchez *l. 7. disp. 5. n. 10.* Et Lugo *disp. 16. de pœnit. sect. 6.* Ratio est; quia Ecclesia, dum damnat conjugium Fidelis cum Infideli prohibet etiam quamcunq; comixtionem, cùm sit idem motivum reverentiæ nostræ Religionis, & Sacramenti Baptismi, & videtur talis conjunctio damnosa tam ipsi Fidei, quàm proli educandæ. Quamquam id negent *Azorius*, eúmque secutus Tamburin. *citat. c. 1. §. 1. n. 7.* Cæterùm quid sit dicendum de fornicatione cum virgine, cum filia confessionis, cum sponsa alterius partim patebit infra suis locis, partim patuit supra.

578 II Fornicationis peccatum ex parte viri plerumq; aggravatur speciali malitia scandali, cum scilicet is fœminam etiam corruptam, & aliàs paratam, tamen hic & nunc ad peccatum inducit. Certè & gravius, si aliàs nolentem, & invitam sollicitat precibus, promissis, blanditiis, donis, &c. persuadet, eáque in confessione explicanda est malitia, juxta communem doctrinam in materia de scandalo cum Sanchez *lib. 1. moral. c. 6. n. 14.* Etsi rursùs probabiliter negent *Vasq. Joan. Sanchez* & Lug. *citat. disp. 10. sect. 3. n. 141.* Eò quòd eadem sit malitia cooperationis ad peccatum, etsi gravior sit, quàm si cum volente peccet. Quòd si tamen quis sollicitavit, sed dein ad opus processum non est, vel certè multo tempore postea, utiq; debebit confiteri; quippe peccatum sollicitationis est distinctum ab ipso opere, ut omnes fatentur: at ita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtatim ſecuto opere, in idem peccatum coaleſcit. Eademque ratione qui ſe periculo ejusmodi peccati expoſuit v. g. ingrediendo domum ſuſpectam, & comperti periculi, & eâ vice non peccavit, ſed longè poſteà, tenebitur confiteri; non item ſi eadem vice ſtatim peccavit: quando enim hæc duo exponere ſe periculo, & actu peccare ſimul concurrunt, coaleſcunt in unum numero peccatum: ſecùs ſi notabilis mora, vel contraria intentio revocans interceſſerit, ut habet communis doctrina in materia de peccatis. Denique de his, qui fœminam vi, vel metu cogunt ad peccatum, aut fraude, vel dolo deceptam inducunt videbimus. *Sect. ſeq.*

579 III. Qui committit v. g. tria peccata fornicationis, vel alterius ſpeciei, cum tribus fœminis ejusdem rationis, non tenetur in confeſſione dicere, fuiſſe tres fœminas, ſed ſatis eſt dicere: ter fornicatus ſum, &c uti cum *Bonacina* & aliis docet Tamburin. *citat. c. 1 §. 1. n. 3* Ratio eſt; quia eadem eſt malitia, ſive cum tribus, ſive ter cum eadem fœmina forniceris, quantum eſt ex hoc capite peccati fornicationis; nam ratione ſcandali, ſi tres fœminas, ſaltem alioquin nolentes & invitas ſolicitando in peccatum induxiſti, in communi & noſtrâ ſententiâ omninò numerum perſonarum, utpote multiplicantem malitias, explicare teneberis, ſicut & econtra teneberis fateri, te cum eâdem fœminâ toties peccâſſe, ſi cum illa perſona ſis in occaſione proxima, aut ad eum finem confeſſarius te interroget, ut occaſio proxima tollatur, quæ ex illa frequentia cum eadem perſona timeri poteſt: & maximè hoc verum eſt de concubinario, de quo breviter annoto.

580 IV. Concubinatus eſt concubitus frequentatus viri cum fœmina ſoluta, quam velut uxorem domi retinet, vel alibi ad eum uſum conſuetudinariùm aſſervat, ita ut ad eam conſuetudinariè, ut libet, accedat, vel accedatur; & ſi quidem vir ſit ſolutus, ipſe quoque erit concubinatus ſimplex; ſi ligatus erit concubinatus adulterinus; ſi Clericus, erit concubinatus ſacrilegus. Malitia aggravans peccatum concubinatûs eſt perſeverantia voluntatis in peccato, quòd nimirùm concubinarius non tantum peccet peccato fornicationis toties quoties, ſed etiam in continuo ſaltem virtuali aut habituali propoſito peccandi perſeveret. Unde concubinarius abſolvi non poteſt, niſi è domo ejiciat concubinam, aut ſi alibi habitet, firmiter proponat, ad eam amplius non accedere, additâ experientiâ per aliquantum temporis, juxta prudentis confeſſarii arbitrium. In hos concubinarios Concilium Trident. *ſeſſ. 25. c. 14.* decernit ſententiam excommunicationis poſt trinam admonitionem ab Epiſcopo ferendam; & ſi Clericus ſit, ſuſpenſioni ſubjacet, attamen poſt ſententiam Judicis Eccleſiaſtici. Vide Tolet. *Lib. 1. c. 46.* Et Clavem regiam *lib. 8. c. 7.*

§. IV.

Specialia ex parte virginis.

581 I. PLacet reſolutio generalis. Virgo, ſeu mas, ſeu fœmina prima vice fornicando virginitatem perdens, non peccat peccato ſpeciali diverſo à ſimplici fornicatione; quare ſufficiet poſteà confiteri ſe fornicatum eſſe, nec tenebitur explicare circumſtantiam virginitatis perditæ, nec conſequenter ea circumſtantia à confeſſariis examinanda eſt. Ita univerſaliter cum aliis Tamburin. *lib. 7. Decalog. c. 1. §. 1. n. 5.* Ratio ſufficiens eſt; quia non apparet, unde hoc eſſet peccatum ſpeciale, non enim continet ſpecialem malitiam in genere luxuriæ ex hoc capite, ut manifeſtum eſt: nec continet aliam ſpeciem peccati contra juſtitiam, vel aliam virtutem per ſe loquendo: quod ex parte viri clarum, & omnes fatentur. Ex parte virginis autem primò fornicantis verum quidem eſt, eam committere ſpeciales indecentias; utpote. 1. Amittit integritatem carnis, violando ſignaculum virginitatis, quod cenſetur inæſtimabilis pretii. 2. Hoc ipſo minùs aptam ſe reddit ad honeſtum ſibique & ſuo ſtatui competens matrimonium, atque etiam ad ſtatum religioſum. 3. Peccat contra pietatem parentum conſentiendo in ſtuprum cum eorum & familiæ dedecore, & aliquali injuria, cùm clauſtrum virginitatis ſuæ ſpeciali curæ parentum commiſſum vendere cenſeatur (propter hæc communis ſententia DD. apud Filliuc. *tract. 30. c. 3. q. 7.* docet virginem, non autem virum primò peccantem committere peccatum ſpeciale in confeſſione explicandum, ſanè, ut vides, probabiliter) atqui primum & ſecundum nihil ſpecialis peccati inducit, cùm virgo habeat jus, & libertatem in corpus & membra ſua, ut eo vel nunquam uti poſſit ad carnalem generationem, veluti prout ipſi placet. Tertium verum eſt, ſed omninò per accidens, & non niſi in publica violatione virginitatis locum habet; ergo per ſe loquendo etiam virgo primò fornicando non committit ſpeciale peccatum in confeſſione explicandum, & conſequenter multò minus ſolùm conſentiendo actu interno in peccatum. Conſequenter ulterius idem dicendum de quovis alio primo peccato luxuriæ ſive contra caſtitatem virginis, viri, vel fœminæ, ut ſi morosè delectetur, ſe polluat, peccet contra naturam, &c. ſolum ſimplex peccatum eritmollitiei, ſodomiæ, &c.

582 II. Cùm virgo ſemel violata minùs aptam ſe reddat ad matrimonium ſibi aliàs competens: peccatne puella ſignaculo virginitatis occultè violato, ſi medicamentis, glutine piſcis, aliſve mediis utatur, ut defectum iſtum celet, atq; ita ut virgo matrimonio collocetur. *Reſpondetur.* 1. Si probabiliter credatur, quòd maritus futurus nunquam hoc vitium cognoſcat, tunc nec ipſa, nec parentes ad id cooperantes peccabunt. Uti cum *Navarro* & aliis docet Sanch. *de matrim.*

trim. diſp. 27 n. 8. Bonacina, aliique citati cum Tamburino *cit. l. 7. c. 5. §. 2. n. 5. Ratio eſt*; quia ſic nullum infertur marito damnum; ſed neque puella illa mentitur, non enim ita agit animo ſimulandi falſum, & virum decipiendi; ſed ſolùm animo diſſimulandi verum, quod ob cauſam ſæpè licet, & occultandi ſuum vitium, quod manifeſtare non tenetur, nec poteſt ſine ſui diffamatione. 2. Quòdſi verò credat fore, ut vitium ſuum in mariti notitiam veniat, qui id egerrimè ferret, ſanè peccabit graviter contrà charitatem, ſic enim præbet occaſionem innumeris malis, præſertim magnæ averſionis, & diſcordiæ inter ipſam & maritum toto fere vitæ tempore. Attamen neque tunc 3. peccabit contra juſtitiam; quia non ſolent conjugandi vitia ſua occulta manifeſtare: & ſicut maritus ſua occulta non manifeſtat, ita nec ſua manifeſtare tenetur uxor, eſſetque nimis grave & intolerabile obligare puellam, vel ad ſe infamandum, vel ad omninò abſtinendum à nuptiis, vel ad nubendum homini inferioris, & infimæ ſortis: alia eſt ratio de venditione, in qua vendens tenetur manifeſtare vitium mercis, quia in eo contractu ita conſuetudo obtinet, non ita in contractu matrimonii.

583 III. Virgo, & quævis fœmina etiam corrupta, etiam meretrix qualiter licitè poſſit pro uſu corporis ſui exigere, recipere, retinere mercedem, ex profeſſo dictum eſt in ſeptimo Præcepto *p. 5. Decal. c. 5. an. 134.* ubi *de acceptis ob turpem cauſam.*

Accipe hîc compendio. 1. Ante patratum ſtuprum vel peccatum debet virgo reſcindere contractum, quippe de actu illicito, & conſequenter pretium jam acceptum reſtituere, cùm ipſa promiſſis ſtare nequeat. 2. At verò poſt patratum jam ſtuprum poteſt licitè & juſtè exigere, ac retinere in conſcientia; non enim eſt pretium pro peccato formaliter, ſed pro uſu corporis ſui materialiter, quatenùs alteri bonus, uſilis, ac delectabilis, ac conſequenter pretio æſtimabilis eſt. 3. Virgo pro primo uſu ſui corporis, imò & quælibet fœmina honeſta poteſt petere & accipere pretium, quantum ipſi placet, quia in his rebus, quæ pretio ſtatuto carent, nec ſunt neceſſitati communi neceſſaria, tanti res poteſt vendi, quanti eam æſtimat venditor: at virgo, vel puella honeſta poteſt ſanè plurimi ſuam virginitatem, vel honeſtatem amittendam æſtimare: unde tales metu, vel dolo ſeductæ, etiam ex hoc ſolo capite juſtè exigunt matrimonium ipſum à ſtupratore juxta mox dicenda. At verò meretrix non poteſt juſtè petere, vel accipere, niſi quantum plùs minùs ſolet ipſa à cæteris conquirere. Uti cum Lug. & alijs docet Tambur. *cit. c. 5. §. 3. n. 25.* Quem vide

584 IV. At quid ſi virgo fictè permittat copulam, ſeu uſum corporis, aut ſaltem ſpem potiundi faciat amaſio, & ſic pretium, vel munera accipiat? praxi valdè communi, & vocant vulgò: *procos ducere in funefatuo.* Reſpondetur. 1. Si ex pacto futuræ copulæ, quam procus paciſcitur, & illa ſeu fictè, ſeu vere promiſit, nec recipere, nec retinere poteſt, ſed omninò reſtituere tenetur reſciſſo pacto, ut modò dictum fuit. 2. Quòd ſi verò ſecluſo pacto ex ſola liberali donatione proci accepit, & ei certè moraliter conſtat de prava & libidinoſa proci intentione, adhuc peccat mortaliter virgo, vel puella ejusmodi munera accipiendo, regulariter loquendo, quia ſic fovet impurum ejus amorem, deſiderium, & ſpem copulæ aliquando obtinendæ: & quamvis dicat puella, ſe quidem accipere, ſed nolle conſentire in aliquid turpe, adhuc tamen alter dans ſemper putabit admiſſo munere à puella, eam facilius expugnari poſſe, ſicque impugnare perget, adeóque adhuc peccabit ſcandali peccato. Quòd ſi tamen in raro caſu id non eſſet; ſicut etiam, ſi puellæ non conſtaret de libidinoſa affectione donantis, tunc utique licitè reciperet. 3. Attamen eo caſu munera ſic liberaliter donata à proco, & quamvis illicitè accepta à puella, non tenebitur hæc reſtituere, ſed retinere poterit, ut poſt alios benè cenſet Tamburin *citat. n. 53.* Ratio eſt; quia recipiendo non peccabit contrà juſtitiam, jam enim liberaliter ea dedit amaſius, ſciens, puellam ea non acceptâſſe cum pacto copulæ ut ſupponimus, quantumvis eam ſperabat; quarè ſi ſua ſpe fruſtratur amaſius, ſibi ſuæque imprudenti credulitati imputet; ſicut quando quis gratis ſervit, munera dat, vel largitur Principi &c. intentione ac ſpe acquirendi, vel obtinendi beneficium, ac officium pingue, & poſteà ſpe fruſtratur, Principem vel Epiſcopum nullo jure ad reſtitutionem coget, ſed ſuam inanem ſpem meritò deplorabit.

Ex dictis ordinis gratiâ conſultò præmiſſis jam patet, quid ſit dicendum de ſtupro velut paſſivo ex parte virginis ſponte conſentientis, eſſe nimirùm per ſe ſolùm peccatum ſimplicis fornicationis ex dictis N. I. Nunc de ipſo ſtupro velut activo ex parte ſtupratoris, ejusque malitia, & obligatione reſtitutionis pluſculis agendum erit.

SECTIO II.

De ſtupro & Raptu.

SUMMARIUM.

585. *Stuprum quid?*
586. *Ejus malitia duplex cum onere reſtitutionis.*
587. *Si fiat cum virgine invita.*
588. *Imò probabiliter etiam ſi fiat cum virgine conſentiente.*
589. *Probabilius tamen cum tali eſt ſolùm ſimplex fornicatio.*
590. *Ad nullam reſtitutionem obligans per ſe loquendo.*
591. *Etiam in dubio, an Virgo conſenſerit, nec ne.*
592. *Aut ſi nullum aliud damnum paſſa ſit.*
593. *Vel non amplius fuit Virgo.*
594. *Stuprator virginis invitæ ſine promiſſione matrimonii, tenetur illam ducere vel dotare.*
598. *Deflorator Virginis cum promiſſione matrimonii ſeu verâ*
597. *Seu fictâ, tenetur eam ducere.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

600. (*Nisi accedat alia justa causa excusans.*)
601. *Non obstante voto castitatis.*
602. *Quæ sint causæ excusantes?*
603. *Raptus quid?*
604. *Culpa & pœnæ raptoris.*
605. *Specialia quoad fœminam raptam, vel vi oppressam.*

585 STuprum propriè dictum *est concubitus viri cum virgine invita seu non consentiente:* strictissimè hic quandoque accipitur pro concubitu viri cum virgine per vim coacta & compressa tantùm. Latiùs, & satis usitatè accipitur pro concubitu viri cum virgine quacunque, quo ejus virginitas violatur, sive ea consentiat, sive non. Latissimè autem etiam in Sacra Scriptura & Jure quandoque accipitur pro quavis specie luxuriæ, seu quovis concubitu sive naturali, sive innaturali, ac contra naturam facto cum virgine, fœmina, vel masculo. De hoc ultimo hic non est nobis sermo, sed de stupro primo & secundo modo accepto.

§. I.

Stupri malitia.

586 I. STuprum propriè dictum scilicet defloratio virginis invitæ, seu non liberè consentientis, ac contrà suam liberam voluntatem, præter peccatum mortale fornicationis, est peccatum contrà justitiam gravissimæ, scilicet injuriæ illatæ virgini & ejus parentibus, ideóque necessariò in confessione explicandum, & inducens obligationem compensandi omnia damna virgini inde consequentia, juxtà modos infra assignandos. *Est omnium* extrà controversiam; Et ratio manifesta est: omnis enim per injuriam damnum inferens alteri peccat contra justitiam: atqui cùm virginitas, seu integritas clausùri virginalis sit donum quoddam sumi pretii & æstimationis apud homines, tum in se, tum in ordine ad status in Ecclesia suscipiendos, scilicet aut matrimonii, aut Religionis, gravissimum sanè infert virgini injuriam, ac damnum, qui invitam, seu non liberè consentientem stuprando contra ejus voluntatem liberam, clausùrum, seu integritatem virginalem violat, & eripit: ergò contrà justitiam graviter delinquens restitutioni obnoxius manet.

587 II. Censetur virgo autem invita, non liberè consentiens, ac contrà suam liberam voluntatem stuprari. 1. Maximè, quando vi, vel violentia physicâ coacta, oppressa, vel subacta est. 2. Quandò metu gravi in constantem puellam cadente v. g. mortis, infamiæ, atrocium verberum, vel alterius gravis damni ad stuprum adacta est. 3. Quandò etiam metu reverentiali adigitur, aut per conjunctam minis precum importunitatem, cui puella non facilè resistat (nam solas preces importunas, seclusis minis, vel metu reverentiali, non sufficere, contrà aliquos apud Dianam *part. 2. tract. 16. resolut. 48.* non dissentientem, veriùs docent Vasquez, & alii cum Tamburin. *c. 5. §. 3. num. 26.*) 4. Quandò dolo ac fraudibus seducta est, ut promissionibus fictis & fraudulentis matrimonii, magnæ dotis, vel remunerationis, promotionis ad aliud pingue matrimonium. Cæterùm his causis invitam puellam reddentibus seclusis.

588 III. Etiam stuprum latè sumptum seu defloration virginis consentientis, ac liberè volentis esse peccatum speciale in confessione explicandum à stupratore cum aliqua obligatione restitutionis: docet ferè communior DD. præsertim antiquorum D. *Thomas, S. Antonin. Cajetan. Navarr. Sylvester, Armilla, Azor. Filliuc.* suprà citatus, & sanè probabiliter, rem æstimando moraliter: nam communis ferè omnium est persuasio, eum, qui virginem etsi consentientem, tamen inducit ad stuprum, ultrà fornicationem communem simplicem, committere specialem deformitatem, & aliquam inferre injuriam, & ipsi puellæ, quam inducendo, etsi non invitam privat magno bono integritatis corporis, & multò magis parentibus, vel tutoribus, sub quorum cura vel custodia virgo constituta erat, si contrà eorum voluntatem & diligentiam virginem defloravit; saltem hæc erit circumstantia aggravans, quæ à confessario meritò expendi debeat. Quare sicut in foro externo defloror virginis etiamsi volentis cogitur à Judice eam dotare, lege sic statuente ob bonum commune, ut notat Less. *lib. 2. c. 7. num. 44.* aut saltem solet condemnari ad pœnam, seu mulctam parentibus stupratæ solvendam; ita in foro conscientiæ confessarius pœnitentem stupratorem ad ejusmodi pœnam per modum pœnitentiæ, saltem si crimen aliis notum sit, obligare meritò poterit, ut notat *Layman* mox citandus. Tamen.

589 IV. Probabilius & verius est, stuprum, seu defborationem virginis consentientis, non esse peccatum speciale distinctum à fornicatione simplici, consequenter nec explicandum in confessione, neque per se ullam parere obligationem restitutionis in foro conscientiæ. Ita cum Scoto *in 4. dist. 18. q. 2.* communis RR. Petrus *Navar. Suar. Vasq.* aliis citatis *Less.* citat. Sanchez *lib. 7. Matrim. disp. 14.* Laym. *lib. 3. part. 3. c. 13.* Tamburin. *citat. c. 5. §. 3. num. 5.* Ratio est eadem, quæ suprà data de virgine in stuprum consentiente: non enim hoc est speciale peccatum contra castitatem, quia supponimus concubitum fieri modo naturali intrà vas debitum: neque est peccatum speciale contrà justitiam: non enim infertur injuria ipsi virgini stupratæ sic volenti, & liberè consentienti in stuprum, & consequenter in quodcunque damnum consequens, juxtà notissimum illud: *Volenti non fit injuria*; ergò ut dicitur. *L. 2. ff.* De injur. *Nulla est injuria, quæ in volentem fiat:* neque tamen infertur injuria parentibus virginis, quia hæc sui corporis quoad hoc domina est, ut possit eo vel nunquam uti, aut uti legitimè, aut etiam illegitimè abuti absque ulla injuria cujusvis alterius: ergo &c. Restat ergò nunc explicanda obligatio restitutionis ex stupro.

§. II.

Stuprator Virginis consentientis.

590 I. HIc ad nullam in conscientia, per se loquendo, restitutionem obligatur, neque ipsi puellæ, neque ejus parentibus faciendam, multò minus puellam stupratam ducere obligatur. Hæc jam probata est *n. præced.* quia scilicèt tunc stuprator non peccavit contrà justitiam, cujus solius justitiæ violatio inducit obligationem restitutionis in conscientia. Sed *dico 1. in conscientia:* nam in foro externo ob bonum commune, & impedienda stupra puellarum naturâ suâ facilè inducibilium, Lege ita statuente, defborator virginis etiam consentientis à judice cogitur illam dotare, aut mulctam parentibus solvere, ut paulò suprà notatum est. *2. Dico per se loquendo;* per accidens enim defborator virginis etiam consentientis potest fieri injuriosus & restitutioni obnoxius; ut si domui paternæ vim intulit, si crimen cum puella consentiente occultè commissum ipse stuprator promulgavit, non sine infamia & damno ipsius puellæ ac parentum, utique tenebitur damnum indè secutum compensare puellæ, & ejus parentibus; modis infrà assignandis. Item si tali modo sollicitaret consensum puellæ, quo facilè credatur communiter, eam consensum præbuisse; ut si noctu per fenestram in ejus cubiculum irrepas aliis videntibus &c. vide Tambur. *citat. num. 6.*

591 II. Quandò dubium est, an virgo, vel puella sponte consenserit, an verò stuprator vi, metu, vel fraude adegerit, nec ne, ad nihil is obligabitur, juxtà communem DD. *Ratio:* quia in eo dubio possidet certa libertas stupratoris, cùm debitum sit incertum: & specialiter, *delictum in dubio non præsumitur, sed demonstrari debet. Et: nemo præsumitur delictum fraudis commisisse. L. 3. ff. de dubiis.* Econtrà verò quando certum est, stuprator em vi, vel fraude, aut promissione matrimonii vel dotis puellam aliàs invitam ad stuprum adegisse, sed dubitatur, an ipsa fuerit virgo inventa, nec ne, omninò judicandum est fuisse virginem, & puellæ id asserenti fides adhibenda erit, & consequenter ducenda, vel dotanda à defloratore, aut aliter ei damnum compensandum, juxtà infrà dicenda. Ita cum aliis Lugo *citatus disp. 12. sect. 1. n. 3.* Ratio; quia in dubio illud possidet, quod priùs est; atqui prior est virginitas, quippè qualitas naturalis, quàm non virginitas: ergò illa possidet in dubio, nec ejus possessio vinci potest, nisi ex aliis potentioribus conjecturis contrà illam colligatur præsumptio, qualis esset, si ipsa habitasset in prostibulo, vel illud frequentâsse dicatur.

592 III. Cæterùm universaliter hìc supponendum est, quadò virgo per illatum stuprum quomodocunque etiam per vim, metum, fraudem, vel dolum, nullum aliud damnum passa est, ad nihil, seu nullam restitutionem obligari stupratorem in conscientia antè judicis sententiam: utpotè si defborata crimine omninò manente occulto, æquè honestum ac utile matrimonium consecuta est, vel consequi certò possit. Communis DD. *Navarr.* uterque. *Corduba, Vasq.* alii cum *Less. Layman, Lugo* citt. *Ratio est;* quia pro injuria sola seclusò omni damno nulla debetur restitutio, sed tantùm satisfactio per sententiam judicis: atqui in proposito puella defborata nullum damnum compensabile passa supponitur præter violationem clausùri virginei, quod est damnum irreparabile, & altioris ordinis, neque ullâ pecuniâ vel pretio æstimari, ac compensari potest, adeò, ut quandò à judice stupratori inditur pecuniaria pœna puellæ vel ejus parentibus pro eo damno applicanda, procedatur potius per viam justitiæ vindicativæ in satisfactionem injuriæ, quàm commutativæ in compensationem damni.

Quòd si tamen puella defborata ob periculum deinceps non benè nubendi aliquid accepit à defloratore, quamvis illa deindè optimè nupserit, poterit in conscientia illud acceptum retinere: quia periculum illud non benè nubendi pretio fuit æstimabile.

593 IV. Et hinc, quando quis etiam vi, vel metu, aut dolo cognovit puellam putatam virginem, quam tamen certè non comperit esse virginem, & copula occulta mansit, ad nullam ei obligationem sive restitutionem obligabitur. Uti cum aliis rectè docet Lugo *disp. 12. sect. 1. n. 15.* Ratio; quia ex una parte clausùrum virginale non ipse, sed alius abrupit, & ex altera parte nullum novum damnum huc spectans evenire puellæ potest ex illa alia copula occulta manente. At si per stupratoris culpam patefacta est violatio, unde difficultas major exorta ad nuptias, utique restitutio debebitur: ut cum *Vasq.* & aliis docet rectè *Lugo* ibidem. His ita suppositis & sepositis.

§. III.

Stuprator virginis invitæ, metu, vel fraude, sine ulla promissione matrimonii.

594 HIc tenetur sub disjunctione vel puellam in uxorem ducere, si ipsa & ipse velit; aut si ipsa, vel ipse nolit, aliter damnum sufficienter compensare, utpotè sufficientem dotem, vel pecuniam præbendo, vel aliter procurando, ut æquè bonas nuptias sortiri possit, ac si non corrupta, sed intacta fuisset; quare si malit defborator puellam tali modo dotare, vel compensare, non tenetur eam ducere, ante judicis sententiam, quantumvis puella vel ejus parentes cupiant, petant, & urgeant. Ita *Molina, Vasquez*, aliisque citatis Less. *lib. 2. c. 10. dub. 2.* Layman. *citat. c. 13. n. 2.* Tambur. *c. 5. §. 3. num. 20.* Contra *Azor*, & alios quosdam. Ratio est; quia in alternativis debitis debitoris est electio: atqui stuprator seclusâ omni promissione matrimonii non tenetur absolutè & determinate ad ducendam puellam, cùm matrimonium debeat

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse liberum, sed solùm indefinitè tenetur ad compensandum damnum illatum, adeóque disjunctivè, vel alternativè, ut vel ipse eam ducat, aut sufficienter dotet, vel aliter ad æquè bonas nuptias promoveat: ergò ipsius debet esse electio modi compensandi, non virginis, vel ejus parentum. Unde neque in externo foro cogi solet stuprator ad matrimonium, si illud non promisit, sed aliter compensare possit, ac velit. Quòd si ergo puella violata dotem vel aliam compensationem respuat, sibi ipsi imputare debet.

595 II. At quid si stuprator pecuniâ, vel aliâ viâ careat, quâ damnum vitiatæ virgini compenset. obligatúrne tunc saltem eam ducere, adeóque invitus? *Respondet* rectè *Lugo* citat. si non est magnus excessus & inæqualitas inter ipsum & ipsam, omninò obligabitur: quia justitia urget omnibus viis moraliter possibilibus compensare damnum: at hìc est via moraliter possibilis: ergo &c. At verò si magnus sit excessus, & inæqualitas, aut illud grave quid occurrat, quæ alias solent sponsalia dirimere, non obligabitur defloratorem eam ducere, sed solùm tenebitur alias vias compensandi quærere, si spes sit illas inveniendi. Ratio est: quia nec in aliis debitis obligat solutio, quando longè plùs expendere opus est, quàm sit valor ipsius debiti; prout est in proposito.

596 III. At quid si deflorator omninò depereat, & petat ducere puellam defloratam, sed ipsa nolit, aut parentes, aut omninò contradicant, prout non rarò contingere solet. *Respondetur* adhuc puellæ dote vel pecuniâ damnum compensandum esse. Communis apud citatos. Ratio est: nam quia ex una parte virgo invita vitiata non debet sine debita compensatione remanere: ex altera autem parte non potest ipsa cogi ad matrimonium, quod omnes Canones clamant, debere esse omninò liberum. Accedit iniquissimum fore, eam puellam, quæ passa est injuriam stupri, obligari ad subeundam aliam injuriam majorem involuntarii, seu inviti matrimonii. Deniq; stuprator invitus tenetur reddere, quod abstulit: sed abstulit libertatem dignè nubendi; ergò hanc debet reddere: adeóque necessariò vel ducere, vel si nolit, aliter dotare.

597 IV. Quid si procus solùm violenter oscula-
tus, vel violenter, vel invitam tetigit puellam cum ejus infamia & nocumento simili, ad quid obligatur? *Respondetur*, debere resarcire quantitatem damni; undè si sufficienter refecit damnum dando modicam pecuniam suprá dotem puellæ antè habitam, non tenetur eam integrè dotare, multò minùs ducere, nam propterea si defloratam etiam vi, deflorator ducere velit, eáque consentiat, satis jam injuriam reficiet, nec erit pecunia superaddenda. Quod verò ex Exodi 22. refertur c. 1. de adulter. *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormierit q; cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem*, lex antiqua & pœnalis est, neq; obligans antè judicis sententiam, teste etiam Navar. *c. 16. num. 16.* Nos autem hactenus in foro conscientiæ locuti sumus. Quid in his agendum in dubio, vel quandò virgo deflorata indè nullum damnum passa est, consultò jam præmisimus §. *præced.*

§. IV.

Deflorator virginis cum promissione matrimonii seu verâ, seu fictâ.

598 I. QUi defloravit virginem persuasam verâ & seriâ matrimonii promissione, multò magis si etiam juratâ, sine dubio in utroque foro obligatur eam ducere, cum ea matrimonium celebrando, & consummando, nisi legitima intercedat excusatio. Certum apud omnes. *Ratio:* quia tunc fit contractus onerosus, facio ut facias, in hunc modum: promitto conjugium, si des usum corporis: ergò si illa hac promissione acceptatâ usum corporis concessit, tu omninò conjugium perfectum exequi obligaberis, neque tunc poteris uti privilegio primi bimestris, ac deliberare de Religione ingredienda, nec eam ingredi (etiamsi vovisses, de quo inferiùs) sed debebis, eâ petente, matrimonium consummare, juxta communissimam DD. Mei omnes contrà *Basil. Pont.* Quia regulariter promissio matrimonii hoc importat; ad quid enim utilis esset conjugi consensus de præsenti, seu matrimonium ratum tantùm, si ea deinde relinquenda esset. *Dico* tamè *regulariter*, quòd si enim in raro casu per solum matrimonium ratum, & non consummatum totum damnum puellæ violatæ resarciretur, tunc utique locum habet sententia Pontii, & aliorum apud Dian. *part. 3. tract. 4. resolut. 203.* Et Lug. *disp. 11. Sect. 3. n. 49.* sufficere nimirùm tunc matrimonium ratum tantùm; imò tunc deflorator, si Religionem vovit, teneretur non consummare, sed votum implere, & Religionem ingredi; sed casus iste erit rarissimus. Denique consentiunt DD. apud Lugo *n. 32.* Etiamsi vir virgini defloranda seriò promittens matrimonium sit altioris dignitatis, vel statûs, adhuc eam debere ducere non obstante illo excessu: quia tunc ratione veræ promissionis debitus est etiam ille excessus, nisi accederet alia causa excusans ex infrà enumerandis. Secus mox dicemus in promissione ficta matrimonii.

599 II. Qui virginem stupravit etiam fictè promittens matrimonium sine intentione se obligandi, ac implendi promissum, tenetur eam ducere in conscientia, etiamsi nulla adsit promissionis probatio. (Etsi tunc non in foro externo.) Communissima cum D. Th. *in 4. dist. 48. a. 2. ad 4.* Sanchez *lib. 1. matrim disp. 10.* alii passim. Ratio est; quia (præter certissimam obligationem ex delicto damni injustè illati, quod aliter compensari non possit) adhuc subsistit contractus onerosus innominatus ille; virgo enim promissione fictâ pro vera acceptatâ conditionem suam implevit, & stuprator illam con-

conditionem, seu usum corporis acceptando, ipso facto de novo censetur consentire in futurum matrimonium, quantumvis ante ficte promiserit: ergò obligatur ad eam ducendam in conscientia, & ad hoc ipso modo overtenda damna puellæ ex admisso stupro secuta; nec sufficit compensare dote, vel aliâ viâ æquivalenti, quia promissio personalis fuit de danda sua persona: ergò in ipsam personam puella jus acquisivit, & consequenter injuria fieret puellæ, si non ipsa persona, sed aliud, etsi damno æquivalens daretur. Sicut si tibi jus est in hunc numero equum, non sit justa compensatio in pecunia, vel alio æquivalenti.

600 *Excipe* rursùs, nisi accedat alia justa causa excusans, ex infrà enumerandis: Et specialiter hìc excusat, quandò fœmina se ipsam decepit sciens scilicet, & advertens promissionem esse fictitiam; ut si tantus excessus dignitatis sit inter stuprato rem & fœminam, ut hæc facilè potuisset dignoscere fictionem illam. Item si scivit esse impedimentum dirimens inter ipsos non facilè dispensandum. Item si vir stuprator iis verbis ambiguis utatur, ut facilè appareat illum fingere & velle decipere, ut notant DD. citati omnes, tunc enim missella volens decepta sibi ipsi damnum imputare debet. Insuper etiam, quando fœmina ignoravit illum excessum viri fictè promittentis, non erit is obligandus præcisè ad eam ducendam, sed tantùm ad resarciendum damnum per æquivalens: uti cum aliis docens *Sanchez & Lugo cit.* Tambur. *c. 5. §. 3. n. 47.* Ratio est, quia ex una parte non obligatur is ex vi promissionis, quia ficta & nulla fuit: & ex alia parte, si fœmina excessum illum dignitatis non cognovit, non consensit in copulam viro sub ratione tantæ dignitatis: ergo non potest matrimonium tam dignum exigere pro copula, semper enim haberet plus, quam ei deberetur: sufficit ergò si ei alio modo damnum compensetur.

601 III. Deflorator virginis seu vera seu fictâ promissione matrimonii deceptæ tenetur eam ducere, non obstante voto castitatis sive post, sive ante illam promissionem emisso, juxtà communem DD. apud cit. Lugo (nec audiendus *Diana* de voto priùs emisso oppositum probabile censens *part. 5. tract. 14. resol. 33.*) Ratio est; quia obligatio voti est ex sola gratuita promissione, & virtute Religionis tantùm; obligatio autem promissi matrimonij virgini defloratæ (imò etiam viduæ honestæ & bonæ famæ) servari debet ex Justitia, eáque duplici, & ex contractu oneroso, ut dictum, & ex delicto injustæ damnificationis: atqui ordine Justitiæ debita onerosa, & debita ex delicto præferenda sunt debitis ex promissione gratuita tantùm, etiam ipsi DEO, vel Ecclesiæ factæ, in communissima omnium Sententia: ergò, &c. Sicut si centum florenos v. g. promittas Ecclesiæ, & centum aureos debeas alteri ex contractu, vel delicto antè, vel postèa facto, priùs debes reddere debitum ex contractu, vel delicto, quàm solvere votum Ecclesiæ; ita dic in nostro casu proposito. Nec excusabitur semper tunc matrimonio deflorator ex eo, quòd suum votum fuerit cognitum fœminæ, quia potuit illa credere, illud votum, ut fieri solet, fore dispensandum, quamquàm in nostro casu nulla opus est dispensatione illius voti Castitatis ad contrahendum matrimonium, & debitum reddendum (jam enim audivisti non esse obligationem servandi hæc vota in concurrentia dictæ promissionis matrimonij, idque in favorem virginis violatæ) sed solùm ad hoc, ut vir possit petere debitum, & post mortem uxoris aliam ducere.

602 IV. Causæ porrò excusantes, ut deflorator non teneatur ducere puellam defloratam, seu verâ, seu fictâ promissione matrimonij inductam, vel deceptam sunt sequentes.

I. Si superveniat impedimentum dirimens indispensabile: Ut si deflorator posteà aliam duxit uxorem, si Religionem professus est: nam ad impossibile nemo tenetur. Si verò supervenit impedimentum dirimens dispensabile v. g. affinitas ex alia copula cum consanguinea illius puellæ, certè tenebitur dispensationem implorare deflorator; quia debitor semper tenetur adhibere media saltem ordinaria ad solvendum debitum creditori: eodémque modo dicendum, si tale impedimentum dirimens præcessit promissionem stupratoris. Vide Sanchez *lib. 1. de matrimon. disp. 10. & lib. 3. disp. 5.* Tambur. *§. 5. n. 27.* Et generatim dicta suprà *c. 1. De causis dissolvendi Sponsalia à n. 232.*

II. Causa excusans est, si ex tali matrimonio prævidetur vel probabiliter timetur oriturum magnum scandalum, vel malus exitus talis matrimonii; sicut enim hæc dissolvunt sponsalia, ita etiam promissionem matrimonii in nostro casu. Lege eundem Sanchez *cit. lib. 1. disp. 11.*

III. Causa excusans est, si fœmina deflorata posteà fornicetur cum alio, vel simile quid dignum divortio committat. Si enim hæc matrimonio jam contracto separationem concedit, multò magis concedet non contracto.

IV. Causa excusans est, si virginem se fœmina finxit, tunc enim fiet compensatio, ut sicut fœmina virum promittentem matrimonium decepit fingendo se esse intactam, sic & ipse fallit non servando promissionem matrimonij factam. Quòd si vir proprio errore deceptus credidit eam esse virginem; & ideò etiam verè & seriò promisit matrimonium, adhuc certè non erit obligandus ducere; quia ipse virginem volebat, & sub ea conditione promisit, non aliter. Neque eo casu, saltem copula manente occulta, erit aliquod damnum compensandum fœminæ jam anteà corruptæ. Ad summum ergò tenebitur ei solvere pretium pro copula ipsa, in quam in gratiam viri consensit puella.

V. Causa excusans est, si promittens matrimonium pro usu corporis ipsam copulam quacunque de causa non obtinuit, sed solum oscula

Universidad de Deusto
Biblioteca

& tactus quantumvis impudicos, cùm enim ipse promiserit conjugiũ propter copulam, ut supponitur, non debebit ex solis tactibus. At quid si ejusmodi oscula & tactus veniant in cognitionem aliorum cum infamia & damno virginis? Distinguendum est. Vel enim promisisti matrimonium pro copula simul & tactibus illis, copulam autem non obtinuisti, tunc rursùs non obligaberis ad nuptias, cùm non sit adimpleta principalis conditio: obligaberis tamen puellæ compensare damnum, ut ex se patet: vel promisisti seriò matrimonium pro solis illis osculis & tactibus impudicis: & tunc Tambur. *cit. n. 41.* censet te obligari ad eam ducendam propter pactum initum. Secùs dicendum, si fictè solùm promisisti, juxta dicta *N. I. & II.*

VI. Causa excusans defloratorem, seu verè seu fictè matrimonium promiserit, est, si is quidem velit puellam defloratam ducere, sed ipsa jam renuat: tunc enim simpliciter nihil debebit puellæ, cùm ille matrimonium tantùm promiserit, & nihil aliud. Ex communi Lugo *disp. 14. Sect. 3. n. 28.* Excepto tamen uno casu, quando defloror finxit se melioris notabiliter conditionis, quàm sit mulier; tunc enim puella decepta modò indignum compertum jure respuit; ergò tunc deceptor tenebitur ei damnum ratione deceptionis resarcire. At quid si puella quidem non renuat ipsi nubere, sed abnuant efficaciter parentes? *Navarr. Sylvest.* alii apud *Sanchez* citand. non improbabiliter obligant adhuc stupratorem ad aliâ viâ compensanda damna puellæ: quia æquum non videtur virginem sine sua culpa incompensatam manere. At certè æquè & magis probabiliter ipse Sanchez *lib. 1. disp. 11. n. 15.* & Lugo *cit. n. 29.* cum aliis docent etiam tunc ad nihil obligari stupratorem, quia ipse solùm obligatur ad id, quod verè, vel fictè promisit: atqui solùm conjugium promisit, & nihil aliud: ergò ad hoc tantùm tenetur, & ad nihil aliud.

Nota tamen ad dicta in ista causa excusante, si stuprator vel parentes inducere possit ad consensum vel per se, vel per interpositam personam, obligari ipsum ad eorum consensum obtinendum; quia qui aliquid promittit, etiam implicitè promittit adhibere ordinaria remedia ad implendam promissionem suam.

§. V.

Appendix.

De raptu & oppressione violenta.

603 *Raptus est violenta abductio fœminæ, vel personæ cujusdam de loco ad locum ad exercendā libidinem*; quo patet differentia à stupro; nam stuprum solùm fit cum virgine invita & cum sola violentia, vel fraude; raptus autē fit cum quacunque fœmina, etiam viduâ, conjugata, aliàs corruptâ, imò & puero (qui raptus omnium damnatissimus) & præter violentiam addit abductionem de loco ad locum. Undè vides raptum virginis secuto turpi effectu, non nisi valdè accidentaliter differre à stupro, & eadem prorsus ratione culpæ & obligationi restitutionis obnoxium esse, juxta omnia dicta hac Sectione. Differt etiam raptus hîc definitus à raptu, prout est impedimentum dirimens matrimonium jure novo Concilii Tridentini. Et *est abductio violenta puellæ cujusvis è domo vel potestate paterna, vel quasi paterna ad alium locum ad contrahendum matrimonium sub potestate raptoris*; de quo jam suo loco c. 1. actum.

Culpa & pœna raptoris.

604 Raptus est peccatum mortale luxuriæ speciale: nam ultrà malitiam fornicationis contrà virtutem continentiæ, addit specialem malitiam violentiæ contra Justitiam; gravissimam enim injuriam infert raptor, sicut & quilibet violentus stuprator seu oppressor fœminæ, seu virginis, seu non virginis, ipsam contra voluntatem suam violenter cogendo ad exercendam libidinem, estò illa constanter involuntaria (quod tamen valdè rarum, ut mox audies) non formaliter, sed materialiter tantùm peccet, ideóque hoc peccatum & circumstantiam raptûs, seu violentiæ in quocunq; actu libidinoso cum alia persona in confessione necessariò explicandam esse, quippe speciem mutantem, apud omnes in confesso est.

Pœnæ raptoris tum in sacris Canonibus, tum in Concil. Trident. *Sess. 24. c. 6. De reformat. Matrim.* decretæ hæ sunt. 1. Ut raptor alienæ sponsæ publicâ pœnitentiâ puniatur. 2. Ut idem non possit ampliùs cum ulla alia matrimonium contrahere. Hinc raptus numeratur inter impedimenta criminis impedientia tantùm matrimonium, sed hodiè consuetudine abrogata. 3. Ut tùm ipse raptor, tùm ejus adjutores sint ipso facto excommunicati ex Trident. cit. 4. Ex eodem, ut donec rapta est in potestate raptoris, non possit inter illos validè contrahi matrimonium, de quo suo loco. Pœna capitis, & aliæ civiles nihil ad nos.

Specialia quoad fœminam raptam, vel vi oppressam.

605 Fœmina vel persona quævis rapta, vel vi oppressa, sicut & virgo violenter stuprata, ad hoc ut ipsa sit innocens à culpa & omni peccato immunis maneat, duo necessariò requiruntur: 1. Constans & efficax voluntas contraria; ut nimirùm omnem consensum in illud opus turpe, ejúsq; delectationem constanter excludat; quamprimùm enim quocunque modo consenserit, jam cessavit violentia, & incipiet voluntarium atque peccatum: nam ut optimè notat D. Thomas *1. 2. q. 6. a. 5. Licèt, qui nolens patitur, non conferat agendo, confert tamen volendo pati. 2.* Est, ut etiam efficaciter resistat positivè, & impediat exteriùs motu, agitatione, totóque connisu corporis, etiam clamando, si spes sit subsidii impetrandi, quantùm utiliter potest, & rationabiliter debet, alioquin eo ipso, quo quantùm tùm potest & debet, non impedit, censebitur saltem interpretativè consentire, adeóque peccare: ideò enim *Exod. 22.* stuprata in domo jubetur lapidari, in agro non, quia nimirum in domo utiliter clamare potuisset & debuisset, quod cùm non fecerit sponte consensisse meritò præsumitur. Et sanè hoc ipso, si quieta permaneat, jam cooperatur peccato alterius (estò certissima esset se propriæ delectationi non consensuram) nihil enim ille alter à fœmina quærit, quàm ut quieta & accomoda congressum suum admittat. Quòd si propter suum motum & resistentiam semen viri dispergatur, invadenti imputabitur, non ipsi jure resistenti. Et rectè monet *Layman* mox citand. ipsam quamvis viro seminante, tamen quantùm potest, suæ seminationi resistere debere, nec posse voluntariè seminare, quia ad id nullum jus habet. *Dixi* autem; *quantùm utiliter potest, & rationabiliter debet*, utique sine periculo vitæ, vel famæ suæ, neque enim tunc tenetur invadentem occidere, mutilare, vel vulnerare, estò jure possit, sed retenta constanti voluntate contraria passivè se habere potest: ut alibi de injusto aggressore dixi. Quando ergò fœmina vel simpliciter, vel ita rationabiliter resistere non potest, consensu constanter excluso, utique à peccato immunis erit: juxta communem DD. & optimè Toletus *lib. 5. c. 11. n. 12.* dicens: Si fœmina cogeretur ad turpem actum, dummodò ista interius non consentiat actui, quamvis peteretur ab altero & sentiret etiam delectationem, sed sine consensu in ipsam, non peccabit, nam agens absque consensu non agit, cum consensu autem est mortale. Sic Tolet.

Ex quibus vides rarum esse miraculum, fœminam raptam vel oppressam violenter manere immunem ab omni culpa: *mulierem fortem quis inveniet?* Undè sapienter monet Lugo *disp. 10. Sect. 10. n. 199.* his verbis: In praxi difficulter credendum esse violentam oppressionem esse absque omni culpa ex parte fœminæ, rarissimum enim est, quòd, si velit, non possit aliquo modo resistere, ut violentiam impediat, sed ob metum, ob animi imbecillitatem, & aliquando etiam ob latentem lasciviæ affectum, quem manifestare erubescunt, consentiunt fœminæ, saltem invitè, qui tamen consensus, licèt ex parte involuntarius sit, sufficit ad peccatum grave: quem consensum, sicut & congressum ipsum, debuisset virili fortitudine impedire: Et rarissimè contingit virum delectationem turpem ab invita omninò & reluctante capere velle. *Hæc Lugo.*

606 *Petes* hic incidenter, quale peccatum sit copula (de pollutione dicam infrà suo loco) habita cum fœminâ (vel etiam masculo) dormiente, plenè ebriâ, sensibus destitutâ, aut per potionem medicam mente motâ &c. supposito, quòd ipsa antea mentis compos, vigilans, &c. in id non consenserit ullo modo, vel nec prævideriit? *Respondetur.* Non esse quidem propriè raptum, ad quem requiritur violenta abductio à loco ad locum, ut alia taceam, & indicat Diana *part. 9. tract. 8. resol. 2.* Nec consequenter raptûs pœnis subjectum; attamen præter fornicationis, aut alterius speciei luxuriæ malitiam esse speciale peccatum contrà Justitiam, quia etiamsi ea copula non sit cum vi, vel violentiâ, certè tamen est cum insigni fraude, adeóq; cum malitia contrà Justitiam, ac proin speciatim in confessione aperienda. Sic Tamburin. *citat. §. 2. n. 17.*

SECTIO III.

De Incestu.

SUMMARIUM.

607. *Incestus quid?*
608. *Quæ ejus malitia?*
609. *Probabiliter omnes incestus sive inter consanguines, sive affines, in quocunque gradu, vel linea, sunt ejusdem speciei.*
610. *In incestu inter consanguineos explicandus est primus, & secundus gradus.*
611. *Inter affines primus.*
612. *Incestus in cognatione legali, & spirituali gradus quadruplex.*
613. *Quale peccatum?*

607 Incestus est peccatum luxuriæ commissum cum persona conjuncta. Alias dicitur *concubitus illicitus inter personas consanguineas, vel affines usq; ad 4. gradum*; sed nimis arcta definitio. Incestus enim non concubitum illicitum solùm, sed quodvis peccatum luxuriæ, etiam mollitiem, impudicos tactus, oscula, &c. inter personas conjunctas continet, ea circumstantia in confessione necessariò explicanda: nec inter conjunctas consanguinitate, vel affinitate tantùm, sed etiam spirituali, vel legali cognatione, & publica honestate, ut patebit.

§. I.

Malitia.

608 Incestum esse peccatum mortale gravissimum, nimis certum est, inde enim *Levit. 20.* pœna mortis decernitur incestuosis in omnibus ferè gradibus cum addito: *quia tantum scelus, tantum nefas commiserit.* Et Apostolus 1. *ad Corinth. 5.* horrendè exaggerat incestum cujusdam cum noverca, seu uxore patris sui? *omninò auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes.* Ratio; quia incestus præter peccatum mortale fornicationis, aut alterius speciei luxuriæ specialem addit, & continet malitiam & speciem peccati contrà virtutem Pietatis ac reverentiæ naturali jure debitam personis conjunctis, ac jure sanguinis: quia enim consanguinei aut sunt ipsi principium nostrum, ut parentes, aliíq; ascendentes, aut fundantur in principio ortûs nostri, sicq; nobiscum referuntur ad principium ortûs nostri, ut omnes consanguinei & affines, ideo ipso naturali instinctu & jure naturæ debetur eis à nobis specialis reverentia, cui directè repugnat actus generationis, ut exemplis à natura petitis pulchrè ostendit Lessius *l. 6. 2. De justitia. c. 10. dub. 11.*

Diffi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Difficultas hîc tota est ex opinionum varietate de diversitate peccati incestûs ex distinctione conjunctionum & graduum, utrum nimirùm incestus factus in consanguinitate differat specie ab incestu facto in affinitate, aut alia conjunctione. Item an incestus factus in uno gradu & linea talis conjunctionis differat ab incestu facto in alio gradu, & linea consanguinitatis vel affinitatis, & ideò in confessione necessariò explicandum sit, in qua conjunctione, & in quo gradu & linea incestus factus sit. Communis & tutior sententia est affirmativa. Sed sit

RESOLUTIO.

609 PRobabilis opinio est, omnes incestus factos sive inter consanguineos, sive inter affines, & in quocunque gradu & lineâ esse ejusdem speciei, atque adeò illam diversitatem conjunctionem, & gradum non esse necessariò explicandum in confessione, ut sufficiat dicere: *commisi incestum.* Ita citandi. Quare 1. incestum inter consanguineos & affines non differre specie in genere moris, docet ipse S. Thomas 2. 2. *q. 154. a. 9.* Cajetan. *ibidem*, & alii cum *Nugno.* 2. Similiter incestus in uno gradu utriusvis lineæ non differre specie ab incestu in alio gradu & linea, cum *Nugno* & aliis docet Filluc. *tract. 20. c. 5. n. 97.* dicens, esse opinionem *D. Thomæ, Cajetani, Soti,* & verè Thomistarum. 3. Ideóque non necessariò esse explicandum in confessione probabiliter docent varij, eósque citat Diana *part 1. tract. 7. resolut. 31.* Ratio omnium est; quia in omnibus istis una & eadem species & deformitas est contra eandem virtutem Pietatis, & reverentiæ debitæ conjunctis; neque enim illa diversitas conjunctionis consanguinitatis & affinitatis ac graduum diversorum quidquam aliud afferunt, nisi majorem & minorem conjunctionem: magis & minùs autem non variant speciem etiam in re morali, nisi aliundè probetur esse contrà particularem virtutem, vel contrà speciale rationis dictamen, quod hîc invenire difficile est; similiter quòd copula in tali conjunctione & gradu aliquando illicita sit ex natura rei intrinsecè, ut in primo gradu consanguinitatis; aliquando verò tantùm ex præcepto Ecclesiæ, ut in cæteris omnibus: ex hoc autem nihil specie diversum necessariò infertur: nam præceptum Superioris aliquid præcipientis ponit materiam præceptam in eadem specie virtutis, ratione cujus seu ex cujus motivo illam præcipit: nunc autem Ecclesia prohibet congressum in illis conjunctionibus & gradibus propter eandem Pietatis virtutem & reverentiam conjunctis debitam: ergò manet ejusdem speciei transgressio. Cùm igitur ulteriùs probabilis sit sententia plurimorum & gravium DD. in materia de pœnitentia relata, circumstantias speciem non mutantes, sed intra eandem speciem aggravantes tantùm, non esse necessariò explicandas in confessione, manet sanè probabile, etiam in incestu non esse necessariò explicandam illam diversam qualitatem conjunctionum & graduum; adeò ut si in quavis conjunctione, & quovis gradu, etiam primo consanguinitatis rectæ & transversæ lineæ v. g. cum matre vel sorore propria quis peccavit, sufficit in confessione dicere: commisi incestum; peccavi cum persona conjuncta toties: Et certè si pœnitens hanc probabilem sententiam secutus nolit se ampliùs explicare, tenebitur etiam confessarius se eidem conformando, absolutionem ei impertiri, juxtà dicta suo loco. At verò non sufficit sistendo in nostra communi prababiliori & tutiori, sententia ibidem asserta & probata, nimirùm etiam circumstantias aggravantes tantùm, notabiliter augentes malitiam substantialis actûs, ideóque valde alterantes judicium sacramentale esse necessariò explicandas in confessione. Pro hujus intelligentiâ nunc breviter percurramus incestus singularum conjunctionum & graduum.

§. II.

Incestus in consanguinitate.

610 NEcessariò explicandus est primus gradus lineæ rectæ: hujusmodi meritò omnium gravissimus incestus est patris cum filia, matris cum filio, &c. tam horribilis deformitatis, ut neque ad tale matrimonium contrahendum in prima necessitate propagationis generis humani divina Sapientia unquam dispensaverit. Et probabilissimè etiam explicandus est secundus gradus, avi cum nepte, aviæ cum nepote, & econtrà: etiam grandis deformitatis nunquam dispensatus, & uterque prohibitus distinctissimè *Levit. 20.* De tertio & quarto gradu vix contingit casus, & tutò posse omitti consentiunt DD. In linea autem transversa in nostra sententia similiter necessariò explicandus est primus gradus, fratris cum sorore jure naturali prohibitus, nunquam dispensatus, nisi jure poli in prima necessitate propagationis generis humani. De secundo gradu sententiæ utrinque probabiles, & tutæ. De tertio & quarto gradu non necessariò explicando ferè consentiunt DD. cum hi neque defacto affinitatem matrimonium dirimentem inducant per copulam illicitam; nec auferunt jus petendi debitum conjugi ita incestuosè adulteranti. Ratio dictorum est; qui licèt diversitas illa graduum, & lineæ non adferat diversitatem specificam peccati incestûs, ut dictum est, tamen nimirum quantùm augent malitiam substantialem sceleris incestûs, scilicet impietatis & irreverentiæ ergà sanguine junctos; sicut enim longè major debetur reverentia matri, quàm sorori; & sorori, quàm consobrinæ, &c. ita incomparabiliter major & gravior est incestus filii cum matre; vel filiæ cum patre, quàm inter fratres & sorores, & inter hos, quàm inter consobrinos, & patrueles, &c. Itaque si pœnitens incestum nudè confiteatur, solùm interroget confessarius, an in primo, vel secundo gradu? de cætero taceat.

§. III.

§. III.

Incestus in affinitate, & honestate publica.

611 IN incestu, seu concubitu illicito inter personas affines in communi nostrâ sententiâ necessariò explicandus est primus gradus, & lineæ rectæ, ut inter patrem & privignam; matrem & privignum; aut econtrà inter filium & novercam; filiam & vitricum; & probabilissimè etiam transversæ, ut inter fratrem & uxorem fratris, qui specialiter prohibentur jure divino *Levit. 20.* eâ phrasi: *non revelandi turpitudinem patris, vel fratris sui.* Non item secundus gradus, etsi graviter prohibitus jure Ecclesiæ: minùs tertius, & quartus gradus. Quare in omnibus sufficit dicere: *commisi incestum, vel peccavi cum affine extra primum gradum.* Cæterùm (jam alibi audiisti) quando conjux incestum, vel adulterium commisit cum consanguinea persona conjugis in primo & secundo gradu, & copulâ completâ, incestuosus duas pœnas ipso jure incurrit. 1. Amittit jus petendi debitum, de quo suo loco. 2. Etiam post mortem conjugis non potest matrimonium contrahere cum ulla alia persona, secundùm Canones antiquos, quod etiam numeratur inter impedimenta criminis impedientia tantùm matrimonii. Sed certè id ampliùs non est in usu: ut ex *Navarro*, & aliis notat Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 17. n. 8.* quando quis peccat aut cum consanguinea in primo gradu sponsæ de futuro, &c. aut cum consanguinea sponsi per verba de præsenti in matrimonio rato tantùm usque ad quartum gradum inclusivè, etsi non sit ibi affinitas, cùm nulla ibi copula intervenerit, ut supponimus: certum tamen erit committere speciale peccatum incestûs carnalis, ut post alios bene probat Lugo *sect. 6. cit.* est enim etiam talis copula pro conjugio prohibita gravissimè ab Ecclesia propter eandem reverentiam conjunctis debitam, constituendo in ea impedimentum dirimens publicæ honestatis: quare ut tale speciale peccatum incestûs necessariò explicandum erit in confessione, ut non sufficiat fateri vel fornicationem tantùm, vel adulterium tantùm. An verò etiam necessariò explicari debeat gradus, vel qualitas personæ, cum qua peccavit, puta, utrum cum matre, vel sorore, vel filia sponsæ, aut econtrà cum patre, vel fratre, vel filio sponsi, sic de cæteris? dic eodem modo (ut suprà de consanguinitate) Omninò probabiliùs & tutiùs, quòd sic; nec improbabile, quòd non.

§. VI.

Incestus in cognatione legali, & spirituali.

612 QUi peccat carnaliter cum persona conjuncta cognatione legali (cujus quadruplex est gradus. 1. Inter adoptantem personam & adoptatam, ejúsque descendentes. 2. Inter adoptatum & filios legitimos adoptantis. 3. Inter uxorem adoptati, & ipsum adoptantem. 4. Inter uxorem adoptantis & adoptatum.) sine dubiò committit speciale peccatum incestûs, ut talè necessariò consitendum, cùm inter easdem personas ob sæpè dictam reverentiam conjunctis debitam, Ecclesia constituat impedimentum dirimens matrimonium. Utrum autem incestus iste sit explicandus, ut distinctum peccatum ab aliis incestibus suprà dictis; & an etiam explicari debeat illa modò dicta diversitas, graduum seu personarum? rursùs probabiliùs ac tutiùs, quòd sic; & satis probabile, quòd non.

613 Qui autem peccat cum persona conjuncta cognatione spirituali contractâ ex Sacramento Baptismi, & Confirmationis (cujus duplex est gradus, seu species, *Paternitas spiritualis* inter baptizantem, & confirmantem; item inter patrinos ex una parte, & baptizatum & confirmatum ex altera parte; & *compaternitas Spiritualis* inter eosdem, baptizantem & confirmantem, ac patrinos ex una, ac parentes baptizati, vel confirmati ex altera parte; nam *fraternitas Spiritualis*, inter baptizatum & confirmatum, & filios baptizantis, vel patrinorum exolevit) is omninò committit incestum distinctum ab omnibus prædictis in consanguinitate, affinitate, vel legali cognatione, ideóque specialiter explicandum in confessione, quia addit specialem malitiam irreverentiæ Sacramenti, ratione cujus reducitur ad genus quoddam sacrilegij. Utrum autem etiam explicari debeat, an factum sit ex Sacramento Baptismi, vel Confirmationis: Item an in paternitate, vel compaternitate? probabilissimum quòd non; quia in omnibus eadem deformitas, non multùm gravior, vel levior. Denique dicta hactenùs de diversitate incestuum in confessione explicanda universaliter intelligenda sunt de quocunque peccato externo luxuriæ inter personas taliter conjunctas, non tantùm naturalis concubitûs, sed etiam mollitiei, impudicorum tactuum &c. v. g. qui contra naturam cognosceret personam conjunctam consanguinitate, affinitate, cognatione Legali, vel Spirituali, non ei sufficeret dicere, se peccâsse contrà naturam, sed necessariò explicare debet conjunctionem personæ, ac fateri se incestum sodomiticum commisisse; quia propter reverentiam naturalem propinquis debitam, ultrà malitiam sodomiæ & mollitiei, habet malitiam incestûs, ut benè ostendit Filliuc. *tract. 20. c. 5. n. 106.* Quamvis tale peccatum non impediat matrimonium, cùm nullam inducat affinitatem, ad quam requiritur seminatio intra vas naturale: nec per illud incurrantur pœnæ in incestuosos latæ; quia pœnæ fulminantur contra incestum propriè dictum, id est, cum copula carnali: an verò rursùs necessariò explicanda sit diversitas conjunctionum & graduum in ejusmodi incestu innaturali, rursùs probabile quòd non, cùm omnes sint ejusdem speciei, & solùm secundùm magis, & minùs in eadem specie differant: sine dubio autem tutiùs, quòd sic, juxtà jam sæpè repetita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO IV.

De Sacrilegio carnali.

SUMMARIUM.

615. *Sacrilegium carnale* personale *quid?*
616. *Ejus tres gradus.*
617. *Habens plura vota castitatis, contra ea peccando, committit unum tantùm sacrilegium.*
618. *Nec probabilissimè in confessione explicari debet votum solemne.*
619. *Sacrilegium* locale *ubi, & quando committatur?*
620. *Quando committatur Sacrilegium carnale reale quoad res sacras?*
621. *Sacrilegium* sollicitationis *in confessione.*
622. *Hujus pœnæ gravissimæ.*

614 *Sacrilegium carnale* est peccatum luxuriæ, quo persona, vel res DEO sacra per actum venereum violatur, adeóque præter peccatum luxuriæ cujusvis naturalis, vel innaturalis continet specialem malitiam, seu speciem peccati gravissimam contrà virtutem Religionis, ac cultùs DEO, rebúsque DEO sacris debiti. Et dividitur in *intrinsecum, seu personale*, quo ipsa Persona DEO sacra actu venereo violatur; & *extrinsecum, seu locale, vel reale tantùm*, quo per actum venereum solùm locus sacer, vel res aliqua sacra violatur. De quibus ordine.

§. I.

Sacrilegium carnale personale.

615 I. PRopriè & in rigore dicitur concubitus illicitus, seu quodvis peccatum carnis Personæ Deo voto solemni castitatis adstrictæ, & consecratæ, utpote per professionem Religionis approbatæ, aut per susceptionem Ordinis sacri à Subdiaconatu inclusivè. *Omnes.* Ratio est; quia sacrilegium propriè & in rigore est violatio rei sacræ: res autem sacra propriè dicitur, quæ publica auctoritate & ritu ad cultum Dei instituta & consecrata est: atqui per solum votum solemne professionis, vel sacri Ordinis persona publica authoritate Ecclesiæ illud votum solemniter loco Dei acceptantis consecratur ad cultum Dei; non item per votum simplex privatim emissum. Quare peccatum carnis personæ solo voto simplici castitatis adstrictæ, non quidem est in rigore propriè dictum sacrilegium, cùm non sit personæ sacræ, est tamen speciale peccatum contrà virtutem Religionis, & secundum præceptum Decalogi, scilicèt violatio voti & promissionis sacræ Deo factæ, & ideò necessariò quoque in confessione explicandum, *secundum omnes*; & velut quid imperfectius ad perfectum, reducendum ad speciem sacrilegii.

616 II. Sacrilegium carnale committitur in omnibus speciebus luxuriæ, & naturalibus, & contrà naturam, omníque impudicitia cordis, oris, aspectûs, tactûs &c. ut hactenùs etiam in aliis notavimus: Et quatenùs fit per concubitum, seu naturalem, seu innaturalem, ac cum complice, ejus (sicut & adulterii) triplex est gradus 1. Gradus sacrilegii, cæteris minùs gravis, est peccatũ carnale *personæ non sacræ cum sacra*; hic enim non propria, sed aliena persona sacra violatur, adeoque est peccatum sacrilegii alienum potiùs, quàm proprium, quippè cooperatio ad peccatum alienum sacrilegii. 2. Gradus gravior priori, est peccatum carnale *personæ sacræ cum non sacra*: hic enim jam persona propria sacra contra proprium solemne castitatis votum violatur. 3. Omnium gravissimus gradus est, sacrilegii mutui carnalis *personæ sacræ cum sacra*: hic enim est duplex numero sacrilegium; unum proprium in sua persona contra proprium solemne votum; alterum alienum cooperando ad sacrilegium alterius personæ sacræ: adeóque hæc circumstantia, etsi non sit speciem mutans, est tamen numero multiplicans malitias mortales sacrilegii, cùm castitas Deo consecrata in duabus personis violetur, omnium consensu necessariò explicanda est in confessione, sicut & in mutuo adulterio. Cæterùm extrà concubitum in peccato mollitiei, vel impudicis tactibus. Item in inductionibus ad peccatum carnale, quandò non persona sacra, sed alia non sacra violatur: ut si Sacerdos v. g. personam laicam polluat, impudicè tangat, aut ad opus turpe cum alio patrandum inducat, etsi in rigore non sit propriè sacrilegium, ut vult noster *Marchant*. certum tamen est, esse adhuc peccatum contrà votum suum, ideóque necessariò explicandum in confessione: ut *sect. sequenti De mollitie* probabimus.

617 III. Quandò quis plura vota, seu pluries emisit votum Castitatis. v. g. fecisti votum castitatis simplex in sæculo etiam sæpiùs, dein solemne in professione Religionis, etiam sæpiùs vel in eadem (ut apud Iesuitas) vel diversæ Religionis: & rursùs solemne in susceptione Ordinis sacri &c. & posteà tamen contrà castitatem tot votis Deo adstrictam delinquis, non committis plura tot distincta sacrilegia, vel peccata, & consequenter nec in confessione sic distincta explicare teneberis, sed unum tantùm, juxtà satis communem DD. sententiam *in materia de peccatis*. Ratio est; quia votum solemne & simplex, itémque votum solemne Professionis, ac susceptioni sacri Ordinis annexum non differunt speciei, sed essentialiter sunt ejusdem rationis, virtutis, ac finis, ut ex communiori optimè probat Sanchez *lib. 7. de matrimonio disp. 77. num. 27.* Et latius rursus *lib. 5. moral. seu de voto c. 6. num. 14.* Ex consequenter etiam violatio voti simplicis & solemnis utriusvis non differunt speciei; imò nec numero in eodem actu, eidémque virtuti Religionis adversantur: esto gravius extensivè peccatum sit Religiosi ac Sacerdotis, quàm vel Religiosi tantùm, vel Clerici tantùm, ideóque eo casu communi Doctorum consensu sufficiet confiteri unum tantùm peccatum sacrilegij. Sed difficultas & lis est, quodnam votum in eo sacrilegij peccato explicandum sit, si Religiosus simul & Sacerdos peccet? Communis sanè sententia DD. est, debere explicari saltem votum solemne dicendo v. g. *violavi votum solemne castitatis*: quippè cujus violatio tantùm propriè constituit peccatum sacrilegij, ut dictum N. I. aut saltem unum in particulari ex istis. Layman *citat. n. 4.* cum alijs contendit explicandum esse votum Religionis, & non sufficere solùm fateri sacrum Ordinem, eo quòd longè gravior videatur violatio voti Religionis, quasi voluntarij & spiritualis matrimonij cum Christo, quàm voti sacro Ordini solùm ex præcepto Ecclesiæ annexi, & implicitè tantùm emissi. Contrà sufficere etiam patefacere sacrum Ordinem solùm, cum aliis contendit noster *Marchant*, omninò probabiliter, & sine dubio in conscientia tutò. Attamen ad tollendos scrupulos dico.

618 IV. Probabilissimum & tutum est, etsi consultissimum, non tamen necessarium esse in confessione explicare votum solemne, sed in quovis casu sufficere fateri se peccâsse contrà votum castitatis. Ita cum aliis Sanchez *lib. 7. De matrim. disp. 27. n. 3.* Diana *part. 1. tract. 7. resolut. 4.* Bassæus *in floribus V. circumstant. §. 2.* Tamburin. *lib. 7. Decalog. c. 2. §. 1. num. 4.* alij apud ipsos. Ratio est: quia ex una parte jam dictum est, votum solemne quodvis non differre essentialiter & specie à voto simplici, quia utrumque votum eandem virtutem Religionis eodem modo æquè respicit: & estò gravius peccatum sit violatio voti solemnis, quàm simplicis, & inter solemnia fortè voti Professionis, quàm sacri Ordinis tantùm; attamen ex alia parte probabilissimum est, circumstantias aggravantes tantùm, nec multùm augentes malitiam substantialem actûs, non esse necessariò exponendas in confessione: ergo sive voto simplici castitatis adstrictus sis, sive solemni, sive Religiosus, sive Sacerdos; vel etiam initiatus tantùm, sive Religiosus & Sacerdos simul; imò insuper, si etiam Episcopus, si Generalis Ordinis, ut habet Sanchez *cit. disp. 27. num 23.* (secluso tamen speciali scandali peccato) peccésque contrà castitatem, semper sufficiet te fateri peccâsse contra votum castitatis tali modo, nec teneberis manifestare, si fortè non noscereris, te aut Religiosum esse, aut Sacerdotem, aut Episcopum, aut omnia. Similiter econtrà si fœminâ v. g. peccet cum Religioso Sacerdote, Diacono, satisfaciet dicendo, se peccâsse cum aliquo voto Castitatis adstricto, quam sententiam probabilissimam tutò in praxi sequetur confessarius; nec in ejusmodi circumstantiis scrupulosè inquirat.

§. II.

Sacrilegiũ carnale locale, seu quoad locum.

remissivè.

619 HOc sacrilegium solùm fit per voluntariam effusionem seminis in loco sacro (id est publica authoritate ad divinum cultum instituto, & ab Episcopo consecrato, vel saltem benedicto, ut sunt tantùm Ecclesiæ cum suis Capellis, & Cœmiteria) non tantùm illicitam, sed etiam licitam conjugum extrà casum urgentis necessitatis, nec tantùm notoriam (quâ ipsa Ecclesia, vel locus sacer polluitur) secundùm omnes; sed etiam occultam, secundùm communem, & probabiliorem sententiam DD. *Ratio est*; quia ex ipsa institutione Ecclesiæ quàm maximè repugnat sanctitati loci ad divinum cultum consecrati fœda copula ac pollutio carnis; ideóque induit specialem malitiam sacrilegii in confessione necessariò explicandam, prout latiùs dictum *p. 2. Decal. c. 10.* ad finem primi præcepti, ubi de sacrilegio universim. Hoc solùm hic addo non esse improbabilem sententiam *Vasq.* & aliorum cum Basilio Pontio. *lib. 10. de matrim. c. 10. num. 15.* copulam vel pollutionem occultam factam in Ecclesia, vel loco sacro, non esse speciale peccatum sacrilegii, nec consequenter in confessione necessariò explicandam circumstantiam illam loci sacri. Ratio ipsorum est; quia in tantùm est sacrilegium, in quantùm polluitur Ecclesia: at non polluitur per occultam copulam, vel pollutionem, &c. Quòd si copula occultè facta in Ecclesia posteà post aliquot dies fiat notoria, polluitur quidem in foro externo Ecclesia, & reconciliatione indiget: at copula præcedens tunc non fuit sacrilega, nec per illam tunc Ecclesia re ipsa fuit violata, ut notat Tambur. *lib. 7. c. 2. §. 1.* Sed ego censeo in praxi per se non esse à communi sententia recedendum. Cæterùm per solos tactus impudicos, aliásve impudicitias cordis, oris, aspectûs, amplexûs, tactûs, &c. imò & per ipsum propositum, condictum, vel procurationem peccandi carnaliter, saltem si non intendatur peccatum in loco sacro patrandum, non committi speciale peccatum sacrilegij, multis citt. docet communiter receptus Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 19. n. 15.* Ratio est; quia ideò committitur sacrilegium locale, quia fit aliquid ita repugnans loco sacro, per quod violatur Ecclesia, si notorium sit; illud autem est sola pollutio, seu seminis effusio, non item alia impudica. Excipit tamen meritò *Lugo*, & alii passim, nisi quis ejusmodi impudica exerceat in loco sacro cum magna Ecclesiæ irreverentia: ut si meretricem ante Altare publicè impudicè tangeret, si in sacro Templo lascivas comœdias exhiberet, &c. tunc enim non esset negandum propriè sacrilegii scelus committi: fieret enim gravis irreverentia divino cultui, ad quem locus sacer deputatus & consecratus est.

§. III.

Sacrilegium carnale reale quoad res sacras.

620 HOc tunc solùm committitur, quando res sacra adhibetur, vel usurpatur in ordine ad peccatum carnale perpetrandum, utpote 1. Si res sacra quævis, & maximè Sacrificium Missæ promittatur, & detur in pretium actûs carnalis; secùs si posteà liberaliter detur in signum benevolentiæ. An etiam si per obtestationem rei sacræ v. g. amoris DEI, B. Virginis, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

simile quid petatur ? 1. Respondetur foro potiùs blasphemiam quàm sacrilegium. 2. Horribiliùs, si res sacra, Sacrificium, Eucharistia, adhibeatur ad conciliandum amorem venereum, præsertim modo magico: leges horrenda apud *Martin. Delrio.* 2. Si Sacerdos gestans S. Eucharistiam carnaliter peccaret, & speciatim eo prætextu cum simulata infirma. Addit non improbabiliter noster *Marchant*, si Sacerdos paramentis sacerdotalibus indutus rem fœdam ageret; quia illa paramenta sacra non minùs, quàm loca sacra divino cultui consecrata per illas fœditates contaminantur, adeóq; illam circumstantiam veram sacrilegij malitiam inducentem esse exponendam in confessione. Et ita in similibus ad hæc facilè reducendis. Cæterùm si cum actu venereo gestentur è collo sacræ Reliquiæ, Agni DEI, calculi, Indulgentiæ, & similes res sacræ, non committi ex eo speciale peccatum sacrilegij meritò cum alijs docet Filliuc. *tract. 30. c. 7. n.* 129. quia illæ res sacræ tunc planè per accidens se habent ad peccatum carnale; nec indè gravis apparet irreverentia; quin imò conjugatis id sæpè consultum est, & quandóque necessarium ob maleficia avertenda.

§. IV.

Sacrilegium sollicitationis in confessione.

621 HUc tandem spectat gravissima, & damnatissima sacrilegij species. *Sollicitatio ad turpia in confessione*, vel occasione confessionis; quando scilicet confessarius Sacramento Pœnitentiæ abutitur ad peccatum carnale utpotè aut in confessionali sub ipsa actione confessionis, aut occasione confessionis, ejúsque prætextu, v. g. apud simulatam infirmam, &c. pœnitentem ad turpia sollicitando, inducendo, impudicè tangendo, &c. etiam solo animo, ut peccatum posteà alibi perpetretur; gravissima enim irreverentia infertur Sacramento, eo, ejúsve occasione & prætextu abutendo ad peccatum carnale, sive tunc, sivè posteà perpetrandum, adeóque ut verum sacrilegium in confessione aperiendum.

622 Contrà hujusmodi sacrilegos sollicitatores extant gravissimæ Bullæ Pii IV. & Gregorij XV. qui ita decernit: *Qui ad inhonesta sive inter sese, sive cum aliis, vel quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, sivè anteà, vel posteà immediatè, sivè occasione vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam confessione non secutâ; sive extrà occasionem in confessionario, aut in loco quocunque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendum electo, simulantes ibidem confessiones audiri,* * (Nota benè. Adeóq; etiam in domo sæculari apud simulatam infirmam, &c.) *sollicitare, vel procurare tentaverit, aut cum eis illicitos, aut inhonestos sermones, sive tactus habuerint, in officio ut infrà, puniantur.* Et, enumeratis gravissimis pœnis à judice infligendis usq; ad degradationem, &c. etiam ad testimonium singulare unius personæ sollicitatæ cum aliquibus præsumptionibus, mandat Pontifex confessarijs, ut moneant suas pœnitentes ita sollicitatas obligationis suæ denuntiandi sollicitatores Ordinario, vel Visitatori, quæ quidem obligatio personarũ sollicitatarum est sub pœna excomunicationis. Sed in nostris partibus in tanto rigore Bulla non est usu recepta, ut notant DD. Germani omnes. Certè difficile esset in Germania honestis matronis, vel puellis id onus imponere: prudentiæ ergò Confessarii relinquitur tam grande malum impedire.

623 Denique confessarius extrà omnem ordinem, respectum, vel occasionem ad confessionem, vel confessionale, peccans carnaliter cum filia confessionis etiam ordinaria, & si ex parte sua, ut Sacerdos, sacrilegium personale committat, non tamen ex parte complicis committit speciale sacrilegij peccatum, sed neque incestûs alicujus, sed simplicem fornicationem: Quare ex hac parte satis erit confiteri, se fornicatum esse; ut ex communi *Sanchez, Layman.* aliis habet Filliuc. *cit. tract. 30. c. 5. num. 105.* Ratio est; quia administratio Sacramenti Pœnitentiæ etiam ordinariè facta certæ personæ, nec personam illam sacram efficit, neque ullam cognationem specialem ullo jure inducit: ergò non est, undè habeatur specialis malitia ex parte ipsius.

SECTIO. V.

De peccatis contrà naturam.

SUMMARIUM.

624. *Peccatum contra naturam quid & quotuplex?*
625. *Quid & quale peccatum* bestialitas?
626. *Quid* sodomia *perfecta?*
627. *Quid imperfecta?*
628. *Quid & quotuplex* mollities?
629. *Mollities seu pollutio qualificata* I. *ex parte objecti cogitati.*
630. II. *Ex parte personæ pollutæ.*
631. III. *Ex parte cooperantis vel complicis (quæ, quanta peccata? quando & qualiter explicanda in confessione) Item*
636. IV. *Ex parte instrumenti adhibiti animati.* 638. *Vel inanimati.* 639. *Cum fœmina mortua, statua &c.*
640. *Pollutio directè voluntaria semper est peccatum mortale.*
641. *Nunquam licita.*
642. *An liceat eam involuntariè ortam permittere?*
643. *Aut semen jam corruptum directè expellere?*
645. *Pollutio indirectè tantùm voluntaria ex causa vel actione aliqua quando & quantum peccatum?*
646. *Mortalis est, si causa ejus prævisa est mortalis in genere luxuriæ.*
647. *Ut sunt v. g. impuræ cogitationes, imaginationes, desideria, tactus, amplexus, &c.*
648. *Si verò causa ejus est solùm venialis, etiam pollutio secuta, sed non intenta, secluso periculo consensûs, tantùm venialis est.*
649. *Quale peccatum, si prævideatur secutura ex ebrietate, nimio cibo, potu &c.*
650. *Vel ex alia actione de se honesta, & licita?*
651. *Quid*

651. *Quid de pollutione involuntaria in somnis facta?* usque ad n. 658.
658. *Quid de distillatione & commotione libidinosa?*
660. *Et non libidinosa?*

624 PEccatum carnale contrà naturam dicitur omnis actus libidinosus pervertens ordinem actûs carnalis à natura institutum & aptum ad generationem; seu est omne peccatum carnale, ex quo non potest sequi generatio. Ordo autem naturalis actus venerei apti ad generationem necessariò quatuor requirit, nimirùm, ut fiat cum conjunctione duorum *ejusdem speciei; diversi sexus; in vase debito; & servato debito modo.* Ex horum singulorum defectu 4. sunt species peccati contrà naturum. 1. Bestialitas, quâ non servatur debita species. 2. Sodomia perfecta, quâ non servatur debitus sexus. 3. Sodomia imperfecta, quâ servatur quidem debitus sexus diversus, sed non vas debitum. 4. Mollities, quâ non servatur conjunctio duorum, sed in se ipso, vel alio, absque copula provocatur pollutio. Quamvis autem hæ 4. species fortè physicè non differant, quia omnes prodigunt semen sine spe generationis, certum tamen est differre moraliter in recta hominum æstimatione ob dictas turpitudines, adeóque ut distincta peccata esse aperienda in confessione, nec sufficere dicere generatim: *peccavi contrà naturam;* quia inter propositiones damnatas sub Alexandro VII. est & hæc: *Mollities non differt specie à bestialitate.* Quintâ aliqui addunt speciem *concubitum innaturalem*, quâ non servatur debitus modus copulæ: sed id vel veniale tantùm est, vel si mortale, necessariò reducitur ad alia peccata contrà naturam aut mollitiem, aut sodomiam saltem inchoatam: de quo satis dixi *c. 2. de debito modo copulæ inter conjuges.* Tres priores species nefandas strictim percurram: in quarta, heu in omni statu nimis frequenti! necessariò plusculis inhærendum erit.

Bestialitas.

625 EST concubitus hominis cum bruto, sive passivè, sive activè. Horrendum scelus de quo Levit. 20. *Qui cum jumento, vel pecore coierit, morte moriatur, pecus quoq; occidatur; mulier quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficiatur cum eo.* Pœna etiam civilis vivi comburij satis ostendit atrocitatem sceleris; in hoc tamen scelere confitendo non est necessarium explicare speciem animalis complicis, an fuerit equus, asinus, vacca, &c. semper enim est eadem in specie mortalis deformitas. Universaliùs tamen à *D. Thoma* & alijs definitur bestialitas *peccatũ contrà naturam, qua homo concumbit cum re animata diversæ speciei;* ut nimirùm etiã comprehendantur infandi coitus sagarum & magorũ cum dæmonibus incubis vel succubis, præter peccatum contrà naturam, etiam speciale peccatum contrà Religionem, scil. societatis & commercij nefandi cum dæmone, Dei nostrúmque omnium nequissimo inimico, continentes, idcóque sine dubio in necessariò explicandum in confessione: ut ex communi notat Filliuc. *tract. 10. c. 8. n. 162.* Insuper etiam exprimi in confessione debet, an dæmon fuerit sub forma fœminæ vel viri, an sub forma talis consanguineæ, conjugatæ, monialis, &c. Quia tunc præter bestialitatem diabolicam additur affectus ad talem personam, distinctam specie malitiam adferens, utpotè incestûs, adulterij, &c. ubi ibidem notat Filliuc. Cætera quæ huc facilè possunt reduci, indicabo infrà de mollitie.

Sodomia perfecta.

626 EST concubitus damnatissimus ad sexum indebitum scilicet maris cum mare, aut fœminæ cum fœmina, adeóque eo concubitu nec debitus sexus, nec debitum vas servatur: in hoc horrendo scelere committendo non satis est dicere simpliciter: *Commisi sodomiam, vel sodomiticè peccavi*, sed necesse est exprimere etiam, an fuerit agens, vel patiens: quia agens committit pollutionem, quam patiens qua talis non committit. *Bonacina*, alij communiter cum Lugo *disp. 16. lib. 7. Sect. 5. n. 257.* contrà Dian. *supra*, alios apud ipsum. Non tamen necessariò exprimendum videtur, an pollutio facta fuerit intra illud vas præposterum, an extrà exspersum, ut benè notat Tambur. §. 3. n. 3. Ratio est; quia ratio & formalis malitia constituens sodomiam, sumitur ex motivo concumbendi ad indebitum sexum, & non ex immissione seminis in vas præposterum, alioquin fœmina cum fœmina non committeret propriam sodomiam; cùm nullum immittant semen in vas præposterum, sed solùm concumbunt, & commiscentur cum pollutione ex affectu solùm se polluendi, & explendæ libidinis gratiâ, tunc tantùm esset mollities, &c. Vide citatos.

Sodomia imperfecta.

627 EST peccatum contra naturam, quo servato sexu quidem viri & fœminæ, non servatur tamen vas debitum: cùm scilicet vir cum fœmina commiscetur extrà vas naturale in vase innaturali præposterо. Differt specie à sodomia perfecta: hæc enim procedit ex affectu ad indebitum sexum, adeóque nec sexum, nec vas naturale servat: imperfecta autem est quidem ad debitum sexum, attamen ad indebitum & innaturale vas: ideóq; speciatim in confessione explicandum. Et si fiat inter conjugatos, est insuper peccatum speciale formalis adulterii, ut suo loco dictum.

Quid autem dicendum, si vir se polluat inter alias partes fœminæ? &c. commodiùs dicam inferiùs de mollitie. Hoc solùm obiter nota; quandò vir & fœmina, ità commiscentes se polluunt extra vas: siquidem fiat ex affectu ad personam ipsam (uti ordinariè fit) spectat ad copulam fornicariam, adulterinam, incestuosam &c. prout fuerit persona; si autem fiat ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

affectu ad præposteras partes, erit sodomia imperfecta, de qua agimus: si denique fiat sine concubitu, vel conjunctione aliqua, sed merè ad explendam libidinem, est mollities, adeóque singula per se loquendo explicanda erunt in confessione: at certè non examinanda à confessario, ut generatim infrà in fine monebo. Cæterùm id etiam hic obiter notandum, quòd pœnæ, excommunicationes, & aliæ latæ contra sodomitas; itémque reservatio hujus peccati, utpotè odiosæ & strictæ interpretandæ, solùm comprehendant sodomiam perfectam masculi cum masculo, non hanc imperfectam viri cum fœmina, uti communiter observant DD. *Bonacina*, alii apud Tamburin. *citat. c. 7. §. 3. & 6.*

Mollities.

628 EST pollutio voluntaria sine conjunctione corporum; seu ut definit S. Thom. *Est peccatum contrà naturam, quo voluntaria pollutio in se, vel in alio quæritur, & procuratur extrà concubitum solius voluptatis gratiâ, seu causâ captandæ, & explendæ delectationis venereæ*; quod additur, quia si pollutio procuretur non voluptatis gratiâ, sed ob aliam causam, vel finem, v. g. sanitatis, mollities propriè non erit, erit tamen adhuc peccatum contrà naturam, ut patebit. Molliticm ut sic esse peccatum mortale certissimum est, tum ex fide, & lege Divina positiva 1. ad Corinth. 6. *nolite errare, neque molles Regnum Dei possidebunt.* Ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia &c. qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Item ad Ephes. *c. 5.* Tum ex lege naturali ordinante effusionem voluntariam seminis solummodò & præcisè fieri in vase naturali debito, & apto ad generationem. Ratio hujus certissimæ veritatis potissima adfertur: quia si ejusmodi pollutio esset licita, & saltem non graviter prohibita, impediretur usus conjugii tam necessarius in mundo, quandoquidem homines ea sola voluptate contenti forent, nec conjugiis plerumque tam molestis vacare vellent. Accedit: si fornicatio est jure naturæ vetita, & intrinsecè mala, multò magis erit pollutio, quâ prorsùs prodigitur semen, & impeditur generatio contrà unicum à natura intentum finem, jure naturæ illicita, & intrinsecè mala erit, & ita quidem, ut eam directè quærere & procurare nulla ratione vel causâ liceat possit, ut videbimus §. 2.

Mollities seu pollutio variè dividi potest: nam ex parte actûs dividitur in *perfectam*, quâ integra & ordinaria sit effusio seminis apti ad generationem; & *imperfectam*, quæ *distillatio* dicitur, de qua aliquid in fine: Et *inchoatam*, quæ est ipsa alteratio partis verendæ per motum humoris spermatici, & spirituum generationi servientium, in qua consistit ipsa delectatio venerea, de qua *sect. sequent.* Dein ex parte voluntarii pollutio dividitur in *voluntariâ directè*, & in se intentam, vel procuratam: & *voluntariam indirectè* in sua causa tantùm posita, vel non ablatâ; & *omninò involuntariam*, quæ scilicèt præter omnem voluntatem sequitur ex aliis causis intrinsecis, vel extrinsecis, præsertim in somnis. De quibus omnibus distinctus §§. Tandem principaliter pollutio dividitur in *simplicem*, & *qualificatam. Simplex* dicitur, quæ nullam habet aliam adjunctam malitiam ex parte personæ, objecti &c. ut si solutus laicus se ipsum polluat sistens in sola propriâ delectatione morosa, vel libidinosa. *Qualificata* dicitur pollutio, quæ habet adjunctam aliam malitiam, vel ex parte objecti cogitati, vel ex parte personæ pollutæ, vel cooperantis ad illam, vel instrumenti adhibiti. Percurramus breviter singula.

§. I

Mollities qualificata.

I. Ex parte objecti cogitati.

629 QUi se ipsum polluens imaginatur sibi aliam personam carnaliter dilectam, aut efficaciter desiderando eam hic & nunc præsentem habere, aut morosè solùm delectando se in imaginatione alterius personæ quasi præsentis, & complicis, omnium consensu tenetur in confessione explicare circumstantiam illius personæ cogitatæ & concupitæ, an soluta, ligata, consanguinea, sacra, masculus &c. Talis enim consentit verè in fornicationem, adulterium, incestum, sacrilegium, vel sodomiam, adeóque contrahit eandem malitiam, quam cogitat. Quòd si se polluens cogitet de fœmina abstractè, in genere, in confuso, aut quidem de ligata v. g. sed solùm apprehensa, ut fœmina formosa, abstrahendo à qualitate personæ, habet solùm speciem simplicis fornicationis: eadem ratione, quâ alibi dictum est de circumstantiis actuum internorum confitendis. At quid si quis se polluat oblectando in aspectu imaginis, vel statuæ formosæ fœminæ? (Refert Tamburin. *cit. c. 7. §. 2. num. 10.* aliquem se solitum polluere cogitatione fixa in pulchram statuam publicam nympham aliquam repræsentantem) eritne satis dicere in confessione, toties me pollui cogitando de fœmina? Visum est Theologis quòd sic, quia totus affectus videtur esse ad personam fœminæ repræsentatæ: eâdemque ratione dicendum, si quis polluendo delectetur in aspectu imaginis, vel statuâ masculi, vel pecudis: aut (quod horrendum auditu) Sanctæ alicujus cum affectu libidinoso in ipsum objectum repræsentatum; tunc enim verè contrahit, & in confessione simpliciter explicare debet malitiam sodomiæ, bestialitatis, aut horrendi sacrilegii in pollutione cogitatam: dicendo: v. g. pollui me cogitando de masculo, pecude, sancta aliqua. Intellige, nisi aliundè constet affectum polluentis fuisse, & stetisse ad ipsas imagines, vel statuas tales propter earum formositatem, & nullo modo ad res repræsentatas, tunc enim illud ipsum explicandum erit pro minuenda potiùs malitia.

II. Ex parte personæ pollutæ.

630 NImis certum est Clericum, Religiosum, vel voto castitatis adstrictum, itémque uxoratum seipsum polluentem, debere explicare in confessione circumstantiam statûs sui: verè enim committit sacrilegium contrà votum; adulterium maritus contrà jus conjugis. Itemque si quis suis manibus Sacerdotem, Religiosum, vel uxoratum polluat, utique debet id explicare, quia cooperatur ad sacrilegium, vel adulterium alterius. Insuper etiam, si Sacerdos, Religiosus, vel quis voto castitatis obstrictus polluat alium nullo voto adstrictum adhuc ille debet explicare votum suum, juxtà communissimam DD. sententiam apud *Lug. & Tambur. citt.* Ratio est: tum quia eadem castitatis virtus, quæ obligat me directè ad castitatem in mea persona servandam, obligat me etiam indirectè, ne ex industria procurem, proximum à virtute castitatis dejicere. Tum specialiter, quia vovens integræ castitatis virtutem in tota sua latitudine (qualiter certè communi voventium more & sensu censetur voveri castitas) sine dubio vult & debet promittere, ut non solùm in suo corpore non admittat aliquid, sed neque eodem corpore suo positivè cooperetur alteri ad committendum aliquid incastum: ergò verè adhuc peccat contrà votum suum, ideóque in confessione fateri tenebitur. Alia est ratio de eo, qui vovit aliquem particularem actum v. g. audire Sacrum, vel jejunium tali die: is enim si alium eo die inducat ad omittendum Sacrum, vel jejunium violandum, utique non peccabit contrà votum suum, sed tantùm peccato scandali, quia votum fuit de unico actu proprio, & non de re ad alium etiam pertinente.

630 Dixi tamen: ut *neque eodem corpore suo positivè cooperetur alteri ad violandam castitatem*; nam quoad alias inductiones in suo valore relinquo sententiam Sanchez *lib. 5. moral. n. 10.* apud Tambur. *cit. c. 7. §. 1. n. 12.* Eum, qui habet votum castitatis, & est causa inducens alios ad turpiter peccandum, non debere explicare suum votum, eò quòd votum illud non videatur se extendere, nisi ad obligandum voventem, ne ipse in sua persona & suo corpore turpitudines venereas admittat, non verò, ne alios ad easdem inducat: propriam enim suámque castitatem promisit, non alienam. Sic *Sanchez.* Transeat, inquam, hæc sententia quoad alias inductiones, de quo doctiores me disputent; at in nostro casu proprio suo corpore, manibus, &c. alios polluens adhuc satis moraliter turpitudinem admittit sub illo voto comprehendendam, ut dictum, & mox iterum dicendum est.

III. Ex parte cooperantis, vel complicis.

631 QUi se polluit, vel pollui permittit tactibus alterius personæ, fœminæ, viri, Sacerdotis, &c. omninò in confessione id tenetur explicare ex multiplici capite: tam ratione proprii peccati per se (nedum per accidens ex affectu adjuncto) quàm ratione peccati alieni, seu cooperantis & societatis cum peccato aliorum. Ita *communis* DD. contrà aliquas aliorum sententias infrà notandas. Dico igitur.

I. Tenetur explicare *ratione proprii peccati per se*; nam omninò constituunt differentias & malitias specie diversas pollui tactibus alterius personæ; item pollui tactibus alieni viri, & tactibus fœminæ etiam per se ratione proprii peccati pollutionis, seclusâ etiam actuali concupiscentiâ corporis alieni indebiti, & præcisè ratione peccati alieni: (ut contrà *Cajetan.* nullam hic differentiam formalem speciem mutantem agnoscentem) ex communi satis benè probat *Dicastillus* apud Dianam *part. 7. tract. 12. resol. 15.* Ratio est; quia tactus adeò libidinosi habiti cum alia persona sunt quasi inchoata copula, & prævii actus ex se ordinati ad copulam, etiamsi ex intentione operantis ad illum actum non ordinarentur: ergò pollutio facta tactibus alterius personæ, fœminæ v. g. jam habet deordinationem ac malitiam diversam, scilicèt copulæ quasi inchoatæ cum aliena, quam non habet pollutio per se ipsum facta propriis tactibus, vel imaginatione: similiter pollutio facta tactibus alieni viri, seu masculi, habet diversâ deordinationem ac malitiam sexûs indebiti ad copulam, quam deordinationem non habet pollutio facta tactibus alienis fœminæ: nam deordinatio indebiti sexûs, sicut diversificat specie sodomiam perfectam viri cum viro à sodomia imperfecta viri cum fœmina, ita sanè diversificabit specie malitiam in tactibus libidinosis alienis viri & fœminæ, quibus quis polluitur: ergò per se, & ratione proprii peccati explicare debet, si quis se polluat tactibus alterius personæ, viri, fœminæ, & insuper qualis viri vel fœminæ: ut tali minimè sufficiat dicere simpliciter: *toties me pollui, vel pollutus sum.* 632

II. Nedum per accidens ex affectu adjuncto, quandò nimirùm quis se polluit tactibus alterius personæ, viri, fœminæ, cum vel ex actuali affectu libidinoso ad alias personas, sive sit affectus simplicis delectationis morosæ in concubitu cum tali persona cogitata, sive sit affectus efficax desiderii ad concubitum talis personæ; apud omnes certissimum est, debere in confessione explicare, non tantùm ipsam personam tangentem fœminam seu virum ob rationem modò suprà datam, sed etiam circumstantias: num fœmina soluta, ligata, consanguinea, sacra, &c. num masculus, ligatus, religiosus, &c. Ratio manifesta est; si enim polluens se sola imaginatione alienæ personæ carnaliter dilectæ debet illam ejusque circumstantiam explicare, quantò magis polluens se ipso tactu alterius personæ ita carnaliter dilectæ, vel concupitæ id explicare tenebitur: utrobique enim est quidem pollutio in re, at in affectu est alia species luxuriæ 633

Universidad de Deusto
Biblioteca

riæ mentalis, scilicet fornicatio, adulterium, incestus, sacrilegium, sodomia, &c. nam pollutio subordinata delectationi morosæ, vel desiderio adulterij, vel incestûs recipit speciem adulterij, vel incestûs, & sic de cæteris.

634 III. *Quàm ratione peccati alieni*, qui nimirùm se polluit, vel permittit pollui tactibus alienæ personæ, id ipsum rursùs explicare tenebitur ratione peccati alieni, quia præter proprium peccatum etiam cooperatur cum peccato alterius personæ impudicos te polluentes tactus admittentis vel reddentis: duplex ideò peccatum semper ut minimum numero distinctum; insuper si ubi constat (quandò verò id non constabit?) alteram personam fœminam vel masculum, vicissim in te motam libidinoso affectu delectationis morosæ, vel desiderij ad tuum concubitum, jam cooperatus es ad novam speciem peccati illius, v. g. concupitæ fornicationis, adulterij, sacrilegij, sodomiæ, &c. consequenter est nova ratio explicandi illam personam, ejusq; circumstantiam; undè universaliter quandò te polluis, vel pollui finis tactibus personæ voto castitatis adstrictæ, Sacerdotis, Clerici, Religiosi, eam voti circumstantiam semper in confessione explicare teneberis, quia semper cooperaris cum peccato alterius, cujus tactu pollueris, eóque ipso contra votum suum delinquentis ob rationem paulò ante assignatam. Ita communissima & certa DD. sententia, contra *Hieron. Lammas* docentem: eum, qui pollutus fuit alterius tactu, solùm teneri explicare qualitatem suæ personæ non verò qualitatem seu votum complicis, qui illum tangit: quæ sententia jussu Inquisitionis Hispanicæ meritò expuncta est. Et res manifestissima est, quandò Sacerdos v. g. cujus tactu pollueris, ipse in se admittit delectationem veneream, aut certo periculo illam admittendi se exponit: & bone DEUS! quandò non erit sic? tunc enim is clarè in se ipso peccat contra votum suum, adeóque ad id peccatum tu cooperans teneberis id explicare: verùm etiam in casu rarissimo, & fortè metaphysico, quando Sacerdos ille te tangens in se nullam admitteret delectationem veneream, vel ejus periculum ob stupiditatem naturæ (uti distinguit *Caramuel* apud Tamburin. *cit.* §. *10. n. 18.*) adhuc enim is peccat contra votum suum castitatis, cùm enim ipse absolutè castitatem voverit, & castitatis virtus non solùm præcipiat, ut quis in propria persona non admittat incastos motus, sed etiam, ne eos suo corpore in aliis procuret, clarè is Sacerdos frangit votum suum, & consequenter ita pollutus laicus non quidem intrinsecè propter suam mollitiem, sed extrinsecè propter sacrilegium alterius te polluentis, & ipse erit sacrilegus, & talem in confessione te manifestare debebis.

635 Insuper singulariter, qui se polluit tactibus cum puero doli incapace, aut cum fœmina, vel masculo dormiente, vel plenè ebrio, aut cum bruto citrà copulam seu concubitum, adhuc obligatur in confessione talis pollutionis seu explicare, non quidem jam peccati alieni ratione, vel cooperationis ad peccatum alterius, ut manifestum est, sed adhuc ratione proprij peccati pollutionis per se, quia nimirùm pollutiones per tactus pueri, fœminæ, bestiæ, &c. reverâ differunt specie, quatenùs tactus illi libidinosi ex natura sua ordinantur ad diversas specie & malitiâ copulas, cum diversissima deordinatione ad indebitum corpus, sexum, speciem, ut suprà ostensum, *N. I.* Ita contrà *Cajetan.* Idem *Dicastill.* apud *Dian. cit.* omninò pro praxi approbantem, & monentem, non esse in praxi ab hac sententia recedendum tanquam probabiliori & tutiori. Certissima autem erit sententia, si etiam accedat affectus libidinosus ad talem complicem.

IV. Ex parte instrumenti adhibiti, animati, inanimati.

636 QUi se polluit instrumento alieno animato, seu partibus corporis alterius personæ, utpotè præter manus, ordinarium tactûs instrumentum, v. g. inter brachia, axillas, coxendices, ubera, &c. fœminæ vel viri, &c. tenetur quidem explicare personam illam & sexum juxta dicta *n. præcea.* Et cùm id regulariter fiat ex affectu libidinoso ad ipsam personam ejúsque concubitum, etiam ejus personæ circumstantiam, non enim est mera pollutio, sed copula inchoata talis speciei, saltem in affectu. At verò opus non est explicare ipsas illas particulares partes corporis, quia materialiter solummodò differunt, & illa major delectatio quæsita in una parte non transcendit speciem malitiæ, quæ est in alia, nisi adesset affectus aliquis particularis ad partes præposteras, & sodomiam, quod utique explicandum foret. Communis DD. apud citt.

637 II. Idem dicendum putat Filliuc. *tract. 30. c. 8. n. 155.* apud Tamburin. *cit. 7. §. 1. num. 3.* si fiat in ore, esse nimirùm solùm mollitiem, ideóque partem illam non esse necessariò explicandam. Sed ego cum alijs citandis horreo credere; nam licèt id non sit sine dubio sodomia, reverà tamen non potest videri esse mera mollities, quia id videtur esse adeò enormiter contrà rectam rationem, & naturam rationalem, adeóque excedens omnes alias deordinationes in materia luxuriæ, ut meritò constituat novam speciem innominatam luxuriæ: & certè jam baptizârunt aliqui apud Dian. *part. 6. tract. 11. resol. 7.* vocantes: *Irrummationem.* Vide dicta *supra c. 2. §. 3. à n. 304.* cùm de modo debito copulæ. Denique qui incipit copulam ipsam fornicariam v. g. vel alterius speciei, & postea abrumpens semen dispergit, quid sentiendum, jam habes §. 1. cùm de fornicatione *n. 304.*

638 III. Cùm quis, vel quæ se polluit instrumento inanimato quocunque, non facit mutationem

nem speciei per se loquendo, nec in confessione id explicare tenetur, nisi aliundè ex objecto cogitato alia malitia accedat, juxta dicta superiora: & universaliter sive quis se polluat sola interna imaginatione, vel aspectu rei turpis, sive externo tactu & adminiculo proprio, vel alieno inanimato instrumento, nulla efficitur diversitas specifica; quia hæc omnia materialiter, & per accidens se habent ad voluntariam pollutionem extra concubitum. Hoc tamen obiter notandum, cùm quis se polluit solo actu interno imaginationis turpis, vel etiam aspectu rei turpis, absque ullo externo sensibili conatu adhibito, non incurrere casum reservatum in Religionibus, contra *Suarez*, & communiorem valdè probabiliter docet boni AA. apud Dian. *part. 4. tract. 4. Miscellan. Resol. 61.* approbantem; reservantur enim pollutiones voluntariè procuratæ; quod externam actionem pollutionis causativam importare videtur.

639 IV. Copula tentata cum fœmina mortua, vel statua fœminæ, uti quidam stultus libidinosus fecit, apud *Tambur. cit.* mera mollities est, quippè non fornicatio; quia fœmina mortua non est fœmina, sed cadaver: multò minùs statua fœmina est: neque bestialitas (ut quidam volunt) cùm neque bestia sit fœmina mortua, vel statua, ut optimè probat Dian. *part. 9. tract. 4.* Nihilominùs id explicandum erit in confessione saltem generatim dicendo: pollui me cum instrumento inanimato cum affectu ad fœminam, non autem rectè diceret: pollui me cum fœmina; tunc enim significaret, se polluisse cum verâ fœminâ, adeóque mentiretur in re gravi ad judicium Sacramentale pertinente, ut benè notat Tambur. §. *2. n. 10.*

Petes denique, quid si pueri, vel puellæ, qui nondum possunt seminare, se ipsos turpiter contrectent, aut ab alijs contrectari permittant in verendis, quale peccatum erit? Respondetur; utique esse peccatum mortale ad mollitiem reducendum; est enim ex se pravus affectus ad pollutionem: attamen videtur specie differre à vera pollutione, per quam seminatur, in specie propriè reducendum ad impudicitiam tactûs, undè in confessione explicandum.

§. V.

Pollutio voluntaria, an semper peccatum mortale, nunquàmne licita?

Resolutio.

640 OMnis pollutio, seu effusio seminis directè voluntaria, & efficaciter per se intenta, & quibusvis modis, vel medijs provocata, vel procurata, non tantùm solius voluptatis libidinosæ gratiâ, secundùm omnes: Sed etiam cujusvis morbi, vel mortis periculi evadendi causâ, semper est peccatum mortale. *Communissima* DD. contrà paucos aliquos. Et latè Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 17. conclus. 5.* Lessius *lib. 4. c. 10. de Justit. dub. 14.* Laym. *lib. 3. Sect. 4. n. 15.* alij passim, meíque omnes. Ratio est: quia talis voluntaria seminis effusio extrà vas debitum generationi destinatum repugnat ipsi naturæ intrinsecæ seminis, à Deo & natura præcisè instituti ad propagationem speciei humanæ per generationem: atqui sicut non possunt unquam mutari naturæ rerum, ita nulla ratione, nullâ circumstantiâ, fine vel necessitate ea cohonestari, vel licita fieri potest. Accedit ratio urgentior à posteriori, & gravissimo damno subsecutivo; quia si homini inditus esset instinctus, vel dictamen in ullo casu extra naturalem concubitum semen profundendi; seu, si in ullo unquàm casu liceret procurare pollutionem, cùm in ea re maxima voluptas sentiatur, facilè homines proni essent eâ facultate, vel licentiâ abuti, eámque extendere ad plures casus, & sic homines magna parte contenti eâ voluptate non curarent de matrimonio & generatione (ad quam tamen promovendam tanta à natura indita est delectatio) cum maximo speciei humanæ detrimento: quare in hoc, & pluribus alijs non attendendum est damnum actuale, quod infert pollutio semel facta ob gravissimam causam v. g. pro conservanda vita Principis, Pontificis, &c. sed damnum habituale consecutivum, quod sequeretur, si semel esset licita: nec valet paritas ab abscissione membri: dispar enim maxima est ratio; nam

641 II. Licitum omninò est pro conservanda vita, & toto supposito homini membrum aliquod, manum, vel pedem abscindere, cùm enim membra principaliter sint propter totum suppositum, & seorsim nullum jus, vel utilitatem habeant, sed solùm ad usum & conservationem suppositi pertineant, non est à natura alienum aut ratione, unum eorum abjicere totius suppositi servandi causâ: at verò semen naturâ suâ ordinatum est principaliter nequaquàm ad usum vel conservationem hujus suppositi in individuo, sed ad generationem, propagationem, & conservationem totius speciei; undè natura minimè patitur illud individui servandi causâ abjicere, sícque negligere speciem ratione individui. Deinde ex illa abscissione membri aliquando licita, non sequuntur ulla inconvenientia; cùm enim à membri abscissione tanquàm re permolestâ appetitus naturalis vehementer abhorreat, non facilè homines eo medio abutentur, & ultrà casum extremæ necessitatis extendent. Et hanc rationem etiam dare solent illi, qui docent ad servandam vitam matris licere procurare abortum fœtûs nondum animati, non item procurare seminis effusionem; quia in priori individuum minus, nimirùm fœtus nondùm animatus postponitur individuo majori animatæ matris, nec hinc sequitur illud inconveniens; at in posteriori species postponeretur individuo, & ex illo semel licito sequeretur gravissimum illud inconveniens, & detrimentum speciei humanæ. Sed de hoc sententiam contrariam dabimus, & paritatem urgebimus *infra c. 4. sect. 1.*

642 III. Dixi autem 1. *Pollutio directè voluntaria*, nam de indirectè tantùm voluntaria mox

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. seq. 2. *efficaciter intenta*: ita scilicet, ut quis aliquo modo activè cooperetur, & influat in provocationem & effusionem seminis, quocunque modo, medio, vel medicamento. Licitum autem est, pollutionem involuntariè ortam ex quacunque causa, etiam culpabili, solùm permittere, nullo impediendi conatu adhibito, secluso-que omni consensu; quia (ut supponitur) ipsa pollutio incepit involuntariè, continuatio autem effusionis est solùm effectus naturalis causæ præcedentis, quem impedire ampliùs vix potes, consequenter nec teneris; vel enim ille conatus reprimendi nihil operabitur, vel retento contra naturæ impetum semine, supra modum gravabitur corpus, & periculo morborum subjicietur. Ita communis DD. *Gerson*, *Sa*, *aliique* congestis Sanch. *lib. 9. dist. 17. n. 16.* Dian. *part. 3. tract. 5. resol. 21.* Tambur. *c. 7. §. 2. n. 19.* Insuper affectu simplici & inefficaci tantùm licere ob bonum finem v. g. sanitatis acquirendæ, vel tentationis tandem sedandæ optare, ut pollutio in somnis, vel aliàs inculpatè eveniat; ex *Sanch. Layman*, aliis alibi explicatum habes. 3. *Efficaciter per se intenta*: nimirùm mediis adhibitis ad ipsam pollutionem provocandam per se tendentibus & efficacibus; adeóque apud omnes in confesso est in morbo præsertim gravi, periculoso, acuto &c. & maximè circa illas partes licere adhibere medicamenta per se directè tendentia & efficacia non ad ipsam pollutionem, vel seminis expulsionem procurandam, sed solùm ad illos morbos, noxios humores, aliásve materias peccantes, & morbi causam expellendum, etsi per accidens, & præter intentionem etiam pollutio, seu seminis ejectio concomitanter, vel consequenter indirectè causanda sit: eadem ratione, quâ infra etiam de abortu indirectè procurando dicetur, quia nimirùm tunc pollutio in se minimè voluntaria, ut supponitur, non activè procuratur, sed ob justam causam solùm permittitur.

643 IV. Utrum semen jam corruptum ac gravi-
ter noxium liceat directè expellere, etsi concomitanter sequatur etiam veri seminis emissio? Respondetur eum necessaria distinctione. Licere sic expellere medicamentis, non verò licere tactibus, vel confricatione verendorum. Ita post alios Tambur. *cit. c. 7. §. 2. n. 8.* Ratio utriusque est; quia medicamenta illa intùs suscepta per se solùm tendunt ad expulsionem seminis corrupti, quod jam in luem & venenum degeneravit: aliqualis autem veri seminis effusio, vel emissio per accidens & præter intentionem sequitur: ergò sicut licet naturæ medicamentis subvenire, ut pravos alios corpori nocentes humores, vel qualitates expellas, licèt indè per accidens sequatur pollutio; ita licebit, illud semen corruptum, quòd jam non est verum semen, sed prava, & venenosa materia, ut expellat, naturam medicamentis adjuvare: At verò tactus & confricatio verendorum externa (quæ sunt membra, seu instrumenta ad verum semen provocandum à natura instituta (per se tendunt ad verum semen provocandum, quod extra matrimonium nunquàm licet: & per accidens solùm juvaret educere semen corruptum: ergò hoc non licet saltem in homine rationis compote: quod addo, ut excludam casum rarissimum, quo semen corruptum actu causaret symptomata à mente alienantia hominem, vel mulierem. De quo videtur loqui Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 17. n. 19.* oppositum concedens. Vide Tambur. *cit. n. 8.*

Aliud hic occurrit dubium, utrùm in casu necessitatis liceat adhibere medicinam ad semen verum corrumpendum, ut posteà possit ejici? Do verba Dianæ *part. 6. tract. 6. resol. 27.* Sanchez *lib. 9. matrim. disp. 17. num. 15. lib. 10. Edit. vet.* dicit: neminem negaturum, fas esse accipere syrupum resolventem semen in sanguinem, aliúmve humorem aliis viis expurgandum, ne æger omni medio ad salutem corpori procurandam destituatur: Et hanc opinionem non esse improbabilem tenet *Præpositus*. Sed ego puto id non licere: quia etiam id repugnat institutioni seminis. *Hæc Diana.*

§. IV.

Pollutio indirectè voluntaria qualiter licita, vel illicita?

644 POllutio indirectè & in sua causa tantùm voluntaria dicitur, cùm quis directè quidem minimè vult, & intendit pollutionem, tamen aliquam actionem exerceat, undè prævidet orituram, vel advertit jam oriri pollutionem, sícque volendo causam pollutionis, indirectè, & consequenter censetur etiam velle, vel saltem permittere ipsam pollutionem. Causa autem pollutionis, seu actiones illæ causantes pollutionem, aliæ sunt & dicuntur, quæ per se & notabiliter influuntin ipsam: uti est vehemens, & diuturna cogitatio de fœminæ concubitu in juvene calido &c. & similes &c. aliæ per accidens, & leviter tantùm influentes, ex quibus scilicet, nec semper, nec frequenter sequitur pollutio, uti est cibus, vel potus etiam superfluus: hic enim per se quidem influit in nutritionem, & consequenter etiam augmentum seminis, at satis per accidens & non frequenter in pollutionem. Rursùs actiones illæ causantes pollutionem vel sunt de se licitæ & utiles, ut studere de tali materia, audire confessiones talium peccatorum, æquitare &c. vel sunt de se illicitæ; at non in genere luxuriæ, ut se inebriare, nimiùm potare, vorare; vel denique sunt de se illicitæ in ipso genere luxuriæ ut cogitationes, aspectus, tactus impudici &c. His notatis, sit.

RESOLUTIO, & *Regula Generalis.*

645 POllutio indirectè tantùm voluntaria, tantum est peccatum, quantum peccatum est ipsa causa posita in genere luxuriæ mortalis, vel venialis, aliàs vel venialis tantùm, vel omninò nullum. Ità contra diversas aliorum opiniones satis intricatas, latissimè & optimè meus Sanchez

chez *lib. 9. matrim. disp. 45. Less. l. 4. c. 3. dub. 14. à n. 100.* Et ex his compendiosè Layman. *cit. n. 12.* Sequuntur RR. passim, & declarari potest aliâ regulâ communiter allatâ. Quoties quis dat operam actioni mortaliter malæ, & per se influenti in pollutionem, toties peccat mortaliter, cùm enim is, qui deliberatè vult causam, velit etiam effectum necessariò, vel quasi necessariò ab illa actione provenientem, meritò ei talis pollutio imputatur ad culpam mortalem. Quoties verò quis dat operam actioni leviter, & per accidens tantùm influenti pollutionem etiam prævisam, toties solùm peccat venialiter, si sine necessitate & rationabili utilitate fiat; si enim causam leviter influentem ponas, cùm per accidens solùm sequatur pollutio, illam tibi imputari ad culpam mortalem, æquum non est. Verissima sunt hæc. Atqui jam restat difficultas principalis, & maximè practica, & quæ nam sint illæ causæ vel actiones notabiliter; quænam verò leviter influentes; Sanè nulla certior ratio vel regula universalis dari poterit, quàm hæc ipsa à nobis assignata, nimirùm causas seu actiones notabiliter influentes in pollutionem, ideóq; mortaliter illicitas esse illas, quæ ob id ipsum sunt peccata mortalia in genere luxuriæ, quòd vehementer influant in libidinem; alias verò esse leviter tantùm malas, & per accidens tantùm influentes, ideóque venialiter tantùm malas. Ex quo principio, ad casus particulares innumeros applicando pono 4. regulas particulares.

REGULA I.

646 QUandò causa posita pollutionis prævisæ, seu actio ex qua prævidetur secutura pollutio, est peccatum mortale in genere luxuriæ, utpotè per se turpe & ex natura sua ordinatum ad rem veneream, etiam pollutio in illa causa indirectè volita peccatum mortale erit. Ratio est evidens ex dictis; quia perindè censetur sive effectus procedat ex intentione operantis, sive ex natura & necessitate operis voluntariè exerciti: nam expliciti & impliciti eadem est vis, sicut enim qui multùm vini bibit, ex quo scit, sequi ebrietatem, is implicitè & indirectè censetur velle ebrius fieri, licèt explicitè & directè id minimè intendat, imò positivè nollet inebriari; ita sanè qui actus turpes exercet, ex quibus prævidet, vel advertit pollutionem naturaliter secuturam, implicitè & indirectè convincitur velle pollutionem, quamvis eam in se directè & explicitè minimè velit, & intendat. Et hinc.

647 Omnes impudicæ cogitationes, imaginationes; desideria, turpiloquia, aspectus, tactus amplexus, oscula, quæ sunt peccata mortalia in genere luxuriæ, utpotè vel ex objecto per se obscœno: vel ex intentione captandi delectationem libidinosam; vel ex periculo consentiendi in illam: si ex illis prævidetur pollutio, quamvis non intendatur, sunt peccata mortalia, non solum in se, sed etiam ut causa pollutionis, adeóque si tu calide adolescens deliberato & contiaffectu cogitas, & concupiscis, multò magis si morosè aspicis, turpiter alloqueris, tangis, amplexaris, oscularis &c. ex qua cogitatione, & concupiscentia prævides, te casurum in pollutionem, mortaliter peccas dupliciter, scilicèt & desiderio fornicationis, & peccato pollutionis sive mollitiei contrà naturam indirectè volito, cui causam dedisti, & ideò utrumque in confessione explicare debes, & minimè sufficeret dicere; *cogitavi & concupivi turpia.* Non item si ejusmodi turpes cogitationes, aspectus, tactus assumeres in ordine ad ipsam pollutionem procurandam directè volitam, tunc enim secuta pollutione coalescunt illa media adhibita cum actu principali in unum peccatum, ut sufficiat dicere: *semel me pollui*; nisi fortè illa media aliundè adferrent malitiam specie diversam.

REGULA II.

648 QUandò causa posita, seu actio illa, ex qua prævidetur secutura pollutio, est tantùm peccatum veniale in genere luxuriæ etiam pollutio secuta, sed non intenta; & secluso semper periculo consensûs, tantùm peccatum veniale erit. Ita Sanchez *loc. cit. Suarez*, *Henriq. Lessius*, aliósque congerens Dian. *part. 1. tract. 7. resol. 65.* plures adferens *part. 2. tract. 15. resol. 31.* Ratio est; quia cùm tunc pollutio non sit volita in se, sed tantùm in sua causa, in qua prævidetur in tantùm mala erit, in quantum mala est causa, in tantum etiam est mala causa, in quantum est voluntaria: at non est voluntaria, nisi tantùm in sua causa; ergò si causa est solùm venialiter mala, in tantum erit etiam mala pollutio secuta. Et hinc.

Cogitationes, desideria, turpiloquia, cantio, lectio vana, vel curiosa turpium, tactus, oscula, amplexus, &c. quæ venialia tantùm sunt in materia luxuriæ sive ex imperfectione actûs, sive ex parvitate materiæ, ex levitate, curiositate, joco tantum facta (juxta dicenda *sect. seq.*) si ex illis prævidetur pollutio, sunt tantùm venialia, & in se, & ut causa pollutionis: semper intelligendo dummodò hæc non intendatur, & absit periculum consensûs in illam; nam si tale periculum adsit, vel prævideatur, peccatum esse mortale pollutionis in causa, non est dubium: quia qui deliberatè amat periculum, peribit in illo. Undè resolvit Diana *cit. part. 2. tract. 15. resol. 31.* loqui verba amatoria v.g. *meum cor culum mea anima, &c.* ob solam vanitatem, vel conciliandum vanum amorem non libidinosum, quia non excedunt culpam venialem, secluso periculo proprio, vel alieno, ideò etiamsi prævideatur, sed citra periculum consensûs non intendatur pollutio, mortale non fieri. Et in his terminis consentio, quæ tamen fortè rarò concurrent.

REGULA III.

649 QUandò causa posita, seu actio illa, ex qua prævidetur secutura pollutio, non est pec-

Universidad de Deusto
Biblioteca

catum in genere luxuriæ, quippè naturâ suâ non ordinata ad rem veneream, etsi sit peccatum mortale in alio genere, uti est ebrietas voluntaria, nimio cibo & potu se ingurgitare, ex mera gula votare cibos calidos, si in iis prævideatur secutura pollutio, ratione pollutionis prævisæ, sed minimè intentæ, non nisi peccatum veniale erunt. *Sanch.* sæpè cit. *Navarr. Suarez, Vasq. Laym.* sup. aliisque citt. Dian. *part. 1. tract. 7. resol. 65.* Ratio iterùm sumitur ex dictis; quia quandò res ex natura sua non ordinatur ad rem veneream, non nisi leviter potest influere, vel concurrere ad pollutionem: atqui pollutio solùm volita in causa leviter influente non est culpa mortalis: communi DD. consensu; ergò licèt tales actiones sint peccata mortalia in alio genere vitij v. g. contra temperantiam, sobrietatem, &c. at in genere luxuriæ ratione pollutionis prævisæ, sicut & ipsa pollutio secuta non nisi peccatum veniale erit, quia nimirùm aliquam deformitatem vel deordinationem continet, pollutioni quomodolibet illicitam causam adferre: ideóque id non potest vacare culpâ saltem veniali contra castitatem. Insuper addit Dian. *part. 2. tract. 15. resol. 31.* allegans *Cajetan.* id verum esse, quamvis gula esset mortalis ex circumstantia luxuriæ, nimirùm quia esset ordinata ad fornicationem obtinendam, vel promovendam, non ideò pollutionem secutam fore mortalem, quia finis ille nihil in eam influit. Et idem esse, quandò peccatur mortaliter in cibo & potu ex eo, quòd quis se exponeret periculo consentiendi in pollutionem secuturam: si tamen posteà non consentiret in illam, non esset peccatum mortale. Hæc *Diana* citans *Granatens. Vasq.* alios.

REGULA IV.

650 QUandò causa posita, seu actio, ex qua prævidetur pollutio secutura de se est honesta, & licita, & adest aliqua rationabilis causa necessitatis, vel utilitatis, seu commoditatis alicùjus exercendi, vel continuandi talem actionem, etiamsi prævideatur, secutura pollutio, dummodò non intendatur, & semper absit periculum consensûs in illam, nullum omninò erit peccatum. *Omnes* apud citt. v. g. studere de rebus venereis, confessiones præsertim fœminarum excipere, conversari familiariter cum fœminis in re honesta, vel utili, fœminas amplecti, vel osculari juxta morem patriæ, ne inurbanus videaris, choreas honestas ducere, equitare seu negotij, seu recreationis rationabilis causâ, certo & commodo situ in lecto cubare, sumere temperatè cibos vel potus calidos sibi salutares, mederi in partibus verendis, servire in balneis (imò etiam fricare membra pudenda ad sedandum molestum pruritum, eadem membra mundare à sordibus, &c. ut ex utroque *Sanch. & Bonacinna* adfert *Tambur.* mox citand.) & his similia sexcenta, cùm semper adsit rationabilis causa necessitatis, vel utilitatis ejusmodi exercendi, etiamsi prævideas, vel advertas exinde commoveri carnem, atque per accidens secuturam pollutionem, non ideò teneris abstinere ab ejusmodi exercendo, excludendo semper constanter omnem deliberatum consensum turpem, ejusque periculum. Communis DD. Sanchez *lib. 9. disp. 45.* Laym. *sup. cit.* Dian. *part. 6. tract. 6. resol. 37.* Tamb. *lib. 7. c. 7. §. 5. n. 52.* Ratio sumitur ex generali regula. Si jus habeas aliquid agendi, ex quo per accidens secuturus existimetur effectus, quem per se intendere non licet, non ideò cogeris abstinere ab actione, quotiescunq; ex ea etiam utilitas speratur major, quàm sit incommodum eventûs secuturi permissi: atqui homo quivis jus habet ad ejusmodi actiones honestas & licitas, & sæpè etiam obligationem, eæque actiones utilitatem adferre possunt: pollutio autem indè secuta exiguum, vel nullum omninò incommodum adferre poterit tam tibi, quàm speciei, hoc ipso, quòd ex causa licita, adeóque per se non nisi leviter influente tam facilè proveniat; ergo ob eam non teneberis talem actionem intermittere: nec pollutio indè secuta potest tibi imputari in peccatum, quia ei, qui suo jure utitur, non imputatur id in peccatum, quod per accidens sequitur, cùm id potiùs patiatur, quàm agat. Cùm ergò valdè tenuis sit obligatio vitandi pollutionem in causis per se, & proximè ad ipsam non ordinatis, nec consequenter non notabiliter in illam influentibus, ut fusè ostendit *Sanchez l. c.* Ideò rectè notat *Dian. cit.* non debere esse causam necessariam ad excusandas ejusmodi pollutiones etiam à veniali, cùm enim sint innumeræ actiones alioquin licitæ, ex quibus possint, vel soleant provenire pollutiones, si requireretur causa urgens vel necessaria ad excusandum, daretur locus perpetuis scrupulis, & nimijs anxietatibus, quod gravissimum foret. Causæ excusantes censendæ sunt omnes illæ, quæ bona fide apparent vel necessariæ, vel utiles, vel convenientes, imò & commodæ animæ vel corpori, adeò ut etiam satis sit meum merum commodum in exercenda tali actione ad omnem etiam venialem culpam tollendam, prout docent *Sanchez & Dian.* citt. Et hæc valde notanda sunt ad innumeros casus resolvendos, & scrupulos tollendos, præter indicatos satis multos. Plures brevitatis & honestatis gratia omissos facilè videre petes apud Sanchez sæpè *cit. l. 9. per totum*, & Dian. *part. 1. tract. 15. à resol. 3. part. 2. tract. 16. resol. 54. part. 3. tract. 5. à resol. 21. & alibi.* Dicta omnia de ipsa pollutione indirectè tantùm intenta in sua causa, & causis excusantibus, pariformiter à fortiori intelligenda sunt de pollutione imperfecta, vel inchoata tantùm, scil. distillatione, & commotione libidinosa spirituum generationi servientium, de quibus tamen dicam aliquid seorsim infrà sub fine.

* * *

§. VII.

Quid de pollutione involuntaria, & in somnis facta.

651 POllutio involuntaria simpliciter dicitur, quæ fit præter omnem directam vel indirectam voluntatem, adeòque nec in se, nec in aliqua sua causa est volita, sed sequitur ex alijs causis, vel intrinsecis, ut superfluitate, vel debilitate naturæ, ex complexione particulari, vel morbo; ut in illis qui patiuntur fluxum seminis, & qui facillimè ex quacunque levi causa, vel occasione seminis effusionem, distillationem, vel carnis commotionem patiuntur: Item ex primis motibus, ex somnijs anteà voluntariè non causatis: vel etiam ex causis extrinsecis, ut tentatione dæmonis, violentiâ hominis, &c. Et hæc ex se sine dubio non potest esse peccatum, cùm nihil sit peccatum, nisi voluntarium. Quod si post factam ita involuntariè pollutionem posteà accedat complacentia voluntaria ob corpoream voluptatem habitam, hæc de se novum peccatum mortale erit: secùs si complacentia vel gaudium sit ob alium bonum finem, ut mox infrà notabo.

652 Pollutio similiter in somnis facta quatenùs eo statu facta est, sine dubio peccatum non est: sed solùm quatenùs aliquo modo fuisset, vel fieret voluntaria in vigilia: adeóque dupliciter fieri potest peccatum, antecedenter, & consequenter: idque directè, vel indirectè tantùm. Declaro breviter ex dictis.

I. Pollutio in somnis antecedenter directè voluntaria, intenta, vel procurata

653 EST sine dubio peccatum mortale: idq; tripliciter. 1. Cùm quis efficaciter desiderat, ut pollutio in somnis eveniat ob delectationem carnalem tantùm. 2. Multò magis, quando quis vigilans efficaciter procurat, ut pollutio in somnis eveniat, utpotè studio turpibus & vehementibus imaginationibus indormiendo, vel certa media adhibendo, aut certò situ accubando in lecto, ut inde sequatur pollutio; nam licet affectu simplici possit pollutio desiderari ob bonum finem sanitatis v. g. vel tentationis sedandæ, certè tamen non potest efficaciter intendi, & procurari; sicut etiam potest desiderari mors improbi à privato ob bonum finem, non tamen procurari. 3. Etiam ad eum finem polluendi in somnis solùm non amovendo causam pollutionis prævisæ, si ea causa sit notabiliter influens in illam. In his omnes consentiunt; quia licèt pollutio in somnis eveniens non possit esse peccatum pro tunc, tamen reputatur in peccatum, quatenùs antecedenter in vigilia ita voluntariè intenta, vel procurata est: Et causa excusans in somnis evenientem pollutionem à peccato, scilicet carentia rationis, & libertatis, non reperitur etiam in vigilante ita intendente & procurante illam, juxta regulam alibi traditam.

II. Pollutio in somnis antecedenter indirectè tantùm voluntaria in causa posita

(Remissivè.)

654 TAntum est peccatum, quantum peccatum est ipsa causa posita in vigilia in genere luxuriæ juxta omnia dicta §. *præcedenti:* Huc de verbo ad verbum applicanda. Est enim eadem, imò aliquantulum minor ratio de pollutione indirectè voluntaria in somno primùm eveniente, quàm de ea adhuc in vigilia eveniente: hìc enim adesse solet periculum consensûs, in somnis autem nullum potest adesse tale periculum. Quandò ergò causa posita in vigilia, seu actio illa, ex qua prævidetur pollutio secutura in somnis, minimè autem intenditur, est peccatum mortale in genere luxuriæ, quippè notabiliter & efficaciter influens in libidinem, ut qui diuturnè vehementes cogitationes, & imaginationes rerum venerearum habet, & indè prævidet se polluendum in somnis, etsi non intendat, nec consentiat, aliàs eo ipso esset directè voluntaria pollutio, non quidem postea in somno, sed tunc vigilans tu turpis maginator peccas mortaliter dupliciter in actuali impudicitia cordis, & mollitie indirectè voluntaria. Si verò actio sive situs tantùm sit venialis in genere luxuriæ, aut etiam mortalis in alio genere peccati v. g. ebrietatis, ratione pollutionis prævisæ, & non intentæ, solùm peccabis venialiter. Si autem illa actio de se sit licita & honesta, & adsit rationabilis causa illam actionem exercendi v. g. studendi de ejusmodi materijs, certo commodo situ jacendi in lecto &c. nullum peccatum erit. Insuper dixi *notabiliter & efficaciter influens in libidinem*: notat enim Sanchez *lib. 9. De matrim. disp. 45. n. 20.* & Joan. *Sanch.* apud Dianam *part. 2. tract. 16. resol. ult.* non quodlibet peccatum mortale in genere luxuriæ esse causam sufficienter influentem in pollutionem in somnis evenientem. v. g. deliberata quidem, sed brevissima cogitatio de copula habenda, levis tactus fœminæ cum deliberata affectione libidinosa, omninò est peccatum mortale in genere luxuriæ; at quis dicat esse causam notabiliter, vel efficaciter influentem in pollutionem in somno secuturam; imò nec in vigilia, cùm oppositum in plurimis experientijs constet: si ergò talis cogitatio, locutio, vel tactus turpis adhuc præsens in vigilia non influit in pollutionem, nec appetitum efficaciter movet ad illam habendam, quomodò credi potest esse influxuram longè posteà in somnis, quandò absens est, & diu præteriit? Qui ergò ex tali actione prævideret pollutionem non tamen intenderet eam, non censeretur dare causam pollutioni, & consequenter ratione pollutionis secutæ non peccaret mortaliter, nec eam confiteri teneretur, sed solùm actionem illam.

III. Pollutio in somnis facta, posteà voluntaria, vel complacita: remissivè.

655 SI post pollutionem in somno factam evigilans

Universidad de Deusto
Biblioteca

lans de ea deliberatè sibi complaceat, gaudeat, & delectetur ob delectationem sensualem, & libidinosam perceptam, omnium consensu peccat mortaliter: quia objectum illud vigilanti mortaliter est illicitum: secùs dicendum, si de ea gauderet, vel placeret ob aliquem bonum finem v.g. tentationem sedatam, naturam exoneratam, morbum mitigatum; sic enim nullum esset peccatum, cùm gaudium illud vel complacentia jam sit de objecto honesto & licito, & non de ipsâ pollutione, juxta communem DD. cum *Sanchez*, aliisque citatis. De quo etiam alibi.

IV. Pollutio in somnis incœpta, sed in vigilia completa.

656 QUandò motus venereus ac ipsa decisio seminis accidit in somno, sed ipsa emissio, seu effluxio fit posteà in vigilia (& multò magis si ipsa emissio seminis jam incepit in somnis, & partim adhuc fit in vigilia) secluso consensu in illam, nullum sit peccatum, sed licitè te negativè habendo permittere potes, nec reprimere teneris, certè regulariter vix poteris. Ita contra *Toletum*, docet communis DD. *Gerson*, aliisq; plurimis citt. Sanchez *lib. 9. matrim. disp. 17. n. 16.* Dian. *part. 3. tract. 5. resol. 28.* Sa *V. luxuria n. 10.* sic habet: *cœptam in somnis pollutionem non tenetur evigilans cohibere, vel comprimere; sufficit non placere de ea.* Ratio duplex est; & quia tunc plerumque non adest deliberatio sufficiens, & requisita ad peccatum: & maximè quia difficilè, & plerumque impossibile est cohibere, ut mox dicam.

657 Quin universaliter pollutionem involuntariè cœptam ex quacunque causa sive in somno, sive in vigilia licitè posse permittere nullo impediendi conatu adhibito, meritò concedit Sanchez *cit.* & approbat. Tambur. *l. 7. Decalog. c. 7. §. 2. n. 17.* Ratio universalis; quia (ut supponitur) pollutio incœpit involuntariè, continuatio autem effusionis seminis est solùm effectus naturalis causæ præcedentis, quæ impediri amplius vix potest, & consequenter nec teneris; vel enim conatus ille reprimendi nihil operabitur, vel retento contra naturæ impetum extra suam sedem semine corpus supra modum gravabitur, & periculo infirmitatum exponetur. Denique pollutio magis secundùm principium, quàm secundùm finem judicanda est. Cavendum tamen permaximè, ne taliter evigilans, vel aliàs involuntariè ortam pollutionem sentiens, non tantum permittat, vel non reprimat (quod solùm conceditur) sed etiam positivo aliquo conatu, vel impulsu eam promoveat, vel compleat, etiam solùm quoad aliquas reliquias seminis protrudendas, eo ferè modo, quo mingentes, cessante fluxu, aliquot guttas protrudere solent; quod utique non liceret citrà grave peccatum, si omninò deliberatè fieret: nam in eo casu imperfectum voluntarium, & indè delectationem intervenire experientiâ patet, ut benè notat Tambur. *cit. n. 19.*

§. VIII.

Distillatio, & commotio libidinosa.

SErmo hactenùs fuit de pollutione completa, quæ est effusio seminis totalis per se apti ad generationem, magnâque semper delectatione emitti solet.

I. Distillatio est effusio modica partialis se- 658
minis, vel potiùs humoris similis minùs mordacis, magisque aquosi, quàm sit semen, minori quantitate, & ferè stillarum instar, minorique voluptate effluentis; imò aliquando nullius voluptatis. Undè claritatis causâ, unam libidinosam, alteram non libidinosam distillationem vocare possumus. Commotio libidinosa est alteratio, tumor, & erectio membri genitalis per motionem spirituum generationi servientium, in qua motione voluntariè acceptata consistit delectatio morosa venerea, étque præparatio, & inchoatio quædam ad pollutionem, vel saltem distillationem, undè & passim pollutio inchoata dicitur: circa quæ pono breves resolutiunculas.

II. Sicut deliberatè velle, & procurare ipsam 659
pollutionem, & de ea complacere, mortale est, ita etiam deliberatè velle, ac procurare istam distillationem libidinosam, ac commotionem libidinosam spirituum genitalium, & de eâ complacere, mortale est. Communissima DD. cum Sanchez *lib. 9. disput. 17. n. 17.* quoad distillationem. Et *disp. 45. n. 18.* etiam quoad commotionem. Ratio manifesta est; quia tunc procuratur & complacetur de voluptate libidinosa, ac venerea illi distillationi, ac commotioni necessariò conjunctâ, quod semper mortale est, etiam exclusâ parvitate materiæ à mortali excusante, ut infrà patebit. Deindè illa commotio libidinosa est inchoata quædam pollutio, & ad pollutionem essentialiter ordinatur; magisq; inchoata pollutio est ipsa distillatio: ergò eâdem ratione utraque volita directè, mortaliter peccaminosa. Porrò sicut ipsa pollutio indirectè tantùm voluntaria in causa posita tantum peccatum est, quantum est ipsa causa posita in genere luxuriæ, ita eadem ratione discurrendum de distillatione & commotione libidinosa, juxta Regulas §. *præced.* positas, uti ibidem in fine annotatum est; semper enim obligamur amovere causas per se & notabiliter influentes ad voluptates illicitas; non autem semper tenemur removere causas per accidens, vel leviter tantùm ad eas voluptates influentes, sed ob justam causam necessitatis, vel utilitatis ejusmodi actiones exercendo, sicut pollutionem, ita etiam multò magis solam distillationem, libidinosam vel commotionem carnalem permittere possumus, juxta ibidem dicta.

III. Distillatio non libidinosa, quæ scilicèt 660
contingit sine ulla delectatione, vel voluptate sensuali venerea (quamvis adsit levis erectio genitalium) non est peccatum. Ita Cajetan. aliisque congestis Sanchez *lib. 9. d. 45. n. 2.* Laym. *lib.*

lib. 3. Sect. 4. n. 18. Reginald. *lib. 32. c. 3. n. 41.* Tambur. *lib. 7. Sect. 3. n. 53.* Ratio est; quia si talis distillatio esset peccatum contra castitatem, ideò esset, vel quia esset delectatio venerea, vel quia esset proximum periculum ad delectationem veneream, vel saltem quia dispergitur ille humor: *Non primum*; quia nos loquimur de eo distillationis modo, in quo nulla adsit delectatio sensualis. *Non secundum*; quia si illius humoris effusio nullam adfert delectationem sensualem, non est ratio, cur ipsa sola spectata adferat periculum proximum in illicitam voluptatem veneream consentiendi. *Neq; tertium*; quia ille humor exstillans sine voluptate, non est semen, nec ejus effusio generationi nocet, sicut effusio seminis; sed ut optimè docet Gerson *part. 2. operum. Tractatu. De pollut. not ab. 1.* est humor medius inter semen, & urinam, ineptus ad generationem, ac habet diversum motum ac meatum distinctum ab eo, quem habet semen: immiscet se talis humor medius aliquandò cum urinatione, aliquando per se defluit sine cogitatione & sensu. Hæc & plura lectu digna ibidem *Gerson*. Undè *Cajetan.* apud *Sanchez*, aliisq; non imeritò pronuntiant de tali distillatione, esse perindè ac de sputo vel sudore laborandum, nisi ipsa carnis rebellio comitaretur: Et non obscurè favet S. Thom. *Opusc. 64. De fluxu libidinis*, sic dicens: *Sciendum, quòd illius humoris effusio non est pollutio, quia* (ut dicunt Medici) *sine libidinosa delectatione & carnis motione nullus potest pollui vigilans.* Hæc S. Doctor. Si ergò ea distillatio non est pollutio, nec oblectationem saltem veneram adferens, undenam oriatur peccati reatus?

661 IV. Hactenùs dicta traduntur ad intelligendam rei veritatem. In praxi autem omnes Doctores monent confessarium, ut cautus sit in examinando circa materias venereas, ne se vel pœnitentem scandalizet; audi unum aut alterum. Filliuc. in Institutione brevi pro confessario. c. 2. ait. *Prudens esse debet confessarius in exquirendis cautè circumstantiis 6. præcepti præparatoriis ad actum consumatum, modis minutis non necessariis, ne se vel pœnitentem excitet ad aliquam tentationem, vel delectationem.* Coninck disp. 17. De Sacram. n. 56. *Præstat aliquando Sacerdotem minùs perfectè peccatum pœnitentis intelligere, quàm vel illi, vel sibi aliquod scandalum creare, & esse nimium.* Angelus V. Interrogatio n. 1. *Confitetur mulier, quod sit cognita extra vas debitum: in quo loco vel quomodò, & hujusmodi, sicut faciunt quidam, qui potius sunt contaminatores, quàm confessores.* Vide etiam Lugo *disp. 16. De Pœnitent. sect. 14. n. 595.* Quare confessarius percipiens speciem aliquam certam, & numerum peccati luxuriæ, maximè contra naturam, regulariter ab ulteriori interrogatione abstinere debet tam quoad ligatos, quàm quoad solutos. Et speciatim in proposito quoad mollitiem, si pœnitens fatetur se voluntariè pollusse, præter objectum cogitatum vix aliquid interrogandum erit.

SECTIO VI. & ultima.

De Impudicitia interna, & externa. Seu *Cordis, oris & aspectûs, ac tactûs.*

SUMMARIUM.

662. *Quid & quale peccatum* impudicitia cordis? *scil*
664. I. *Cogitationes impuræ*?
665. II. *Delectatio morosa*?
666. III. *Consensus impudicus*?
667. *Quid, quando, & quale peccatum* impudicitia oris, *seu turpia loqui, cantare, legere &c. vel* 669. *audire*?
670. *Aspectus turpium potest esse mortaliter illicitus.* I. ex objecto.
671. II. Ex *intentione aspicientis.* &
672. III. Ex *periculo præviso.*
674. *Sicut tactus, oscula, amplexus possunt esse mortale, tripliciter,*
675. I. *Ex ipso objecto.*
676. II. Ex *intentione.* &
677. III. *Ex periculo animadverso.*
680. *An quando, & quale peccatum, tactus, oscula, amplexus*, I. honestatis?
681. II. Necessitatis?
682. III. Curiositatis, *vel* levitatis?
683. IV. Voluptatis *vel delectationis gratiâ? ubi quid delectatio venerea: sensibilis?*
685. *Delectatio venerea voluntariè habita semper est peccatum mortale.*
686. Sensibilis *tantùm per se solùm veniale.*
687. *Per accidens tamen sæpissimè mortale.*
688. *Imò semper mortale circa objectum per se turpe & obscœnum.*
690. *In re venerea deliberatè & directè intenta non datur parvitas materiæ;*
691. *Benè verò in re venerea indirectè tantùm voluntaria.*
692. *Resolvuntur casus varii communiter contingentes,* usque ad n. 698.

IMpudicitia dicitur voluntaria occupatio po- 662
tentiarum circa res venereas, seu circa provocantia ad libidinem voluptatis gratiâ. Ejusmodi autem impudicitia, & impudica occupatio fit vel in potentiis internis: intellectu, voluntate, phantasia, appetitu sensitivo; vel externis, ut aspectu, loquela, tactu & amplexu; & generatim quatuor modis, scilicèt *corde, ore, aspectu, & tactu.* Explico sigillatim.

§. I.

Impudicitia cordis

EST voluntaria occupatio mentis, seu po- 663
tentiarum internarum, nimirùm phantasiæ & appetitûs, intellectus & voluntatis circa res turpes, & ad libidinem provocantes voluptatis gratiâ: Et vulgò numeratur triplex, cogitatio, delectatio, consensus. De quibus ex professo latè in materia de peccatis, *p. 1. Decal. c. 6. per totum*; accipe summatim.

I. *Cogitatio*, vel imaginatio rerum obscœ- 664
narum voluntariè assumpta, admissa, continuata, seclusò omni bono fine, ex mera curiositate vel levitate practicè ordinariè sunt peccata mortalia,

Universidad de Deusto
Biblioteca

talia ob præsentissimum periculum labendi in gravius peccatum; utpotè delectationem, vel consensum turpem, aut in ipsum opus. Juxta *communem* DD. Quòd si verò assumantur, eisque immoretur ad malum finem operationis, vel delectationis inhonestæ, atque sic actu conjunctæ sint cum consensu vel in opus turpe, vel saltem in delectationem moro sam veneream, tunc coalescunt in unum peccatum cum ipso consensu & proposito, vel delectatione turpi, ut seorsim non sint exprimendæ in confessione, sed sufficiat dicere: consensi in tale opus turpe, vel delectatus sum morosè de tali opere turpi toties, &c.

665 *II. Delectatio morosa* impudica est simplex complacentia in delectationem veneream ex re turpi cogitata consurgentem absq; animo illam perficiendi: & hæc sive absoluta, sive conditionata sub quacunque conditione non subsistente, semper est peccatum mortale, ut jam toties inculcatum, & probat communissima DD. in dicta materia. Et reducitur hoc peccatum delectationis morosæ venereæ ad diversas species externas luxuriæ, utpotè fornicationis simplicis, adulterij, incestûs, sodomiæ, &c. juxtà rationem objecti, seu materiæ cogitatæ in tali delectatione, si tamen talis circumstantia attendatur, & intendatur in ipsa delectatione morosa, quod certè rarum. Undè qui morosè delectatur de ligata, consanguinea, vel sacra persona, præcisè ut fœmina pulchra est, nullam habet rationem talis circumstantiæ, ut ordinariè fit, committit actum simplicis fornicationis mentalis, neque ea circumstantia personæ cogitatæ necessariò erit explicanda in confessione, ut alibi jam notatum. Quòd si denique complaceat vel consentiat præcisè in ipsam delectationem venereamexurgentem absque cogitatione ullius objecti vel complicis (quod certè etiam rarò) non erit propriè loquendo delectatio morosa, sed simplex impudicitia reducenda ad speciem mollitiei tanquam inchoata pollutio, ut paulò superiùs notatum.

666 *III. Consensus impudicus* dicitur propriè, qui fertur in opus ipsum turpe, & est actus voluntatis efficax propositi, vel desiderij perpetrandi opus aliquod turpe, adeóque absolutus semper est peccatum mortale; quin etiam conditionatus sub conditione practicè non auferente malitiam actûs, juxta latè dicta in materia de peccatis. Est autem peccatum mortale ejusdem speciei cum ipso opere turpi perpetrando, undè tot sunt ejus species, quot sunt species externæ luxuriæ, ut suprà initio Tractatûs annotatum est. Intellige autem dummodò circumstantiæ speciem mutantes sint cognitæ, & attentæ per intellectum, etsi à voluntate minimè sint intentæ, contra quam modò dictum fuit de delectatione morosa. Ratio disparitatis sæpiùs indicata est: quia actus internus inefficax (uti est delectatio morosa) fertur in objectum præcisè, prout objectivè proponitur per intellectum, ideóque facilè abstrahit à circumstantijs annexis, quamvis cognitis; at verò actus internus efficax propositi, vel desiderij tendit in ipsum actum externum prout fiet à parte rei, ideóque non potest abstrahere à circumstantijs annexis, sed volens actum externum v. g. peccare cum ligata, consanguinea, &c. necessariò etiam vult circumstantias annexas cognitas.

§. II.

Impudicitia Oris.

667 *TUrpiloquium.* Turpia loqui, turpia cantare, legere de rebus venereis, vel ad libidinem provocantibus venereæ delectationis gratiâ, seu cum delectatione circa ipsas res turpes narratas, cantatas, lectas, vel cum animadverso periculo consensûs in delectationem venereamem, vel ipsum opus aliquod turpe (quò etiam spectant litteræ amatoriæ, & libidinosæ inter personas solutas) utique est mortale peccatum, mortalem scilicet malitiam sumens à fine mortali luxuriæ: juxta communissimam DD. cum Navarro *c. 16. n. 14.* Sanchez *lib. 9. matrim. disp. 44. n. 38.* Layman. l. c.

668 Quòd si tamen ejusmodi turpia dicantur, narrentur, cantentur, legantur non cùm delectatione libidinosâ circa ipsa objecta turpia, sed ex aliqua levitate, curiositate, aut alia delectatione non libidinosâ, ex joco, recreationis, vel temporis fallendi gratiâ, aut delectatione tantùm speculativa ob suavitatem, vel artificium Poëtis, mirabiles modos, vel inventiones circa talia (secluso semper periculo consensûs libidinosi) culpam saltem venialem non excedent: ut omnes fateri debent. Ubi tamen meritò advertit *Salas* apud Tambur. *l. 7. c. 8. §. 4.* convinci plurimos captare, ac consentire in delectationem libidinosam ipsarum rerum turpium sub prætextu artificiosæ propositionis, cantilenæ, musicæ, &c. quandò carmina vel cantilenas magis artificiosas de re pia fastidiunt, vel recusant, avidius verò excipiunt de rebus turpibus. Convinci item delectatione libidinosa ferri eum, qui frequentiùs & libentiùs loquitur de occultis partium corporis, & rebus ad eas partes pertinentibus, quàm de alijs rebus. Denique similis peccati argui, qui metaphoris rerum turpium gaudent, qui facilè dicta detorquent ad dictos turpes sensus, quamvis enim hæc sæpè excusentur ab inadvertentia, vel quia objectum, de quo agitur, non est adeò obscœnum, sæpè tamen, quia deliberatè procedunt ab affectu ad res turpes, à mortali non liberantur.

669 Denique ad impudicitiam oris debet etiam revocari impudicitia aurium: audire enim voluntariè turpia causâ delectationis venereæ, vel cum periculo consensûs in talem delectationem, aut ipsum factum, vel peccatum aliquod gravius turpis operis, similiter peccatum, mortale est, & præter proprium peccatum, sæpè potest accedere peccatum alienum scandali, utpotè si ejusmodi turpibus auditis arrideas, tibiq; placere significes, quo talia loquentes magis allicis

licis, vel confirmas: vel si facilè possis, vel etiam ex officio tenearis, tamen ejusmodi turpiloquia non prohibeas, impedias, abrumpas, aut saltem vultu, gestúque tibi displicere significes, vel loco abeas. * Secus est si ejusmodi audias ex levitate, curiositate tantùm, secluso periculo consensûs turpis, aut non impedias, cum facile non possis. Placet judicium Tambur. *cit. §. 4.* in fine dicentis; *Si alius loquentibus, tibi illud turpiloquium, vel impura cantilena displiceat, seu non placeat, nec tamen loco discedas, nec eos reprehendas ob ruborem, imò etiamsi (secluso scandalo, & animo de illo peccato delectandi) rideas, vel quid simile facias: te non arcuso peccati mortalis, quia ipsa erubescentia non contemnenda ratio est pro tua excusatione.* Hæc ille.

§. III.

Impudicitia aspectûs.

670 ASpectus impudicus rerum turpium libidinosus & mortaliter illicitus esse potest tripliciter, ex objecto, ex intentione, ex periculo.

I. Ex objecto aspecto, quod in se valdè turpe est, & notabiliter apud plurimos ad libidinem provocans, seu influens in commotionem illam libidinosam. Sic merè deliberatè 1. & seriò aspicere alios actu coëuntes (non item coëuntia animalia secluso affectu ad libidinem) 2. Aspicere membra pudenda alterius personæ diversi sexûs, ut vir fœminæ, aut fœmina viri; secluså vera necessitate, qualis est in Medico, vel Chirurgo, aut Infirmario ad medendum in istis partibus &c. 3. Aspicere personam alterius sexûs totam nudam deliberatè & seriò, vix unquam à peccato mortali excusari potest ob maximè præsentissimum periculum libidinis, atque consensûs libidinosi. Secùs dicendum foret, si ejusmodi inspiciantur vel indeliberatè ex improvisò, vel ex levitate valdè obiter & breviter, vel etiam (ut placet Tamburino cit. §. 3. *num. 3.*) ex loco valdè remoto; aut per velum opacum: tunc enim non erit nisi veniale, quia sic non adest periculum ad ulteriorem libidinem. Eadem ratione nudam personam ejusdem sexûs aspicere, si sit valdè puerilis, *Tambur.* ibidem cum alijs rectè censet esse tantùm veniale, quia hoc ex se non multùm excitat ad veneream. Plures casus adferam in fine infrà, ubi de parvitate materiæ.

671 *II. Ex sola intentione aspicientis libidinosa.* cùm quis scilicet ex intentione venereæ delectationis captandæ seu ex actuali affectu ad libidinem aspicit aliquid, etiamsi de se non ita turpe, v. g. faciem, pectus, ubera fœminæ, utique mortale peccatum erit ex vi intentionis libidinosæ: maximè secutâ, & voluntariè acceptatâ ipsa delectatione venereâ, cum commotione spirituum generationi servientium: ut cum Navarro *cit. c. 16. n. 11.* notant omnes passim. Peccant ergò mortaliter mas & fœmina soluti alterutrum ejusmodi lascivis aspectibus ad delectationem veneream, vel ipsius copulæ desiderium excitantes: juxta illud *Matth. 5. Qui viderit mulierem &c.* Cæterùm cùm quis aspicit mulieres affectu venereo sistendo in delectatione morosa sine progressu ad eas concupiscendas efficaciter ad copulam, meritò censet Tambur. *lib. 10. Decalogi c. 3.* non esse necessariò in confessione explicandas circumstantias personarum, eâdem ratione, sicut de ipsa delectatione morosa modò dictum fuit: quia etiam tunc tota delectatio videtur interiùs consummari. At si easdem venereo affectu etiam tangat, quia tunc actus exteriùs consummatur, utique esset personæ conditio exponenda.

672 *III. Ex solo periculo prævisо*, vel adverso libidinosi consensûs, ut cùm quis ejusmodi objecta turpia, seu minùs honesta, etsi secluså actuali mala intentione venerea, solâ levitate vel curiositate ductus deliberatè tamen & seriò aspiciens prævidet jam insurgente turpi commotione periculum consensûs in eam delectationem impuram, vel ipsum opus aliquod turpe, nec tamen ab aspectu cessat, utique jam peccat mortaliter ejusdem speciei luxuriæ peccato, cujus proximo periculo se sciens volénsque exponit, ut apud omnes in confesso est.

673 IV. Cæterùm secluso istis tribus, *objecto per se valdè turpi, intentione impurâ, & periculo consensûs in delectationem veneream, vel opus aliquod turpe*, se ipsum vel alios, viros, vel fœminas ex curiositate, vel levitate tantùm inspicere, non nisi veniale erit, & justâ causâ necessitatis, vel utilitatis utique ab omni peccato excusatur; quinimò, se ipsum etiam circa pudenda intueri plerumque veniale tantùm est: quia hoc non ita ad libidinem provocat, sicut aspicere pudenda aliorum, maximè diversi sexûs. Denique juxta dicta eâdem ratione discurrendum est de iis, qui legunt libros de rebus turpibus ex professo agentes; qui seriò inspiciunt picturas valdè obscœnas; qui spectant comœdias valdè turpia repræsentantes; si enim ita faciant cum voluntaria delectatione libidinosa, vel cum animadverso periculo consensûs in ejusmodi delectationem, vel opus turpe, liquidò peccabunt mortaliter. At secluså tali turpi delectatione, ejúsque periculo, ex sola levitate, vel curiositate talia agere, venialem culpam non excedet, dummodò semper absit periculum consensûs turpis. Sed heû in rem lubricam, quàm frequenter adest! Cæterùm de ipsis scribentibus libros turpes, pingentibus picturas inhonestas, histrionibus obscœna repræsentantibus, eos saltem ratione scandali peccare mortaliter, & vix unquam à mortali excusari posse, habet communis sententia in materia de charitate, & scandalo.

§. IV.

Impudicitia Tactûs.

674 IMpudici tactus, oscula, amplexus, eodem modo libidinosi, & mortales esse possunt tripliciter, *ex objecto, ex intentione, & ex periculo:* & quidem longè majori ratione, quia longè

Universidad de Deusto
Biblioteca

fortiùs ad libidinem provocat & irritat tactus, quàm aspectus tantùm, tangere enim proximiùs ordinatur ad libidinem, magisque venerem, id est, spiritus generationi servientes commovet, majúsque periculum ingerit fœdæ libidini serviendi, quàm solùm aspicere. Itaque

675 *I. Ex objecto ipso* tangere deliberatè & seriò partes inhonestas alterius personæ, sive ejusdem, sive diversi sexûs (seclusâ verâ necessitate v. g. medendi) semper est mortale; etiamsi delectatio venerea per se directè non intendatur, sed ex sola levitate, vel curiositate fiat; ob rationem dictam: quia nimirùm id ex natura sua nimiùm & proximè libidinem provocat: & graviùs peccatum est, si tactus fiat inter personas ejusdem sexûs, quàm diversi: quia tunc ad gravius peccatum naturâ suâ disponunt, ut rectè notat Sanch. *lib. 9. matrim. disp. 46. n. 18.* Sed dixi: *deliberatè & seriò*, nam Sanchez cum aliis *ibidem n. 12.* admittit hic aliquam levitatem & jocum excusantem, de quo infrà. Dixi etiam: *alterius personæ*: nam tangere se ipsum in partibus verendis etiam ex sola levitate (seclusâ mala intentione & periculo) culpam venialem non excedit, quia tactus suarum partium non est tam excitativus ad libidinem, sicut tactus aliorum: atque omni culpa vacábit, si ex rationabili causâ fiat ob obviantes necessitates, aut etiam (ait Tambur. §. 2. n. 4.) ad calefaciendas manus.

676 *II. Ex intentione.* Tangere partes quaslibet, etiam minimè inhonestas, ut faciem, brachia, pedem mulieris cum intentione captandi delectationem libidinosam, aut animo se, aut aliam personam provocandi ad libidinem vel opus turpe, liquidò etiam mortale est, ex fine mortaliter malo; atque circumstantia personæ sic libidinosè tactæ in confessione exlicanda, est, ut jam suprà de aspectu impudico innui. Quare cautè legendi & intelligendi sunt DD. *Cajetan. Navar.* alii, quandò dicunt: leviter tangere manum mulieris, digitum intorquere, pedem pede premere, &c. esse veniale: intelligendi sunt seclusa mala intentione libidinosa. Quis enim neget prementem vel levissimè manum, vel pedem mulieris, si fiat ex deliberato affectu libidinoso ad delectationem veneream vel ipsam copulam mortaliter peccare?

677 III. *Ex periculo animadverso* consentiendi in delectationem veneream, vel opus turpe, ut si inter tangendum, osculandum, amplexandum fœminam vel masculum, exurgente jam commotione libidinosa advertas periculum consensûs turpis, nec desistas, utique peccabis mortaliter ejusdem speciei peccato, cujus periculo te exponis. Unde à mortali excusari non possunt osculæ, amplexus, & tactus ejusmodi personæ morosè facti ob delectationem sensibilem persistentem in ipso osculo, amplexu, vel contrectatione affectata: & maximè si fiant cum ardore & mora, replicatis diu in ore osculis, gustatis labiis, linguâ unius alterius ore exceptâ, adest enim, & omninò adverti debet ab ipsis præsentissimum periculum consensûs libidinosi saltem in delectationem veneream indè inseparabiliter enascentem; & mirum esset, si non sequeretur consensus ipse. Atque hoc sensu rectissimè intelligitur damnata illa propositio infrà adferenda.

IV. Denique seclusis his tribus, tactus, oscula, amplexus etiam inter solutos, vel non nisi peccata venialia erunt, si otiosè ex mera levitate fiant: accedente autem justâ causâ, omni culpa liberabuntur: quæ quidem omnia hactenùs dicta in his terminis apud omnes certissima sunt. Latent tamen adhuc gravissimæ difficultates, & scrupuli difficillimi. Ut ergò in re usquequáque frequentissima, dicta meliùs intelligantur, pono unam & alteram specialem quæstionem. 678

QUÆSTIO I.

Quotuplex potest esse delectatio in impudicis tactibus, osculis, amplexibus, vel etiam aspectibus.

679 TActus, oscula, amplexus, sicut & aspectus, cogitationes, imaginationes de se sunt actus omninò indifferentes, possúntque fieri vel boni, vel mali moraliter, juxta bonum vel malum usum, vel finem, ad quem referuntur. Undè variè & quatrupliciter potissimùm possunt distingui tactus, oscula, amplexus; *honestatis; necessitatis; levitatis; vel curiositatis*; & *voluptatis* seu delectationis alicujus captandæ gratiâ. Percurro breviter singula.

I. Honestatis.

680 TActus, oscula, amplexus *honestatis* dicuntur, quæ fiunt vel juxta morem patriæ civilitatis gratiâ, vel aliàs ex honesto fine, utpotè ad contestandum amorem castum, amicitiam, pacem, reconciliationem, amorem, &c. Et sic omni culpâ vacant, quia honestatis virtutem induunt; oscula præsertim in scriptura verbis & exemplis commendantur Gen. 27. *Accede ad me, & da mihi osculum fili mi* Luc. 7. ait. Christus Simoni, *Osculum mihi non dedisti, hæc autem &c.* 1. Thessal. 5. *Salutate fratres omnes in osculo sancto.* Eadem autem est ratio de amplexibus & tactibus, ac complexibus manuum ob similem causam, idque maximè inter consanguineos & conjugatos, vel sponsos ad contestandum amorem, amicitiam conjugalem &c. quo etiam referenda est delectatio quædam moralis honestatis capta ex ejusmodi osculis, amplexibus, vel tactibus, quam scilicet quis sumit ex osculo, amplexu vel tactu honesto manûs exhibito in signum casti amoris vel amicitiæ: & potiùs est voluptas mentis, & gaudium animi de honesta amicitia & benevolentia, quàm affectûs sensitivi. Ut bene notat Tambur. *lib. 7. c. 8 §. 1. n. 3.*

II. Necessitatis.

681 TActus uti & aspectus (nam oscula & amplexus hic non habent locum) *necessitatis* dicuntur, qui necessariò fiunt in membris corporis etiam pudendis, tum alienis, utpote ad medendum à medico &c. tùm propriis, ad mundandam naturam &c. Et hi seclusò omni affectu & consensu turpi utique omni culpâ vacant, cùm necessitas non habeat legem. Idémque dicendum de tactu confricationis illorum membrorum ad sedandum pruritum in iis membris valdè teneris maximè acutum & molestum, ut à confricatione se continere difficillimum sit, estò sequatur aliqua commotio carnis, dummodò consensus absit, ut ex *Gerson*, & communi DD. notat *Sanch.* & *Layman.* addentes rectè, non esse condemnandum peccati, qui ejusmodi molestissimum pruritum sedare conatur etiam cum animadverso periculo pollutionis; similiter tamen sine periculo consensus venerei: quia dat operam rei licitæ, ut suprà suo loco notatur, tametsi sit res plena periculi in re tam lubrica, præsertim in persona fragili.

III. Curiositatis vel levitatis.

682 TActus, oscula, amplexus, uti & aspectus facti ex mera curiositate; levitate, vel joco, aut hilaritatis gratiâ circa personam ejusdem vel diversi sexûs, dummodò ex ipso objecto non nimis turpes sint, & seclusa intentione libidinosa, & periculo consensûs turpis, non nisi venialem culpam continent. Ita ex communissima DD. pluribus congestis *Sanch. & Laym.* l. c. eóque sensu intelligendi sunt DD. supra indicati, dum docent leviter tangere manum mulieris, digitum contorquere, pedem pede premere esse veniale. Sed notanter dixi: *dummodò ex objecto non nimis turpes sint, juxta dicta §. 4.* N. I. Certè deliberatè tangere immediatè (non item supra vestes) partes verendas personæ alterius, maximè diversi sexûs, cùm id per se & ex objecto suo magnam deformationem habeat, & ex natura sua ad libidinem excitandam tendat, adeóque hominem gravissimo consensûs periculo exponat, etiamsi ex sola levitate, vel joco fiat, à mortali excusari non posse, omnes fatentur. At verò quoad ejusmodi tactus circa personam ejusdem sexûs v. g. dum simul balneant, vel natant, &c. levitatem vel jocum à mortali excusantem admittit Sanchez *lib. 9. disp. 46. n. 22.* consentiente *Sylvio* apud Tambur. *cit. c. 8. §. 2. n. 4.* dicente; quod putamus admitti posse, si leviter, & quasi per transennam hoc fieret, non autem si omninò deliberatè: quia talis levitas & jocus deliberatus est nimis turpis & periculosus. Plures casus huc facientes *q. seq.* sub finem congeram. Denique se ipsum tangere ex sola curiositate vel levitate seclusâ intentione mala & periculo, per se solùm esse veniale, jam suprà notatum est.

IV. Voluptatis vel delectationis gratiâ.

683 TActus, oscula, amplexus, uti & aspectus sæpissimè fiunt propter aliquam voluptatem, vel delectationem sensibilem, quæ in ipsis, vel eorum objectis percipitur. Duplex autem hic distinguitur delectatio, *sensibilis venerea*, & *sensibilis tantùm.*

Delectatio *libidinosa & venerea* (jam toties ad nauseam usque inculcata) est, quæ consurgit ex commotione vel alteratione partis inferioris ob motum spirituum generationi servientium: qualísque percipitur in ipsa copula, pollutione &c. Undè dicitur venerea, quia est ordinata naturaliter ad promovendam generationem, cui Venerem antiquitas stulta Deum præsidem faciebat. Delectatio *sensibilis tantùm* dicitur, quæ solùm consurgit ex naturali proportione potentiæ ad objectum tactum, vel visum, naturaliter enim visus delectatur aspectu rei pulchræ, & potentia tactiva ex contactu rei mollis vel delectabilis; ut si delecteris aspiciendo fœminam pulchram, vel tangendo mollem carnem manûs vel faciei fœminæ: Eodem omninò modo, quo delectaris aspectu alterius rei pulchræ vel mollis absque omni ulteriori intentione ad delectationem libidinosam, carnalem, vel veneream ordinatam ad illicitam copulam vel seminationem. Ita quidem DD. communiter explicant. Subtiliùs Tambur. *lib. 7. c. 8. §. 1. à num. 7.* præter delectationem veneream libidinosam duplicem distinguit delectationem sensibilem naturalem tantùm, & specialiter ex tactu, vel osculo fœminæ absque tamen ordine ulteriori ad libidinem. Sed legat, qui volet, nostrum Marchant cum multis. Sed sit.

RESOLUTIO.

684 DElectatio voluntaria captata vel admissa deliberatè ex aspectibus, tactibus, osculis, amplexibus, venerea semper est peccatum mortale: sensibilis autem tantùm, per se veniale tantùm: per accidens tamen sæpissimè mortale, imò semper mortale circa objectum per se turpe & obscœnum. *Ita DD. citt.* Explico breviter.

685 *I. Venerea semper est peccatum mortale.* Certum apud omnes, & ratio eadem est, quâ quæstio sequens probabitur: Insuper in ea delectatione voluntaria nullam dari parvitatem materiæ à mortali excusantem. Certè si delectatio morosa venerea de re turpi cogitata tantùm mortale est (ut ex communi suo loco probatur) quantò magis mortale erit captata ex osculis, amplexibus, tactibus impudicis. Atque hac ratione intelligo damnari ac prohiberi ab Alexandro VII. inter cæteras num. 40. hanc propositionem: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalē & sensibilem, quæ ex osculo oritur, seclusò periculo consensûs ulterioris, & pollutionis.* Hæc ibi. Nam per delectationem carnalē videtur omninò intelligi venerea seu libidinosa, vel saltem sensibilis cum illa conjuncta, cum consensu, vel periculo consensûs in illam veneream delectationem, juxta mox dicenda, etsi *actu sq. periculo consensûs ulterioris* in aliquod opus turpe, *vel pollutionis.* Sed hæc salvo meliori judicio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

686 *II. Sensibilis tantùm delectatio per se est venialis tantùm.* Ita communis DD. cum Tamb. *lib. 7. Decalog. c. 8. §. ult. n. 6.* loquente etiam de delectatione illa speciali non libidinosa. Ratio; quia delectatio illa sensibilis per se, seclusò omni periculo consensûs turpis in delectationem venereàm, omni prorsùs culpâ vacat: nam ex se ordinatur ad bonum finem, nec in se inhonesta est; quòd si ergò captetur ex oscu lis, tactibus, aspectibus ratione sui tantùm absque aliquo bono fine, est sanè deordinatio aliqua & abusus rei per se non malæ, ideóque per se culpam venialem excedere non potest. Undè vides meritò jam suprà concessum aspectum vel tactum partis alioquin honestæ v. g. aspicere vel tangere faciem, manus, brachia, & (secundùm *Navarr.*) etiam mammillam fœminæ obiter ex joco, levitate, curiositate, ex se nihil habere mali, præter ipsum jocum vel levitatem venialem: nam ut sic solam naturalem sensibilem pariunt delectationem: ergò seclusò consensu venereo non est undè mortalis culpæ condemnentur.

687 III. Per accidens tamen sæpissimè mortale peccatum fit delectatio illa sensibilis ratione adjuncti periculi consensûs turpis, & hoc sensu ac practicè omninò vera est communis sententia DD. ac ipsius Sanchez sæpè cit. *lib. 9. disp. 46.* Oscula, amplexus, tactus voluptatis sensibilis gratiâ inter omninò solutos esse plerumque peccata mortalia ob maximum conjunctum periculum delectationis venereæ, ac consensûs turpis: & ratio sumitur ex manifesta experientia, quâ constat sæpissimè, imò plerumque non sisti in illa delectatione sensibili tantùm, sed nimis sæpè, ob symphatum potentiarum, exurgere etiam delectationem libidinosam venereàm: atque ideò ita voluntariè oblectantem sensibiliter in ejusmodi aspectibus, tactibus, osculis, plerumque se exponere periculo consensûs turpis saltem in ipsam delectationem libidinosam consurgentem, si non etiam in ipsum aliquod opus turpe. Et hac ratione rursùs supra diximus, amplexus, oscula, tactus, si fiant morosè ob captandam delectationem sensibilem præsertim inter duos diversi sexûs, quia naturaliter consequitur commotio, & delectatio libidinosa, adeóque adest periculum consensûs turpis, non posse excusari a mortali; tùnc enim ponitur causa proxima veræ libidinis: nisi fortè ætas infantilis aliquid amplius permittat, uti permittit Sanchez *cit. num. 13.*

688 IV. Imò semper peccatum mortale est delectatio sensibilis ex aspectu, vel tactu circa objectum per se turpe & obscœnum. In hoc omnes consentiunt, & nos hactenus semper supposuimus. Ratio, imò experientia nimis manifesta est; quia aspectus & tactus objecti obscœni, vel partis inhonestæ corporis alterius, etsi fiant primariò ob delectationem sensibilem, tamen naturaliter & inseparabiliter pariunt etiam delectationem libidinosam venereàm, ut mortaliter impossibile sit, ut delectatio quæcunque sensibilis ejus partis, quæ tam proximè inservit generationi, assumatur vel admittatur, quin concomitanter consurgat ipsa delectatio libidinosa; quare dum aliquis tam proximam inseparabilem, & efficacem causam libidinosæ delectationis voluntariè ponit, illam voluntariè procurare, & saltem indirectè velle convincitur, eóque ipso delinquere mortaliter: quæ ratio valde notanda est. Tandem si fiant ejusmodi tactus, amplexus cum periculo ipsius pollutionis, de hoc jam habes *suprà sect.* 4. satis. Jam sequitur principalis in hac materia valde intricata controversia, & delicata.

QUÆSTIO ALTERA.

Datúrne parvitas materiæ excusans à mortali in re venerea, vel materia luxuriæ?

689 Differunt ista duo sicut magis & minùs latè patens; nam *res venerea* propriè est ipsa copula, vel coitus carnalis, pollutio atque delectatio venerea ex commotione spirituum generationi servientium orta in & circa partes genitales, & ad summum, quæ ad hoc proximè disponunt, ut tactus & agitatio partium genitalium &c. *materia luxuriæ* autem generalis ultrà prædictas res venereas ad ipsam generationem pertinentes, comprehendit omnem etiam impudicitiam seu occupationem potentiarum ac sensuum præsertim tactûs circa res inhonestas, vel ad libidinem aliquo modo provocantes, de quibus hactenus actum est. Jam verò non potest esse quæstio, an detur parvitas materiæ in re venerea quoad ipsam copulam & pollutionem seu seminationem illicitam. De hoc enim nemo sanæ mentis ambigit, quin non; sed solùm quoad delectationem libidinosam venereàm, directè vel indirectè intentam, & consequenter etiam quoad impudicitiam cordis, oris, aspectûs, tactûs &c. Pono duas resolutiones.

RESOLUTIO I.

690 In re venerea, hoc est, non tantùm quoad copulam, pollutionem, distillationem libidinosam, seu quamcunque voluntariam effusionem seminis illicitam, verùm etiam quoad delectationem venereàm seu libidinosam directè & deliberatè intentam, quæsitam, acceptatam, practicè saltem non potest esse parvitas materiæ excusans a mortali: atque ideò omnis impudicitia cordis, oris, aspectûs, tactûs, oscula, amplexus &c. facta causâ delectationis venereæ captandæ, sicut omnis in illam deliberatus consensus seu complacentia semper est peccatum mortale. Est in re communissima, & mihi planè certissima doctrina, quam latissimè probat Rebellus *de just. part. 2. lib. 3. q. 19.* Less. *lib. 4. de just. c. 3. n. 119.* Sanch. *lib. 4. moral. c. 5.* Laym. *lib. 4. tract. 5. c. 8. n. 2.* Dian. *part. 3. tract. 5. resol. 1.* alii innumeri apud istos (quidquid cum paucis aliquibus contradicat Caram. *in Regul. S. Benedicti* infrà citandus.) Ratio est; quia omnis delectatio venerea & libidinosa naturâ suâ per se ordinatur ad copulam, imò re ipsa (ut benè docet *Galenus* apud citat.) est ipsissima inchoatio pollutionis: quid enim est nisi motus humoris spermatici per spiritus generationi servientes incalescentis, & per certas arterias ad instrumentum generationis tendentis: ergò sicut deliberatè velle copulam, seu seminationem illicitam semper mortale est; ita etiam deliberatè velle eam delectationem, seu commotionem venereàm in se, vel in alio, semper erit peccatum mortale; & sicut in ipsa copula vel seminatione illicita, ita & in ea delectatione, vel commotione illicita per se ordinata, & inchoante seminationem illicitam, nunquam poterit esse parvitas materiæ excusans à mortali, *saltem practicè loquendo.* Neque enim in praxi audienda est distinctio Caramuelis *Theol. Regul. sive in Regul. S. Benedicti disp. 69. & 70.* Delectationem venereàm esse quidem peccatum mortale, quandò pollutio graviter & propinquè inchoata est: non item, si pollutio solùm leviter, tenuiter, & remotè inchoata sit. Etsi enim hoc speculativè defendi posse fatear; practicè tamen nullo modo probari potest ob evidentissimum periculum in re tam lubrica & picea. Hic enim verissimè & certissimè: *qui tangit picem, iniquinabitur ab ea;* etenim quantumvis minima delectatio & comotio venerea naturâ suâ tendens in majorem & majorem, ipsámque seminationem, & tam delectabiliter, voluntariè consentientem, ac maximè excitantem exponit proximo & gravissimo periculo consentiendi in majorem delectationem, majúsque peccatum carnale. Qua ratione Sanchez *cit. lib. 1. moral. c. 6.* dicit (retractans suam contrariam sententiam antèa traditam *lib. 9. mat. disp 56.*) *quia in quavis delectatione venerea deliberatè admissa apertum est periculum incidendi in majorem delectationem aliam manifestè mortalem: quare nec audeo, nec unquam ausus sum excusare à confessionibus hujusmodi delectationum quantumvis modicarum declarationem.*

RESOLUTIO altera.

691 Omninò admittenda est parvitas materiæ excusans à mortali in materia luxuriæ quoad impudicitiam cordis, oris, aspectûs, tactûs &c. non tantùm quoad delectationem sensibilem (de qua suprà) sed etiam quoad ipsam delectationem venereàm libidinosam directè minimè intentam, sed indirectè solùm voluntariam in ejusmodi causa levi posita, vel non ablata, seclusò consensu, & periculo consensûs in ipsam delectationem venereàm, vel ulterius opus turpe. Ita (præter DD. qui absolutè, hic admittunt parvitatem materiæ, & fortè nihil aliud volunt, excepto *Caramuele* manifestè loquente de delectatione venerea) expressè docet Vasquez *lib. 2. disp. 108.* asserens, hac de re nullam fuisse controversiam, cùm DD. contrarium communiter asserentes loquantur de delectatione venerea directè intenta, vel volita. Castro-Pal. apud Tambur. *cit. c. 8. §. 1. n. 8.* vocat hanc communissimam DD. Sententiam admittentem in materia luxuriæ leve peccatum ex parvitate materiæ, aliísque citt. Filliuc. *tract. 30. in 6. præcept. c. 9. toto*, præcipuè *n. 18. & 19.* Item par nobile fratrum Jacob March. Resol. Pastoral. *p. 1. c. 6. q. 6.* Et Petrus Marchant. *Trib. tom. 2. tract. 6. tit. 3. q. 2. §. 8. dub. 1. resol. 2. in fine.* Ratio; quia valdè rationabile, & consonum est fragilitati humanæ, quòd homo sub peccato mortali non teneatur evitare omnem actionem levem, ex qua est periculum exurgendi aliquos motus delectationis venereæ, & cùm hi motus longè facillimè exurgant, ut sit mortales, omninò requiri debet majus voluntarium, quàm indirectum & virtuale in causâ maximè levi, & de se veniali tantùm: alioquin certè oporteret condemnare peccati mortalis omnem conversationem non necessariam virorum cum fœminis, juvenum cum puellis, colloquia familiaria, choreas, aliásque recreationes etiam honestas: cùm in ijs facilimè intercurrant aspectus blandi, verba levia, tactus, oscula, amplexus, & alia hujusmodi venialia, ex quibus plerumque oriuntur motus aliqui venerei, quos tamen seclusò consensu, ejúsq; periculo una cum veniali causa sua meritò censemus veniales, quemadmodum & alia, quæ remotè tantùm disponunt ad alia peccata mortalia; ut litigium ad homicidium, hausfus superfluus ad ebrietatem &c. venialia tantùm meritò censentur. Regula ergò à DD. assignata, & recepta, & à nobis tradita de ipsa pollutione indirectè voluntaria vel causata, à fortiori locum habere debet in delectatione venerea indirectè tantùm voluntaria, nimirùm *Quando causa posita est licita, vel venialiter tantùm mala, etiam delectatio præter intentionem subsurgens inculpata, vel venialis tantùm culpa erit.* Applica in exemplis hactenùs datis. Ex dictis inferenda est corollaria

RESOLUTIO.

Variorum casuum in particulari.

692 I. Oscular pueros ex amore tenerę infantilis ætatis, complecti, tangere, captando delectationem sensibilem ex mollitie carnis teneræ, seclusò consensu turpi, nullum vel veniale tantùm peccatum est. *Sanchez. Jacobus, Marchant* II. cc. Similiter ancillæ puellos vestientes, lavantes, eorúmque pudenda tangentes vel aspicientes, etsi motus sensualis, seclusò consensu vel complacentiâ turpi exurgat: aut non peccant, si ita officium exigat; aut solùm veniale est, si ex curiositate faciant: mortaliter autem peccare possunt, si id morosè faciant ob morale periculum consensus libidinosi.

693 II. Personæ ejusdem sexûs simul balneantes, natantes, ex curiositate vel levitate tantùm etiam in partibus verecundis invicem aspicientes cum motu sensualitatis, seclusò consensu turpi, non sunt condemnandi peccati mortalis: Secùs est

Universidad de Deusto
Biblioteca

de personis diversi sexûs, tunc enim semper est morale periculum libidinis. Se ipsum autem aspicere, vel tangere ex curiositate, vel levitate, secluſa intentione, complacentiâ, vel consensu turpi, ordinariè veniale est: quia minor est indecentia & minùs movent ad turpia propria, quàm aliena: ut etiam in superioribus notatum habes.

694 III. Choreas ducere, etsi aspectibus, tactibus, osculis, amplexibus solitis, delectatio sensibilis captetur seclusâ semper intentione, vel consensu turpi, nullum, vel veniale tantùm peccatum est. Cajetan. *V. Choreæ.* Filliuc. *tract. 33. c. 10. n. 224.* ubi sic dicit: *Rustici diebus festis non sunt prohibendi à choreis, modò fiant post Missam, tum quia aliàs otio vacarent, quod pejus esset; tum quia fiunt pro more Regionis, & publicè coram aliis, ideóq; magna ex parte aufertur libidinis occasio: Tum quia videntur conciliatrices amoris, & benevolentiæ inter adolescentes & puellas in ordine ad matrimonium.* Sic ille sapienter.

695 IV. Cantare, dicere, legere turpia, peccatum est juxta intentionem facientis; si enim fiunt cum intentione vel complacentia turpi, mortale; si ex curiositate vel levitate tantùm, secluſo periculo consensûs turpis, venialem culpam habent; at verò componentes cantiones, vel libros turpes ordinariè mortaliter peccant ob scandalum saltem aliquorum: quemadmodùm etiam comœdias turpes exhibentes, de quibus itidem jam mentio facta.

696 V. Mittere litteras amatorias, munera, &c. similiter peccatum est juxta intentionem facientis: Si enim faciant ex intentione libidinosa, vel animo provocandi alterutrum ad illicitam venerem, liquidò mortale erit: si ex sola levitate, joco, vexatione vel recreatione, veniale per se loquendo: Si ad captandum, vel fovendum honestum amorem in ordine ad matrimonium, culpâ vacabit, præsertim inter jam sponsos. Intellige semper: *per se loquendo*, nimirùm, secluſo periculo proprio, vel alieno: aut nisi scriptio, pictura, &c. de se valdè turpis esset, & ad libidinem provocans.

697 IV. Aspicere animalia coëuntia ex curiositate vel leviate, secluſo affectu libidinoſo, non nisi veniale est; quia id non multùm excitare solet ad libidinem; Insuper eadem animalia, minora præsertim, ut catellos, catos, &c. molliter tractare, demulcere, etiam eorum pudenda contrectare, &c. (res sanè castitatis amatoribus meritò fugienda) ex curiositate, vel levitate, nullâ conceptâ in se impurâ delectatione, non nisi veniale esse docet. Sanchez *lib. 9. disp. 46. n. 15.* Aliósque citans Diana *part. 2. tract. 17. resol. 37.* Quia indè non excitatur tam vehemens delectatio. Addit quidem Diana. *Et quamvis confricans intenderet, ut brutum semen expelleret ex curiositate illud videndi, non esse mortale; quia non est mortale impedire bruti generationem, aut efficere, ut abortiat, sicut nec ipsum necare* brutorum enim Domini sumus) *licèt oppositum sit probabilius.* Hæc Diana ex *Sanchez.* Oppositum autem docent Bonacina, & Salas apud eundem, & meritò mortale esse censet Tamburin. *cit. lib. 7. c. 8. §. 2. n. 5.* Quandò quis ita faceret ob delectationem sensibilem; quia tanta contrectatio pudendorum animalis, tam seriò facta ob sensibilem delectationem, principium ex se est impuræ libidinis. Denique, si ejusmodi fierent ex affectu libidinoſo ad ipsa animalia, maximè grandiora, non tantùm mortale esset, sed etiam spectaret ad peccatum bestialitatis tanquam actus quidam inchoatus. Et de his tandem satis.

CAPUT IV.

Sivè

TRACTATUS APPENDIX.

DE

ABORTUS PROCURATI MALITIA ET POENIS,

Juxta Jus Commune & Constitutiones SIXTI V. & GREGORII XIV. PONTIFICUM.

PRÆNOTIONES.

I. Abortus.

EST ejectio fœtûs immaturi, ejúsq; 698 vel inanimis adhuc, aut jam animati animâ rationali. Retinenda pro praxi omninò videtur communis persuasio ex Aristotele *l. 7. de animal. c. 3.* fœtum masculum animari quadragesimo, fœmineum verò octuagesimo die à conceptione. In dubio, qualisnam fœtus fuerit, præsumendum esse masculum; ideóque post quadragesimum diem ejectum fuisse animatum, ac homicidium patratum; atque ita observare sacram Pœnitentiariam, testatur *Noldus* apud Dianam consentientem *P. 7. tr. 5. resol. 5.* Contra verò præsumendum fuisse, fœmineum, ac proindè ante octuagesimum vel saltem sexagesimum à conceptione diem ejectum, non fuisse animatum, nec consequenter homicidium patratum, ut, quo minùs potest, gravetur delinquens, mitiùs censent alij. Et saltem verum esse debet in ordine ad pœnas corporales, quando criminaliter agitur; tunc enim, quoad rationabiliter potest, præsumitur fœtus potiùs inanimatus, quàm animatus, ut pluribus allegatis tenet *Barbosa* apud eundem Dianam *ibid. resol. 41.*

II. Abortum procurare

EST studiosè quærere & applicare media ad 699 id, ut fœtus sive inanimis adhuc, sive jam animatus ejiciatur, vel occidatur. Duobus modis potest fieri ejusmodi abortûs procuratio. Primò, *directè & per se*: applicando medium vel medicamentum per se efficax & ordinatum ad expellendum vel occidendum fœtum: uti sunt potiones quædam medicatæ, compressio violenta prægnantis, percussiones, pondera gravia eidem imposita, alia sexcenta & non rarò etiam malefica. Secundò *indirectè tantùm*, & *per accidens*: utpotè applicando pharmacum vel medium per se solùm ordinatum ad conferendam sanitatem prægnantis etsi per accidens & præter intentionem simul fœtum expellat, eive mortem inferat. De cætero notum est, abortum, sicut & quodvis homicidium, posse causari aut physicè & immediatè, aut moraliter & mediatè, jussione, consilio, consensu; item aut voluntariè, aut solùm casualiter: deniq; aut certò, aut dubiè; de quibus ordine: præmissâ tamen necessariâ summulâ dictarum Constitutionum Pontificiarum.

III. Summa Constitutionis Sixtinæ.

700 SIxtus V. *Constitutione sua 87. editâ anno 1588. incipiente Ad effrænatam.* de nostra decernit sequentia.

Primò §. 1. Eos, qui per se vel interpositas personas abortûs seu fœtûs immaturi, tam animati, quàm inanimati, formati vel informis ejectionem procuraverint, percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribúsque mulieri prægnanti impositis, ac aliis etiam incognitis vel maximè exquisitis rationibus, ita ut reipsa abortus indè secutus fuerit, ac etiam prægnantes mulieres, quæ scienter præmissa fecerint: teneri pœnis omnibus Jure Divino & Humano, Canonico & Civili statutis contra veros homicidas.

Secundò §. 2. 3. 4. Eosdem incurrere irregularitatem: undè nec promoveri possint, nec, si promoti fuerint, ministrare; sed eo ipso omni privilegio Clericali, Officio & Beneficio esse privatos, quæ sic vacatura reserventur dispositioni Papæ: atque inhabiles in futurum, etiamsi delictum fuerit occultum: Et qui foro Ecclesiastico sunt subditi, degradati tradantur foro sæculari capitali sententiâ puniendi.

Tertiò § 5. Similibus pœnis vult teneri eos, qui sterilitatis potiones ac venena propinaverint mulieribus, aut quò minùs fœtus concipiant, impedimentum præstiterint, vel ad hæc quocunq; modo consuluerint, vel auxiliati fuerint; nec non & mulieres ipsas, quæ eadem pocula sponte ac scienter sumpserint.

Quartò §. 7. Insuper omnes, quicunque vel quæcunque, vel ut principales, vel ut socij, sociæ, consciævé ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cujuscunque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras vel apochas, vel aliàs verbis aut signis juverint, aut consuluerint, ipso facto excommunicationem incurrant, à quâ nequeant absolvi (nisi in articulo mortis) neque etiam in Jubilæo, aut vigore Concilii Trideptini, nisi à Romano Pontifice: atque etiam ab eo duntaxat urgentissimis de causis, in irregularitate eâ de causâ contractâ, dispensari possit. Non obstantibus, &c. *more solito.*

IV. Moderatio Gregoriana.

701 GRegorius XIV. *constit. 8. editâ anno 1591.* incipiente: *Sedes Apostolica*: rigidam illam Sixti V. Constitutionem in duobus punctis gravissimi momenti moderavit. Accipe verba formalia omni acceptatione digna.

Primò §. 2 in fine. *Prædictam constitutionem sic duximus moderandam, ut à peccato & excommunicatione contra personas ibi expressas latâ, tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt; quàm quoad illos, qui post nostram constitutionem in iisdem casibus deliquerint, quilibet Sacerdos tam sæcularis, quàm cujusvis Ordinis Regularis, ad Christi fidelium confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus plenam & liberam, in foro conscientiæ tantùm, absolvendi habeat facultatem, eandem prorsùs, quam idem Sixtus Prædecessor sibi ac suis Successoribus reservavit.*

Secundò §. 3. *Quò verò ad pœnas procurantium abortum fœtûs inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocunque modo auxilium vel consilium eis dantium, in prædictâ Constitutione contentas, constitutionem præfatam in ea parte, ubi de his agit, ad terminos juris communis, ac sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, dispositionem, Authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, tam quoad præterita, quàm quoad futura, perpetuò reducimus perindè ac si eadem constitutio in hujusmodi parte nunquam emanasset.*

Non obstantibus eâdem Prædecessoris nostri Constitutione, quam quoad reliqua omnia, præter contenta in hâc nostra constitutione, in suo robore omninò permanere volumus, cæterisq; contrariis quibuscunque. Hæc Pontifex Gregorius.

Ex quibus vides ex illa Constitutione Sixtinâ nihil ferè remanere roboris quoad abortum fœtûs inanimis; multùm verò per omnem modum quoad abortum fœtûs animati, ut patebit.

SECTIO I.

Abortum fœtûs inanimati.

SUMMARIUM.

702. *Procurare abortum etiam fœtus inanimati est intrinsecè mortaliter malum.*
703. *Refertur opinio, aliquando licere, scil. ad servandam vitam prægnantis.*
704. *Sed statuitur sententia vera, licere nunquam.*
706. *Solvuntur fundamenta opposita.*
707. *Pœnas tamen, scil. irregularitatem non incurunt procurantes abortum fœtus nondum animati.*
709 *Qualiter liceat indirectè procurare abortum fœtus nondum animati?*

Malitia.

INtrinsecè malum & mortaliter illicitum est 702 fœtûs etiam inanimati abortum procurare directè: est enim velut homicidium privativum, utpotè impeditio vitæ humanæ in materiâ, in quâ secundum ordinarium naturæ cursum proximè inesse deberet, de quo acutè Tertullianus in Apologetico c. 9. *Nobis homicidio semper interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc*

Universidad de Deusto
Biblioteca

huc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidij festinatio est, prohibere nasci: nec refert, natam quis eripiat animam, an disturbet nascentem. Homo est, qui futurus est, nam fructus in semine est. Et ex D. Hieron. Sixtus P. V. in allegatâ Bullâ. *Nimis enim imprudenter contra Dei voluntatem se opponunt, qui, ut S. Hieron. ait, dum natura recipit semen, receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit: dum inter ventris angustias Dei manus semper operatur, idémq; corporis creator & animæ est, impiè deficiunt bonitatem figuli, id est Dei, qui hominẽ plasmavit, fecit, & voluit.* Sic illi: idémque sentit D. August. *l. de Nuptiis & Concupisc. c. 15.* relatus *c. aliquando 32. q. 2.*

Ejusdem intrinsecæ & mortalis malitiæ est, quocunque modo vel medio malitiosè impedire conceptionem prolis post copulam, aut prolis jam conceptæ animationem, aut aliter sterilitatem procurare: cui flagitio pœna homicidij decernitur jure communi *c. Si aliquis, de homicidio. Si aliquis causa explendæ libidinis, vel odij meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare vel concipere, vel nasci soboles, ut homicida teneatur.* Verùm hîc controversia est perdifficilis, utrum prædicta adeò sint intrinsecè mala, ut nullo bono fine honestari, nullo casu vel causâ excusari, ac licere possint.

Opinio licere aliquando.

703 UNo saltem casu, nempè ad servandam vitam prægnantis ex præsenti morbo extremè periclitantis, nullo alio remedio suppetente, licere directè procurare abortum nondum animati fœtûs, docent DD. sanè graves & multi satis. *Navarrus, Henriquez*, aliisque congestis Sanchez *l. 9. de Matrimonio disp. 20.* Laym. *Theol. Moral. l. 3. tract. 3. p. 3. c. 4. num. 4.* Diana *part. 5. tr. 14. Miscell. resol. 90.* Ratio potissima est: I. Quòd eo casu fœtus sit quodammodo aggressor invadens quasi matrem, dum ei periculum mortis creat: quem proinde jure naturali liceat abigere, quemadmodùm & alios humores noxios invadentes naturam. II. Licitum est ad conservationem totius suppositi abscindere aliquod membrum etiam sanum & innoxium ex se, ut si manu vel pede alligatus aliter non possis evadere mortem atrocem â grassante incendio, aut imminente ferâ vel tyranno, &c. atqui fœtus nondum animatus est pars uteri materni: ergò &c. III. Ex duobus malis minus est eligendum, majúsque bonum præferendum minori: at nónne liquidò majus malum est mors matris, quàm ejectio fœtûs nondum animati, majúsque bonum conservatio vitæ matris, quàm fœtus inanimis? IV. At quid tandem cum tanto matris discrimine & detrimento conservandus sit fœtus ille, qui certè, pereunte matre, nunquam animabitur.

Nec desunt Authores, qui hanc licentiam abortûs procurandi ulterius extendant ad cavendam mortem vel infamiam de futuro, utpotè quando prægnans timeretur ex partu moritura, vel jam experta sit, se in partu ad extrema deduci: item quandò prægnanti ex stupro, adulterio, incestu, alióvè coitu damnato, secuto partu, immineret periculum gravissimæ infamiæ, pœnæ, imò mortis ex justitia, &c. In ejusmodi casibus etiam licere tempestivè procurare abortum fœtûs nondum animati probabile censent *Torreblanca, Bordonus, Lezana, Trullenchus*, alij apud Dianam *p. 6. tr. 8. Miscell. resol. 37.* Sed meritò reprobat communis Doctorum etiam priorem casum approbantium. Sanchez *cit. n. 9.* Diana ibidem in fine, addens: *Imò audio, si verum est, fuisse damnatum in Congregatione sancti Officij.*

Sententia vera, licere nunquam.

704 ITa universaliter Communior Doctorum, nominatim Lessius *l. 2. de justit. c. 9. dub. 10. n. 61. P.* Navarr. *l. 2. de Restit. c. 3. n. 140.* Card. de Lugo *disp. 10. de Just. sect. 5. à num. 130.* & latè Basil. Boncius *l. 10. de Matrimonio c. 13.* alij apud ipsos. Ratio validissima sumitur à simili de pollutione seu effusione seminis voluntariâ nullo unquam casu licitâ, etiam in nostro casu ad conservandam vitam hominis extremè periclitantis. Et quænam hujus ratio? an vulgaris illa: Quod procurare pollutionem sit contra finem naturalem seminis à natura per se intentum, scilicet generationem prolis? Atqui procurare abortum fœtus jam concepti, etsi nondum animati, æquè, imò multò magis est contrà finem generationis, à natura per se, non modò intentum, sed jam actu attentatum, & proximè attingendum uti, pulchrè exprimunt verba *Tertulliani*, & Sixti V. P. modò n. 1. recitata; ergò à fortiori non licebit unquam etiam ad vitam prægnantis conservandam procurare abortum.

Dices utique cum doctissimo Sanchez *cit. n. 7.* Rationem, ob quam seminis effusio nunquam liceat, non esse dictam frustrationem finis naturalis, damnúmque generationis præcisè, sed quia natura omnimodam seminis administrationem negavit extra coitum aptum generationi, propter apertissimum periculum incontinentiæ ex nimiâ delectatione, quæ in illa effusione sentitur. Nam hinc, si extra copulam liceret saltem aliquo casu eam procurare, homines ea delectatione contenti minùs de prole generandâ curarent, sicque impediretur usus matrimonij maximo generationis ac speciei humanæ detrimento. Quæ ratio & inconveninentia non habet locum in abortu procurando sine dubio non multùm delectante. Sed pace laudatissimi Doctoris, occurro cum Eminentissimo Cardinale de Lugo *cit. n. 131.* & subsumo.

Atqui reverâ, re benè consideratâ, eadem ratio, & quidem fortiùs urget in proposito. Nam si aliquando liceret procurare abortum, omninò & majus esset periculum, quod homines illam delectationem longè majorem ipsius copulæ quærerent eo animo & fiduciâ, quòd posteà ex causa possit procurari abortus, partúsque impediri (& sanè frequentior multò posset causa prætendi abortûs procurandi, quàm pollutionis) sicque homines adhuc ea delectatione contenti minùs curarent de prole generandâ, & non tantùm impediretur usus legitimi matrimonii, sed magna daretur occasio fornicationibus & stupris, à quibus absterrere solet timor prolis, partúsque futuri: qui timor magnâ ex parte cessaret, si scirent homines, posteà ex causâ licere obortum procurare. Fatendum ergò est naturam, sicut seminis, ita & fœtûs omnimodam administrationem negâsse citra finem generationis: atque adeò, sicut pollutionis, ita & abortûs procurationem simpliciter & in omni casu interdixisse.

706 Cæterùm *quod nimium probat, nihil probat.* Rationes oppositæ sententiæ, aut nihil probant pro abortu, aut efficaciùs urgent pro pollutione. Nam ecce: Ad I. Si ratione aggressionis licet procurare abortum fœtûs inanimis; certè longè violentiùs aggreditur vitam humanam semen abundans morbis illis acutissimis, quàm minutula illa substantia fœtus adhuc inanimis: ergò à fortiori, cur similiter eo casu non liceat procurare emissionem seminis? Quin imò, cur non etiam abortum fœtûs jam animâ formati: cùm non minùs innocens possit se defendere ab aggressore animato, quàm inanimato? Loquimur autem de fœtu inanimi remanente in debita constitutione naturali & capaci animationis. Quòd si enim fœtus jam esset corruptus, nemo negabit posse directè expelli ob conservandam vitam mulieris (sicut & semen corruptum ad servandam vitam hominis) jam enim non est fœtus, sed massa maligna.

Ad II. Omninò licet ob conservandum totum amputare partem: pars enim naturaliter & principaliter est propter totum, neq; membrum hominis ullum, nisi in ordine ad totum, habet finem per se intentum à natura in universo. Fœtus autem proprie non est pars matris, neque propter matrem; sed alium habet finem per se intentum à natura, imò inchoativè in fieri jam est constinctum individuum humanum. Certè liquidò magis propriè pars hominis est semen, & aliquâ saltem ratione propter hominem, quippe & ipsum nutrimentum partium contiguarum ex physicorum scitis: ergò &c.

Ad III. Si tibi minus malum videtur abortus fœtûs inanimati, quàm mors matris, quâ tandem ratione majus malum sit effusio seminis lethaliter pernicioſi, quàm mors hominis, præsertim Principis, Pontificis sanctissimi? Nostri benè, quos tacitus insinuans adorem.

Ad IV. Eâdem formâ interrogo: ad quid tandem cum tanto hominis discrimine & detrimento retinendum sit semen? nunquid enim homo mortuus generabit? aut semen in cadavere tabescens utile erit generationi?

Vides ergò bone vir (cui hæc mente destino) rationem fundamentalem intrinsecæ & omni casu inexcusabilis malitiæ, sicut in pluribus aliis, ut mendacio, violatione sigilli Sacramentalis &c. ita etiam in hoc utroque casu nostro petendam esse, non à damno actuali, quod afferunt *semel facta*; sed damno habituali & consecutivo quod adferrent *semel licita*, si nimirum vel in aliquo uno casu licere nossent homines, qui suaptè naturâ corruptâ ad malum proni facili extensione vitiosâ passim fingerent sibi casus similis licentiæ, gravissimo morum vel naturæ detrimento. Ita rectissimè sentis cum Sanchez de pollutione supra *n. 705.* Idem à fortiori applico abortui *ibid. in Min. subsumpt.* atque utrumvis æquè majus assero malum habitualiter & consecutivè, quàm sit mors unius hominis qualiscunque; quousque afferatur liquidum & efficax discrimen: quale certè non est, quòd modus procurandi pollutionem facilis sit & innoxius; media autem abortûs procurandi difficilia, aspera, periculosa? Ne credas: aliter experientia constitit, quoad conceptum vel fœtum disturbandum proximis à coitu septimanis: certè vix unquam talia, ut vel levem metuentem infamiam absterreant à flagitio. Parce verecunde Lector in re non verecundâ ingratam moram. Nam urgens ursit me arcana causa.

Pœnæ & Limitatio.

707 PRocurantes quomodolibet abortum fœtûs nondum animati, quantumvis illicitè & malitiosè, post Constitutionem Gregorii XIV. neque irregularitatem contrahunt, neque excommunicationem à Sixto V. fulminatam incurrunt, ut ex prænotatis *n. 701.* liquet; illas enim pœnas quoad procurationem abortû fœtûs inanimis, sterilitatis &c. Gregorius reduxit ad terminos Juris communis, SS. Canonum, & Concilii Tridentini: in his autem nulla fulminatur excommunicatio in procurantes abortum: neque in toto jure statuitur irregularitas ex delicto homicidii, nisi homo jam actu vivens & animatus interficiatur: quin in nostro casu expresè declaratur *c. sicut ex litterarum de homicidio.* Ubi posito casu de Clerico, qui mulierem prægnantem per ludum zonâ trahens abortire fecerat, ideóque de irregularitate dubia respondet Pontifex; *Quòd si nondum erat vivificatus fœtus, ministrare poterit; alioquin debet ab Altaris ministerio abstinere.* Glossa ibid. Et in supra allegatum *c. Si aliquis eod. tit.* Adverte tamen ex procuratione abortus fœtûs inanimis incurri reservationem apud Religiosos ex Bullâ Clementis VIII. ubi recepta est. Aliæ pœnæ huic sceleri jure decretæ non incurruntur ante sententiam judicis, ideoque non sunt nostri fori.

708 Consequenter eâdem ratione, prædictas pœnas irregularitatis & excommunicationis minimè incurrunt; attamen ob rationem *n. 706.* in fine explicatam, gravissimè & omni casu, etiam mortis ex partu imminentis prævisо vel jam ex certo periculo, inexcusabiliter peccant omnes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vir & mulier post copulam, prolis conceptionē vel animationem quocunque modo vel medio impedientes, v. g. sese retrahentes, & naturam extra spargentes, mulier post copulam semen ejicions, & saltem ex erroneâ intentione impediendi generationem, inverso situ vel stando coeuntes, fœmina post copulam statim urinam urgens &c. Etenim universaliter prolis conceptionem, quæ nata est sequi ex copula, impedire, est contra naturam & finem naturalem generationis: denique potionibus vel mediis quibuslibet in se vel in aliis sterilitatem procurantes: sic enim semen perpetuò frustrabitur suo naturali fine generationis: idque parùm & solùm secundum magis & minùs distat ab effusione seminis extra vas. Vide Doctores laudatos à Diana *hic p. 7. tr. 5. resol. 33. & p. 5. tr. 14. Miscell. resol. 90.*

709 Demum sermo semper fuit & esse debuit de procuratione abortûs fœtûs inanimis, & similiū per se directè intentâ, factâ scilicet per media per se ordinata & efficacia ad destruendum vel ejiciendum fœtum. Nam ob causam proportionatam, saltem ad servandam vitam matris in præsenti discrimine, fœtus nondum animati abortum indirectè tantùm & per accidens causare, adhibendo nimirum medium per se directum ad sanitatem matris, utpotè sectionem veneæ, pharmacum purgativum seu potionem medicatam ad humores noxios expellendos, etsi simul per accidens & præter intentionem sequatur abortus seu ejectio fœtus inanimis, omninò licitum est communi consensu Doctorum *Navarrus c. 25. n. 26. P. Navarr. Lessius, Sanchez, Layman, Lugo ll. cc.* Ratio est: quia mater prægnans eo casu utitur jure suo procurandi sibi sanitatem, & propter illam necessitatem, abortus solùm censetur permissus & non intentus vel causatus moraliter: quemadmodum eâdem ratione licitè sumitur medium directum ad sanitatem, licèt consequenter & præter intentionem prævideatur adferre expulsionem seminis, quæ nec intenditur, nec ad sanitatem conducit. Eadem enim quoad hoc est ratio utriusque. Sed jam vides hunc abortum nec indirectè quidem causari posse, ob periculum futuræ tantùm mortis vel infamiæ. Et quodnam remedium nunc adhiberi poterit per se directum & efficax ad evitandam in futurum infamiam vel mortem ex partu, à Justitia, à marito vel parente inferendam, quò remedio simul per accidens tantùm & præter intentionem causetur abortus? Non capio.

SECTIO II.

Abortus fœtûs animati directè causatus

SUMMARIUM.

710. *Directè procurare abortum fœtus animati est intrinsecè malum, & mortale homicidium.*
711. *An, si certò vel probabiliter mater cum fœtu periclitetur, liceat ei sumere medicamentum?* usque ad n. 714.
714. *Omnis quovis modo abortum fœtus animati directè procurans, omnisque scienter cooperans, effectu secuto, incurrit ipso facto irregularitatem.*
715. (*Quis in ea possit dispensare?*)
718. *Ac etiam excommunicationem.*
719. *A qua tamen excusat omnis ignorantia* juris, *vel* facti, *etiam culpabilis, lata, crassa, supina, imò & affectata.*
720. *Quis ab ea possit absolvere?*
721. *Cæteræ reliquæ.*

Malitia.

710 SIne dubio intrinsecè malum & mortale est directè procurare abortum fœtus animati: est enim verum homicidium, & si à parentibus fiat, parricidium, & quidem omnium gravissimum cum animæ rationalis certissimâ damnatione æternâ quoad pœnam damni. Certissimum quoque apud omnes, id nullo unquam casu vel causâ posse licere: sive constet jam animatum esse fœtum, sive dubitetur, an de facto animatus sit: sive deindè abortus intendatur propter se ut finem, sive solùm intendatur ut medium propter alium finem v. g. ad conservandam vitam matris, vitandam infamiam, &c. dummodò media adhibita per se tendant ad causandum abortum, neque aliter conducant ad vitam matris conservandam, nisi quatenus causant abortum. Ratio clara est: quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona: atqui directè occidere hominem innocentem, intrinsecè malum, & nullo unquam casu licitum est: est autem fœtus animatus verus homo & innocens maximè: ergò, &c. De abortu directè procurato loquimur. Quoad indirectam verò ejusmodi abortûs procurationem ita distinguendum est.

711 Quòd si certò vel probabili Medicorum judicio, mater simul cum fœtu ante partum moritura sit, sumpto autem pharmaco spes sit, saltem matrem servari posse, fas erit adhibere media per se directa & efficacia ad sanitatem matris, ut venæ sectionem, pharmacum purgativum &c. etsi per accidens contingat indè fœtum enecari & abortiri, aliàs enim periret mater cum fœtu, per medicinam verò fortè liberabitur uterque. Communis DD. Sanchez *l. 9. de Matrimon. d. 20.* Layman. *l. 3. tract. 3. p. 3. c. 4. n. 4.* Lugo *d. sp. 10. de just. sect. 5.* Diana *p. 7. tract. 5. resol. 35.* Ratio est: quia innocentem per accidens & præter intentionem, in casu urgentis necessitatis occidere à ratione alienum non est; sic enim in bello justo licitè exploduntur tormenta contra civitatem, munitionem, navim hostilem, etsi per accidens aliqui ibi innocentes occidendi sint: sic invasus ab injusto agressore vitæ suæ, licitè fugit eques per semitam angustam (adhibitâ moraliter possibili cautelâ) etsi infans vel alius homo fortè ibi jacens, conculcandus sit: & propiùs ad propositum; mulier prægnans invasa à fera vel latrone sine dubio licitè potest, imò præcepto naturali debet fugâ vel fortè etiam pugnâ vitam suam certo interitui expositam liberare, quamvis cum probabili vel evidenti fœtûs periculo: atqui in proposito nostro occisio vel abortitio fœtûs maximè est per accidens & præter intentionem; cùm enim fœtus pendeat à vita & salute matris, atque rarissimè contingat fœtum vivum pro-

progigni post matris mortem, hinc medicamentum directè adhibitum ad procurandam sanitatem matris, ex natura rei secundariò etiam tendit ad salutem fœtûs, & per accidens solùm illi nocet.

712 At, quid si medicamentum adhibendum æquè efficaciter tendat ad sanitatem matris, & interitum fœtûs alioquin desperati: poteritne adhuc licitè adhiberi, applicari à Medico, assumi à matre? Quidquid negent *Corduba, Vega, Manuel, Lud. Lopez*, eò quòd hoc videatur esse directè procurare abortum, & occidere fœtum: Vera est sententia affirmativa, Sanchez *cit. n. 18.* Diana *resol. l. 36. alii apud ipsos.* Ratio est: quia mater utitur jure suo, potius enim jus habet mater ad conservandam vitam suam, quàm habeat fœtus, cùm hic à matre dependeat, non è contra; ergò si medicina æqualiter tendat ad salutem matris & necem fœtûs, eo etiam maximè, quòd pereunte matre propè miraculum sit, si fœtus incolumis evadat. Insuper meritò concedit Sanchez *ibid. n. 19.* id etiam licitum esse, quandò medicamentum esset dubium, mortémne, an auxilium esset allaturum; nam ex una parte dubii periculum damni perexiguum est, nimirùm aliquantulæ accelerationis mortis, supponimus enim alioquin salutem & matris & fœtûs esse desperatam; ex altera autem parte dubii spes lucri est maxima, nimirum salus matris, & fortè etiam fœtûs, quæ videbatur desperata. Sic enim si mors certa immineat ab incendio v. g. grassante, vel fera, licitè te ex alto præcipitas cum dubio periculo mortis. Addit denique Sanchez *ibid.* Medicum eo casu teneri medicamentum illud dubium adhibere: tenetur enim minùs malum ægroti eligere: minus autem malum est dubia mors spem aliquam vitæ habens cum solo aliqualis anticipationis periculo, quàm mors omninò certa.

713 Contrà verò, si spes probabilissima à Medicis concepta sit, in raro licèt, non tamen rarissimo casu, ut matre cum vitæ suæ periculo ab iis medicamentis abstinente, aut etiam mortuâ, fœtus in lucem prodire & baptizari possit: è diverso adhibitis medicamentis, etsi fortè matre servatâ (quando enim certa salus Medicis?) proles sine Baptismo peritura sit, omninò ex charitate obligabitur mater ab ejusmodi medicinis abstinere cum periculo vitæ suæ in gratiam prolis. *Sanchez. Layman. Lugo ll. cc.* alii apud Dianam *resol. 37. & part. 2. tr. 5. resol. 11.* Ratio est: quia lex & ordo charitatis postulat, ut vita spiritualis animati fœtûs in extremâ necessitate æternæ damnationis quoad pœnam damni, præferatur vitæ corporali matris. At, quid si & ipsa mater eo casu sciret vel probabiliter timeret, se esse in statu peccati mortalis, & damnationis periculo? Ex hoc non excusari ipsam à procurandâ salute spirituali prolis, sed potiùs ad eum finem obligari ad procurandum sibi statum gratiæ per contritionem vel Sacramentum, meritò censet Lugo *cit. n. 133.* Et nimiùm metaphysicè quidam requirunt, ut mater tunc certa sit, & de salute propria, & de salute fœtûs baptizandi. Sic enim vanum & metaphysicum evaderet præceptum illud, quo tenemur animas nostras ponere pro salute spirituali proximi: quotusquisque enim certus erit de propriâ & proximi salute æternâ? Excipe tamen rarissimum casum, quo mater eò articulò copiâ Confessarii destituta, & contritionis eliciendæ ignara reverà versaretur in certo periculo damnationis æternæ: tunc enim eam non obligari ad abstinendum ab illis medicinis propter salutem spiritualem fœtûs, rectè cum aliis docent *Layman & Diana ll. cc.* Quia non tenetur vitam spiritualem propriam prodigere propter vitam spiritualem alterius: & in pari necessitate benè ordinata charitas incipit à seipsâ. Relicto deinceps abortu indirectè tantùm procurato: de abortu directè & malitiosè causati pœnis horribilibus videamus.

Irregularitas.

714 OMnis quocunque modo vel medio fœtus animati abortum procurans directè, omnisque ad id scienter, jussu, consilio, auxilio quomodolibet cooperans, effectu secuto, ipso facto incurrit irregularitatem ex delicto homicidii voluntarii à solo Pontifice per se dispensabilem, tùm ipso Jure Communi, tùm Constitutione Sixtinâ quoad hoc nihil immutatâ per Gregorium XIV. ut apud omnes in confesso est. Dico tamen: *Effectu secuto.* Nam quibuscunque mediis adhibitis attentatus sit abortus fœtûs animati, si reipsâ non sequatur, sed partus vivus exiit in lucem, non incurritur irregularitas: nam pœna in Jure decreta ipso facto incurrenda non incurritur, nisi propter delictum consummatum, & non attentatum tantùm: idque maximè verum est de irregularitate, quæ, ipso Jure statuente, non incurritur, nisi in casibus Jure expressis, *c. Is qui. De sent. Excomm. in 6.* Exprimitur autem homicidium consummatum tantùm, nullibi attentatum solùm, neque in ipsa sæpè memorata Sixti V. rigidâ Constitutione. Adde insuper non incurri hanc irregularitatem, nisi constet fœtum jam fuisse animatum, & proindè verè homicidium patratum, ut seorsim dicam sect. ult.

715 Cùm igitur Gregorius XIV. Bullam Sixti V. quoad reliqua omnia, præter expressa in sua Bulla (in qua quoad irregularitatem nihil moderavit) in suo robore permanere voluerit, palam est, Episcopum non posse regulariter dispensare in hac irregularitate ex abortu procurato etiam occulto; præterquam quod Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 6. de Reform.* in ampliſſimâ facultate concessa Episcopis dispensandi in omni irregularitate proveniente *ex delicto occulto*: expressè excipiat eam, quæ provenit ex homicidio voluntario, utique etiam *occulto*: nam particula exclusiva separat, quæ sunt ejusdem generis: secluso tamen alio speciali Privilegio. Possunt tamen vi Privilegio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum in ea irregularitate ex abortu dispensare Prælati majores Regularium cum suis subditis tantùm, idque aliis committere, ut pluribus allegatis tenet Diana *cit. p. 7. tr. 5. resol. 22.* & Portellus noster *V. abortus num. 10.* Nam hoc Privilegium nullibi revocatum est a Concilio Tridentino. Nec jam obstat Constitutio Sixti. V. Nam plures Successores Pontifices Privilegia Minorum Concilio Tridentino non adversantia confirmârunt *ex certa scientia*, ut videre est in Bullario Rodriquez & Cherubinorum: Confirmatio autem *ex certa scientia* revalidat Privilegia etiam revocata ab Antecessore, imò habet vim novæ concessionis talis Privilegii: ut præter alios latè videre est apud Suarez *de legibus l. 8. c. 18. & 19.* Sed avertat Deus, ne opus sit uti tali Privilegio.

716 Potest etiam Episcopus cum ejusmodi irregulari ex abortu vel alio homicidio occulto, ut in susceptis Ordinibus, etiam Sacerdotii, ministret, dispensare per accidens in casu veræ necessitatis ministrandi, quando non est facilis recursus ad Pontificem, uti docent *Sylvester, Henriquez, Avila*, eósque laudans Layman *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 12. fine.* Ratio sumitur ex Epikeia, & rationabiliter præsumptâ voluntate Pontificis, ita exigente suavi regimine Ecclesiæ, ne animæ periclitentur: quemadmodum ob eandem rationem, communi Doctorum consensu Episcopus dispensat in voto continentiæ perpetuæ ad contrehendum matrimonium, quando urget periculum incontinentiæ, nec patet facilis accessus Romam, licèt illud votum (æquè ac hæc irregularitas) sit reservatum summo Pontifici, & in omnibus Privilegiis vel concessionibus dispensandi in votis excipi soleat: quin eâdem ratione Sanchez *l. 2. de Matrim. disp. 40. num. 7.* benè probat, Episcopum dispensare posse in impedimento dirimente, ad contrahendum matrimonium in casu urgentis necessitatis, qui non patiatur recursum ad Pontificem. Notat tamen piè cautus Layman *l. c.* Episcopum tunc non simpliciter tollere irregularitatem, sed tantùm ejus effectum suspensioni similem, ut nimirùm interim celebrare liceat, dum culpa & defectus in occulto manent, & donec à Papa dispensatio impetrari commodè possit: sed certè alii Doctores non ita anxiè loquuntur. Credo firmiter, Episcopum tunc, sicut in illo voto & impedimento dirimente occulto, ita & in hac irregularitate occultâ simpliciter dispensare posse pro foro conscientiæ absque remanente obligatione recurrendi ad Pontificem oblatâ commodiori occasione: atque in contingentia facti, & ipso casu nostro in celeberrimo Germaniæ Vicariatu practicari vidi.

717 Quid ergò agendum Sacerdoti v. g. qui procuravit abortum fœtûs animati, aliúdve occultum homicidium commisit; ideóque irregularitati, & in nostro casu etiam excommunicationi subjacet, sed nisi Missam celebret, aliásve functiones Sacerdotales obeat, veniet in suspicionem criminis cum gravissimo dispendio famæ, aut etiam vitæ periculo? Debet is omnem operam dare, ut quàm citissimè dispensatio à summo Pontifice, aut juxta modò dicta ab Episcopo impetretur: interim verò post peractam pœnitentiam, celebrare poterit, quoties necessitas postulabit ad vitandam infamiam, aliudve grave periculum, aut scandalum, juxta communem doctrinam & praxin in quávis irregularitate vel censurâ. Rationem communem dat Navarrus *Man. c. 27. n. 239. Quia lex naturalis & divina, de defendendâ propriâ famâ* (multò magis propriâ vitâ, scandalo cavendo) *præstat legi humanæ de abstinendo à Sacro in irregularitate.*

Excommunicatio.

718 OMnis quocunque modo vel medio directè procurans abortum fœtus animati, omnisque ad id scienter jussu, consilio, auxilio, favore, quomodolibet cooperans, effectu secuto, ipsofacto incurrit excommunicationem latam à Sixto V. & à Greg. XIV. solâ reservatione pro foro conscientiæ sublatâ, liquidò in suo vigore relictam. Textus autem fulminator sic habet *§. 7. Omnes & singulos, cujuscunq; gradûs, statûs, ordinis, vel conditionis existentes, tam laicos, quàm Clericos, seculares, & cujuscunq; Ordinis Regulares, nec non mulieres seculares, vel quemcunq; Ordinem professas, qui vel quæ, vel ut principales, vel ut socia conscievé ad tale facinus committendū, opem, consilium, favorem, potionem vel alia cujuscunque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo literas privatas vel apochas, vel aliàs verbis aut signis juverint, aut consuluerint, ultra prædictas pœnas ipso facto nunc, prout extunc excommunicamus, & pro excommunicatis declaramus.* Hactenus textus: quo licet Pontifex non satis expressè comprehendat ipsas matres prægnantes potiones abortivas per se sumentes, alióve medio sibimet abortum procurantes, quin imò has excludere ex vi verbi Dederint acutè videatur aliquibus apud Dianam *resol. 7.* Attamen mihi indubitatum est, sub illa excommunicatione comprehendere Pontificè voluisse omnes omninò principales abortum procurantes, quas in illa Bullâ expresserat: atqui §. 2. manifestè expressit: *Nec non prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint*: & §. 5. *ac mulieres ipsas, quæ eadem pocula sponte ac scienter sumpserint*: ergò etiam matres sibimet abortū fœtûs animati procurantes prædictæ excommunicationi subjacere meritò docet communis sententia. *Filliucius, Bonacina, Dicastillus*, eósque sequens *Diana ibid.* Excepto tamen casu, quo fœmina metu gravi & cadente in constantē virum compelleretur sumere potionem abortivam: quando enim coacta sumit potionem, ex qua sit secuturus abortus, non potest propriè dici *procurare*, hoc est, studiosè quærere obortū. Idémque sentiendum puto de alio, simili metu gravi coacto, ad aliquo dictorum modo cooperandum abortui causando. Insuper nota per omnem modum illas voculas *scienter*: & *secuto effectu.*

719 Ab hac excommunicatione incurrendâ, quibuslibet prædictis modis procurantes vel cooperantes ad abortum, excusat omnis tam *juris*, quàm *facti* ignorantia, etiam culpabilis lata, crassa, supina, imò & affectata, modò cum ingenti temeritate conjuncta non sit. Nam Pontifex in dictâ Constitutione iteratò adjecit particulam *scienter*: atqui omnis etiam affectata ignorantia excusat à pœnâ impositâ *scienter* aliquid facienti, ut latè probat Sanchez *l. 2. Moral. c. 10. n. 38. & l. 9. de Matrim. disp. 32.* Non enim potest dici scienter facere, qui facit ex ignorantiâ qualibet etiam affectata. Dummodò tamen absit ingens temeritas, qualis adesset, quando quis vehementem habet suspicionem delicti prohibiti; talis enim temeraria ignorantia importaret latissimam culpam & dolo æquipararetur. Tandem à quomodolibet attentantibus abortum non incurritur excommunicatio, nisi *effectu secuto.* Nam præterquam, quòd conatus solus ad crimen non puniatur, pœnâ ordinariâ, ut cum multis latè probat Julius Clarus *pract. crim. q. 92.* idque in censuris generaliter admittatur ab omnibus, specialiter in nostro casu apartè significant verba Constitutionis Sixtinæ *§. 1.* ibi: *Ita ut reipsa abortus indè secutus sit.* & rursus §. 7. ibi, *Ad tale facinus committendum opem*, &c. Constat autem regulariter verba intelligenda esse cum effectu, quem significant. Adverte tamen rursus tunc incurri sextum casum reservatum pro Religiosis à Clemente VIII. à procurante, seu auxilium vel consilium dante etiam effectu non secuto. Sed nunquid etiam casus reservatus ab Episcopo? Affirmant non pauci sanè tutiùs. Sed nisi alicubi ita exprimant, credo probabilissimè, quòd non. Nam reservatio absoluta criminis comprehendit actum externum cum effectu. Ita cum aliis Diana *ibid. resol. 11.*

720 Ab hac excommunicatione à Sixto V. fulminatâ, & extra mortis articulum, in quocunque eventu. Summo Pontifici reservatâ, ex Constitutione Gregorianâ modò absolvit & Episcopus, & omnis ab eo ad confessiones audiendas approbatus, atque *ad hos casus specialiter deputatus* Confessarius, sæcularis, Regularis pro foro conscientiæ. Nam pro absolutione in foro externo obtinendâ, si res publicata eò devenerit, etiamnùm recurrendum esset ad Summum Pontificem, cui in eo foro reservata manet: Omnia liquent ex textu initio recitato. At quisnam hic censendus erit Confessarius *ad hos casus specialiter deputatus ab Episcopo*? Certè claris verbis Gregorii insistendo, is, qui in specie habet ab Episcopo facultatem absolvendi ab excommunicatione contractâ propter abortum procuratum, ut meritò intelligunt Doctores communiter. Bonacina tamen apud Dianam *ibid. resol. 15.* non improbabiliter existimat, ejusmodi deputatum censendum esse etiam illum, qui habet facultatem ab Episcopo absolvendi ab omnibus casibus & censuris Episcopo ab homine vel jure reservatis, in quâ ampla facultate etiâ hæc contineri videtur. Illa enim particula *specialiter* solùm indicat, non posse quemquam absolvere virtute alicujus facultatis, nisi ea facultas ad hos etiam casus extendatur; facultas verò absolvendi ab omnibus casibus reservatis Episcopo, si distributivè explicetur, procul dubio casum abortûs specialiter comprehendit. *Sic ille.* Sed non videtur recedendum à claris verbis & intellectu communi Doctorum in re tam gravi: rectèq; monet Diana: *Videant igitur Confessarii, quid agant?*

721 Prælati majores Regularium jurisdictionem quasi Episcopalem obtinentes, Generales, & Provinciales, ab hac excommunicatione sine dubio absolvere possunt suos subditos, atque ad absolvendum deputare suos Confessarios respectu suorum subditorum fortè ita delinquentium: at certè non respectu sæcularium laicorum, vel Clericorum: cùm Pontifex expressè requirat hunc Confessarium deputatum esse per *loci Ordinarium*, qualis certè non est Provincialis v. g. Quidquid aliqui opinentur in oppositum. Posse tamen adhuc Confessarium privilegiatum absolutè absolvere ab ista excommunicatione vi generalis Privilegii absolvendi ab omni casu & censura Papæ extra Bullam cœnæ reservatis (quemadmodum & virtute Jubilæi concessi cum facultate absolvendi à quibuscunque casibus, quilibet Confessarius approbatus potest) tutò sentiunt communiter Doctores. Neque enim verosimile est mentem Pontificis ab isto casu reservationem Papalem auferentis fuisse sub speciali illa Ordinarii deputatione requisitâ comprehendere etiam illos Confessarios, quibus aliundè potestas sit in casus de facto Papæ reservatos. Decreta & Declarationes in contrarium, & novissimè duodecima propositio inter prohibitas ab Alexandro VII. manifestè loquuntur de casibus Episcopo reservatis ab homine, seu *quos Ordinarii locorum sibi reservârunt, vel reservabunt in futurū*, ut habet Declaratio Sacræ Congregationis in Decret. Clementis VIII. Non autem de casibus Episcopo reservatis à Jure Communi (si qui tamen tales adhuc hodie sint in vigore) certè non de casibus per se Pontificiis potestati Ordinariorum à Papâ vel Jure permissis, nisi aliter exprimeretur. At, inquies: nónne Episcopi sibi reservant homicidia, & sæpè in specie abortum? Ergò tunc ne absolvas à casu vel peccato, nisi facultatem ab ipsis habeas, vel tempore Jubilæi. Adhuc tamen absolve ab excommunicatione: *Censura enim non est casus, sed pœna casûs*, ait Navarrus *Man. c. 27. n. 262.* à diversis autem non fit illatio, at in utroq; Jure notum. Tandem laudo nostrum Laurentium Portellum V. *Abortus n. 5.* ita concludentem. *Sed tamen adhuc oppositū judicio probabilius & securius propter specialē destinationem requisitam à Gre-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

gorio XIV. Quare suadeo tibi privilegiate Confessarie, si tibi facilis sit recursus ad Ordinarium, nec apud ipsum timeas suspiciones vel conjecturas faciles de tuo misero pœnitente, aut fortè aliis innocentibus, in re tam gravi viam eas securissimam.

Pœnæ reliquæ.

721 EX Constitutione Sixti V. quoad hoc nihil immutatâ per Gregorium XIV. procurantes abortum effectu secuto, si Clerici sint, duas adhuc incurrunt pœnas nostrum forum concernentes, privationis, & inhabilitatis: textus §. 3. sic habet. *Eos autem, qui Clerici fuerint, omni privilegio Clericali, officiis, dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis, quæ sic vacatura nostræ & Sedis Apostolicæ dispositioni perpetuò reservamus, ipso facto privamus & in futuro inhabiles ad ea suscipienda decernimus,* &c. Utramque hanc pœnam patrato scelere, in foro conscientiæ incurri ipso facto ante omnem aliam Judicis sententiam, propter textum *ipso facto privamus, & inhabiles decernimus,* affirmant ferè communius scribentes, etiam Portellus noster *V. Abortus n. 8.* Adeò ut Clericus procurans vel consulens abortum, effectu secuto, ipso facto privatus sit officio & beneficio Ecclesiastico, illudque mox in conscientia, cessante scandalo, vel proprii criminis evulgandi periculo, relinquere vel resignare teneatur, nec aliud admittere possit: aut certè dispositionem vel rehabitionem, quàm primùm omni diligentiâ procurare. Durum latinũ! & omninò verum credo; quando casus esset notorius: tunc enim cessaret titulus coloratus ob privationis & inhabilitatis notoreitatem. At verò si casus maneat occultus (ut nos semper supponimus) probabilissimum judicio, neutram pœnâ incurri ante judicis declaratoriam sententiam. Non *Privationis*: quia hæc pœna exigit actum hominis positivum ad sui executionem: nemo autem tenetur esse reus & vindex: ergò requiritur sententia declaratoria etiam in foro conscientiæ, antequam quis obligetur imponere sibi pœnam à Jure statutam. Nec *inhabilitatis*: hæc enim licèt sit pœna purè privativa non requirens actum hominis, tamen immediatè apponitur cum præfatâ pœnâ privationis non obligante in conscientiâ ante declarationem Judicis, ideoque hujus qualitatem participans, neque illâ ita obligabit. Secùs esset, si inhabilitatis pœna poneretur per se, aut cum pœnâ purè privativâ, censurâ, irregularitate, &c. Ita cum aliis Filliucius *tractatione 34. n. 79.* Mitiùs adhuc sentiunt *Lessius* & *Sanchez* apud Dianam *ibid resol. 18.* Tandem illa privatione vel inhabilitate defacto contractâ, quis dispensabit vel rehabilitabit? Certè Episcopus: quemadmodum & Prælatus Regularis suos subditos in ordine ad Officia Ordinis Regularia. Nam licèt Sixtus V. sibi & Sedi Apostolicæ reservaverit irregularitatem & excommunicationem, non tamen reservavit inhabilitatem ibi positam. Et hactenùs de pœnis Sixtinis pro nostro foro utique satis.

Denique etiam Jure communi Canonico causantibus abortum gravissimæ decernuntur pœnæ. Antiquissimum Concilium Illerdense *can. 2.* sic statuit, *His, qui abortivum faciunt, vel natos suos extinguunt, post septem annorũ curricula, Communio tribuatur,* &c. Et Synodus 6. Generalis Constant. *can. 9. Qui pharmaca abortum facientia procurant, vel venena suscipiunt perimentia partûs, pœnâ occisoris accusentur.* Hinc Stephan. P. *c. consuluisti 2. q. 5. Si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est, quantò magis, qui unius saltem dici puerulũ peremerit, homicidã se esse excusare nequibit?* Cæterùm ne credas *Farinacio, Peregrino,* & aliis quibusdam asserentibus, eos, qui abortũ fœtûs animati procurârunt, ipso jure amittere jus sacri asyli, & immunitatis Ecclesiæ, si ad eam confugerint; nullum enim tale extat Jus. Verum quidem est, ex Constitutione Gregorii XIV. 7. incip. *Cùm aliàs nonnulli 1591.* homicidium proditorium perpetrantes eo refugio privari; & secundùm aliquorum intellectum etiam ab Innocentio IV. *c. 1. Pro humani. de homicidio in 6.* At certè procuratio abortûs animati homicidium proditorium propriè dici nullo modo potest. Nunquid enim fœtum in utero extinguens, ex insidiis & per industriam circumventum privavit facultate sui defendendi misellulum animulũ, qui sui defendendi potens fuit nunquam? sic certè de homicidio proditorio accusabis etiam Herodem occidentem pueros in Bethleém. Quin imò homicidium proditorium strictè in rigore, in materiâ odiosâ, & in ordine ad pœnas Juris non dici illud, quod fit per insidias vel veneno simpliciter, nisi quis sub prætextu & simulatione amicitiæ deceptum occidat, illustri exemplo Joab *in libris Regum* plurimis allegatis, latè & optimè probat Doctissimus in Jure & Tribunalibus Ecclesiasticis versatissimus, Reverendissimus Dominus Alexander Sperellus *Decis. Fori Ecclesiastici, decis. 23.* per totum.

SECTIO III.

Abortus idem moraliter causatus.

SUMMARIUM.

724. *Omnis etiam moraliter influens vel causans abortum contrahit pœnas statutas. Ut*
725. I. Mandans 726. *nisi mandatum ante seriò revocaverit.*
728. II. Consulens. 729. *probabiliter etiam facta revocatione.*
730. *Sed æquè probabile est, facta sufficiente revocatione non incurrere.*
732. III. Consentiens, approbans, *ratum habens* suo nomine *fieri.*
733. *Secus, si non fiat ejus nomine, vel intuitu;*
734. *Aut si quis abortum in sui gratiam jam factum, postea solùm approbat, ratum habet, vel remunerat.*
735. IV. Permittens, *non* impedians, *non incurrit pœnas.*
737. *Etiam obligatus impedire ex justitia.*

OMnis etiam moraliter, jussu, consilio, consensu 724

sensu vel auxilio per alium influens vel cooperans ad abortum fœtus animati sine dubio peccat mortali homicidii peccato, & effectu secuto, incurrit pœnas huic sceleri decretas, & jure communi, & constitutione Sixti V. irregularitatem, excommunicationem, &c. ut liquet ex claro textu supra allato & explicato. Hîc specialia non pauca explicanda veniunt, præmisso tamen semel pro semper, quòd sicut morales cooperatores isti non incurrunt dictas pœnas, nisi abortus fœtus animati reipsâ in effectu secutus sit; cùm enim hæc censura non incurratur ob actionem principaliter prohibitam, nisi effectus sequatur, ut suprà *n.* 719. ostensum est, multò minùs incurri debet ob actionem accessoriam, quæ minus principaliter & secundariò prohibetur; ità è contra effectu secuto, utramque & irregularitatis & excommunicationis pœnam subeunt, quantumvis ipsos interea pœnituerit cooperationis, mandati, vel consilii sui v.g. jussisti, vel suasisti, Bertham causare abortum fœtûs animati (idemque est de quovis homicidio) sed re adhuc integrâ te valdè pœnitu it maligni mandati vel suasionis tuæ, forè etiam jam peractâ sacrâ exomologesi, quia tamen non potuisti revocare, aut impedire ampliùs, quin effectus ex vi mandati vel consilii tui reipsâ secutus sit, sine dubio irregularitati, excommunicationi, cæteris pœnis obnoxius eris: hîc enim non attenditur status tuus præsens, sed causa abortûs vel homicidii, quam dedisti: atqui nunc tuum malignum mandatum vel consilium efficaciter non retractatum apud alteram personam. etsi modò per pœnitentiam culpâ deletâ, vera tamen causa est abortûs vel homicidii modò secuti. *Communis DD. apud citatos.*

Mandans.

725 MAndans fieri abortum, sine dubio propriè dicitur abortum procurare, ideoq; pœnis omnibus abortum procurantium subjectus manet, ut clarè exprimitur in Bulla Sixti V. iis verbis. *Qui de cætero per se, vel per interpositas personas* &c. Mandans autem maximè dicitur agere per interpositas personas: incurrit ergò irregularitatem, excommunicationem, &c. quoties ex vi sui mandati sequitur abortus ab ipso intentus saltem quoad substantiam; etiamsi persona mandataria medium vel modum ab ipso præscriptum non servet; v. g. jussisti abortum procurari violenta compressione, tali loco, die, illa autem procuravit sumptâ potione medicatâ, alio loco, die, &c. sine dubio reus manes. At jusseram eo tempore, quo fœtus nondum erat animatus, intendens tunc statim procurari abortum, fœmina autem lentè agens adhibuit medium fœtu jam animato, eúmque extinxit; súmne jam reus pœnarum? Omninò es: nisi mandatum tuum seriò explicâris, ne abortus fieret post animationem fœtûs, aut tempestivè cum efficaciâ revocâris: nam alioquin tuo mandato verè abortum causasti, ut benè notat Portell. V. *Abortus. addit. n. 4.*

Et irregularitatem, & excommunicationem 726
evadit mandans, qui mandatum suum alteri datum de procurando abortu, ante executionem seriò revocavit expressè vel tacitè, dummodò revocatio ad notitiam personæ mandatariæ pervenerit, etiamsi nihilominùs illa abortum exequatur: quia mandato in gratiam ipsius mandantis facto, seriò revocato, & revocatione mandatariò cognitâ, non potest is ampliùs moveri à voluntate mandantis, quam jam scit esse contrariam, ideòque si adhuc exequatur, non potest censeri executio mandati, neque nomine mandantis factum homicidium, sed proprio alterius nomine, motu, malitiâ, aut etiam cupiditate: ut si mandatarius spe promissæ â mandante mercedis pro abortu vel homicidio patrando, fingat se revocationem ante executionem non recepisse, sicque adhuc exequatur, ut mercedem lucretur, certè injustè & invalidè: de quo Lugo *disp. 29. de just. sect. 2. n. 24* Idq; etiam verũ censet Tambur. *lib. 9. de cens. tract. 4. c. 15. §. 8. num. 9.* etiamsi mandans fictè solùm, verbis tamen sufficientibus, revocârit; quando enim tua fictio mandatario non est cognita (ut supponere debemus) ipsa verba externa sunt sufficientia ad extinguendum in ipso mandatum. Contrà verò, si revocatio tui mandati ante executionem non perveniat in notitiâ personæ mandatariæ, isque exsequatur, te fore irregularem, & excommunicatum, non est dubium; quia tunc tuum mandatum âdhuc remanens in mandatario reverà est causa effectûs. At, quid si tu quidem mandatum tuum ex parte tuâ sufficienter & seriò revocâsti, sed 1. persona mandataria non percepit tuam revocationem ob distractionem mentis v. g. 2. Non putat te revocantem loqui seriò & ex animo, sicque adhuc exequitur ex vi mandati, quod in te perseverare putat. 3. Percepit quidem tuam revocationem, sed deindè illius revocationis oblita adhuc exequitur vi mandati primitùs accepti? In his tribus casibus mandantem adhuc reum homicidii, & restitutionis meritò censet Lugo *cit. à num. 25.* quia in iis omnibus adhuc tandem effectus ex vi tui mandati consequitur: consequenter ego cum Tamburino *cit. num. 24.* colligo, etiam incurrere irregularitatem, & in rigore loquendo omninò etiam excommunicationem; salvo tamen meliori judicio.

Securas quoq; à præfatis pœnis manet man- 727
dans abortum, vel quodvis homicidium, si ipsi certò constet personam mandatariam nihil prorsus esse motam ex suo mandato, neque ex eo factam esse animosiorem, vel securiorem. ad facinus perpetrandum, sed prorsus eodem modo ac motu perpetrâsset, ac si tu nhil mandâsses. Si de hoc non constet, sed dubium sit, aut ignoretur, an persona mandataria hoc tuum mandatum exceperit, vel acceptârit, nec ne, an verò recusârit, secuto nihilominus effectu, te adhuc

irre-

Universidad de Deusto
Biblioteca

irregularem fore, non tamen excommunicatum constabit ex dicendis *sect. ultimâ*. At, quid si persona mandataria v. g. ipsa fœmina prægnans naturali pietate à paricidio abhortens ab initio quidem respuat tuum mandatum; deindè verò, mutato animo, te nesciente, denuò illud acceptans tui intuitu exequatur? Hic gnaviter distinguendum est; si enim tu, auditâ primâ repulsâ, mandatum tuum sufficienter revocâsti, v. g. dicendo: *placet conscientia tua: nihil ergò attentes*, &c. Jam ex hac revocatione liberaberis à mandato, & consequenter irregularitate, excommunicatione, &c. Si verò tunc mandatum sufficienter non revocâsti, utpotè, quia nihil dixisti, nec ullo signo ostendisti, tibi repulsam placere, & maximè si etiam displicere ostendisti; sicque adhuc præfato modo sequatur effectus, utique vi tui mandati in mandatario remanentis, liberaberis nequaquam, ut ex *Suarez* & aliis benè resolvit Tamburinus, *citat. c. 8. §. 9. à num. 15.*

Consulens.

728 Consulens etiam abortum procurandum alteri, quocunque modo vel verborum formula: sivè solùm voluntatem movendo, rogando, hortando, instigando, palpando: sive intellectum instruendo, rationes, motiva, media proponendo vel docendo: ut si puellæ à te vel alio imprægnatæ dicas imminere gravem infamiam & dedecus: hoc vel illo pharmaco facilè procurari abortum, &c. illâ obsequente, effectúque secuto, sine dubio incurris prædictas pœnas omnes; & sub excommunicatione suâ Sixtus V. non semel exprimit *consilium præbentes*: dummodò vi consilii vel suasionis malignæ abortus reipsâ in effectu secutus sit, saltem quoad substantiam, ut modò dictum de mandante. Quòd si ergò svadeas abortum (vel quodvis aliud homicidium) alicui personæ ad ipsum jam antea resolutæ & determinatæ per se ipsam vel aliundè, ita ut tuâ suasione vel consilio nihil omninò in proposito confirmata sit, tu à reatu homicidii, omnibusque pœnis decretis immunis erit, quia jam tua suasione nihil effecisti, neque ullo modo positivè in abortum vel homicidium influxisti. Quod si tamen persona illa antea propositum non ita omninò determinatum concepisset, quod tu maligno consilio tuo magis confirmâsti, certè irregularitatem, cæterásq; pœnas non effugies, quia jam causa fuisti, ut homicidium fieret, fortè aliàs non futurum. At, quid si personæ aliàs jam omninò resolutæ procurare abortum, sed tali certo modo vel medio, tu solùm consulas, ut faciat alio modo vel medio, illaq; obsecuta sit cum effectu, erisne tamen reus pœnarum? Certè non: nisi alius modus vel medium è te suggestum effecerit, ut celeriùs, audacius, vel securiùs scelus committeretur: tunc enim concurristi ad abortûs substantiam vel acceleration em: aliàs ad solum modum.

729 Qui malignum consilium à se datum ad procurandum abortum, aliúdve homicidium perpetrandum, postea, serio licèt, revocat, retractat, refutat, si tamen persona suasa se ampliùs dissuaderi, averti vel impediri non sinat, quia rationibus utilitatis & commodi sui à consulente adductis mota, nihilominùs consilium exequatur, adhuc tanquam vera causa perseverans abortûs vel homicidii secuti, homicidii, restitutionis, irregularitatis reus est, ex communi, probabiliori & tutiori DD. sententiâ, quàm etiam sequitur Lugo *disp. 19. de Justit. sect. 2. n. 38. 39.* & probabiliorem censet Layman. *l. 2. tr. 5. p. 2. c. 4. n. 7.* Insuper & excommunicationem incurrere cum aliis sentit Lessius *l. 2. de Justit. c. 13. dub. 3. n. 17.* Ratio clara & satis urgens videtur. Quia consilium non influit propter voluntatem perseverantem consulentis (sicut influit mandatum) sed propter rationes & motiva commoditatis & utilitatis alterius, quam in opere nefario consulens manifestavit, utpotè in nostro casu ad evitandam infamiam, aliúdve damnum prægnantis, hoc vel illo medio abortum commodè & securè procurandum, &c. atqui non obstante tuâ revocatione, retractatione, refutatione quâcunque, motiva illa & media à te proposita revera adhuc possunt movere personam suasam ad facinus exequendum; neque enim ampliùs est in tuâ potestate motivum illud, & velut motum malignum alterius animo impressum denuò amovere, nisi alter aquiescat: quemadmodum (inquiunt) si quis jam venenum propinavit, sagittam emisit, lapidem projecit occidendo homini, quantumvis interim ante occisionem retractet & pœniteat; imò fortè etiam sacramentaliter à peccato absolutus sit, secutâ tamen morte, homicidii pœnas non effugiet: ergò si non obstante tua revocatione, rationes & motiva à te proposita adhuc moveant revera ad executionem maligni tui consilii, verè manes causa moralis effectûs & damni secuti, quia totum hoc voluisti in causâ, etenim à principio ita consulendo prævidere debebas, fore, ut postea non posses, etiamsi velles auferre & velut extorquere motiva illa & media velut arma quædam, quibus alterum ad perpetrandum malum instruxisti, ut sapienter expendit Lugo *l. c.*

730 Verissimum est equidem ad evadendum reatum homicidii, restitutionis & pœnarum longè plus requiri in revocatione consilii, quàm in revocatione mandati, neque sufficere simplicem quamlibet revocationem, retractationem vel dissuasionem, sed requiri omninò conatum & modum de se efficacem ad destruendum malignum consilium & avertendum denuò hominem à flagitio consulto, nimirùm per rationes & motiva contraria, cui homo ratione & prudentiâ utens meritò acquiescere debet. Quòdsi tamen eo casu consulens revera fecit, quantùm in se fuit, nihilq; prætermisit eorum, quæ ad denuò dissuadendum & avertendum hominem à flagitio necessaria videbantur: & si videat alterum perseverare in eâdem voluntate, tertium neci destinatum ut sibi caveat, moneat (prout certè debet saltem ex charitate, & probabiliùs etiam ex justitia) postea nihilominùs secuto abortu vel homicidio, aut quocunque damno, probabilissimum est, consulentem liberari à pœnis homicidii, restitutione, irregularitate & maximè à purâ pœna excommunicationis in nostro aut alio casu, quo ab homicida incurrenda esset. Ita Innocentius *in c. ad audientiam S. Antoninus. Sylvester P. Navarr.* apud Laym. *cit.* qui valdè probabile censet, pluribúsq; allegatis tenet Diana *hic p. 7. tr. 5. resol. 29. & p. 4. tr. 2. resol. 15. ac alibi sæpius*: & probabile fatetur ipse Lessius *cit. dub. 3. n. 18.* Ratio sufficiens est; quia talis fecit, quantum potuit, ut malum consilium suum everteret & destrueret; quid ergò amplius ab ipso exigat vel ipsa Astræa? Deindè: quando consulens operam dedit, ut consilium suum argumentis contrarijs everteret, racerétque pro viribus, ut illud malum iniquum, nec sequendum esse, pateret omnibus jam non potest executor, si nihilominus facinus exequatur, prudenter censeri vi illius consilii moveri & agi, sed propriâ improbitate & malitiâ, seu propriis rationibus motus agere censendus, atque in foro etiam externo præsumendus erit. Alia longè est ratio de veneno, sagittâ, lapide suprà in exemplum allatis. Hæc enim, cùm sint causæ naturales, semel applicatæ necessariò naturaliter agunt, quantum possunt: ut proindè effectum impedire non sit ampliùs in nostra potestate: at verò alieno consilio persuasus ad occidendum vel abortum procurandum, est causa moralis & libera, quæ rationibus contrariis à conceptâ semel sententiâ dimoveri possit ac debeat: quare si dissuadens faciat, quod potest, & alter dissuasionem non recipiat, effectus postea secutus ipsius malitiæ, non ampliùs suasoris consilio imputandus erit. Concludo verbis Layman. *cit. n. 7. fine.* Resolutio ergò sit: Qui alteri propositis rationibus homicidium injustum persuasit, si eas postea ferò, & quatenus potest, efficaciter retractavit, secuto nihilominùs homicidio, excommunicationem non incurrit. Quin & probabiliter ab irregularitate & damni compensandi obligatione immunis est: quamvis opposita sententia quoad irregularitatem & damni compensationem, æquè probabilis, aut fortassis probabilior existat. *Sic Layman.*

731. Petes hìc incidenter: Utrum liceat abortûs procurationem suadere puellæ gravidæ, quando præ pudore, vel infamiæ, aut pœnarum horrore parata & omninò resoluta est se ipsam interficere: utique simul perituro fœtu, nec alio modo ab hac voluntate revocari potest? Tangitur hìc alia communis quæstio in materiâ de scandalo, an volenti facere majus malum, liceat suadere minùs. Ad quam ex communiori sententiâ, quam sequuntur Sanch. *l. 7. de Matrim. disp. 11. n. 14.* & Lug. *eadem disp. 19. sect. 2. §. 2. n. 43.* pro nunc breviter respondeo, quòd sic. Ratio autem est (inquit Lugo) quia consilium illud non est absolutum, sed conditionatum explicitè, vel implicitè, scilicet, si unum ex his facturus es, fac hoc minus, & non illud gravius: quod quidè verissimè & rationabiliter consulitur: quia ex duobus malis minus malum est eligendum. Ita *ille*: applicatio ad casum nostrum clara est.

Consentiens, approbans, ratum habens.

732 Consentiens authoritativè; aut ad suo nomine, suíve intuitu procurandum abortum, vel quodvis homicidium patrandum, utique peccat gravissimè contra justitiam, & effectu secuto, homicidij, irregularitatis & excommunicationis in nostro casu (vel alio, quo ab homicidâ incurrenda est) reus erit: taliter enim consentiens verè moraliter influit in effectum, quippe non nisi dependenter à suo consensu secuturum; imò æquiparatur mandanti: Omnis enim volens aliquid fieri propter se ipsum, & satisfactionem voluntatis suæ, *mandans* censetur, quibuscunque verbis utatur, ut observat Bartholus *in leg. non solam ff. de Injur.* Quin etiam ex communi DD. sententia, ad irregularitatem incurrendam sufficit consensus tacitus: ut si cui affirmanti se in gratiam tui inimicum tuum occisurum, aut puellæ à te imprægnatæ abortum procuraturum, si ipsa puella à te imprægnata tibi dicat, fè, si velis, abortum procurare velle, &c. credas, & taceas, nec abnuas, vel contradicas, aut cum possis, non impedias, &c. *Nam etiam tacens consentire videtur*. reg. jur. *43. in 6.* Saltè quando agitur de ejus favore vel commodo. At certum videtur talem tacitum consensum in abortum minimè sufficere ad incurrendam censuram Sixtinam: tacens enim nullo proprio sensu dici potest procurare abortum.

733 Immunis ergò à prædictis pœnis omnibus, atque etiam casu reservato Episcopali est nudè consentiens vel complacens in abortum procurandum, aliúdve homicidium perpetrandum ab alio absque ullo sui intuitu, nec ullo modo suo nomine vel commodo, absque aliâ positivâ cooperatione, favore, vel auxilio (seclusâque obligatione justitiæ impediendi, *in communi sententia, de quâ mox n. 735.*) Ratio clara est: quia, ut supponitur, talis consensus nullo modo influit in abortum vel homicidium, quippè quod eodem modo & motu fieret sine illo consensu merè per accidens adveniente: neque ad talem consensum ullo jure facta est extensio irregularitatis vel excommunicationis, nisi ad summum Canonis, *Si quis suadente. c. Quanta de sent. excom.* respectu Rectorum Ecclesiæ, de quo rursùs inferius. Multò magis ergò eadem ratione à prædictis pœnis immunis erit, qui abortum vel homicidium non suo nomine, suíve intuitu factû ab alio, postea consensu subsequenti solùm approbat, laudat, commendat, & velut ratum habet: propriè enim non potest tunc ratificare: nam *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.* Reg. jur. *9. in 6. & cap. cùm quis de sent. excom. ibid.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

734 Sed neque eam irregularitatem, aut excommunicationem ullam (exceptâ solâ excommunicatione Canonis ob percussionem vel occisionem Clerici) incurrit, qui abortum, vel quodvis homicidium etiam suo nomine, suive causâ jam patratum ab alio, posteà solùm ratum habet, approbat, commendat, imò & remunerat. Ita contra *Navarr. Sylvestrum, Molinam*, alios apud *Dianam* mox citandum communior & verior sententia DD. quos latè recitat & sequitur Diana *part. 4. tract. 2. resol. 13.* Laym. *lib. 3. tract. 3. c. 4. n. 6.* Lugo *disp. 19. de just. sect. 2. num. 34.* Ratio est, quia irregularitas, excommunicatio, & similes pœnæ non imponuntur, nisi ob delictum commissum, vel cooperationem ad illud: is autem, qui solùm ratum habet abortum vel homicidium jam antea comissum ab alio, non potest dici illud commisisse, vel ad illud cooperatus esse. Et universaliter: Pœna decreta in aliquod delictum non comprehendit illius ratihabitionem: nisi in casibus jure expressis. Extenditur autem solum excommunicatio Canonis ad ratihabentes percussionem vel occisionem Clerici cit. *c. Cùm quis De sent. Excomm. in 6.* nullibi autem facta est talis extensio quoad irregularitatem vel alias excommunicationes vel pœnas, neque etiam in rigidissimâ Constitutione Sixtinâ quoad nostrum casum. Regula juris 10. in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato nõ est dubium comparari*; habet quidè etiam locũ in delictis quoad culpam, sed certè non quoad pœnas ordinarias, si ipsum jus vel superior aliter non disponat. Vide Lugo *cit. n. 33.*

Permittens, non impediens.

735 Irregularitatem non incurrit, quisquis sive ex justitia, sive ex charitate tantum obligatus, purâ omissione merè negativè se habendo non impedit abortum procurari, aut quodvis homicidium perpetrari. Ita (contra communem & velut torrentem Doctorum & scribentium, quos congestos videre potes apud mox citandos, & sequitur Laym. *cit. c. 4. n. 7.*) probabilissimè & contra infinitos scrupulos salutariter docent, *Vasquez, Turrianus, Joannes Præpositus*, aliisq; citatis probabile censent Card. de Lugo *disp. 10. de Just. sect. 11. n. 219. & 222.* Diana *p. 4. tr. 2. resol. 7. & 8. & p. 7. tr. 5. resol. 28.* Tamburinus *l. 9. tr. 4. c. 15. §. 9.* Et ratio probabilissima est: quia quamvis obligatus ex justitia impedire, & non impediens homicidium, peccet contra justitiam, & sit causa homicidij moraliter imputativè, quatenus propter debitum justitiæ neglectum, imputatur ei, ac si influeret, etsi realiter & positivè minimè influat: & quia propter idem debitum justitię neglectum privat alterum occidendum jure suo in re necessaria ad sui defensionem, meritò etiam succedere debeat in debito restitutionis in defectum principalis patratoris. Attamen non est homicida propriè, nec causa homicidij realiter & positivè, sed merè negativè, & imputativè tantùm, ut dictum est, nimirùm non defendendo, quem defendere tenebatur. Jam sic: Non est ponenda irregularitas, nisi in jure sit expressa ex *cit. c. Is, qui in Ecclesia.* atqui sacri Canones statuentes irregularitatem homicidio nunquam exprimunt negativè non impedientes, sed cooperantes tantùm: quarè cum leges illæ pœnales in materia odiosa strictè interpretari debeant, solùm intelligi debent de cooperante realiter & positivè per influxum aliquem realem vel moralem positivum ad homicidium, & minimè debent extendi ad impropriè prorsùs, negativè, & imputativè cooperantes. Neque his adversatur Alexander III. *c sicut dignum. §. Illi autem. de homicidio.* dicens. *Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, eum occidit.* Nam certè hæc verba, in ordine ad irregularitatem contrahendam, non potes accipere in sua generalitate, prout reverà sonant: sic enim necessariò comprehendes etiam ex charitate tantùm obligatum impedire, contra omnes. Ergò pro tua lubentia restringis ad solos obligatos ex justitia impedire? Et cur non longè rationabiliùs cum Cardinale de Lugo *disp. 19. sect. 3. n. 99. fine:* ex ipso contextu intelligis de præsumpta voluntate & favore præsito, & restringis ad non impedientes, non merè negativè se habendo, sed positivè aliquo modo cooperando? nam ex illis verbis imediatè infert Pontifex: *constat ab homicidij reatu immunem non esse, qui occisoribus contra alios opem præstare venerant: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.* Sic ibi.

736 Multò minùs excommunicationi Sixtinæ subjacebit ejusmodi seu Clericus seu laicus, merè negativè non impediens abortum procurari, etiam fœtûs ex se geniti. Pater enim, sive ex justitia, sive ex pietate & officio paterno tantùm teneatur ad tuendam vitam prolis, non tamen hîc concurrit, nec cooperatur ullo modo positivè, sed solùm merè negativè, non defendendo, quem defendere tenebatur: Sixtus autem sua constitutione solùm complectitur *procurantes*, & aliquo tandem modo positivè cooperantes ad abortum, nullo autem verbulo *solum non impedientes* indigitat. At, inquies: nónne talis imprægnando mulierem, præsertim invitam, scienter conjecit eam in eas angustias, ut aut fœtum ab ipsa extingui, aut famæ jacturam pati necesse esset? ergo, si non impediat, manet vera causa, & ideò reus homicidij. Nihil contrà me. Jam enim egrederis limites puræ omissionis, in non impediendo. Habeas ergò (per me licet) pro irregulari ex homicidio indirectè causato, de quo mox infra: at non habeas pro excommunicato ex abortu procurato: id enim ex terminis sæpè dictæ Constitutionis evinces nunquam.

Atque idem sentiendum de non impediente homicidium quodcunque, cui decreta est excommunicatio, nisi illa speciali jure extenderetur ad non impedientes, prout extendi videtur

tur excommunicatio *Canonis*, ad eos, qui non impediunt violentas manus injicientes in Clericos, Rectores Ecclesiarum *c. Quanta de sent. excomm.* ubi ait Pontifex: *facientes & consentientes in pari pœna plectendos Catholica condemnat Authoritas. Eos delinquentibus favere interpretamur, qui, cùm possint, manifesto fideli deserti desinunt obviare*: Sed cum Glossa *ibid.* benè respondet Lugo suprà *n. 99.* sermonem esse de iis, qui ex officio tenebantur impedire, quorum perindè consensus expressus vel tacitus ex omissione resistentiæ præsumptus aliquo modo influat in delictum, juxta dicta *suprà n. 732.*

737 Manet immunis & ab irregularitate, & ab excommunicatione, aliisque pœnis Sixtinis, sive ex charitate, sive ex justitia obligatus, qui non impedit abortum procurari, aliúdve homicidium patrari, etiam malitiosè, ex maligno affectu interno volens, intendens, optans omninò abortum fieri, vel istum hominem occidi. Ratio est: quia solus malignus affectus internus de se nullo modo influit in effectum, neque extrahit omissionem impediendi ex suo puro esse negativo: ergo ratio nostra suprà allata adhuc manet in suo vigore. At, quid si alium sive ex charitate, sive ex justitia obligatum & jam paratum ac volentem maximè impedire procurationem abortûs, aut alterius hominis occisionem, tu impius homo malignâ dissuasione, maximè per vim vel fraudem impedias, ne impediat, & sic sequatur effectus, erisne irregularis? Omninò eris tu: & non erit alter persuasus non impediens. Ne mireris. Nam alter licet immediatiùs se habeat ad abortum vel homicidium, tamen merè negativè se habet, purâ omissione, cui à SS. Canonibus non est imposita irregularitas: at verò tu maligne dissuasor, etsi remotius te habeas ad abortum vel homicidium, habes tamen te positivè maximè, per actum dissuadendi, eóque positivè influis in mortem secutam, ex tua dissuasione: cui actui positivo & cooperationi clarè conjuncta est irregularitas à Sacris Canonibus. Ita *Suarez, Sayres, Vega, Megala* apud Dianam *p. 4. tr. 2. resol. 7. in fine.* (sed dissentientem cum *Avila & Laymanno* supra citato) & tenet etiam Tamburinus *cit. tr. 4. c. 15. §. 9. n. 10.* At nunquid in nostro casu etiam censuræ Sixtinæ subjacebis? Credo omninò, quòd sic. Nam certè positivè præstas saltem favorem ad abortum: *favorem* autem *præbentes* clarè exprimit dicta Constitutio.

SECTIO IV.

Abortus idem casualiter vel dubiè causatus

SUMMARIUM.

739. *Abortus casualis, indirectè voluntarius quando quale peccatum?*
740. *An pœnas incurrat dans operam rei licitæ?*
741. *Vel rei illicitæ?*
742. *Ac etiam mandans, vel suadens talem rem vel actionem licitam vel illicitam?*
743. *Ex abortu casuali mixto indirectè tantùm voluntario non incurritur excommunicatio, sive quis det operam rei licitæ, sive illicitæ.*
744. *Ex abortu merè casu & simpliciter involuntario nulla pœna incurritur.*
746. *Nisi actio alia ea ipsa ratione sit prohibita, ut Clericis & Monachis usus Chyrurgiæ.*
747. *Aut hic & nunc nimis periculosa.*
748. *Quid de abortu vel homicidio merè casuali ex errore facto?*
749. *Pro abortu vel homicidio dubiè causato ponuntur tres regulæ quoad pœnas.*

738 Abortus casualis generatim dicitur, qui fit vel sequitur ex actione aliqua vel omissione præter directam operantis intentionem, ideóq; directè saltem & in se involuntariè. Et hinc dicitur alius *casualis mixtus*, & indirectè in sua causa adhuc voluntarius, cùm quis scil. aliquid agit, undè prævidet, nec tamen satis præcavet abortum secuturum: sic enim partim casualis est, quatenus fit præter directam intentionem operantis: partim adhuc voluntarius est in sua causa indirectè: qui enim vult agere aliquid, undè prævidet, nec præcavet alterius mortem causandam, eo ipso indirectè, in sua causa volita vult ipsam mortem. Alius est abortus merè casualis & simpliciter involuntarius, qui fit præter omnem directam & indirectam operantis intentionem, cùm quis nimirum aliquid agit, ex quo nec prævidit, nec prævidere debuit abortum secuturum: aut si quid periculi prævidit, illud sufficienti diligentia adhibita præcavere studuit. Tandem dubiè causatus abortus potest esse dupliciter. Primò sic: ut dubitetur de ipso corpore delicti, sítne revera ex alicujus actione abortus secutus, nec ne? *Secundò sic:* ut constet de corpore delecti seu abortu secuto, dubitetur solùm de causalitate seu efficacia cooperationis ad illum effectum. Res postea exemplis manifesta fiet. Pro re & Jurium & Opinionum varietate valdè perplexa & intrincatâ, quoad irregularitatem, aliásque pœnas incurrendas, dabo pro coronide tres Regulas fortè Confessario non inutiles. Loquimur in specie de abortu fœtûs animati: Eadem autem omnia sunt de quolibet homicidio illicito, moraliter, causaliter, & dubiè causato.

Abortus casualis mixtus, indirectè voluntarius.

739 Est peccatum mortale, vel veniale, pro ratione majoris vel minoris, & periculi in causando, & culpæ vel negligentiæ in cavendo: ac proindè mortale erit, & irregularitatem inducet, quando actio de se est efficax & periculosa ad abortum vel homicidium causandum, & culpa seu negligentia in cavendo lata seu gravis est: secus, si actio de se non ita periculosa, aut licèt periculosa, culpa tamen in cavendo levis sit: sive deindè aliquis det operam rei licitæ, seu illicitæ: sive in aliâ, sive in ipsâ materiâ homicidij. Ratio peccati clara est. Quandocunque enim aliquod opus directè facere illicitum est, etiam per se illicitum erit illud indirectè facere, ejus prævisi causam voluntariè ponendo, nisi urgentissima causa ita operantem excusans moralitatem cooperationis tollat, & permissionem justam efficiat, ut *suprà n. 711. & 712.* admissum est

Universidad de Deusto
Biblioteca

irregularitate autem meritò puniunt Sacri Canones, non tantùm homicidium voluntarium in se, sed omnem etiam actionem ad homicidium culpabiliter concurrentem: atq; adeò etiam abortum, aliúdve homicidium casuale indirectè & in suâ causâ voluntarium, ut liquidò constat variis textibus *tit. de Homicidio.* partim infra adferendis: & signatè exprimit Canon XI. *de catero noveris, quòd Diaconus, qui homicidio causam dedisse videtur, non videtur ad Sacerdotium promovendus.*

740 Quando quis dat operam rei licitæ quantumvis periculosæ ad prævisum abortum vel homicidium causandum, effectu secuto, tunc solùm irregularitatem contrahit, si culpa in cavendo lata, gravis & mortalis fuit, aliàs non. Ratio est: quia hæc irregularitas est ex delicto; sed non est verosimile gravissimam irregularitatis pœnam esse impositam delicto levi & veniali tantùm. Cùm ergò in ipsâ actione licitâ, quæ est causa abortûs vel homicidij, nulla sit culpa, requiritur, ut ex parte negligentiæ cavendi culpa sit gravis & mortalis. Exempla habes, & hac ratione intelliges, in Jure *c. Presbyterum de homicidio.* ubi pronuntiatur irregularis Presbyter, qui causâ disciplinæ percussit puerum in capite, undè posteà mortuus est: quia nimirùm correctio fuit immoderata cum lata culpa. Et *c. continebatur 16.* declaratur irregularis Diaconus, quòd, dum falce præcinctus, colluderet cum laico, & hic victor, juxta conditionem ludi, ejus tergo velut inequitaturus insiliens, ejus falce graviter vulneratus obierit: imputabatur enim in culpam latam, quòd gnarus conditionis ludi, falce non priùs depositâ colludens, non caverit periculum, ut rectè notat Filliucius *tr. 20. c. 3. q. 3.* Idem dic in nostro casu similiter eveniente: ut si judex vel parens mulierem vel filiam prægnantem justè castigans, modúmque culpabiliter excedens ei abortum causet: si maritus in copula cum uxore prægnante incautâ violentiâ fœtum extinguat, vel abortiri faciat, &c. Idque à fortiori dicendum erit in copulâ illicitâ cum prægnante. Quinimò universaliter: quando quis dat operam rei illicitæ de se periculosæ vel efficaci ad abortum vel homicidium prævisum causandum, non semper requiri culpam latam & mortalem, sed sufficere sæpè levem & venialem in cavendo negligentiam ad irregularitatem contrahendam sentiunt satis communiter Doctores apud Laym. *cit. tr. 3. c. 10. n. 4.* consentientem, ex eo quòd longè faciliùs incurratur irregularitas, quando quis dat operam rei illicitæ, quàm cùm quis opus licitum exercet, ut significant passim Canones *c. Ad audientiam & seqq.* Cùm ergò in actione licitâ requiratur culpa gravis, consequenter in actione illicitâ sufficiet etiam culpa levis. Sed stat sententia.

741 Etiam cùm quis dat operam rei illicitæ, sive in aliâ, sive in ipsâ homicidij materiâ, etiam periculosâ, nunquam in foro conscientiæ incurritur irregularitas ex delicto homicidij casualis, nisi culpa seu negligentia in cavendo homicidio lata & mortalis fuerit: ut proindè tutò nemo se censeat irregularem in foro conscientiæ, nisi delictum commissum sit mortale in ipso genere homicidij. Ita *Henriquez, Avila, Suarez, Cominck,* aliisque citatis Tamburinus hic *c. 15. §. 2. àn. 12.* eamque doctrinam probabilem & in praxi tutam censet ipse Layman *l. c.* Ratio est: quia irregularitas ex delicto homicidij casualis per Sacros Canones non inducitur ex eo, quòd opus in se licitum vel illicitum aut periculosum sit: sed ex eo, quòd ex tali opere culpabiliter inferatur mors homini; æquitas autem non patitur, ex levi solùm culpâ induci pœnam tam gravem. Discrimen ergò illud, an homicidium sequatur ex actione licitâ vel illicitâ pertinet solùm ad forum externum ad hanc ipsam culpam discernendam: nam in foro externo præsumi solet eum, qui operam dedit rei illicitæ, ex quâ homicidium secutum est, non nisi latâ culpâ causam homicidij præbuisse: ex quâ præsumptione *c. sicut ex literarum. de homicid.* Pontifex meritò pronuntiavit irregularem Presbyterum illum, qui mulierem gravidam per ludum incautè zonâ traxit, abortu indè secuto: meritò enim præsumpsit gravem culpam & temeritatem, & fortè etiam directam abortûs procurandi intentionem, ut ex contextu videtur innui: atque ita in similibus casibus in jure repertis. Et universaliter: si des operam rei illicitæ valdè periculosæ ad abortum vel homicidium causandum v. g. mulierem gravidam atrociter verberando lex iracundiâ, hominem fustè vel ense cæsim in capite feriendo, &c. semper in foro externo pronuntiandus eris irregularis; idque ex delicto homicidii voluntarii potiùs, quàm casualis, ut infra de abortu merè casuali rursus notabo. Atqui in foro conscientiæ præsumptio cedit veritati: ergò cuicunque rei etiam illicitæ & periculosæ dederis operam, ex quâ præter intentionem tuam secutus est abortus, vel aliud homicidium, si tibi constet culpam gravem & mortalem non intercessisse in cavendo homicidio, sed levem & venialem v. g. inadvertentiam, præcipitantiam, &c. tutò in conscientiâ ne censeas te irregularem (quidquid præsumatur in foro externo) sed, seclusò scandalo, poteris te gerere tanquam liberum ab irregularitate: quemadmodum & econtrà, si exteriùs judicetur quidem nullam fuisse culpam vel satis levem, tu autem conscius tibi sis graviter deliquisse, obligaberis ut verum irregularem te genere abstinendo à Sacris, &c. Vide Suarez *de cens. disp. 45. sect. 5.* Denique in dubio, an culpa illa gravis vel levis fuerit in cavendo abortu vel homicidio de facto certò secuto, omninò præsumendum te irregularem colliges *infra n. 749.* Regulâ 1.

Idem porrò dicendum de abortu vel homicidio casuali moraliter causato, jussu, consilio, inductione. Ut si v. g. mulieri præ- 742

prægnanti mandes, vel suadeas actionem periculosam, gestationem gravis ponderis, ascensum arduum, saltationem immodicam, &c. ex qua prævides, & gravi culpâ non præcaves abortum secuturum. Et universaliter: quicunque alteri mandat, suadet, consulit, vel quomodolibet inducit ad actionem aliquam, seu licitam, seu quomodolibet illicitam, ac de se periculosam, ex quâ prævidet, suspicatur, vel subdubitat, nec tamen sufficienter præcavet, secuturam mortem alterius tertij, eâ secutâ irregularis erit, si culpa in cavendo gravis erat: aliàs non. Et sic intelliges c. ult de homicid. in 6. *Qui mandat aliquem verberari (licet expressè inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur) irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet, vel occidat: cùm mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.* At quid si mulieri prægnanti suadeas, vel offeras ad abortum procurandum pharmacum nimis acre, undè continget matrem simul cum fœtu extingui: erísne bis irregularis ex duplici homicidio, uno voluntario fœtûs, altero casuali matris; similiter si alicui mandes vel suadeas occidere alterum, duellum inire, &c. contingat occidi ipsum mandatarium vel suasum, cum id posse contingere certè prævideris, nec sufficienter præcaveris, etsi non intenderis, erísne adhuc irregularis? Affirmant communiùs & sine dubio probabiliùs ac tutiùs DD. *Suarez, Navarr. Cominck, Sayrus,* aliisque citatis Diana *p. 4. tr. 2. resol. 11.* eò quòd hujusmodi actiones de se sint periculosæ ad homicidium, illúdque illicitè causent. Negant verò non improbabiliter *Turrianus, Hurtadus. Joan. Præpositus,* quos citat & approbat Lug. *disp. 19. sect. 2. §. 2. n. 4.* Ratio est: quia aliud est mandare vel consulere, ùt quis occidatur, quod, effectu secuto, semper secum trahit irregularitatem ex claro jure. Aliud est, mandando vel consulendo alterum solùm periculo mortis exponere, quod nullo claro jure secum trahit irregularitatem. Excipit tamen rectissimè Lugo *ibidem,* nisi quis eo animo & directâ intentione mandatum vel consilium dedisset alteri, ut ea occasione ipse occideretur: Quâ enim ratione David occidit Uriam gladio filiorum Ammon? hoc tempore sine dubio futurus irregularis.

743 Ex abortu casuali mixto indirectè tantùm & in causâ voluntario non incurritur excommunicatio Sixti V. sive quis det operam rei licitæ, sive illicitæ, & non sine gravi culpâ in cavendo, dummodò directè non intendat. Ratio est: quia abortus casualis quantumvis culpabiliter causatus, directè tamen minimè intentus, non potest tamen dici *voluntariè procuratus,* seu *studiosè quæsitus,* qualem solùm suo fulmine ferit Sixtus Pontifex: Eadémq; est ratio de reservatione Clementis VIII. pro Religiosis; imò & Episcopali, pro Diœcesanis. Non ergò eam censuram vel reservationem incurrit parens vel maritus filiam vel uxorem prægnantem, sive justæ punitionis causâ, sive ex iracundiâ graviter percutiens non sine gravi culpâ, & prævisо abortûs periculo posteà secuti, si eam non intendit. Neque maritus cum uxore, vel alius cum fœminâ prægnante copulam nimiâ vehementiâ exercens abortu indè secuto, si eum minimè intendit, sed solùm explere libidinem voluit. Quia licèt talis fuisset in culpâ mortali, respectu abortûs causati, atque ideò irregularitatem ex delicto abortûs casualis minimè effugiat; non tamen diceretur procurare abortum: verbum enim ipsum *procurare* significat studiosè & ex industriâ quærere, ideóque directè & in se velle abortum. Atque propter eandem rationem notâ hìc obiter, Episcopum posse dispensare in irregularitate ex eo abortu, sicut & quolibet homicidio casuali occulto indirectè tantùm voluntario. Nam & Sixtus V. solùm loquitur de abortu *voluntariè procurato*: & Concilium Tridentinum in facultate concessâ Episcopis solùm excipit *homicidium voluntarium*: quale simpliciter non potest dici casuale indirectè & imperfectè voluntarium: ut si mandes alterum iniquè verberari, mandatario excedente & occidente: si provocatus ad pugnam solùm animo percutiendi accessisti, posteà verò præter intentionem, ne occidereris, occidisti, &c. Ita *Navarrus, Henriquez, Suarez,* aliisque citatis Filliucius *tr. 20. c. 3. q. 11.* Layman. *c. 12. assert. 4.* in fine; rectè addens, hanc resolutionem etiam servire posse Parochis, quibus homicidia reservari solent. *Attamen in foro interno confitenti homini credere possunt, si asserat, non habuisse se propositum occidendi, sed solùm v. g. rixandi, posteà verò necessitate compulsum occidisse, ne ipsemet occideretur, ejusmodi peccatum non debet reservatum censeri, præsertim si occultum sit; sin verò notorium, convenit plerumque, ut examini Episcopi relinquatur.* Sic Layman. Eadémque erit ratio in nostro casu, ut jam innui.

Abortus merè casualis, simpliciter involuntarius.

SEquens nimirum ex actione alicujus seu licitâ, seu illicitâ, sed aut nullo modo prævisus, aut si quid periculi prævisum, sufficienti diligentiâ adhibitâ, ne sequeretur, præcautus, nec peccatum est, neq; inducit excommunicationem Sixti V. sed neq; irregularitatem, nisi fortè in uno casu. *Ratio* clara est. Quia ubi nullum est voluntarium, nullum potest esse peccatum, & ubi nullum peccatum, nulla debet esse pœna, præsertim censura: & quoad irregularitatem etiam certum est, quando quis dat operam rei licitæ, v. g. Medicus medendo, maritus cognoscendo fœminam gravidam, si debitâ adhibitâ diligentiâ in cavendo, nihilominùs sequatur abortus, ex claro Jure in simili. *c. Dilectus.* & seqq. *de Homicid.* Atque etiam omninò verum est, quando quis dat operam rei illicitæ, saltem non nimium 744

Universidad de Deusto
Biblioteca

periculosæ ad abortum vel homicidium causandum. Ita communior Doctorum, quos citant, & sequuntur Filliucius *tr. 20. c. 3. q. 8.* Tannerus *p. 3. disp. 6. dub. 11. n. 116.* Layman. *c. 10. n. 1. & 3.* Diana *p. 4. tr. 2. resol. 20.* Ratio est: Quia hæc irregularitas non incurritur, nisi intercedat culpa homicidii: At in nostro casu nulla est culpa homicidii: licèt enim quis peccet exercendo opus illicitum, abortus tamen vel homicidium indè secutum est ei simpliciter involuntarium, quippe de quo aut nullo modo cogitavit, aut si cogitavit, debitam cavendi diligentiam adhibuisse supponitur.

745 Contrarium tamen universim decent gravissimi Doctores, *Navarrus, Covarruvias, Sanchez, Valentia*, alij permulti apud *Tannerum & Dianam citatos*, probántque ex Jure. *c. Dilectus. c. Joannes. c. ult. eod. tit.* ubi decernitur, eum, qui dando operam rei licitæ adhibitâ debitâ diligentiâ, homicidium casualiter fecit, non esse irregularem: ergò *à contrario argumento* inferunt; omnis, qui dando operam rei illicitæ homicidiū fecit, irregularis erit: quod argumentum, licèt non apud Dialecticos, tamen apud Canonistas valere, ait Navarrus *c. 27. n. 219.* Verùm quidquid aliàs apud Canonistas valeat illud argumentum *à contrario sensu*, certè non debet valere in nostro casu, quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus Jure expressis; atqui contrarius ille sensus in illâ generalitate nullibi expressus est in Jure, quin oppositum apertè colligitur ex *c. Quantum. d. 50.* ubi Pontifex declarat, eum, qui caballos, etiamsi furtivos, abduxit, à quibus mulier collisa abortum fecit, furti quidem reum esse, attamen *ubi voluntas illius nō agnoscitur perniciosa fuisse non potest addici, & occidi per leges*: quia nimirum (ut notat Glossa ibidem) *mulierem, ut sibi caveat præmonuit*: aut fortè periculum omninò non advertit. Quidni eadem sit ratio de irregularitate ex delicto? Videamus ergò, an aliquid saltem particulare exprimatur in Jure.

746 Communis exceptio est: nisi actio aliqua eâ ipsâ ratione illicita seu prohibita sit in Jure, quòd cum periculo mortis inferendæ conjuncta esse soleat: quâ ratione Clericis & Monachis in Sacris constitutis graviter prohibetur usus artis chyrurgicæ per sectionem, & adustionem. *c. Sententiam. ne Clerici vel Monachi.* ubi inter alias prohibitiones cooperationis ad mortem dicitur. *Nec ullam Chyrurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus vel Sacerdos exerceat, quæ ustionem vel incisionem inducit.* Atque adeò, si contra hanc prohibitionem Clericus vel Monachus in Sacris constitutus exerceat Chyrurgiam per incisionem vel adustionem etiam omni adhibitâ diligentiâ & cautela, ne mors sequatur, eâ nihilominùs præter omnem intentionem merè casualiter secutâ, irregularis erit, secundùm Doctorum communem consensum & intellectum. *c. Tuanos de homicid.* ubi Pontifex requisitus, sitne irregularis, & à Sacris arcendus quidam Monachus Chyrurgicus, qui mulieris tumorem gutturis curare volens ferro incidit, expressè præmonens, ne se vento exponat, ne fortè ventus subintrans causam mortis adferret: illa neglecto salutari mandato, messis causâ, vento se exposuit, eóque intrante scissuram, multùm sanguinis effundens diem suum obijt (En tibi, omni adhibitâ cautelâ homicidium merè casuale & omninò involuntarium. Simile quid facile posset contingere in nostro casu quoad abortum) Respondit Pontifex: *Fraternitati tuæ respondemus, quòd licet ipse Monachus multum deliquerit alienum officium usurpando, quod sibi minimè congruebat: si tamen causâ pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in arte Chyrurgiæ, omnémque studuit, quam debuit diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, adeò reprobandus, quòd non post satisfactionē condignam, cum eo misericorditer agi possit, quòd Divina Officia valeat celebrare; alioquin interdicenda est ei Sacerdotalis Ordinis executio in rigore.* Sic Pontifex. Quamvis autem tale non sit verum formale homicidium, censetur tamen homicidium ex interpretatione Juris, ob reverentiam Sacrorum, ad irregularitatem inducendam sufficiens, ut notat Filliucius *cit. q. 10.* Nihilominùs talem adhuc ab irregularitate non improbabiliter liberant *Coninck, Joannes Præpositus*, eósq; citans Tamburinus *hîc c. 15. §. 4. num. 11.* & licèt antè pluribus locis contrarius, tandem etiam secutus est Diana *part. 11. tract. 7. resol. 8.* apud eundem. Idque ex alio diverso intellectu illius, apitis, quem suggeret Glossa ibid. V. *aliquin*, id est, *si non erat peritus si non adhibuit diligentiam, quam debuit, aut ex cupiditate fecit*: tunc scilicet *interdicenda est ei sacerdotalis Ordinis executio in rigore*: ergò aliàs non, si erat arte peritus, si adhibuit debitam diligentiam, &c. Sed in praxi ego non ausim recedere à communissimo intellectu illius Sacri Canonis.

Exceptio alia necessaria est: nisi actio illa illicita de se aut in his circumstantiis personarum, loci, temporis, instrumentorum &c. hic & nunc adeò sit periculosa ad abortum vel homicidium causandum, vel ita connexa cum periculo abortus vel homicidij, ut nemo nisi stultus vel mentis impos exerceat talem actionem, quin velit occidere vel abortum procurare; seu adeò ut peccet contra jus naturæ præcisè ratione periculi occidendi, cui ita operans hîc & nunc se exponit: ut si ferias punctim circa pectus, cæsim in capite, si fuste percutias in capite: præsertim personæ teneræ vel pueri: aut in nostro casu ita vehementer percutias, tundas, terreas mulierem gravidam, ut percussio vel metûs incussio adeò sit manifesta causa abortûs vel mortis, ut percutiens vel metum incutiens cujusvis prudentis arbitrio reputetur, perinde ac si abortum vel homicidium vellet ac intenderet (ut benè explicat Molina *tomo 4. tract. 3. disp. 3. num. 6.*) secuto abortu vel homicidio, utique omnium calculo pronuntiandus erit irregularis, idque ex delicto homicidij voluntarij, non casualis. Quamvis enim eo casu, tu directè actu formali & explicitè non intenderes occidere, vel abortum procurare, sed solùm v. g. acrem vindictam sumere: Attamen ipso facto (nisi stultus sis) tacitè vis, & semper præsumeris in causâ tam periculosâ voluisse malitiosè ipsum abortum vel homicidium; etenim impossibile videtur, quòd homo mentis compos tunc periculum tam manifestum non advertat: & si advertas, nec caveas imò nec cavere possis, nisi desistendo ab actione tam periculosâ, nec tamen desistas, quid tandem aliud velle potes, quàm occidere? Posito tamen raro casu, quo talia agendo, bonâ fide reverâ nullum mortis periculum advertens, aut quid advertas, sufficienti cautelâ excludere conatus, abortum vel homicidium revera nullo modo intendisses, coram Deo & in conscientia te non fore irregularem, cum alijs meritò pronuntiat Tamburinus *c. 15. §. 2.* Nam in foro externo te semper præsumendum irregularem non est dubium, ut in simili innui *suprà num. 741.*

748 Tandem quid de abortu vel alio homicidio merè casuali ex errore facto? Titius adulter, præter uxorem etiam ancillam imprægnavit, sed ad evitandam infamiam, & pœnas, potionem abortivam præparavit ancillæ: quæ contra ejus intentionem per errorem potata ab uxore prægnante, eam abortire fecit fœtum diu animatum. Cajus venenum paravit inimico, sed simili errore, potatum ab alio amicissimo, eum brevi extinxit, & ita in similibus? Certum est talem non committere homicidium formaliter, ac proinde ex illo homicidio merè casuali & materiali, nec in casu nostro, aut si alius occisus Clericus fuisset, excommunicationem Sixti V. vel Canonis incurrere. Communis DD. Sanchez *l. 9. de Matrim. disp. 32. n. 27. Molina, Coninck, Fragosus, Fagundez, Portellus*, eósque citans Diana *part. 9. tract. 4. resolut. 31.* Tamburinus *l. 6. Decalogi c. 4. §. 3. num. 36.* Ratio est; quia quamvis talis principali intentione procurandi hunc abortum, aut occidendi hunc hominem, peccaverit gravissimè, alius tamen abortus secutus, aut aliud homicidium est ei simpliciter involuntarium, ideóque sicut à culpa, ita & â pœna homicidij vacans. At quid si uxor potionem illam potâsset marito insciente, sed monere vel contradicere non audente? Idémque est in alio casu veneni potati. Resolvit optimè Lugo *disp. 8. de justit. sect. 6. num. 86.* in simillimo casu sibi proposito, his omninò verbis. Quidam ut alium occideret, ficum veneno infecit, quam illi in prandio apposuit: quidam autem, qui proximè assidebat, ficus venenatæ pulchritudine allectus, eam vicino arripuit, quod dum delinquens adverteret, dissimulavit, ne se ipsum, suúmque maleficium proderet, ac permisit amicum illum comedere, qui postea veneno interiit. Censui hunc non fuisse homicidam vel irregularem: quia periculum non prævidit, & postea non tenebatur cum tanto periculo impedire damnum; quod cùm non fuerit intentum, nec prævisum, non fuit ejus causa, qui vicum venenavit, sed per accidens & præter intentionem evenit, licèt ex actione illicitâ & injustâ erga illum, quem occidere volebat, non tamen injustâ erga eum, qui occisus est. *Hæc Lugo.* Eadem omninò ratio est de potione ab uxore, vidente marito, potata. Eadémque ratione resolvendum de mandante vel procurante abortum fieri vel homicidium per alium, si mandatarius, vel commissarius per errorem aliam pro alia abortire faciat, alium pro alio occidat: eóque casu à mandante non incurri irregularitatem ex voluntario homicidio indispensabilem Episcopo, responsum est à Cardinale Caraffa Episcopo Hieracensi anno 1587. ut habetur in novissimis editionibus Concilij Tridentini *ad Sess. 14. c. 7. de reform.*

Pro abortu, vel quovis homicidio dubiè causato.

REGULA I.

Quoad Irregularitatem.

749 QUandocunque constat *de corpore delicti*, seu ipso homicidio facto ex aliqua tua actione vel cooperatione, quando nimirum certum est, fœtum animatum abortitum, aut alium hominem esse mortuum vel occisum, te aliquo modo concurrente, dubitatur autem solùm, an tua actio vel cooperatio fuerit efficax, vel sufficiens ad causandum abortum vel homicidium, quod fortè etiam aliundè, seclusâ tuâ actione vel cooperatione, causatum fuisset, irregularis omninò habendus es, & interim à Sacris abstinere debes. Ita enim expressè statuunt sacri Canones *tit. de homicidio.* Imprimis *c. 12. ad audientiam.* Posito casu de Presbytero, qui correctionis causâ famulum cingulo percutiens, cultrò vaginâ cingulo appensâ, elapso vulneravit, qui postea à vulnere quidem convalescens, superveniente alia infirmitate, obijt. Dubitantibus autem, utrum mors ex vulnere, an verò ex morbo superveniente tantùm secuta sit, & ideò Presbyter ut irregularis à Sacris arcendus sit? Respondet Pontifex Clemens III. quòd sic: *nisi appareat, illum aliâ infirmitate obiisse: cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem.* Rursus *c. 18. Significâsti*, posito alio casu de Presbytero, qui furem Ecclesiæ ornamenta auferentem ligone percussit, postea à supervenientibus Parochianis cum gladiis & fustibus penitùs occisum. Hinc orto dubio; an ex solis percussionibus Parochianorum, an verò ipsius Parochi obierit, ideóque Sacerdos censendus sit irregularis? Respondet Pontifex Innocentius III. *In hoc dubio tanquam homicida debet habere Sacerdos, etsi fortè homicida non sit, à Sacerdotali Officio abstinere debet; cùm in casu*

Universidad de Deusto
Biblioteca

casu cessare, sit tutiùs, quàm temerè celebrare, pro eo, quòd in altero nullũ, in reliquo verò magnum periculum timeatur. Tandè *c. penult. Petitio tua.* Proponi Clericus casum, se cum cæteris Clericis & Laicis occurrisse irruentibus in castrum hostibus Dominicæ Crucis, hinc indè occisis plurimus, se quoque aliquos percussisse, dubitare autem de alicujus occisione, ideóque irregularitate contractâ: Respondet idem Pontifex: *Mandamus quatenus, si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordeat, à ministerio Altaris abstineas reverenter, cùm sit consultiùs in ejusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.* Ita sacri Canones.

750 Consimiles casus certæ irregularitatis sub allegatis Canonibus manifestè comprehensi possunt esse varij. Titius v. g. venenum porrexit cuidam, ut interiret, & illo inscio aliud efficacius venenum propinatum fuit: dubitat ergò Titius, an venenum suum efficax fuerit ad mortem, nec ne, an potius alterius venenum solùm mortem causârit: secutâ morte irregularis est. Cajus applicavit causam v. g. pharmacum ad abortum fœtus animati effectu & vero homicidio secuto, postea dubitat, an causa illa vel potio à se applicata fuerit sufficiens & efficax ad causandum abortum, an verò causatus fuerit ex vi alterius causæ, ut violentâ compressione prægnantis: omninò habendus est irregularis. Item si consilium dedisti Titio ad occidendum Cajum, homicidio jam patrato comperis, Titium capitales gessisse inimicitias adversus eundem Cajum, eique jam alias mortem minatum vel machinatum: dubitas ergò, num is occiderit motus ex vi tui consilij, an solùm ex privata inimicitia; aut similiter in nostro casu, suasisti Titiæ à te vel alio imprægnatæ facere abortum fœtûs animati, effectu secuto, intelligis eam jam antea abortum attentâsse, dubitasque similiter de efficacia tui consilij. Irregularem te pronuntiant sanè communiter Doctores apud Dianam *p. 7. tr. 5. resol. 26.* ex intellectu eorundem SS. Canonum. Attamen, cum Sacri Canones allegati in dubio homicidii irregularitatem statuentes, & in re odiosâ strictè interpretandi expressè solùm loquantur de homicidio dubiè, sed physicè patrato, ut intuenti patet, satis probabilè est non debere extenti ad homicidium dubiè, sed moraliter tantùm causatum ex tuo consilio, suasu, consensu, in modò dictis & similibus casibus. Ita Tambur. hic *c. 5. à n. 11.* citans *Suarez*, utrumque *Sanchez, Azorium, Merollam, Gibelinum, Joan. Præpositum*, aliósq; citantem Dianam *p. 11. tr. 6. resol. 24. & 25.* (quam partem ego nondum vidi.) Ratio jam insinuata est. Irregularitas enim hæc imponitur homicidio dubiè *commissio*: at valdè differunt homicidiũ committere, & ad homicidium dare consilium, vel moraliter tantùm concurrere: ergò probabile valdè est, eam irregularitatem, utpotè pœnam, & ideo strictè interpretandam, non extendi ad consulentem & dubitantem, an suo consilio moraliter verè influxerit in homicidium. Et hinc sit.

REGULA II.

Quoad eandem Irregularitatem.

751 QUandocunq; non constat, sed verè dubitatur de ipso *corpore delicti*, utrum revera abortus fœtus animati, aliúdve homicidium vel mors hominis ex tua actione vel cooperatione, seu physica, seu morali ad causandum illud factâ secutum sit, nec ne; post factam diligentiam inquisitionem dubio perseverante, nulla timenda est irregularitas. v. g. scit aliquis percussisse graviter, vulnerâsse hominem, explosisse in hostem in bello seu justè seu injustè: dubitat autem invincibiliter, an indè mors secuta sit: scis te alteri mandatum, consilium, consensum vel auxilium præbuisse ad aliquem occidendum; dubitas similiter, an is obsecutus, reipsâ occiderit; an verò pœnitens omninò intermiserit: aut si forte invasit, percussit, vulneravit, num ex eo vulnere mortuus fuerit, an verò convaluerit: & denique in casu nostro: scio me causam applicâsse, consilium dedisse vel auxilium, aut aliter induxisse fœminam ad abortum procurandum, dubito autem, an omninò abortus aliquis secutus sit, aut si constet, abortum aliquem esse secutum, dubitatur, & neque ex die coitûs, neque ex signis materiæ ejectæ, neque aliundè constare potest, num fœtus jam fuerit animatus, & ideò homicidium patratum, nec ne, &c. Taliter inquam, dubitans, debet quidem omnem moraliter possibilem diligentiam adhibere ad inquirendam veritatem, & interim quamdiu spes super est veritatem cognoscendi, abstinere à Sacris, quantum potest sine scandalo vel alio gravi incommodo: quòd si tandem adhibitâ frustra diligentia dubium invincibile perseveret, irregularitatem securè ne timeat, seque eâ pœnâ liberum credat. Ita universaliter, contra *Navarrum, Sotum, Sanchez, Molinam*, & omninò communem Doctorum, maximè quoad dubium de animatione fœtus aborti, apud *Dianam* mox citandum.) jam tenet communis & tuta Recentiorum sententia, quos citant & sequuntur Franciscus Bardi *de conscient. discept. 6. c. 7. §. 4.* Th. Tambur. *cit. c. 5. §. un. & l. 1. in Decal. c. 3. §. 7. v. Irregularitas n. 2.* aliisque relatis probabile censet Diana *p. 4. tr. 2. resol. 16. & p. 7. tr. 5. resol. 24.* Ratio sufficientissima sumitur ex duplici principio: Unum est: *Non est ponenda irregularitas, nisi in casibus jure expressis, sæpè cit. c. Is qui. de sent. Excomm. in 6.* Alterum est: *Odiosa restringi convenit, non ampliari:* juxta *Reg. 15. in 6.* Atqui Canones allegati omnes (ex quorum constitutione præcisè inducitur irregularitas in dubio homicidij) expressè loquuntur solùm in casibus, quibus constabat liquidò de corpore delicti, seu homicidio patrato, atque in subjecto certo capaci mortis, & solum dubitabatur de cooperationis vel causæ positæ

sitæ efficaciâ vel sufficientiâ ad mortem; seu, à quo, variis concurrentibus, mors sit illata: ergo sacri illi Canones non sunt extendendi ad casus nostros longè diversissimos, quibus de ipso corpore delicti seu homicidio vel morte causatâ ambigitur invincibiliter.

752 Regula hæc universaliter vera est in quocunque dubio. I. Non tantùm in dubio *Facti*, quando scilicet dubitatur de ipso homicidio facto, de quo hactenùs locuti sumus, sed etiam, & multò magis in dubio *Juris*, quando nimirum dubitatur, an pro tali facto irregularitas aliqua decreta sit, aut non? nisi dubiè, ambiguè vel obscurè habeatur: sic enim in jure expressa non est. II. Non est tantùm in dubio *negativo*, quando videlicet intellectus merè anceps hæret, nullam habens rationem probabilem inclinandi in unam vel alteram partem, an sit, nec ne, homicidium commissum: tunc etiam poteris eligere quamlibet partem etiam tibi faventem, etiamsi oppositæ rationes probabiliores videantur: sequendo enim probabilem sententiam semper prudenter te geris; iuxta communem doctrinam in materia de conscientia. III. A fortiori securus eris, si habeas rationem probabilem pro te v. g. homicidium non esse secutum, & solùm negativè dubites de oppositio, nulla apparente ratione probabili in oppositum. IV. Contrà verò, si adsint rationes probabiles contra te, v. g. prudenter judicas te reverà occidisse, & solùm negativo dubio ambigis, fortè non occidisse, nullâ habitâ ratione probabili, unde judices ex tuâ actione, consilio, auxilio mortem non esse secutam, prout fuit in casu suprà allato, *c. petitio tua*: & esset, si aliquem à te globo tactum videres ex equo ruentem, & nullo indicio vel ratione probabili appareret, mortem evasisse. Atque in nostro casu, si pharmacum efficax applicasti ad causandum abortũ fœtûs jam certò animati, & postea similiter merè negativè ambigas de effectu secuto: In his & similibus casibus te irregularem habendum, meritò declarant Thomas Tamburnius *cit. c. 5. §. un. num. 17.* rationem dans: Quia tunc prudenter apparet tantùm ratio incursûs in irregularitatem; & nulla apparet ratio evasionis seu liberationis ab illa: & P. Thesaurus apud Dianam *cit. p. 7. tract. 5. resol. 26.* rationem dans: *Quia licet facta in dubio non præsumantur, fallit, quando sunt solita fieri. L. ult. C. de fid. Instr. Mascardus conclus. 732. n. 5. & 7.* Sic ille.

REGULA TERTIA.

Quoad Excommunicationem & alias Pœnas universim.

753 IN omnibus Juribus & Legibus pœnalibus, etiam censurarum & irregularitatum: non tantùm in dubio *Juris*, quando dubitatur, an pro tali facto vel casu aliqua pœna, censura, irregularitas quæcunque, lege decreta sit: sed etiam in dubio *Facti*, quando verè & invincibiliter dubitatur, an quis commiserit tale Factum, propter quod constat decretam esse pœnam, censuram, irregularitatem, nemo censendus est ligatus exceptâ solâ irregularitate ex delicto homicidii voluntarii, constante corpore delicti. Comunis jam & secura sententia, quam cum aliis allegatis, docent Suarez *de cens. disp. 5. sect. 5. & 6.* Sanchez *l. 1. Moral. c. 10.* latissimè. Filliucius *tract. 20. c. 4.* Layman. *lib. 1. tr. 1. c. 5. n. 39.* Franciscus Bardi *de conscient. discept. 6. c. 7. §. 2.* Ratio est: quia in dubio factum non præsumitur: & specialiter: *Nemo in dubiis præsumitur deliquisse. L. meritò ff. pro socio.* Ergo delictum aliquod facto vel eventu completum fuisse, indeque consequens pœna, non præsumi, sed demonstrari debet. Deinde leges pœnales & censuræ tantùm ferunt delictum simpliciter: sed delictum dubium non est delictum simpliciter. Certè pœna ordinaria statuta delicto certo non est imponenda delicto dubio, sed alia arbitraria seu extraordinaria, secundùm qualitatem dubii. Tandem omnia Jura clamant: *Reum dubium esse absolvendum. In dubio neminem condemnandum: In pœnis benigniorem interpretationem faciendam. Odia restringi, favores ampliari oportere.* Quæ sicut in aliis legibus pœnalibus, ita sanè etiam in censuris, & irregularitatibus ex delicto (nisi ipsa Jura aliud exprimant, prout exprimunt in solo casu in regula excepto) & foro conscientiæ locum habere debent: quòd si enim Judex neminem punire debet, sed absolvere, si delictum, ob quod Juris pœna decreta est, dubium, vel sufficienter cognitum non sit: multò minùs in foro conscientiæ aliquis seipsum condemnare & pœnam in se exequi tenetur, v. g. abstinere à Sacris tanquam excommunicatus, suspensus, irregularis, donec delictum certum & exploratum sit; ut, si verè dubites, an homo ille Clericus sit, quem percussisti, quamvis temerè percusseris non sine suspicione vel formidine esse forte Clericum? si tamen postea veritatem deprehendere non possis, non debes te excommunicatum reputare: quia licèt constet de percussione, non tamen constat de percussione Clerici, quæ sola eâ censurâ punitur, *can. si. quis suadente.* Similiter si quis etiam temerè & malâ fide sacrum Ordinem suscepit, dubitans v. g. utrùm ætatem requisitam habeat, an legitimè natus sit, an uxor unica virgo accesserit, &c. si postea veritatem deprehendere non possit, non est censendus irregularis, nec suspensionis censuram incurrisse, quamvis sic temere accedens & suspicans peccaret, & perseverante dubio, nisi necessitas urgeat à sacro ministerio abstinere debeat, donec certior fiat, quamdiu nimirum certiorem fieri posse spes est. Ex communi Laymam *cit. §. 4. n. 38.* Sic tandem in casu nostro quomodolibet figurabili: sive dubitetur, an ex tua actione vel cooperatione reverà abortus aliquis secutus sit; nec ne: sive constet abortum esse factum; dubitetur autem invincibiliter, fueritne fœtus iste animatus nec ne: sive etiam constet fuisse animatum, dubitetur autem similiter, an reipsâ ex vi tuæ actionis vel cooperationis, jussionis, consilii, medii applicati causatus fuerit, an aliunde:

 securè

Universidad de Deusto
Biblioteca

securè censeas, te liberum esse ab excommunicatione, aliisque pœnis tam Constitutionis Sixtinæ, quàm Juris communis *sect.* 2. explicatis: semper enim dubitas, an commiseris delictum illud, propter quod decreta est ejusmodi pœna. Excipe tamen id ipsum, quod *n.* 752. *num. IV.* exceptum est.

Et hactenus de Matrimonio, & annexis, ac de fœdo *Abortu*, ad pulchram tamen DEI Gloriam, ut sit, & maneat

AB ORTU

Solis usque ad Occasum

LAUDABILE NOMEN DOMINI.

HAbes hîc, AMICE LECTOR, finitam Theologiam Moralem Sacramentalem: cujus tota doctrina hâc novâ & suavi methodo conscripta, collecta, digesta, & dispositа, Tibi, & omnibus legentibus millies proficiat; ac quoad omnia Magistræ fidei veritatis S R. Ecclesiæ, ejúsq; Judicio Censuræ, & Correctioni humiliter subjecta sit. Et si quæ, ultra spem, non essent bene dicta, omninò revocata, & dicta non sunto.

Jam jam etiam actu sub prælo sudat, & brevi sequetur in simili forma Theologia Moralis Decalogalis, seu super Decalogum. Tu interim hâc fruere, vive, & vale.

O. A. M. D. G.

IN-

Index Rerum notabilium in hoc Tomo contentarum.

Numerus primus folium demonstrat, secundus marginem.

Abortus.

ABortus quid? f. 626. n. 698. quando censendus sit fœtus animatus, vel inanimatus? *ibid.*
Abortum procurare quid? *ibid.* n. 699.
Summa constitutionis *Sixti V* pœnalis in procurantes abortum f. 627. n. 700. Ejus moderatio à *Gregorio XIV. ibid.* n. 701.
Abortum fœtûs etiam *inanimati* procurare est intrinsecè moraliter malum. *ibid.* n. 702. refertur opinio aliquando licere, scil. ad servandam vitam prægnantis. f. 628. n. 703. statuitur Sententia vera, licete nunquam. *ibid.* n. 704. solvuntur fundamenta opposita. f. 629. n. 706.
Abortum fœtûs nondum animati procurantes non incurrunt pœnas scil. irregularitatem, & excommunicationem. *ibid.* n. 707.
An, & qualiter liceat procurare indirectè abortum fœtus nondum animati. f. 630. n. 709.
Abortum fœtûs *animati* directè procurare semper est intrinsecè malum, & mortale homicidium. *ibid.* n. 710.
An, si certò vel probabiliter mater cum fœtu periclitetur, liceat ei dare, & sumere medicinam? *ibid.* à n. 711.
Omnis quovis modo abortum fœtus animati directè procurans, omnisque scienter cooperans, effectu secuto, incurrit ipso facto irregularitatem, f. 631. n. 714. (quis in ea possit dispensare? *ibid.* à n. 715) ac etiam excommunicationem. f. 632. n. 718. à qua tamen excusat omnis ignorantia *juris* vel *facti*, etiam culpabilis, lata, crassa, supina, imò & affectata. f. 633. n. 719. Quis ab ea possit absolvere? *ibid.* n. 720. Pœnæ reliquæ. f. 634. n. 722.
Abortum fœtus animati etiam moraliter causantes, vel influentes, jussu, consilio, consensu, &c. contrahunt omnes pœnas statutas. f. 634. n. 724. Ut I. *Mandans*, f. 635. n. 725. nisi mandatum ante sentò revocavent. *ibid.* à n. 726. II. *Consulens* f. 636. n. 728. probabiliter etiam facta revocatione. *ibid.* n. 729 sed æquè probabiliter facta sufficienti revocatione non incurrit. *ibid.* n. 730. III. *Consentiens, approbans*, ratum habens *suo nomine* fieri f. 637. n. 732. Secus, si non fiat ejus nomine. *ibid.* n. 633. IV. *Permittens*, non *impediens* non incurrit pœnas. f. 638. n. 735. etiam obligatus ex justitia impedire. f. 639. n. 737.
Abortus casualis quid? f. 639. n. 738. quando & quale peccatum. *ibid.* n. 739. An pœnas incurrat dans operam rei licitæ? f. 640. n. 740. vel rei illicitæ? *ib.* à n. 741. Quid de abortu vel homicidio ex errore f. 643. n. 748. vel dubiè cautato? 643 à n. 749.

Absolutio.

Absolutio seu forma absolutionis consueta declaratur. f. 393. n. 590. quæ verba, vel forma sit sufficiens, & necessaria sub mortali. f. 394. n. 591. Qualiter facienda absolutio à censuris? f. 395. n. 593.
Absolutionis forma essentialis consistit in his duobus verbis: *absolvote. ibid.* à n. 594. formaliter sumptis. *ibid.* à n. 597. sufficit etiam, si proferatur modò imperativo. f. 396. n. 599. non autem prolata modo optativo. *ibid.* n. 600. Formæ essentialis quis sensus generalis? *ibid.* n. 602. quis proprius & principalis. f. 397. n. 603. & quis adæquatus. *ibid.* n. 604.
Absolutionis forma qualiter proferenda 398. n. 606. necessariò debet esse vocalis. *ibid.* n. 607. ad præsentem pœnitentem directa, unde invalida est absolutio data absenti, sive præsens confiteatur, & absens absolvatur. *ibid.* n. 609. sive absens confiteatur, & præsens absolvatur. *ibid.*
Quæ sit & censeatur præsentia moralis & sufficiens? f. 399. n. 610. quid agendum, si pœnitens ante absolutionem jam recessit? *ibid.* a n. 912.
Absolutio regulariter danda est absolutè. f. 400. n. 619. nec valet sub conditione de futuro. f. 501. n. 620. sub conditione autem de præsenti, vel præterito valet. *ibid.* n. 621. & ex causa licet, imò quandoque necessaria est *ibid.* n. 622.
Absolutio quando danda? f. 401. n. 623. quando repetenda? f. 402. à n. 627. casus varij. *ibid.*
Absolvens excommunicatum à peccatis non præmissa absolutione à censura, peccat mortaliter. f. 403. n. 632. valet tamen talis absolutio utrinque bona fide facta, aliàs non. *ib.* n. 633
Et talis Pœnitens etiam absolutus manet ab ipsa excommunicatione, si confessarius fuerit potens ab ea absolvere. *ibid.* à n. 634.
Validè & licitè absolvitur moribundus loquelâ & sensibus destitutus, si det signa doloris & confessionis, f. 404. n. 636. ad absolutionem petendâ directa. *ibid.* à n. 637. etiam quando ea dedit, sacerdote adhuc absente, coram aliis, etiam uno postea testante *ibid.* n. 639. & quidem absolutè, si signa doloris sunt vel fuerunt certa, vel probabilia, sub conditione verò, si dubia. f. 641. quando signa censeantur *certa*, probabilia, vel *dubia*? *ibid.* n. 641. Confessarius non tantùm potest, sed etiam tenetur talem absolvere. *ibid.* n. 642.
An, quando, & qualiter absolvi possit moribundus, qui nullum dat, vel dedit signum doloris, aut confessionis? *ibid.* à n. 644.
An absolvi possit ignorans peccatum suum esse reservatum? f. 425. n. 735.
Absolvere à reservatis quis possit generatim? f. 426. n. 738.
A quibus casibus & censuris Papæ reservatis absolvere possint Episcopi & Prælati Regulares respectu suorum subditorum. f. 426. n. 639.
Qualiter & à quibus casibus & censuris papalibus ex privilegio Mendicantes absolvere possint sæculares. f. 427. à n. 740. vide V. *Reservatio.*
Absolvens in mortali scienter, mortaliter peccat, tamen semel tantùm, estò eadem vice plures absolvat. f. 430. n. 775. unde tenetur præmittere confessionem, vel contritionem, aut saltem aversionem ab omni peccato. *ibid.* n. 776.

Ætas.

Ætas Canonica ad Ordines requisita quæ? f. 63. n. 94. qualiter computanda. *ibid.* n. 95. Quid si quis scienter ante ætatem requisitam ordinati se finat. f. 64. n. 69. Quid si quis bona fide sic antè ordinetur. *ibid.* n. 97. Quid in dubio, an adsit debita ætas. f. 65. n. 98.

Adulter.

Adulter jus petendi debitum non amittit simpliciter, ut nec validè, nec licitè petere possit, sed solùm sic, ut non possit obligatoriè petere. f. 575. n. 510. Unde tamdiu jure petere potest, quamdiu innocens propter ignorantiam, vel sponte sua nihil excipiens reddere paratus est. *ibid.* n. 511.
Adulter obligatur ad restitutionem pro damnis marito & libetis legitimis. f. 584. n. 539. utpote pro infamia, & alimento prolis sive suaserit. f. 585 à n. 540 sive non suaserit eam marito supponi. *ibid.* n. 542.
Adulter, in dubio sitne proles sua, nec ne, probabiliter adhuc obligatur pro rata dubij. f. 586. n. 543. sed æquè probabiliter ad nihil obligatur. *ibid.* n. 544. Si duo vel plures cum eadem eodem tempore adulterium commiserunt, natâ prole, in dubio cujus sit, ad quid teneantur? f. 587. n. 545.
Adultera obligatur per se ad restitutionem. *ibid.* a n. 546. omnium damnorum ex adulterio per se consequentium marito ac filijs legitimis. f. 588. à n. 548. omni modo, commodo, nec-non-litet possibili. *ibid.* n. 552. Non tamen tenetur regulariter ad ea damna avertenda suum crimen manifestare marito, vel proli spuriæ. f. 589. n. 553.
An & quando filius teneatur credere matri asserenti ipsum esse spurium? *ibid.* à n. 554.
Adultera non tenetur manifestare suum crimen, & prolis illegitimationem. I. Quando ipsa compensat. f. 590. n. 556. II. quando præsumit id nolle alios. *ibid.* n. 557. III. quando nihil prodesit. f. 591. n. 558. IV. nec cum periculo vitæ *ibid.* n. 559. V. vel infamiæ suæ majoris, f. 592. n. 560. VI aut cum detrimento propriæ famæ. *ibid.* à n. 562. His verò cessantibus tenetur. *ibid.* n. 564. solvuntur fundamenta contraria, f. 593 à n. 564.

Adulterium.

Adulterium quid, & quotuplex? f. 580. n. 521.
Adulterium mentale tantùm, motusa delectatione, desiderio, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

&c. quale & quotuplex peccatum, f. 580. n. 522. & qualiter in confessione explicandum ? *ibid.* n. 523. seq.
Adulterium formale tantùm quale peccatũ ? f. 581. n. 525. seq.
Adulterium reale peccatum mortale gravissimum. f. 582. multiplicis malitiæ. *ibid.* n. 529. & maximorum damnorum causa, n. 530. seq. meritò gravissimas trahens pœnas. n. 531.
Ex adulterio quid restituendum. f. 583. I. pro injuria. n. 533. II. pro infamia vel dedecore. f. 584. n. 536. III. pro damno temporali, n. 537. IV. pro sumptibus Hospitalis, *ibid.* si infans eò tradatur alenda. *ibid.* n. 538.

Affinitas.

Affinitas quid, & quotuplex ? f. 480. ex qua copula, & quando oriatur, *ibid.* n. 72. Resolvuntur varia. f. 481. n. 75.
Qualis affinitas dirimat matrimonium ? f. 481. n. 76 seq. quousq; ? f. 482. n. 79. seq. & quo jure n. 81. seq. est impedimentum perpetuum. *ibid.* n. 82. solvitur dubium *ibidem.*
Affinitâs matrimonio superveniens, seu quis & quo gradu contrahat impedimentũ petendi debitum ? f. 482. n. 83. seq.

Altare.

Altare cum sua supellectili ad celebrandum requisita. f. 229. n. 374.
Altare quale requiratur ? *ibidem.* Quando Altaria exsecrentur *ibid.* n. 375. Alia requisita; mappæ, *ibidem.* à n. 377. Lumen f. 130. à n. 381. Crux, Crucifixus, Missale. *ibid.* à n. 385.

Amor.

Amor Dei generatim duplex concupiscentiæ & amicitiæ. f. 288. n. 149. quid amor concupiscentiæ ? *ibid.* n. 150. quid amor amicitiæ quoad affectum complacentiæ. f. 289. à n. 151. quid quoad affectum desiderij ? *ibid.* à n. 154. cur dicatur obedientialis. f. 290. n. 156. An. qualiter & quando justificet martyrium ? f. 290. à n. 159.

Applicatio.

Applicatio fructûs Sacrificij. f. 199. seq. Quibus prosit & applicari possit fructus satisfactorius ? f. 200. à n. 267. Quibus impetratorius ? *ibid.* n. 271.
An & qualiter applicari possit pro Beatis ? f. 201. n. 272. Pro infidelibus. *ibid.* n. 274. pro Catechumenis ? *ibid.* n. 275. & excommunicatis ? f. 202. à n. 276.
Applicatio quomodo facienda ? f. 202. n. 278. Explicantur varij modi applicandi. *ibid.* n. 279.
Applicatio sub conditione de præsenti, vel futuro an & quando valeat. f. 203. à n. 280.
Quid si Sacerdos nulli applicet ? f. 204. n. 283. aut incapaci, utpote pro anima jam beata, vel damnata, f. 205. n. 284. vel prius uni, & postea alteri. *ibid.* à n. 285.
Applicans contra voluntatem Superioris illicitè agit. f. 206. n. 287. attamen validè à n. 289.
Applicandi obligatio ex fidelitate solùm, ordinariè solùm est sub veniali f. 221. n. 312. ex justitia verò sub mortali ex genere suo. *ibid.* n. 353. unde mortaliter peccat, talia Sacra sine justa causa nimis diu differens, *ibid.* n. 354. si non applicet, vel omninò omittat, tenetur ad restitutionem. f. 222. n. 355.

Approbatio.

Approbatio quid ? f. 410. n. 668. quotuplex *ibid.* n. 671. Episcopi non possunt citra peccatum injustitiæ Regulari legitimè præsentato & idoneo negare approbationem. *ibid.* à n. 672. nec eam semel justè concessam revocare, vel approbatum denuò ad examen vocare. f. 411. n. 674. sine justa nova causa. *ibid.* n. 675. Minus revocare vel suspendere possunt jurisdictionem Mendicantium semel legitimè approbatorum, sine justa nova causa. *ibid.* n. 676 sive arctare ad certas personas, vel tempora. *ibid.* n. 677. sine approbatione Episcopi non potest Regularis audire confessiones f. 412. à n. 679 an validè absolvat contra, vel sine legitimo consensu sui superioris approbatus ab Episcopo ? f. 413. n. 681.

Attentio.

Qualis attentio requiratur ad ministranda, & suscipienda Sacramenta. f. 30. n. 157.
Attentio quoad Horas Can. quid ? f. 96. n. 46. alia superficialis, alia litteralis, alia spiritualis &c. *ibid.* n. 47.
Attentio externa sub mortali necessaria est in recitandis Horis. f. 102. à n. 86.
Attentionem internam nullam requiri sententia probabilis proponitur. f. 103. à n. 71. Sed eius fundamenta facilè solvuntur. f. 104. à n. 743
Attentionem internam sub mortali requiri longè probabilius ostenditur f. 105. à n. 76. saltem superficialem cum intentione colendi & orandi Deum. f. 106 n. 80.
Attentio litteralis, vel spiritualis necessaria non est. *ibid.* n. 81. optima tamen & omninò consulenda *ibid.* n. 83.
Attentio interna debet virtualiter continuari. f. 107. n. 84 Unde resolvuntur varia circa distractos *ibid.* à n. 85.
Recitans cum Socio, vel Choro sub mortali obligatur attendere ad illum. f. 112. n. 106.
Si te attendente, alter non attendat, te non audiat, nec orandi intentionem habeat, tu adhuc satisfacis. *ibid.* n. 107.
Qualiter Canonici attendere & se habere debeant in Choro ? f. 113. n. 108.

Attritio.

Attritio quid ? f. 306 n. 219 differt à contritione ratione motivi, & ratione effectus. f. 307. n. 221. nam licèt necessariò etiam concipi debeat ex motivo honesto. f. 307. n. 224. & supernaturali *ibid.* n. 225. non tamen ex motivo charitatis, *ibid.* n. 226. sed alio inferiori, *ibid.* n. 227. v. g. turpitudine peccati, metu gehennæ, vel pœnarum. f. 308. n. 228. ultimatè resolvitur in motivum ipsi Theologicæ *ibid.* 230. Ex metu pœnarum possumus detestari tripliciter. f. 309. à n. 231. Quid timor, & inde natus dolor, servilis, initialis, & filialis, f. 310. n. 234.
Qualiter omnis attritio vera ultimatè resolvatur in contritionem, & amorem Dei super omnia. *ibid.* n. 235.
Attritionis motivum quæ & qualiter esse possit turpitudo peccati, *ibid.* n. 237. metus gehennæ, & pœnarum ? f. 311. n. 239. & metus pœnarum temporalium ? *ibid.* 242. exempla f. 312. n. 243. applicatio practica horum motivorum. f. 312. n. 244. quibus & qualiter proponi debeat *turpitudo* peccati, *ibid.* 244. quibus & qualiter *metus* gehennæ ? *ibid.* n. 245. quibus & qualiter *metus* pœnarum ? f. 313. n. 246. formulæ contritionis, & attritionis. *ibid.* à n. 249.
Attritio *supernaturalis, efficax* & *universalis* respectu mortalium, necessariò requiritur ad Sacramentum non tantùm fructuosè. f. 314. n. 255. sed etiam validè suscipiendum. f. 315. n. 258. unde Sacramentum pœnitentiæ nunquam potest esse validum & informe. f. 316. n. 263.
Ad Sacramentum pœnitentiæ non requiritur contritio perfecta. f. 317. à n. 268. sed sufficit attritio vera. f. 318. n. 277. etiam cognita *ibid.* n. 272. non tamen æstimata tantùm. f. 319. n. 275. etiam invincibiliter *ibid.* n. 276. Sacramentum Pœnitentiæ qualiter ex attrito faciat contritum. *ibid.* n. 277.

Assistentia.

Assistentia Parochi, & testium, f. 537. n. 358. qualis Parochus *ibid.* n. 359. & quis nomine Parochi proprij intelligatur ? *ib.* à n. 360. quis de ejus licentia possit assistere ? f. 538. n. 363. quæ licentia censeatur ad id sufficere ? *ibid.* à n. 364. quales requirantur testes. f. 539. à n. 368. qui censeantur testes idonei ? *ibid.* n. 370.
Qualis requiratur Parochi & testium præsentia ? f. 540. n. 373. necesse non est, ut adsint voluntariè, *ibid.* n. 375. aut ad id rogati, modò intelligant, quid agatur *ibid.* n. 376. etsi Parochus nihil loquatur. *ibid.* n. 377.

Calix.

CAlix sacer ex qua materia constare debeat ? f. 231. n. 393. an consecrandus & qualiter. f. 232. n. 394. quando exsecretur, benedictionem amittat ? f. 232. n. 395. Quale peccatum consecrare sine calice ? *ibid.* n. 396.

Causa.

Causæ excusantes ab Horis Can. sunt 4. *Impotentia, Infirmitas, Charitas seu occupatio : Dispensatio legitima* seu *Privilegium.* f. 124. n. 150.
Ratione *Impotentiæ* excusat. I. Inculpata oblivio. *ibid.* n. 152. II. Inculpata carentia v. g. amissio Breviarij. f. 125 n. 152. Qualiter peccet Breviarium sponte abjiciens & sic culpabiliter careat Breviario ? *ibid.* III. Cæcitas, quæ excusat à legendo, non tamen a dicendo, quæ quis scit memoriter. *ibid.* n. 135. IV. Metus gravis mali, vel damni proprij, vel alieni. *ibid.* n. 135.
Ratione *Infirmitatis* quando quis excusetur à recitandis Horis. f. 126. n. 155.
In dubio infirmus turò stat judicio Medici *ibid.* à n. 156. Quid si omnes, & Medicus ipse dubitet ? f. 127. à n. 159

Quando

Quando excusat charitas sui, vel proximi ? f. 127. n. 161.
Quando excusat occupatio gravis ? *ibid.* à n. 162. An liceat sponte assumere talem occupationem ? f. 128. n. 165.
Quis possit validè & licitè dispensare à dicendis Horis. *ibid.* à n. 166.
An impeditus stans horis recitare Officium, teneatur anticipare. f. 129. à n. 170.
An ob impedimentum non potens dicere totum, teneatur ad partem, quam potest ? f. 130. à n. 174.
An ob cæcitatem, vel aliam causam non potens recitare solus ; potens autem cum socio, teneatur uti socio ? f. 131. n. 179.
An, qui non potest dicere Horas, teneatur aliquid aliud orare, orantem audire ; vel alium substituere ? f. 132. n. 184.
Causæ sufficientes solvendi sponsalia. f. 506. vide *Sponsalia.*
Causæ cooperantes moraliter ad abortum, mandans, consulens, &c. f. 634. à n. 724.

Celebrare.

In loco profano celebrare mortale est, nisi excuset necessitas f. 241. n. 417. qualiter id permittere possint Episcopi in domibus sæcularium ? *ibid.* n. 438. Privilegium Mendicantium quoad hoc adhuc valet, *ibid.* à n. 439. quando Ecclesia dicatur polluta, exsecrata, interdicta ? f. 242. à n. 441. in tali non licet celebrare, antequam reconcilietur, *ibid.* n. 443. qualiter reconcilianda ? *ibid.* n. 444.
Celebrare operto capite quando, & quis permittere possit ? f. 297. n. 416.
Celebrans debet esse jejunus jejunio naturali. f. 247.
Christus qualiter existat sub speciebus consecratis. f. 160. vide v. *Eucharistia. Character.*
Character quid. & quotuplex ? f. 9. à n. 54.
Characteris munera, Officia, & Proprietates. f. 10. à n. 61.
Character quid, & quæ significet ? *ibid.* à n. 65.
Character non est ipsa potestas, sed signum potestatis. f. 11. n. 70. idq; ad placitum *ibid.* & non nudè speculativum. *ibid.*
Characteres qualiter inter se differant ? *ibid.* n. 74. (à n. 72.

Ciborium.

Ciborium, pixis, lunula Monstrantiæ &c. f. 233. à n. 401. an & quale peccatum, sacra vasa ab alijs Sacerdote & Diacono intentionibus tangi ? *ibid.* à n. 403.
Corporale, palla, & alia circa calicem, qualia, ex qua materia, & sub quo peccato requirantur ? f. 232. à n. 397.

Circumstantia.

Circumstantiæ peccati quid ? & quotuplex ? f. 349. n. 399. aggravantes *ibid.* n. 400. speciem mutantes. f. 350. n. 401. hæ necessariò explicandæ. *ibid.* à n. 402. etiam in actu interno efficaci f. 313. à n. 405. non tamen aggravantes tantùm. f. 352. à n. 407. bene autem mixtæ f. 253. à n. 409. majoris materiæ. *ibid.* à n. 411. & ratione objecti multiplicati. f. 354. à n. 415.

Clandestinitas.

Clandestinitas. f. 469. Matrimonium sine Parocho & testibus nullum est ex Decreto Tridentini. *ibid.* à n. 32. quod obligat solùm in locis Catholicorum, ubi promulgatum est. f. 407. n. 33. unde Catholici validè contrahunt coram Prædicante, ubi promulgatum non est, vel ubi non adsunt Pastores Catholici. n. 34. Quid de locis, ubi Catholici permixti sunt cum hæreticis ? *ibid.* à n. 35. An si sponsi in sponsalibus præsente Parocho & testibus, utantur verbis de præsenti, sit matrimonium ratum ? *ibid.* à n. 37.

Clericus.

Clericus quid ? f. 78. n. 157. Quid prima Tonsura, n. 158. ejus effectus. f. 79. n. 159.
Clericatum vel primam Tonsuram accipiens quæ requisita habere debeat. *ibid.* n. 160.
Qualiter peccet recipiens Tonsuram, vel Minores cum animo non permanendi in statu Clericali ? *ibid.* à n. 161.
Clerici qualiter obligentur ad gestandum habitum, tonsuram. f. 81. à n. 166. ad reverentiam & obedientiam Episcopo promissam. f. 82. n. 171.
Clerici in Sacris obligantur ad castitatem. f. 82. n. 173. quæ obligatio, unde, quanta, & qualis. *ibid.* à n. 174. vide *obligatio Clericorum. Cognatio.*
Cognatio legalis quid, quotuplex, & inter quos dirimat matrimonium ? f. 483. n. 85.
Cognatio spiritualis quid & quotuplex ? *ibid.* n. 86. qualis ? & quo jure dirimat matrimonium ? f. 484. à n. 87. Quis baptizans eam contrahat, *ibid.* à n. 89. & qualis patrinus eam contrahat ? f. 485. à n. 92. Resolvuntur varia. f. 486. à n. 97. ut contrahatur, requiritur contactus physicus infantis. f. 485. n. 95. potest tamen quis fieri patrinus per procuratorem, vel legatum. f. 486. n. 96. Resolvuntur varia. *ibid.* à n. 97.

Concelebrans.

Concelebrantes Neomystæ cum Episcopo qualiter consecrent ? f. 143. n. 37. qualem debeant formare intentionem. f. 144. n. 40. An possint illud Sacrificium offerre pro alio ? f. 144. n. 41. *Concubinatus.*
Concubinatus quid ? f. 596. n. 580.

Conditio.

Conditio servilis ignorata dirimit matrimonium. f. 464. n. 9. quo jure ? Non dirimit. si hæc conditio à libero contrahente, sciatur. *ibid.* à n. 10.

Confessarius.

Confessarius quid ? f. 407. n. 649. Ejus potestas duplex Ordinis, & Jurisdictionis. *ibid.* n. 651. qualiter hæ potestates differant. *ibid.* n. 652. de ejus approbatione & jurisdictione generatim. f. 408. à n. 654.
Confessarij bonitas qualis requiratur ? f. 436. à n. 773.
Confessarius quæ debeat scire, ut absolvat valide ? f. 437. n. 777. Quæ, ut absolvat licitè, *ibid.* à n. 778. Nec requiritur, ut se reflectat super singula audita, dum actu absolvit. *ibid.* n. 781. Nec requiritur notitia exacta & intelligentia. f. 438. à n. 782. nec semper judicium determinatum de quantitate, vel qualitate peccati in individuo, *ibid.* n. 783.
Confessarius ad officium suum requisita ignorans, quando, & qualiter peccet ? *ibid.* à n. 784.
Confessarius tenetur sub mortali examinare pœnitentem, quando probabiliter credit eum omittere aliquid necessarium ad valorem. f. 439. n. 789. unde interrogare debet ipsa peccata, circumstantias, numerum, & alias dispositiones f. 440. n. 790. quando pœnitens putatur illa omittere culpabiliter, vel ex ignorantia & ruditate emendabili, *ibid.* n. 791. examine tamen morali & humano. *ibid.* n. 792. ac prudenti & cauto, non indiscreto & curioso, præsertim in materia luxuriæ, *ibid.* n. 793.
Confessarius tenetur sub mortali instrûere & monere pœnitentem. f. 441. n. 794. I. Laborantem ignorantiâ vincibili in quacunque materia mortali. *ibid.* n. 795. secus quandoque, si ignorantia sit inculpabilis. *ibid.* II. Etiam laborantem quacunque ignorantia in ijs, quæ sunt de necessitate medij ad salutem. f. 442. n. 796. & III. ignorantem ea, quæ sunt de necessitate præcepti credenda & scienda omni Christiano. *ibid.* n. 797. Ac IV. specialiter indispositum disponere. *ibid.* 798.
Confessarius legitimè dispositum tenetur absolvere sub mortali. f. 443. n. 799. nec differenda est absolutio, nisi ex urgenti causa. Quæ tales ? *ibid.* n. 800. liquidò autem indispositum absolvens peccat mortaliter sacrilegio utrque tam ipse, quàm pœnitens. *ibid.* n. 801. An & qualiter interrogandus, qui se non accusat de peccato Confessario jam ante extra confessionem noto. f. 444. n. 802.
Confessarius si erravit cum nullitate Sacramenti, tenetur monere pœnitentem, etiam cum gravi suo incommodo. f. 444. n. 803. Non verò si erravit meræ negativè, non interrogando speciem, vel numerum. *ibid.* n. 804. nec etiam, si erravit cum damno tertij meræ negativè, v. g. non monendo, non docendo. f. 445. n. 805. benè verò si positivè, v. g. dicendo eum non obligari ad restitutionem, is tamen obligetur. *ibid.* An, & quando teneatur, vel possit confessarius in se suscipere onus pœnitentis, v. g. correctionem ? *ibid.* n. 806.

Confessio.

Confessio Sacramentalis generatim quid ? f. 336. n. 340. quid inchoata illegitima, *ibid.* n. 341. quid completa, legitima. f. 337. n. 342. qualis esse debeat ? *ibid.* à n. 343. est duplex, formalis, & virtualis : *ibid.* n. 347. qualiter debeat esse sensibilis ? *ibid.* à n. 349. per se semper debet esse formalis. *ibid.* n. 351.
Confessionis integritas alia materialis, alia formalis. f. 358.

Universidad de Deusto
Biblioteca

n. 353. formalis est essentialiter necessaria. *ibid.* n. 354. & sufficiens ad absolutionem. *ibid.* n. 355.
Confitenda sunt omnia mortalia in specie & numero. f. 339. n. 360. post diligens examen occurrentia. *ibid.* n. 363. Quale, & quantum illud esse debeat? f. 340. a n. 364. jurè divino mortalia in specie confitenda sunt. f. 341. n. 369. An in confessione explicandum hoc mortale jam semel esse confessum, vel non confessum? f. 342. n. 370.
Confessio venialium an sit præcepta: saltem tempore Paschali; *ibid.* a n. 371. vel possit præcipi? f. 343. n. 375.
Confitenda sunt mortalia in specie morali. *ibid.* n. 376. & infima. *ibid.* n. 377. quantum fieri potest. 344. n. 378. Quid agendum cum rudibus, qui etiam examinati solùm dicunt se esse peccatores, in specie autem nihil; ne veniale quidem fatentur? *ibid.* n. 379. An & quando explicandi sint effectus peccatorum externi? f. 345. a n. 381.
An dubia confitenda ut dubia? f. 346.
Quæ circumstantiæ necessariò confitendæ? f. 349.
In Confessione qualis numerus exprimendus? f. 356. vide *Numerus.*
Confessio debet essentialiter esse *vera.* f. 368. n. 476. unde mortale est & confessio nulla, negare verum in re gravi & necessaria. *ibid.* a n. 477. sicut & fateri falsum in re gravi. 479. Mentiri in re levi. *ibid.* n. 480. vel in re gravi quidem, ad confessionem tamen impertinente, quale peccatum. f. 369. n. 481.
Confessio debet esse *secreta*, non essentialiter, vel ex necessitate præcepti, sed ex usu Ecclesiæ. *ibid.* n. 483. unde ob rationalem causam potest quis sua publicè confiteri. *ibid.* n. 484. nullus tamen ad hoc tenetur. *ibid.* n. 485. nec etiam tenetur ignarus linguæ per interpretem. *ibid.* n. 486. nullus etiam tenetur peccata sua scribere. f. 370. n. 487.
Confessio ex usu Ecclesiæ debet esse *vocalis.* f. 370. n. 488. unde graviter peccaret, qui sine justa causa signis, vel nutibus solùm confiteretur. *ibid.* n. 489. casus excepti, quibus licet signo, vel nutu confiteri. *ibid.* n. 490. imò perpetuò mutus tenetur scripto vel nutibus confiteri, quoties obligat præceptum confessionis. *ibid.* n. 491. Observanda circa tales confessiones. f. 371. n. 492.
Confessio invalida quando, & qualiter repetenda. f. 371. n. 493. potest esse duplicitèr invalida, ex parte confessarij, & ex parte pœnitentis *ibid.* In Confessione valida, sed non integra, repetendum est solum peccatum inculpabiliter omissum. f. 372. n. 495. Non est repetenda confessio facta bona fide indocto nescienti etiam inter mortale & veniale discernere, secus si sit facta mala fide. *ibid.* n. 496.
Confessio facta bona fide surdastro, dormitanti, distracto, an & qualiter repetenda? *ibid.* n. 497.
Peccata dubia ut talia confessa repetenda non sunt, dum postea sciuntur esse certa. *ibid.* n. 498.
An, & qualiter rudes bona fide aliquid omittentes teneantur repetere confessionem? *ibid.* n. 499.
Confessio invalida inculpabiliter, an & qualiter repetenda? f. 373. n. 500. & qualiter invalida culpabiliter? *ibid.* n. 502. Qualiter repetitio facienda sit apud eundem confessarium? *ibid.* n. 503 qualiter apud alium? f. 374. n. 504.
Praxes & modi faciles Confessarijs. I. quoad repetendum ipsum peccatum *omissum* vel *reticitum. ibid.* a n. 505. II. quoad ipsam peccati *omissionem* seu *reticentiam. ibid.* a n. 507. III. quoad facilitandam repetitionem *confessionum.* f. 375. a n. 512.
Confessionis præceptum Divinum quos, quando, & qualiter obliget? f. 377. a n. 517. Item quos, quando, qualiter, & ad quæ obliget *Ecclesiasticum*? f. 378. a n. 523. Praxis circa rudes, pueros & puellas. *ibid.* a n. 526. Quis censeatur *proprius* Sacerdos? f. 379. n. 530.
Parochi non possunt prohibere suis etiam tempore Paschali, quin valide confiteantur Mendicantibus. f. 380. n. 531. imò ob justam causam licentiam dare debent. *ibid.* n. 532.
Tempus annuæ confessionis præcepti est totus annus. *ibid.* n. 533. unde tempore paschali solum obligat per accidens ratione Communionis. f. 381. n. 535.
Qualiter & quibus casibus peccetur contra hoc præceptum. *ibid.* n. 536.
Confessio quo jure præmittenda Sacro, vel Communioni f. 252. n. 482. quando censeatur deesse copia confessarij. f. 253. n. 484. Non suppetente copia Confessarij, quando & quibus casibus possit Sacerdos contritus celebrare? *ibid.* n. 486.
Quos comprehendat præceptum illud: *quàm primùm confiteatur*? f. 254. n. 490. quomodo intelligendum illud *quàm primùm*? f. 254. n. 491. quomodo pollutio impediat celebrationem vel Communionem. f. 255. a n. 494.
Quid respondendum mulieribus quærentibus à Confessario, an teneantur reddere debitum die communionis, vel nocte pridiana? à n. 497.

Conjux.

Conjugum obligationes, & de eorum peccatis. f. 564. à n. 468. Nec petere, nec reddere possunt, sive utraque. f. 565. n. 470. sive una tantùm pars. *ibid.* n. 471. physicè vel moraliter certò sciat matrimonium esse nullum. *ibid.* a n. 471. Quid in dubio? f. 566. n. 474. seq.
An reddere & petere possit habens impedimentum impediens tantùm? *ibid.* n. 475. v. g. votum continentiæ ante *ibid.* vel post nuptias, vel etiam matrimonium jam consummatum editum. *ibid.* a n. 476.
Qualiter privet jure petendi, impedimentum matrimonio supervenions? f. 567. n. 480. v. g. affinitas ex incestu cum consanguinea uxoris *ibid.* vel cognatio spiritualis ex Baptismo. f. 568. n. 481. aut professio Religionis, vel susceptio Sacri Ordinis? *ibid.* n. 482.
Tria Confessarijs valde notanda circa impeditos vel privatos jure petendi. *ibid.* n. 483.
An, & quando copula inter tales habita contrahat specialem malitiam? *ibid.* n. 484.
Conjuges licitè utuntur matrimonio ad finem generationis. f. 569. n. 486. & ad vitandum incontinentiam. *ibid.* n. 487. ex mera verò libidine & voluptate utentes peccant venialiter. *ibid.* n. 488. Quis modus servandus in usu conjugij. *ibid.* a n. 490. Quo loco & tempore licitè fiat? f. 571. n. 494. Quæ accessoria & dispositiva licita sunt in ipso usu. f. 572. n. 496. Quando mortaliter excedant per actus & tactus impudicos? *ibid.* n. 496. per copulam sodomiticam. *ibid.* n. 497. innaturalem. f. 573. n. 498. se invicem polluendo. *ibid.* n. 499. Delectando, vel tangendo cum periculo pollutionis. *ibid.* n. 500.
Quando tactus, amplexus, &c. inter conjuges sint, vel non sint peccatum? f. 574. a n. 501. & an eis liceant etiam, dum copula est ab extrinseco impedita, interdicta, vel illicita? *ibid.* n. 504. An & quatenus eis licita sit delectatio morosa venerea sensibilis ex copula tantùm cogitata, impedita, vel altero absente? f. 575. n. 505.
Conjux obligatur sub mortali reddere debitum. *ibid.* n. 506. I. Conjugi petenti *serò*. f. 576. n. 507. II. petenti *justè*. *ibid.* n. 508. Quando possit justè negari? *ibid.* à n. 509 III. ac petenti *rationabiliter* scil. cum usu & moderamine rectæ rationis. f. 577. n. 512. unde non tenetur reddere petenti in ebrietate, furore, amentia. *ibid.* n. 513. vel quoties timet periculum mortis, aut gravis morbi. f. 578. n. 514 vel periculum mortis, abortûs, nocumenti vel monstruositatis ipsius prolis *ibid.* n. 515 An liceat negare, ne proles multiplicentur? f. 579. n. 516. IV. Petenti *licitè*. *ibid.* n. 517. quando petatur illicitè? *ibid.* a n. 518.

Consanguinitas.

Consanguinitas quid? f. 478. n. 65. explicantur ejus lineæ. *ibid.* n. 66 quousque, & quo jure dirimat matrimonium. f. 479. a n. 67.

Consecratio.

Consecratio est pars essentialis Missæ. f. 154. n. 84.
Consecratione facta, qualiter maneant species & accidentia. f. 159. n. 103. & sub ijs Christus f. 160. n. 106. seq. vide v. *Eucharistia.*
Consecratio utriusq; speciei non est de necessitate Sacramenti. f. 165. n. 130. sed præcepti *ibid.* adeoque per se nunquam licet consecrare unam speciem sine alia. *ibid.* n. 132. quando per accidens? *ibid.* n. 133.
Consecrationis materia f. 164. n. 128. vide V. *Materia.*

Consensus.

Consensus ad sponsalia. f. 504. a n. 174. & ad matrimonium, qualis requiratur & esse debeat? f. 511. a n. 299. vide *Matrimonium.*

Con-

Consensus Matrimonij conditionatus. f. 526.

Contritio.

Contritio generatim quid? f. 269 n. 58 ex quibus actibus consurgere soleat? *ibid.* a n. 60. essentialiter includit detestationem, & dolorem. f. 270. n. 64. principalius tamen detestationem *ibid.* n. 65 cum proposito saltem virtuali. f. 271 à n. 69. enumerantur actus reliqui ad essentiam contritionis non spectantes. *ibid.* à n. 71. contritio perfecta, & attritio quid, & unde sic dictæ? f. 272. à n. 74.
Contritio ad Sacramentum sufficiens necessariò debet esse I. *dolor formalis* f. 272. n. 77. nec sufficit virtualis tantùm. v. g. amor Dei. *ibid.* n. 78. minùs implicitus in sola voluntate non peccandi de cætero. *ibid.* n. 79. aut in desiderio doloris. f. 273 n. 80. nec sufficit qualiscunque formalis & explicitus. *ibid.* n. 82. sed II. debet esse *supernaturalis. ibid.* n. 83. tam ex parte principij effectivi. *ibid.* n. 85. quàm ex parte motivi *ibid* n. 86. unde non sufficit dolor mere naturalis. f. 274. n. 87. III. debet esse *universalis* respectu omnium mortalium. *ibid.* n. 88. non tamen requiritur extensio ejus explicita ad singula per distinctos actus. *ibidem* n. 89. aut ad singula ut distinctè recogitata. f. 275. num. 90. sed sufficit extensio ejusdem dolotis implicita ad singula mortalia. *ibidem* à n. 91. de dolore venialium. f. 276. à num. 94. IV. debet esse *efficax. ibidem* à n. 98.
Contritio perfecta est summus animi dolor, appretiativè, & objectivè. f. 279. n. 113. quatenus scil. est peccatum contra bonitatem Dei infinitam. *ibid.* n. 114. naturalem & essentialem. *ibid.* n. 115. quæ est supremum motivum detestandi peccata f. 280. n. 116. Atque adeò unicum motivum contritionis perfectæ est summa Dei bonitas offensa. *ibid.* à n. 117. estque contritio perfecta verus actus charitatis divinæ. f. 281. a n. 122. ac etiam actus pœnitentiæ virtutis, saltem imperatus *ibidem* n. 123. in omni lege sufficiens, congrua, vel ultima dispositio ad justificationem f. 282. a n. 124. de facto tamen non justificat sine Sacramento, saltem in voto. *ibidem* n. 126. unde contritio perfecta extra Sacramentum justificativa non est omnis alius dolor ex alio motivo infertus conceptus. *ibidem* n. 127. v. g. ex motivo Religionis, obedientiæ, gratitudinis. fol. 283. num. 128. objectio notabilis. *ibid.* n. 129. solvitur, & ostenditur, quando habeatur, vel non habeatur contritio perfecta. *ibid.* n. 130. Referuntur, & examinantur quædam communes formulæ dolendi. f. 284. a n. 131.
Contritio vel pœnitentia aliqua in omni lege necessaria est peccatori mortali. f. 285. a n. 135. posset tamen Deus absolutè sine omni pœnitentia, vel actu alio. f. 286. n. 137. peccatori actu non peccanti, seu ad peccatum non affecto, sua peccata gratis remittere. *ibid.* n. 138.
Contritio necessaria necessitate medij. f. 286.
In lege veteri semper necessaria erat contritio perfecta *ibid.* n. 139. in lege autem nova sufficit attritio cum Sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ *ibid.* 140. non tamen attritio cum alijs Sacramentis per se loquendo, *ib.* a n. 141.
Contritio perfecta etiam extra Sacramentum justificativa, non necessariò debet esse formalis. f. 287. n. 143. sed sufficit virtualis, amor Dei super omnia, *ibid.* n. 144. sive peccator sit immemor, sive memor suorum peccatorum, *ibid.* n. 145. memor tamen in extremis constitutus tenetur insuper elicere contritionem formalem. f. 288. n. 147.
Contritio necessaria necessitate præcepti. f. 192. Datur præceptum divinum. *ibid.* n. 165. partim naturale... *ibid.* à n. 166. partim positivum. *ibid.* n. 168. spectans ad virtutem pœnitentiæ. f. 293 à n. 169. obligans in defectu Sacramenti omnem peccatorem mortalem ad contritionem perfectam. *ibid.* num. 171. etiam in articulo mortis eos, qui habent amorem Dei super omnia. *ibid.* n. 172. Non tamen, qui usu Sacramenti cum attritione justificantur. *ibid.* n. 173. unde etiam in articulo mortis attritio cum Sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ est sufficiens. f. 294. n. 174. ubi tamen omnimodis consulenda contritio. *ibid.* n. 175. ad quam certò obligatur in tali articulo constitutus in mortali extra Sacramentum. *ibid.* n. 176. non tamen ante per se loquendo. *ibid.* n. 177. nec statim post mortale commissum. f. 295. n. 179. solvuntur objectiones. *ibid.* à n. 180. practicè tamen longè probabilius est, etiam ante periculum mortis quandoque per se obligare. f. 297. n. 182. optimè ostenditur. *ibid.* a n. 183. Quando, & quibus casibus obliget per accidens? f. 298. a n. 187.
Contritionis perfectæ *effectus.* f. 299. *primus* est infusio gratiæ sanctificantis. f. 300. n. 195. quam contritio non causat ex natura rei, sed ex libera Dei ordinatione. *ibid.* n. 196. nec effectivè, sed dispositivè solùm. *ibidem.* à n. 197. *Secundus* est remissio omnium mortalium. f. 301. à n. 200. quæ reipsa verè delentur *ibid* n. 202. nec unquam amplius reviviscunt ob sequentia peccata quæcunque *ibid.* n. 203. qualiter venialia remittantur post mortem? f. 302. n. 204. *Tertius* pœnæ æternæ condonatio. *ibid.* n. 205. quæ plerúmque non remittitur tota, sed æterna mutatur in temporalem. f. 303. n. 206. quanta autem temporalis luenda in hac vel in altera vita remaneat, nobis incertum est. *ibid.* n. 207 *Quartus* reviviscentia meritorum: quæ dicantur opera *mortua*? quæ *mortificata ibid.* n. 209. mortificata per contritionem & justificationem omnia reviviscunt. *ibid.* n. 210. ad integrum præmium essentiale. f. 304. n. 211. ac quoad jus ad totam pristinam gratiam antea undecunque habitam. *ibidem* num. 212. Quæ probabiliter etiam statim redditur ablato obice. f. 305. n. 213. Corollaria. *ibid.* à n. 214.
Contritio imperfecta. f. 306. vide *Attritio.*

Crimen.

Crimen matrimonij impedimentum est quadruplex. f. 486. n. 99.
I. Homicidium solum, si quis occidit uxorem suam, vel maritum alterius. *ibid.* n. 100 ex prævia conspiratione. f. 487. n. 101. & intentione contrahendi matrimonium cum illa vel illo. *ibid.* n. 102. Exempla. *ibid.* n. 103.
II. Homicidium cum adulterio jam prius cum alia commisso, factum cum intentione postea cum ea contrahendi. f. 488. à n. 104.
III. Adulterium solum cum promissione matrimonij de futuro. *ibid.* n. 106. sive dein adulterium sit commissum ante vel post promissionem. *ibid.* n. 107. debent tamen ambo promissio & adultetium fuisse facta vivente eodem conjuge. f. 489. n. 108. debétque illa promissio utrinq; esse seria, acceptata, & absoluta. *ibid.* n. 109. ac adulterium verum formale, & perfectum. *ibid.* n. 110.
IV. Adulterium solum cum alio matrimonio contracto. *ibid.* n. 111. Quo jure sit inductum hoc impedimentum? f. 490. à n. 113.

Cultus.

Cultûs disparitas impedimentum matrimonium dirimens. f. 491. n. 115. unde nullum est matrimonium fidelis cum infideli, seu non baptizato. *ibid.* n. 116.
Valida autem sunt matrimonia Catholicorum cum hæreticis regulariter *ibid.* n. 117. illicita tamen mortaliter per se loquendo. *ibid.* n. 118. & protsùs impia cum pacto relinquendi partem prolium in fide hæretica. *ibid.* n. 120.

Delectatio.

Delectatio morosa. f. 620. n. 665. ex aspectu turpium. f. 621. à n. 670. ex tactibus, osculis, amplexibus. *ibid.* à n. 674.
Delectatio *venerea, & sensibilis* quid? f. 613. n. 683. Venerea voluntariè habita semper est peccatum mortale *ibid.* n. 685. *Sensibilis* tantùm, per se solum veniale. f. 614. n. 686. per accidens tam sæpissimè mortale. *ibid.* n. 687. Imò semper mortale circa objectum per se turpe & obscœnum. *ibid.* n. 688.
In re venerea deliberatè & directa intenta non datur parvitas materiæ. *ibid.* n. 690. bene verò in re venerea indirectè tantùm voluntaria. f. 625. n. 691. Resolvuntur casus varij. *ibid.* à n. 692. An & quale peccatum osculari, tangere pueros ex amore teneræ infantilis ætatis. *ibid.* n. 693. aspectus inter simul balneantes, &c. *ibid.* aspectus & tactus inter choreas. f. 626. n. 694. cantare, legere, dicere turpia. *ibid.* n. 695. Mittere litteras amatorias. *ibid.* n. 696. aspicere animalia coeuntia &c. *ibid.* n. 697.
Distillatio & commotio libidinosa. f. 618. à n. 658. & non libidinosa, qualia peccata? *ibid.* à n. 660.

Diaconatus.

Diaconatus quid ut cæremonia vel Sacramentum? f. 75. n. 138. Quæ & quotuplex ejus materia *ibid.* quæ essentialis. *ibid.* n. 139. an unum, vel duos imprimat characteres? *ib.* n. 240.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid ut gradus & res Sacramenti? *ibid.* n. 141.
Diaconus, & Subdiaconus ministrantes in mortali qualiter peccent. f. 76. n. 142.

Dolor.

Dolor, vide *Contritio.*
De dolore venialium, quis, qualis, & quando necessariò habendus? f. 256. à n. 94.
Dolor contritionis perfectæ debet esse summus appretiativè seu æstimativè. f. 277. à n. 104. non tamen intensivè, f. 278. a n. 107. nec requiritur certa eius intensio. *ibid.* n. 109. minùs, ut sit sensibilis, *ibid.* n. 110.
Dolor perfectus, vide V. *Contritio.*
Dolor quando eliciendus. f. 320. necessariò debet aliquo modo jungi confessioni. *ibid.* n. 282. non quidem physicè *ibid.* n. 283. sed moraliter. *ibid.* n. 284. utilissimè præmittitur confessioni. f. 321. n. 286. non tamen ita immediatè, ut adhuc actu duret tempore confessionis. *ibid.* n. 287. debet tamen necessariò aliquo modo virtualiter ad confessionem esse relatus. f. 322. n. 288. (estò id negent alij *ibid.* n. 289.) & non revocatus. *ibid.* 290.
An dolor novus eliciendus sit, si fieri dolui, & hodie novum occurrat peccatum. f. 323. n. 291.
Dolor non necessariò præmittitur confessioni, sed etiam postponi potest. *ibid.* a n. 292. modò ad eam referatur, eámque informet. f. 224. n. 296 necessariò tamen habendus est ante terminum absolutionis. *ibid.* n. 297.
Dolor an sit repetendus, si Pœnitens post datam absolutionem afferat nova peccata *ibid.* n. 298. casus varij. *ibid.* n. 299.

Episcopatus.

Episcopatus est verus Ordo a Sacerdotio aliqualiter, f. 43. n. 9. non simpliciter & adæquatè distinctus, *ibid.* n. 10. præstantior Præsbyteratu. *ibid.* n. 11. imò supremus in Ecclesia Dei. *ibid.* n. 12.

Error.

Error privatus non obstat intentioni generali faciendi id, quod facit Ecclesia, f. 23 n. 127.
Error circa personam in Matrimonio solùm, non in aliis Sacramentis obstat valori Sacramenti. f. 25. a n. 138.
Resolvitur dubium, an validè ordinetur irregularis, vel illegitimus, contra intentionem Episcopi ordinantis accedens? *ibid.* n. 136.
Error circa personam jure naturæ irritat matrimonium. f. 462. n. 4. non tamen circa qualitates personæ. f. 463. n. 5. nisi talis qualitas sit per se intenta actu, vel virtute. *ibid.* n. 6. aut nisi error circa qualitatem redundet in ipsam personam. f. 464. a n. 7. quando sic censeatur redundare? *ibid.* n. 8.

Eucharistia.

Eucharistia quid nominis, f. 157. n. 92. quid rei. *ibid.* n. 93. Ut signum gratiæ subsistentis consistit in solis speciebus consecratis. *ibid.* n. 94. Ut verò signum efficax gratiæ sanctificantis essentialiter includit simul species, & Corpus ac Sanguinem Christi. *ibid.* n. 95. Forma consecrationis non est de essentia hujus Sacramenti. *ibid.* n. 96. seq. & nullatenus sumptio. f. 158. n. 97.
Eucharistia est verum Sacramentum. *ibid.* n. 98. & ut complectens utramque speciem unum unitate integritatis. *ibid.* n. 99. seorsim tamen duo numero. *ibid.* n. 100. conficitur vi consecrationis per realem conversionem Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Christi. f. 159. n. 102. Facta consecratione manent species seu accidentia miraculosè sine subjecto. *ibid.* n. 103. possuntque pati ab agente naturali. *ib.* n. 104. Existit sub ijs totus Christus cum tota divinitate, & humanitate. f. 160. n. 106. cum quantitate & qualitate, & omnibus aliis accidentibus absolutis. *ibid.* n. 107.
Quomodo totus sit sub utraque specie, vi verborum, & per concomitantiam *ibid.* a n. 108. & quomodo totus sub partibus specierum. f. 161. a n. 111. An & quid Christus agere vel pati possit in Evchatistia? f. 162. a n. 115. Quamdiu manet sub speciebus? *ibid.* a n. 119. Quid sentiendum de specierum consecratarum mutationibus miraculosis. f. 163. a n. 124.
Eucharistiæ effectus principalis est augmentum gratiæ. f. 185. n. 207. An major gratia conferatur sub utraque specie, quàm sub una tantùm? *ibid.* a n. 208. Quando & quamdiu conferatur? f. 185. a n. 212.
Eucharistiæ effectus secundarij sunt quatuor. f. 186. n. 216. Scil. spiritualiter *reficere. ibid.* n. 217. à mortalibus *præservare* f. 187. n. 218. venialia *delere* quoad culpam *ibid.* n. 219. *unire* cum Christo & fidelibus. *ibid.* a n. 220.
Eucharistiæ conficiendæ & distribuendæ Minister quis. f. 209. à n. 303.

Examen.

Examen in pœnitente quale requiratur, & sufficiat. f. 339. à n. 363. vide V. *Integritas.*
Quando, quæ, & qualiter confessarius teneatur examinare pœnitentem? f. 439. à n. 789.
Quale illud examen esse debeat? f. 440. à n. 792.
Qualiter examinandus, qui se non accusat de peccato confessario jam antè extra confessionem noto? f. 444. n. 820.

Filius.

Filij familias validè contrahunt matrimonium. f. 501. n. 201. & sponsalia inscijs, vel invitis parentibus. *ibid.* à n. 202. peccant tamen communiter. f. 502. n. 204. etiam graviter, si cum indignis sic contrahant. *ibid.* n. 206.
Filius an, & quando teneatur credere matri asserenti, ipsum esse spurium? f. 586. à n. 544.

Forma.

Forma consecrationis panis est: *Hoc est enim corpus meum.* f. 177. n. 181. Ubi y *enim* non est de essentia. *ibid.*
Forma essentialis consecrationis vini est: *Hic est Calix Sanguinis mei. ibid.* n. 182. reliqua non sunt de essentia. f. 178. à n. 183. sed solùm de præcepto. *ibid. & seq.* Quid significent particulæ *Hic, Hoc.* f. 179. a n. 187. Quid y *Est. ibid.* n. 189. & *Enim. ibid.* n. 190. Et quid *Corpus meum, Sanguinis meus.* f. 180. à n. 191.
Forma seu verba consecrationis proferenda *recitativè. ibid.* à n. 194. & *significativè.* f. 181. n. 196. ac practicè. *ibid.* a n. 197.
Formæ mutatio substantialis, accidentalis. *ibid.* a n. 199.
Forma consecrationis realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam in ultimo prolationis instanti efficit. f. 182. à n. 204. non physicè, sed moraliter. *ibid.* n. 205. & præcisè ut significativa, non ut formaliter vera. f. 183. n. 206.
Forma Sacramentorum. f. 12. ejus mutatio. f. 14. seq. vide *Materia.*
Formæ, aut verborum & syllabarum interruptio quæ officiat Sacramento, quæ non. f. 15. à n. 91.
Formam in Sacramentis quando liceat repetere super eandem materiam? f. 16. à n. 96. peccant temerè & passim repetentes formam Consecrationis, Absolutionis &c. *ibid.* n. 99.

Fornicatio.

Fornicatio simplex quid. f. 594. n. 568. est peccatum mortale. *ibid.* n. 569. ex natura sua intrinsecè *ibid.* n. 570. indispensabiliter. *ibid.* n. 571. excusabiliter tamen per ignorantiam invincibilem. *ibid.* n. 572.
Specialia ex parte ipsius actus explicandi in confessione. f. 595. n. 573. ut si non servatur debitus modus, vel situs. *ibid.* n. 574. Si copula solum inchoata, non tamen absoluta, licitè potest, & debet abrumpi etiam cum effusione seminis extra vas. *ibid.* n. 575.
Fornicatio cum infideli est speciale peccatum contra Religionem. *ibid.* n. 577.
Fornicatio ex parte viri an sit gravius & speciale peccatum? *ib.* à n. 578.
Specialia ex parte virginis, an prima vice peccans committat speciales malitias, vel innocentias. f. 596. n. 581. & qualiter deinde peccet amissam virginitatem futuro marito celans. *ibid.* n. 582.
An, & quando Virgo vel quævis fœmina pro usu corporis licitè possit recipere mercedem? f. 597. n. 583. Quid si virgo fictè promittens hunc usum, pretium vel munera recipiat? *ibid.* n. 584.
Fornicator vel deflorator virginis cum promissione matrimonij, seu vera. f. 600. n. 598. seu ficta, teneatur eam ducere. *ibid.* n. 599. nisi accedat alia justa causa excusans. f. 601. n. 600. teneatur etiam non obstante voto castitatis. *ib.* n. 601. Quæ sint causæ excusantes, ut non teneatur ducere defloratam. *ibid.* n. 602.

Fructus.

Fructus, valor Sacrificij quid? f. 188. n. 222. & quotuplex? *ibid.* n. 223. Quid valor & fructus ex opere operato, & ex opere operantis? *ibid.* n. 224 quid opus operatum, opus operantis. f. 189. n. 225. Qualiter remittat pœnas purgatorij *ibid.* à n. 226.
Fructus meritorius, Satisfactorius, & impetratorius. *ibid.* a n. 228.
Fructus generalis, specialis, specialissimus, & ministerialis. f. 193. a n. 246.
Fructus seu portio *Generalis* qualis? *ibid.* n. 247. cui obveniat? f. 194. n. 248. an pro libitu applicari possit? *ibid.* & quantus sit? *ibid.* n. 249. Fructus seu portio *specialis* quibus obveniat, & applicari possit *ibid.* à n. 250.
Fructus seu portio *specialissima* qualis, & an alijs applicari possit? f. 195 n. 255.
Fructus *Ministerialis* quis & quibus obveniat? *ibid.* n. 256.
Fructus & valor Sactificij non est tantus, quantus Sactificij crucis. f. 196. n. 257.
Fructus Sacrificij quibus prodesse & applicari possit? f. 199. pro quibus satisfactorius? f. 200 a n. 267. pro quibus impetratorius? *ibid.* n. 271. an & qualiter pro Beatis. f. 201. à n. 272. pro Infidelibus *ibid.* n. 274. pro Catechumenis? *ibid.* n. 275 pro excommunicatis? f. 202. a n. 276.
Fructus Sacrificij an, qualiter & quando à celebrante licitè dividi possint? f. 207. a n. 292

Gratia.

Gratia generatim quid, & quotuplex? f. 5. a n. 34.
Gratia habitualis quid, & quotuplex. *ibid.* n. 37. actualis quid & quotuplex? *ibid.* n. 40. Qualis gratia conferatur per Sacramentum N. L. *ibid.* a. n. 42. & qualiter eam causent, moraliter, an physicè? f. 7. a n. 45 conferántne omnia æqualem, vel inæqualem? f. 8. a n. 49.
Gratiæ augmentum effectus principalis Eucharistiæ. f. 183. n. 207. probabiliter major gratia confertur sub utraque specie communicanti, quàm sub una tantùm. *ibid.* n. 208. sententia tamen negativa probabilior. f. 184. à n. 209. Si autem dispositio sit inæqualis, major erit gratia in meliùs disposito, sive utramque, sive unam tantùm speciem sumat *ibid.* a n. 210. an conferatur major, si quis plures Hostias sumat? *ibid.* n. 211. Quando conferatur gratia & quamdiu. f. 185. a n. 212.

Hermophroditus.

Hermophroditi an & quando sint capaces Ordinis? f. 36. n. 61.
Honestas publica quid? f. 475. n. 54. quousq; dirimat matrimonium? *ibid.* oritur ex sponsalibus validis. *ibid.* n. 55. inter sponsum & consanguineas sponsæ, ac vicissim, in gradu primo, & non ultra. *ibid.* n. 56 estque impedimentum perpetuum, nec cessat per mortem sponsæ. f. 476. n. 57. Resolvuntur varij casus. *ibid.* n. 58 Oritur etiam ex matrimonio rato tantùm, nondum consummato usque ad quartum gradum inclusivè. f. 477. n. 59. etiam ex tali matrimonio invalido. *ibid.* n. 60. Secus, si sit invalidum ex defectu ipsius consensûs. *ibid.* n. 61. Resolvuntur duo dubia. *ibid.* a n. 62.

Horæ.

Horæ Canonicæ quid? f. 36. n. 2. Præceptum dicendi Horas sub mortali tribus titulis obligare potest; titulo *Ordinis: Beneficij: & Religionis.* f. 87 n. 3.
Ad Horas titulo *Ordinis sacri* obligantur omnes in Majoribus constituti. *ibid.* n. 4. Idque sub mortali. *ibid.* n. 5. à die & hora suscepti Subdiaconatus f. 88. n. 6.
Unde mortaliter peccat suscipiens subdiaconatum ignarus legendi latinè. *ibid.* a n. 7.
Ab hac tamen obligatione eximuntur. I. Qui ex dispensatione duxerunt uxorem. *ibid.* n. 8. II. Damnati ad triremes, Captivi apud infideles servientes. *ibid.* n. 9. III. Degradati (non tamen excommunicati, suspensi) *ibid.* n. 10. Minoristæ ratione Ordinis ad Horas non obligantur. *ibid.* n. 11.
Ad Horas titulo *Religionis professæ* obligantur omnes Religiosi, & Moniales professi Religionem Choro adstrictam f. 89. n. 12. etiam privatim extra Chorum sub mortali. *ibid.* n. 13. Secus probabiliter est de ijs, qui ex Regula vel voto speciale præceptum non habent. *ibid.* a n. 14.
Obligatio sub mortali persolvendi Horas in Choro principaliter incumbit Communitati, & ex officio Superioribus, f. 90. n. 16. Cui obligationi duo vel tres non satisfaciunt? *ibid.* n. 17. unde si non adsint saltem quatuor, à habendo Choro excusatur Communitas. *ibid.* n. 18
Qualiter peccet culpabiliter à Choro absens, vel in Choro silens? *ibid.* n. 19.
An Religiosus Clericus nondum Majoribus initiatus, si fiat Laicus, obligetur ad Horas? f. 91. n. 20.
Ad Horas titulo *Beneficij* quinam obligentur. *ibid.* n. 21 hoc titulo non obligantur. I. Habentes solùm titulum beneficij, aut etiam possessionem, ita tamen litigiosam, ut interim fructus non percipiant. *ibid.* à n. 22. II. Non percipientes fructus beneficij. *ibid.* n. 24. An habentes beneficium tenue obligentur ratione illius ad Horas f. 92. a n. 26.
An titulo beneficij ad Horas obligentur Sacellani, Vicarij, Pensionarij? *ibid.* n. 29.
Beneficiatus culpabiliter Horas omittens obligatur ad restitutionem f. 93. n. 31.
Qui ab hac obligatione excusentur. *ibid.* n. 32. an etiam rarò vel parùm omittens? *ibid.* à n. 34 præsertim an excusentur à restitutione aliter occupati speciatim Parochi? *ibid.* à n. 36. Quantum restituendum? f. 94. n. 37. præsertim à Parochis. *ibid.* n. 38. Qualiter & cui facienda hæc restitutio? f. 95. à n. 40.
Horæ Canonicæ recitandæ sunt *devotè & studiosè* f. 95. n. 42. Explicantur hi termini *Devotè*, & *Studiosè ibid.* Et inde quid & quotuplex devotio. *ibid.* n. 43.
Ad Horas recitandas requiritur intentio aliqua formalis colendi Deum f. 97 n. 50. ita ut non sufficiat nuda externa verborum pronuntiatio *ibid.* n. 51. Objiciuntur. *ibid.* n. 52. & solvuntur fundamenta contraria. f. 98. n. 53.
Ad Horas non sufficit intentio orandi *generalissimè ibid.* n. 55. nec tamen requiritur intentio orandi *specialiter.* f. 99. n. 56. sed requiritur, & sufficit intentio orandi generaliter *ibid.* n. 57. Qualiter proferenda sint verba Breviarij, formaliter & significativè, vel materialiter tantùm. *ibid.* n. 58.
Non est necessaria intentio explicita & actualis semper. *ibid.* n. 59. minùs actualis semper durans. f. 100. n. 60. sed sufficit virtualis ipsius finis, non præcepti necessariò *ibid.* n. 61. unde recitans v. g. Matutinum ex devotione, vel Charitate cum infirmo &c. non intendens tunc satisfacere, tamen satisfacit. *ibid.* n. 92. Horæ Canonicæ pro quibus & qualiter debeant offerri tam in quàm extra Chorum *ibid* a n. 63.
In Horis dicendis sub mortali requiritur attentio externa & etiam interna, saltem superficialis. f. 102. n. 68. unde mortaliter peccat exercens inter recitandum actiones cum attentione interna incompossibiles. *ibid.* a n. 69. Secus si exerceat actiones solùm leviter distrahentes. f. 103. n. 70. Sententia nullam requirens sub mortali attentionem internam, cum suis fundamentis. *ibid.* a n. 71. Sed facilè solvuntur. f. 104. à n. 74. Ideóque longè probabilius est sub mortali requiri attentionem internam f. 105. a n. 76. Saltem superficialem cum intentione colendi & orandi Deum. f. 106. n. 80. non ergo necessaria est litteralis, vel spiritualis *ibid.* n. 81. quæ tamen est optima & consultissima *ibid.* n. 83. Attentio illa debet saltem virtualiter continuari. f. 107. n. 84 Resolvuntur varia. *ibid.* a n. 85.
Horas distractè recitans, an teneatur aliquid restituere? f. 108. n. 88. & an aliquid, & quantum repetere? *ibid.* a n. 89.
Horas omnes culpabiliter omittens probabiliùs unum tantùm peccatum mortale committit. f. 109, n. 92.
Quæ censeatur pars notabilis sufficiens ad mortale *ibid.* n. 93. quæ non notabilis *ibid.* n. 94. Ad culpam perinde est, sive pars notabilis in eadem Hora omittatur, vel in diversis *ibid.* n. 94. Omittens partem notabilem non tenetur altero die supplere *ib* n. 96. Quid de dubitante, an omiserit aliquid, nec ne. *ibid.* n. 97.
An occupatus circa alia ad Chorum spectantia, teneatur repetere? *ibid.* n. 90.
Quæ solo organo, vel alio instrumento musico personant, ab aliis submisse dici debent. f. 111. n. 99.
Quàm distinctè debeant omnia pronuntiari; & qualiter in hoc defectuosi peccent? *ib* a n. 100.
Qualiter possit & debeat dici Officium cum socio, vel sociis. f. 112 n. 104.
Recitans cum socio, vel Choro sub mortali obligatur attendere ad illum, *ibid.* n 106.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si autem te attendente, alter non attendat, te non audiat, nec orandi intentionem habeat &c. tu adhuc satisfacis. *ibid.* n. 107.
Qualiter Canonici Cathedrales, ac etiam alij inferiores Canonici beneficiati &c. in Choro se habere debeant, an satisfaciant nudâ assistentiâ, vel solùm submissè orando? f. 113. n. 108. 46, si voluntariè distracti confabulando ad alteram partem non attendant, peccent, & teneantur repetere, amittant distributiones &c. *ibid.* n. 109.
Recitans solus quam alta voce uti debeat? *ib* n. 110.
An & quantum valeat Privilegium à Leone X. datum FF. Minoribus persolvendi Horas mentaliter? *ibid.* n. 111.
Quali utendum Breviario, an adhuc antiquo uti liceat? f. 114. n. 112
An adstrictus Breviario Romano v. g. satisfaciat dicendo Officium peculiaris Ecclesiæ, vel Ordinis v. g. Benedictini. Dominicani &c. & an ad id teneatur, si non habeat Romanum? *ibid.* n. 113. & econtra, an Clericus vel Religiosus adstrictus Breviario proprio sui Ordinis, possit uti Romano? f. 115. n. 114.
An & qualiter liceat aliquid addere Officio Canonico? *ibid.* n. 115
Qualiter peccet sine causa mutans Officium in aliud æquale, f. 116. à n. 116, aut Officium longius in brevius alterius diei, vel temporis. f. 117. n. 119
Ob quas causas liceat Officium sic mutare in aliud vel aliis se accommodare in dicendis Horis? *ib.* n. 121.
Enumerantur, & resolvuntur casus varij notabiles. f. 118. a n. 125.
An & quando liceat Horas transponere; dicendo v. g. Horas minores ante Matutinum? f. 120. a n. 131.
An, quæ, & quando sit licita, vel peccaminosa interruptio in recitandis Horis Canonicis? *ibid.* n. 135.
Sine omni causa Horam ceptam interrumpere etiam notabiliter per multas horas, per se solùm veniale est f. 121. a n. 136. cum causa rationabili, omninò nullum. *ibid.* n. 137.
Quo tempore debeat aut possit dici vel incipi Officium Canonicum; v. g. qua hora pridie possit dici Matutinum. f. 122. a. n. 139.
De tempore singularum Horarum. f. 123. a n. 143.
An & quale peccatum Horas anticipare, vel differre ultra ordinarium tempus. *ibid.* a n. 146
Quo loco dicendæ sint Horæ Can.? f. 124. n. 148.
Quo situ & habitu recitandæ sint Horæ. *ibid.* a n. 149.
Causæ excusantes ab Horis dicendis. *ibid.* vide *causa excusantes.*

Hostia.

Hostia, eius immutatio, destructio qualis, quotuplex? f. 151. a n. 74. vide V. *Missa.*

Jejunium.

JEjunium naturale in quo consistat? f 248. n. 466. Jejunium hoc non violat, deglutiens aliquid, quod nec cibus, nec potus est, *ibid.* n. 467 aut quid per modum salviæ. *ibid.* n. 468. (quid censeatur per modum salviæ sumi. *ibidem*) nec deglutiens reliquias minutas pridianæ cænæ dentibus implicitas. *ibid.* n. 469. Aut sanguinem, vel humorem ex capite defluentem. f. 249. n. 470.
Jejunium naturale incipit à media nocte. *ibid.* n. 471. an à primo, vel ultimo ictu duodecimæ? *ibidem* an audito primo ictu quis cibum vel potum ex ore ejicere debeat, vitrum vel craterem deponere? f. 250. n. 472. In dubio an aliquid ante, vel post mediam noctem sumpseris, poteris præsumere, quòd non. *ibid.* n. 474.
Ab hoc jejunio naturali excusat I. *necessitas integri Sacrificij.* Casus varij *ibid.* n. 476. II. *Necessitas reverentia ipsius Sacramenti.* Casus varij, ubi quid agendum cum reliquiis post ablutionem, vel Missam in patena vel corporali inventis? f. 251. n 477. III. *Necessitas sumendi viatici.* Quoties id sumi possit, vel debeat? *ibid.* n. 478. IV. *Necessitas vitandi scandalum. ibid.* n. 479. Casus notabiles, f. 252. a num. 480.

Impedimentum.

Impedimenta Matrimonij quæ, quot? f. 462. n. 3.
Impedimentum 1. *Error. ibid.* vide *Error.*
Impedimentum 2. *Conditio.* f. 464. a n. 9. vide *Conditio.*
Impedimentum 3. *Vis* vel *Metus* f. 465. a n. 13. vide *Metus.*
Impedimentum 4. *Raptus.* f. 468. à n. 26. vide *Raptus.*
Impedimentum 5. *Clandestinitas.* f. 469. à n 32. vide *Clandestinitas.*
Impedimentum 6. *Votum solemne.* f. 471. à n. 39. vide *Votum.*
Impedimentum 7. *Ordo Sacer.* f. 472. a n. 44. vide *Ordo*
Impedimentum 8. *Ligamen.* f. 473. à n. 49. vide *Ligamen.*
Impedimentum 9. *Publica honestas.* f. 475. à n. 54. vide *Honestas publica.*
Impedimentum 10. *Consanguinitas.* f. 478. à n. 65. vide *Consanguinitas.*
Impedimentum 11. *Affinitas.* f. 484. à n. 71. vide *Affinitas.*
Impedimentum 12. *Cognatio.* f. 483. à n. 85. vide *Cognatio.*
Impedimentum 13. *Crimen.* f. 486. à n. 99. vide *Crimen.*
Impedimentum 14. *Cultus disparitas.* f. 491. à n. 115. vide *Cultus disparitas.*
Impedimentum 15. *Impotentia.* f. 492. à n. 121.
Impedimenta impedientia tantùm sunt *votum.* f 497. à n. 134. Interdictum f. 498. n. 143. Feriæ, *ibid.* n. 144. & Sponsalia. *ibid.* n. 145. Crimen. *ibid.* n. 146. qualiter hæc impediant matrimonium. *ibid.*

Impotentia.

Impotentia coeundi, f. 492. a n. 122 quando censeatur adesse & unde oriatur? f. 493. n. 123. si perpetua sit & incurabilis licitè ac antecedens. *ibid.* num 124. dirimit matrimonium contrahendum tantùm. f. 494. n 125. Quid in dubio an sit perpetua, nec ne? *ibid.* n 126.
Impotentia superveniens non dissolvit matrimonium semel contractum. *ibid.* n 127.
Nulla impotentia temporalis tantùm, etiam antecedens dirimit matrimonium. f. 495. n. 128 Casus. *ibid.* n. 129.
Impoteutia ætatis jure naturæ dirimit solùm inter contrahentes ante sufficientem usum rationis. *ibid.* n. 130. jure verò ecclesiastico dirimit inter impuberes, masculum scil. ante 14. & fœmellam ante 12. annum impletum. *ibid.* 131. nisi malitia suppleat ætatem *ibid.* n. 132.
Impotentia sexus mixti, seu mattimonia hermaphroditorum. f. 496. à n. 134. Ponuntur quatuor casus. *ibid.* n. 135.

Impudicitia.

Impudicitia *cordis* quid & quale peccatum? f. 619. n. 662. utpote I. Cogitationes impuræ. *ibid.* n. 665. II. Delectatio morosa. f. 620. n. 665 consensus impudicus. *ibidem* n. 666.
Impudicitia *oris*, turpia loqui, cantare, legere. *ibid.* à n. 667. & audire, quando & quale peccatum? *ibid* n. 669.
Impudicitia *aspectûs*, f. 621. n. 670 Aspectus turpium potest esse mortaliter illicitus I. ex objecto. *ibid.* II. ex intentione aspicientis. *ibid.* n. 671. & III. ex periculo prævisо *ibid.* n. 672. his seclusis aspectus est solùm veniale. *ibid.* n. 673.
Impudicitia *tactûs*, ut oscula, amplexus, &c. possunt esse mortale triplicitet. *ibid.* n 674. I Ex ipso objecto. f. 622. n. 675. II. Ex intentione. *ibid.* n. 676. & III. Ex periculo animadvertso. *ibid.* n 677.
An, quando, & quale peccatum tactus, oscula, amplexus, I. *honestatis*? *ibid* à n. 679 II. *Necessitatis, ibid.* n. 68. III. *curiositatis*, vel *levitatis*? f. 623. n. 682. Et IV. *Voluptatis & delectationis* gratiâ. *ibid.* n. 683. ubi, quid delectatio *venerea, & sensibilis*? *ibid.* a n. 684.

Incestus.

Incestus quid? f. 603. n. 607. quæ ejus malitia? *ibid.* n. 608. Probabiliter omnes incestus sive inter consanguineos, sive affines, in quocunque gradu, vel linea, sunt ejusdem speciei. f. 604. n. 609.
In incestu inter consanguineos explicandus est primus & secundus gradus, *ibid.* n 610. inter affines primus. f. 605. n. 611.
Incestus in cognatione legali, & spirituali gradus quotuplex? *ibid.* n. 612. Quale peccatum? *ibid.* n. 613.

Indissolubilitas.

Indissolubilitas, & dissolubilitas matrimonij. fol. 524. vide *Matrim.*

Integritas.

Integritas confessionis formalis materialis. f. 338. a n. 353. materialis non est essentialiter necessaria, tamen de præcepto f. 339. n. 357. respectu ejusdem confessarij & confessionis, *ibid.*

ibid. n. 358 confirenda sunt omnia mortalia in specie & numero *ibid.* à n. 360. post diligens examen memoriæ occurrentia. f. 319. n. 363. in quo examine non requiritur diligentia suma. f. 340. n. 364. sed sufficit mediocris. *ibid.* n. 365. quando hæc censeatur adesse, vel adfuisse, quæ adhibita sufficit, esto quis putet fors plura occursura per longius examen. *ibid.* n. 366. ex defectu autem vel negligentia examinis mortaliter culpabili evadit confessio invalida & nulla. f. 341. n. 367.
Ab integritate materiali confessionis excusat I. *Inculpata oblivio.* f. 363. n. 456. quæ & qualis ignorantia excuset? *ibid.* n. 457. II. *Impotentia physica*, ut in infirmo, surdo, muto, in periculo mortis &c. f. 364. à n. 461. casus ambigui *ibid.* n. 466. III. *Impotentia moralis.* f. 365. n. 467. ut damnum proprium ipsius pœnitentis. *ibid.* n. 468. ac damnum ipsius Confessarij corporale, vel spirituale. *ibid.* n. 469. aut alterius tertij v. g. complicis. *ibid.* n. 470. sola tamen famæ læsio complicis apud solum confessarium non excusat. f. 366. n. 470. quando scil. adest necessitas confitendi, & alius Confessarius haberi nequit. *ibid.* n. 471. Aliæ animadversiones circa impotentiam moralem, aliásque causas excusantes. f. 366. a n. 473.

Intentio.

Intentio requisita ad Sacramenta conficienda. f. 17.
Quid intentio actualis expressa, implicita. *ibid.* à n. 101.
Intentio virtualis quid? f. 18. à n. 105. Intentio habitualis quid? f. 19. à n. 109.
Intentio directa, & indirecta. *ibid.* n. 111. absoluta, & conditionata. *ibid.* n. 112.
Intentio actualis ad Sacramenta validè conficienda est quidem optima, non tamen necessaria. f. 20. à n. 114. sed sufficit virtualis. *ibid.* n. 116. eâque omninò necessaria est. *ibid.* n. 117. nec sufficit habitualis, (excepto matrimonio.) *ib.* à n. 118. minus sufficit interpretativa seu indirecta tantùm. f. 21. à n. 120.
Intentio validè conficiendi Sacramentum debet esse *formalis*, id est, intentio faciendi Sacramentum. f. 22. à n. 123. Saltem implicita & æquivaleuret talis, v. g. *faciendi id, quod facit Ecclesia. ibid.* à n. 125. qua habita fit Sacramentum non obstante errore speculativo, vel intentione contraria particulari qualicunque. f. 23. n. 127.
Resolvuntur casus varij, *ibid.*
Intentio ad validè conficiendum debet insuper esse absoluta, sine conditione suspensiva. *ibid.* n. 128. unde estò validè & sæpè licitè conferri possit Sacramentum sub conditione de præsenti, vel præterito, *ibid.* n. 129.
Nunquam tamen sub conditione de futuro. f. 24. n. 130. unde adhibens conditionem de futuro peccat mortaliter (excepto Matrimonio) *ibid.* n. 131.
Intentio qualiter debeat esse determinata ad certam materiam, vel personam. *ibid.* à n. 132. Error circa personam in Matrimonio solùm, non in alijs Sacramentis, obstat valori. f. 25. à n. 134.
Resolvitur dubium, an validè ordinetur, irregularis, illegitimus, non admissus in examine, sed furtivè contra intentionem Episcopi ordinantis accedens. *ibid.* à n. 136.
Qualis intentio requiratur *in suscipiente* Sacramentum? f. 26. Ut adultus rationis compos validè suscipiat Sacramentum, necessariò debet esse actu, vel saltem habitu positivè volens seu habuisse intentionem. *ibid.* à n. 139. resolvuntur casus varij. f. 27. à n. 141.
Intentio habitualis, habita scil. & non revocata sufficit in suscipiente (excepto Matrimonio.) f. 28. a n. 145. Eâque etiam implicita habita (scil. in alio volito tale Sacramentum involvente. *ibid.* a n. 149. Resolvuntur varia. f. 29. a n. 150.
Intentio seu voluntas generalis etiam vivendi & moriendi more Christiano Catholico sufficit in articulo mortis ad suscipiendam Eucharistiam, & Extremam Unctionem. *ibid.* a n. 154. Non tamen ad reliqua Sacramenta. f. 30. a n. 156.
Intentio quoad Horas Can. alia materialis, alia formalis. f. 96. n. 44. actualis, virtualis, explicita, vel implicita. *ibid.* n. 45.
Qualis intentio requiratur ad dicendas Horas Can. *ibid.* vide *Hora Can.*

Interdictum.

Interdictum quid? & quotuplex? f. 62. a n. 91.

Irregularitas.

Irregularitas quid? f 59. n. 76. Quid irregularitas ex delicto; & ex quibus delictis oriatur? *ibid.* à n. 77.
Irregularitas ex defectu quid, & ex quibus defectibus oriatur? f. 60. à n. 80.

Jurisdictio.

Jurisdictio à Pontifice Regulari approbato adveniens non limitatur ad solam approbantis Diœcesin. f. 412. n. 678. Non potest tamen talis Regularis in alia Diœcesi sine ejusdem Episcopi approbatione & licentia audire confessiones. *ibid.* n. 679. sed debet prius ei legitimè præsentari à suo Superiore. f. 413. n. 680. An valide absolvat contra vel sine legitimo consensu sui Superioris approbatus ab Episcopo. *ibid.* n. 681. Non validè absolvit Regularis alios Religiosos sui vel alterius Ordinis sine licentia Superioris cujusvis ordinis respectivè. *ibid.* n. 683.
Jurisdictio Ordinaria quid? f. 414. n. 686. quotum seu quibus competat. *ibid.* a n. 687. à quo habeatur. f. 415. n 691. quinam ei subjiciantur ratione domicilij, vel quasi domicilij? *ibid.* n. 693. aut privilegio status. *ibid.* n. 694. vel juris dispositione. f. 416. à n. 695.
Jurisdictio delegata quid? *ibid.* n. 697. quis possit eam delegare? *ibid.* n. 698. delegati potest directè, vel indirectè. *ibid.* n. 699.
Quibus & qualiter fiat delegatio à *jure* vel *privilegio*? f. 417. à n. 700. quibus & qualiter à *consuetudine. ibid.* à n. 704. Quibus & qualiter ab *homine*? f. 418. à n. 709.
Jurisdictio certa quid? f. 419. n. 713.
Jurisdictio ex errore communi, cum, vel sine titulo colorato quid, & quando censeatur adesse? *ibid.* n. 714.
Jurisdictio probabilis quid? f. 420. n. 715. an & quando sufficiat? *ibid.* à n. 716. an & quando sufficiat jurisdictio dubia. f. 421. n. 718. Jurisdictio universalis quid, & quibus conveniat? f. 421. à n. 722. In articulo mortis eam habet omnis Sacerdos, ad quoscunque casus vel pœnitentes, etiam simplex *ibid.* n. 723. secùs, si tunc adsit Confessarius ordinaria, vel delegata potestate præditus, oppositum tamen est etiam probabile. f. 422. n. 724.
An, quando absolutus in articulo mortis à casu reservato, vel censura à non habente potestatem postea convalescens debeat le sistere Superiori? *ibid.* n 725.

Ligamen.

LIgamen seu vinculum matrimonij cum conjuge adhuc vivente dirimit matrimonium jure naturali & divino cum quovis alio contrahendum. f. 473. n. 49. Unde neuter conjux ad secundas nuptias transire potest, nisi habitâ notitiâ moraliter certâ de morte alterius. *ibid.* n. 50. quanta notitia requiratur in foro externo. f. 474. n. 51. & quæ sufficiat in foro interno. *ibid.* n. 52. casus. *ibid.* n. 53.

Locus.

Locus ad celebrandum requisitus quis & qualis esse debeat. f. 241. In loco profano celebrare mortaliter est. *ibid.* n. 436. nisi excuset necessitas. *ibid.* n. 437. Quinam vel permittere possint Episcopi in domibus læcularium? *ibid.* n. 438.

Martyrium.

MArtyrium an, qualiter, & quando hominem justificet. f. 290. à n. 159.

Materia & forma.

Materia & forma in Sacramento quid & quotuplex? f. 12. à n. 76. alia remota, alia proxima. *ibid.* n. 79. debent applicari ab eodem Ministro simul. *ibid.* n. 80.
Qualiter materia & forma debeant esse simul, seu qua simultate in quovis Sacramento? *ibid.* n. 81.
Quæ censeatur simultas moralis & sufficiens? f. 13. n. 82.
Qualiter peccet non procurans debitam materiæ & formæ simultatem? *ibid.* n. 83.
Materiæ & formæ mutatio substantialis annullat Sacramentum, non accidentalis. f. 14. à n. 85.
Quæ censeatur mutatio substantialis, quæ accidentalis materiæ? *ibid.* n. 87. quæ formæ? *ibid.* n. 88.
Materiæ vel formæ mutatio casualis & involuntaria excusat à peccato, non verò voluntaria. f. 15. n. 89.
Materiam vel formam dubiam adhibens, si possit habere certam, peccat mortaliter. *ibid.* n. 90.
Materia Ordinis, ejúsque contractus qualis necessarius? f. 47. vide *Ordo.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Materia & forma Sacerdotij duplex. f. 134. n. 3. certam in individuo Christus non determinavit, sed Apostolis & eorum Successoribus determinandam reliquit. f. 136. n. 9. in primitiva Ecclesia fuit sola impositio manuum *ibid.* n. 11. modò porrectio calicis cum vino, & Patenæ cum hostia. *ibid.* n. 12. vide V. *Sacerdotium.*
Materiæ Sacerdotij contactus qualis requiratur. f. 141. n. 27.
Materia Eucharistiæ est panis & vinum. f. 164. n. 128.
Materia necessaria & sufficiens est omnis & solus panis triticeus & usualis f. 166 n. 135. confectus ex farina triticea & aqua naturali. f. 167. n. 142. igne tostus. *ibid.* n. 143. & substantialiter incorruptus. f. 168. à n. 144. in Ecclesia latina azimus. *ibid* n. 146. utpote convenientior fermentato. *ibid* n. 147. in quo tamen tam Græcus, quàm latinus sub mortali debet servare ritum suæ Ecclesiæ. *ibid.* n. 148. Quid si sint extra? f. 169. n. 149.
Materia altera hujus Sacramenti est vinum de vite. *ibid.* à n. 151. (ubi quæ excludantur à tatione vini. *ibid.* à n. 152.) & quidem omne vinum vitis verè tale. & per se potabile, cujuscunque speciei vel coloris est materia validæ consecrationis. *ibid.* n. 155. etiam mustum ex uvis maturis expressum. f. 170. n. 156. Quid de vino acido? *ibid.* n. 157. & condito aromatibus, absynthio &c. *ibid.* n. 158. ac congelato? *ibid.* n. 159. vino admiscenda est aqua. f. 171. n. 160. de præcepto *ibid.* n. 161. naturalis. *ibid.* n. 162. modica. f. 172. n. 163. ad ad Altare in ipso calice. *ibid.* n. 164. quæ convertitur in sanguinem mediatè. *ibid.* n. 165.
Materia consecranda debet esse certa & determinata in individuo, & ex intentione consecrantis. f. 173. à n. 167. resolvuntur varia. *ibid* à n. 168. Materia consecranda qualiter debeat esse præsens consecranti. f. 175. n. 173 Resolvuntur varia. *ibidem* à n. 174. validè consecrari potest materia in quacunq; quantitate sensibili. f. 176. n. 177. etiam minima pars. *ibid.* n. 178. licitè verò non nisi in quantitate conveniente fini, usui, & reverentiæ Sacramenti. f. 177. à n. 179.
Materia Sacramenti pœnitentiæ quæ, & quotuplex. f. 262. à n. 22. qua ratione venialia sint materia sufficiens. f. 263. quibus modis universim remittantur: f. 264. à n. 33. qualiter peccata jam semel ritè confessa sint materia Sacramenti pœnitentiæ? f. 267. à n. 48. qua ratione peccata dubia sint materia Sacramenti pœnitentiæ? f. 268. à n. 54. qualiter Confessarius procedere debeat, si pœnitens afferat mera dubia? *ibid.* à n. 56. Materia sigilli. f. 449.

Matrimonium.

Matrimonium quid? f. 461. n. 1. quotuplex? *ibid.* n. 2.
Matrimonij impedimenta quæ & quot? f. 462. vide *impedimentum.*
Matrimonium dupliciter sumi potest, ut *contractus*, & ut *vinculum.* f. 519. n. 288 Quid utroque modo? *ibid.* n. 289.
Ad Matrimonium, ut *contractus* est, requiritur I. consensus *mutuus* obligatorius *ibid.* n. 290. Qualis sufficiat ut validè? f. 520. à n. 291. & qualis, ut licitè contrahant? *ib.* à n. 295. II. *Verus, serius, voluntarius, & liber.* f. 521. n. 299. III. *Absolutus*, & *proprius* contrahentium tantum. *ibidem* n. 300. quem nemo, *ibid.* n. 301. nisi Deus supplere potest. *ibid* n. 302. nec requiritur consensus patentum, vel aliorum. f. 522. à n. 303. IV. *Externus* per verba, vel signa de præsenti expressus *ibid.* n. 305. an necessariò per verba *ibid.* n. 306. & quibus verbis, vel signis *ibid.* n. 308. & quo ordine, qua simultate exprimi debeat f. 523 a n. 309. præsertim inter absentes. *ibid* à n. 311.
Quæ sint personæ habiles ad matrimonium contrahendum? f. 224. n. 315.
Nullum est matrimonium, si latenter subsit impedimentum dirimens *ibid.* n. 316. valet verò, quando solum dubitatur tale subesse, reverà tamen non subest *ibid.* n. 317. quando autem certò putant subesse; esto non subsit, probabilius nullum est. *ibid.* n. 318.
Matrimonium etiam contrahi potest inter absentes per Epistolam. f. 525. n. 320. vel per Procuratorem. *ibid.* n. 321. quæ requirantur ex parte principalis contrahentis, & quæ ex parte Procuratoris? *ibid* à n. 322
Matrimonium sub conditione, præsertim de futuro, ratò permitti debet. f. 526. n. 326. contractum sub conditione de præsenti vel præteritò, statim valet, si conditio vera est, & statim nullum est. si conditio falsa. f. 527. à n. 327. nec eo uti possunt, donec conditio existere cognoscatur. *ib.* à n. 329.
Matrimonium sub conditione de futuro honesta & possibili initum. f. 528. n. 331. suspenditur usque ad conditionis eventum. *ibid.* n. 332. qua positâ, statim perficitur, sine novo consensu. *ibid.* n. 333. & sine nova assistentia Parochi ac testium. f. 529. n. 334. Exceptio. *ibid.* n. 335.
Conditio de futuro turpis vel impossibilis an, & quando irritet matrimonium? *ibid.* à n. 336. irritat conditio turpis repugnans substantiæ matrimonij. f. 530. n. 341. ejusque triplici bono, fidei, prolis, & Sacramenti. *ibid.* 542.
Matrimonium contractum cum pacto nunquam generandi an valeat? f. 531. n. 343. valet contractum cum intentione nunquam eo utendi. *ibid.* n. 342
De Matrimonio rato, ut Sacramentum est, ejusque solemnitate, & indissolubilitate. f. 532. à n. 345.
Matrimonium est Sacramentum à Christo institutum. *ibid.* n. 346. cum promissione gratiæ. f. 533. in lege Nova inter fideles. *ibid.* n. 348. Materia ejus sunt corpora, & forma verba contrahentium. f. 533. à n. 350. Ministri sunt ipsimet contrahentes. f. 535. à n. 354
An ratio Sacramenti validè possit separari à contractu inter fideles per intentionem contrahentium? *ibid.* n. 356. peccant mortaliter sic facientes. f. 536. n. 357.
Ad Matrimonij valorem requiritur assistentia Parochi, & duorum, vel trium testium. f. 537. n. 358. Qualis Parochus requiratur? *ibid.* n. 359. aut hic intelligatur? *ibid.* n. 360. quis proprius Parochus esse intelligatur? *ibid.* n. 361. valida est assistentia, etsi Parochus sit interdictus, suspensus, excommunicatus, etiam non toleratus f. 538. n. 362.
Quis alius de licentia Parochi possit assistere? *ibid.* à n. 362. Quæ licentia ad id sufficiat, an etiam tacita, præsumpta? *ibid.* n. 365. vel etiam per vim, vel motum excitata? f. 539. n. 366. Licentia Parochi etiam necessaria est Confessario pro copulando moribundo? *ibid.* n. 376.
Quales requirantur testes? *ibid.* n. 368. qui censeantur idonei & sufficientes? *ibid.* à n. 368.
Qualis requiratur Parochi & testium præsentia? f. 540. n. 372. necesse non est, ut adsint voluntariè. *ibid.* n. 375. aut ad id rogati, modò intelligant, quid agatur? *ibid.* n. 376.
Matrimonio præmittendæ sunt tres denuntiationes. f. 541. n. 377. ex præcepto tantùm. *ibid.* n. 378. conscius alicujus impedimenti inter sponsos tenetur illud manifestare sub mortali per se loquendo. *ibid.* 379. Qualiter, & cui id intimandum? *ibid* n. 380. an etiam sponsus, vel sponsa teneantur manifestare? f. 542. n. 381. solvitur casus. *ibid.* n. 382.
Matrimonij ut Sacramenti effectus est gratia sanctificans. *ibid.* à n. 383. & triplex bonum essentiale matrimonij, fidei, prolis, & indissolubilitatis. *ibid.* n. 384.
Matrimonij indissolubilitas, & dissolubilitas. f. 543. Jure divino. *ibid.* à n. 388. ac etiam naturæ. *ibid.* n. 389. saltem inchoativè, indissolubile est omne matrimonium, *legitimum, ratum, & consummatum*, f. 544. n. 390. adeòque etiam Matrimonia Hæreticorum aut indissolubilia sunt, aut nulla. *ibid.* n. 391.
Matrimonium infidelium, etiam consummatum, solvitur per unius conversi & baptizati aliud matrimonium contractum. *ibid.* à n. 392.
Matrimonium fidelium *ratum* tantùm solvitur per professionem Religionis, f. 545. à n. 396. etiam post multos annos. *ibid.* n. 398. (de privilegio primi bimestris. f. 546. n. 399.) ac etiam per dispensationem Pontificis. *ibid.* n. 400. solvuntur fundamenta contraria. f. 547. n. 402.
Matrimonium *consummatum* fidelium est simpliciter indissolubile. *ibid.* n. 404. quoad vinculum. *ibid.* n. 405. solubile tamen quoad torum. f. 548. n. 407. I. Per professionem Religionis, mutuo consensu, vel de licentia alterius factam. *ibid.* à n. 408. II. Per suceptionem Ordinis Sacri. f. 549. n. 411. III. Per Votum simplex castitatis mutuo consensu emissum. *ibid.* n. 412. & IV. Per electionem continentiæ. *ibid.* n. 413.
Matrimonium fictè contrahens peccat mortaliter. f. 553. n. 431. & in foro externo compellitur ad verè contrahendum. f. 554. n. 432. nisi adsit legitima exceptio, *ibid.* n. 433. Casus difficilis. *ibid.* n. 334.

Matrimonium scienter contrahens cum impedimento quocunque, peccat mortaliter. f. 554. n. 435. peccato sacrilegij. *ibid.* n. 436. contra reverentiam Sacramenti. f. 555. n. 438. secus, si bona fide contrahant ignorantes impedimentum. *ibid.* n. 439. Quas pœnas incurrant scienter cum impedimento contrahentes? f. 556. n. 441.
Matrimonium cum impedimento contractum aut dissolvendum, aut dispensandum est. f. 556. n. 442. Instructiones Confessarijs valde norandæ. *ibid.* n. 443. an pœnitens habens impedimentum sit in bona fide. *ibid.* n. 444. vel mala fide. f. 557. n. 445. si impedimentum sit dispensabile, quid faciendum Confessario? *ibid.* n. 446.
Matrimonium invalidum ex defectu consensûs tantùm, qualiter revalidandum? f. 558. n. 447. an requiratur consensus novus unius tantùm? *ibid* n. 448. internus tantùm, vel externus? f. 559. n. 449.
Matrimonium invalidum ex aliquo impedimento revalidatur per dispensationem. *ibid.* n. 451. in quo jure ordinario dispensat solus Pontifex. f. 560. n. 452. Episcopus per accidens *ibid* n. 453. quando? *ibid* n. 454.
Quid agendum Confessario vel Parocho, si immediatè ante nuptias jam jam celebrandas in aliquo contrahente inveniat impedimentum occultum? *ibid.* n. 455.
Habita dispensatione necessariò requiritur etiam novus consensus. f. 561. n. 456. & quidem utriusque, internus & externus. *ibid.* n. 457.
An impedimentum & nullitas matrimonij debeat alteri parti manifestari? *ibid.* à n. 458.
An requiratur nova solemnitas seu præsentia Parochi & testium? f. 562 à n. 461. una sententia affirmat. f. 563. à n. 463. altera negat. *ibid.* à n. 464.
Matrimonij usus. f. 564. vide Conjuges.

Mendicantes.

Mendicantes qualiter, & à quibus casibus & censuris papalibus ex privilegio absolvere possint sæculares? f. 427. à n. 740 quid possint quoad Episcopales? f. 428. à n. 745.

Metus.

Metus gravis injustè incussus ad extorquendum consensum matrimonij, irritat illud probabiliter jure naturæ. f. 465. n. 13. certissimè irritat metus gravis absolutè. *ibid* n. 14. ac etiam gravis respectivè *ibid* n. 15. non tamen metus simpliciter levis, vel meræ reverentialis. f. 466. n. 16. nisi quandoque per accidens. *ibid.* n. 17.
Metus gravis autem, ut irritet, debet esse *injustus* seu *injustè* incussus. *ibid*, n. 18. per se directè ad extorquendum ipsum matrimonij consensum. *ibid.* n. 19. in dubio, an metus fuerit injustè incussus, præsumendum est pro valore *ibid.* n. 20.
Metum talem incutiens peccat mortaliter. f. 467. n. 31. alter verò venialiter tantùm, si solùm fictè consentiat. *ibid.* n. 20. imò nec venialiter, si solùm consentiat in ipsum matrimonium sine animo consummandi. *ibid.* n. 22. mortaliter verò, si ex tali metu contrahat cum intentione consummandi, sciens tale matrimonium esse nullum. *ibid.* n. 23. & exercendo actus carnales meræ fornicantur. *ibid.* n. 24. nec per illos actus matrimonium tale ratificatur. *ibid.* Qualiter peccet, qui contrahit ex tali metu irretitus insuper alio impedimento ditimente? f. 468. n. 25.

Minister.

Minister Sacramentorum validè conficiendorum, quis, & quæ in eo requirantur? f. 30. à n. 158.
Minister, ut licitè conferat, & conficiat Sacramenta, quæ in eo requirantur. f. 32. à n. 162. vide *Sacramentum.*
Minister in mortali ministrans, vel conficiens Sacramentum; an, & quando peccet mortaliter. f. 33. à n. 169.
A Ministro indigno, seu cum peccato mortali collaturo, an liceat petere, & recipere Sacramentum? f. 36. à n. 178. vide *Sacramentum.*
Ministrans Sacramentum indigno qualiter peccet? f. 37. à n. 184.
Minister Ordinis validè conferendi. f. 50. à n. 39. & licitè conferendi quis? f. 52 à n. 46. vide *Ordo.*
Minister Eucharistiæ & Sacrificij est solus & omnis Sacerdos f. 209. n. 304. quis licitus? f. 210. à n. 306. quis ordinarius & ex officio? *ibid.* n. 308. quibus casibus Regulares dare possint Communionem in articulo mortis? f. 211. n. 314.
Minister seu Ministrans ad Missam qualis, & sub quo peccatò requiratur? f. 230. à n. 389.
Minister Sacramenti pœnitentiæ quoad valorem est solus Sacerdos *verus.* f. 408. à n. 655. nullus Laicus. *ibid.* n. 657. quid si quis se fingat confessarium? *ibid.* n. 558.
Minister debet habere jurisdictionem *ibid.* n. 659. & approbationem ab Episcopo expresè, vel tacitè. f. 409. n. 660. An, quos, & à quibus absolvere possit non approbatus *ibid.* à n. 661.

Missa.

Missa quid nominis? f. 148. n. 61 quid rei? f. 149. n. 62. esse verum Sacrificium in nova lege probatur variè. *ibid.* à n. 63. solvuntur objectiones. f. 150. à n. 68
Missæ hostia seu res oblata principalis est Corpus & Sanguis Christi. f. 151. n. 74 species Eucharistiæ sunt medium. *ibid.* n. 75. substantia panis & vini materia *ex qua.* f. 152 n. 76. immutatio & destructio hostiæ alia mystica. f. 153. n. 79. alia moralis. *ibid.* n. 80. alia aliquo modo realis. *ibid* n. 81.
Missæ partes essentiales f. 154. n. 83. aliæ accidentales. *ibid.* consecratio est essentialis *ibid.* n. 84. an & quæ oblatio essentialis? *ibid.* n. 85. sumptio non est pars essentialis, sed integralis Missæ. f. 155. à n. 86.
Missa Sacerdotis mali quo sensu & respectu æquè, & quo minus valeat, quàm Sacerdotis boni? f. 213. à n. 321.
Missæ Oblatio. f. 215.
Missæ Stipendium. f. 222. vide V. *Stipendium.*
Qualem partem omittere in Missa sit mortale? f. 238. à n. 425. an & quale peccatum sit aliquid addere? f. 239. à n. 427.
Missam mutare, legendo aliam, quàm sit præscripta, an & quale peccatum. *ibid.* n. 429. Causæ justæ mutandi Missam *ibid.* n. 430.
Quinam, quando, & qualiter supplendi sint defectus in Missa commissi? f. 240. à n. 432. Quid si Sacerdos in Missa deficiat? *ibid* n. 435.

Moribundus.

Moribundus loquelâ & sensibus destitutus, si dedit signa doloris, & confessionis validè & licitè absolvitur. f. 404. n. 636. ad absolutionem petendam directa. *ibid.* n. 637. etiam quando ea dedit Sacerdote adhuc absente, coram alijs, etiam uno postea restante. *ibid.* n. 639. qualiter absolutè, vel sub conditione? f. 404. n. 640.
Moribundus, qui nullum dat, vel dedit signum, an, quando, qualiter possit absolvi? *ibid.* à n. 644.

Notitia.

NOtitiâ confessionis quando & qualiter non liceat uti; & quando, ac qualiter quandoque liceat? f. 456 vide *Sigillum.*

Numerus.

Numerus mortalis tantùm peccatorum exprimendus est in confessione. non physicus actuum. f. 358. n. 427. quando peccata interna censeantur unum; vel plura numero, *ibid* à n. 428. quando censeantur formaliter, vel interpretativè intertumpi. f. 357. à n. 30. An multiplicatio objectorum in eodem actu multiplicet numero malitias *ibid.* n. 431. Quando actus externi sub uno eodémque interno multiplicati censeantur unum numero peccatum? exempla varia. *ibid* à n. 432. Quando censeantur pluta numero peccata actus interni & externi. f. 359. à n. 435.
Numerus certus explicandus est, quantum fieri potest. *ibid.* n. 441. unde graviter peccat, qui numerum sibi certum, exprimit sub illo suo *circiter, plus, minus.* f. 360. à n. 442. quem numerum comprehendant, vel confessario significare possint dictæ particulæ, *circiter, plus, minus*? *ibid*, à n. 446.
Quando nullus, nec probabilis quidem numerus haberi potest, qualiter sufficiat, & exponi debeat status pœnitentis, consuetudo. & mora peccandi. f. 361. n. 459. casus varij. f. 362. à n. 452.

Obligatio.

OBligatio applicandi Sacrificium ex fidelitate solùm, regulariter est sub veniali tantùm. f. 221. n. 352. ex justitia verò sub mortali ex genere suo *ibid* n. 353. unde mortaliter peccat, qui talia Sacra sine justa causa nimis diu differt. *ibid.* n. 354. Si omninò omittat, tenetur ad restitutionem. f. 222. n. 358.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Obligationes Clericorum seu Ordinatorum. f. 78. à n. 157. obligatio gestandi habitum & tonsuram quanta. f. 81. à n. 166. obligatio Orationum & Missarum in ordinatione injunctarum *ibid.* n. 170. Obligatio Reverentiæ & obedientiæ Ordinatori promissæ quæ & quanta. f. 82. n. 171.
Obligatio Castitatis in Majoribus ordinati qualis? f. 82. à n. 173. est ex solo jure humano Ecclesiastico f. 83. n. 175. ita ut Matrimonium validè contrahere non possit. *ibid.* n. 176. Quæ obligatio est immediatè ex voto solemni. f. 84. à n. 178. aut certè ex lege Ecclesiastica, *ibid.* n. 180. in ipsa ordinatione saltem implicitè volita. *ibid.* n. 181. Resolvuntur varia f. 85. à n. 182.
Obligatio recitandi Horas Canonicas qualis, quos, & quibus titulis obliget? f. 87. vide *Hora Canonica.*
Obligatio restituendi ob omissas Horas. f. 93. à n. 31.
Omittens omnes Horas probabilius unum tantum peccatum committit. f. 109. n. 92. Quæ censeatur pars notabilis? *ibid.* n. 93. Quid de dubitante, an aliquid omiserit. f. 110. à nu. 97.

Occasio.

Occasio remota. f. 330. n. 321. propinqua. *ibid.* n. 322. & proxima quid? f. 331. n. 323. quid & qualiter agendum cum recidivis ex occasione proxima? *ibid.* à n. 325. specialiter cum concubinarijs? f. 332. à n. 326. quid cum recidivis ex intrinseca tantùm fragilitate? f. 333. à n. 330. specialiter quoad mollitiem. f. 334. à n. 333. vide *Recidivi.*

Offerens.

Offerens Sacrificij varius. f. 212. n. 315. Principalis est ipse Christus, qualiter is adhuc offerat? à n. 316.
Offerens Ministerialis est omnis & solus Sacerdos f. 213. n. 320. Quo sensu & respectu Missa Sacerdotis mali æquè, vel minus valeat, quàm Missa Sacerdotis boni? *ibid.* à n. 321.
Offerens Genetalis est Ecclesia. f. 214. n. 324.
Offerentes speciales secundarij sunt fideles concurrentes. *ibid.* à n. 325. quo ordine hi offerant, quomodo & qualiter. *ibid.* à n. 326.
Offerti debet Sacrificium soli DEO ex duplici ratione. f. 215. n. 329. idque ex fine colendi DEUM. f. 216. n. 330. qui finis semper, saltem implicitè haberi debet. *ibid.* num. 331. Quid si præter hunc, alius finis intendatur? *ibid.* n. 332. Intentio in celebrante necessaria tam quoad consecrandum, f. 217. n. 337. quàm quoad applicandum qualis? *ibid.* à n. 338 quando habenda, seu quamdiu ante Missam fieri possit intentio consecrandi. f. 219. à n. 343. & intentio applicandi? *ibid.* à n. 345.

Ordo.

Ordo sumi potest dupliciter, activè & passivè? f. 41. à n. 1.
Ordo quid activè? *ibid.* quid passivè sumptus? *ibid.*
Ordinationis effectus qui? *ib.* n. 3.
Ordines sunt septem? *ibid.* n. 5.
Prima Tonsura non est Ordo, sed fundamentum & dispositio ad Ordines. f. 42. n. 6.
Cur Ordines alij dicantur *majores* & *Sacri*? *ib.* n. 7. alij minores & non Sacri? *ibid.* n. 8.
Episcopatus est vetus Ordo à Sacerdotio quidem aliqualiter f. 43. n. 9. non tamen simpliciter & adæquatè distinctus. *ibid.* n. 10. præstantior tamen Presbyteratu. *ib.* n. 11. imò est supremus Ordo in Ecclesia Dei. *ib.* n. 12.
Ordo est Sacramentum f. 44. n. 15. institutum à Christo in ultima Cœna, explicitè quidem quoad Sacerdotium. *ibid.* n. 16. & implicitè saltem quoad alios Ordines. *ibid.* n. 17. eorúmque materias & formas. f. 45. n. 18.
Ordines omnes probabilissimè sunt Sacramenta, *ibid.* à n. 20. sicut etiam probabilissimè ordinatio Episcopi est verè & propriè Sacramentum. f. 46. n. 25. etiam ut distincta ab Ordinatione Presbyteri. *ibid.* n. 27.
Qualiter septem Ordines dicantur unum, & plura Sacramenta? f. 47. n. 28.
Ordinis materia alia remota, alia proxima. f. 47. n. 29. forma sunt verba Episcopi. *ibid.* n. 30. Traditio materiæ, & prolatio formæ debent fieri ab eodem Episcopo. f. 48. n. 31. non tamen necessariò singulis ordinandis. *ib.* n. 32.
Qualis requiratur contactus materiæ in ordinatione? *ibid.* n. 34
Probabilissimè ad valorem & essentiam nullus requiritur contactus f. 49. n. 35. De præcepto tamen necessarius est contactus physicus, præsertim in Presbyteratu. *ibid.* n. 36. Qui debet fieri simul tempore, saltem moraliter, cum prolatione formæ, *ibid.* n. 37. an contactus ille debeat esse immediatus. f. 50. n. 38.
Ordinis *validè* conferendi Minister est omnis Episcopus consecratus, *ibid.* n. 39 iique solus, non item non consecratus, *ibid.* n. 40. Saltem respectu Sacerdotij validè conferendi. f. 51. num. 41. nam Ordines minores, & primam Tonsuram conferre etiam possunt Presbyteri Cardinales, & quidam Abbates *ibid.* n. 42. Hi tamen probabilius Suis tantum, *ibid.* n. 43. Diaconatum & Subdiaconatum ex commissione Papæ etiam conferre potest simplex Sacerdos f. 52. n. 44.
Ordinis *licitè* conferendi Minister est solus Episcopus proprius ordinandi. *ibid.* à n. 46. Qui potest esse proprius ejus ratione vel originis, vel domicilij, vel beneficij. f. 53. à num. 49. Quinam dicatur *proprius* ratione originis. *ibid.* à n. 50 ratione domicilij? f. 54. à n. 53. & quinam *proprius* ratione beneficij? f. 55. à n. 56.
Ordinis validè suscipiendi *Subjectum* est solus baptizatus. *ibid.* n. 55. nulla fœmina. *ibid.* Quid Diaconissæ? f. 56. n. 60. Quid de Hermaphroditis? *ibid.* n. 61.
Ordinandus adultus debet habere intentionem. f. 57. n. 62.
Validè ordinantur infantes & pueri ante usum rationis. *ibid.* à n. 63. uti & amentes, furiosi, ebrij, dormientes &c. non tamen licitè *ibid.* n. 66.
Ut quis licitè suscipiat Sacramentum Ordinis, debet esse I. in statu gratiæ. f. 58. a n. 68. unde qualis obligatio confitendi, & communicandi? *ibi* ? a n. 70. II. Debet esse confirmatus ordinariè. & non per saltum suscipiens. a n. 71. III. Non debet esse irregularis. f. 59. n. 76. Quid irregularitas ex delicto. *ibid.* a n. 77. ex defectu? f. 60. a n. 80. IV Non debet esse censurâ ligatus. f. 62. n. 89. quid & quotuplex interdictum *ibid.* à n. 91.
Qualis ætas requiratur ad Ordines f. 63. n. 94. qualiter computanda? *ibid.* n. 95. Quid si quis scienter & mala fide ante illam ordinetur? f. 84. n. 96. quid in dubio, an adsit debita ætas? f. 65. n. 98.
De ordinandi probitate. f. 65. n. 99. Scientia. *ibid.* n. 100. & examine. f. 66. n. 101. ac approbatione. *ibid.* n. 102.
Ordinandi litteræ dimissoriæ *ibid.* n. 103. a quo conferantur. *ibid.* n. 104. quid continere debeant? f. 67. a n. 105.
Ordinandi titulus sustentationis. *ibid.* n. 108. alius est beneficij. *ibidem* n. 109. alius Patrimonij. f. 68. a n. 110. alius paupertatis. *ibidem* n. 113. pœnæ in oppositum. *ibid.* num. 114.
Ordinationis locus, tempora, & interstitia. f. 69. a n. 116. nequeunt eodem die in eadem ordinatione generali conferri duo Ordines Majores. *ibid.* num 118. enumerantur interstitia à Jure statuta *ibid.* n. 120. Quibus diebus conferri possint Minores? f. 70. n. 119. Privilegia Regularium circa tempora ordinandi. f. 71. a. n. 121.
Ordinum singulorum definitio, materia, forma, & officia. f. 72.
Ordo Ostiariatûs quid ut Sacramentum. *ibid.* n. 125. quid ut res Sacramenti. *ibid.* n. 126. quæ ejus materia. *ibid.*
Ordo Lectoratûs quid ut Sacramentum? *ibid.* n. 127. Quid ut res Sacramenti? *ibid.* n. 128.
Ordo Exorcistatûs ut Sacramentum: & ut res Sacramenti. f. 73. à n. 129. quæ ejus materia. *ibid.*
Ordo Acolytatûs ut Sacramentum *ibid.* num. 131. ut res Sacramenti. *ibid.* n. 132. Quæ ejus materia. *ibid.*
Ordo Subdiaconatûs ut Sacramentum. *ibid.* n. 134. ejus materia quæ, & quotuplex. f. 74. à n. 135. Quid ut res Sacramenti, & quæ eius officia? *ibid.* n. 137.
Ordo Diaconatûs quid ut Sacramentum, quæ, & quotuplex eius materia. f. 75. n. 138. quæ essentialis? *ibid.* n. 139. an unum, vel duos imprimat Characteres? *ibid.* n. 140. Quid ut gradus & res Sacramenti. *ibid.* n. 141. Quæ ejus officia. *ib.*
Ordinatorum paramenta, eorúmque significationes. f. 77. à n. 148.
Ordinatorum obligationes. f. 78. Tonsura & Minores nullam inducunt obligationem. f. 80. n. 164. Qualis obligatio gestandi habitum & tonsuram. f. 81. à n. 166. Orationum & Missarum in ordinatione injungi solitarum. *ibid.* n. 70.
Ordinati in Sacris obligantur ad Castitatem f. 82. a n. 173. ex solo jure Ecclesiastico. f. 83. à n. 175. Ut Matrimonium validè contrahere non possint. *ibid.* n. 176. quæ obligatio est immediatè ex voto proprio solemni. f. 84. à n. 178. Aut certè ex lege Ecclesiastica. *ibid.* n. 180. in ipsa ordinatione, saltem implicitè volita. *ibid* n. 181. resolvuntur varia dubia. I. an eam castitatis obligationem contrahat in ordinatione expresse nollens illam? f. 85. n. 182. II. Ordinatus ex metu. *ibid.* n. 183. III. Ignorans eam esse Ordini annexam. f. 86. n. 184. & IV. An etiam infans sic in Sacris ordinatus. *ibid.* n. 185.

Peccatum.

PEccatum quodlibet qualitet & quot modis repugnet Deo? f. 258. à n. 4. continet offensam & injuriam Dei. f. 259. n. 9.
Peccata venialia quibus modis universim deleantur? f. 264. n. 33. ex opere operantis. *ibid* à n. 34. ex opere operato. f. 265. à n. 40. per Sacramentalia. f. 266. à n. 44. nullum remittitur sine remissione mortalis. *ibid.* n. 46.
Peccata jam semel ritè confessa quâ ratione sint materia sufficiens? f. 267. à n. 48. & qua ratione peccata dubia? f. 268. n. 54. quando tales ablevandi, vel non? *ibid.* à n. 55
Peccata mortalia in specie & numero necessariò confitenda. f. 319. à n. 360. post diligens examen. *ibid.* à n. 363. vide *Confessio.*
Peccata dubia an necessariò confitenda ut dubia? f. 346. certus de peccato, & dubius de confessione, illud confiteri debet. *ibid.* à n. 386. dubium juris, facti, negativum, positivum &c. f. 347. n. 389.
Peccata meræ & verè dubia non esse necessariò confitenda docent multi. *ibid.* a n. 390. sententia tamen opposita affirmativa practicè vera ostenditur. *ibid.* à n. 392.
Peccatum confessum ut dubium, postea non repetendum est ut certum. f. 348 n. 397.
De peccatis conjugum in usu matrimonij. f. 553 & f. 564. vide *conjuges.*
Peccatum contra naturam quid & quotuplex? f. 609. n. 624. Bestialitas. *ibid.* n. 62 Sodomia perfecta *ibid* n. 626. imperfecta *ibid.* n. 627. Mollities. f. 610. n. 628. ejus divisio. *ibid.* Mollities qualificata ex parte objecti cogitati. *ibid.* n. 629. ex parte personæ pollutæ. f. 611. n. 629. ex parte cooperantis vel complicis *ibid.* n. 631. ex parte instrumenti adhibiti animati, inanimati. f. 612. a n. 636.

Pœnitentia.

Pœnitentia quid nominis? f. 257. n. 1. ut virtus, & ut Sacramentum. f. 258. n. 2. quid ut virtus; *ibid.* n. 3. offensa & injuria quid & qualiter differant? *ibid* n. 4. Item quid, & qualiter differant satisfactio & restitutio. *ibid.* n. 6.
Pœnitentia ut Sacramentum quid? f. 260. n. 10. Est verum N. L. Sacramentum. *ibid.* n. 11. immediatè à Christo institutum. n. 12. necessarium omni post Baptismum mortaliter lapso, necessitate medij in re vel in voto. *ibid.* n. 13. ejus subjectum, & differentia a Baptismo. *ibid.* n. 14.
Pœnitentiæ ex parte Sacramenti materia, & forma. f. 261. n. 15. ex parte pœnitentis contritio, confessio & satisfactio. *ibid.* n. 16. quænam ex his sint partes essentiales? *ibid* n. 17. quomodo contritio & confessio sint partes essentiales. *ibid.* n. 18. Thomistæ & RR. volunt esse partes propriè essentiales. *ibid.* n. 19. negant Scotistæ. *ibid.* n. 20. in quo ergo ejus essentia consistat. f. 262. n. 21.
Pœnitentiam implens in mortali, satisfacit quidem præcepto Confessarij. f. 283. n. 341. peccat tamen venialiter. *ib.* n. 342. imponenda est à Confessario necessariò necessitate præcepti tantùm? *ibid.* n. 343. & quidem sub gravi culpa per se loquendo *ibid.* n. 344. quibus casibus possit nulla, vel levis imponi? f. 384. n. 345 qualiter pœnitens teneatur acceptare? *ib.* à n. 347. & implere. f. 385. n. 349. pœnitentiam *rationabilem. ibid* n. 350. & *obligatoriè* impositam *ibid* n. 351.
Pœnitentia quanta & qualis imponenda? f. 386 n. 353. Regulæ practicæ. *ibid.* à n. 354. & causæ excusantes, ut justò minor imponi possit. f. 387. à n. 358. qualia opera injungenda. f. 388. à n. 360. an imponi possit opus aliàs debitum? *ibid.* à n. 364. vel opera, quæ aliàs facturus est f. 389. à n. 367. An opus pro defunctis, vel pro aliis. *ibid.* à n. 370 ac an opus per alium implendum f. 390. n. 373. an opus sub consilio solùm implendum? *ibid.* n. 374. & an cessatio à bono opere. *ibid.* 375.
Pœnitentia regulariter imponenda est post peccata audita ante ablolutionem. *ibid.* n. 376. & implenda tempore vel termino præfixo. f. 301. n. 377. si non sit præfixus, quàmprimum commodè fieri potest. *ibid.* n. 378. potest impleri per opus aliàs præceptum. *ibid.* n. 379 vel aliàs exercitum, etsi quis de ea implenda non cogitet. *ibid.* n. 380.
Pœnitentiam justam à confessario impositam, *ibid.* n. 382. commutare potest solus Confessarius f. 392. n. 383. non solùm is, qui imposuit, sed etiam alius. *ibid.* n. 384. æqualem potestatem habens. *ibid.* n. 385. Qui primò imposuit, potest eam mutare extra Sacramentum. *ibid.* n. 386. non verò alius. *ibid.* n. 387. sed probabilius debet ei prior confessio repeti. f. 393. n. 388. Probabile tamen, eam ei non debere repeti. *ibid.* n. 389.

Pollutio.

Pollutio quid? f. 610. n. 628. quotuplex? *ibid.* Qualificata I. Ex parte *objecti cogitati ibid.* n. 629. II. Ex parte *personæ pollutæ*, f. 611. à n. 629 III. Ex parte *cooperantis vel complicis. ibid.* n. 631. quæ, quanta peccata? quando & qualiter explicanda in confessione? *ibid.* à n. 632. si fiat tactibus alterius personæ? *ibid.* n. 633. ratione peccati alterni. f. 612. n. 634. si fiat cum puero doli incapace, cum fœmina, vel masculo dormiente, cum ebrio, vel bruto &c. *ibid.* n. 635. IV. Ex parte *instrumenti* adhibiti *animati*, si fiat alterius personæ manibus, inter ejus brachia, ubera, &c. *ibid.* n. 636 vel in ore alterius. *ibid.* n. 637 vel *inanimati. ibid.* n. 638. ut si fiat cum fœmina mortua, vel statua fœminæ. f. 613. n. 639.
Pollutio directè voluntaria semper est peccatum mortale. *ibid.* n. 640. nunquam licita quocunque casu. *ibid.* n. 641 An liceat eam involuntariè ortam permittere? *ibid.* n. 642. aut semen jam corruptum directè expellere? f. 614. n. 643.
Pollutio indirectè tantùm voluntaria ex causa vel actione aliqua quando, & quale peccatum? *ibid.* n. 644. Mortalis est, si causa ejus prævisa est mortalis in genere luxuriæ. *ibid.* n. 645. ut sunt impuræ cogitationes, imaginationes, desideria, tactus, amplexus &c. f. 615. n. 647. Si verò causa ejus est solùm venialis, etiam pollutio secuta, sed non intenta, secluso periculo consensûs, tantum venialis est. *ibid.* n. 648.
Pollutio quale peccatum, si prævideatur secutura ex ebrietate, nimio cibo, potu? *ibid.* n. 649. vel ex alia actione de se honesta & licita? f. 616. n. 650.
Quid de pollutione involuntaria in somnis facta? f. 617. n. 651. si antecedenter directè fit voluntaria, intenta &c. *ibid.* n. 653. vel indirectè in causa posita. *ibid.* n. 654. aut postea voluntaria & complacita *ibid.* n. 655.
Pollutio in somnis cæpta, sed in vigilia completa. f. 618. n. 656.
Distillatio & commotio libidinosa. *ibid.* à n. 658. & non libidinosa. *ibid.* n. 660.

Præceptum.

Præceptum Confessionis *divinum* quos, quando, & qualiter obliget? f. 377. a n. 517.
Præceptum Confessionis *Ecclesiasticum* quos, quando, & qualiter obliget? f. 378. à n. 521.

Propositum.

Propositum ad validam & licitam absolutionem requisitum quale? f. 325. debet esse I. *absolutum*? *ibid.* n. 305 nec sufficit velleitas conditionata? n. 326. n. 305. ut alij volunt? *ib.* 306. II. *Firmum. ibid.* n. 308. qua firmitate? f. 327. n. 309. non requiritur credulitas vel persuasio certa ex parte intellectus, ut quis certò credat se non amplius peccaturum. *ibid.* n. 310. nec promisso nova obligatoria *ibid.* n. 311. III. debet esse *Universale.* f. 328. n. 312 & IV. *Efficax. ibid.* n. 313. Corollaria. *ibid.* n. 314 & applicatio practica *ibid.* n. 315. An sufficiat propositum virtuale f. 329. n. 316. vel an semper, vel quando debeat esse formale, & expressum. *ibid.* à n. 317.
Propositum vitandi venialia quale esse debeat f. 334. n. 334. notantur specialia. f. 335. a n. 335.

Raptus.

RAptus generatim quid? f. 468. a n. 26. ejus pœnæ. *ibid.* Ad raptum propriè dictum requiritur violentia. f. 469. n. 27. illata ipsi puellæ, (non parenti, vel tutori. *ibid.* n. 28.) idq; in ordine ad matrimonium. *ibid.* Non est impedimentum, si puella rapiat virum. *ibid.* n. 30.
Rapiens puellam non pro se, sed pro alio, incurrit pœnas, non tamen impedimentum. *ibid.* n. 31.

Universidad de Deusto
BibliotecaCentral

Raptus propriè quid? f. 602. n. 603. culpa & pœna raptoris. *ibid.* n. 604.
Specialia quoad fœminam raptam, vel vi oppressam, *ibidem* n. 605.

Recidivum.

Recidivi ex occasione proxima qualiter juvandi? f. 331. num. 325. quando & quoties absolvendi. f. 332. n. 326. aut in occasione permittendi, *ibid.* n. 327. specialiter concubinarii, *ibid.* n. 381. quibus conditionibus in domo permitti possit concubina. *ib.* n. 329.
Recidivi ex intrinseca fragilitate quoad blasphemias, odia, delectationes morosas &c. quoties absolvendi? f. 333 n. 330. quando censeantur habere propositum. *ibid.* à n. 331. specialiter quoad molitiem. f. 334. n. 333.
Regulati mendicanti an possit negari approbatio ab Episcopo? f. 410. à n. 672. unde & quanta eis adveniat jurisdictio. f. 412. n. 678.
Regularis non potest validè absolvere alios Religiosos, vel Religiosas sui vel altertius Ordinis sine licentia Superioris cujusvis Ordinis respectivè. f. 413 à n. 683. Nec etiam potest uti jurisdictione Pontificia sine licentia sui Superioris. *ib.* n. 684.
Religiosus extra Monasterium commorans, an & cui possit confiteri? f. 414. n. 685.

Repetere.

Repetere confessionem, seu confessionum repetitio quando, & qualiter facienda? f. 371. vide V. *Confessio invalida.*

Reservatio.

Reservatio quid? f. 423. n. 726. quinam possint sibi reservare casus? *ibid.* à n. 727.
Reservari solent, & debent solum mortalia atrocia. f. 424. n. 730. externa. *ibid.* n. 731. opera consummata. *ibid.* n. 732. & certa tantùm, non dubia. *ibid.* n. 733.
An absolvi possit Pœnitens ignorans peccatum suum esse reservatum? f. 429. n. 735.
Casus in Religionibus reservati. *ibid.* n. 736.
An Prælati Regulares non possint alia peccata prohibere sub excommunicatione sibi reservata? *ibid.* n. 737.
A reservatis quis absolvere possit generatim? f. 426. n. 738.
A quibus casibus & censuris Papæ reservatis absolvere possint Episcopi, & Prælati Regulares respectu suorum subditorum? *ibid.* n. 739.
Qualiter & à quibus casibus & censuris papalibus ex privilegio Mendicantes absolvere possint Sæculares? f. 427. à n. 749.
Quid Mendicantes possint quoad casus Episcopales? f. 428. à n. 745.
Quis per accidens & adhuc directè in necessitate, & impedimento perpetuo adeundi Papam, vel Episcopum possit absolvere à reservatis eisdem? f. 429. à n. 749.
Tales absolvi possunt ab inferiori, sub duplici tamen onere, vel conditione *ibid.* 752.
Quando, & qualiter per accidens & indirectè à reservatis absolvere possit inferior in casu necessitatis, vel impedimento adeundi Superiorem? f. 430. à n. 753. Resolutiones & casus notabiles. *ibid.* à n. 754. specialia quoad hæc ex parte pœnitentis. f. 439. à n. 757. Item specialia ex parte Confessarij. f. 433. à n. 761.
Specialia quoad reservata tempore Jubilæi. f. 434. à n. 766.
Specialia quoad Superiores Regulares, quando possint & debeant absolutionem à reservatis committere inferiori? *ibid.* à n. 768.
Restitutio ex adulterio debita. f. 583. n. 532. quid restituendum I. pro injuria. *ibid.* à n. 533. II. pro infamia, vel dedecore? f. 584. n. 536. III. pro damno tempotali? *ibid.* n. 537. IV. pro sumptibus hospitali? *ibid.* n. 538.

Ritus.

Ritus in Missa alij essentiales, alij accidentales. f. 237. à n. 419. item Rubricæ aliæ præceptivæ, aliæ directivæ tantùm. f. 238. n. 421. præceptivæ observandæ sunt sub mortali. *ibid.* n. 423 directivæ sub veniali. *ibid.* n. 424.

Sacerdotium.

SAcerdotium quid ut ordinatio. f. 134. n. 2. ejus materia & forma duplex. *ibid.* n. 3. quid ut res Sacramenti. *ibid.* n. 4.
Sacerdotium, Sacrificium, & Sacramentum qualiter differant? n. 5. quæ eorum partes. f. 135. n. 6.
Sacerdotis & Confessarij Potestas quotuplex? f. 135. n. 7.
Sacerdotes ad quid sint in nova lege? *ibid.* n. 8.
Sacerdotij materia & forma à quo & quomodo instituta. *ibid.* n. 9. non fuit explicitè determinata in individuo a Christo, sed Apostolis, & eorum Successoribus determinanda relicta. *ibid.* unde etiam modò Ecclesia Græca confert Ordines per solam impositionem manûs cum certa forma. f. 136 n. 10. & etiam in primitiva Ecclesia diu Sacerdotes & alij ordinati sunt solâ impositione manuum, sine traditione. *ibid.* n. 11. processu tamen temporis ad expressionem significationem ab Ecclesia etiam determinata est porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostia. *ibid.* n. 12.
Sacerdotij materia essentialis quibusdam visa est prima impositio manuû. f. 137. n. 14 sed defacto in Ecclesia latina verius est solum cæremonia. *ibid.* à n. 15. Materia verò essentialis est *traditio calicis cum vino, & Patenæ cum hostia.* f. 139. a n. 18. non quidem absolutè. *ibid* n. 20. sed suppositâ determinatione Ecclesiæ. *ibid.* n. 21. & optimè conciliatur cum materia & forma Ecclesiæ Græcæ & primitivæ. f. 140. n. 22.
Resolvuntur varia dubia circa validam & invalidam ordinationem Sacerdotis. *ibid.* à n. 23.
Ad Sacerdotium adæquatè conferendum essentialis est etiam materia secunda seu impositio manuum. f. 141. n. 28. adeóq; respectu Sacerdotij adæquatè sumpti est essentialis. f. 142. n. 30. unde omitteretur, ordinatus esset tantùm incompetè Sacerdos potens celebrare, non tamen absolvere. *ibid.* a n. 31. validè quidem talis celebraret. f. 143. à n. 33. graviter tamen peccaret. *ibid.* n. 34.
Resolvuntur plura de Concelebratione Neomystarum. *ibid.* à n. 37.

Sacramentum.

Sacramentum quid? f. 1. n. 1. Signum visibile, *ibid* n. 2. invisibilis gratiæ. *ibid.* 4. Signum practicum, non nudè speculativum. f. 2. à n. 5. qualiter differat à Sacrificio N. L. & Sacramentis V. L. *ibid.* n. 6.
Sactamenta à quo, & qualiter instituta? *ibid.* à n. 10.
Sacramenta N. L. sunt septem, cur non plura, vel pauciora? f. 3. à n. 14. Sacramenta iterabilia. *ibid.* a n. 18. alia mortuorum. à n. 20 alia vivorum. *ibid* à n. 22.
Sacramenta quando dicantur formata. *ibid.* à n. 25. Quando & quæ dicantur informia. f. 5. n 27. Qualiter, & quæ Sacramenta informia reviviscant? *ibid.* à n 28.
Sacramentorum effectus Vide *Gratia* & *Character.*
Sacramenta singula qualem gratiam conferant. f. 6. à n. 42.
Sacramenta causant gratiam ex opere operato. f. 7. n. 45. Influxu morali, non physico. *ibid.* n. 46.
Sacramenta an omnia conferant gratiam æqualem, vel inæqualem? f. 8. n. 49.
Sacramentorum materia, & forma. f. 12. earum mutatio, substantialis, accidentalis, f. 14. vide *Materia.*
Qualis requiratur intentio in Sacramentis conficiendis, & suscipiendis. vide *Intentio.*
Sacramentorum Minister sufficiens de lege ordinaria est solus homo viator. f. 30. à n. 158. Non tamen omnis respectu omnium. f. 31. n. 159. Ut *validè* ministret, in illo requiritur solùm Potestas, & Intentio. *ibid.* n. 160 Non fides, bonitas, vel probitas. *ibid.* n. 161. Ut autem *licitè* ministret, debet habere I. Jurisdictionem non impeditam. f. 32. n. 162 II. ut ministret validè & ritè. *ib.* 163. III. Dignè, & dignis *ib.* n. 164.
Quale peccatum invalidè & indignè ministrare, & suscipere Sacramentum. *ibid.* à n. 165.
Sacramentum ministrans in mortali, peccat mortaliter. f. 33. n. 169. si sit Minister ad tale Sacramentum ministrandum specialiter consecratus, *ibid.* n. 170. idque in sex præcipuè casibus. f. 34 à n. 172. ac toties, quoties sic ministrat. f. 35. n. 175. Seclusa necessitate, vel causa excusante. *ibid.* 178.
Sacramentum petere & recipere à Ministro indigno, seu cum peccato mortali collaturo, per se non licet. f. 36. n. 178. licet autem ob rationabilem causam necessitatis, vel utilitatis notabilis. *ibid* n 179 præsertim ab eo, cui ex officio incumbit. *ibid.* n. 180. etiam à concubinario notorio, ac etiam excommunicato generaliter. *ib* à n. 181. non tamen ab excommunicato vitando, aut alio catente jurisdictione tibi tale Sacramentum conferendi. f. 37. n. 183.
Sacramentum ministrans scienter indigno, peccat mortaliter. *ibid.* n. 185. nisi indignitas illa vel indispositio esset ei nota ex confessione, aut peccator occultus soli Ministro notus publicè

licè peràt Sacramentum. *ibid.* n. 186. aliàs nullo unquam casu, etiam mortis periculo licet ministrare Sacramentum incapaci. f. 38. n. 187. indigno autem capaci probabiliter eo casu licet ministrare Sacramenta conferibilia indigno. *ibid.* n. 188. An in gravissimo metu, vel periculo mortis liceat præbere Eucharistiam ad usum malum v.g. magiam, vel maleficium? *ibid.* n. 189.
Sacramentorum validè suscipiendorum subjectum quodnam. f. 39. n. 190.
Sacramenta ut validè suscipiantur, tria requiruntur. *ibid* n. 191. Quæ requirantur, ut suscipiantur licitè? *ibid.* à n. 192.
Sacramentum Ordinis. vide *Ordo.*
Ad Sacramentum Pœnitentiæ non tantùm fructuosè. f. 314. à n. 255. sed etiam validè suscipiendum requiritur attritio formalis, supernaturalis, efficax, & universalis respectu mortalium. f. 315. à n. 258. unde
Sacramentum Pœnitentiæ nunquam potest esse validum, & informe. f. 316. à n. 263.
Ad Sacramentum Pœnitentiæ non requiritur contritio perfecta. f. 317. n. 268. (objecta solvuntur. *ibid.* n. 269.) sed sufficit attritio vera. f. 318. à n. 271. etiam cognita. *ibid.* à n. 273. non tamen æstimata tantùm. f. 319. n. 275. etiam invincibiliter *ibid* n. 276.
Sacramentum Pœnitentiæ qualiter ex attrito faciat contritum? *ibid.* à n. 277.

Sacrificium.

Sacrificium *generatim* est oblatio externa legitimè instituta. f. 144. n. 44. qua per legitimum Ministrum. f. 145. n. 45. res sensibilis realiter immutatur. *ibid*, à n. 46. in protestationem supremi Dei Dominij. *ibid.* n. 48. Estque actus Religionis. f. 146. à n. 49. specialissimus cultûs latriæ ac supremus, ideò soli Deo debitus. f. 147. n. 55.
Sacrificium quotuplex, & unde ejus origo. f. 148. à n. 56.
Sacrificium Missæ quid nominis. *ibid.* n. 61. quid rei. f. 149. à n. 62. & quotuplex. f. 151. à n. 72. In Sacrificio Missæ res oblata quæ? *ibid.* n. 74.
Sacrificij essentia consistit in consecratione utriusque speciei. f. 155. n. 90.
Sacrificium qualiter differat à consecratione, Sacramento, à Sacrificio Crucis, & ultimæ Cœnæ? f. 156. n. 91.
Sacrificij effectus, valor, fructus. f. 288. n. 222. ex opere operato, & ex opere operantis. *ibid.* n. 224. opus operatum, f. 189. n. 225.
Sacrificium qualiter remittat pœnas purgatorij. *ibid.* à n. 226. qualiter sit Satisfactorium seu remissivum pœnæ peccatis debitæ. f. 190. à n. 233.
Sacrificium qualiter & qualium bonorum Spiritualium, & Temporalium impetratorium? f. 191. à n. 237.
Sacrificium qualiter propitiatorium, seu conferens ad remissionem peccatorum mortalium? *ibid.* à n. 239.
Sacrificium qualiter expiatorium seu deletivum peccatorum venialium? f. 192. à n. 242.
Sacrificij fructus varij. f. 193. vide V. *fructus.*
Sacrificij fructus & valor non tantus, quantus Sacrificij Crucis. f. 169. n. 257. an & qualiter infinitus? *ibid.* n. 258. an infinitus intensivè. f. 197. n. 259. qualis & qualiter infinitus extensivè? f. 198. à n. 263.
Sacrificij fructus applicare. f. 199. vide *Applicare*, & V. *Fructus.*
Sacrificij Minister est solus, & omnis Sacerdos. f. 209. à n. 304. Plures validè consecrare possunt eandem materiam. f. 210. n. 307.
Sacrificij offerens varius. f. 212. n. 315. Principalis est ipse Christus, qualiter is adhuc offerat? *ibid.* à n. 316. Ministralis est spectu Missa Sacerdotis mali æquè, vel minùs valeat, quàm Ecclesia. f. 214. n. 324. Specialis & secundarij fideles concurrentes. *ibid.* à n. 325.
Sacrificium applicare. vide V. *Applicatio.*
Sacrilegium carnale *personale* quid? f. 606. n. 615. ejus tres gradus. *ibid.* n. 616.
Habens plura vota castitatis, contra ea peccando committit unum tantùm peccatum. *ibid.* n. 617. Nec probabilissimè in confessione explicare tenetur votum solemne. f. 607. n. 618.
Sacrilegium *locale* ubi, & quando committatur? *ibid.* n. 619.
Quando committatur sacrilegium carnale quoad res Sacras, eas adhibendo ad peccatum carnale? *ibid.* n. 620.
Sacrilegium sollicitationis in confessione. f. 608. n. 621. Hujus pœnæ gravissimæ. *ibid.* n. 622.

Satisfactio.

Satisfactio Sacramentalis quid? f. 382. n. 538. ejus effectus est remissio pœnæ temporalis. f. 383. n. 539. quem ut sortiatur, fieri debet in statu gratiæ. *ibid.* n. 540. vide V. *Pœnitentia.*

Sigillum.

Sigillum Sacramentale quid? f. 446. n. 807. oritur ex sola. *ibid.* n. 808. & omni confessione Sacramentali, etiam invalidè facta. *ibid.* n. 881. obligat ad tacenda audita, quatenus in sola confessione audita, non quatenus aliunde cognita *ibid.* n. 810. éstque ea obligatio juris divini naturalis, vel probabilius positivi. f. 447. n. 811. ex virtute Religionis, fidelitatis, & justitiæ. *ibid.* Semper sub mortali ex virtute Religionis, *ibid.* à n. 813. in omni casu. *ibid.* n. 815. coram quovis judice. f. 448. à n. 817 nisi de expresso & libero consensu pœnitentis. *ibid.* à n. 819. sine quo nunquam de auditis in confessione, ne quidem cum ipso pœnitente loqui licet extra confessionem. f. 449. nu. 822. bene autem intra confessionem. *ibid.* n. 823.
Sigilli materia. f. 449. sub sigillum cadunt I. omnia mortalia tam in genere, quam in specie. f. 450. n. 825. cautelæ practicæ valdè notandæ. *ibid.* à n. 826. II. Omnia venialia in specie. f. 451. n. 829. non tamen in genere & indefinitè *ib.* n. 830. nisi ex circumstantiis, vel modo loquendi detur ansa suspicandi graviora de eodem, vel de aliis *ibid.* a n. 831. III. Omnes peccatorum circumstantiæ, quas tacere pœnitentis interest. *ibid.* n. 833. IV. Complices seu peccata complicis, sive justè, sive injustè detecta. *ibid.* n. 834. V. Peccatorum objecta. v. g. si quis confiteatur se infamatorié locutum de adulterio Caij &c. f. 452. a n. 835. VI Pœnitentia injuncta. *ibid.* n. 837. VII. Negatio absolutionis. *ibid* a n. 838. VIII. Negatio schedæ confessionalis. *ib.* est tamen probabilius, hanc negare non esse contra sigillum. f. 453. n 840. IX. Item scrupuli, & defectus naturales. *ibid.* à n. 849
Sigillo Sacramentali per se primò obligatur I. Confessarius. f. 454. à n. 846. etiam fictus. *ibid.* a n. 848. II. Interpres pœnitentis. *ibid.* a n. 850. III Alterius confessionem scribens. *ibid.* IV. Adstantes, sive casu, sive ex industria aliquid audientes. *ib.* n. 851. V. Illi, quibus confessarius sine licentia pœnitentis aliquid revelavit. *ibid.* 852. VI. Superior pro licentia requisitus. f. 455. n. 853 VII. Consulti de peccatis, vel statu pœnitentis. *ibid.* a n. 854. probabilius etiam, quæ pœnitens ipse ante, & in ordine ad confessionem consuluit. *ib.* VIII. Legens, sive casu, sive studio confessionem scriptam alterius. *ibid.* n. 857. in quo tamen solùm secreti naturalis obligationem agnoscunt alij. *ib.* n. 858. gravissimè tamen obligantis. f. 456. n. 856.
Notitiâ confessionis non licet uti (ut alij advertant. f. 456. n. 862. An confessarius ex confessione sciens sibi insidias parari, possit aliquam actionem omittere, domi manere f. 457. à n. 863. aut aufugere, estò insidiatores id advertant, & forte ideò occisuri sint innocentem? *ibid* n. 864.
Nec etiam licet uti notitiâ confessionis sic, ut Pœnitens ipse solus advertat. *ibid* n. 865. exercendo actus illi ingratos, vitare, punire, deponere, &c. f. 458. à n. 866. probabiliter tamen licet ei negare actus nullo jure debitos, suffragium, beneficium, &c. *ibid.* n. 867.
Nec etiam licet uti eâ notitiâ ad gubernationem ipsius Pœnitentis, *ibid.* n. 869. bene autem ad gubernationem sui ipsius f. 459. n. 870. Resolvuntur casus aliquot particulares valdè notabiles. f. 460. a n. 871.

Sodomia.

Sodomia perfecta quid? f. 609. n. 626. quid imperfecta, & quale peccatum? *ibid.* n. 627.

Sollicitatio.

Sollicitatio in confessione. f. 608. n. 621. ejus pœnæ gravissimæ. n. 622.

Sponsalia.

Sponsalia quid? f. 499. n. 148. sunt essentialiter promissio mu-

tua. *ibid.* n. 149. acceptata *ibid.* n. 150. cum repromissione. f. 500. n. 151. ac vera, & seria, cum animo promittendi, & se obligandi. f. 501. n. 155. ac implendi. *ib.* n. 156.
Quid in dubio, an quis verè, vel fictè promiserit sponsalia? *ib.* n. 157.
Quàm voluntaria & deliberata? *ibid.* à n. 158. & quàm libera esse debeat promissio sponsaliorum? f. 502. à n. 162.
Quando, & qualis ignorantia, error, vel deceptio, seu dolus irritet sponsalia? f. 503. n. 166.
Quando, & qualis metus ea irritet? *ibid.* à n. 170.
Consensus in sponsalibus debet verbis, vel aliquo signo externo exprimi. f. 504. n. 174. quæ verba requirantur, & sufficiant *ibid.* n. 176. qualiter verba contrahentium debeant intelligi. f. 505. à n. 176. verba certò sponsalia. *ibid.* n. 179. & certò matrimonium significantia. *ibid.* n. 180. examinantur verba dubia. f. 506. à n. 183.
Quænam alia signa sufficiant, & arguant sponsalia? f. 507. à n. 188.
Quænam personæ sint habiles ad sponsalia, *ib.* n. 192. quæ inhabiles naturaliter? *ibid.* n. 193. Quæ requiratur & sufficiat ætas? f. 508. à n. 194.
Sponsalia invalida sunt inter adstrictos impedimentis matrimonij. *ibid.* à n. 198. tam matrimonium, f. 501. n. 201. quam sponsalia validè contrahunt filijfamilias inscijs, vel invitis parentibus. *ibid.* n. 202 peccant tamen communiter. f. 502. n. 204. etiam gravitet, si cum indignis sic contrahant. *ibid.* à n. 205.
Sponsalia fieri possunt sub conditione honesta de futuro. f. 503. n. 208. quæ licet inducant obligationem suspensam. *ibid.* à n. 208. habent tamen vim irritandi alia sponsalia postea inita cum alio. *ibid.* n. 211. & conditione impleta, statim transeunt in absoluta. f. 504. n. 213.
Sponsalia sub conditione: *si Papa dispensaverit* in impedimento, qualiter & quando valeant? *ibid.* à n. 214. Item facta sub conditione: *si Pater consenserit*? f. 505. à n. 218. ac sub conditione impossibili, vel turpi? *ibid.* à n. 221.
Sponsalia quis dispensare, vel solvere possit? f. 507. à n. 222.
Sponsalia solvuntur I. *Mutuo consensu. ibid.* à n. 232. etiam jurata. *ibid.* à n. 214. saltem validè, non tamen semper licitè. f. 508. à n. 235. II. *Recessu* unius à sponsalibus. *ibid.* n. 237. III. *Dilatione nimia* matrimonij ultra tempus, vel terminum præfixum. *ibid.* n. 248. quid si nullus præfixus sit? f. 509 n 239. IV. *Absentiâ sponsi*, quæ, & quando censeatur illa solvere? *ibid.* à n. 240. V. *Religionis ingressu*, vel *professione* f. 510. an. 245. VI. *Voto* Religionis ingrediendæ. f. 511. à n. 249. VII. *Ordine Sacro*, eiúsque *voto*. *ibid.* à num. 252 VIII. *Voto simplici* castitatis seu continentiæ perpetuæ. f. 512. n. 257. Quod tamen probabilius invitâ alterâ parte, nec licitè emittitur, nec solvit sponsalia. *ibid* nu. 258. estò non omninò invalidum sit tale votum. *ibid.* n. 257 IX. *Matrimonio alio contracto* contra [illegible] sponsalia f. 513. à n. 261. quod tamen probabiliter, [illegible] non omninò extinguit, *ib.* à n. 263. Sponsalia priora legitimè contracta non dissolvuntur per alia sponsalia subsequentia cum alia. f. 514. à nu. 265. licet hæc posteriora sint publicè celebrata. *ib.* n. 267. habeántque copulam annexam *ib.* n. 268. ac sint juramento firmata. *ibid.* n. 269. X. *Fornicatione* sponsi vel sponsæ. f. 519. à n. 270. etiam, si sponsa vi oppressa sit. *ibid.* n. 272. vel oscula, amplexus, & tactus impudicos admittat ab alio; non tamen e contra. *ibid.* n. 273.
Impedimentum superveniens, quando & qualiter solvat sponsalia. *ibid.* n. 274.
Item aliæ mutationes notabiles particulares factæ, vel præfactæ quando solvant. f. 516. n. 279. V. G. in bonis animæ f. 517. n. 280. in bonis corporis. *ibid.* n. 281. in bonis fortunæ. *ibid.* n. 282. etsi jam ante sponsalia extiterint, vel post primùm patefiant, f. 518. n. 283. casus varij. à n. 284.

Sponsus.

Sponsi quæ obligationes & peccata. f. 549.
Sponsus vel Sponsa promittens sponsalia fictè. f. 550. n. 415. vel fraudulenter, peccat mortaliter. *ibid.* n. 416. non tamen obligatur. *ibid.* n. 417. per se loquendo, & in conscientia. *ibid.* n. 418.
Qui verò ritè contraxit sponsalia, tenetur sub mortali ad contrahendum matrimonium. *ibid.* n. 419. tempore ab ipsis præscripto. f. 551. n. 420. Ad quod centum cogi potest & debet injustè resilire volens. *ibid.* n. 421.
Sponsi cum alijs peccant gravius cæteris. *ibid.* à n. 423. non quidem est adulterium. *ibid.* tamen circumstantia speciem mutans in confessione explicanda. f. 552. à n. 424.
Cum se invicem autem peccant levius. *ibid.* n. 426 mortaliter tamen exercendo copulam. *ibid.* n. 427. vel morosè delectando de ea ut præsenti sensibiliter. *ibid* n. 428. aut tactibus valde impudicis. *ibid.* n. 429. non item, si tactus non sint ita impudici. f. 553. n. 430.

Stipendium.

Stipendium Missæ. f. 222. qua ratione illud exigere & recipere liceat? *ibid.* n. 356. quodnam sit Stipendium *justum* seu debitum? f. 223. à n. 357. an pro una Missa accipi possint plura Stipendia? f. 224 à n. 360. saltem plura minora à pluribus id ignorantibus? f. 225. n. 362. vel saltem plura pro diversis fructibus? *ibidem* n. 363. aut pro fructu ex opere operantis? f. 226. n. 364.
An accepto stipendio possit Sacerdos Missam alteri committere, retenta sibi parte Stipendij? *ibid* à n. 365. ostenditur esse prohibitum & jure naturæ, & ex prohibitione Ecclesiæ. f. 227. n. 368. imò & restitutioni obnoxium. *ibid.* n. 369. nec regulariter excusat remissio & consensus minus stipendium sponte acceptantis. f. 228. n. 371.

Stuprum.

Stuprum quid? f. 598. n. 485. ejus malitia est duplex cum onere restitutionis. *ibid* n. 586. si fiat cum virgine invita. *ibid.* n. 587. Imò probabiliter etiam, si fiat cum virgine consentiente. *ibid.* n. 588. Probabilius tamen cum tali est solùm simplex fornicatio. *ibid.* n. 589.
Stuprator virginis consentientis ad nullam restitutionem obligatur per se loquendo. f. 591. n. 590. etiam in dubio, an virgo consenserit, nec ne. *ibid.* n. 591. aut si nullum aliud damnum passa sit. *ibid.* n. 592. vel non amplius fuit virgo *ibid.* n. 593.
Stuprator virginis invitæ sine promissione matrimonij, tenetur illam ducere vel dotare. *ibid* à n. 594. si non possit pecuniâ compensare, tenetur eam ducere? f. 600. n. 595. Quid si ipsa nolit? *ibid* 596. Quid si procus eam solum sit violenter osculatus, vel tetigerit cum infamia, vel damno? *ibid.* n. 597.

Tempus Missæ.

TEmpus Missæ celebrandæ. f. 243. qua hora liceat. *ibid.* n. 445. quanto tempore ante auroram. *ibid.* n. 446. quale peccatum sine justa causa notabiliter ante auroram, vel post meridiem celebrare? *ibid.* n. 447. Causæ sic notabiliter anticipandi, & differendi Missam post meridiem. *ibid.* à n. 448.
Quotidie licitum est celebrare per se loquendo? f. 244. n. 450. excepto Parasceve. *ibid.* n 451.
Quid faciendum Parocho, qui feriâ quintâ cœnæ omisit consecrare Hostiam majorem pro officio diei sequentis, nec etiam minores Hostias habet? *ibid.* n. 452.
Tam in die Jovis cœnæ Domini. *ibid.* n. 435. quam sabbatho Sancto fas est cuilibet Sacerdoti celebrare privatim per se loquendo. f. 245. n. 454. regulariter in die semel tantùm licet celebrare. *ibid.* n 455. ob quos casus vel causas liceat iterum? *ibid.* a n. 456.
Quoties vel quando teneatur Sacerdos celebrare? f. 246. à n. 460.

Titulus.

Titulus sustentationis seu mensæ, f. 67. n. 108. alius est beneficij. *ibid.* n. 109. alius matrimonij. f. 68. à n. 110. alius paupertatis. *ibid* n. 113. sine titulo tali ordinati quas pœnas incurrant *ibid.* à n. 114.

Tonsura.

Prima Tonsura quid? f. 78. n. 158. quis effectus. f. 79. n. 159. Quid requiratur in accipiente Tonsuram, vel Clericatum? *ibid.* n. 160.
Tonsuram, vel Minores accipiens cum animo non permanendi in statu Clericali qualiter peccet? *ibid.* à n. 161.
Tonsurâ & Minoribus initiati nullam contrahunt obligationem. f. 80. n. 164.

Venialia.

VEnialia quibus modis universim dentur? f. 264. n. 19. qualiter per actus meritorios. *ibid.* a n. 24. per Pœnitentiam formalem, virtualem? f. 265. n. 35 per attritionem? *ibid.* n. 37.

n. 37. per actum amoris Dei super omnia? *ibid.* n. 38. per orationes, jejunia & eleemosynas &c. *ibid.* n. 39. ex opere operato per Sacramenta. *ibid.* a n. 40. per Sacrificium Missæ. f. 266. n. 43. Qualiter per Sacramentalia. *ibid.* n. 44.
Nullum veniale remittitur, non remisso mortali. *ibid.* à n. 46.
Venialia qualiter remittantur post mortem. f. 302. n. 304.

Vestes.

Vestes Sacræ quæ & quales requirantur ad celebrandum. f. 234. quale peccatum sine sacris vestibus celebrare? *ibid.* à n. 407. an saltem aliquando liceat sine aliqua. v. g. Manipulo, Stola? f. 235. à n. 409.
Vestes Sacras quinam possint benedicere *ibid.* à n. 411. Quando benedictionem amittant. f. 236. à n. 413.
Vestium color qualis esse debeat. f. 237. n. 415. An, quando, & quis possit dare licentiam celebrandi operto capite. *ibid.* n. 416.

Vinum.

Vinum consecrabile debet esse de vite. f. 169. n. 151. quæ excludantur à ratione vini? *ib* à n. 152. omne vinum de vite verè tale, & per se potabile, cujuscunque speciei vel coloris est materia valida. *ibid.* n. 155. etiam mustum. fol. 170. n. 156. quid de vino acido? *ibid.* num. 157. condito aromatibus vel absynthio? *ibid.* n. 158. ac congelato? *ibid.* n. 159.
Vino consecrando debet admisceri aqua. f. 171. de præcepto n. 161. eáque naturalis. *ibid.* n. 162. & modica f. 172. n. 163. ad Altare in ipso calice. *ibid.* n. 164. quæ convertitur in Sanguinem Christi non immediatè, sed mediatè. *ibid.* n. 165.

Virgo.

An Virgo prima vice fornicando committat malitias vel indecentias speciales? f. 596. n. 581. An & quando virgo vel quævis fœmina pro usu corporis possit recipere mercedem. f. 597. n. 583. Quid si virgo fictè promittens hunc usum pretium vel munera accipiat? *ibid.* n. 584.

Votum.

Votum *solemne* castitatis dirimit matrimonium contrahendum f. 471. à n. 39. jure Ecclesiastico tantùm. *ibid.* n. 41. ac eodem jure solvit matrimonium ratum tantùm. *ibid.* n. 42.
Votum *simplex* castitatis non dirimit. *ibid.* n. 43. sed est impedimentum impediens tantùm. f. 497. n. 139 estque quadruplex. scil. votum castitatis integræ; Religionis ingrediendæ, & profitendæ; suscipiendi SS. Ordines, & cœlibatûs. *ibid.* n. 140. debent tamen esse vota perfecta. *ibid.* n. 141.
An & quando peccet contrahens contra tale votum matrimonium conditionatum tantùm. f. 498. n. 142.

Ad Majorem DEI, Deiparæque Virginis MARIÆ Honorem, & Gloriam.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca